Notes du mont Royal

www.notesdumontroyal.com

Cette œuvre est hébergée sur « *Notes du mont Royal* » dans le cadre d'un exposé gratuit sur la littérature.

SOURCE DES IMAGES

Google Livres

107744

LVCIANI SAMOSATENSIS OPERA,

Quæ quidem extant, omnia, è Græco ſermone in Latinum, partim iam olim diuerſis authoribus, partim nunc per Iacobum Micyllum, tranſlata.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE DE LYON

Cum Argumentis & Annotationibus eiuſdem paſſim adiectis.

LVGDVNI,
Apud Ioannem Frellonium
M. D. XLIX.

Λουκιανὸς ἐς τὴν ἑαυτοῦ βίβλον.

Λουκιανὸς τάδε γράψε, παλαιότατα μωρά τε ἀστεῖα,
μωρὰ μὲν ἀνθρώποις καὶ τὰ δοκοῦντα σοφά.
ἐσθλὸν δ' ἀνθρώποισι διαφθορόν ἐστι νόημα,
ἀλλ' ὃ σὺ θαυμάζεις, τοῦθ' ἑτέροισι γέλως.

Lucianus de ſuo libro,

Lucius hæc ſcripſit, qui ſtultáque priſcáque norat,
Stulta quidem vulgo credita, doctá tamen.
Eximius non eſt ſenſus mortalibus vllus,
Sed quod tute probas, ridiculum eſt aliis.

Io. Aurato interprete.

Authores, qui in hoc opere vertendo elaborarunt.

D. Eraſmus Roterodamus.
Philippus Melanchthon,
Thomas Morus.
Auguſtinus Dathus.
Petrus Moſellanus.
Bilibaldus Birckheimerus.
Anaſtaſius.
Vincentius Obſopœus.
Ioannes Sinapius.
Martinus Bolerus.
Ottomarus Luſcinius.
Ponticus Virunius.
Iacobus Micyllus.

IACOBI MICYLLI AD ORNATISS. VIRVM, PHILIPPVM REIFFENSTEIN,

Gen. Dn. Ludouici Com. Stolbergen. &c. Conſiliarium, &c.

In Luciani tranſlationem præfatio.

NON clam me eſt, Philippe ornatiſs. pleroſque doctorum hominum in ea opinione verſari, vt melioribus hiſce literarum ſtudiis non parũ obeſſe exiſtiment authores Græcos ex lingua ſua tranſferre, & eoſdem Latinè legendos promiſcuè ac quoslibet proponere. Principiò enim aiunt proximis his annis, dum paſsim & abſque delectu ex vtraque lingua Græci Latiníque ſcriptores in alias conuertuntur, pauciores, qui vtramuis rectè ac planè diſcerent, extare cœpiſſe. Deinde autem & illud accidere ſolere, vt quia pleraque Græca ita ſcripta ſunt, vt niſi in ſuo ac proprio ſermone legantur, neque gratiam eandem retineant, neque parem poteſtatẽ, plurimum interim elegantiæ atque nitoris, optimis atque elegantiſsimis quibuſque translatis decedat. Ac mihi quidem cogitanti, propemodum ita res habere videtur. Vt enim quiſque, non dico ignauiſſimus, ſed diligentiæ atque operæ parciſſimus eſt, ita protinus ad id quod proximum & ante pedes eſt, diuertit: & relictis veris viuiſque fontibus, ad turbidos interim, & vtcunque deductos riuos deflectit. Quo fit, vt bona atque humana hæc ſtudia, ex altera ſui parte iampridem intermittantur, & illud amœnum ac ſuaue eloquentiæ Græcæ, vt ita dicã, viretum, deſertum atque neglectum, paulatim iterum emarceſcat. Quæ quidem res & me dudum ita commouit animo, vt cum nuper ab amico noſtro Egenolpho rogatus eſſem, vt quæ Luciani reliqua, nec adhucdum conuerſa reſtarent, ea cõuertenda Latinè ſuſciperem, & authoris iſtius velut lacunas quaſdã à ſuperioribus relictas explerem: ipſe quoque aliquandiu ſubſiſterem, & quid faciendũ in hac re eſſet, nonnihil addubitarem. Eſt enim omnino author hic talis, vt eadem elegantia, eadémque feſtiuitate reddi prorſus nequeat: & ſi Latino ſermone ſuauitatem illius expri mere coneris, nihilo plus agas, quàm ſi phœnicopterum, aut pſittacum, aliquem, detractis propriis atque natiuis plumis, alieno ac translatitio colore ſpectandum exhibeas. Attamen quia videbam cum alios non paucos, tum verò in primis Eraſmum noſtrum Roterodamum, virum ob excellentiam doctrinæ, & inexhauſtam dicendi copiã, omni poſteritati memorabilem, in hoc vertendo non parum elaboraſſe, eáſque translationes in manibus paſſim haberi ac volui, exemplum atq; authoritatem illorum neutiquam fugiendam aut improbandam putaui. Nam rurſus neque illud ſatis æquum videbatur eſſe, tantos lepôres, tantámque rerum propè omnium ſcientiam, vna tantùm lingua includi, & ab vno duntaxat quaſi populo voluptatem hanc omnem parari. Proinde collectis omnibus aliorum verſionibus, quas quidem reperire licebat, & iiſdẽ argumentis & annotatiunculis quibuſdã adiectis, ſicubi res poſtulabat, proximo hoc anno, dum in ſchola Heidelbergenſi eaſdẽ literas Græcas publicè doceo, quantum à reliquis laboribus otii mihi ſuppetebat, id omne in hanc operam impendi, & quæ reliqua reſtabant, quæ quidem obſcuriſſima ac difficillima nonnulla erant, Latino ſermone, quoad fieri potuit, expoſui.

Rem conatus,vt quidem dicere te ſcio, non parum arduam,& plus multò audaciæ quàm laudis præ ſe ferentem. Quis enim non vereatur poſt tot præclaros & excellentes interpretes ſuum quoque,vt hoc verbo vtar, aſſumentum apponere? & quæ ab aliis vel ob difficultatem,vel ob verecundiam quoque relicta eſſent,ea tanquam nouus aliquis & nuper natus Hercules, aggredi ſuſtinere?Sed audẽdum tamen fuit,quandoquidem Audentes fortuna iuuat, vt poeta ait. Neque verò video cur mirum adeò,aut inſolens alicui videatur, ſi ipſe quoque fortunam experiri volui,ſupráque vires aliquid meas in me ſuſcepi,quãdò & Comicos antiquos illos videmus mutuò ſibi frequenter obieciſſe,quòd fabulas ex Græcis bonis Latinas facerent non bonas.Nam ſi æquum eſt,vt idem Comicus ait,ignoſcere, Quæ veteres factitarunt,ſi faciunt noui: maior vtique venia nobis danda erit, qui & infeliciore ſeculo quàm illi,& alia atque diuerſa lingua nati ſumus. Iam ſi qua eiuſmodi fortè ſunt,(vt fortaſſe multa ſunt) vt in iis vertendis nonnihil à vero aberrarim,cogitari illud quoq; decet, quòd omnia ea Græcè quoque talia ferme ſunt, vt veniam magis interpreti malè vertenti,quàm culpam promereri debeant.Nã illud demum repræhenſione dignum eſt,non ſi quis inſuetum atque aſperum,ſed ſi quis commune ac tritũ iter ingreſſus,in eo alicubi labatur aut impingat.Quanquam equidem arbitror,quicquid huius eſt,facilem apud doctos & æquos lectores excuſationem inuenire poſſe : præſertim cùm viderint me non minore diligentia & cura in difficilioribus iſtis verſatum eſſe, quàm alios interim in expeditis & planis.Illud verò inuidioſum & graue, quod quoſdam clamitare audio,authorem impium ac deteſtabilẽ in vulgus nos edere,cuius ſcripta ſatius multò fuerat ſupprimi,quàm eorum lectione aures pias offendi.Neque enim mala ſerenda eſſe,quandò ea vltro,&,vt Græcum prouerbium habet,neque quærentibus nobis obueniant.Nam quis ignorat,inquiunt,Samoſatenſem iſtũ deorum pariter & hominum irriſorem, tot retro ſeculis ob impictatem damnatum, & ab aliis athei,ab aliis etiam apoſtatæ cognomento diffamatum? Sed veniã nobis dabunt hac quoque in parte lectores.Neque enim nunc primùm hoc opus ipſi aggredimur,& ante nos in eodem edendo elaborarunt viri,quorum authoritatem atque doctrinam nemo non ſequitur,omnes ſibi proponũt, & iam totus propè orbis comprobauit. Deinde autem quænam inuidia fuerit,ob vnum fortaſſe næuum aliquem in parte hærentem,totum corpus,venuſtum alioqui,& numeris,quod aiunt, omnibus abſolutum,abiicere?Nam vt liuorem alibi aut maculam in ebore aut marmore ſculpto toleramus,ſi cætera arti reſpondeant:ita & in authoribus,opinor, vitiũ vnum aliquod diſſimulandum erit,ſi cætera eiuſmodi ſunt, vt legentibus vtilitatem aliquam non paruã afferre poſſint.Impius Lucianus eſt: at contrà ſumma in eo eloquentia,ſumma dicendi feſtiuitas eſt,magna rerum varietas,magna ſcientia,multa eáque perfecta & ſolida item doctrina: & ſeu ridendo aliorum vitia corrigit,ſiue monendo aliquid præcipit ac docet,cum ſumma prudentia ſummum quoque iudicium coniunctum,&,ſi dicere licet,in vno eo,omniũ aliorum ſcriptorũ exemplar.Quas ſanè virtutes ac dotes adeò varias ac multas,ob vnum aliquod vitium repudiare,quàm ſit æquum aut dignum,iudicandum aliis relinquo:mihi certè ne ipſum quidem hoc pium ſatis videtur. Niſi verò neque Liuius aut Cicero, neque Thucydides aut Plato,neque denique quiſquam eorum qui vel exemplis vel doctrina communem hominum vitam erudire atque informare poſſunt , legendus propterea fuerit,quia ethnicus & tãquam paganus à noſtra ac vera religione abfuiſſet.At etiam de Chriſto religioſè parum ſenſit.At fecerunt hoc alii item multi,

quorum

quorum tamen ſcripta & hodie nonnulla legimus,& ab antiquis olim tolerata fue re. Nam ſi protinus vt quiſque de fide in Chriſtum, de religione ſyncera ac recta minùs piè ſentit aut loquitur,ita exterminandus atque extirpandus erit: non modò ex veteribus ſcriptoribus haud ita multos retinebimus, ſed fortaſſis nec hodie quidam ferendi erunt.Sed vt hoſti aperto nemo quicquam credit,ſimulanti amicitiam, multa etiam arcana interdum committimus: ita nemo puto erit,qui alioqui ſanæ mentis ſit,qui etiam ſi videat Lucianum,pro inſita atque innata illa dicacitate non ſolùm humanas res, verùm etiam diuinas & ſacras omnes arripere, & veluti pro ludo quodam habere,ex eo quicquam offendetur,aut illius orationem in exemplum trahet.Denique cur mirum adeò,aut nouum hoc putemus,ſi homo ethnicus,& qui nunc cauſas agendo,nunc declamando,poſtremò etiã circa principum aulas verſando, dicendi cauillandíque artibus omnem propè ætatem exegit,irreligioſè quædam & irreuerenter dicta reliquit, cùm ne ipſi quidem illi qui ex profeſſo vitam religioſam ac ſanctã degunt,religioſè omnia faciant & dicant? Quorum aliquando mores & facta quia non omnino illorum diſſimilia ſunt, quæ quoties ſuorum temporum philoſophiam, & vanam iſtam virtutis atque doctrinæ ſimulationem irridet,à Luciano deſcribuntur.Iam illud quoque in mentem alicui venire haud immeritò poſſet, num ob hoc quidam illi tantopere ſuccenſeant, quòd in eius dialogis & deſcriptionibus iſtis ſimilitudinem atque imaginem ſui quandam elucere,& périnde vt in tabula depictam cerni pertimeſcant. Odimus enim ferè quæ malè facimus,& quoties factorũ memoria in oculos incurrit, tanquam vulnera nuper ſanata, necdum ſatis concreta, quemlibet etiam tactum reformidamus.Quare iſtorum quidem accuſatio haudquaquam eò apud nos valere debet,vt authorẽ talem ac tantum è manibus abiiciamus,& tot præclara omnis propè generis ſcripta, Vulcano atque igni, quod illis fortaſſe placeat, conſecremus.Ac longiore etiam defenſione forſitan opus mihi foret, ſi ad alium quàm ad tè Philippe candidiſſime,cui opus hoc dedicandum putarem, inſtituiſſem ſcribere.Neque enim cuiuſuis aures ad has vulgi opiniones obfirmatæ ita ſunt, vt iis nihil moueantur,aut eaſdem etiam vltro contemnant.At verò quia tecum mihi res eſt,quem & familiariter multos iam annos cognoui, & quid ipſe de rebus ſiue ſacris ſiue profanis,quod ad hãc cauſam attinet,ſentire ſoleam, ſatis certò iam olim ſcire confido:nihil neceſſe opinor eſt hîc nunc longius immorari.Quã ob rem vt vela aliquando contraham, & orationi huic finem imponam, ego quia iam olim optaui amoris atque animi erga te mei ſignificationem aliquam tibi dare, neque tamen hactenus vlla eius rei occaſio ſeſe mihi obtulit, qua id cõmodè potuiſſem: non indignum aut alienum duxi, ſi hanc meam operam, quam in hiſce Luciani reliquiis abſoluendis impendi,tuo nomini inſcriberem, tibíque dedicarem. Nam vt cæteri amantes ſolent munuſculis quibuſdam aut aliis interdum rebus idoneis memoriam ſuam apud eos quorum affectu ac deſiderio tenentur, ſúbinde renouare,ita neque nobis inhoneſtum erit,arbitror,ſenſus ac voluntates noſtras, hiſce, in quibus verſamur,rebus ac ſtudiis declarare. Neque verò indignum aut inconueniens hoc tibi donum erit.nam ſi naturam atque ingenium tuum ſatis noui,aut huius,aut nullius authoris lectione æquè delectabere. Tanta eius vbique facundia, tanta rerum omnium elegantia atque feſtiuitas eſt.Próinde accipe à me quicquid hoc operis tandem eſt,quod à me profectum,ad aliorum labores acceſſit:quod te principiò quidem conſuetudinis ac voluntatis erga te meæ admoneat:déinde autem & à laboribus curíſque iſti grauioribus,in quibus ferè verſaris,digreſſum ex-

cipiat & refocillet. Nam hic profectò inuenies quod te quomodocunque affectum animo, reficere atque exhilarare possit: & siue seria, siue iocosa, siue domi, siue in agris, siue denique inter rusticandum, siue inter peregrinandum, lectione aliqua oblectare te voles, vnus hic author ad omnia loca & tempora aptissimus erit, sempérque aliquid quod vel legisse vel addidicisse te iuuet, quasi recens ac nouum subministrabit.

IOAN. RIBITTVS ΦΙΛΕΛΛΗΣΙΝ ADOLESCENTIBVS S. P. D.

DEO Opt. Max. semper gratias agere debemus, cùm ob cæterarum rerum, tum maximè ob literarum beneficia, quas nobis hoc tempore ita restitutas esse videmus, vt nulla vnquam ætate tot fuisse literatos, omnes dicant, & constanter affirment. Quo diuino bono vt vtiliter possimus vti, ab eo ipso, qui hæc largitus est, supplicitèr (quia supplices non aspernatur) petendum esse arbitror. Equidem viam & rationem, quam quidem norim, aliis tradere & monstrare non grauabor, vt hoc dono ad vtilitatem suam quisque vti possit, qui meum consilium sequendum putarit. Illud in primis propositū nobis esse debebit, vt vbiq; summi illius artificis gloriā prædicemus, in vnum illum spectemus, finem studiorum hunc nobis proponamus. Homines enim conditi sunt vt Dei opera considerantes & admirantes, artificem summum omnium laudent, honorent, venerentur, & adorent. Quo posito fundamento, nihil iam sit, ex quo non aliquid ad nos vtilitatis manare possit. Atque vt de his Luciani Græci scriptoris operibus, quæ nūc sunt in manibus, aliquid dicamus, illud primo loco apertè profitebor, hominis impietatem mihi nullo modo probari, sed tantùm quæ vtilitates & documēta hinc capi posse videantur, explicare voluisse. Et quoniam pietatis & religionis ratio nusquam alibi quærenda est, nisi in scripturis diuinitus inspiratis, quæ solæ meram continent veritatem, nullo contaminatam mendacio: reliqua omnia scripta ad hunc Heraclium lapidē exploranda sunt, id est, ad sacrorum codicum normam sunt dirigenda & corrigēda, vt vel probentur vel improbentur de religione disputationes: id quod maximè faciendum esse puto in Luciani disputationibus, quæ summam sæpe impietatem spirare & continere videntur. Sed de his posterius: prius enim dicam de iis quæ summam habent vtilitatem sine vllo religionis periculo. Quòd si vera est illa omnium ferè sermone trita sententia, nullum esse librum tam malum, qui non aliqua ex parte prosit, cur Luciani libros repudiare debeamus, causam prorsus video nullam, cùm præsertim non aliqua ex parte, sed multis prodesse possint. Est enim in hoc authore summa linguæ Græcæ proprietas, & Atticismi exquisita obseruatio. Thomas quidem Magister in Atticarum vocum obseruationibus, huius ipsius scriptoris testimoniis quàm creberrimè vtitur ad Atticismum restituendum. Tzetzes nobilis Hesiodi interpres, hunc plurimum dicendi facultate valuisse, éque seruili penè conditione ad summos dignitatis gradus propter eloquentiam euectum esse, & Syrum oratorem vocatum scribit. Ex quorum testimoniis iam satis intelligi arbitror, nullum esse huius scriptum, quod non cum vetustissimis facillimè comparari

rari poſſit,ſi eloquentiæ tantùm habeatur ratio. Addere iam licet noſtræ ætatis hominum iudicia doctiſſimorum. Budæus quoties ad Atticam & Græcam dicendi rationem commõſtrandam, ex his ſcriptis teſtimonia producit? quoties Eraſmus? quoties alii innumerabiles, qui aliquid de ſyntaxi Græcorum literis mandarunt? quibus enumerandis nimiùm longa poneretur oratio. Iam tot interpretum diſertiſſimorum teſtimonia quanti ſunt? nullus eſt enim ex his qui ex Luciani ſcriptis aliquid Latinè conuertendum ſuſceperunt, qui nõ huic ſummam & maximè Atticam tribuat eloquentiam. Quid publica florentiſſimarum Academiarum teſtimonia, quantum habent ponderis? Lutetia hunc pueris linguæ Græcæ diſcendæ cauſa proponit, Louaniũ non repudiat. In Britannia non ſolùm enarratur in ſcholis, verumetiam illhic extiterũt, qui, quæ de Græco conuerterant, ediderunt. Quid commemorẽ Germaniæ gymnaſia literarũ, vbi maxima ex parte Latinus factus eſt Lucianus? Italia hunc authorem prima in lucẽ protulit. Atqui nunquam talia extarent teſtimonia & ſtudia horum librorum, niſi homines doctiſſimi in eis Græcam & Atticam eloquutionẽ conſtantiſſimè obſeruatam eſſe vidiſſent. Quæ enim pars vel exigui libelli in tot operibus reponatur Atticæ expers eloquentiæ? Profectò nulla. Attici ſales, Atticæ ironiæ non illepidæ ſuo loco ſic aptæ ſunt, vt facilè quiuis iudicare poſſit, hunc vitium ineptiarum & vidiſſe, & vbique diligenter vitaſſe. Venio ad varietatem, quæ in his ſcriptis tãta eſt, vt nulla ferè res ſit, quæ quidem in ſermonem incidat, cuius hîc non fiat mentio, vel etiam iuſta diſputatio. Atque hoc ſic habere, res ipſa loquitur. Tot enim, támque variæ librorum inſcriptiones, an non quod dico ſatis declarant? Vt omittam ſæpiſſime in eadem inſcriptione res admodum varias contineri. Ex quo illud accidit, vt variæ quoque vtilitates percipi poſſe videantur. Quæ res plana fieri poſſit, ſi animaduerterimus, omnes philoſophiæ partes hîc ſumma eloquentia eſſe pertractatas. Atque vt primùm à primis ordiamur, permulta quæ ad grammaticam literarum rationẽ pertinent, hîc reperire poteris, non ſine maximo fructu, & ſine vlla pietatis iactura. Δίκη φωνηέντων iucunda quædam, non illa quidẽ arida & ieiuna dabit præcepta. Deinde in eo libello, qui ὑπὲρ τοῦ ἐν τῇ προσαγορεύσει σφάλματος inſcribitur, quàm copioſè & graiter de duobus maximè verbis χαίρειν καὶ ὑγιαίνειν diſputat? qua diſputatione quid eſt γραμματικώτερον; In Λεξιφάνει diſertè obſoleta ab vſitatis diſtinguit, & diſcernenda proponit, antiquarios non illepidè reprehendens. Τοξιδολογιστὴς vocabulorum proprietatem & translationem non obſcurè docet, & multis veterum teſtimoniis confirmat. Quid aliud agit in Τοξιδοσοφιστῇ, quàm linguam docet Græcorum & Atticorum? Ex quibus omnibus, quàm copioſas de literis & verbis Græcorum ſtudioſi aſſumere poſſint diſputationes, ſuperuacaneum foret longa oratione explicare. Quòd ſi eſt Grammatici hiſtorias enarrare, & ſcribendæ hiſtoriæ leges præſcribere, hæc omnia ſi requiris, habes in eo libro, qui πῶς δεῖ ἱστορίαν γράφειν inſcribitur. Hiſtoricæ ſcriptionis ficta exempla ſumma feſtiuitate deſcripta, duo libri, qui ἀληθὴς ἱστορίας λόγοι inſcribuntur, continent: vt ſi quando ſeueritatem relaxare voles, nuſquam quod cupis facilius quàm hîc reperire poſſis. Vera autem, minimèque ficta, in Alexandro inuenire licet. Quid Δημώναξος βίος, an quicquam non hiſtoria dignum complectitur? Μακρόβιοι multarũ ſunt inſtar hiſtoriarum. Peregrini mors nõ vulgaris, hiſtoriã non vulgarẽ continet. In Συρίᾳ θεᾷ προδοτίζῃ non infeliciter. Nam Sympoſiũ verámne an fictam cõtineat narrationẽ, nihil certi cõſtitui poteſt. Vtcunq; ſe res habet, ita iucundus eſt in narrãdo, vt in eo omnes narrãdi virtutes ineſſe intelligi facillimè poſſit. Qua in parte quantũ inſit vtilitatis, paucis verbis exprimi non poteſt: ex iis petere

licebit,qui diligenter hiſtoriæ laudes perſecuti ſunt. Illud vnum modò dicam,ſic artem ſcribendæ hiſtoriæ hîc tradi,vt vel inuitus aſſentiri & probare quæ docet, victus ratione,cogaris. Vitioſas ſcriptiones ita emendat euidenter,vt qui ſic ſcripſerint,facillimè ad huius limam ſua ſcripta emendare poſſint.Iam verò ſummũ hunc eſſe diſputatorem, tot dialogorum confectio planum facit, cùm præſertim Dialogus & Dialectice ab eodem manent fonte. In Paraſitica quidem ſic definitionem tractat,vt facilè appareat hominem fuiſſe διαλεκτικώτατον.Et Dialecticæ ſparſa ſunt aliquot ἀξιώματα per totũ ſcriptionis corpus, vt inueniendi & iudicandi rationem totam,qui cernunt acutè,hîc expreſſam & explicatam videri poſſe manifeſtum ſit.Sed quid immoror,cùm ſine Dialectices perfectiſſima cognitione,dialogos confici non poſſe conſtet? Ad Rhetoricen veniamus, de qua multa dicere intempeſtiuum fuerit,cùm tam multa hic ipſe ſcriptor Rhetorices monimenta viuentia reliquerit,quæ de ipſius eloquentia teſtari & apertè dicere videntur.Nam vt dialogorum admirabilem facundiam & feſtiuitatem præteream,quanta,quæſo,ſunt eloquentiæ illa præcepta,quæ in ῥητόρων διδασκάλῳ diſertiſſimè & feſtiuiſſimè traduntur?Laudationes tam multæ Demoſthenis, domus, balnei, patriæ, muſcæ denique,quam partem eloquentiæ prætermittunt?Quid commemorem vituperationes,quæ ex eadem arte proficiſcuntur?quid apologias? quid declamationes, quæ ex ipſis inſcriptionibus indicantur,vt nihil ſit eas nominari neceſſe?Eloquentiæ ſtudioſi hinc præclara habent exempla,quæ ſibi proponere poſſint ad imitandum,ἀ καθαρῶς ἑλληνίζειν ſtudere volent.Quid de Phyſice,quæ indagatrix & venatrix Naturæ eſt,dicam?cuius quàm fuerit hic ſtudioſus,ex eo qui eſt περὶ κλέκτρας,cognoſcere licebit.Dipſadum naturam quis melius deſcribere queat?Quis noſtrûm Pel læos dracones noſſet ſine huius naturæ venatoris deſcriptione?Mirum quàm multas habeat comparationes ex rerum natura petitas.Ἐν τῷ περὶ ἵππου præclara eſt duobus cernendi & audiendi ſenſibus diſputatio,dignáque quam Phyſici ſtudioſè legant. Alcyonis natura quàm admirabilis deſcribitur? Infinita ſunt , quæ ſi diligenter obſerues, te in tota Phyſices ratione multò inſtructiorem efficere poſſint. Tertiam philoſophiæ partem, quæ in vitam & mores diſtributa eſt, ſic perſequitur,vt modò fictis, modò veris narrationibus vtens, varios hominum mores ante oculos ponat, vt qui legunt, ea ſub oculos ſubiecta cernere videantur: in quibus tempeſtiuiſſimè adhibet acerrimas vitiorum vituperationes,ne quis vitia pro virtutibus imitetur.Cúmque omnia vitia vehemẽter ſæpe reprehendat & vituperet, auarorum tamen miſerias & ſordes non vno loco,ſed ſemper acerbiſſima oratione inſectatur, & meritò:nã & noſtræ literæ diſertè dicunt φιλαργυρίαν πάντων κακῶν ῥίζαν. Deridet ſpem in rebus inaniſſimis fixam.Et Chriſtiani iuſtiſſimè deridentquæ cæteri mortales ſtultè mirantur:cuius diſputationis plenæ ſunt Prophetarum & Apoſtolorum ſcripturæ.Superſtitionum deriſio quid habet alienum à pietate?cùm impia deridere & deteſtari,pars quædam ſit pietatis.Frigidè enim pii cenſendi ſunt, qui omnem nõ execrantur impietatem.Iſidis capilli,Geryonis oſſa,& infinita eiuſdem generis,an non ſatis docent ſuperſtitionem totam ab idololatris,non à Chriſtianis vnius Dei adoratoribus,emanaſſe?Atenim multa hîc ſunt,quæ ſine vlla dubitatione impietatem complectuntur. At ex his quoque boni maximas vtilitates capere poſſunt, Nam vera religione imbuti, ſi præſtabunt conſtantiam,nullis argumentis à recto abducentur.Quis hoſti aperto fidem habet?Legentibus impia, illa cogitatio ſubeat,hominem tanta eloquentia, tam turpiter prodegiſſe ſuã eloquentiam , quam diuinis erga homines beneficiis deprædicandis conſumere po-

tuiſſet

tuiſſet honeſtiſſimé. Si horum in mentem venerit, dubium non eſt, quin quod eris eloquentiæ conſecutus, id omne ſis honeſtius conſumpturus, quàm conſumpſerit is, quem cogitatione reprehendas: abundéque hoc modo magnum ceperis fructum, ſi tuam dicendi facultatẽ ad veri monarchæ CHRISTI laudes prædicandas totam contuleris, cuius vnius principatus ſempiternus eſt. Sed de vtilitate capienda ex libris profanis, extat Baſilii Magni doctiſſima oratio, ad quam plura cupientem remitto. Illud libenter oſtenderem, hîc multa eſſe quæ ad ſacrarum literarum intelligentiam faciunt, vt de coronis, de athletis, de ignoto Deo Athenienſium, quorum omnium hîc reperiuntur explicationes copioſiſſimæ. Sed hæc ſibi quiſque ad ſuam vtilitatem legendis his obſeruare facilè poſſit. De Mathematicis nihil eſt neceſſe vt moleſta oratione vos onerem. Aſtrologiam tenuiſſe, libellus περὶ ἀστρολογίης clarè teſtatur. Muſicam continet ὁ περὶ ὀρχήσεως λογός. Geometram fuiſſe perinſignem ex eo intelligere debemus, quòd Syrus cùm eſſet, totam luſtrarit Græciam, Italiam, Galliam, orbis regiones nobiliſſimas. Huc adde, quod ex Apologia intelligi datur, quæ eſt περὶ τῶν ὑπὸ μισθῷ σωφρόνων, hunc ipſum ſub imperatore Romano magiſtratu functum publico. Arithmetices ignarus non fuit, quem tot nobiliſſimas artes perdidiciſſe conſtat. Valete, illud non ignorantes, araneas venena, apes mella ſibi ex eodem coaceruare ſolere. Lauſannæ, anno virginei partus M. D. X L V. I I I. Calend. Martii.

Πίναξ τῶν τοῦ Λουκιανοῦ.

Περὶ τοῦ ὀνείρου, ἢ τοῦ βίου Λουκιανοῦ.
Πρὸς τὸν εἰπόντα, Προμηθεὺς εἶ ἐν λόγοις.
Πρὸς Νιγρῖνον ὑπόμνημα.
Νιγρῖνος, ἢ περὶ φιλοσόφων ἤθους.
Δίκη φωνηέντων.
Τίμων, ἢ μισάνθρωπος.
Ἀλκυών, ἢ περὶ μεταμορφώσεως.
Προμηθεὺς, ἢ Καύκασος.

ΘΕΩΝ ΔΙΑΛΟΓΟΙ.

Προμηθέως καὶ Διός.
Ἔρωτος καὶ Διός.
Διὸς καὶ Ἑρμοῦ.
Διὸς καὶ Γανυμήδους.
Ἥρας καὶ Διός.
Ἥρας καὶ Διός.
Ἀπόλλωνος καὶ Ἡφαίστου.
Ἡφαίστου καὶ Διός.
Ποσειδῶνος καὶ Ἑρμοῦ.
Ἑρμοῦ καὶ Ἡλίου.
Ἀφροδίτης καὶ Σελήνης.
Ἀφροδίτης καὶ Ἔρωτος.
Διός, ἀσκληπιοῦ, καὶ Ἡρακλέους.
Ἑρμοῦ, καὶ Ἀπόλλωνος.
Ἑρμοῦ καὶ Ἀπόλλωνος.
Ἥρας καὶ Λητοῦς.
Ἀπόλλωνος καὶ Ἑρμοῦ
Ἥρας καὶ Διός.
Ἀφροδίτης καὶ Ἔρωτος.
Θεῶν κρίσις.
Ἄρεως καὶ Ἑρμοῦ.
Πανὸς καὶ Ἑρμοῦ.
Ἀπόλλωνος καὶ Διονύσου.
Ἑρμοῦ καὶ Μαίας.
Διὸς καὶ Ἡλίου.
Ἀπόλλωνος καὶ Ἑρμοῦ.

ΕΝΑΛΙΟΙ ΔΙΑΛΟΓΟΙ.

Δωρίδος καὶ Γαλατείας.
Κύκλωπος καὶ Ποσειδῶνος.
Ἀλφειοῦ καὶ Ποσειδῶνος.
Μενελάου καὶ Πρωτέως.
Πανόπης καὶ Γαληνῆς
Τρίτωνος, ἀμυμώνης, καὶ Ποσειδῶνος.
Νότου καὶ Ζεφύρου.
Ποσειδῶνος καὶ Δελφίνων.
Ποσειδῶνος καὶ Νηρηίδων.
Ἰρίδος καὶ Ποσειδῶνος.
Ξάνθου καὶ Θαλάττης.
Δωρίδος καὶ Θέτιδος.
Ποσειδῶνος καὶ Ἐνιπέως.
Τρίτωνος καὶ νηρηίδων.
Ζεφύρου καὶ νότου.

ΝΕΚΡΙΚΟΙ ΔΙΑΛΟΓΟΙ.

Διογένους καὶ Πολυδεύκους.
Πλούτωνος, ἢ κατὰ Μενίππου.
Μενίππου, Ἀμφιλόχου, καὶ Τροφωνίου.
Ἑρμοῦ καὶ χάρωνος.
Πλούτωνος καὶ Ἑρμοῦ.
Τερψίωνος καὶ Πλούτωνος.
Ξενοφάντου καὶ Καλλιδημίδου.
Κνήμωνος καὶ Δαμίππου.
Σιμύλου καὶ Πολυστράτου.
Χάρωνος καὶ Ἑρμοῦ
Κράτητος καὶ Διογένους.
Ἀλεξάνδρου, Ἀννίβου, Μίνωος, καὶ Σκιπίωνος,
Διογένους καὶ Ἀλεξάνδρου.
Ἀλεξάνδρου καὶ Φιλίππου.

Operum Luciani index.

Somnium ſeu vita Luciani Col. 1. 1
Cõtra eũ qui dixerat, Prometheus es in verbis 7. 1
Epiſtola ad Nigrinum 11. 1
Nigrinus, ſiue de moribus Philoſophorum ibid.
Iudicium vocalium 23. 10
Timon, ſiue Miſanthropos 27. 1
Alcyon, ſiue de transformatione 43. 1
Prometheus ſiue Caucaſus 46. 20

DEORVM DIALOGI.

Promethei & Iouis 53. 30
Cupidinis & Iouis 54. 40
Iouis & Mercurii 55. 20
Iouis & Ganymedis 55. 50
Iunonis & Iouis 57. 20
Iunonis & Iouis 58. 40
Apollinis & Vulcani 60. 10
Vulcani & Iouis 61. 10
Neptuni & Mercurii 61. 50
Mercurii & Solis 62. 40
Veneris & Lunæ 63. 30
Veneris & Cupidinis 64. 10
Iouis, Aeſculapii & Herculis 65. 1
Mercurii & Apollinis 65. 50
Mercurii & Apollinis 66. 30
Iunonis & Latonæ 67. 10
Apollinis & Mercurii 68. 10
Iunonis & Iouis 68. 50
Veneris & Cupidinis 69. 30
Dearum iudicium 70. 30
Martis & Mercurii 75. 20
Panos & Mercurii 76. 1
Apollinis & Bacchi 77. 1
Mercurii & Maiæ 77. 50
Iouis & Solis 78. 40
Apollinis & Mercurii 79. 40

DIALOGI MARINI.

Doridis & Galateæ 80. 50
Cyclopis & Neptuni 82. 1
Alphei & Neptuni 83. 1
Menelai & Protei 83. 40
Panopes & Galenes 84. 20
Tritonis, Amymones & Neptuni 85. 1
Noti & Zephyri 85. 50
Neptuni & delphinũm 86. 20
Neptuni & Nereidum 87. 1
Iridis & Neptuni 87. 50
Xanthi & Maris 88. 20
Doridis & Thetidis 88. 50
Neptuni & Enipei 89. 30
Tritonis & Nereidum 90. 1
Zephyri & Noti 91. 10

MORTVORVM DIALOGI.

Diogenis & Pollucis 93. 10
Pluto, ſeu contra Menippum 94. 20
Menippi, Amphilochi, & Trophonii 95. 10
Mercurii & Charontis 95. 50
Plutonis & Mercurii 96. 30
Terpſionis & Plutonis 97. 20
Zenophantæ & Callidemidæ 98. 30
Cnemonis & Damippi 99. 10
Simyli & Polyſtrati 99. 50
Charontis & Mercurii 101. 1
Cratetis & Diogenis 103. 50
Alexandri, Hannibalis, Minois & Scipionis 105. 1
Diogenis & Alexandri 107. 10
Alexandri & Philippi 108. 40

Ἀχιλλέως

Ἀχιλλέως καὶ ἀντιλόχου.	Achillis & Antilochi	110.20
Διογένους καὶ Ἡρακλέους.	Diogenis & Herculis	111.20
Μενίππου καὶ ταντάλου.	Menippi & Tantali	112.40
Μενίππου καὶ Ἑρμοῦ.	Menippi & Mercurii	113.20
Αἰακοῦ, Πρωτεσιλάου, Μενελάου, καὶ Πάριδος.	Aeaci, Proteſilai, Menelai, ac Paridis	113.50
Μενίππου, Αἰακοῦ, Πυθαγόρου καὶ Σωκράτους.	Menippi, Aeaci, Pythagoræ, ac Socratis	114.30
Μενίππου καὶ Κερβέρου.	Menippi & Cerberi	116.10
Χάρωνος, Μενίππου καὶ Ἑρμοῦ.	Charontis, Menippi, & Mercurii	116.50
Πρωτεσιλάου, πλούτωνος, καὶ Περσεφόνης.	Proteſilai, Plutonis, & Proſerpinæ	117.30
Διογένους καὶ Μαυσώλου.	Diogenis & Mauſoli	118.20
Νιρέως, Θερσίτου καὶ Μενίππου.	Nirei, Therſitæ & Menippi	119.20
Μενίππου καὶ Χείρωνος.	Menippi & Chironis	119.50
Διογένους, Ἀντισθένους, Κράτητος καὶ Πτωχοῦ.	Diogenis, Antiſthenis, Crate, ac mendici	120.40
Μενίππου καὶ Τειρεσίου.	Menippi & Tireſiæ	122.50
Αἴαντος καὶ Ἀγαμέμνονος.	Aiacis & Agamemnonis	123.40
Μίνωος καὶ Σωστράτου.	Minois & Soſtrati	124.20
Μενίππου καὶ φιλωνίδου, ἢ νεκυομαντία.	Menippus, ſeu Necyomantia	125.20
Ψήφισμα.	Decretum contra diuites	132.40
Χάρων, ἢ Ἐπισκοποῦντες.	Charon, ſiue Contemplantes	133.10
Περὶ Θυσιῶν.	De Sacrificiis	145.1
Βίων Πρᾶσις.	Vitarum auctio	150.1
Ἁλιεύς.	Piſcator	159.10
Κατάπλους, ἢ Τύραννος.	Cataplus, ſiue Tyrannus	175.1
Περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων	De mercede conductis	186.1
Ἀπολογία περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων.	Apologia pro mercede conductis	205.10
Ὑπὲρ τοῦ ἐν τῇ προσαγορεύσει ὀμόσματος.	Pro eo quod inter ſalutandũ verbo lapſus fuerat.	
Ἑρμότιμος, ἢ περὶ αἱρέσεων.	Hermotimus, ſiue de ſectis 217.1	[211.40
Ἡρόδοτος, ἢ Ἀετίων.	Herodotus, vel Aetio	259.30
Ζεῦξις, ἢ Ἀντίοχος.	Zeuxis vel Antiochus	262.20
Ἁρμονίδης.	Harmonides	267.1
Σκύθης, ἢ Πρόξενος	Scytha, vel Hoſpes	270.10
Πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν.	Quomodo hiſtoria ſcribenda ſit	275.30
Ἀληθὴς ἱστορίας λόγος πρῶτος.	Hiſtoriæ veræ lib.1.	296.1
Δεύτερος.	Lib.II.	308.30
Τυραννοκτόνος	Tyrannicida 321.1 Decla.Eraſ.reſp.	328.30
Ἀποκηρυττόμενος.	Abdicatus	365.30
Φάλαρις πρῶτος.	Phalaris primus	375 40
Δεύτερος.	Phalaris ſecundus	382.30
Ἀλέξανδρος ἢ Ψευδόμαντις.	Alexander, ſeu Pſeudomantes	385.50
Περὶ ὀρχήσεως.	De ſaltatione	403.20
Λεξιφάνης.	Lexiphanes	421.40
Εὐνοῦχος.	Eunuchus, ſeu Pamphilus	432.30
Περὶ ἀστρολογίας.	De Aſtrologia	436.10
Δημώνακτος βίος.	Demonactis vita	441.1
Ἔρωτες.	Amores	449.50
Εἰκόνες.	Imagines	470.20
Ὑπὲρ τῶν εἰκόνων.	Pro imaginibus	479.30
Τόξαρις, ἢ φιλία.	Toxaris, ſiue de amicitia	489.30
Λούκιος, ἢ Ὄνος.	Lucius, ſiue Aſinus	512.40
Ζεὺς ἐλεγχόμενος.	Iupiter confutatus	528.40
Ζεὺς Τραγῳδός.	Iupiter Tragœdus	535.1
Ὄνειρος, ἢ Ἀλεκτρυών.	Somnium, ſeu Gallus	554.50
Ἰκαρομένιππος, ἢ Ὑπερνέφελος.	Icaromenippus, ſiue Hypernephelus	569.30
Δὶς κατηγορούμενος, ἢ δικαστήρια.	Bis accuſatus, ſeu Fora	582.10
Περὶ παρασίτου, ἤτοι ὅτι τέχνη ἡ παρασιτική.	De paraſito, ſeu quòd ars ſit paraſitica	597.10
Ἀνάχαρσις, ἢ περὶ Γυμνασίων.	Anacharſis, ſeu de Gymnaſiis	614.30
Περὶ πένθους.	De luctu	631.30
Ῥητόρων διδάσκαλος.	Rhetorum præceptor	635.40
Φιλοψευδής, ἢ ἀπιστῶν.	Philopſeudes, ſiue incredulus	644.1
Ἱππίας, ἢ Βαλανεῖον.	Hippias, ſeu Balneum	657.50
Προλαλιά, ἢ διόνυσος.	Allocutio, ſeu Bacchus	661.1
Προλαλιά, ἢ Ἡρακλῆς.	Præfatio, ſeu Hercules Gallicus	664.10
Περὶ τοῦ ἠλέκτρου, ἢ τῶν κύκνων.	De Electro ſeu cygnis	666.10
Μύιας Ἐγκώμιον.	Muſcæ encomion	668.10
Πρὸς τὸν ἀπαίδευτον, καὶ πολλὰ βιβλία ὠνούμενον.	Aduerſus indo.lib.ſupellecti.tumentem	671.1
Περὶ τοῦ μὴ ῥᾳδίως πιστεύειν Διαβολῇ.	De non temere credendo calumniæ	679.30
Ψευδολογιστής, ἢ περὶ τῆς ἀποφράδος.	Pſeudologiſta, ſiue de Apophrade	687.20
Περὶ τοῦ οἴκου	De domo.	697.50
Μακρόβιοι.	Macrobii	706.10

Παρίδης

Πατρίδι ἐγκώμιον.
Περὶ τῶν διψάδων.
Διάλεξις πρὸς Ἡσίοδον.
Πλοῖον, ἢ εὐχαί.
Τραγοποδάγρα.
Ὠκύπους.

ΕΤΑΙΡΙΚΟΙ ΔΙΑΛΟΓΟΙ.

Γλυκέρα καὶ Θαΐς.
Μυρτίον, Πάμφιλος, καὶ Δωρίς.
Μάτηρ καὶ Φίλιννα.
Μέλιττα καὶ Βακχίς.
Κλωνάριον καὶ Λέαινα.
Κρωβύλη καὶ Κόρινννα.
Μάτηρ καὶ Μουσάριον.
Ἀμπελὶς καὶ Χρυσίς.
Δορκὰς, Πάννυχις, Φιλοστράτος, καὶ Πολέμων.
Χελιδόνιον καὶ Δροσίς.
Τρύφαινα καὶ Χαρμίδης.
Ἰόεσσα, Πυθιὰς καὶ Λυσιάς.
Λεοντίχος, Χαιρίδας, καὶ Ὕμνις.
Δωρίων καὶ Μυρτάλη.
Κοχλὶς καὶ Παρθενίς.
Περὶ τῆς τοῦ περεγρίνου τελευτῆς.
Δραπέται.

ΤΑ ΠΡΟΣ ΚΡΟΝΟΝ.

Ἱερεὺς καὶ Κρόνος.
Κρονοσόλων.

ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ ΚΡΟΝΙΚΑΙ.

Ἐγὼ Κρόνῳ χαίρειν.
Κρόνος ἐμοὶ τῷ τιμωτάτῳ χαίρειν.
Κρόνος τοῖς πλουσίοις χαίρειν.
Οἱ πλούσιοι τῷ κρόνῳ χαίρειν.
Συμπόσιον, ἢ Λαπίθαι.
Περὶ τῆς Συρίης θεοῦ.
Δημοσθένους ἐγκώμιον.
Θεῶν ἐκκλησία.
Ψήφισμα.
Κυνικὸς καὶ Λυκῖνος.
Ψευδοσοφιστὴς, ἢ Σολοικιστής.
Φιλόπατρις, ἢ διδασκόμενος.
Χαρίδημος, ἢ περὶ κάλλους.
Νέρων, ἢ περὶ τῆς ὀρυχῆς τοῦ Ἰσθμοῦ.
Hic Dialogus non eſt Luciani,
Sed neque hic.

Patriæ encomion 711.40
De dipſadibus 714.50
Diſſertatio cum Heſiodo 717.50
Nauigium, ſeu vota 720.40
Tragopodagra 734.40
Ocypus 741.30

DIALOGI MERETRICII.

Glycera & Thaïs 745.10
Myrtium, Pamphilus & Doris 745.50
Mater & Philinna 747.10
Meliſſa & Bacchis 748.20
Clonarium & Leæna 749.50
Crobyle & Corinna 751.1
Mater & Muſarium 752.30
Ampelis & Chryſis 753.50
Dorcas. Pannychis, Philoſtratus, Polemon 754.50
Chelidonium & Droſe 756.30
Triphæna & Carmides 757.60
Ioeſſa, Pythias & Lyſias 759.10
Leontichus, Chenidas & Hymnis 761.20
Dorio & Myrtale 763.20
Cochlis & Parthenis 764.30
De morte Peregrini 765.20
Fugitiui 777.10

SATVRNALIA.

Sacerdos & Saturnus 785.50
Cronoſolon, id eſt Saturnalium legũ lator 789.10

EPISTOLAE SATVRNALES

Ego Saturno Salutem 791.40
Saturnus mihi clariſsimo S. 793.40
Saturnus diuitibus Salutem 795.10
Diuites Saturno S. 796.50
Sympoſium, vel Lapithæ 797.50
De Syria Dea 810.40
Demoſthenis encomium 816.20
Deorum concilium 837
Decretum 841
Cynicus & Lycinus 842
Pſeudoſophiſta ſeu Soloeciſta 848.50
Philopatris, ſeu qui docetur 855.1
Charidemus, ſiue de pulchritudine 864.1
Nero, ſiue de foſsione Iſthmi 873.1
Palinurus 876.10
Virtus Dea 893.1

LVCIANI

INDEX ALPHABE-
ticus in Luciani opera.

DEO inuiti agimur 114.10
Ab Aeaco parum abesse, prouerb. 206.20
Abauchas & Gyndanes Scythæ, nobile amicorũ par. 511.40
Abderitica febris 275.60
Abdicationis causa 366.20. & 373.1
Aboni murus 388.50
Abonotichitarum ciuitas 399.50
Abræa Luciani matris amica 514.1
Abrotanum meretrix 745.10
Absurdis statim initio repugnandum 253.1.10
Abundantiam rerum omnium natura nobis indulsit 844.30
Abyrtace quid 431.10
Academicorum dogmata 154.50
Academici in cãpo Elysio non sunt 312.40
Academia & pro se & contra se causam perorans 589.10
Accidens, & præter accidens 156.10
Accissantes in muneribus oblatis 193.30
Accurata victus ratio longæuos facit 707.10
Accubitus honoris contentio 800.40
Accusatio & confutatio deorum gentiliũ. 857.1. & *sequentibus*
Accusatio rei cum defensione eiusdem componenda 682.1
Accusationes & laudes historici quales esse debeant 295.1
Accusationes manium apud Rhadamanthum 184.1
Acherontica palus 632.10
Acinacis et Zamolxis & Ventus dij Scytharum 272.20. & 503.40.50
Acis meretrix 749.1
Achilles qualis fuerit 110.30. & 562.50. & 739.60
Achilles vt permotus ad armorum aspectum 699.30
Achilles inter Virgines latitans 750.40
Achillis fatum 859.60
Ἄκρα quæ dicantur 431.50
Acragãtini Græci sunt, & Dores 382.20
Acrisius Danaes pater nimium in filiam zelotypus 89.1.10. *Eius custodiæ vt decepta* 561.10
Actæon à canibus discerptus 67.60. & 766.30. & 788.30
Actionum variarum species 588.30
Actionis vis 830.60
Actus nostri liberine sint, an ex fato et necessitate 124.40.50
Acus candefactæ vsus in signis resignandis 392.30
Ad aquam dicere, & ad aquam scribere 829.50
Adamantinæ mentis philosophi 391.30
Admirationi esse cupiunt diuites 18.40
Adolescentes à philosophis non bene informantur moribus 257.1.10
Adolescentes, securiores sunt 346.1
Adolescentes tredecim pro puella vna se morti obijcientes 870.40
Adolescentes vt pecunias ad amore suos à parentibus exorqueant 753.30
Adolescentum reuerentia 656.50
Adolescẽtia ad voluptatẽ procliuis 829.20
Adorandi mirus mos 825.30
Adorari se quidam volunt & exosculari 17.50.60
Adorari se permittentes tyranni, apud inferos ridentur 94.60
Adoratio Indorum qualis 408.10.20
Adrastea à tergo assistens Vltrix 208.30. & 759.60
Adrasti fatum 532.50
Aduersa quæ mutuò amici ferunt, leuiora 460.20
Adulatio malum maximè seruile 209.20
Adulatio dominorum doctos se videri volentium 202.30
Adulatio ridiculorum 199.60
Adulator ne sit historicus 290.50
Adulatores, diuitum assecłæ 39.60
Adulatores & palæstrici aulæ accommodati 189.10
Adulatores, odiosi 280.30
Adulatores perniciosiores sunt ijs quibus adulantur 18.20
Adulatorum dolus aduersus adolescentes 405.1
Adulatores tyrannorum 872.40
Adulter deprehẽsus impune occiditur à marito 357.30
Adultera à mœcho suo occisa 496.20
Adulteræ mulieris vasframenta ad captandos adolescentes 494.40
Adulteræ velut quædam descriptio 595.10
Adulterium eunucho obiectum 435.20. & 818.50
Adulterium Martis & Veneris vnde confictum 439.50
Adulterij fœdus exitus 496.20
in Adulteros Salæthi legis seueritas 207.30
Adyrmachus Machlynæ dux 505.50
Adytum miræ venerationis 821.30
Aeacus portorio apud inferos colligẽdo præfectus 135.10. *Eius regia.* 632.20
Aeacus Mercurium obiurgans 177.10
Aedes in re familiari primum paranda 726.40
Aedis sacræ opulentæ descriptio 821.10. & *sequentibus*
Aedium conductarum pretium diuites pauperibus Saturnalib. soluant 790.50
Aedificij commodi architectatio 660.20
Aedificia aurata nõ plus tegunt quàm casa 845.50
Aegiali 402.1
Aegisthi pictura 705.1. *fatum* 860.10
Aegrotantium alimenta prouerb. 189.50
Aegroti hominis immutatio 501.1
Aegroti tollendi ratio callidissima 350.30
Aegyptij, nouitatis admiratores non sunt 9.10. & 840.50
Aegyptiorum characteres hieroglyphici 239.20
Aegyptiorum saltatio 408.30. *Diuinatio* 437.20
Aegyptiorum dij, ridiculi 147.1. & 475.20. & 489.1. & 551.20
Aegyptij, agricolæ 576.40
Aegyptiorum sepultura 635.1
Aegyptiorum sacri scribæ longæui 707.1
Aegyptiaca coma 722.1
Aegyptij philosophi 779.20
Aegyptij lingua ridiculè imitata. 803.20
Aegyptij, hominum antiquissimi 812.1
Aeneas cur Veneris filius putatus 439.20.30
Eius pietas 876.50. *trepidatio in tempestate* 878.20. *animi præsentia ibid.*
Aeolocentaurus 308.1
Aequalibus inuidiosum esse, glorioſum 376.20
Aequalitas apud inferos 110.50. & 119.40. & 131.1
Aequalitas, iustitiæ pensum 681.50
Aer in calicem expressus, pro potu 302.50
Aer intextus araneis 300.20
Aerea nauigatio 298.40
Aerocordaces & Aeroculices 300.30
Aëne an aurum præstantius 139.1
Aes alienum pauperum, diuites Saturnalibus soluant 790.50
Aeschyli pugillarium pretium 675.40
Aeschylus ebrius tragœdias scribebat 829.50
Aeschines tympanistriæ filius 5.1. *parasitus* 605.60
Aeschines & Socrates optimi imitatores 477.30
Aesculapius & Hercules de discubitu contendentes 65.10. & *dein.*
Aesculapius supposititius deus 389.1
bis natus 390.30. & 397.1 *Deus assciptitius* 839.50
Aesculapij miseria 583.50. *honos* 832.30
Aesculapius vt morbos curaret 647.50
Aesopus Phryx apud beatos inferos pro morione 312.30. *fabularum scriptor* 573.50
Aesopicus apologus nunquam serum esse de via mala resipiscere 258.30
Aetas vniuersa hominum velut momentum est ad æternitatem 44.50
Aetate minuuntur cupiditates 322.30
Aetas ex dentibus in brutis conijcitur 522.40
Aetas mulieris formosæ 473.20
Aethiopes Iouem perpetuis duodecim diebus epulis excipiunt 145.60

Aethio

INDEX.

Aethiopum ſaltatio 408.20
Aethiopum ſapientia 437.1
ad Aethiopas ſæpe dij comeſſatũ eunt 549.20
Aethiopem lauare, adagio 679.1.
Aetion pictor vt illuſtris ac notus euaſerit 261.1. & 473.40
Affectatio nimia ſimulationis, in verum exiens 420. indéq;
Affectus iudicium peruertunt 330.10
Affectus quo quis plus laborat, facilior expugnatu 684.60
Affectuum impetu quouis auferuntur diuites 848.1. & ſeq.
Affinitatis ſymbolum, poculum 499.30
Afranius Centurio rhetor 285.50
Agamemnonis deſcriptio 278.50. & 488.20
Agatharchides hiſtoricus 710.30
Agathoclis Peripatetici philoſophi falſa irriſio 446.10
Agathoclis & Dinię amicitia 494.10. indéque
Agathoclis Samij periculum 684.40
Agathoclis Siciliæ tyranni ſenectus 708.10
Agenor Europæ pater 91.30
Aglaię filius pulcher 872.1
Agrorum amœnitas 856.50.864.20
Agrorum de finibus contendentes, quàm ridiculi 577.1.10
Agricolarum vaticinia 719.60
Aiax Vlyſſem oderat 124.10
Aiacis colophon, ſe iugulare 286.1
Aiacis Telamonij cauſa 310.30. & 312.10. & 314.1
Aiacem furentem ſaltans, ipſe furens effectus 420.30.40
Alæ alcyonis mirę magnitudinis 318.30
Alæ ingentes 299.1
Alas vt ſibi aptarit Iearomenippus 573.50
Alani nõ magnopere ſunt comati 508.30
Alapa nonnunquam amaſijs impingenda 754.1
Albedo mulierum nimia ne ſit, ſed rubedini miſta 473.30.50
Albus color, probatiſſimus non eſt 626.40
Alceus Mileſius Nicoſtrati amaſius 279.30
Alcmenæ ſtuprum ab Ioue 50. & dein.
Alcibiadis eloquentia 275.10
Alcibiades cur Socrati adamatus 459.20. & 468.10. & 470.1
Alcibiades nepos perditiſſimus 533.40 & 776.30
Alceſtis ex inferis reuerſa 632.30
Alcidamantis Cynici philoſophi ridicula 801.20. & deinde. & 807.10. & 809.20. & ſeq.
Alcyonis nidus mirę magnitudinis 318.30
Alcyonis transformatio 43.50
Alea naufragium 786.50
Aleam in vno viro iacere, prouerbiũ 269.20
Alexandri magni contentio cum Hannibale & Scipione 105. indéq;, & 310.40. Eius virtus eleuatur 109.10. indéq;
Alexandri magni ſuperbia irriſa, qui ſe vt deum coli fecerit 107.10. indéq;
Alexandri candor, in bonum omen vertentis quod infauſtum alioqui videbatur. 215.1
Alexandri & Rhoxanes nuptia depicta 261.1
Alexander falſis laudibus non paſcebatur 280.30.40
Alexandri ægroti videndi cupiditas in populoſuo 391.10
Alexandri modeſtia erga architectum qui ſe in Atho montem efformare volebat 482.1
Alexandri Macedonis inſania in apotheoſi Hephæſtionis 684.10. indéq;
Alexander in Cydno ſe lauit 698.10
Alexandri magni res geſtæ ab Oneſicrito ſcriptæ 708.60
Alexandri Abonotichitæ pſeudomantis deſcriptio 386.1. indéq; per totum.
Alexandri pſeud. mors 402.40
Aliena accipientes, iniuſti 603.40
Alimenta Cynicorum paratu facilia 847.10
Aliſodemus poeta 832.30
Allectiua ad ſe 702.1
Aloa feſta 753.30
Aloci filiorum temeritas 135.50
Alpheus Arethuſam amans 83.20
Alta ſeu nutrita malè, tabeſcunt 844.30
Alternis dicendi mos Platonicus 807.50
Alterum pedem in cymba Charontis habere, prouerb. 206.20
Alumni ſui amans parãſitus 610.30
Alys fluuij alueus vna nocte circunductus 658.50
Amabilis vt fiat Iupiter, Cupidinis conſilium 55.10
Amabilium omnium ſtudioſus Lucianus 165.40
Amabilitas & Cupido Paridis comites in rapienda Helena 74.50
Amantis indicia 753.60
Amantium in longum protractio ab amatis, tandem vtroſque fallit 191.1
Amaſius amatorem tollens 566.50
Amaſtris Ponti urbs 393.60 & 510.20
Amator Veneris cum ſigno illius marmoreo congrediens 456.10
Amator meretrici pollicitis illudens, & ab ea etiam rem auferens 752.50
Amator peregrè reuerſus vt ſit ab amica accipiendus 754.50. indéq;
Amator ad paupertatem redactus, à meretrice eiectus 763.20. indéq;
Amatoris cuiuſdã impotentis hiſtoria 455.30. & deinde
Amatoris à meretrice abſtracti & philoſopho in diſciplinam dati dolor apud meretricem 756.30. indéq;
Amatori ſuo vxorem ducendam meretrix exprobrat 745.50. indéq;
Amatores iracundi 78.30
Amatores vt captandi meretricibus 751.40
Amatorum voluptas 451.10
Amatoria incantatio 749.20
Ambitionis vis 765.50
Ambitio philoſophorum 800.40
Amica potitus amicus ope amici 505.30. indéque
Amicã amator in lecto auerſans 757.60
Amicæ extinctæ plures ſecuti ſunt quàm filios 349.40
Amictus formoſæ mulieris 473.40
Amictus vitreus & amictus æreus 303.10
Amicus errans, ab amico in rectam viam reducendus 252.20
Amicus amicum præmijs ſingularis certaminis ſubleuans 511.10.20
Amicus criminis ſe deferens amici cauſa 501.40
Amicus tanquam membrum corporis noſtri 509.1
Amicus vix eſt, cum quo non aliquando cibum ſumpſeris 603.60
Amici pretium 506.1.10. & 554.40
Amici gratia quidam ſe caſtrabant 819.50
Amici ſalus, vxori ac liberis prælata 511.40.50
Amici etiam Regibus formidandi 566.50
Amici menſa 31.1.10
Amici parum fideles Græci 493.1.10
Amici perfecti rari 492.20
Amici vſque ad pecunias philoſophi 170.20
Amici tyrannorum ac regum ſimulati omnes 179.50
Amici vulgares 492.20
Amicorum delectus habendus 30.60
Amicorum inter ſe dulciſſimus conuictus 883.10
Amicorum quina paria tam Scytharum quàm Græcorum recenſentur 494.1. & deinde
Amicos vt eligant Scythæ 503.20
Amicitia locupletum, ſæpe ſeruitus 187.10
Amicitia Theſei & Pirithoi 868.60
Amicitiæ repentina cõciliatio 401.30.40
Amicitiæ bonum 443.20
Amicitiæ laus ac deſcriptio 489.40. indéq; per totum
Amicitia vera intra ternarium conſiſtit 503.30
Amicitiæ vere efficacia 504.50
Amicitiæ præmium 512.20
Ammonis oraculum apud Libyes 437.50
Amœnitatis vis ac potentia 698.20
Amor mortalibus iucundiſſimus 409.20
Amor vter potior, maſculorúmne, an fœminarum 451.40
Amor puerorũ Socraticus confutatus 458.50
Amor deus duplex 464.1
Amor quàm exitioſus 496.20
Amor à ſtudio literarum auocans 648.60
Amor in animis humanis duplex 829.30
Amoris conciliatio per magum 649.1.10
Amoris feruentis indicia 753.60
Amoris manſuetudo & blanditiæ 866.50
Amoris mira depoſitio 419.10
Amoris ſcala ac gradus 469.30
Amoris vis 590.20. & 64.10. indéq;. & 816.10. & 817.60
Amorem præpoſterum ſolos philoſophos decere

INDEX.

ceere 463.50.60
Amorem ſuum erga adoleſcentes ne nimis aperiant meretrices 760.10
Amore capti ex ſomnijs 252.50
Amore ſuo fruſtrata mulier in eunucho, ſe ipſam interficit 820.1
Amores Iouis 147.1
Amores vt pereant 753.40
Amores alienos traducendi mos apud Athenas 748.40.50
Amores & præpoſteri, & naturales 449.60. indeq;
Amores meretricum vt ponãtur 753.40
Amoribus ſuis fruendi vel publice, mira aſtutia 397.10
Ampelis meretrix 753.60
Amphiareus vates 391.50
Amphisbæna 715.1
Amphitryoni aſſimilatus Iupiter Herculẽ genuit 866.30
Amuſi odioſi 782.10
Amymones rapta fabula 85.1. indeq;
Anacharſis Scytha & Toxaris Athenas ingenij excolendi gratia adierunt 270.30. indeq;
Anacharſis ſolus ex barbaris apud Athenienſes ciuitate donatus 274.1
Anacharſis inter beatos 312.10
Anacharſis peregrinatio 618.40. & 620.40
Anacreontis poetæ ſenectus 711.20
Anaxagoras ἄθε& 31.50
Anaximenes Chius vt innotuerit 260.50
Ancillæ de domino queſtio 837.20
Ancillæ Palæſtræ dicacitas ac procacitas & laſciuia 514.30.40
Ancillarum amor quò profit 514.30
Ancillis ſuis nonnunquam ſcorta velut ad eſcam vtuntur 757.40
Ancora ſacra 780.20
Ancora vitrea 308.20
Androcles Epicharis filius 864.30
Andromedæ fabula 90.10. Indeq; & 276.20. Eius pictura 704.40
Anemodromi 299.50
Ἀνεμοφόρητα pocula 431.30
Angina appellatus quidam 695.40
Anhelitus grauis exprobratio, in vxorem à viro reiecta 234.40
Anima vt purgetur à nota peccati inuſta 184.20
Anima beatorum qualis 311.20
Anima nobis non vna 446.30
Animæ tres partes 417.20
Anima de calo ab Apolline in corpus immittitur 562.10
Anima immortalis 103.10. & 446.30. & 670.1
Animæ mortuorum an ſe viuis hominibus oſtendant 654.10. & ſeq.
Anima de corpore egrediens, & in id reuertens 670.10
Animalia nulla præter hominem legem naturæ violant 458.20
Animus attendendus magis quàm lingua 216.50
Animus hiſtorici tanquam ſpeculum eſſe debet 293.1
Animus hominis ingenioſi & ſolertis ſcopo ſagittariorum ſimilis 22.1
Animus nonnunquã relaxandus 450.20
Animus humanus vt expugnetur 685.10
Animi dotes exteriorem pulchritudinem exornant 474.50.60. & 475.10
Anni moleſtiæ non ita vſu leniuntur, vt corporis 882.20
Anniceris philoſophi mira aurigandi peritia 831.30
Anni curſum Aegyptij ex Sole definierunt 437.30
Anniſa meretrix ætatẽ diſſimulat 758.30
Annulus Apollinem incluſum habens 657.1
Annuli ferrei miraculum 650.10
Annulorum mirificorum votum 732.40. & ſeq.
Annulorum ornatus in digitis mulierum 700.30
Annuli alluſio in re obſcœna 445.1
Antagoniſtes Philippi Demoſthenes 835.10
Anteæ Scytharum regis ſenectus 708.10
Antelucanum frigus 555.40
Ἀντεφόρια, Proſerpinæ feſtum 687.50
Antiæ calumnia de Bellerophonte 686.10
Antigerio pro valde 641.1
Antigoni Demetrij filij ſenectus 708.30
Antigoni Luſci Macedonum regis ſenectus 708.20
Antigonus medicus 646.30
Antilochus vates 391.50 & 841.10
Antimachi poetæ locus irriſus 319.10
Antiochus Seleuci filius Stratonicen nouercam deperijt 289.10. & 576.1
Antiochi Soteris viſum 215.1. Eiuſdem pugna cum Galatis 265.30. indeq;
Antiocheni ſaltationis ſtudioſi 418.30
Antipatri ſenectus 708.30
Antipater Macedoniæ tuſtos 730.1
Antipater Tarſenſis Stoicus 811.20
Antiphilus Apellis æmulus 680.40
Antiphilus medicus 500.1 & dein.
Antipho ſomniorum hiſtrio 317.1
Antipodes non crediti 445.30
Antiſthenis authoritas 779.50
Anubis canis deus 155.1. Eius ſimulacrum ex ſolido auro 539.
Anus ſeptuagenaria ficte à rhetore iuuene adamata 643.20
Anus vetulæ libertas aduerſus Pyrrhum 677 1 10
Anus Syra venefica 749.10
Anyti & Meliti in Demonactem inſurgentes 443.40
Aorna Indica 220.20
Aornos mons præruptus 638.1
Apathiam damnat 19.60
Apelles calumniæ picturam qua occaſione finxerit 680.40
Apri Calydonij tergus Tegeatæ pro miraculo oſtendunt 675.30
Aper Calydonius 805.10. & 806.1
Aphidna Atticæ regionis oppidum 869.1
Ἀφιέναι & ἀφιέναι differentia 851.20
Aphrodiſia, Veneris feſta 763.50
Aphyæ piſces 173.50. ad marginem
Apis bos Aegyptiorum 149.50. & 437.40
Apis, mellis effectrix diuina 45.50
Apum rex vnicus eſt 352.30
Apologia pro mercede conductis 205.20. & ſeq.
Apologiæ philoſophorum 613.1
Apologia Luciani pro Apophrade 687.20. & ſeq.
Apologus Aeſopi de inſtituendo vel ſerò optimo genere vitæ 259.30.40
Apollo in amoribus infelix 66.50
Apollinis obtrectatio 67.30
Apollinis res 146.20.30
Apollinis Delphici oraculum cur tantopere auctum 384.50
Apollinis natiuitas 397.1
Apollo Admeto ſeruiens 531.30
Apollo Cræſo cur infenſior 533.1
Apollinis oracula ridicula 538.10
Apollo, iuuenis & imberbis, & filius eius Aeſculapius barbatus 545.10
Apollinis ſubſidia in reſponſis danda 546.30
Apollinis oraculũ à Momo irriſum 647.1
Apollinis labor 583.30
Apollinis ſignum contra pictorum vulgarium morem effigiatum 822.30
Apollinis ſcelera 857.30
Apollinem præ ſe cõtemnebat Nero 874.1
Apollodori chronica 710.20
Apollodori rhetoris ſenectus 710.60
Apollonius Tyaneus 387.50
Apomnemoneumata Demonactis 444.10
Apophradis vocabulum in vſu eſſe 688.10. & dein. & 690.50.60
Apoſtoli velut ſeu nuntij Alexãdri pſeudomantis 393.20
Apparationes terribiles 856.1 & ſeq.
Appẽſis aut admotis forinſecus morbos intrinſecos non tolli 647.20
Aqua apud Aegyptios cõmuniter pro deo colitur 551.20
Aqua ex Lucifero 305.10
Aqua hinc & hinc diuiſa voraginem ingentem in medio aperiens 319.10
Aqua in Olympiam primùm deducta 770.30
Aquæ è mari petendæ ritus 824.20
Aquæ fontanæ mira vis 663.20. & ſeq.
Aqua immerſa, maiora apparent 668.1
Aqua leniter ſuſurrantis murmur 856.60
Aquæ potus ſalubritas 707.20
Aquam bibebat Demoſthenes ſcripturus aliquid 829.50
Aquam in mortario tundere, prouerb. 246.30
Aquaria horologia antiquorum 163.10
Aquarius mirabilis 656.40
Aquilarum pulli vt probentur 173.1
Aquilæ viſus perſpicaciſſimus 575.30.40
Aquilæ ſacræ & manſuetæ 823.30
Aquila Iouis 840.40
Ara deos eſſe an probent 553.50. & ſeq.
Ara Dianæ Tauricæ pernicioſa 551.60

Ara

INDEX.

Ara in medio lacu celebris 824.1
Arabia cana non ſerebatur 209.50
Arabiæ terra odor 821.20
Arachnes temeritas 741.1
Aranea Cycladibus inſulis maiores 300. 10
Araneæ telæ fragmenti vinculum 301.30
ex Aranearum telis purpureæ veſtes 311.10
Araneus muſcæ inimicus 669.30
Arbitrij noſtri an ſimus 114.10. & 124.40. & ſeq. & 209.1
Arborei homines 302.30
Arbores in gurgite ſtantes 318.50
Arbores è micante vitro 311.50
Arca diluuij Deucalionei 412.40. & 810.60
Arcana alienarum ædium vt luſtres 567. 40. indéq;
Arcana libellorum obſignatorum perueſtigandi ratio 392.10. indéq;
Arcana periculoſa non temere ſcriptus aut conſcientiæ alienæ credenda 395.40
Archelaus poeta tragicus 276.10
Archias qui fuerit 832.40
Archilochus poeta Iambicus 688.20
Archimedis laus 658.50
Archiplani 504.20
Architectum qui Atho montem ad imaginem Alexandri effingere volebat, Alexander non probauit 280.40
Architecti cuiuſdam Gnidij aſtutia in propaganda ſui nominis memoria 295.20. indéq;
Architecti induſtrij laus 650.60
Architectura pulchræ domus 700.1. indéq;
Arcum Herculis Philoctetes ſolus tendere poterat 672.60
Arena vſus & commoda 626.30
Arena Libyæ feruens 715.10.20
Areius pagus Athenis 164.40
Areopagitæ noctu & in tenebris iudicant 248.10. & 621.40. & 703.40
Areta Alcinoi vxor 478.1
Arethuſa fons liquidus 83.20
Arganthony regis ſenectus 708.1
Argentarijs comparati philoſophi 250.10
Argiui de caua Arabia ſerenda vix vnquam cogitent 209.50
Argus bubulcus multoculus 55.30
Argûs carina loquens 556.10
Argumenti nouitas quàm artis præſtantia vulgo magis placet 265.20
Argumenti verrimi pars vna ſaltem tractanda 831.1.10
Ariadnes filum in Labyrintho 240.40
Ariadne vt dea effecta ſit 839.40
Ariarathæ Cappadocum regis ſenect. 708. 50
Aries cæleſtis 437.40
Arignotus Pythagoricus philoſophus 653. 60
Arioli & magi diuitibus placent 199.50
Arionis fabula 86.40. indéq;
Ariſtænetus philoſophus 756.40. Eius conuiuium 748.50. & dein.
Ariſtander & Artemidorus ſomniorum interpretes 861.30.40
Ariſtarchus perſtrictus 313.10
Ariſtides iuſtus Rhadamãthi aſſeſſor 310. 60
Eius miſeria 533.40. calumnia. 686.30. integritas 833.30
Ariſtides paraſitus Armodij 610.10
Ariſtippus Cyrenæus inferis ſuſpiciendus 130.30
Ariſtippus Cyrenæus paraſitus Dionyſij 606.1
Ariſtippus & Epicurus inter beatos primi 312.30
Ariſtippus molliſne, an fortis 592.40.50
Ariſtolulus hiſtoricus Alexandro inuiſus encomiaſtes 280.30.40
Ariſtobuli Caſſandrei ſenectus 710.30
Ariſtodemus ſceleratus 387.1
Ariſtonicus proditor 834.1
Ariſtophanes & Eupolis Socratem irridebant 167.30
Ariſtophanes mendacij perſtrictus 304.20
Ariſtotelis exiſtimatio eleuata 108.10
Ariſtotelis de Demoſthene teſtimonium 835. 20
Ariſtoxenus muſicus Elei paraſitus 606. 20
Arithmetica vbiq; una 604.50
Arius pugil 313.50
Armatum ſemper incedere, ſuperuacuum eſt in pace 628.10
Armorum ornatus 762.10
Armus pulchris ornatus fugiens, notabilior 703.10
Armis veris exercẽdi adoleſcẽtes 627.30
Arrianus Epicteti diſcipulus 386.30
Arrogantiæ miſer exitus 774.20
Arſacidæ rationem pulchri non habebant 699.60
Arſacis Medorum præfecti mors 121.30
Arſacomas vt amoribus ſuis potitus 505.1 & dein. eius robur 509.50
Ars longa, vita brevis 247.30
Ars ad quid valeat 289.1. quæ dicatur 599.20
Ars & natura adſint hiſtorico 289.20
Ars vnaquæq; ſuapte natura ſcita 436.60
Ars vt diſcatur, moleſtiam habet 602.30
Artes à verberibus male auſpicantur iuuenibus 2.50. & 5.30
Artis præſtantia authorem ſuum euehit 261.1
Artem non tam admirãtur imperiti, quàm nouitatem ac peregrinitatem 265.10
Artis ignotæ nulla gratia 268.10
Artis præſtantia vt nobilis fiat 268.20
Artis medicinæ fiducia 367.40
Artes liberas eſſe 373.20.30
Artẽ filius ſuo ſumptu diſcens, an eius fructum patri debeat 373.60. & dein.
Arte ſua quiſq; cõtentus eſſe deberet 877. 30
Artium inuentio 462.40. & 603.1
Artium labor 603.10
Artes vſui humano conducibiles 597.60
Artium principia, vilia & ſimplicia 603. 50
Artium finis, dulcis 602.60
Artes ab ebrioſis non diſcuntur 603.20
Artes ac diſciplinas cur ſibi parent homines 713.20
Artes ſeruiles, ac mechanica 780.1. & deinde.
Artium pericula 875.20
Artium effecta, deorum dona 844.50
Artes omnes pulchritudinem pro ſcopo habent 872.20
Artifex opus facit, non inſtrumentum 532. 20
Artificum labores 881.20
Artificia tenuia & laborioſa 780.20
Artabazi regis ſenectus 709.20
Artaxerxis Mnemonis ſenectus 709.1
Artaxerxis Perſarum regis ſenectus 709. 10
Arteriæ gruum contextæ ad fictam vocem per eas reddendam 394.20
Arundinis flexibilitas 250.20
Aſandri regis ſenectus 709.30
Aſcalaphus cur Martis filius putatus 439.20
Aſcenſus in Phallos periculoſus 820.40
Aſellorũ ruditus pro cygnorũ cantu 300. 50
Aſellus Sileni 662.40
Aſilus μύωψ 450.50
Aſini Cumani apologus 169.1. & 780.30
de Aſini vmbra digladiari 251.40
Aſini Lucianici argumentum 512.40. & ſeq.
Aſini ruditus 517.20
Aſini ſylueſtres in delicijs ciborum 523. 40.50
ex Aſino conſpecto, prouerb. 525.20
Aſinus humanis cibis veſcens 525.30. indéque
Aſinus ſupra modum docilis 526.10
Aſini noctem mulier laſciua ab illius cuſtode redimit 526.40. indéq;
Aſini ridiculum 525.50. & 711. 10.20
Aſpaſia philoſophia 410.1. & 434. 30. & 461.40. & 477.30
Aſpectus mulieris formoſæ ſeu pulchræ rei quàm vehemens 471.10. & 703.50
Aſphodelina nauis 314.50
Aſphodelus inferorum 634.50
Aſpides ſerpentes 716.1
Aſſeclæ tyrannorum perinde atque illi puniendi 891.30
Aſſentationibus gaudentes 480.50. 60. & 481.1.10
Aſſentationis materia 481.20
Aſſentatio, calumniæ ſoror 685.10
Aſſentationis malum 762.50
Aſſentatores diuitum aſſeclæ 40.20. & 835.40
Aſſentatores maximi, philoſophi 42.20
Aſſentatoris laus quæ ſit 486.30. indéq;
Aſſentatorum perſuaſio pernicioſa 676. 40. & dein.
Aſſuefactio res duras mollit 882.20
Aſſyrij & Arabes fabularum interpretes longæui 707.1
Aſſyrij doctrinã de dijs ab Aegyptijs acceperunt 812.10
Aſter Amphipolitanus ſagittarius 289. 60
Ἀστράβη & ἀστραβηλάτης 430.30
Aſtrologiæ defenſio 436.20. & ſeq

INDEX.

& sequentibus per tot. Eius vsus 440. 40. & seq.
Astrologicæ quæstiones 862.10.30
Astrologos irridet 572.20. & seq.
Astrorum vis ac potestas 440.20
Astutiæ meretriciæ 495.10. & seq.
Ate Homericæ 478.30. & 738.40
Ater dies 691.40
Atergatis Dea 811.10. & seq.
Athamas Ino in præcipitiũ cõpellit 87.20
Athei cuiusdã Damidis, & Timoclis Stoici disputatio de dys, & eorum prouidentia 548.30. & dein.
Athenarum encomium 15.10. & 828.60
Athenis ignotus inuentus adorand. 863. 50
Athenienſium hoſpitalitas 272.30
Athenienſis peſtilentiæ ſedatio 270.60
Athenienſium offenſio 290.1
Athenienſium malè conſulta, Pallas in bonum vertebat 364.1
Athenienſis cauſidicus 576.40
Athenienſium æquitas, ac humanitas 620. 30
Athenienſes naſuti illuſores ibid.
Athenienſium reip. inſtitutio 622.1
Athenienſium effœminatio, & rurſus terror hoſtibus 627.50.60
Athenodori philoſophi ſenectus 710.10
Athletarum ſpecimen ac præludium, de illis non præiudicat 233.30
Athleta vt ſortiantur par ſuum 237.30
Athletarum præſes vt ſorte legatur 238. 10. & ſeq.
Athleta nonnunquam interquieſcunt 296. 20
Athlhaheta vt ſortes in paribus gladiatoris committendis diſtribuant 23.30
Athus montem ad imaginem ſuam effingi Alexander noluit 280.40
Athalongeni 707.20
Atimarchus pro Timarcha appellatus quidam 695.50
Atlas cælum humeris fulciens 136.10
Atrei ac Thyeſtæ concertatio 418.20
Atropos mortuorum catalogum perſcribit 177.20
Attæ quando aſpirandum ſit 852.50
Attali Philadelphi ſenectus 708.50
Attentionem & docilitatem vt paret hiſtoricus 293.40
Attica, parua admodum 1577.10
Atticus & Callimus librarij 677.60
Attici multa in ſua lingua variant 692. 10
Atticiſmi nimium ſtudium 284.2
Attis amore deperiens Rhea 64.30. & 147.40
Attis ex ſolido auro 539.1
Attis ritus Rheæ colendæ inſtituit 828.20
Auari hominis hypotypoſis 568.20. & ſeq.
Auaritiæ ſtultitia 32.50.60
Auaritia & quæſtus, diuitum domeſtica 790.30
Auaritia cæcitas 886.30
Auxius 430.10
Auctio philoſophorum 250.10. & ſeq.
Authores vt ſint legendi 671.60
Authores Græci vt innotuerint 260.50
Authoritas maxima Demonactis 449.20
Audaciam parit imperitia 11.20
Audacia muſicæ 669.40
Auditio an culpæ obnoxia 489.1
Auditu percepta voluptas, minor eſt ea, quæ viſu percipitur 704.1.10
Audiunt nos dij etiam extra templa 446.1
Auferendi è cœnis mos 808.1
Augiæ bubile 386.10. & 782.20
Augur irriſus 446.50
Auguſti præceptor Athenodorus Sandonis 710.10
Auis ſacra quibuſdam columba eſt 814.60
Aues ſertis conuinas aſpergentes 311.50
Auẽ an ex mulieribus fiant, & contrà 44.30
Aulicæ vitæ nati 189.10.20
Aularum regiarum facinora 576.1.10
Aulicorum vita depicta 187.10. & ſeq.
Aulicæ vitæ miſeriam vide de iis qui mercede conducti in diuitum familias ſe conferunt
Auradulcis à felice Arabia ſpirans 310.1
Auræ mira ſuauitas 821.20. & 864.30
Auratura domus qualis eſſe debeat 700. 20
Auriga mirè peritus 831.40
Aurigandi certamen ab Oenomao propoſitum 870.30
Aures quàm oculi minus fide dignæ 287. 10. & 704.10
Aures platanifolia 303 20
Aures cera obturandæ præternauigantibus Sirenas 404.50
Auribus ſuſpenſum pendere 571.30
Aurum quo nomine ſit commendabile 138. 60. & 139.1
Aurumne præſtantius, an ferrum 139.30
Aurum ceteris metallis præferendũ 539.10
Aurum etiam operi ingenij ſoante ferendum 538.50
Aurum quam cuſtodias omnes pernincit 561.1
Aurum quàm difficile paretur 845.40
Auri fulgor quàm gratus 558.20
Auri in auore vis 561.40.50
Auri ornatus in ædibus 700.50.60
Auri ornatus qualis eſſe debeat 700.20. 30. & 702.30.40
Auri optatio 726.10. & dein.
Auri & argenti deteſtatio 847.20
Auriſpimum quid portendat 861.30
Aurosuperbientes quàm ridiculi 577.20
Aurea ætas 200.30. & 867.40
Aurea vitæ, aurea imponeda corona 774.1
Aureum homer ſæculum, intus pueris ac pannoſum 794.40
Aureæ ætatum mutationes 672.1
Aurei dij, argentei, elephantini ſeu eburnei, æneiq; lapidei 538.40
Aurei literæ dicti 388.30
Auri homines Saturni ſeculo 788.1. 20. 30. & 792.20
Aurium ſomnium, cuius ſuauitas 557. 40. & dein.
Aureũ in Olympia ſtatui, prouerb. 692.20
Auſcultationis merces 832.1
Autolycus cur Mercurij dictus filius 439. 20
Αὐτόφωρα reſponſa quæ dicerentur 394.20
Authoris ab indocto miſerè attrectati indicta 676.10.20
Auxiliarium cõtrahendorum ratio apud Scythas 506.50. & ſeq.

Babylony aſtrologiæ ſtudioſi 437.50
Babylony cuiusdam Chaldæi incantatio 648.10
Bachæ in exercitu Liberi patris 661.30
Bacchis meretrix 748.20
Bacchus vt genitus 62.1. indeq. & 147.10
Bacchi commendatio & vituperium 68. 60. & ſeq.
Bacchi exercitus aduerſus Indos 661.20
Bacchi deſaltatio fortiſſima 409.10
Bacchi & Herculis peregrinationes 297. 50
Bacchi miniſtri, Satyri 409.10
Bacchum filium Ioui Iuno exprobrat 68.60
Baccho non ſemper noua fiebant poemata 832.30
Bacchicæ & Dionyſiacæ ſaltationes 409.1
Bacidis oraculum 773.10.20
Baculus Protei cynici talento veditus 675. 20
Bagoas philoſophus peripateticus eunuchi ſpecie 433.50
Balæna cui Andromeda exãt expoſita, in lapidem conuerſa 90.60
Balnei amœniſſimi ac commodiſſimi deſcriptio 657.30. & ſeq.
Balneorum mollities 21.20
Bambyce vrbs 811.10
Barbæ philoſophorum inſultat 102.40. & 168.40. & 175.50. & 198.20.30. & 204.10. & 259.1. & 301.50. & 434.50
Barba puerorum amatores auertit 459.20
Barba philoſophica mirè tragica 559.30
Barba acutæ fœditas 791.30
Barbæ ac vultus ſeueritate fallentes 805.30
Barbarum cõſecrandarum mos 816.1
Barbæ ornamentum 846.60. & 847.1
Barbæ & comæ alendæ exempla ibid.
Barbari à philoſophia non excludantur 165. 30. & 778.60
Barbaris ſæpe ſatellitibus magis ſidunt tyranni, quàm ciuibus ſuis ac liberis 344. 10. & 885.10
Barbaro vt redderentur reſponſa ex oraculo 460.20. & ſeq.
Barbaros cur à ſacris excludit Athenienſes 446.30
Barbari, diuitiarũ ſtudioſi, nunquam hæreſi amuſos 700.1
Barcetis Lucianorum regis filia 507.40
Bardos homines & ſtupidos, ſtupidiores efficiebat Lucianus 775.50
Bareylis Aſſyriorum rex ſenectus 708.20
Barcaſſes quid ſit 852.20
Baſſus ſophiſta 677.40
Baſtor Chius 689.20
Batalas tibicen 677.40

INDEX.

Baucides, creea muliebres 431.50
Beati homines perrari 891.40
Beatitudo Stoicorum 254.50
Beatorum insula 310.1.& seq.& 632.40
Beati corpora non habent, & quales sint 311.10
Beatorum & impiorum damnatorum pugna 314.1.& sequent.
Beatus verè qui sit 891.50. & sequen.
Bebryx Amici filius 79.50
Belittas & Blasthes nobile amicorum par 505.10
Bellerophontis fabula 207.20.& 438.40 & 686.10
Bellerophontes podagricus 739.60
Bellum, omnium pater 276.30.& 573.10
Belli euentus falsò prædictus 399.30
Bellum & pax res omnes mortalium continent 409.40
Bello maximè necessarij amici 503.10
Belli calamitates 879.10.20
Belli causa Græcis ac Troianis Helena 869 40
Belli imaginarij descriptio 729.30.& seq.
Belli Troiani clades maxima 890.20
Bellorum & seditionum ortus cupiditas 847.20
Belutus, pro bestiæ similis 641.1
Bendis idolum ex solido auro 539.1
Bene agere cunctandum non esse 19.40
Benefactorum merces maxima 339.40
Benefacta quæ remuneret lex 350.1
Beneficiary sæpe eos dissimulant à quibus locupletati sunt, fortuna illis immutata 30.10.20
Beneficia non in omnes collocanda 31.1
Beneficiũ an necessitatem pariat ei qui contulit 374.10
Beneficia deorum nemo cõplecti semel potest 831.10
Beneuolentiam historicus nõ captat 293.40
Beneuolentia intempestiua à simultate nihil differt 363.30
Berœa Macedoniæ ciuitas 522.40
Bibendi sitis inexplebilis percussis à dipsade 716.20
Bibere nemo compellendus 791.20
Bibliopolarum mendacia 671.40
Bibliopolæ, ferè rudes 672.40
Bithynicum mancipium 197.10
Bombylius quid 431.20
Bonus vir alicui operi intentus esse debet, & cui maximè 211.1
Boni principis munus 378.1.& sequent.
Boni viri cultus & habitus qualis esse debeat 847.30
Boni cur malè habeant, mali bene 533.30.& seq.& 553.1
Bonorum raritas 35.50
Bonorum virorum memoriam Scythæ sacrificijs prosequuntur 490.10.20
Bonorum oppressio, malorũ exaltatio, deorũ opinionem imminuens 543.1.10
Bonos Deus non semper negligit 863.40
Bonum aut malũ nos sponte nostra non facere, ac proinde nec præmium nec supplicium mereri 534.30.40
Bona verè nostra nulla sunt externa 19.30
Bona triticia 158.10
Bona quæ sint 221.40
Bona suauiora sunt quæ communicãtur 50.50.& 460.10.20
Bonorum mundanorum instabilitas 891.60
Bonorum partitio, munus Iouis 793.50
Bonorum nimia continuatio fastidium parit 882.60
Bonis à natura datis an vnicuiq; temere fruendum 844.30.40
Bonis seipsos priuantes 844.50
Bosporanorum procorum mos in petendis puellis 505.40.50
Bosporus ponte iunctus à Dario 874.10
Boues sacri 823.30
Bouini oculi 473.60
Boum Solis assorum mirum 893.10
Βραχύλογοι 451.30
Bracana, agrestia olera 430.30
Brachmanes Indorum, longæui 703.1
Brachmanum animi tolerantia 772.10
Brachmanes vltro pyram inscendere soliti, orientem solem salutant 775.30
Brachmanes philosophi 779.1
Branchides quæ maximè re locupletati 388.30
Brãchus Apollinis amasius 55.1.et 705.10
Brasidæ animus 292.40
Brassica natibus adnascẽs pro cauda 302.60
Breuitatis commendatio 294.10
Briseis Veneri aureæ comparata 488.1.10
Bruta etiam animantia ad inferos trajiciuntur 183.30
Bruta legem naturæ non violant 458.30
Βωμολόχοι 687 50
Bubalus, Celer, Mangus, latrones 400.40
Bubalus ab Hipponacte iambis proscis. 688.40.50
Bubonum sanationes 647.30
Bucephali homines feri 319.30
Bullæ homines 142.20
Buttubata, nugatoria 641.1
Bupresles 716.1

Cabalusa insula 320.20
Cacozelia saltatorum 420.10
Cacozeli irrisi 422.50.& dein per totum
Cadmi amore captus Mercurius 867.1
Cadauer ad conuiuiũ adhibitum, & pignori datum 635.1
Cæcis maximè philosophandum 227.1
Cæcitas Paphlagonum spontanea 389.20
Cædere amasiam, amoris feruentis indicium 353.60
Cælum quale sit 147.50, & sequen.
Cælisectio 422.30
Cælum aquilis, scarabeis, & camelis adiri 573.50
Cælũ pater à Saturno filio exectus 789.60
Cælestium cibus ac potus 176.20
Cælestium respectus mortales inclinat 439.20.30
Cæneus vir, postea fœmina. 563.40
Castus Veneris cælestis 821.50. eius efficacia 63.20
Calamides statuarius 747.90
Calamitates maximæ ex ignorantia proueniunt 680.10
Calani sphæra 12.40
Calcei noui elegantes 194.50
Calceis sine, Hercules & Theseus incedebãt 846.50
Calchas Homericus saltator 412.10
Calix Scytharum in amicitiæ coitione 503.30.& 512.30
Calix vini meracissimi, tragœdiæ ingentis author 801.1
Calicis in concertatores effusio 806.30
Caligo apud inferos 183.40
Callias nepos perditissimus 533.40
Callimachi prolixitas 294.40
Calumniæ quæ struũtur ijs quos diuites ejcere de sua familia volunt 203.30. indeque
Calumniatorem instruit 642.20
Calũniæ nõ temere credẽdũ 679.30.et seq.
Calumniæ mala 680.20.& seq.
Calumniator in seruitutem ei addictus, quẽ calumniatus erat 681.10
Calumniæ typus, & finitio 681.10.& seq.
Calumniatoris arma 685.1
Calumnia vt soluenda sit 685.40
Calua mulier à capillitio laudari cupiens 481.& dein
Caluity fœditas 733.60
Caluus vbi pulcher 302.50
Caluus denuo capillos producens 318.40
Caluus erat Alexander 402.40
Calypso Lucianum hospitio excipit 317.40
Cambysis exitus 140.10
Cambyses Cyri filius paternæ crudelitatis administer 709.1
Camelus Bactriana Ptolemæi Lagi 8.50
Camelis cælum adiri Æsopus ait 573 50
Campus Acherusius siue Elysius 130.50.& 632.40
Cancrorum oculi protelis 318.20
Candor non solus commendat formã 81.20
Canendi in scenis studiosissimus Nero 875.1
Cani, inungendi non sunt 697.20
Cani, sapientiæ ac doctrinæ indicium Ibid.
Cani in homine vbi primũ apparent 758.40
Cani capilli in meretrice indecori Ibidem
Canicula prægnans philosopho Stoico ab hera seruanda committitur 201,60
Canicularum delicia 202.10
à Cane rabioso morsi, ipsi etiam alios inficiũt 23.1
Canis in præsepio 32.50.& 679.20
Canes dij 155.1
Canis cælestis inhabitatus 300 40
Canis vt optimè laudetur 486.1
Canis, sydus feruentissimum 619.50
Canes elephantis Indicis maiores 652.20
Canes lyricinem discerpentes 675.10
Canis coriũ rodere haud facilè cessat 678.20
Canum vsus in quo sit 781.40
Cantiones amatoriæ in aula gratiores præcepis philophicis 199.40
Cantores & musici ac cantrices insignes 476.10.& seq.& 703.30
Cantus mortalibus iucundissimus 409.20
Cantus mulieris formosæ 476.1.10
Capilli Isidis à Memphitis seruati 675.30
Capillorum amasia conscissio, feruentis amoris indicium 753.60
Capilli muliebres 465.1
Capillorum sacraturum demittendorum mos in iuue

INDEX.

in iuuenibus 826.1.10
Caprarij dij 839.30
Capricornus cæleſtis 437.40
Captatores alienæ mortis 96.40. indeq; & 104.1. & ſeq.
Captiuitatis ac carceris incõmoditas 500.50
Captiuncula philoſophorum 256.10.20
Capua Hannibalem corrupit 106.40
Caput dimidia parte tonſum 769.50
Caput draconis ingenioſe efficlum 389. 40. & 394.10
Caput mulieris formoſæ quale eſſe debeat 472.60
Caput regi Leucanori dolo defectũ 507.60
Caput pariens 856.50
Capitis Orphei præciſi mirum 674.50
Capitis radendi mos in purgatione funeſtæ familiæ 825.10
Capitis raſio apud naufragos 259.20
Capiti cætera membra reſpondeant 284.50
Capite truncata muſca, viuit tamen & reſpirat 670.1
Capita Iani ac Vertumni 887.10
Capita ſine robore 114.50
Carcerato amico amicus ſubueniens 501. 1. & ſeq.
Carcere liberati etiam cum præmijs, qui iniquè eò conjecti fuerant 502.10
Carcinochires 306.20
Carimantes 430.60
Carmen Orthium in exercitu Bacchi aduerſus Indos 661.40
Carminum ſtudioſiſſimus Nero 873. 60. & 874.40
Carminum vis 646.60. & 656.10
Carminibus peſtilentia non cedens 396.30
Carneadis philoſophi ſenectus 710.1
Carnes boum ſemiaſſa verubus affixa mugientes 556.10
Carnium & fabarum eſum cur interdixerit Pythagoras 563.10.20
Carnium moles prægrandis, inutilis 625.1
Carnifices puellis inuiſi 762.30
Carus luctator 313.40
Caryatiſſantes Lacedæmonij 407.1
Caryonauta 318.1
Caſſandra Delphorum 473.40
Caſſiepeæ affectatio laudis 481.40
Caſeus inſula 309.30
Caſtoris ac Pollucis diſcrimen 79.50
Caſtoris ac Pollucis munus 80.10. -encomium 865.1
Caſtrati, formam fœminea aſſumentes 815. 10. & 819.60
Caſtrãtes ſe quidã in amici gratiã 819.50
Caſtrationis ſponteanea furor vt concipiatur Caſtrati, vide Execti (824.50
Caſus in præclaro facinore an præmium aut pœnam mereatur 348.30.40
Caſus bene vertens, conſilium interpretatus 344.60
Caſus inopinati euenientes 810.20.30
Catalepſes & imaginationes philoſophorum rides 257.30
Catalogus macrobiorum 706.60
Cathecumenus 860.30
Categoriæ prædicamenta 448.30
Catena aurea Iouis apud Homerum 219. 50. & 330.1
Catena roſea 314.50
Catulus melitæus appellatus Cynicus quidã 803.30
Caudæ galli gallinacei mirum 568.10
Caulomycetes 300.40
Cauſas agere cur deſierit Lucianus 168. 20.30
Celeritatis ac promptitudinis preciũ 642.1
Cenchroboli 299.50
Centaurus, fœdum monſtrum 9.30
Centaurorum mira pictura 263.50. & ſeq. & 266.50
Centauri temulenti 543.50
Centaurici ſanguinis vis 772.10
Cepe & candidus ſal gratiſſimum conuiuiũ ſobrijs 195.10
Ceramicus Athenarũ 163.50. et 748.50
Ceraſtæ ſerpentes 716.1
Cerberus cantu ſopitur 119.30
Cerberus, canis triceps 632.20
Cerberus in oratione 696.40
Cerberus ab Hercule captus 889.30
Cercopes 388.1
Cereri ſacerdotem alere, proverb. 33.40
Cerdonica artis tranquillitas ac ſecuritas 566.60
Certaminum puerilium apud Athenienſes, & ſpecies & nomina ac voluptas 616. 30.40. & 617.50
Certator ineptus loris caſus è theatro iectus 674.20
Cerui ternis pedibus 319.60
Ceruina pellis vſus in morbis 646.50.60
Ceruix mulieris formoſæ 473.10
Ceruix vſque ad zonam diſſecta 509.50
Cetus immanis Luciani nauem abſorbens 304.40. & ſeq.
Cetus quater modò toto anno hiãs 307.20
Ceti tergum, ara, & ſepulcrum 308.20
Ceti mors mirabilis 308.40
Ceyx Trachinius 43.50
Chærephon à Pythio directus ad magiſtrum 225.10. & 639.50
Chæronenſis pugna 834.60
Χαῖρε & ὑγίαινε verborum vſus 211.40. & dein. & 212.50
Chalcedon oppidum 388.40.60
Chalcidica ſaltatio 411.1
Chaldæorum ſapientes 118.20. & 221. 1. & 779.20
Chaldæus quidam à vipera morſum viticolam ſanitati reſtituit per incantationem 648.10
Chaldæorum longeuitas 707.20
Charicenus ſenex emarcidus 861.10
Chariclea Demonactis vxor adultera 494. 50. & dein.
Charmoleus Megarenſis 101.30
Charon indefatigabilis 877.10. Eius cognitio quãta ſit 879.40. eius maxima cura 887.30. vide dialogos Mortuorum
Charon me momordit, ſenis reſponſum inualidis eruribus 447.30
Charops Æginetes matricida 533.50
Cheniſcus alas emittẽs et exclamãs 518.40
Χερεβικκᾶν 687.50
Chelidoniæ inſulæ 452.40. & 723.10
Chelidonium cinædus 201.30
Chelidonium meretrix 756.30
Chimæris ac hippocentauris pleraque philoſophorum ſimilia 252.30
Chiroſophi ſaltatores 417.10. & 432.10
Chirõ ex deo mortalis factus 119.50. et ſeq.
Χιτώνιον quid ſit 429.50.60
Chleuocharmus proprium nomen 861.20
Choraſmij longæui 707.10
Choreæ beatorum 312.1
Choreæ mortalium quàm abſonæ 576.60
Choreæ ſiderum 406.10
Chreſtes per contemptum impijs hominibus dictus Saluator noſter Chriſtus Ieſus 860. 30. & 862.10
Chreſti hoc eſt frugi 862.10
Chriſtianos ſibi aduerſantes Alexãder pſeudomantis lapidibus pelli iubet 393.40
Chriſtiani impiorum numero habebantur ab Alexandro pſeudomante 396.60
Chriſtianorum doctrina mirifica 768.1
Chriſtianorum ſtudium erga Proteum quendam 768.20
Chriſtianorum communitas 768.50
Chriſtiani in cœnaculo ſublimi agẽtes 862. 1.10
Chriſtus, vt mundo, irriſus 859.1
Chriſti opera 860.30
Chriſti numen 860.40
Chriſto gratia agenda 863.50
Chryſæ ſacerdotis aduerſus Apollinẽ indignatio 146.10.20
Chryſippus & Zeno Ariſtotele & Platone poſteriores 232.20
Chryſippus quartò elleborò purgãdus 312.40
Chryſippus à præſtigiatoribus non diſſidet 393.50
Chryſippi ſyllogiſmi frigidi 579.30
Chryſippi philoſophi ſenectus 710.1
Chryſarium venefica 745.40
Chryſis meretrix 649.30, et 753.50. et ſeq.
Cibus Cynicorum 847.10
Ciborum delectus 769.40
Cibus inferorum & ſuperorum 176.20
Ciborum parãdorum nimia cura, noxia magis quàm ſalutaris 845.60
Cicadã ala cõprehendere, proverb. 688.20
Ciconiam pinſere 678.30
Cicuta nõ in omni quãtitate occidit 247.10
Cilices, latrones 576.40
Cinædus cum philoſopho eodem vehiculo vehens 201.30. & dein.
Cinædorum turba, Coraſia 522.50
Cinædus difficilè diſſimulatur 677.50
Cinædorum ſacerdotũ fœda 523.10
Cinædus in principio anni domo primùm egredienti conſpectus, ominoſus 692.60
Cinædorum cultus & odor 847.40
Cinæthus aſſentator 487.1
Cinere ponderando inueniri quàm multa de ligno in fumum euanuerint 447.1
Cinyrus Scinthari filius 314.20
Cinyri punitio apud inferos 316.10
in Circulo currere, proverb. 251.30
Cireũferenda dea Syria ſtips collecta 522.50
Cithara pulcherrima ornatiſſimáq;, artem pulſatori ſuo non tribuit 674.1. & dein.
Citharæ di cuiuſdam inepti, ſed bene ornati, ridiculus in certamine exitus 673.50. & dein.
Citharœdorum certamen 674.10

INDEX.

Citius ſeptem elephãtes ſub alis abſcõderis, quàm vnũ cinædum, prouerbium 677.50
Citra ſementem prouenire 384.30
Cinica corona cui detur 336.40
Cinis incorruptus, equitatu melior 833.1
Cinis vnius momentum 833.30
Ciuium cura apud Athenienſes 622.1
Ciuitates, apum examini ſimiles 140.40
Ciuitas virtutis quales admittat homines & vt eos excipiat 229.1 & ſequentibus
Ciuitatem vt aliquam totam conciliatam habeas 275.10
Ciuitatis nondum conditæ nominis meditatio ſiulta 288.1
Ciuitas quæ ſit exiſtimanda 621.50
Ciuitates cæteris honorabiliores 712.60
Ciuitatum miſeria 879.50. & ſeq.
Clarus inſula quæ maximè re locupletata 388.30
Claudexũ occurſus manè inauſpicatus 692.50
Cleantis philoſophi ſenectus 709.60
Cleanthus puella elocata 799.60
Clearchi ducis virtus 109.10
Cleobis & Biton feliciſſimi 138.30
Cleombrotus Ambraciota 856.10
Cleonymus puer formoſus 865.10
Cleopatra Ægypti regina & 412.30
Clinia Retheris furtum 576.20
Clitus inter epulas ab Alexandro cæſus 109.20. & 289.60
Clonarium meretrix 749.50
Clymene Phaetontis mater Soli adamata 64.20. & 79.10
Clypei ineptain hiſtorico deſcriptio 283.20
Clypei Homerici pictura 576.30
Clytamneſtra mors 705.1
Cochlis meretrix 764.30
Cocconas Byzãtius annalium ſcriptor 387.60. vipera ictu ſublatus 389.10
Codri exemplum 836.40
ad Cælum quoto tandem die peruenerit Icaro menippus. 578.30
Cælum vt pellis explanatum 860.30 Vide Cælum
Cæna vt iucundior fiat 255.60
Cæna opipara, ſed à philoſopho inepto perturbata 560.10.20
Cæna captatores 18.20
Cæna exequiales 635.10
Cæna abſoluta fercula 808.1
Cæna frugalis bonum, & crapuloſa malum 794.30
Cæna philoſophica deſcriptio 801.10. & ſeq.
Cæuntes, pudendis connexi 298.30
Cogitabundi hominis deſcriptio 856.30
Cœtus nimij incommoda 794.30.40
Cogitandi ac eloquendi diuerſa facultas 545.30. & ſequent.
Collario aureo innecti 206.30
Colloquia nauigantium 877.90
Collyrij confectio, vſuſque 392.30
Colocynthopirata 317.50
Colonia in Luciferorum ducta 301.60
Color mulieris qualis eſſe debeat 473.30.40
Colorum caudæ pauonis variegatio 701.20 & ſequentibus
Coloſſus Rhodius 284.60. 539.30. 574.40
Coloſſis prægrandibus ſimiles reges 566.1
Columba quibuſdam auis ſacra 814.60. & 825.20
Columna mirę virtutis 791.40
Columna rebus Pyladis & Oreſtis inſcripta apud Scythas, prima inſtitutio liberorum illorum 491.50
Coma & vultus mulieris pulchræ qualis eſſe debeat 472.60
Coma Euphorbi Gratijs ſimiles 560.60
Coma ex igni 307.50
Coma, nobilitatis ſignum Ægyptijs 722.1
Comæ fictitiæ impoſtura 386.40.50. & 761.1
Comam nutrire, vbi decorum 722.1. & 846.60
Comam Ægyptij ponunt in morte Apidis 149.50
Comarum attõdendarũ puellis & adoleſcentibus mirus mos apud Trœzenios 826.1.10
Comaſtæ qui dicantur 470.10
Comati vbi fœdi 302.50
Cometæ ſtella inhabitata 302.50
Combabi & Stratonices amor & dein.
Comburendi peregrini ſolennitas 774.40
Combuſtio libri, tanquam ipſius authoris 399.10
Combuſtionis hominis, triſte ſpectaculum 775.1
Comica petulantia 596.1
Commemoratio virorum bonorum defunctorum ad quid proſit 490.20
Communes mulieres eſſe Plato voluit 781.20
Communio, bona & ſuauiora facit, & aduerſa leuiora 460.20
Communis Mercurius 724.10
Comœdia proprium 10.1. Eius voluptas 404.30
Comicorum licentia apud Athenienſes 623.30
Commentarij domeſtici Regum Macedoniæ 832.10
Comparatio pulchra nouellarum plantarum & puerorum 622,30.40
Comparationum hyperbolicarum incommodum 483.1. & ſeq.
Comparationes Homericæ diuinæ 488.40
Compoſitio diuerſa & varia, Hippocentaurus vocetur 9.20
Competitores aulici 192.40
Compotationis leges 791.10. & ſeq.
Cõpotationis tumultus & licentia 804.20
Compotationes deorum 580.20. & ſeq.
Conatus hominum vani 141.1. & ſeq.
Conatus qui veniant in quæſtionem 338.20 30. & 349.50
Conatus non præmiatur, ſed factum 334.1. & ſequentibus diffuſè
Concętuum variorum proprietates 267.40
Conceptus mirabilis 302.20
Concio deorum quo modo conſtata, eiuſq; ordo 538.20. & dein.
Concionis frequentia, concionaturum terret 540.30.40
Concionator meticuloſus eſſe non debet 839.30
Concubinæ Scytharum 500.1
Concubitus in publico ſine pudore 312.50
Concubitus Martis & Veneris vnde conſictus 439.50
Concubitus puerilis vetitus 397.40
Conditionalia pacta vt ſeruentur 335.10 & 337.40
Conflictuum dirimendorum periculũ 809.50
Coniectura fidendum non eſſe in arduis rebus 343.10
Coniugis & ſobolis commercium iucundiſſimum 878.1. & 883.10. Vide Maritus & Vxor.
Coniugio omnibus vacandum 468.50
Conſcentio Priaporum ſeu Phallorum 820.49. & dein.
Conſcientia ſcelerum obſtrictos homines tenendi ratio 395.30.40
Conſilium, aurea res 678.10
Conſilium bonum propter incredibilitatem neglectum 637.20
Cõſilium mutare, Epimethei, non Prometheï opus eſt 10.40
Conſilium in melius mutare vbi erraueris pudendum non eſſe 258.50
Conſpici defixis oculis tyranni nolunt 185.2
Conſtantis viri mors intrepida 835.50. & dein.
Conſuetudinis prauæ malum 678.20
Conſulendi prophetæ non ſunt de rebus quas cum periculo reueles 395.30.40
Conſultores cauti ſint in petendis reſponſis Ibidem
Contemptus & deſpicientia faſtui diuitum obijcienda 18.50
Contendendum cum tyrannis non eſſe 875.40
Contentio philoſophorum 172.10
Contentus paruo, felix 886.40
Continentiæ commendatio 15.60
Continuatio nimia bonorum, faſtidium parit 882.60
Contractus vt ligent 336.10 rati ſint 355.40
Contradicendi ſtudium 642.20.30
Controuerſia antiquæ multa apud deos ſuſpenſæ 584.40
Contumelia quis dicatur affici 853.1
Contumelijs afficiendi amatores non ſunt à meretricibus 748.10
Conuentus frequentia, loquendi fiducia concinaturo eripit 540.30
Conuentus paneg yrici maximi 814.10
Conuiciari ac reprehendere, facile: ſed rebus collapſis mederi, difficile 544.10
Conuiciorum vſus in diſputationibus 548.30. & ſequent. & 554.10.20
Conuictus iucunditas 796.20
Conuiua modeſtia 845.10
Conuiuales leges 791.10 & ſequent.
Conuiua cynici impudentia & importunitas 801.50. & 802.40
Conuiuatoris ingenioſi aſtutia 333.50
Conuiuium apud deos vt inſtruatur 580.20
Conuiuium lautiſſimum ac delicatiſſimum 311.50
ad Conuiuium diuitis inuitatus pauper, quàm diuites

INDEX.

anxiè tempus illud expectet 559.10
Conuiuij ad quod pauperes adhibentur apud diuites, mos 792.50
Conuiuij conturbatio tragica 809.10. & ſeq.
Conuiuij longioris tedium 195.1.10
Conuiuio non niſi amicos excipimus 603.50
Conuiuia aliena non ſectari, vtile 710.50
Conuiuia quibus rebus exhilaranda 49.10. & 796.30
Conuiuiorum lautorum inuerſiones 796. 40.50
Conuiuiorum magnorum dicta facilè in oblivionem veniunt 864.50
Conuiuiorum obſeruatio apud diuites 193. 30.& ſeq.
Conuiuiorum ſumptuoſorum mala 565.20
Conuiuijs æqualitas maximè congruit 795. 60
Conuiuijs lautis & opiparis vilia non apponuntur 294.30
Copia quid ſit 843.50
Copiæ cornu 193.1
Coraci, dij amicitiæ præſides apud Scythas 492.30
Coraſia, cinædorum turba 522.50
Cordax ſaltatio 409.10.& 410.10
Corinthij diu aurum non habuerunt 539.10
Corinthiorum turbatio à metu Philippi 276. 40
Cornices animal varium 435.1
Coræbus & Margites 645.30
Corona ex pennis pauonum 313.50
Corona vbi geſtanda 21.1
Corona victorum varia 616.40
Coronarum indicium 876.1
Coronis Æſculapij mater 390.40
Coronidis nuptiæ 397.1
Coronus Cottyphionis filius 302.20
Corpus præ anima nihil à Demoſthene reputatum 837.20
Corpus tyranni quod ſit 355.10
Corporis quæſtu emergens Alexander pſeudomantis 387.30
Corporis venuſtate ſola commendari nõ debet mulier, ſed animi quoq; dotibus 479.1
Corporis vires in duce militiæ, parum faciũt præ prudentia 341.40
Corporis virtus, robur 844.20
Corpora adoleſcentum ſuorum vt exercerent Athenienſes 624.1.& dein.
Corpora labore ac ſudore non areſcunt 628. 40
Corpora ſine capitibus, hiſtoriæ ſine præmijs 285.1
Corpora vt firmiora fiant 625.1.
Corybantes amore inſanientes 64.30
Corybantum ſaltatio 406.20
Cottabi qui ſint 430.50.& 860.40. admarginem
Coturnicum pugna 629.40
Cothurnus appellatus quidam propter inſtabilitatem 692.40
Cratetis philoſophi authoritas 779.50
Craton inſpector 861.10
Credendum facilè non eſſe rebus abſonis 123. 20.30
Credulum nimis eſſe non decet eum qui philoſophiæ initiatur 240.50
Cretenſes optimis legibus inſtituti 630.50. & 632.40
Cretenſium ſaltatio 406.20.30
Cribro vaticinans 388.60
Criminis ſe deferens amicus amici cauſa 501.40
Crimina philoſophorum in ſe inuicem 806. 10.& ſeq.
Critias Neſiotes plaſtes 650.40
Critolai peripatetici ſenectus 710.10
Crapulæ incommodum 794.30
Crobyle mater Corinnam filiam meretriciũ docens 751.10.& ſeq.
Crocale meretrix 764.30
Crocodilina quæſtio 156.30
Crocodilinæ ſubtilitates philoſophorum 257. 20
Crocodilis inſidens homo 656.1
Cronoſolion, ſaturnalium legum lator 789. 10.& ſeq.
Crobyli qui ſint 432.1
Crœſus & Polycrates reges inſperato mortui 728.10
Crœſi fatum 138.20.& ſeq. & 565.30
Crucis ſupplicium in vſu conſtitutũ 26.40.50
Crucifigendos multi ſubſequuntur ſpectandi gratiæ 774.30
Crucifixi in Paleſtina reuerentia 768. 10.50
Crudelis nemo ſit gratis 380.20
Crudelitatis ſuſpicionem à ſe amolitur Phalaris 377.10.& ſeq.
Crudelitas tyranni vt exagitetur 378.30. 40.& 379.10.& ſeq.
Crudelitatis pœnitentia 709.1
Crudelitatis iactantia apud puellas ingrata 762.30
Crurum nudandorum mos in ſaltãdo à meretricibus 747.50
Cubito innixus humi cœnans cynicus 801. 50
Cucullam abijcientes 781.50
Cucurbita folium pro velo 317.50
Cucurbitinæ naues ibid.
Cultus & habitus corporis cum vita inſtituto conuenire debet 847.20.30
Cumanorum ſtupiditas 689.10
Cunctandum non eſſe vt bene agas 19.40
Cupiditatibus vti neſcientes 20.50
Cupiditas à puero innata aut diſcita, difficilè eluitur 567.40
Cupiditas, omnium malorum fons 847.20
Cupiditas poſſidendi ſemper creſcit 886.40
Cupido, puer eſt 54.50. & prauus 462.1
Cupido à Mercurio palæſtra ſuperatus 60. 40
Cupidinis vis 64.20.& ſeq.
Cupido quibus deis pareat 69.40. & ſeq.
Cupido, Hermaphroditus & Priapus fratres 77.1
Cupido, Herculis perſonam induens 284.50
Cupido Theſpienſis 454.1
Cupreſſi cum ramis ac frondibus, pro remis 307.40
Curæ nonnunquam deponendæ 450.20
Curandi ratio non omnium eadem 368.30
Curetum ſagitta reſina tincta 22.30
Curetum ſaltatio 406.20
Curioſitas quò hominem impellat 297.20
Curioſitatis ac peregrinationis pœna 310.50
Currus Platonis alatus 643.50
Curſus exercitatio 625.40
à Cybele afflati 390.1
Cybelum oppidum 25.1
Cybeſleteres ſaltatores 407.40
Cyceonis potus 421.30
Cyclopes fulminis cuſores 34.1
Cyclops appellatus quidam homo mollis 695. 60
Cydimacha turpiſſima puella nobili viro ac diuiti nubens 499.30.40
Cydni fluuij amœnitas 698.20
Cygnorum cantus 667.20.& ſeq.
Cymbalium tibicina 759.40
Cynicorum aſperitas, & dogmata & ſeq. 152.1.
Cynicus in pelle vrſi philoſophans 445.10
Cynicorum mordax petulantia 448.1
impudentia 802.40.& ſeq.
Cynicos philoſophos perſtringit 784.& ſeq.
Cynicus in conuiuium nuptiale inuocatus irruens 801.20
Cynici habitus, vita, & inſtitutio 769.30. & 843.30.& ſeq.& 844.40.& 847. 40.& 848.20
Cyniſci mors 178.20
Cynobalani 300.40
Cyri exitus 138.10.& 140.1
Cyrus vterque beatus 312.10
Cyri maioris ſenectus 708.60
Cyrenaicorum dogmata 153.30.& ſeq.
Cytmides emplaſtra ex vrſino adipe confecta 393.1

Dadis proprium nomen 397.1
Dedali fabula 438.40. & ſeq.& 458.50.& 565. 20.& 571.1.10
Damon Anacharſi occurrens 271.40
Damonum paternorum & maternorum in morte inuocandorum ritus 775.1
Damonis mira præſtigiæ in oraculis reddendis 822.50.& dein.
Damoniacos ſanantes 649.50.& dein.
Datymones olim paraſiti 601.10
Damaſias athleta 101.50.& 426.1
Damis Epicureus &c. 541.40.& ſeq.
Damnatorum locus 315.40.& ſeq.
Damnatorum ſpecies 129.50
Damnatorum pœnis dolentes, facinora illorũ reputent 379.20
Damon Chalcidenſis & Euthydicus, nobile amicorum par. 497.1
Danaes fabula 88.60.& ſeq.
in Danaidum dolium aquam inferre, prouerbium 33.50
Danaidum dolium 247.1
Danaides cruentæ 762.50
Danaus, durus pater ergà filias 85.10
Dandamis & Amizoca nobile amicorum par apud Scythas 504.1
Daphne Apollinem auerſabatur 66.50.
in arborem verſa 298.10
Darij graue dictum 554.40
Darij opus magnificum 874.10
Dea ſanguinaria 523.1.10

INDEX.

Dearum degeneratio, & amores cum hominibus mortalibus 840.30. & 867.1
Dearum forma vt in poetis laudata 488.50
Dearum iudicium 70.30 & seq. Paridi commissum 869.30
Deabus mortales fœminas comparari nõ debere 481.30. & seq.
Deambulationis vsus 827.1. & 864.20
Debere ei qui semper imputet, durũ 332.60
Debitor causificationibus non liberatur, sed solutione 335.30. & seq.
Debitum soluere detrectãtes ac tergiuersantes, quæ censentur 335.50
Decenter cadendi cura 876.50
Decepti, alios etiam decipi vellent 254.10
Decianus Sophista Patarensis 513.30
Decorum vbique seruandum 168.60. & 169.30
Decrepiti etiam miserrimi inuiti moriuntur 122.30.40
Decretum aduersus suppositicios deos 841.60, & dein.
Decretum inferorum contra diuites 126.50 & 132.30. & seq.
Decretorum Epicuri vtilitas 399.10.20
Decretorum pugna 833.50
Derceto dea 811.10. & 814.50
Deformes homines, pulchri tamen fingi volunt 280,50.60.
Deformia in meretrice, & venusta 745.40
Deformitas an omnis damnata 459.1
Delator cautè audiendus 686.60
Delatorum falsorum vltio 819.30
Delectabilem modo historiam facere comites taxat 279.60
Delos insula vt emerserit 87.50. & dein.
Deli sacra sine saltatione non peragebantur 408.1
Delphorum honor 377.20. & 384.10.40
Delphorum diuitiæ 388.30
Delphica diuinatrix vt oracula redderet 226.30
Delphini amatores hominũ 86.30. & 726.20
Delphinis iugatis nauigantes 320.10
Delphinibus vehentes prædones marini 318.20
Delphis meretrix 764.20
Delus qua maximè re locupletata 388.30
Demetrius Cynicus satiũ inimicus, mox sententiam mutat saltatore egregiè confecto 415.40.60
Demetrius poliorcetes 487.1
Demetrius Suniensis & Antiphilus Alopecenses nobile amicorum par 500.1
Demetrij Cynici liberè factum aduersus inerudituin quendam 676.20
Demetrij Platonici accusatio ridicula 684.10
Democritici 154.10
Democritus Abderites in monumẽtis agens ad confutandum errorem de manibus 655.20
Democriti Abderitæ senectus 709.50
Demonactis vita 441.1. & dein. per totum,
Demonassa Corinthia mulier diues ac impudica 750.10.40
Demonstrationis vtilitas 250.30.40
Demonstrationes vt certæ esse cognoscantur 251.20
Demonstrationes geometricæ 253.50
Demosthenes captus 290.10
Demosthenes scalas rescindit 292.50
Demosthenes gratiarum expers 641.10
Demosthenes emendus studioso 672.20
Demosthenes cito orbus relictus à patre 829.10
Demosthenes pro deo habitus 827.30
Demosthenes auro corrumpi nõ poterat 832.50
Demosthenes propter quæ laudandus 836.50
Demosthenis origo obscura 5.1
Demosthenis apud Ioue authoritas 540.50. 544.10
Demosthenis in bello fuga 608.1
Demosthenis apologia 613.1
Demosthenis encomium 826.20. & dein. per totum
Demosthenis adolescentia qualis 829.20
Demosthenis liberalitas 835.30
Demosthenis beneficia in Athenienses 836.20.30
Demosthenis mors 835.50. & dein. & 837.20
Demonstratus Epicurum seruans 398.50
Dentes, ætatis indicia 522.40
Dentes pulchræ mulieris 474.20.30
Depositi repetitio à depositario, vitam depositori seruans 819.1.10
Desaltasse quid crederentur 408.1
Descriptiones historicæ modicæ esse debent 294.30
Desertoris pœna 730.1
Desiderium & Hymenæus comites Veneris 75.10
Desiderium vehemens pulcherrima similitudine expressum 717.30
Desticientia & contemptus, diuitum fastui obiciendus 18.50
Detorsorum contemptus 862.50
Deucalionis diluuiũ 29.40. & 813.50. & seq. & 820.30. & 856.1
Deuotiones magicæ 362.1
Deus, malorum causa non est 205.10
Deus per omnia se penetrãs, ex sententia philosophi Stoici 257.30
Deus non decipitur aut fallitur 377.30
Deus ex serpente creditus 390.30
Deus in phiala ex aqua hausius 390.20
Deus vbi fuerit ante mundi fabricationem 572.60
Deus quid sit 573.10.20
Deus non semper bonos negligit 863.40
Deus similis est homini pulchrè consuluiũ instruenti 845.20
Deus Athenis ignotus 858.30. & 863.50
Deus trinus & vnus 858.50
Deus iustorũ & iniustorum inspector 859.20
Deus dexter Christus 860.30
Dei erga homines liberalitas & indulgentia 844.40.50
Deo omnia sunt cognita 860.30.40
Deũ cur se haberi voluerit Alexander 107.30. & 108.50.60. & 110.1
Deum mentientia signa 391.40
Deum esse, comparationibus probatur 552.30. & dein.
Dy otiosi non sunt 51.30
Dy alij alias artes exercent 80.10
Dy donarijs nostris non indigent 139.20
Dy an cultu nostro gaudeant, & neglectu doleant 145.40
Dy omnia mortalibus vendunt 146.1
Dy alij ab alijs coluntur 148.30. & 151.10.20
Dy seditione Gigantũ territi, in Ægyptum profugerunt &c. 149.40
Dy in animalia transmutati 415.1
Dy aut deæ marmora ac statuæ non sunt quæ cernimus 487.40
Dy Scytharum, ventus & Acinaces 503.50
Dy quidam conflati 531.40
Dy sint ne, an nõ sint, disputatio 537.20. & dein. per tot.
Dy ex diuersa materia 538.30.40
Dy quibus alantur ac recreentur 542.20
Dys cur existimatio sua minuatur 60. & deinde.
Dy nothi & adscriptiij 543.30
Dy contra Parcas nihil possunt 30.40
Dy Ægyptiorum ridiculi 475.20. & 551.10.20
Dy an res mortalium curent 573.20
Dy ancipites 580.20
Dy quo die potissimum votis ac precibus hominum vacent 690.40
Dy natalitio solo gaudent 712.50
Dy omnia possunt 728.40
Dy ex sublimi tanquam ex propinquo preces hominum facilius audiunt 820.30
Dy assriptiij 839.1
Dy ridiculi 839.30
Dy perfecti 842.10
Dy sua quique commercia exercere iubentur 842.30
Dy gentilium, hominum indigentes 858.20
Dy hominum formis capti 866.50. & seq.
Deorũ facinora apud poetas 127.1. & 146.30. & seq.
Deorum formæ vt exprimantur 148.40
Deorum formæ cur fiant 822.20. & seq.
Deorum formæ quales 848.40
Deorum beneuolentiæ argumenta 383.50
Deorum aut dearum filij cur putati mortales quidam 439.20.30
Deorum cultores, in humanis actionibus optimi 488.1
Deorum circumferendorum ac stipis colligendæ modus 522.50
Deorum reuerentiam ac cultum eleuat 529.1. & dein. per totum
Deorum quorundam calamitas 531.20. & 537.1.10
Deorum amores nefandi 531.30
Deorum confessus pro dignitate cuiusque dispositus 538.30
Deorum simulacra apud Barbaros quã Græcos pretiosiora 538.60. & dein.
Deorum contentio de pretio sui, cùm ex diuersa materia sint 539.10
Deorum tumultus 540.10
Deorum ignauia 543.50
Deorum prænotitia vnde probetur 549.20
Deorum infirmitatis argumenta 549.1.10
Deorum cibus & potus 580.30

INDEX.

Deorum poſſeſſio, totus terrarum orbis, & oceanus 712.50
Deorum genealogia Heſiodi 718.30
Deorum notitiam Aegyptij primi percepe-runt 812.1
Deorum gentilium vanitas confutata 837. 40. *& dein per totum. &* 857.1. *& ſeq.*
Deorum concilium 837.40. *& dein*
Deorum gentilium contemptus vnde ſit 841.20
Deorum nouorum procacitas & immodeſtia 842.10
Dearū inter ſe diſcordia, ac iudiciū 867.110
Deorum inter ſe pugna, & communiter ad-uerſus Gigantes 869.50
Deorū filij aliquot bello Troiano vulnerati & mortui 869.50. *& ſequent.*
Deorum cura ſcilicet 894.1
de Dijs aliquid dicere fas non eſt 124.10
Dijs grati eſſe debemus cum primis 330.50
Dijs oblata etiam à ſceleratis, non reuocienda 383.20. *& ſequent.*
Dijs ſimiles multi homines mortales à poetis perhibiti 487.50. *& ſequent.*
Deos eſſe, vt probetur 251.20
Deos etiam Scythæ, non ſoli Athenienſes faciunt 270.50.60
Deos felices ac beatos non eſſe, eorúmque la-bores 583.10 *& ſeq.*
Deos facere ſe poſſe credidit Alexander Ma cedo 684.30
Deos Græcorū negantes Chriſtiani 768.50
Dialectica ſola ſaltatori non neceſſaria 412.1
Dialectica captiones 592.30
Dialogi proprium .9.40.
Dialogus philoſophis familiaris .167.40
Dialogus Glyconis cum ſacerdote, feſtiuus. 166.398.1. *& ſeq.*
Dialogi & rethorices controuerſia 593.20. *& ſequent.*
Dialogi patrocinium 595.50. *& ſequent.*
Dialogi meretricij 744.50. *& dein*
Dianæ obtrectatio 67.20 30
Dianam cur non feriat Cupido 70.10.20
Diana ſui neglectus vltrix 145.50
Diana Endymionem amans 147.40
Diana iaculatrix & bellatrix 426.40
Dianæ indignatio, ad conuiuium Oenei non vocatæ 550.30 *&* 804.60
Dianæ Epheſiæ templi incenſor vnde motus 771.30
Diana venatio 867.10
Diaſia quæ ſint 864.30 *ad marginem*
Dicendi genus Luciani quale fuerit 7.30. *& dein*
Dicendi vis maxima 275.1
Dicendi poteſtas hiſtorico neceſſaria, & vt paretur 288.50
Dicteriorum iaciendorum vſus à morionibus in nuptijs adhibitus 803.30
Dicterijs modus adhibendus 791.30
Dictio hiſtorici qualis eſſe debeat 291.40. *& ſequent.*
Dies Alcyonij 44.20.30
Dies ater quis vocetur 691.40
Dies imperatoris filijs à patre paupere teſta-mento relicti 863.50
Dieipulcherrima pars, principiū 700.1.10
Difficilioribus exercendi pueri, vt faciliùs minora præſtent 626.20
Difficultas diuitiarum parādarum 845.40
Digitorum quatuor voluptas 21.10
Digitis ſolis diuites 182.20
Digiti mulieris formoſæ 473.1
Digiti roſei 474.1
Digreſſiones hiſtoricæ quales eſſe debeant 283.10. *& ſequent.*
Digreſſiones in oratione non omnes repudi-andæ 621.10. *& dein*
Dimanete Architelis vxor oraculo monita peſtilentiam Athenienſibus ſedat 271.10
Dimēſiones cæleſtiū irridet 572.20. *& ſeq.*
Dinia Epheſij & Agathoclis amicitia 494.10. *& dein.*
Diogenis Cynici auctio 152.1. *& dein*
Diogenes philoſophorum omnium cauſam ſuſcipit coram philoſophia contra Lucianū 166.30. *& ſequent.*
Diogenis Sinopenſis dolium 276.50
Diogenes Laidem vxorem ducens in campo Elyſio 312.30
Diogenis authoritas 779.50
Diogenes Iceſij menſarij filius 593.1
Diogenis Seleuci Tigrij philoſophi ſenectus 710.1.10
Diomedēs Venerem & Martem vulnerans 550.20
Dionis Heracleotæ philoſophi vitia 222.40
Dion ſe ſtrangulans 426.10
Dion philoſophus 770.20
Dionici medici feſtiua narratio 803.40. *& dein*
Dionyſius Bacchi cognomen 62. 40. *Semeles filius* 815.30
Dionyſij Syracuſani pœna leuata apud infe-ros propter beneficia in eruditos collata 130 30
Dionyſij tyranni exitus ridiculus 565.30
Dionyſius quidam ex Stoico Epicureus fa-ctus 591.30. *& dein*
Dionyſio paraſitati philoſophi 605.60. *& dein*
Dionyſius tyrannus à Philoxeno in poemati-bus ſuis irriſus 675.30. *& dein*
Dionyſius deus à Momo perſtrictus 839.20 *&* 840.20
Dionyſiaca libertas 10.10. *&* 164.10. *&* 167.30
Dionyſiaca & Bacchica nil niſi ſaltationes ſunt 409.1
Dionyſodorus rhetor 800.20. *&* 803.1. *&* 809.60
Dioſcuri periclitātibus apparentes in mari. 723.30. *Iouis filij.* 866 1
Diotima mulier philoſopha 434.30. *&* 477 50
Diphilus philoſophus taxatur 805.10
Dipſas ſerpens, & eius natura 716. 10. *& ſequentibus*
Δὶς διὰ πασῶν. 10.20.
Dis inferorum rex curis non caret 877.40
Diſcendi labor, 602.30, *aculeus.* 602.50
Diſci exercitatio 625.50
Diſciplina, philoſophia antè ſignana 164.50
Diſciplinas cur ſibi parent homines 713. 20 *&* 806.50
Diſcobolos Myronis 650.30
Diſcipuli ac magiſtri mutuus amor, ac reci-proca obſeruātia 273.40. *&* 700.10
Diſcipuli Alexandri Pſeudomantis 393.20
Diſcipulorum retractionis crimen. 805.20
De diſcubitus honore cōtendunt Hercules & Aeſculapius 65.1. *& dein.*
Diſputatio de prouidentia deorū 548.30. *& dein.*
Diſputationes philoſophorū, contentioſæ. 587 30. *& dein.*
Diſputationis modus & lex 620.10
Diteſcendi ratio facillima 388.20
Diuinandi mira ratio 392.10. *ſeq.*
Diuinatio ex aſtris, defenditur 436. 40. *& & ſeq. &* 440.40. *& ſeq. &* 532. 40. *& ſeq.*
Diuinatores vnde conijciant 104.10
Diuinatrix delphica vt oracula reddat. 246 30
Diuinitas Herculis irridetur 111.30
Diuinitatem ſibi arrogantis mulieris ignomi nia 823.10.20
Diuinitas vt probanda dijs adſcriptitijs 842 50
Diuinitas nulli hominum data, niſi pulchro 866.10. *& ſeq.*
Diues vnde æſtimandus 886.30. *& ſeq.*
Diuites ad pauperum fores concurrerent ipſi ſalutatum, ſi non ita à pauperibus obſerua-rentur 18.30.40
Diuites apud inferos dolent de diuitijs amiſ-ſis 94.40
Diuites cur tam inuiti moriantur 181.10
Diuites cur ſecum homines eruditos habere affectant 198.20.30
Diuites flagitioſi libris foris pulcherrimis, intus autem nefanda cōtinentibus ſimiles. 204.20.30
Diuites ferè cum ſeneſcunt, podagrici fiunt. 794.40
Diuites vt inuidiā pauperū euitent 796.10
Diuites quam vtilitatem habeant à paupe-ribus conuiuio exceptis 796.20
Diuites molles & effœminati cinædis compa rati 847.40
Diuitum faſtuoſorum hypotypoſis 17.50. *& 34.60*
Diuitum ſtulti conatus 93.60
Diuitum malorum apud inferos ignominia 130.1. *& ſeq.*
Diuitum ac pauperum vita perpendiculo di-ſtat 181.1
Diuitum familiæ cur appetantur à nonnullis 190,40,50
Diuitum aſſeclæ quales 494.20.30
Diuitum ſpecioſa ac beata 560.30 *incommo da* 564.40. *& ſeq. miſeria* 794.1. *& ſeq.*
Diuitum pauor in bello 564.40
Diuitum felicitas in quibus putetur conſiſte-re 794.1
Diuitum impotentum ac languidorum tædia & cruces 794.50
Diuitum cura per noctes 568.20. *& ſeq.*
Diuitum faſtidia in omni temporis ſtatu, ſeu æſtiuo, ſeu hyberno 847.50.60
à Diuitibus ſe amari ſimulare debent mere-trices 754.10
Diuitibus vt ægrè faciant pauperes 795.10
Diuites contra, decretū apud inferos factum

132.40.50
Diuitiæ cur amentur à diuitibus 18.40
Diuitiæ etiam nomina eorum mutãt, quibus obtingunt 34.40
Diuitiæ indignis obtingentes, facilè diffluunt 34.40. & dein
Diuitiæ malum sæpe dominis afferũt 86.50
Diuitiæ etiam vilem nobilitant 100.50
Diuitiæ in quo consistant 506.1
Diuitiæ solitariæ insuaues 613.30
Diuitiæ ex rudentibus pendentes 727.60
Diuitiarum comites 39.10.39.60
Diuitiarum mala 37.40
Diuitiarum effectus 39.1
Diuitiarum fructus 796.1
Diuitiarum eleuatio ac contemptus 555.1. & seq. per totum. & 728.1. & sequen.
Diuitiarũ verus vsus in mediocritate 33.10
Diuitiarũ vtilitas nulla est sine teste 795.1
Diuitiarum parandarum labor 845.40
Diuitijs animus augetur 755.40
Docere fabulam 711.1
Docilitas vt paretur ab historico 293.50
Docti sæpe inopia laborantes 789.40
Doctorum pauperum munera ad diuites 790.60
Doctores in sacra ciuitate 825.40
Doctrina ad quid necessaria sit 289.30
Doctrinæ prætextu vitia nonnunquam maxima patrantur 757.30
Doctus ac sapiens vnde cognoscendus 227.1
Dodonæa fagus 461.50
Dolium Diogenis Sinopensis 276.50. 693.40. 781.60
Dolium pertusum Danaidum 104.50
Doliolum, seruus fugitiuus 784.10
Dolor in medijs non habendus 810.10
Domesticos in suos sæpe senes trasceuntur 375.50
Domino debitum serui reddant 890.50
Domini bonorum nostrorum verè non sumus 19.30
Domos totas exhaurit meretrius amor 495.50
Domus paterna à se vendita precium amicus amico dono affert 496.1
Domos diuitũ vt noctu sine strepitu aperias, & inuisibilis ingrediaris 568.10
Domus spectrorum apparitionibus infamis, vt purgata 654.30. & sequent.
Domus pulchra & bene instructa descriptio 698.10. & dein per totum
Domus ampla ac pulchra an ad orationes habendas commodior 699.20. & 703.1
Domus finis 844.1
Domus non solùm eõmoda et necessaria sed et pulchræ faciendæ 871.10.20
Donarijs dij non indigent 139.20
Donarijs dedicandis aut sacrificijs faciendis nemo excluditur 384.50
Donatio semel liberè facta, non reuocatur 769.50
Dorcas meretrix 754.50
Doris amatorem non habet 81.60
Δουλάρεια 429.50.60
Dracones in exercitum immissi 287.20
Dracones Parthorum 287.10
Draconũ mirũ ingeniũ 388.10. et 390.60
Draco Pellæus 389.50
Draconis caput in speciem quandam humanam effictum 389.40
Draco ipse loqui mira arte simulatus 394.10.20
Draco vetus à minimo quodam serpente ad cœtum aliorum serpentum accersitus 648.20. et sequent.
Dracones Lybici 716.1
Dromo seruus 198.1
Drose meretrix 756.30
Duo maximè à veteribus scriptoribus petenda 676.1
Duæ negationes vnicam efficere affirmationem 560.10
Duos tyrannos vna ciuitas non alit 352.30
Ducis militiæ corporale robur minimi momẽti est præ consilio et prudentia 341.40
Duces tam lingua, quã manu prõpti 658.30
Dyades duæ, quatuor efficiunt 235.10

Brioſa ſaltatio Phrygia 411.40
Ebrietatis et academiæ lis 589.1 et ſequent.
Ebrietatis excuſatio 663.50 et ſequent. et 696.10
Ebrijs deſignata inter pocula, ſilentio tegẽda 799.20.30
Ebrietatis impudentia 818.1.10
Ebrius tragœdias ſcribebat Æſchylus 829.50
Ebrietas perſtricta 839.20
Ebur purpureo oſtro infectum, pulcherrimũ 473.60
Echinus piſcis 174.10 ad marg.
Echo cantui Polyphemi reſpondere deſignata 81.50
Echo nympha, vox ſine corpore et 699.10.20
Echus imitatio 475.60
Echo à Pane carminibus prouocata 588.10
Edeſſa vrbs 811.10
Educationis momentum 881.20. & ſeq.
Egere pluribus, infirmitatis indicium: nullius rei diuinitatis 846.30.40
Egeſtatis mala 844.20
ἐγκαθέιμωθ 432.10
ἐγκυδάκη 430.20
Electos ab ſe graculos philoſophos Romani diuites funditus perire cupiebant 204.10.20
ἐκκὸν vitæ aulicæ 34.40
Electra fratrem noſcens & non noſcẽs 156.50
Electri fabula, ac de cygnis ad Eridanum 666.20.30
Elenchus & Demonſtratio, philoſophiæ comites 165.10
Elenchus amicus veritatis 689.20
Eleuſinia ſacra inferorũ rebus ſimilia 183.50. cur ijs initiari noluerit Demonax 443.40
Elephantorũ terror exercitum hoſtium profligans 266.10
Elephantus in trophæum pictus 266.40
Elephantos ſagitta interficere, proverb. 280.40
Elephanti moleſta muſca 669.60
Eliæa forũ iudiciale Athenienſiũ 457.60
Eloquentiæ commendatio 4.60
Eloquẽtiæ typus, Hercules Gallicus 664.40 & deinde
Eloquentiæ vis 665.50
Eloquẽtia Demoſthenis 828.30. & 832.60
Elyſius campus 311.40
Enimelia ſaltatio 409.10
Empedoclis ambitio 115.30. & 766.10
Empedocles in numero beatorum non eſt 313.40
Empedocles Icaromenippo in luna apparens 575.10
Empuſa quid 408.50
Emungentes mel 302.60
ἐναμάτ|ᾳ, & ὑπαμάτ|ᾳ 853.10
Encomij & hiſtoriæ diſcrimen 278.20
Encomia non omnibus grata 280.10
Encomiaſtæ quæ obſeruent 480.30. & dein. & 493.10
Endromides 431.50
Endymion Lunæ adamatus 63.40 & 299.10 & 439.60
Endymionis exercitus 293.60
Endymionis informam comparatus Alexander 397.20
Enipei amicam Neptunus vitiat 89.40
Enſe ſemper ſuccinctum eſſe, in pace ſuperua caneum eſt 627.10
Epeus equi Troiani fabricator 658.60
Epheſtria feſta 750.50
Epicharmi ſenectus 711.10
Epictetus philoſophus 448.20. & 770.20
Eius lychnus 675.20
Epicureorum dogmata 155.40
Epicurei & Chriſtiani aduerſarij Alexandri Pſeud 393.40
Epicureus quidam penè lapidibus obrutus ab Alexandri Pſeud ſectatoribus 398.30. & 40
Epicurei in deos contumelioſi 581.40
Epicurei cæteris philoſophis inuiſi 800.10. & 40
Epicuri epiſtolæ 214.10 liber. 399.10
Epicurus & Ariſtippus primi inter beatos 312.30
Epicuri encomium 393.40. & 403.10
Epicurum metuebat Alexãder Pſeud. 398.30
Epicurus tranquilitatem ſuadet 399.20 ac voluptatem 359.50
Epigramma maius calatho 829.10
Epimenidis ſomnium 30.30
Epimetheus, Prometheus 7.30. et 40
Epipolarum munitiones 292.30
Epirotæ cuiuſdam cũ Nerone de victoria contentio, et exitus 875.40
Epiſtolæ Saturnales 791.50
Epiſtola quadã tanquã Eridis malum 805.10
Epithalamium pro nuptijs 806.20
Epius pugil 313.50
Equæ Theſſalæ indomitæ 266.10
Equiformicæ 300.20
Equogrues 299.60
Equinultures 300.10
Equitare inſolitipericula 729.20
Equitator Caſtor 466.50
Equites, quarta pars ciuium Athenienſium 628.10
Equorum ſenio affectorum pellis inutilis 203.50

INDEX.

Equi, elephantorũ conſpectu maximè terrentur 266.60
Equi & canes etiam ad inferos trajciuntur 183.30.
Equus tridui curſum perpeſſus, à curſu deſiſtens, expirat 508.50
Equi Threicij 543.50
Equus Achillis loqui introductus 556. 60
Equus per amœnum campum libentius curratur 701.20
Equus ſe volutãs vt optimè pingatur 831.50
Equi inſani ſeſſor, illius arbitrio fertur 848. 10
Eraſiſtrati medici mira prudentia 816.60
Eratoſthenis Cyrenæi ſenectus 711.20
Erechthei filiarum exemplum 836.40
Erichthonius è terra editus 645.30. & 705.30
Erigones canis 839.40
Eridis dea fabula 84.30.807.10
Erinnys 183.50
Errare ex compoſito 216.60
Errones ſtellæ 437.10
Eruditionis cõmendatio 3.60. & dein.
Eruditio prima iuuenũ Athenienſiũ 622.40
Eruditio à recta ratione abducens 898.50
Eruditi ne vileſcant 189.20 & 206.60
Eruditi homines pecuniam negligere debent 195.50
Eruditi apud diuites mercede ſeruientes, miſerandi 210.20
Eruditorum fautores apud inferos mitiùs habent 130.30
Eruditis videri volentibus diuitibus adulandum vt ſit 202.30
Eſca trahendis philoſophis 173.20
Eſus ciborum interdictorum vltiò 769.40
Etæocles Stoici immodeſta epiſtola 804.20
Etnarchus Boſpori rex depoſitus, & alter illius loco ſubſtitutus 709.30
Εὖ πράττειν verbi vſus 213.40
Euagoras Cypriorum rex 488.60
Euangeli cuiuſdã citharœdi ſtulta de ſe perſuaſio 673.50
Eubiotus Boſporanorum rex 509.10
Eubœa à Bœotia reſecta 874.1
Euchenoris fatum 860.1
Euclidis ducis rerũ geſtarũ obliuio 253.40
Eucrates ſenex opulentus 96.40
Eucrates proditor 834.60
Eucritus numularius 799.60
Eudamidas & Aretæus Corinthij & Charixenus Sicyonius, amici inſignes 498. 20 & dein.
Euehi ac promoueri vt poſſis in aula 199.50
Euirati Cybeles matris aſſeclæ 790.10
Εὐλάξεια 430.20
Eumeli Elei citharœdi victoria 674.30
Eumolpus Thrax & barbarus myſterierum Athenienſiũ author 446.40. & 627.60
Eunomus Locrus choragus in Elyſio campo 312.10
Eunuchus an philoſophiæ operam dare debeat 433.10. & dein. per totum
Eunuchorum quàm ſpadonum conditio vilior 434.60
Eunucho an pueri magis committi debeant 435.10
Eunuchus fieri maximè refugiebat Lucianus aſinus 522.20
Eunuchus principatu potitus 708.50
Eunuchus reginæ adamatus 818.10
Eunuchi in mulieres depereuntes ibi.
Euohe, ſignũ in exercitu Bacchi aduerſus Indos 562.30
Eupator rex 402.10
Euphorbus cùm eſſet Pythagoras, auri etiam ſtudioſus erat 563.10
Euphorion poeta 294.40
Euphranor pictor 473 40
Euripidis authoritas 161.10 *ſententia de mulieribus* 464.20 *De Ioue opinio* 551.10
Euripides Archelai paraſitus 606.30
Euripi immiſſo circa Chalcidem 974.10
Eurybatus 387.10
Euricles dæmones 432.20
Euryſthei prouidentia in delendis malis hominibus per Herculem 543.40
Euryti temeritas 162.10
Europæ raptus 91.40. & dein.
Europi cædes 286.50
Euthydicus & Damon Calcidenſes, nobile par amicorum 497.10
Ex Iouis tabulis, prouerb 191.60
Excludendi nonnunquam amatores meretricibus, vt feruentiùs ament 754. 40. & 760.20
Execratio vehementiſſima 856.50
Execti propter voluptatem 458.10
Execti veſtem & ornatum muliebrem vnde recipiant 824.60
Exectionem maximè formidabat Lucianus aſinus 522.40. *Vide caſtrati.*
Exempla mala in remp. non inducenda 158. 60. & 362.10
Exequiarum conſideratio 635.10
Exercitationis puerorũ apud Athenienſes, finis 617.10. & 624.20. & 625.30
Exercitium ad cœnam, cur fiat 256.10
Exercitia firmiora ac certiora ad libertatis tuitionem, quàm olei, ac pulueris 394.30
Exercitus profligati ac fugiẽtis mira hypotypoſis 266.20
Exercitus ingens 299.40
Exercitus Bacchi ridiculus 661. 30 & dei.
Exercitus pulchritudo 869.50
Exilij pœna 714.30. & 40
Exul inopia preſſus, oraculum inſtituit 391. 50
Exulem amicum vſque ad mortem ſecutus alter amicus 496.50
Exui reductus nonagenarius regnare incipiens 709.10
Exulum deſiderium patriæ 714.10
Exitus de homine iudicat 138.30
Exitus ac miſſio ignominioſa philoſophorum mercede conductorum 203.30
Exitus infelices maximorum tyrannorum 140,10
Exordium hiſtoriæ ineptum 40.10. & dein.
Expeditionum vota mirabilia 729.50
Expertis rerum vſu viris conuerſari, vtile eſt 882.20
Expetenda vulgo 786.10
Expiatio hominis ad inferos adituri 128.30
Exploratores falſi prophetæ 396.50
Exprobratio meretriculæ cum amatore 759. 20. *amatoris cum meretrice* 763.20. & *deinde*
Exprobrationes philoſophorum in ſe inuicem 806.40
Exteriora hominis ſæpe ab interioribus multùm diſſident 883.20
Extremarum voluntatum ſtultitia 20.30
Exuſtorum hominum nidor 315.50

Fabarum eſus à belli victoria 314.20
Fabarum eſus à Pythagora interdictus 151. 40. & 557.20 & 563.40
Fabas apud inferos non auerſatur Pythagoras 115.10
Fabulæ de Saturno vt intelligendæ 81.50
Fabulæ Græcorum vt accipiendæ 439. 10
Fabulæ poetarum pro veris habitæ 631,50
Fabulæ poetarum mendaces 64.610
Fabularum omniũ penè origo ſaltatori perno ſcenda 646.60. & dein.
Fabularum vſus 645.50
Fabularum interpretes apud Aſſyrios & Arabas longæui 707.10
Fabuloſa ab hiſtoria abſint 279.40. & 294 60
Fabuloſi omnes ſcriptores perſtringũtur 296 40
Facies muliebris qualis eſſe debeat 473. 10
Facies operis cuiuſque & edificij elegãs & ſplendida eſſe debet 660.30
Facinora in regum aulis 576.10
Facinore innoteſcendi cupiditas 771.40
Facta, infecta eſſe non poſſunt 290.20
Facundiam Galli tribuunt Herculi, nõ Mercurio 665.10
Facundiæ vtilitas 665.60
Fallendi ſtudium 645.10
Falſi prophetæ deſcriptio 386.10. & 20. & dein. per totum
Falſus vates vanitatem ſibi opprobratã mortẽ penè vltus 398.30
Falſitas hiſtorici vindicata 280.40
Falx Saturni 789.60
Fama vt paranda 268.40
Fame mortuus Blepſias 122.10
Fames luctum expellit 635.30
Famis excuſatio 696.60
Famulos ſuos domini & heri vt cõuiuio excipiant 791.40
Fanis non continetur deorum poteſtas 446. 10
Faſtidium parit nimia bonorum continuatio. 883.10
Faſtuoſi ac diuites vt ſubmonendi eorum hypotypoſis 15.50.17.50
Faſtus diuitum vt deprimi poſſit 18. 50
Fatalis neceſſitas an crimina excuſet 125. 10
Fato vel inuiti agimur 112.20
Fati & Parcarum conſideratio 529.20. & dein. & 859.40. & dein.
Febricitantis viſum 652.50
Febres, mortis nuncij ac miniſtri 141.20
Febris Abderitica in ludis tragicis contracta 275.60 *vt leuata* 276.20
Febres pauperibus facilè curantur 565. 20
Febribus medentes ſtatuæ 841.20
Felicitas ſuperbos atq; arrogãtes facit 11.40

INDEX.

Felicitas diuina manca fuiſſet, niſi fuiſſet eius collatione felicior appareret 50.20
Felicitas vt intelligatur. 50.10. eius finis 445.20
Felicitas quæ maxima 221.20.600.50
Felicitas paraſitorum 606.30
Felicitas ſine teſte, iniucunda 796.20
Felicitatis ac proſperitatis moroſitas ac querela 847.50
Felicitatẽ philoſophi alij aliam ſtatuũt 249.10
Felix Stoicus 254.60
Felicis memoriæ mulier 653.30
Felicium inſula ac ciuitas 311.20
Femur aureum Pythagoræ 151.50. & Alexandri Pſeudomantis 397.30
Feneſtræ in cælo per quas Iupiter mortalium vota exaudit 579.40
Feneſtræ domus vt fieri debeant 700.10
Ferè legem naturæ non violant 458.30
Ferè paucioribus quã homines egent 626.10
Feris conuerſans homo & imperãs 656.10
Ferendum ac boni conſulendum quod adeſt. 120.30
Ferri vſus præſtantior quàm auri 139 30
Ferrum in vrbe geſtare non licebat Atheniis. 628.20
Feſtos dies rarò agunt artifices 603.20
Feſtis publicis magis ringuntur pauperes 789.40
Feſtorum Saturnalium leges 190.10
Feſtum maximũ in vere, quod pyra aut fax appelletur 824.40
Ficulnei ſenſus 673.20
Ficulneis truncis viridibus conſtructa pyra igneperire volentibus conſtruenda, vt fumo præfocentur 794.50
Ficus, ficus nominandi ſunt ab hiſtorico &c. 291.10
Fidei Chriſtianæ fundamenta 859.20
Figmenta imperiti vulgi 776.10
Figulina vbi exerceri nequeat 717.20
Fila Parcarum 140.60
Filiam ſuam elocandã amicus moriens amico ſuperſtiti legat 498.20. & 499.20
Filiam in meretricia arte mater inſtituens 751.10
Filiarum tenellarum educatio 830.26
Filius tyranni, etiam ipſe metuẽdus 126.30
Filius tyranno ſuſpectus 344.30
Filius formoſiſſimus ex matre turpiſſima 499.50
Filius paterna crudelitatis adminiſter 709.10
Filius patrem ſenem præfocans 767.40
Filius ex patre, in iuramentũ adhibitus 860.60
Filij cædes, patri acerbiſſima 326.50
Filij mortem inconſolabiliter lugens, vt conſolatus 445.50
Filij periculo perculſus pater ſimulationem deponit 705.50
Filio pater obſequens 322.40
Filiorum gratia an fœnerandum 222.60
Filiorum oſores tyranni 343.60
Filiorum quanta cura ſit patribus 712.40
Filiorũ educationis difficultas 1780.40.50
Filiorum mala quàm parentibus grauia ſint 880.40.50
Filijs viaticum ad diſcendum patres dent. 369.40
Filios ſuos inuicem ſibi exprobrant Iuno & Latona 67.20. & dein.
Filios ſuos dæmonijs immolantes 825.60
Finis hominis de illo iudicat 376.60
Fines & principia philoſophiæ varia 604.50
Finiũ inſana cõtentio 141.60. & 574.40
Finitimorũ inimicitiæ & odia 883.40.50
Flagitia vbi maximè regnent 322.60
Flagitijs ſupplicium debetur 379.60
Flagris pueros immerentes cædi, inhumanũ, & inutile 631.10
Flamma ſupplicium quibus debeatur 771.20
Flatus idem & ignem accendit, & lychnũ extinguit 628.60
Flumen vino fluens 297.50. & 311.30. & 792.10
Flumina lactis. 311.30. & mellis 792.20
Flumina ſurſum incedentia 206.30
Fluuius ex optimo vnguento 311.10
Fluuij cæno, ſanguine, & igne decurrentes 316.10
Fluuij infernales 632.10
Fœminæ ac viri diuerſa delineatio 365.10
Fœminæ communes omnibus 313.10
Fœminæ viris loquaciores 642.50
Fœminarum corpora flaccida &c. 375.20
Fœminarum amor 642.40
Fœminarum flagitia 882.10
Fœmininum genus etiam ſaxeum amatur 457.20
Fœmineæ fraus 495.20
Fœneratorum gemitus apud inferos 182.20
Fœnus primum, & fœnus ſecundũ 157.20
Fœnora etiam exercent philoſophi 150.10
Fœtor eos ſepelit quos inſepultos homines relinquunt 449.30
Fons riſus, & voluptatis 312.10
Fontes mellis & vnguenti 311.30
Fontes tres Satyro Pani & Sileno ſacri 663 30
Foraminoſo cophino haurire, prouerb. 33.50
Foris admotis an leuetur morbus 647.10
Forma nihil apud manes prodeſt 94.10.183.40
Forma bonum fragile 113.20
Formæ deorum variæ 148.30
Forma nomine vt aduletur diuitibus 202.40
Formæ cura nunquam deponitur 871.50
Formica Indica 562.20.793.30
Formicarum ſtudium ac reſp. 577.30
Formica camelus, prouerb. 791.60
Formoſæ magis audire cupiebant deæ, quàm quiduis aliud 867.40
Formoſi ferè ſolicitantur 77.40
Formoſi Socratis 312.20
Formoſi non plus cordatis laudandi 459.10
Formoſi pueri & adoleſcentes celebres 733.10.871.40
Formoſi amatores non tam multa dant meretricibus. quàm deformes 752.30
Formoſi ſtatim amantur 871.50.60
Vide pulchritudo & pulcher.
Fortes vt amentur 871.40
Fortitudinis cauſa Hercules deus putatus 866.10
Fortuna, fatum & Parcæ, an idem ſint 529.50
Fortuna quos effert 478.40
Fortunæ fauore deſtitutum nemo agnoſcit 30.20
Fortunæ caſus varij 580.40
Fortunæ ac fati vis 208.60.841.30
Fortunæ blandienti nõ cedere, magnorum virorum eſſe 17.30
Fortunati vt ne inuidioſi ſint 478.30
Forum iudiciale cur fugerit Lucianus 168.20. & 30
Forum iudiciariũ ab Academicis ſublatum 313 40
Fori & iudicij conſtitutio vt fieret 588.10
Fori iudiciary incõmoda 879.60. & dein.
Fora & iudicia ſycophantis & rabulis forẽſibus plena 610.60
Foſſio Iſthmi 872.60. & dein.
Fratrũ inſidijs frater rex ſublatus 709.10
Fratres inter ſeſe, Chriſtiani 768.50
Fratrum alternans mors 79.60
Fraus mira 483.30
Frictionis ex pſora voluptas 596.50
Frigidæ leges Platonis 579.40
Frigiditas Caſpias niues ſuperans, & glacie gallicam 283.20
Frigus antelucanum 555.40
Frigus hyemale, Abderiticæ febris remediũ 276.10
Frons hominis mendax 883.10
Frugalitatis commendatio 20.20.841.50
Fruticum genera pro fructu pulchritudinem habentia 454.20
Fucus mulierum 464.60
Fucum vt rhetor populo faciat 640.30.40 & 641.30.40
Fugitiuorum reprehenſorum pœna 784.30
Fulgur ex pelui 332.30
Fullonia ars 783.20
Fulmen Iouis cur innoxios feriat frequentius, noxijs parcens 533.20
Fulminificum vas 862.30
Fumo ex igne quã multa imputãda 447.10
Fumo ſacrificiorum maximè delectantur dij 580.30
Fumus patriæ quàm gratus 714.30
Fumo præfocari, duriſſima mors 772.10
Funebres cerimoniæ 633.10. earum irriſio 20.30. & 143.20
Funebris orator ſe ipſum ad tumulum iugulans 286.10
Funiculus nimis tendendo rumpitur 748.10
Furacitas Mercurij 175.60.439.30
Furentem ſimulans, ipſe verè furere incipit 420.30
Furiæ in theatris, malis gaudent 862.20
Furor ac mania ſe caſtrãdi vnde manet 825 10
Furor poetarum 129.50.827.30.40
Furorem vt ſimulare poſſis 389.40
Fures in portu obuerſantes 510.40
Furtum in nuptijs pudendum 810.10
Furti excuſatio per famem 696.50
Furti vindicta 651.20
Fuſi Parcarum 140.60
Futura, hiſtoriæ mandantes 787.50
Futura ſupplicia apud inferos negat 534.10

INDEX.

Futurorum cognitio quibus maximè neceſſaria 388.30
Futurorũ cognitio ſæpe moleſta ſit 179.30
Futurorum prædictores 718.40
Futurorum vaticinatio difficillima 718.60

Alatarum robur 265. 30 *cades* 265.30
Galatea Polyphemi amaſia 309 30. *Eius templum* 81.10
Galeæ è fabarũ ſpoliis 300.10
Galilæus 859.10
Gallina ex Phaſide 728.10
Gallinaceus gallus vbi pro deo colitur 316.50
Gallus quidam philoſophus academicus eunuchus 434.40
Gallus ab Othryade cæſus 394.30
Gallus humana voce ſonans 555.60
Gallus Mercurij aſſeſſor 556.10.567.60
Gallus adoleſcens in auem cõuerſus 556.40
Gallus aliquando ouа pariens 563.40
Gallus ſæpius fuit Pythagoras 564.20
Gallus Numidicus 727.30
Gallus vnus ſedecim deis appoſitus 541.20
Galli cantus importunus nonnunquã 555.20
in Galli cauda mira vis magica 555.40
Galli cur Solem cantu anteuertant 556.60
Galli cui caſtrarentur, Iunoni ne, an Rheæ. 815.20
Galli Cybeles in mulieres depereũtes 818.30
Galli quibus diebus fiant 824.60
Gallorum gallinaceorum pugna 629.40
Gallorum ſepultura 822.50
Ganeones perſtringit 845.30
Ganymedes 72.20.570.60.578.20. 840. 40.866.20
Garamantum vita ac venatio 715.30
Gaſtrocnemia quæ ſit 302.30
Gatis Syrorum regina 811.20
Gelonis vxoris prudentiſſimum reſponſum 234.30
Gemmarum variarum ornatus 821. 50.*&* 60
Genæ muliebres quales eſſe debeant 473.10
Generationis conſeruatio vt fiat 457.40
Genicularium luctamen 515.40
Gentium error in dijs colendis 548.50
Gentium vitia & proprietates 576.40
Gentilium deorum vanitas confutata 837. 40.50.*&* *deinceps.*
Genus ementitum, creditum tamẽ etiam ab ijs qui parentes noſſent eius qui mentiretur 389.20
Genus vitæ quod ceperis, perſequere 877.20
Geometria admiranda 253.50
Geometrarum authoritas 874.30
Γηράλεα 430.30
Geryon tricorpor vt intelligatur 513.20
Geryonis oſſa Thebani pro miraculo oſtendũt 675.30
Geſtari hominem validum ac ſanum ab hominibus aut iumentis, Cynicus indignatur 847.40
Glacies Gallica 283.20
in Glacie maris manſio effoſa 309.10
Glaciatum pelagus altè ad paſſus trecentos 309.10
Gladiatorum paria vt ſortiantur 237.40
Gladiatorum ſpectaculum 511.10
Gladius tyranno non deeſt 347.60
Glandes cubitales mirabiles 302.40
Glauci laus apud Homerum 486.20
Gloriæ cupiditatis inſania 886.10.114. 20. 131.60.775.30
Gloriæ dulcedo 110.10.124.10.339.50.629. 30.759.10
Gloriæ parandæ ratio 260.30.267.50.617. 10
Glycon deus 391.50.397.10.398.10
Glycera meretrix 745.20
Gnidij cuiuſdam architecti aſtutia 295.30
Goëſi regis Characeni ſenectus 709.40
Gorgiæ ſophiſtæ ſenectus 710.50
Gorgona meretrix 746.20
Gorgonum fabula 69.60.90.20.471.10. 476.10.652.10.703.40.858.10
Goſethræ fratris fraudibus ſublatus Artaxerxes Perſarum rex 709.10
Graculus Æſopicus 689.60
Gradus amoris 469.40
Græcanicus ornatus 271.50
Græcarum aliquot vocum ſolœciſmi 849. 40.50.*&* *dein.*
Græci philoſophi Romæ ſerui 197. 30.*cur in tantum contemptum venerint* 204.10
Græci vt opera ſua in lucem ac cõmendationem produxerint 260.30
Græci à quo aſtrologiam didicerint 137.60
Græci melius de amicitia loquuntur, quàm eam re præſtant 492.60.*&* *dein.*
Græci faſtuloſi 645.50
Græci philoſophiã principiò nec omnino excludebant, nec admodum complectebantur 779.20
Græci pauci rectè philoſophati 782.30
Græcorum amicitiæ eleuatæ 503.10
Græcorum pax *ibid.*
Græcorum oratorum proditio 835.10
Græcorum inter ſe conſenſio 969.20
Græcorum ardor in bello Troiano 869.30
Græculorum eleuatio 194.40.203.60.
Græculorum Romæ ſeruientium precium vnde fuerit 197.60.*&* *dein.*
Græciæ paruitas 577.10
Græcia tanquam in tutelam Neroni commiſſa 874.10
Græcia commercium commodiſſimum, ac munimentum fortiſſimum 874.10
Grammatica pocula 425.20
Grammatici cuiuſdam importunitas 807. 40.*irriſio.* 803.10
Grammatici aduertant 848.60
Grana cucurbitarum pro lapidibus 317,50
Grando vnde ad nos deſiuat 303.10
Gratia & Venus pulcherrimæ, Vulcani vxores 66.30
Gratitudinis primæ partes 330.50
Gratitudo diſcipuli erga præceptorem 710. 10
Graueolentia à cadauere humano toſto 778. 10
Grauidas ſe ſimulantes meretrices 495.30
Grauida meretrix ab amatore deſeri graviter fert 745.60.*&* *dein.*
Gruum ſaltatio 411.40
Gryps alata fera 733.20
Gubernaculum æreum vnius ſtadij 307.40
Gubernator inſignis 722.60
Gubernatoris cuiuſdam pia religio 402.10
Gubernatoris exemplo deum eſſe probat qui mundum regat 552.40.50.*&* *dein.*
Gubernatorum in naui authoritas 135.20.*labores* 876.60
Gula ac voracitas philoſophorum 42.10
Gula in ſeruitutem alliciens 197.50
Gula, aſſueta flagitat 303.50
Gulæ inſatiabilitas 845.30
Guloſorum irriſio 21.10
Gyarus vna ex Cycladibus, exilij locus 496 60
Gygis annulus 592.10
Gylippus 290.30
Gymnaſiorum vtilitas 417.50
Gymnaſiorum Græciæ conſideratio 615.30. 40
Gymnoſophiſtæ ſponte ſe in ignem conijciunt 779.10

Habendi cupido quã cæca. 886. 20
Habitú ne æſtimandi philoſophi 226.30
Habitus & diſpoſitiones philoſophorum ridet 257.30
Habitus peregrini inſolẽtia ludibrio eſt 271. 40
Habitus pudor quoſdam à vitijs cohibet 586 20
Habitus virum non facit 677.40
Habitus ſanctii prætextũ 780.30.*&* 781. 20
Habitus cum inſtituto conueniat 847.30
Hæredibus comparcens, ipſe fame mortuus 121.50.*&* 60
Hæredipetæ taxantur 40. 60.96.40.898. 40
Hamus Parrhiſiadæ placẽta & auro ineſcatus 173.20
Hamus & eſca aulicorum 188 40
Hannibalis contentio cum Alexandro magno & Scipione 105.10.*&* *dein.*
Harmonia ſiderum 406.10
Harmonides tibicẽ Timothei diſcipulus 267 30.*&* 40.*ac* 268.60
Haſta graui exercenda iuuentus 627.30
Hebdomas appellatus quidam 692.40
Hebræorum aut Phœnicum voces incognitæ 390.10
Hebrus fluuius 782.50
Hecates cœna 93.10.*&* 40
Hecates deſcriptio 651.50
Hector caduer ſuũ ſepcliri volebat 609.30
Hector pro deo cultus 841.20
Hedera amoris ſtudioſa 454.30
Helena nihilo Venere inferior 74.60. *Eius forma ac genus* 74.10.
Helena à Theſeo rapta nondũ nubilis 74.30
Helena Menelao adiudicata 74.30.*à Cinyro rapta* 314.30, *qualis fuerit* 562.40
Helenes thalamus 701.10
Helenæ pulchritudinis mirum encomiũ 866 10.868.50.*&* *dein.*
Helenæ de nuptijs conſultatio Græcorũ 869. 10
Helena, Troiani belli origo 113.20.30.881.10
Helicon 632.10
Hellanici Lesbij ſenectus 710.30
Helle ab ariete in mare delapſa 87.10 *Vnde Helleſpontus dictus ibi.*

Hemitheon

INDEX.

Hemitheon Sybarita cinedus 677.40
Hephæstion in ſalutandi formula apud Alexandrum peccans 215.10
Hephæstion ab Alexandro deificatus 684.40
Heptaphonos porticus 776.10
Heraclens lapis ferrum ad ſe trahens 471.30
Heraclitici 154.20
Herba quibus crudis veſcãtur homines 517.40
Herçules trinoctialis 6.20
Hercules Iouis & Alcmenæ filius 62.50
Herculis labores 65.10. opprobria ibi.20. diuinitas 111.30.40.& 221.40
Herculea audacia 253.10
Hercules Omphalæ ſeruiens 280.10
Herculis tragici fœdum 410.30
Herculis fortitudo in delendis peſſimis hominibus 543.50.866.10
Herculis arcum Philoctetes ſolus tendebat 672.60
Herculis conſilium in concione deorum 547.40.50
Herculis Gallici deſcriptio 664.20. & dein.
Hercules cur in ignem ſe coniecerit 772.10
Herculea vita, herculea etiam morte laudenda 774.10
Herculis cœnandi modus 801.40.50
Herculis Tyrij templum 812.20
Hercules Deus aſſcriptitius 839.40. & 840.20
Hercules nudus incedens, miſer nõ erat 846.40
Herculis encomium 864.60.& 866.10
Hercules inferos expugnans 889.20.30
Hermaphroditus cuius filius 66.60
Hermaphroditus Cupido & Priapus fratres 77.10
Hermaphroditus vtroq; ſexu præditus 750.40
Hermaphroditorum generatio 862.30
Hermeas eunuchus, tyrannus admirandus 435.10
Hermes Agoræus 547.60
Herminus Ariſtotelicus de Categorijs irriſus 448.30.40
Hermocles Rhodius ſtatuarius 81.40
Hermon philoſophus Epicureus 800.20
Hermotimi Clazomenij mirum 670.10
Hermotimus Stoicæ philoſophiæ ſectator 217.10.20 & dein.
Herodizes paleſtrites 289.10
Herodoti commendatio 259.60. & dein. Vt Græcis innotuerit ibid.
Herodoti libri Muſæ inſcripti 291.20
Herodotus mendax 316.20.645 10
Heron gubernator peritiſsimus 723.40
Heros quid ſit 95.30
Heroë podagrici 739.60
Heroes in numerũ deorum recepti 866.10
Heroides præſtantiſsimæ 481.40
Heſiodus poeta Homerum vincens 313, 50. 409.40.637.10.718.10.20.& dein. Eius ſepulchri mirum 776.10
Heſiodus paſtor 787.30. Eius laurus 819.20
Hiatus exigui mira capacitas 816.10
Hiera vrbs, ſeu Hierapolis 811.10
Hieroglyphica Ægyptiorum 239.30.859.30
Hieromeniæ feſtum 579.50
Hieronymi hiſtorici ſenectus 710.20
Hieronis Syracuſanorum tyranni ſenectus 708.10
Hilaris ac gaudens vita, optima 133.10
Himeræus poeta 484.10
Himeræus proditor 834.10
Hinnulus leonem, prouerb. 99.20
Hiperidis ignauia 607.50
Hipparchus Theſſalus Luciani hoſpes 513.20
Hippias Elens vt innotuerit 259.50
Hippiæ balneum 657.60 & dein.
Hippiæ laus 659.10 & dein.
Ἱπνολέβης quid 431.30
Hipponcentauri fœminæ mira pictura 263.50
Hippocratis ſtatua noctu oberrans 651.40
Hippodamiæ Oenomai filiæ mira pulchritudo, proeaq; deorum zelus 870.30
Hippegyppi homines 2986.0
Hippolyta aduerſus Athenienſes 627.60
Hippolytum Phædra an criminata ſit 818.60
Hippotyphia quid ſit 292.10
Hiſtoria quomodo ſcribẽda 275.40.50.dein. 278.10.288.50.
Hiſtoriam ſcribere, non cuiuſuis eſſe 277.20
Hiſtoriæ propria 278.10
Hiſtoriæ finis, vtilitas 279.10
Hiſtoriæ vitioſæ exemplum 281.10
Hiſtoria ſcribẽdæ præcepta cui danda 289.10
Hiſtoriæ corpus vt delineandum 292.20
Hiſtoriam priſcarum rerum ſaltator norit 408.10
Hiſtoricorum ingens prouentus 276.30
Hiſtoricus pictori ſimilis 293.10
Hiſtoricus non debet quærere quid dicat, ſed quomodo 293.20
Hiſtorici laus perfecta 293.40.50
Hiſtoricus futurum etiam ævũ reſpicere debet. 290.30.295.20
Hiſtoricorum vanorum punitio 316.10
Hiſtorici poſt oratores legendi 429.10
Hiſtorici mendaces 645.10
Hiſtorici longæui 710.20
Hiſtriones inepti 14.60
Hiſtriones perſonas varias induunt 131.40
Hiſtrionis tragici fœditas 410.20
Hiſtrionum tragicorum ridicula quæ latent 567.30
Hiſtriones tragœdiarũ viles homunculi 581.10.734.20
Hiſtrionicam vitam perſtringit 693.10.20
Hiſtriones à Nerone occiſi 875.50
Homerus pater fabularum 14.50.60
Homerus patriæ ſuæ nuſquã meminit 281.30
Homerus de patria & de verſibus ſuis rogatus reſpondet 313.20
Homerus cur ab ira fecerit initium poematis 313.30
Homerus an cæcus fuerit 313.20.583.10
Homerus Luciano epigramma duorum verſuum condit 315.40
Homerus optimus pictor 473.50.60
Homerus, camelus erat in Bactris tempore Troiani belli 562.40
Homerus ampulloſus 787.20. mẽdax 645.10
Homerus Meleſigenes priùs dictus 828.30
Homerus deorum & hominum exornator 869.50
Homeri authoritas 160.50 & dein.
Homeri deſcriptiones ambitioſæ non ſunt 294.40
Homeri verſus in beatorum conuiuio canuntur 311.50
Homeri laus 486.20
Homeri hiperbolæ in laudibus heminũ 488.20
Homeri authoritas ad probandam deorũ prouidentiam 549.50
Homeri poeſis inter præcipuos codices 673.20
Homeri ſtatua 817.20
Homeri & Demoſthenis collatio 827.60
Homeri indecora quædam & inepta 828.20
Homeri patria ignoratur 828.40
Homeri de Parcis & fato teſtimonium 858.30
Homero cur à nonnullis fides habeatur 291.10
in Homero quid laudandum ſit 830.20
Homeromaſtix 488.10.719.20
Homerica carmina Charõ vnde calleat 137.20.30
Homo bicolor 8.50
Homo mundi cultor 50.50. Lulla 142.20 ſocietatis amãs 460.20. dei ſimulacrũ 489 10. ex nihilo factus 860.30
Homo vt in ſublime volet 571.10
Homo volans, & ſuper aquas ambulãs 648 50
Hominis formatio neceſſaria erat 49.50.60
Eius forma excellentiſsima 51.40
Hominis in opificio quid reprehẽderit Momus 227.20
Hominis vita longiſsima centum annos non excedens 242.20
Hominis tricipitis mira abſurditas 253. 10
Hominis vafri ad fallendum deſcriptio 386.50
Hominis eſt peccare, dei verò corrigere 442.50
hominis figuram cuilibet rei indens magus, et eo miniſtro vtens 656.10
Hominis nefarii occurſus primo manè, infauſtus & ominoſus 692.50
Hominis triſtis & cogitabundi mira deſcriptio 855.50.& 60
Hominem tribus duntaxat temporibus licet citra iudicium impune occidere 357.30
Homines ac ciuitates formicis cõparatæ 577 30.40
Homines ad deorum conuiuia admiſſi 148.20
Homines apum examini ſimiles 140.40
Homines arborei 302.30
Homines arborum foliis ſimiles 142.30
Homines aurei 792.20.30
Homines beati, perrari 890.40

Homines

INDEX.

Homines dimidij ſtadij ſtatura 707.20
Homines dijs cõparati in laudando 486.20
Homines dij facti nulli ſunt niſi propter pulchritudinem 866.10
Homines ex duobus compoſiti, animo & corpore 112.10
Homines ex ſerpentinis dentibus nati 645.30
Homines in Attica olerum more ex terra emerſi 645.30
Homines inſignis improbitatis 387.10
Homines ipſi & nauta & naues 320.10
Homines, omnis deorum gloria 542.10
Homines ſacrati ſeſe in feſtis vulnerantes & verberantes 824.40
Homines ſe eſſe obliti, malè pereant 140.30
Homines ſtupidi & craſſi magis mouentur eraculis 389.10.20
Homines ſubereis pedibus ſuper mare decurrentes 309.40
Hominum ætates inter ſe collata, plurimum differunt 45.20
Hominum amore etiam dea capta 867.10
Hominum appellatio, præ Cynicis 848.40
Hominum exuſtorum nidor 315.50
Hominum feliciſſimi 879.1
Hominum leuium ſtoliditas 390.40
Hominum mores haud facilè cognoſci 599.30
Hominum natura familiare, calumniæ errore labi 686.30
Hominum primorum vita 462.40
Hominum res omnes & omnia conſilia in cælo ſcribi, & Deo nota eſſe 860.30
Hominum vanitas proponitur ac irridetur 133.60
Hominum vita pompæ cuidam ſimilis 131.10
Hominibus tanquam iumentis abutentes diuites 846.10
Homicidæ relegatio 496.30
Homicidij horror 401.50.358.10
Honeſtas etiam hoſti amabilis 834.10
Honeſtum melius eſt quàm quod ſit neceſſario 462.20
Honor parentibus deferendus 711.50
Honorem contemnere, magni animi eſt 482.10
Horæ cæli oſtiariæ 147.60.548.20
Horarum indicia per aquam, & ſonitum, & ſolem 660.50
Hormum ſaltare, quid 407.30
Hoſpitalitas deſcripta 271.60. & dein.
Hoſpitalitatis mirum exemplum 305.40.50.380.50.513.30.40
Hoſpitum admiratio in alienis vrbibus 274.10
Hoſpitum receptores in ſacra ciuitate 825.50
Hoſtem operibus & copijs inuans, perinde eſt ac ſi ipſe patriam oppugnet 350.30
Hoſtem quatenus licet occidere 357.50
Humana vita, miſerrima 567.30
Humana omnia ridicula & inſtabilia 571.30.889.10
Humanitatis allectio 4.10.20
Humanorum corporum toſtorum ingratus nidor Ioui 777.60. & dein.
Humeri Herculis 887.10
Humor igni nutrimentum ſuppeditat 715.50
Hyacinthus Socrati adamatus 312.20
Hyacynthi amore captus Apollo 867.10
Hyacinthus formoſus 871.60
Hydamardia ciuitas 320.20
Hydra Lernæa 543.50.628.50
Hyemis inamœnitas 748.40.789.30
Hyemis frigore febris Abderitica leuata 276.10
Hymnis meretrix 716.20.762.30
Hymnorum nocturnorum decantatio 862.50
Hypata Theſſaliæ urbs 513.10
Hyperides aſſentator vulgi 834.10
Hyperæ quæ ſint 96.10. ad marg.
Hyperbolæ encomiaſtarum 280.20.30
Hyperboreorum ruditas 689.10
Hypocriſis Stoicorum 592.10
Hypocritarum graphica deſcriptio 781.30.40. & ante & poſt
Hyporhemata quæ dicerentur 408.10
Hyppicratis Amiſeni hiſtorici ſenectus 710.40
Hyſpaſinis regis ſenectus 709.20

Iacobi Micylli fides in Luciano vertendo 873.10
Iactantia militaris 355.60. & dein.
Iactantia crudelitatis puellis teneris ingrata 762.20.30. & dein.
Iactantiæ ſtultus exitus 763.10
Iaculæ ſerpentes 715.60
Iaculationis exercitatio 625.40
Ialemo frigidior, prouerb. 695.10
Iambi mordaces 688.20
Iambulus hiſtoricus mendax 296.50
Iani ac Vertumni capita 887.10
Ianua aureæ ædis ſacræ 821.20
Icari filia dea 478.10.839.40
Icari lapſus 571.10.734.30
Icarium pelagus 856.30
Icaromenippus vt in cælum ſublatus, & è cælo in terram reductus 573.50
Iccus paleſtrites 289.10
Ida montis tumultus 64.30
Ideæ Socratica 155.30.573.10.650.10
Idiota, vulgi multitudo 133.10. eorum vita optima 631.40
Idiotæ philoſophis compoſitiores & modeſtiores 806.60. & dein.
Idomeneus Agamemnonis paraſitus 608.50
Ieiunium decem dierum 862.50
Ignis, Bacchi arma paterna 662.20
Ignis hominibus neceſſarius 52.20
Ignis ſacrilegorum & parricidarum ſupplicium 771.60
Ignis amatorij vis 514.40. & dein. 515.10
Igni homo ſe vltro conſecrans gloriæ cupiditate 765.30
Ignem è manibus abijcere, prouerb. 32.10
Igne mori, quidam glorioſum putabat 766.50
Igne perire volens ſpectante populo 768.50.60
Igne mors allata, citiſſima 771.10. & 772.20
Ignorantia infimæ turbæ permiſta 140.60
Ignorantia & error, quibus animi hominum excæcantur 142.50.60
Ignorantia quando culpanda vel non 349.50.60.350.60. & dein.
Ignorantia, pernicioſa res 680.10. & dein.
Ignorantiam ſuam in morte teſtantes 20.30
Ilienſis tragœdos conducens, prouerb. 173.30.693.40
Illecebræ meretriciæ 751.50.60
Illecebris omnibus peccatorum reſiſtere difficile 17.30
Illuſtrium virorum conuictus quatenus appetendus 191.40.50
Illuſtres in populo ſuo, ferè omnibus noti 271.40
Imago amaſiæ amatori amplexata 495.40
Imago perfecta ex diuerſis conflata 472.40.50. & dein.
Imago vndequaque te velut intuens 821.50
Imaginis imago reſeruata 263.50
Imagines defunctorum & vmbræ 111.50
Imagines deorum ridiculæ 148.30
Imagines magicæ 361.50
Imagines ac picturæ deum referẽtes 369.10
Imagines admirandorum virorum 776.20
Imaginum exprimendarum finis 478.20
Imaginum quarundam ac ſtatuarum mira 650.50.60
Imitandi hiſtoricis qui ſint 292.20
Immortalitas Chironi faſtidioſa 119.40
Immortalitas animarum 836.50
Immortalitas deorum an in felicitate ponenda 531.10.20
Immortalitatis ſpes, mortis contemptum generat 768.50
Immunditia contrahitur à conſpectu cadaueris mortui 826.10
Imperatores longæui 707.50
Imperatoris dies teſtamento relicti 862.60
Imperium vt tuearis 448.10 vt quã optimè adminiſtres 377.60
Imperij & potentiæ votum 728.40
Imperia etiam vilibus & contemptis hominibus contingunt 869.30
Imperia tyrannorum quàm miſera 885.40
Imperitia audaces facit 11.40
Impiorum irruptio in inſulam beatorum, & eorum duces 313.50
Importunæ philoſophorum propoſitiones in conuiuijs 808.20
Impoſſibilia animo concipientes, aliò traducendi 252.20.30
Impoſtorum etiam ac latronum vita deſcripta 386.30
Impoſturæ delubrum 316.60
Imprecatio feſtiua 405.30
Imprecationes pauperum aduerſus diuites ſibi nullam æquam conuiuiorum ſocietatem facientes 793.20.796.40
Improbitas impunita eſſe non debet 339.10
Imprudentia, culpa temeritatis non vacat 350.60
Impudicarum mulierum ſimulatio 881.60
Impudentem rhetorem inſtituit 640.30.40
Impudentia Cynicorum 152.60
Impudentia pro clypeo 641.10
Impudẽtia parta, prodigẽda nõ eſſe 696.60

Imputator

INDEX.

Hemitheon Sybarita cinedus 677.40
Hephæstion in salutandi formula apud Alexandrum peccans 215.10
Hephæstion ab Alexandro deificatus 684. 40
Heptaphonos porticus 776.10
Heraclens lapis ferrum ad se trahens 471. 30
Heraclitici 154.20
Herbæ quibus crudis vescãtur homines 517. 40.
Hercules trinoctialis 6.20
Hercules Iouis & Alcmenæ filius 62.50
Herculis labores 63.10. opprobria ibi.20. diuinitas 111.30.40.& 221.40
Herculea audacia 253.10
Hercules Omphalæ seruiens 280.10
Herculis tragici fœdum 410.30
Herculis fortitudo in delendis pessimis hominibus 543.50.866.10
Herculis aream Philoctetes solus tendebat 672.60
Herculis consilium in concione deorum 547. 40.50
Herculis Gallici descriptio 664.20. & dein.
Hercules cur in ignem se coniecerit 772.10
Herculea vita, herculea etiam morte laudenda 774.10
Herculis cœnandi modus 801.40.50
Herculis Tyrij templum 812.20
Hercules Deus assciptitius 839.40. & 840.20
Hercules nudus incedens, miser nõ erat 846. 40
Herculis encomium 864.60.& 866.10
Hercules inferos expugnans 889.20.30
Hermaphroditus cuius filius 66.60
Hermaphroditus Cupido & Priapus fratres 77.10
Hermaphroditus vtroq; sexu praditus 750. 40
Hermaphroditorum generatio 862.30
Hermeas eunuchus, tyrannus admirandus 435.10
Hermes Agoræus 547.60
Herminus Aristotelicus de Categorijs irrisus 448.30.40
Hermocles Rhodius statuarius 81.40
Hermon philosophus Epicureus 800.20
Hermotimi Clazomenij mirum 670.10
Hermotimus Stoicæ philosophiæ sectator 217. 10.20 & dein.
Herodizes palæstrites 289.10
Herodoti commendatio 259. 60. & dein. Vt Græcis innotuerit ibid.
Herodoti libri Musæ inscripti 291.20
Herodotus mendax 316.20.645 10
Heron gubernator peritissimus 723.40
Heros quid sit 95.30
Heroës podagrici 739.60
Heroes in numerũ deorum recepti 866.10
Heroides præstantissimæ 481.40
Hesiodus poeta Homerum vincens 313. 50. 409.40.637.10.718.10.20.& dein. Eius sepulchri mirum 776.10
Hesiodus pastor 787.30. Eius laurus 829.20
Hiatus exigui mira capacitas 816.10
Hiera vrbs, seu Hierapolis 811.10
Hieroglyphica Aegyptiorum 239.30.859. 30
Hieromeniæ festum 579.50
Hieronymi historici senectus 710.20
Hieronis Syracusanorum tyranni senectus 708.10
Hilaris ac gaudens vita, optima 133.10
Himeræus poeta 484.10
Himeræus proditor 834.10
Hinnulus leonem, prouerb. 99.20
Hiperidis ignauia 607.50
Hipparchus Thessalus Luciani hospes 513. 20
Hippias Eleus vt innotuerit 259.50
Hippiæ balneum 657.60 & dein.
Hippiæ laus 659.10 & dein.
Ἱππολύϐης quid 431.30
Hipponcentauri fœmina mira pictura 263. 50
Hippocratis statua noctu oberrans 651.40
Hippodamiæ Oenomai filiæ mira pulchritudo, procaq; deorum zelus 870.30
Hippegyppi homines 2986.0
Hippolyta aduersus Athenienses 627.60
Hippolytum Phædra an criminata sit 818. 60
Hippotyphia quid sit 292.10
Historia quomodo scribẽda 275. 40.50. dein. 278.10.288.50.
Historiam scribere, non cuiusuis esse 277.20
Historiæ propria 278.10
Historiæ finis, vtilitas 279.10
Historiæ vitiosæ exemplum 281.10
Historiæ scribẽdæ præcepta cui danda 289. 10
Historiæ corpus vt delineandum 292.20
Historiam priscarum rerum saltator norit 408.10
Historicorum ingens proeuentus 276.30
Historicus pictori similis 293.10
Historicus non debet quærere quid dicat, sed quomodo 293.20
Historici laus perfecta 293.40.50
Historicus futurum etiam ætũ respicere debet. 290.30.295.20
Historicorum vanorum punitio 316.10
Historici post oratores legendi 429.10
Historici mendaces 645.10
Historici longæui 710.20
Histriones inepti 14.60
Histriones personas varias induunt 131.40
Histrionis tragici fœditas 410.20
Histrionum tragicorum ridicula quæ latent 567.30
Histriones tragœdiarũ viles homunculi 581. 10.734.20
Histrionicam vitam perstringit 693.10. 20
Histriones à Nerone occisi 875.50
Homerus pater fabularum 14.50.60
Homerus patriæ suæ nusquã meminit 281.30
Homerus de patria & de versibus suis rogatus respondet 313.20
Homerus cur ab ira fecerit initium poematis 313.30
Homerus an cæcus fuerit 313.20.583.10
Homerus Luciano epigramma duorum versuum condit 315.40
Homerus optimus pictor 473.50.60
Homerus, camelus erat in Bactris tempore Troiani belli 562.40
Homerus ampullosus 787.20. mẽdax 645. 10
Homerus Melesigenes priùs dictus 828.30
Homerus deorum & hominum exornator 869.50
Homeri authoritas 160.50 & dein.
Homeri descriptiones ambitiosæ non sunt 294.40
Homeri versus in beatorum conuiuio canuntur 311.50
Homeri laus 486.20
Homeri hiperbolæ in laudibus hominũ 488. 20
Homeri authoritas ad probandam deorũ prouidentiam 549.50
Homeri poesis inter præcipuos codices 673. 20
Homeri statua 827.20
Homeri & Demosthenis collatio 827.60
Homeri indecora quædam & inepta 828. 20
Homeri patria ignoratur 828.40
Homeri de Parcis & fato testimonium 858. 30
Homero cur à nonnullis fides habeatur 291. 10
in Homero quid laudandum sit 830.20
Homeromastix 488.10.719.20
Homerica carmina Charõ vnde calleat 137. 20.30
Homo bicolor 8.50
Homo mundi cultor 50.50. Lulla 142.20 societatis amãs 460.20. dei simulacrũ 489 10. ex nihilo factus 860.30
Homo vt in sublime volet 571.10
Homo volans, & super aquas ambulãs 648 50
Hominis formatio necessaria erat 49.50.60
Eius forma excellentissima 51.40
Hominis in opificio quid reprehẽderit Momus 227.20
Hominis vita longissima centum annos non excedens 242.20
Hominis tricipitis mira absurditas 253. 10
Hominis vafri ad fallendum descriptio 386. 50
Hominis est peccare, dei verò corrigere 442. 50
hominis figuram cuilibet rei indens magus, et eo ministro vtens 656.10
Hominis nefarii occursus primo manè, infaustus & ominosus 692.50
Hominis tristis & cogitabundi mira descriptio 855.50.& 60
Hominem tribus duntaxat temporibus licet citra iudicium impune occidere 357. 30
Homines ac ciuitates formicis cõparata 577 30.40
Homines ad deorum conuiuia admissi 148. 20
Homines apum examini similes 140.40
Homines arborei 302.30
Homines arborum foljs similes 142.30
Homines aurei 792.20.30
Homines beati, errari 890.40

INDEX.

Homines dimidij ſtadij ſtatura 707.20
Homines dijs cõparati in laudando 486.20
Homines dij facti nulli ſunt niſi propter pulchritudinem 866.10
Homines ex duobus compoſiti, animo & corpore 112.10
Homines ex ſerpentinis dentibus nati 645.30
Homines in Attica olerum more ex terra emerſi 645.30
Homines inſignis improbitatis 387.10
Homines ipſi & nauta & naues 320.10
Homines, omnis deorum gloria 542.10
Homines ſacrati ſeſe in feſtis vulnerantes & verberantes 824.40
Homines ſe eſſe obliti, malè pereant 140.30
Homines ſtupidi & craſſi magis mouentur eraculis 389.10.20
Homines ſubereis pedibus ſuper mare decurrentes 309.40
Hominum ætates inter ſe collata, plurimum differunt 45.20
Hominum amore etiam deæ captæ 867.10
Hominum appellatio, præ Cynicis 848.40
Hominum exuſtorum nidor 315.50
Hominum felicißimi 879.1
Hominum leuium ſtoliditas 390.40
Hominum mores haud facilè cognoſci 599.30
Hominum natura familiare, calumnia errore labi 686.30
Hominum primorum vita 462.40
Hominum res omnes & omnia conſilia in cælo ſcribi, & Deo nota eſſe 860.30
Hominum vanitas proponitur ac irridetur 133.60
Hominum vita pompa cuidam ſimilis 131.10
Hominibus tanquam immenſis abutentes diuites 846.10
Homicidæ relegatio 496.30
Homicidij horror 401.50.358.10
Honeſtas etiam hoſti amabilis 834.20
Honeſtum melius eſt quàm quod ſit neceſſario 462.20
Honor parentibus deferendus 711.50
Honorem contemnere, magni animi eſt 482.10
Horæ cæli oſtiaria 147.60.548.20
Horarum indicia per aquam, & ſonitum, & ſolem 660.50
Hormum ſaltare, quid 407.30
Hoſpitalitas deſcripta 271.60. & dein.
Hoſpitalitatis mirum exemplum 305.40.50.380.50.513.30.40
Hoſpitum admiratio in alienis vrbibus 274.10
Hoſpitum receptores in ſacra ciuitate 825.50
Hoſtem operibus & copijs immanis, perinde eſt ac ſi ipſe patriam oppugnet 350.30
Hoſtem quatenus licet occidere 357.50
Humana vita, miſerrima 567.30
Humana omnia ridicula & inſtabilia 571.30.889.10
Humanitatis allectio 4.10.20
Humanorum corporum toſtorum ingratus nidor Ioui 777.60. & dein.
Humeri Herculis 887.10
Humor igni nutrimentum ſuppeditat 715.50
Hyacinthus Socrati adamatus 312.20
Hyacynthi amore captus Apollo 65.60 867.10
Hyacinthus formoſus 871.60
Hydamardia ciuitas 320.20
Hydra Lernæa 543.50.628.50
Hyemis inamœnitas 748.40.789.30
Hyemis frigore febris Abderitica leuata 276.10
Hymnis meretrix 716.20.762.30
Hymnorum nocturnorum decantatio 862.50
Hypata Theſſaliæ urbs 513.10
Hyperides aſſentator vulgi 834.10
Hyperæ quæ ſint 96.10. ad marg.
Hyperbolæ encomiaſtarum 280.20.30
Hyperboreorum ruditas 689.10
Hypocriſis Stoicorum 591.10
Hypocritarum graphica deſcriptio 781.30.40. & ante & poſt
Hyporchemata quæ dicerentur 408.10
Hypſicratis Amiſeni hiſtorici ſenectus 710.40
Hyſpaſinis regis ſenectus 709.20

Iacobi Micylli fides in Luciano vertendo 873.10
Iactantia militaris 355.60. & dein.
Iactantia crudelitatis puellis teneris ingrata 762.20.30. & dein.
Iactantiæ ſtultus exitus 763.10
Iacula ſerpentes 715.60
Iaculationis exercitatio 625.40
Ialemo frigidior, prouerb. 695.10
Iambi mordaces 688.20
Iambulus hiſtoricus mendax 296.50
Iani ac Vertumni capita 887.10
Ianuæ aureæ ædis ſacræ 821.20
Icari filia dea 478.10.839.40
Icari lapſus 571.10.734.30
Icarium pelagus 856.30
Icaromenippus vt in cælum ſublatus, & è cælo in terram reductus 573.50
Iccus paleſtrites 289.10
Ida montis tumultus 64.30
Idea Socratica 155.30.573.10.650.10
Idiota, vulgi multitudo 133.10. eorum vita optima 631.40
Idiota philoſophis compoſitiores & modeſtiores 806.60. & dein.
Idomeneus Agamemnonis parаſitus 608.50
Ieiunium decem dierum 862.50
Ignis, Bacchi arma paterna 662.20
Ignis hominibus neceſſarius 52.20
Ignis ſacrilegorum & parricidarum ſupplicium 771.60
Ignis amatorij vis 514.40. & dein. 515.10
Igni homo ſe vltro conſecrans gloria cupiditate 765.30
Ignem è manibus abijcere, prouerb. 32.10
Igne mori, quidam glorioſum putabat 766.50
Igne perire volens ſpectante populo 768.50.60
Igne mors allata, citißima 771.10. & 772.20
Ignorantia infimæ turbæ permiſta 140.60
Ignorantia & error, quibus animi hominum excæcantur 142.50.60
Ignorantia quando culpanda vel non 349.50.60.350.60. & dein.
Ignorantia, pernicioſa res 680.10. & dein.
Ignorantiam ſuam in morte teſtantes 20.30
Ilienſis tragœdos conducens, prouerb. 273.30.693.40
Illecebræ meretriciæ 751.50.60
Illecebris omnibus peccatorum reſiſtere difficile 17.30
Illuſtrium virorum conuictus quatenus appetendus 191.40.50
Illuſtres in populo ſuo, ferè omnibus noti 271.40
Imago amaſiæ amatori amplexata 495.40
Imago perfecta ex diuerſis conflata 472.40.50. & dein.
Imago vndequaque te velut intuens 821.50
Imaginis imago reſeruata 263.50
Imagines defunctorum & vmbræ 111.50
Imagines deorum ridiculæ 148.30
Imagines magicæ 361.50
Imagines ac picturæ deum referẽtes 369.10
Imagines admirandorum virorum 776.20
Imaginum exprimendarum finis 478.20
Imaginum quarundam ac ſtatuarum mira 650.50.60
Imitandi hiſtoricis qui ſint 292.20
Immortalitas Chironi faſtidioſa 119.40
Immortalitas animarum 836.50
Immortalitas deorum an in felicitate ponenda 531.10.20
Immortalitatis ſpes, mortis contemptum generat 768.50
Immunditia contrahitur à conſpectu cadaueris mortui 826.10
Imperatores longæui 707.50
Imperatoris dies teſtamento relicti 862.60
Imperium vt tuearis 448.10 *vt quàm optimè adminiſtres* 377.60
Imperij & potentiæ votum 728.40
Imperia etiam vilibus & contemptis hominibus contingunt 869.30
Imperia tyrannorum quàm miſera 885.40
Imperitia audaces facit 11.40
Impiorum irruptio in inſulam beatorum, & eorum duces 313.50
Importunæ philoſophorum propoſitiones in conuiuijs 808.20
Impoſſibilia animo concipientes, alio traducendi 252.20.30
Impoſtorum etiam ac latronum vita deſcripta 386.30
Impoſturæ delubrum 316.60
Imprecatio feſtiua 405.30
Imprecationes pauperum aduerſus diuites ſibi nullam aquam conuiuiorum ſocietatem facientes 793.20.796.40
Improbitas impunita eſſe non debet 339.10
Imprudentia, culpa temeritatis non vacat 350.60
Impudicarum mulierum ſimulatio 881.60
Impudentem rhetorem inſtituit 640.30.40
Impudentia Cynicorum 152.60
Impudentia pro clypeo 641.10
Impudẽtia parta, prodigẽda nõ eſſe 696.60

Imputator

INDEX.

Imputator beneficij grauissimus 332.60
In acie nouacula rem constitutam esse, prouerb. 536.60
In aqua scribere, prouerb. 183.20
In suum sinum inspuere, prouerb. 28.40
Inalni fluuij mors 144.30
Inaqualitas in vita pauperum ac diuitum 792.10
Inaqualitatis rerum tollendæ ius ad Iouem pertinet 793.40
Incantamentis an morbi sedentur 647.10
Incantationum mira vis 649.40.50. 656.10.856.60.858.40
Incantatio amatoria 749.30
Incantatorum pollicita 387.30
Incendiarium publicum non licet sine authoritate legis occidere 359.10
Incendio amicum efferens amicus posthabita vxore ac liberis 511.40
Incredulitatis malum 637.20.30
Indi primum gustato vino in furorem versi 13.20
Indi vt se in igne comburendos componant 772.30
Indorum saltatio 408.20
Indorum clades 662.50
Indorum etiam quidam stulti & vecordes 772.20
Indorum sapientes. Vide Brachmanes & Gymnosophistæ
Indicta causa nemo damnandus 682.20
Indigentia quid sit 843.50
Indoctum quendam, qui coemptione librorum doctrinæ famam aucupabatur, irridet 671. 30.40. & dein. per tot.
Indoles masculæ, et indoles seruilis 685.40
Indormire libellis pro oraculo 399.50
Inebriari non debent meretrices quæ viros captant 752.10
Inedia morientes, ad septimum fere diem sufficiunt 284.10
Inedia vitam finiens quidam 709.30. 40. & 710.30
Inexercitata corpora parũ firma 628.50
Infamandorum amorũ mos Athenis 748. 40
Infamiæ indignatione inedia mors accita 709.30
Infans in curiam illatus, arridẽdo iudicibus miserationem patri suo meretur 499.60
Infantia Timoclis deorum propugnatoris 545.30
Infantuli mortui, vuæ immaturæ: senes, vuæ passæ 177.40
Infelicitas, stultitiæ & iniquitatis ac oris indomiti finis 697.40
Inferijs ac libationibus vmbræ defunctorum pascuntur 632.60
Inferi omnino aliter habent quàm superi 181.60
Inferorum descriptio 114.50. 129.40.315.40.631.40.50. & dein.
Inferorum æqualitas 119.40
Inferorum supplicia tollit 533.60
Inferorum cibus 176.20
Inferorum expugnatio ab Hercule 889.20
ex Inferis perpauci ad superos reuersi 632. 20
Infernus apertum 652.20
Infirmitatis immutatio 501.10
Infortunijs in nostris, etiam vicinorum calamitatem respicere debemus 141.60
Ingenij specimen vbi dandum 269.10
Ingenium vaferrimum 387.10
Ingratitudinis actio in quos cõpetat 372.50
Ingurgitationis immodicæ malum 794.30
Inimici tollendi ratio astuta 350.20
Initiatio puerorum ne seuera sit 250.1.10
Initiationes Alexandri pseudomãtis 396. 60
Iniuriæ tolerantia simulata 401.30
Innocentes punire, res durissima 380.40
Innotescendi ratio 260.30.267.40. vel per scelera 771.30
Ino Bacchi nutrix 87.20
Inopia quoquo modo depellenda 696.60
Inopia quid sit 843.60
Insania interdum ad tẽpus latet 778.50. subinde recurrit 368.20
Insaniæ procliuiora sunt fœminarum corpora, quàm virorum 375.20
Insaniendum cum insanientibus 398.60. 684.20
Insanorum grauis curatio 771.30.40
Insciens, non bene meretur 350.60
Insepultorum cadaverum vmbras Charon non transuehit 876.50
Insidiæ in aulis Regum 566.30
Insidijs certare, imbecillitatis argumentum 682.30
Insolentia conuiuiorum 193.50
Insolentia verborum vitanda 427.30
Insomniorum ratio 558.10.20
Insomnium, somni comes 583.50
Instabilia omnia & ruinosa apud homines 889.10
Instrumenta artificem non faciunt 675.10
Instrumenta nemo parat quorum nullus sibi futurus sit vsus 676.30
Insula in trophæum in capite ceti suspensa 308.10.20
Insula quædam caseus maximus 309.20
Insulæ mirabiles, quæ noctu, non interdiu videntur 299.40
Insulæ vice triremium 307.60
Insularum ingens clades 308.10
Insulares, rudiores 609.10.861.60
Intemperantia reprehensio 16.20
Intemperantia philosophorum 223.30
Intempestiuorum amatores 20.50
Inter bonos bene agier 336.10
Interpretes oraculorum 400.10
per Interpretem verba facere difficile 546. 20.
Inuisibilis vt fias, ipse omnia vides 567.60
Inuitationes ad bibendum quales esse debeãt 791.20
Io in vaccam mutata 55.30.85.60. & dein.
ex Ioannis euangelistæ primo capite velut decerpta quædam 858.50.60. & dein.
Ioci Ionici 199.30
Ioessa meretrix 759.10
Iolai institutum 380.10
Ion Stoicus 646.20
Ion philosophus Platonicus 800.20
Ionica vocis puritas 476.30
Ionicæ structuræ 823.40
Ionopolis olim Aboni murus 402.30
Iophon Sophoclis filius patri ingratus 711. 10
Ira effundenda, siqua aduersus amicum concepta sit 685.40
Iræ amatorum 753.60
Ira meretricis aduersus amatorem 748.10
Iræ ac contentionis malum in insanis 376. 30
Ira senum, impotens 375.50
Iracundia mulierum 375.20.742.10
Isidorus Characenus historicus 709.10
Isis nauis 722.40
Isis quæ fuerit 55.30
Isidis capillos Memphita pro miraculo ostendunt 675.30
Ismeniæ tibiæ septẽ talentis emptæ 672.50
Ismenodora tibicina 750.40
Ismenodori mors 120.60
Isocrates nugator 641.10. Eius ignauia 607.30. senectus 710.50
Isthmius grammaticus 880.20
Iuba, equorum ornamentum 847.10
Iucundum quid sit 120.10
Iucundissimæ res inter mortales 409.20
Iudæorum quosdam ritus imitati Barbari 811.10
Iudices apud Athenienses iureiurando adigebantur pari benignitate & reum & actorem audire 681.60
Iudices inferorum 838.30
Iudiciarij fori incommoda 879.50.60
Iudicum electorũ sententia standũ 369.50
Iudiciũ Minois de Alexandro magno Hannibale & Scipione 105.10
Iudicio calumnioso liberatus gratias egit imperatori quòd male & iniustè iudicasset 216.50
Iudicia apud Rhadamanthum 310.50
Iudiciorum iniquitas vnde fuerit olim 585. 10
Iumẽta etiã ad inferos trajciuntur 183.30
Iunioribus concionandi potestas non erat Athenis 544.50
Iuno Iouis vxor, germana eiusdem 147.10. vbi educata 736.40
Iuno Assyria 811.50
Iunonis cum Ioue expostulatio de Ganymede 57.30. & dein.
Iunonis & Latonæ cõtẽtio de liberis 67.20
Iunonis fastus 67.60
Iunonis pollicita Paridi 93.40.869.40
Iunonis zelotypia 63.50.60. 536.60
Iunonis simulacrum 821.40
Iunonis benignitas in pisces 824.10
Iunonis turpia 858.50
Iunonis epitheton iucundissimum 867.40
Iunoni vt sacrificetur 823.40
Iunoni minatur Iupiter 866.50
Iupiter iuuenis ardens ac feruidus, senex torpidus ac frigens 29.30
Iupiter attonsus 30.10
Iupiter amasiarum suarum nulli gratus 55. 10.20
Iupiter amori succumbens 59.20
Iupiter quondam magis frugi quàm postea 63.10.

INDEX.

Iupiter cur de forma inter deas arbiter esse noluerit 70.40
Iupiter in aurum conuersus 89.10. 561.10. *in Taurum* 91.40
Iupiter ad iracundiam propensus 134.30
Iupiter vt clàm educatus 146.60
Iupiter apud Cretenses & natus & sepultus 30.50.148.30.412.30.540. 30.551.60.645.30
Iupiter Homericus nunc has nunc illas regiones respicit 292.30
Iupiter vt à patrijs dentibus seruatus 406. 30
Iupiter an fato succumbat 532.10
Iupiter tragœdus 536.20.30, *& dein. per tot.*
Iupiter in philosophum effiguratus 541.20
Iupiter in votis mortalium nonnunquã hæsitans 577.60
Iupiter Olympicus præstantißimum opus 767,10
Iupiter omnia nouit 797.10
Iupiter qui putandus sit 858 40
Iouis cognomina varia 29.10
Iouis cum Alcmena concubitus 65.10. *& dein.*
Iouis lactãtia irrisa 75.10.530.10.540.30
Iouis formido 75.50.536.50.888. 20.889.60
Iouis amores 147.10
Iouis regia 148.10
Iouis tabula 192.50
in Iouis ædes venire, prouerb. 193.40
Iouis fulmen à Cynisco contemptum 533.20
Iouis impotentia 550.10.584. 50. *& dein.*
necessitas ac calamitas 544 40
Iouis catena 552.20
Iouis vox grauis, & vultus titanicus 578. 40
Iouis ridiculæ quæstiones 579.20. *Eiusdem zelus pro honore dijs alijs impẽso* *ibid.*
Iouis munera & occupationes 580.10
Iouis iniquitas aut cæcitas in distributione bonorum ac malorum hominibus 786.30
Iouis & Iunonis simulacra aurea 821.30
Iouis aspectus noxius in pisces 823.40
Iouis ignominiosa 840.10
Iouis potestas eleuatur ac ridetur 857.10
Iouis filij, Hercules, Dioscuri, & Helena 866.10
Iouis seueritas & acerbitas, & rursus mansuetudo & blanditia 866.40
Ioui conuicia iactat Timon 29.10
Ioui vt sacrificetur 823.40
Ioualia festa 30.40
Iuramentum Græci hominis, & item Scytha 494.20
Iuramenta amatorum meretricibus facta, vana 752.40. *& contrà* 758.30
Iuramentum per quem fieri debeat 858.50
Iusiurandum Pythagoricorum per quatuor 151.20
Iusiurandum commentarijs inserere, inurbanum 281.20
Iusiurandum Scytharum 503.50
Iustitia cur tam tardè in quibusdam administretur 584.50
Iustitia pensum æqualitas 681.50
Iustorum & iniustorum remunerator Deus 859.20
Iuuenis immeriti pudor periclitatus 686.30
Iuuenem esse, imperfectum quid 822.40
Iuuenes exemplo Luciani ad virtutem contendant 6.50
Iuuenes periculi minus cogitantes 347.10
Iuuenes vt primum instituerentur apud Athenienses 622.50
Iuuenes rudiores, senes facũdiores 665.20
Iuuenum morbi, vnde 375.50
Ixion 59.30. *& 50.148.10.797.30

Καθίζειν & καθέζεσθαι *differunt* 853.30
Καρήνα 851.10
Καρμολόγοι 430.60
Κατακλάειν, *et* κατακλᾶσθαι *differũt* 853.50
Κατῦμα *quid* 430.30
Κόπος *tonsura genus* 431.10

Labia formosa mulieris 473. 50.474.30
Labor, omnibus malorum causa 741.50
Labor validos facit 37.50
Labores vt magis tolerari possint 625.20
Laborũ intolerantes diuites ac molles 847. 40
ex Laboribus bona germinant 638.10
Labyrinthus, qui & Diphilus philosophus 800.10
Labyrinthorum philosophicorum errores vt extricandi 240.40. *& dein.*
Lac gallinaceum emulgere, prouerb. 193.10
Lacteus orbis inhabitatus 300.40
Lacteum pelagus 309.30
Lacedæmonij molles 94.10
Lacedæmoniorum caryatissatio 407.20
Lacedæmoniorum tibia in bello *ibid.*
Lacedæmoniorum exercitatio 630.10
Lacerna Antisthenis 782.10
Lacerũ panniculum facere, prouerb. 203.40
Lachanopteri 299.40
Lacryma in crimen vocata 684.40
Lacryma meretricum 760.10
Lacrymæ trajicientium ad inferos 183.20
Lacrymosa oratio à Democrito risu excepta 767.20
Lacon, verbero 576.50
Laconum saltatio 407.10
Lacus sacer miros pisces producens 823.40
Lætitia iudicium impediens 330.10
Lais vxor Diogenis 313.30
Lay fatum 532.50
Lampichus Geloorum tyrannus 101.40
Lampis amore meretricis se conficiẽs 121 50
Laomedontis periurium in Neptunum & Apollinem 146.40
Laomedonti dicto audiens Neptunus 531.30
Lapilli precioſi varij 821.40.50
Lapis in honorem eius qui in eo sedisset, tanquam Deus cultus 449.40
Lapis Lacænus, Phrygius, nomas 660.10
Lapidum inunctorum aut coronatorum adorandorum superstitio 395.10
Lapidibus obruuntur mortui Galli 825.10
Lapideus amictus 161.40
Lapidicinæ Dionysiacæ 202.10
Lapitharũ & Centaurorũ commixtio 809.50
Lari piscis voracitas 188.60
Larua saltatorũ quàm pulchra 416.50
Lasciuia mira mulieris Lucium asinum adamantis 526.60
Lateres aureos Pythio dicat Cyrus 138.40
Λάθε βιώσας 125.30
Latona liberorum vituperatio ac commendatio 67.30
Latonæ puerperiũ 87.60. *& dein.* 397.10
Latonæ Euagoræ vxor 488.50
Latratum canis non ferunt manes 653.30
Latrociniorum præda ad quos magis redeat 353.50
Latronis insignis descriptio 386.30
Latronibus conuersatus Lucianus asinus 646.10.30. *& 647.10. & dein.*
Laurus fugit ua Veneris 454.10
Laurus Hesiodi 829.20
Laudantes quibus vtantur coloribus ac ornamentis 485.50.486.60. *& dein.*
Laudatores nimy, adulatores 479.40
Laus vt parari possit 288.30. *quæsit* 485.50
Laus quatenus in historiam cadat 279.20
Laudes non omnibus grata 280.10
Laudes falsæ ac fictæ Alexandro magno ingratæ 280.30
Laudes & reprehensiones historici quales esse debeant 295.10
Laudes quatenus ferendæ 480.20
Laudes non agnoscere, moderati animi argumentum 485.20
Laudibus indigni, quibus cõparãdi 480.30
Leæna meretrix citharistria 749.40
Lechæus portus 874.20. *ad marg.*
Lecithopolis 430.30
Lectio authorum qualis esse debeat 672.10
Lecticarij serui tanquam iumenta lecticas in ceruicibus portant 846,10
Lectores publici philosophi quantum stipendium quotannis acciperent 433.30
Lectus tyranni in testimonium aduersus illũ productus 185.30
Lecti uli aurei & eburnei somnum suauiorem non præbent 845.60
Ledæ filijs inuidet Mercurius 80.40.50
Legatum oneros um, ac sumptuosum plurimi, ab amico hilariter acceptum 498.10
Lemniades crudeles 762.50
Lemniorum Erga Vulcanum pietas 147.20
Lenarum lacryma 857.50
Leo chordula vinctus circunductus 200.40
Leonis ornamentum barba 847.10
sub Leonis pelle simiam circunferre 646.10
Leoni amicum eripies amicus, à leone occiditur 505.20
ex Leone remedia ad morbum 646.50
Leones etiam domat Cupido 63.50
Leones ceruis velociores 647.10
Leones duo vini in Danubium missi 399.30
Leones, soli expleri volunt 796.20
Leones cicures 823.30
Leonibus committebantur noxij 684.40
Leotrophides qui fuerit 289.10. *ad marg.*
Lesbia fabula 674.40
Lesbiæ mulieres 750.10
Λεσβίαζειν & φοινικίζειν 687.60
Lesbonax Mitylenæus spectaculis gaudebat 417.10

INDEX.

Lethe fluuius 632.30
Lethifera non in omni quantitate occidunt 247.10
Leucas petra 861.40
Λοιμόλεν & dicta Iuno 867.40
Lemibus non immorandum in historia 286. 30
Lenitatis similia 250.20
Lex cogitationes non punit aut voluntates, sed facta 334.20
Lex Ismiorum 875.20
Lex necessitati posthabenda 545.10
Lex non facilè hominem iubet occidi 358. 30
Lex non nisi improbis minatur 339.10
Lex recipienda exercetur, recepta obligat 359.20
Leges Athenienſium publicè propoſita 623. 10.
Leges, certæ ac ratæ esse debent 369.40
Leges contraria poetis præcipiunt 127.20
Leges conuiuales 791.10.20
Leges paucis facinoribus præmia proponunt 338.30
Leges Saturnales. 789.10. & dein. per tot.
Leges ſuperuacaneæ vt dici poſſint 448.50
Legum interpretatio quatenus admittenda 355.50. & dein.
Legislator in legem committens, legis pœnã ſubit 207.40
Libelli elephantini & duplices 875.50
Libelli petentium oracula obſignati, vt reſignarentur, & rurſum clauderẽtur ab Alex. pſeud. 391.40
Libellus triceps 784.10
Libellulos in conuiuio nuptiali legens philoſophus 803.20
Liber qui vere ſit 445.20
Liberi patris ſeu Dionyſij comitatus 815.50
Liberi, virtutis ergo ſi nos impediant, relinquendi 228.50
Liberos alere, meretrici grauiſſimum 745. 60
Libertas hiſtorici 289.60
Libertatis voluptas omnium maxima 191. 10. 330.10. 619.10. 836. 50. 837. 20. 885.40
Libertas vitæ Cynicæ 848.20
Libertatis indicia 324.10.20. & 60
Libri ab inimico editi combuſtio, tanquam ipſius authoris 399.10
Libri geſtatio in manibus, quid ſecum habeat incommodi 676.20
Libri Herodoti, Muſarum nominibus inſcripti 260.30
Libri ornatus 673.40
Libri pulcherrimè foris ornati, intus nefanda continentes 204.30
Libri quatenus tractandi ac tenendi 806. 60
Libri ſtudioſo comparandi 672.20
Librorum copiam ingentẽ ex Athenis Sylla in Italiam auexit 672.30
Librorum cura apud eruditos qualis ſit 679. 10
Librorum emptione ſola non paratur doctrina 671.40. & dein.
Librorum lectio ad quid ſit vtilis 288.50
Librorum ornatu homo non ſit doctior 675. 50
Librorum recitationis contentio 864.60
Libros pulchros ac doctos attrectare ineruditi non deberent 676.20
ex Libris veterum duo maximè petenda 676.10
Libido cum viribus non ſeneſcit 353.30
Libidinis moleſtia 845.60
Liburni 452.10.20
Libyes aſtrologiæ ſtudioſi 437.50
Libia pars ardore Solis exuſta, quæ animantia gignat 715.60
Licentia comicorũ apud Athenienſes 600. 10
Ligneipedes 673.10
Lignis e portu baiulãdis victum parat amicus amico 513.10
Limo vultum ſuum oblinens peregrinus 769.60
Lima vſus in carcere apud captiuos 502.10
Lingua draconis aſſimilata 389.40
Lingua non tã expendenda quid dicat, quam quid animus ſentiat 216.60
Linguæ ignoratio hoſpitibus & peregrinis grauis ac moleſta 271.40
Linguæ vitia 643.10
Linguæ ſtrenuæ etiam manus reſpondeat 659.10
Linguæ cum auribus cognatio 665.30
Linguæ cum ea abutente proſopopœia 692. 50.60
Literæ à quo inuentæ, & earum poteſtas 241 30.40
Literæ adoleſcentis amatoris ad philoſophos redacti, ad amaſiam derelictam 757. 20.30
Literæ à mulieribus conſcriptæ oſtentandæ 645.10
Literæ latori ſuo perniciosæ 207.20
Literarum obſignatarum reſignatio aſtutiſſima 391.10.30
Literarum ſtudioſi nonnunquam ocia Muſis permittunt 296.20
Literarum ſtudio inſeneſcetes, pudore tenentur ne pedem referant 254.10
Literatorum hominum cõuiuio nuptiali adhibitorum ſcandalum 800.20.30. & dein.
Literatorum virorum mercede cõductorum apud diuites calamitas 185.10.20. & dein.
Literas ſcribere vulgo omnes norunt 640. 10
Liuidus color 783.50
Λοβος extrema pars hepatis 431.10
Locus damnatorum 315.40
Longæuorum catalogus 706.30. & dein.
Longi ſaltatoris irriſio 418.60
Longum ſaluere, ac valere 213.20
Loquela miro modo per effictum caput draconis formata 394.20
Loqui diſcendũ, nõ tacere, niſi mutis 151.10
Lotio mortuorum, vana 633.10
Lotos ſociorum Lyſſus 191.20
Lotophagi 404.50
Lucerna in teſtimonium adducta 185.20
Lucernam olentes orationes Demoſthenis 829.60
Lucernarum vrbs 303.60. earum mirum 304.20
Luciani res vide fol. 1.60.6.60. & 7. 30.9.30.161.60. 162. 30. 165. 30. 166. 30.50.60.205.20.208.10. 210. 20. 50. 216. 10. 223. 60. 261. 50. 262. 50. 60. 274. 20, 277. 10. 285. 20. 297. 10. 401. 10.30.40.468.50.471.10. 483.30. 516. 30.520.30. 727. 50. 595. 10. 667. 50. 688.60. 728.50. 731.10. 368.60. 775. 40.811.60.826.10
Lucta puerorum Athenienſium 842.30
Lucta in arena & cæno 852.50
Luctus orbitatis vt leuandus 445.50.60
Luctus conſideratio 398.20.30. & dein. per tot.
Ludi funebres 635.10
Ludi publici Græcorum famæ illuſtrium virorum propagandæ commodi 260.50
Ludis contracta febris 276.10
Luminis abſentia per noctem pericula maiora ſunt 810.10
Luna habitabilis fingitur 299.10.340.60
Luna de cælo detracta varias formas induẽs 648.60. & dein.
Lunæ amor erga Endymionem 63.40
Lunæ mira defectio 277.60
Lunæ filiam Rutilianus ſe ducere arbitratus 396.10
Lunæ & Alexandri amores 397.10
Lunæ lumen ab ipſa non eſſe, vnde compertum 437.10
Lunæ querela de philoſophis 577.50
Lunæ labor 583.30
Super Lunam requieuit Icaromenippus defatigatus 574.20
Lunam è cælo detrahens homo 649.10.20
Lunarium ac Solarium hominum belli cauſa &c. 275.50.278.10.20
Lunaticos curans Syrus quidam 649.60
Lupi piſcis auiditas 197.60
Lupi ſolitary 796.20
Lurcones perſtringit 845.30
Luſciniarum & hirundinum cantus 856. 60
Luſus aleæ quam damnoſus ſæpe 786. 40
Lutum in Cupidinem effigiatum, continuo vclans 649.20
Luti & arenæ vſus in gymnaſijs 639. 20. & dein.
Lux 45 dies pauperibus in opere antecurtenda 555.20.30
Lux incomprehenſibilis 859.20
Lucem puram ficta miracula refugiunt 391. 10.20
Lucifer etiam habitatus 299.30
Luxurioſis odioſus cultus bonis viris maximè conueniens 847.30
Luxus vitium 843.50
Luxus quam difficilè paretur 845.40
Lycambæ filia 451.30
Lycambes perfidus 688.50
Lychnis lapis mirã virtutis 841.60
Lychnus fictilis Epicteti ingenti precio venditus 675.20
Lychniſci piſces 816.10
Lycoris mons 29.50
Lycurgus legiſlator 312.10.440.20. 607.40.

INDEX.

607.40.630.40.711.30
Lyde meretrix 760.50
Lydy toni vis 364.50
Lypaes quid sit 692.40
Lyra meretrix 751.40
Lyra Orphei quæ intelligatur 438.10.
eius lyra mirum 675.10
Lyra Polyphemi 81.60
Lysimachus poeta comicus 25.10
Lysimachi Macedonũ regis senectus 708.30

Macentes Lonchates & Arsacomas, amici Scytha 505.20
in Macedonia innotescere cupiẽs Lucianus 261.50.60
Macetis opulẽta mulier à magis illusa 390.10
Macklai Indi 663.10
Macrobiorum catalogus 705.30. & dein. per totum
Manadũ vlulatus aduersus Indos 662.40
Maga in auem se conuertens 516.40
Magarũ mulierum amores vitandi 514.10
Magiæ consideratio 656.50.656.10.644.20.30 & dein.
Magicæ studiosi 706.60
Magi ars elevata 445.30
Magi inuisi. 362.30. longæui 707.10
Magicorum superstitio 125.40.128.10.509.40
Magicorum pollicita 387.30
de Magorum artibus commentarij 392.50
Magorum pœna 727.60
Magidium meretrix 759.30
Magistratuum non nominandorum lex 425.50
Magnatũ amicitia insidijs obnoxia 683.20
Magnatibus ac principibus etiam suas esse molestias 877.40
Magnitudo ac moles artem pensans 539.50
Mala granata terdecies anno ferentia 311.30
Mala tempore matureſcunt 352.50
Malarum pictor Polygnotus 475.50
Maledicentia, sophistarum arx 780.50
Maledicentiæ impunitas 770.10 vltio ibid.
Mala humanæ vitæ plurima ex calumnijs oriuntur 686.10
Malorum omnium fons, plus habendi cupiditas 847.10
Malorum præfectores ingrati 863,10
Mala tractationis actio 594.50
Malè consulta, bene vertentia, numini imputanda 365.60
Malefactorũ conatus simplex punitur 349.50
Malefactoribus metus proponendus 379 60
Malè ominantium odium 864.30
Malorum pœna apud inferos 632.40.50
Malorũ prosperitas, bonorũ calamitas 789.40
Malos Iupiter non vlciscitur 30.10
Malus nauis germinans 318.50
Mali arundinei 317.50
Malli oracula 394.50
Malua folia in delicijs 199.10 Eius venenum 300.40 flagella 315.10.784.30
Maluæ radix adoranda 315.30
Mancipij deterrimi descriptio 783.10
Mandata quibus impune nõ pareas 373.20
Mandraluli more negocium procedens 196.60
Mandragoræ vis 677.20.833.10
Mangus Celer Bubalus, latrones 400.40
Manus nõ minùs strenua debet esse, quàm lingua 658.30
Manus mulieris formosa 473.10
Manum sibi osculandã traditam Lucianus mordicus apprehendit 401.20
Marci imperatoris cũ Marcomãnis & Quadis bellum 399.30
Mare altissimè glaciatum 309.10
Mare inhospitum cur dictum 490.60
Mare lacteum 309.30
Mare conscensuri quid considerare debeant 231.40
Maris molestia 297.30.497.20
Maris pacati ac tranquilli amœnitas ad nauigandum inuitat 701.50
Maritimis locis bene habentibus, etiam interiora bene habent 873.50
Maritus adulterij vxoris sua conscius, ac silens 67.10
Maritus adultera cum illa à mœcho occisus 496.20
Maritorba vxor, filiã ad meretricium quæstum, vt ex eo viuat, instruit 751.20
Maritorum illusiones ab vxoribus 882.10
Manium aqua cõditio est 110.20 vide Anima. Spiritus. Vmbra.
Mano Arabum rex 709.40
Mars muliebris 461.40
Mars vulneratus 550,30
Mars & Venus Vulcani retibus illigati 68.20.439.50.454.50.857.50. & 60
Marsyas et Olympus musici obscuri 268.10
Marsyæ temeritas 741.10
Mares execti 458.10
Masacas Mauritanus eques 286.60
Masculæ nuptiæ 302.20
Masculæ prolis fauor 466.10.20.746.10
Masculæ Venus infamis 533,50
Masculum scortum 387.30
Masculus amor 457.40.461.40. & 462.20
Masinissæ senectus 709.30
Mastera Leucanoris regis vxor 508.20
Mataogenes & Plutocles præfecti Somni. 316.60
Mater cum puero parulo ab auo materno in mare abiecta 88.60. & 90.10
Mater, filiæ lena 751.10.20
Mater sua à Nerone occisa 875.50
Matris dolor sanguine filij cõspecto 809.10
Matrem suam alendam legat amicus moriens amico superstiti 498.10.20
Matres filios impotentiùs amant 351.40
Matrum exempla maximè filiæ sequuntur 881.40
Mausoli sepultura 117.30. & 40
Mazæa Leucanoris filia vt nuptui sit tradita 505.30
Mechanicorum laus 884.10.20
Medea ex somnio in amorem Iasonis exarsit 252.50
Medeæ scelere flagrantis pictura 705.50
Medi agrè pedites incedunt 121.40
Medius homo sceleſtus 533.50
Medicæ artis excellẽtia 373.40. & 374.50
Medicus venenarius ingratus 362.20 & 30
Medicus quid primum in ægroto consideret 367.30. & 40.377.30
Medicus an cogatur mederi cuiuis 375.60
Medici familiare esse ac proprium historiam scribere, colligens quidam 282.40
Medici aduersus phreneticum insanientem astutia 803.50
Medici mira prudentia in amore adolescentis celato deprehendendo, & remedio illi inueniendo 816.10.20
Medici officium 371.40
Medicorum res vt est aperienda 743.10
Medici qui vere vtiles 658.20
Medici serpentum naturas nosse debẽt 717.20
Medicorum priuilegia 373.40
Medicorum imperitorum cõsuetudo circa instrumenta sua 679.10 20
Mediocris vita homines quales sint apud inferos 632.50
Mediocritas in diuitijs seruanda 33.20
Mediterraneorũ hominũ tranquillitas 879.10.20
Medusæ fabula 471.20.704.60.705.20 pictura 90.30
Megabyzus 34.50
Megacles ibid.
Megapetes Lacydæ filius tyrannus 178.40
Megilla masculæ libidine mulier 749.60. & dein.
Mel emungentes 302.60
Mel attieum 727.30
Melancholiæ vis 778.10
Melissa meretrix 749.60
Memnonis Aegyptij mirum 655.50
Memnonis fabula 500.10
Memor compotor odibilis 799.30
Memoria præteritorum maximè cruciantur tyranni apud inferos 185.50
Memoria nominis aulicis nonnunquam redimenda 192.10
Memoria nonnunquam odiosa 863.20
Memoria virorum bonorum ad quid vtilis 490.20
Mendacium principio statim non admittendum 253.10. & 20
Mendacia historijs admista, pernicioſissima 281.20.285.10
Mẽdacia se scribere fatetur Lucianus 296.60
Mendacij punitio apud inferos 316.20
Mendaces multi scriptores 644.60. & deinceps.
Mentiri, non semper damnandum ibid.
Menelai femora qualia fuerint 473.50
Menelai regia 698.60 862.10
Menelao Helena adiudicata 704.40.869.20 Menippus canis 92.20 Herculis habitu 126.10.596.10.779.50
Menius Solaris 302.10
Mentis adamantinæ viri 391.20
Mensa nouissima antiquorum 808.10
Mensæ communitas 406.20
Mensarum & propinationum memoria lacrymas excitans 285.50
Mensariorum iudicium 279.50
Menses ex cursu Lunæ instituti 437.30
Mensibus non fluentibus mulier impuratur

INDEX.

418.30
Menſis meſori 861.50
Mercatorum incommoda 879.50
Mercedis pacta exigenda difficultas 203.20
Mercedis omnis acceptio damnanda non eſt 210.20
Mercede ſeruientium calamitas 186.10.& 20 & dein.
Mercenary non omnes miſeri 205.30
Mercenary omnes ſumus 206.30
Mercury miſeria ac labores 77.60
Mercurius in canem transformatus 86.10
Mercurius commune mancipium Iouis & Plutonis 176.40
Mercurius eloquentia præſes 206.50 *inferorum legatus* 207.10
Mercurius multilinguem ſe negat 540.20
Mercurius, fur. 60.20.& 30 & 176.10 *et* 568.10 *Logius* 687.10 *cõmunis* 724.20 *quæſtuoſus* 726.10 *ueterator & improbus* 857.40 *Cadmi amore captus* 867.10
Mercury ala ac uirga 61.10
Mercury apud ſuperos ſtudium 176.10
Mercuriales imagunculæ duplices 551.40
Meiens ſub omnium oculis etiam ante fœminas philoſophus Cynicus 807.10
Meretrix liberali ingenio & modeſto 753.10 & 20.& dein.
Meretrix à duobus amatoribus zelotypis deprehenſa. 755.60.
Meretrix meretricia nouit adminiſtrare. 758.10
Meretricis typus. 163.40.
Meretricem Aſpaſiam Socrates audire dedignatus non eſt 410.10
Meretrices inuicem à ſe amatores abſtrahũt 745.30
Meretrices mendicæ & inopes 348.10
Meretricum ornatus 700.30
Meretricũ precii, earúmque quæſtus 751.30
Meretricia uorago 495.30
Meretricij dialogi 745.10.& 20 & dein.
Meretricij æſtus 495.10 & 20
Merion ſaltator 406.40
Meri uis in conuiuijs 799.30
Meſori menſis 861 50
Metalla aqua macerata 303.20
Metamorphoſes miranda 856.60
Μιχθὴν uiris magis conuenit quàm fœminis 851.10
Micyllus ſutor ad Clotho properans 180.60
Midas quidam uiticola à uipera morſus incantatione Chaldæi cuiuſdã leuatus 648.10 & 20
Miles amator è militia reuerſus ut ab amica acceptus 754.50 60 & dein.
Militis glorioſa iactantia apud amicam nimia, ea abalienat 661.20.& 30 & dein.
Militares amores quid afferant 765.10
Miliarium, lebes furnarius 431.30
Milo Crotoniata 137.60
Mimi tragici inepti 169.10 & 30
Mineruam cur non adeat Cupido 69.40
Minerua pollicita Paridi 73.50
Minerua Athena etiam dicta 148.30
Minerua cur nõ ſacrificaret Demonax 443.50
Minerua Martem uulnerans 550.30
Minerua pictura 705.30
Minerua exiſtimatio eleuata 857.60 & deinde
Minerua munus 867.10
Minimis ac pauciſſimis egere, perfectiorum ac præſtantiorum eſt 846.30
Miniſtri, ſaturnaliorum munerum delatores quid mercedis capere poſſint 790.40
Miniſtri tyrannorũ ſimilibus pœnis mulctãtur 891.30
Minois iudicium de Alexandro magno, Scipione, ac Annibale 107.10
Minois tribunal 129.50 & 533.30
Minos in gratiam etiam aliquando iudicat 130.30
Minos cur Iouis filius putatus 439.30
Minos Cretenſium legum lator 630.50
Minos & Rhadamantus Plutonis præfecti 632.40
Minous menſis 311.40
Minotauro ſimiles homines 319.30
Miraculi nouitate quàm rapiantur homines 391.10 & 20
Miſanthropi decreta 39.10
Miſeri omnia facile tolerant 870.60
Miſtho Sybaryta 689.30
Mithres ex ſolido auro 539.10
Mithres medus 840.50
Mithridatis ktiſtæ ſenectus 708.50
Mithrobarzanes Chaldæus 128.30
Mitraorum montes 508.50
Modeſtia in conuiuio ſeruanda 844.60
Mœchus eſt, qui mœchos conſeruat 857.50
Mœrichus diues 103.60
Mollitiei campus 316.50
Mollities ac læuor mulieres decet 847.10
Mollium hominum indicia 677.50
Momi mordacitas 120.60.227.30.542.50 60.838.40.50
Monarchiæ tyrannorum ac regum 352.30
Monarchiæ & tyrannidis diſcrimẽ 559.40
Moneta parem cum incãtationibus uim obtinens 445.40
Monilium ornatus mulieri 700.30
Monile pulchrum 781.10
Monomachia 280.30. 293.40.511.10. 20.761.60
Monſtroſæ poetarum fabulæ 666.60
Montes montibus impoſiti 135.50
Morbus familiaris 646.40
Morbus non exagitãdus, ſed auferẽdus 360.20
Morbus, ſanabilis ſit, necne, medico ante omnia uidendum 367.20
Morbi aſſimulati opinio 201.10
Morbo ſe imparẽ confitens medicus 368.30
Morbi leuandi initia 646.50
Morbi ut leuentur 547.50
Morbi an incantamentis ſedentur 646.60
Morborum genera uaria ſunt 374.50
Morbos incurabiles ne tẽtẽt medici 366.30
Mores adoleſcentem philoſophi non formant 258.20
Mores magis ſpectandi quã eruditio 434.20
Morum argumenta 677.40
Morionis in conuiuijs ſolennibus adhibendi mos 803.20
Mori recuſans tyrãnus, ui adigitur 178.40
Moriendi lex 97.30
Mors alterna Caſtoris & Pollucis 79.50
Mors captandæ gloriæ ergò adſcita 286.10
Mors Demoſthenis 837.10
Mors, index certiſſimus felicitatis humanæ 138.50
Mors, malorum remediũ quæ ſenectus affert 122.30
Mors nulla uelocior quàm ea quæ per ignem fit 771.20
Mors optata non contingens 178.30
Mors priſcorum & noſtrorum hominũ multùm differt 96.20 & dein.
Mors ſine turpitudine honeſtum effugiũ 836.50
Mortis alienæ captatores irridet 96.50
Mortũ amici lectus ut leuatus 445.40
Mortis cauſa duplex 324.60
Mortis cauſam præſtare, & occidere, an perinde ſit 324.30.348.30.40
Mortis contemptum, immortalitatis animæ perſuaſio facit 768.50
Mortis contemptus utilisne ſit 771.40
Mortis contemptus ſimulatus, cùm ad eam ſeria uentum eſt, detectus, ſed ſerò 774.20
Mortis cõtemptus quàm fortes uiros faciat 836.10.20 & dein.
Mortis frequens meditatio facit ut æquanimiores moriamur 141.40
Mortis diuerſa & aliena genera 177.40 *et* 50.283.50.285.30
Mortis incertitudo 728.10
Mortis nuncy ac miniſtri 141.20
Mortis timor, uulneris dolorem aufert 519.10
Mortis terror 111.10.116.20.774.20
Morti omnia obnoxia, etiam urbes & flumina 144.30.828.10
Mortem alij aliàs affecti adeunt 120.50
Mortem ſibi conſciſcere, genus ſuppliciy grauiſſimum 327.20
Mortem ſibi ſponte publicè per ignem illaturi commiſeratio apud populũ &c. 774.10
Mortem ultro ſibi paulopoſt illaturus, febriculam non ferens 776.50
Mortales nos eſſe meminiſſe debemus 141.10 & 50
Mortalia omnia ambigua 93.20.571.30 889.10
Mortalium res omnes in duo diuiſæ, bellum, & pacem 409.40
Mortua muſca, ſuperinfuſo cinere reuiuiſcit 670.10
Mortuus tyrannus fingitur qua ſibi ignominioſa fierent, uidiſſe ac ſenſiſſe quidem, ſed ulciſci non potuiſſe 180.20
Mortui cadaueris aſpectus immundum facit 825.10
Mortui familia funeratio, & rurſus purgatio ac luſtratio 825.20
Mortui non denuo moriuntur 182.40
Mortui in Plutonis rempub. relegantur 632.10
Mortui ſuper quo lugeatur, proſopopœia. 633.60.& dein.
Mortuorum cura apud priſcos ridicula 143.20

INDEX.

Mortuorum cura 633.10
Mortuorum desideriũ apud superos 103.30
Mortuorum figura 311.20
Mortuorũ numerus ab Atropo perscribitur 177.20.30
Mortuorum vmbræ inferijs ac libationibus pascuntur 632.60
Mortuorum, hominum facta omnia Charonti nota ac aperta 881.60
Mortuis conuiciandum non esse 874.60
Mortuos suscitans homo 886.10
Morsorum à cane rabido morsus etiam ipse noxius 657.40
Morsus rabidæ canis 863.20
Mulier ad voluptatem commodior 460.40
Mulier asini noctem redimens 526.50
Mulier asino Luciano delectata, hominem factum auersatur 528.30
Mulier felix quæ Veneris habet formã, Minuerua industriam 479.10
Mulier in aquas resoluta 320.40
Mulier maximè omnium callida 47.40
Mulier supernè, in piscis caudam desinens 814.50
Mulier virili ac mascula concupiscentia 749.40
Mulieris etiam reginæ fragilitas 817.40
Mulieris formosissimæ imago vt depingatur 479.40.50.
Mulieris impudicæ calumnia 686.20
Mulieris modestæ ornatus 700.30
Mulieris mortuæ mundus omnis cum ea combustus 653.40
Mulieri pulchræ quæ tenenda 477.40
Mulierẽ ex virgine fieri, graue nõ est 751.10
Mulieres ad insaniam procliuiores quam viri 375.40
Mulieres doctos viros in contuberniũ suũ cõuocãtes 227.10 etiã philosophãtes. 434.40
Mulieres Gallos adamantes 818.30
Mulieres illustres quo gratiores fiant 478.30
Mulieres in aues transformatæ 358.50
Mulieres insanæ in Bacchi exercitu 661.40 & dein.
Mulieres libidinosæ 404.20
Mulieres marinæ asininis pedibus 320.40
Mulieres maritimæ periculosissimæ ibi.
Mulieres plures quàm viri in tragœdia & comœdia inducuntur 410.30
Mulieres quæ honestæ euadant, ac probæ 881.20
Mulieres quibus custodibus maximè tradendæ 819.40
Mulieres semiuiræ 298.10 & dein.
Mulieris supra modum formosæ fictio, inanis 252.50
Mulieres viros auersantes, ipsæ fœminas amantes perinde ac viri 749.60
Mulieres vnde in insaniã adigãtur 376.10
Mulierum ad bestias damnatarum probra. 527.30
Mulierum amores diuturniores esse 459.30
Mulierum astutiæ 495.20
Mulierum conditio suauior, quàm virorum. 123.10
Mulierum consuetudine quatenus vtendum. 464.40
Mulierum corpora glabra 460.10
Mulierũ cultus quàm fastidiosus 464.50
Mulierũ honestarũ ornatus 700.20.702.10
Mulierum literæ 642.50
Mulierum luxus & ociũ 465.50 mollities ac lauor 847.10 morbi 376.10 necessitudo 463.60 sacrificia 699.50 vitia 882.50
Mulierum ossores vt eas spernant 464.60
Mulieribus inuidiam facit 465.10.20
Mulieribus mercede seruiẽtes philosophi quã indigna cogãtur ferre 201.10.20. & dein.
Muliebre consortium suauissimum 460.30
Muliebre spectrum admirabile 651.50
Muliebris imago præstãtissima 479.10.20
Muliebris ira 742.10.862.50
Muliebria corpora à virilibus multum differunt in temperatura 375.10
Muliebria pati rhetori suadet 64.40
Mulierculæ causa omnia sursum ac deorsum mouentur 63.20
Mulierculæ, pulcherrimæ pĩgi volũt 280.60
Mulieroſi etiam dij 51.30
Mulierosi hominis familia 453.40
Multi plus vident quàm vnus 483.60
Multitudo eos etiam sequitur qui ad crucem ducuntur 774.30
Mundus Cynico pro domo 847.10
Mundi mira consideratio 572.10 576.50
Eius origo. 859.20
de Mundo opiniones philosophorum. 572.30
Mundanorum bonorũ fluxibilitas. 892.10
Munera æstimanda non sunt vnde aut à quo dentur 384.60
Munera sibi oblata vt compensare cogãtur philosophi mercede conducti 303.20
Munerum datores, quales sint, considerandũ non esse 385.30
Munerũ Saturnaliorũ delatores quales sint 790.30
Munerum vis. 763.50.369.30
Murus ligneus inexpugnabilis. 837.10
Musæ CuPidinis telis nõ obnoxiæ. 70.10
Musæ in historijs nõ inuocandæ. 281.10
Musæ quæ canant in cõuiuijs deorũ 578.40
Musarum conuentus 800.60
Musarum dona qualia sint 719.10
Musarum nominibus inscripti libri Herodoti 260.30.291.10
Musas etiam Socrates in oratione de amore aduocabat 499.50
Musariũ meretrix 753.50
Musca encomium 695.60. & dein.
Musca militares & canes 670.50
Musca mulier loquax. & de amore Endymionis cum Luna contendens 670.40
Muscapoetria, & alia Athenienſis meretrix 670.50
Musca, Pythagoræ filia 670.60
Musica & arithmetica primùm institutum iuuenes Athenis. 622.40
Musica flebilis vt horrenda. 381.20
Musica incũdissima mulieris formosæ bene cantantis ad citharam 476.10
Musicæ præstantis ignotæ nullum est precium. 268.10
Musici insignes 703.30
Musonius philosophus 770.10
Mustelæ dens pelli leonis illigatus, medica vi præditus 646.50
Musto poti, vomitu leuantur 657.30
Mutæ literæ 24.60
Mutandũ sæpius in eadẽ re non esse 370.10
Mutatio in melius, sæpe malorum principiũ est 304.30
Myrrhina canicula prægnãs philosopho Stoico seruanda datur ab hera 202.10. & 20
Myrmidones è formicis nati 577.40
Myrtale meretrix 763.20
Myrtium meretrix 121.60.745.50
Myrtus Veneri sacra 454.10
Mysteria Aegyptiorum eleuata 841.10
Mysteria Alexãdri pseudomãtis 397.10.20
Mysterijs Eleusinijs cur initiari nollet Demonax philosophus 443.50

Nando ad inferos peruenire non licet 182.40
Narrandi cupiditas dissimulata 799.40
Narratio historici, qualis 294.10
Narcissus Lacedæmonius formosus 871.60
Nare trahi, prouerb. 250.30
Naris morsicus auulsa philosopho 809.30
Nasus muliebris 473.10
Natalitij soli dulcedo 712.50
Natalitiorum munerum offerendorum mos 706.40
Nationes longæuæ 707.10
Nationum mores diuersi 576.50.60
Natura nobis negata, desideranda non sunt 251.50
Natura in vnoquoque animantium genere duplex, maris, ac fœminæ 459.30
Naturæ legẽ soli homines violãt 458.20.30
Naturæ commodis atque adeo etiam delicijs an abstinendum 544.30
Naturæ suæ conuenientia quisque sectari ac sumere debet 845.30
Naturalis cuique functio seruanda 845.20
Naturalium rerum consideratio & abdita & iucunda 571.50
Nauclerorum mala & incõmoda 855.40.50.60
Naufragi hominis miro modo seruati exemplum 497.20
Naufragorum narrationes 187.30
Nauigantes simul colloquijs gaudent 877.60
Nauigatio mirabilis per aerẽ 298.50.307.50.319.10.723.10
Nauigium solutile 350.20
Nauigij pulchri ac magni descriptio 721.10.20.722.20
Nauis exemplo mũdum à Deo regi, vt illum à gubernatore 552.40 dein.
Naues cucurbitinæ, & corticeæ 317.50.60
Naues Vlissis cur minio fuerint infectæ 872.20
Nauli Charonti reddendi necessitas 116.50
Naulum mortuis in os indentes 632.60
Nauplius portitor 315.40
Nausicaa Alcinoi filia 478.10.604.30
Nauta amator à meretrice expoliatus 763.50
Nautæ munera amasiæ suæ 363.40.50
Nautæ cæteris hominibus infeliciores non sunt 879.30.882.30
Nautarũ senum color 664.20.30
Nautarum indicia in læto nuncio 876.10
Neãti Pittaci tyrãni filij stoliditas 674.50

INDEX.

Neceſſaria prætereunda non ſunt, & nõ neceſſaria inculcanda 286.20
Neceſſaria primùm inuenienda, deinde honeſta ac vtilia 462.40
Neceſſitas rerum 542.50
Neceſſitati naturæ vt optimè ſatis fiat 846 10. & dein.
Neceſſitati noſtræ ſoli nõ proſpexit Deus, ſed etiam voluptati 844 40
Neceſſitas fatalis 124. 50.60. 529. 30.40 & dein.
Nechrai 779.10
Necracademia 314.10
Necyomantia, ab inferis petitum reſponſum 125.30.40 & dein.
Negligentia & ignorantia culpanda vel nõ 350.30
Negociatorũ & artificũ incõmoda. 880.20
Negretus fluuius 316.40
Nemo quicquam gratis facit 210.40
Nemo ſua ſorte contentus 877.10
Νεοχμὸς 430.10
Neoptolemus Pyrrhichius cur dictus 406.50
Nephelę Helles mater 87.40
Nephelo coccygia vrbs 304.20
Neptunus amicam Enipei vitiat 89.40 Amymonem rapit 85.10 & dein.
Neptunus pauper, nẽpe æneus dũtaxat 539. 10
Neptunus Pelopis forma captus 866.60 Eius flagitia 857.20 miſeria 887.40
Neptuni impotentiæ argumentum 544.50
Neptuni regnum 544.10 & dein.
Neptuni templũ in ceto 305.30. & 306. 10
Ne quid nimis 681.50
Nequitia ſaltem interdiu ne committatur. 697.30
Nequitiæ adminiſtri etiam lucri participes 393.10.20
Nereides cum cæteris deabus de forma nõ au ſint contendere 84.40
Nero ſaltatorem legato cuidam dat 416 10
Neronis ambitio in poeſi 873.50 Eius deſcriptio 872.60 & dein. per tot. mors 875.10 20
Νῆϛις quid ſit 431.10
Neſtor paraſitus Agamemnonis 608.40 Eius tria ſecula 706.60
Neſtor Stoicus Tyberij præceptor 710.10
Neuris ſcortillum 756.50 & 757.50
Neuroſpaſta 815.50
Nicæa vrbs 288.10
Nicomachus Geraſenus arithmeticus 858. 50 Nicoſtratus Iſidoti filius 279.30
Nidorẽ ſacrificiorũ dij captant 148.10.149 20 Nidus immenſæ magnitudinis 318.30
Nigra quæ debent eſſe, bene nigra ſint in formoſa muliere 473.40
Nigrinus philoſophus 11.40.50
Nihil terrenorum bonorum homo ſecum aufert moriens 142.50
Nili pictura 637.50
Nimium omne, iniuſtitiæ penſum 681.40
Ninus Sardanapali vrbs 144.10
Niobe 5.40.741.10. 856.10.860.40
Nirei pulchritudo 100.30.871.50
Niſæi equi qui fuerint 190 40
Nix quomodo in cælo naſcatur 580.40
Nines Caſpiæ 283.20
Niuib. hybernis cõparata eloquentia 818.10
Nocentibus magis pœna irroganda, quàm bene meritis præmia danda 334.40
Noctuas Athenas, prouerb. 11.30
ad Noctuã reliquæ auiculæ cõuolãt 268.10
Nocturna oracula 399.60
Nũi. 850.60
Nomas lapis 660.10
Nominis ſui propagandi mira aſtutia 295. 40
Nominis amplitudine gaudẽtes diuites 568 10
Nominis loci mutatio 402.30
Nomine ſuo appellari Alexandrum pſeud. indignè ferebant eius comites, & prophetã appellari volebant 401.20
Nomina ſua priora indignãtuor pauperes repentè ditati 561.30.40
Nomina à moribus prauis indita 692.40
Nomina ſua agnoſcentes piſces 823.60
Nominũ paruulis indendorũ mos 706.30
Nominibus aut verbis febres non curari 706.20.30
Nomiſma Alexandri Pſeud. hinc, inde Glyconis imaginem referens 402.40
Non omnis veneni quãtitas occidit 247. 20
Nonagenarij regis virtus 709.30
Noſſe ſeipſum, ex ſaltatione reportatur 420 10
Noſtra nobis magis expendenda quàm externa & aliena 384.20
Notæ malorum hominũ in anima impreſſæ, de illis teſtificantur 184.30
Notæ præſtigiatorũ vulpes & ſimia 173.10
Notarum inpingendarum inſanus mos apud Aſſyrios 825.50
Nouerca priuigno adamata 815.50 & dein
Nouercarum ac priuignorum inter ſe odium 376.10
Nouilunij magni cerimoniæ apud Romanos 690.40
Nouis criminibus noua ſuplicia conſtituuntur 338.40
Nouitas delectabilis 8.40.50.25.30
Nouitas ac peregrinitas magis eſt admirationi imperitis, quàm artis præſtantia 265.10
Nouitate ſola placere Lucianus indignatur 263.40
Nox prolongata per tridum 62.50
Nox clara ac perſpicua, dies obſcura 298.50
Noctis templum 316.60
Noxæ cauſam qui prudens ac ſciẽs dat, perinde eſt ac ſi manu ſua ipſe fecerit 350.20
Nubecentauri 300.50.30
Nubes ſanguine infecta 300.60
Nubium vallum 301.30
Nuces in talorum ludo ponebantur 788.30
Nucum putamina pro nauibus 317,10
Nudæ videri meretrices quædam refugiunt 758.40
Nudum aliquem conſpicere, prouerb. 204.20
Nudi ad manes reuertimur: & rebus omnibus terrenis exuti 102.10.20. & dein. 184 20.30
Nudi incedentes præſtantiſſimi viri 846. 30.40
Nudi milites Antiochi Soteris 265.40
Numa inſtitutũ 690.40 Eius ſenecta 707 50
Numerandi ars Pythagoreorum 151.10
Numerus in hiſtorijs cõſtare debet 284.10
Nummulariorum ars 579.30
Nuncij lati à nautis, indicia 876.10
Nuptiæ quò inuentæ 462.10
Nuptiæ peracerbæ ſponſo 810.10
Nuptiarum diſparitas propter amicitiam nẽglecta 497.10
Nuptiarum fauor 91.10 neceſſitas 468.50
Nuptiarũ præreptarum dolor 507.40
de Nuptijs Helenæ conſultatio 869.10
Nuptialis pictura elegans 261.30.40
è Nuptialibus conuiuijs auferendorũ fruſtorum mos 807.40
Nycterion Eudianactis filius 300.20
Nyctiporus fluuius 316.40
Nyctor Lunaris 302.10

Beſtis ſaltatoris irriſio 418.50
Oblivio ſub Euclide duce geſtorũ 254.50
Obliuio didicitorũ nonnunquam optatur 259.10
Obliuionis fluuius 632.30
Obliuionis fontẽ morientes bibunt 185.50
Obliuionis pharmacum 657.30
Obolus, traiectiõis ad inferos merces 632.50
Obſcuritas oraculis conuenit 392.60
Obſeſſorum oppidorum miſeria 879.10
Obſidionalis corona cui debeatur 336.60
Obſignatis libellis reſponſa vt daret Alexander pſeud 392.20
Obſonandi ars 600.10
Occaſio anceps quam in partem cedat, in manu Dei eſt 347. 60
Occaſio periculoſa data, culpa nõ vacat 348 10
Occidẽdi hominis vel peſſimi licentia ſine legis authoritate, quàm periculoſa ſit 577.30
Occidere, & cauſam occidendi dare, an idem ſit 348.40.50
Occiſus hõ facilè calũnias pati põt 358. 10
Otioſam vitam prætextu philoſophiæ ac ſanctitatis, taxat 780.30.40
Octipedes homines qui fuerint 270.40
Oculus philoſopho à philoſopho effoſſus 809. 30 Oculi Argi 887.10
Oculi bouini 474.10
Oculi diſtorti in muliere, deformes 746.10
Oculi exemptiles 303.20
Oculi imaginis miro aſpectu 321. 50
Oculi in conuiuijs cohibendi 200.20
Oculi mulieris formoſæ quales eſſe debeant 239.10
Oculi regis plures 200.10
Oculorum altero clauſo quædã meliùs fiunt 579.50
Oculis apparẽtia, certiora, quàm quæ auribus 417.10
Oculos pro redimendo amico impendens amicus 504.30.40
Ocularis medicina 424.10
Ocypi fabula 741.40.50 & dein. per tot.
Odia muliebria 376.10
Odij ſuſpecta oratio fidem non facit 686.10
Odij conciliandi ratio 749.40
Odor diuinus 821.20
Odor molliũ ac laſciuorum hominũ 847.40
Odoriſpirum mancipium 784.10
Odyſſeæne prior ſcripta, an Ilias 313.30

INDEX.

Oedipus 204.20 podagricus 339.60
Oedipus Coloneus tragœdia Sophoclis 711.10
Oenei conuiuio non adhibita Diana vt se vlta sit 145.40.50.804.60
Oenomai Arcadis turpis libido 870.10
Officium vt præstes, præmio prouocãdus non es 339.10
Ogmius lingua Gallica Hercules dictus 664.20.30 Oleum ex cepis 303.10
Oleum hispanicum 727.30
Oleum muscas necat epotum 669,30
olei vis 624.10 Oliua natatiles 432.10
Olus ac lupinum sæpe appetunt diuites saturi. 794.60.
Olympiæ vrbis ariditas. 770.20.
Olimpias Alexandri mater draconi cõsueta. 107.20.387.60.
Olympius Aspasiæ amator. 477.30.
Olympia magna, famam viris illustribus cõciliabant 261.30.40
Olympicis certaminibus vt legantur athletæ 239.10
Olympionicarũ statuæ 482.30 præmia 615.50
Olyra, τίφοι, siligo 431.20
Omina mala 862.30
Ominantes mala, inuidiosi & ingrati 863.10
Omnia nostri causa formata 844.30.40
Omphale seruiens Hercules, historia fabulosa 280.10
Oocataxis quid sit 431.40
Oneribus gestãdis parta pecunia amicus amicum subleuans 501.30
Oneseritus historicus 708.60
Onoscelea mulieres 320.30
Opera & dies Hesiodi 719.40
Opera etiã adesse debere, nõ orationem solam homini qui laudandus sit 658.30.40
Operibus nihil valentes, ad verba cõfugiũt. & contrà 781.10
Operariorum incommoda 880.10
Opes cur possideamus 713 10
Ophion podagricus 736.60
Opifices humanitatis candidatis longè posthabendi 4.10
Opprobria sua mutuò sibi improperãt Æsculapius & Hercules 65.20
Opsoniorum genera vt euaries 333.60
Optatio stulta 724.30. & dein. per tot.
Opulenta ædis pictura 204.40 & dein.
Opulentia primum locum sibi vẽdicat 538.50
Opulentia parandæ difficultas 845.40
Oraculum Alexadri pseud. instructum 391.50
Oracula ad astrologiæ rationem etiam relata fuisse 439.60
Oracula ad terrẽdos homines conficta 400.10.20
Oracula Apollinis fallacia 67. 30 obscura 538.10 admirabilia 822.30. 40 eorum instrumenta 546.30
Oracula nõ semper commodè fingere poterat Alexander pseud. 394.10.20
Oraculorum vanitas 395.50.399.30.657.10
Oracula noua ac contraria prioribus deceptis substituta 394.40
Oracula omnia simili ferè impostura reddebantur 394.50
Oracula qua maximè de causa locupletata 388.30
Oracula vbi potissimum instituì debent 388.40
Oraculorũ ambigua illusio 399.50.400.30
Oraculorum merces 393.10
Oraculorum obscuritas 532.40.50 incertitudo 552.40 prophanatio 841.20
Oraculorum vanitas, deorum existimationẽ minuit 543.10
Orata Armenij mors 111.30
Oratio collectitia 689.50
Oratio Demosthenis viua, non malleo fabricata 829.50 lucernam olens .830.10
Oratio quadriennio præmeditata 770.40
Orationis prosopopœia 702.10 pictura 704.40 varietas & ornamentum 828.10
Orationem Galli non Mercurio, sed Herculi tribuunt 665.10
Orationes suas ac libros Græci authores in ludis publicis recitabant 260.40
Orationes Luciani quales populo visa sint 263.10
Orationes in celebribus domibus habitæ, gratiores 702.10
Orationum pulchritudo 871.50
Orator quam cultus sui curam habere debeat 703.30
Oratoris & historici differentia 293.20
Oratoris & poetæ cõmunes virtutes 828.10
Oratores ad aquæ mẽsurã perorabant 163.10
Oratores apud Areopagitas quæ permitterẽtur dicere 621.40
Oratores post poetas legendi 429.10
Oratorum afflatus quidam diuinus 827.60
Oratorum Gracia proditio 834.50
Orbitas nõ semper calamitas reputanda 829 20.30 Orbitatis dolor 343.10
Orbitatis luctus vt leuatus, ac velut irrisus 445.50
Orcadis extrema 352.40
Orci magicis carminibus excantati hypotypo sis 129.10.20
Oreſtes & Alcmaõ patres suos vlti 415.20
Oreſtis ac Pyladis amicitia 467.10.20.489 30.40. & dein.
Orionis canis, leonicida 486.10
Orionis pictura 705.30
Orithyia à Borea rapta 645.40
Oris facilitj aperiendi & claudẽdi astus. 389 40 Oris nefanda 694.30
Oris putridi ac olidi exprobratio vxori à marito 234.10
Ornatus Athenienſis 271.50
Ornatus artificem non facit 70.40.50
Ornatus mulieris modestæ, & meretricis 700.30 Orodæcides 688.40
Orontis mors 878.40
Orpheo vxor Eurydice ex inferis reddita 117 60
Orpheus & Musæus optimi saltatores 407 60
Orphei exitium 414.30.674.50.788.30
Orpheus Græcis astrologiam mõstrauit 473.50 idẽ philosophus insignis 779.30 783.30
Orphei lyra, compluscula stellæ 438.10
Orphei pictura ibid.
Os muliebre 473.10
Osculum duobus talentis redemptum 101.30 intra Osculum constitutipueri 397.50
Ostreum vnum, currum implens 307.60
Othryadis sepultura 344.30
Otus & Ephialtus cælũ attentãtes 578.60
Ouis tota in furno assata 425.10
Ouum vnum soli non appositum 199.10
Oues cur à deo pingues factæ 844.50
Oui excauati fœtum serpentis recens editum continentis tragœdia 389. 50.60 & dein.
Oua miræ magnitudinis 318.30
Oua struthionum 715.50.60
Oxydraces 779.10

Pacata cuiusdam simulacrum 473.50
Pace pauci ad inferos demittuntur 96.10
Pacta & conditiones vt seruentur 335.30
Peantis filius podagricus 740.10
Pederastarum mos 13.30
Pederastæ familia 453.20
Pederastæ acriter perstricti 458.40.50
Παιδοβοσμὸς 432.10
Papalema 697.40
Pagurada 306.50
Palamedis calumnia 786.50 Eiusdem astutia contra Vlyssis simulationem 705.40
Palæstinæ sacerdotes & scribæ 768.10
Palæstræ ancillæ & Luciani amatoria 514.30. & dein.
Palestrici & adulatores, aulæ accommodati 189.10
Pallas vt è cerebro Iouis sit nata 61.10.736 60
Palladé sibi despõderi Vulcanus petit à Ioue 61.50.60
Pallas Homerica 345.40
pallas Athenienſibus malè cõsulta in bonũ vertebat 364.10
Pallij Græcanici momentum 198.20
Palinuri & Charontis dialogus de nautarũ calamitatib. 876.20.30 & dein per tot.
Palmarum conscensus 820.50
Pan Mercurij filius, patri pudori est 76. 10. 20.50
Pan auxiliatus Athenienſibus 645.30
Panos descriptio 586.40.587.20. 588.10 661.50.839.40
Pandionis nata 476.10
Pancrates Aegyptius magiã ab Iside doctus 655.60 Pancratium 615.50 Panegyricus quando ab Isocrate conscriptus 710.50
Panegyricì conuentus maximi 824.10
Pangeum quàm exiguum 577.20
Panes parati prouenientes in spicis profrumẽto 311.30
Panes nouilunares 425.10
Panis colostratus 430.40
Pannychia fluuius 316.40
Pannychis meretrix 754.60
Panoplia lupinea 303.40
Panthea mulier formosa 474.40.478.10
Pantomimi vnde dicti 416.40
Papauera insomniorum insula 319.10
Paphlagonum ruditas 388.50
Paratonium quid 295.30 ad marginem.
Par pari gaudet 876.50
Parasitari quid sit 614.10

INDEX.

Parasitica velut encomium 597.30.40 *& dein. eius definitio* 600.40
Parasiti securitas 601.50.60.602.10
Parasitus non est, qui victus inopia laborat 612.30
Parasiti ad quid vtiles 613.30
Parasitos taxat 19.20
Parcæ tres 529.40
Parcæ vbi degant 534.40. *earũ labor* 534.50. *fusi* 140.60.614.30 *fatalia* 529.20. 859.30 *decreta immutabilia* 530.50 *vis* 547.30
Parembole quid sit 742.40
Parentalium vanitas 634.40
Parentes virtuti posthabendi 228.40
Parentum exempla filij imbibunt 881.30
Parerga in orationibus qualia esse possint 621.20
Paris Ganymedis cognatus 70.50. *Eius de deabus iudicium* 70.40. *& dein.* 867.30. *& seq.* 869.20
Parrhisiades Lucianus 165.30
Parricidarũ ac impiorũ supplicium 771.20
Partis cognitio, in totius cognitionem ducit 244.10
Partes corporis podagræ obnoxiæ 737.20
Parthorum dracones 287.10
Parturiunt montes 284.60
Paruo contenti felicitas 886.40
Parthenis meretrix 764.30
Parthenius poeta 294.40
Pasiphaes fabula 438.60
Pasiphaes adulter 528.10
Passo pictor 831.40
Pastorem Sole exustum Musæ auersatæ non sunt 672.10
Pater, filius, & spiritus sanctus 858.50
Pater ac mater ex æquo adorandi 457.40
Pater filiæ amore captus, elocare illam cunctatur 870.20
Pater propter infantem filium in integrum restitutus 500.20
Pater à filio sublatus 317.20.767.50
Pater filio & vxorẽ & regnũ cedés. 816.50
Pater sæ. liberis suis rem domesticã ex animi libidine moderari nõ permittit 352.50
Patris dolor in cæde filij 327.40
Patris ius in liberos vnde sit 369.40
Patris senio ingratus filius 710.60
Patri non licet sine iudicis cognitione filium abdicare 368.60
Patri in honoribus neminem præferre filius debet 712.40
Patre orba filia ad meretriciam artem conuersa 751.20
Patres aut matres rarò ob necẽ filiorũ mortem sibi consciscunt 342.50.351.30
Patres sæpe filijs temere irascuntur 368.60
Patres magis liberos suos amant, quàm contrà 371.20
Patres ac matres filiorum vulneribus gaudentes 630.10
Patres nõ elocãt filias suas nisi nubiles 869.10
Patrum iræ modus statuendus 369.20
Paterna cædis vltio 369.20
Paternæ querelæ iustæ causæ 373.20
Paterni luctus pro filio expressio 633.20
Paterni odij futuri indicia 367.10
Patriæ officiũ gratis impendendum 339.10
Patriæ ingrati, impijssimi 342.40
Patria boni viri non perpendenda 496.30
Patriæ fuga quid arguat 693.30
Patriæ encomium 712.10. *& dein.*
Patria, communis omnium mater 713.30
Patriæ propugnatio, optimũ augurium 782.20
Patriæ commendatio 829.10
Patriæ amantes, timendi hostibus 782.50
Patriæ mala imprecanda non sunt 863.10
Patriam suam an laudet historicus 281.20
Patroclí & Achillis amor qui fuerit 470.10
Patroclus à quo occisus 562.60
Patroclus Achillis parasitus 609.20.60
Patrocli de cadauere contentio 808.50
Patronos forenses irridet 814.20
ex Pauonum pennis corona 313.50
Pauonis mirum ingenium 701.20.30
Pauo ex India 727.30
Pauper Charon cum diuite Plutone fortunã suam non commutet 887.30
Pauper de diuite repẽtè facto querẽs 561.30
Pauper ne sua prodigat 696.60
Pauper vnde æstimandus 886.30.40
Pauperis ad conuiuium diuitis inuitati solicitudo 559.10. *& 50*
Pauperes repentè diuites facti, superbi 34.20
Pauperes feliciores diuitibus esse 562.10. 564.50
Pauperes quæ dona diuitibus remittant saturnalibus 790.50.60
Pauperes vt tractentur in conuiuijs diuitum 792.50.795.50
Pauperes vt à diuitibus in precio habeantur 795.10
Pauperũ crapulantiũ insolentia 796.60
Pauperes in rep. necessarij 795.60
Pauperes semper queruli 396.50.60
Pauperum cura Saturnalibus apud diuites 389.50 *& dein.* 792.40
Pauperum tyrannis in diuites in concionibus 564.50
Pauperum querimonia de diuitibus 794.20 796.50.60. *& dein.*
Pauperum consolatio 94.10.705.10
Pauperũ consuetudo quàm pernicios a aliquãdo 797.30
Pauperibus damnatis dimidium malorum remittitur 130.60
Pauperibus expeditior est moriendi ratio 181.30
Pauperibus quid maximè doleat 792.20
Paupertas viscosa, ac prensu facilis 36.20
Paupertas omnia & facere & pati suadet 209.30
Paupertas amatoris meretrici ingrata 763.20 *Paupertatis bona* 37.50 *onus* 789.30
Paupertatis comites, & eius effectus 36.40
Paupertatis excusatio 697.10 *Paupertatis onus quauis ratione depellere licitũ* 29.50
Paupertatis prætextu seruitutẽ voluntariã subeuntes, an vera dicant 189.50.60
Paupertatis professores auidissimè diuitijs inhiantes 781.20
Peccatorum nota in animas impressa, & vt eluantur 184.20
Peccatum quod in iuuene reprehendas, ipse se nec ne commiseris 207.50
Peccata morbo imputata 367.20
Peccata reprehendenda sunt, peccãtibus ignoscendum 442.40
Peccata an sponte facimus 534.40
Peccata vnde creuerint 841.30
Peches, paruuli pueri apud Ægyptios 637.60
Peculiares Epicuri sententiæ, liber pulcherrimus 399.10
Pecuniæ damnosæ sæpe suis possessorib 86.60
Pecuniam qui debet à soluenda liberatur debito 335.50
Pecuniarum cupidi philosophi 433.30
Pecunia incantatione fortior 445.30
Pedes hominis frigore perditi 673.20
Pedes lignei *ibi.*
Pedis offensi omen 709.50
Pedes equinis similes optet Cynicus 847.10
Pedum officium 844.10
Pedestre & humile esse non debet dicendi genus historicum 282.20
Pelichus dux Corinthius 650.40
Pella Macedonicis regib. illustrata 388.10
Pellis leonina eum claua, Herculem non facit 677.40
Pelops cur in deorũ numerum adscitus 866.20.60 *eius fortuna* 870.40
Peloponnesi circuitus ad Maleam, Nero tollere volebat 873.30
Penelope qualis fuerit 317.40.478.10 *Eius tela* 782.10
Penetrale ædis sacræ solis sacerdotib. adire licet 821.30 *Pensa Parcarum* 140.60
Penis philosophicus 436.10
Pennæ lactucæ foliis similes 299.40
Penthele pagus Atticus 516.30
Pentheus à Bacchis discerptus 766.20.790.40
Pentheus, Actæon, Learchus, homines infelicissimi 840.20
Pera Cyniculi iuuenta quid haberet 172.40
Pera Cratetis 781.60
Perdicca amore nouercæ cõtabescẽs 290.30
Perdicca humanitas 684.40
Perdicca Ariathem regem in crucem tollit 708.50 *Peregre proficisci deos* 549.20
Peregre agentium desiderium 713.50
Peregrè proficiscendi ad sacram ciuitatẽ ceremoniæ 825.40
Peregrinatio est vita nostra 141.40
Peregrini & aduenæ sunt omnes vrbis virtutis incolæ 204.50
Peregrinus exercitus non contẽnendus 662.50
Peregrinus qui fuerit 765.30 *Eius vita, & res gestæ* 767.40.50. *& dein. per tot. &* 775.10
Perfecta laudatio vt fiat 486.1.
Perfectè sapiens aut felix nullus adhuc visus 486.10.
Perfodiendũ non fuisse temere Isthmũ 874.30.40
Periander apud beatos non est 312.10
Periclis fulgura ac tonitrua 826.30
Pericula rebus præclaris connexa sunt 136.50 *Periculo se nemo exponat* 350.10
Pericula maris celeberrima 878.10
Perilaus tauri inuentor ac fabricator in quo homines cruciarentur, quam mercedem retulerit

INDEX.

tulerit 381.10.20.30
Peripateticorũ dogmata 158.10.20,433.40
Peripatetici & Stoici commiſsio 223.30
Peripati diatribæ 578.20
Perplexitates philoſophorum 256.20
Perſarum ſagittary quàm docti 233.50
Perſæ & Parthi, longæui 706.60
Perſarum mos in adorando rege 729.20
Perſeus Danaës filius 90.10.389.20.704.40.858.20
ex Perſia in Ægyptum via compendioſa 637.30
Perſica arrogantia 636.30
Perſicis in conuiuijs vultu demiſſo accumbebatur 200.20
Perſonæ etiã habitus congruere debet 19.10
Perſonæ decorum nunquam exuendum 169.10.40.837.10
Perſpicuitas ſaltatori neceſſaria 415.20
Perſpicuitati ſacrificandum 429.20
Perſpicuitatis laus in oratione 545.50.
Peſtilentiæ ſedandæ ratio 270.60
Peſtilentiæ remedium vanum 396.30
Peſte & bello plurimi moriuntur 96.10
Peſtis à Thucydide breuiter deſcripta 294.60
Peſtes fatales reip. vt leuandæ 359.50
Peſtis ex nimio æſtu 430.20
Phædræ calũnia de priuigno Hippolyto. 686.20.818.40
Phædri amor qualis fuerit 459.20
Phæaces ſaltatores maximi 407.40
Phæacum rudis populus 296.60
Phaeton perperam currum Solis regens, puni tus 76.30
Phaethon ſolarium hominum rex 299.10
Phaethontis incẽdia 300.50.439.10.666.40
Phalanx Galatarum 265.30
Phalanx φλαγία, ἐπὶ κέρως 287.40
Phalaridis legati cũ tauro æneo ad Delphos 176.60
Phalalaridis clementia 380.30.40
Phalli ſeu Priapi Dionyſii 815.40.820.40
Phantaſionis filius Plutocles, Somni præfectus 316.60
Phaon à Venere iuuentuti reſtitutus 100.20
Phari 295.30
Phariæ turris altitudo 574.30
Pharmaci dandi difficultas 371.40
Pharmacũ inſaniæ ac ineptiæ purgandæ datum 429.30.40 φαυλαι 431.10
Phello ciuitas 309.60
Phellopodes homines 309.50
Pherecydæ Syri ſenectus 710.30
Phidias ex leonis vngue, leonis magnitudinẽ æſtimabat 243.50.60
Phidias vt opera ſua reformaret 483.50
Phidiæ opus pulcherrimum quod ſit 472.40
Philænis 461.10
Philænidis libri 694.60
Philantia humana 685.20
Philematium meretrix 758.10
Philemonis Comici ſenectus 711.10
Philinna meretrix 747.20
Philinus faber ferrarius 751.20
Philippi, ciuitas Thraciæ 782.50
Philippus Macedo, calceorum refector apud inferos 132.10
Philippus oculo priuatus 289.50
Philippi teſtimoniũ de Demoſthene 834.50.60. & dein.
Philocali qui ſunt 872.40
Philocletes Herculi conflagraturo aderat 771.10
Philomela in auiculam verſa 860.50
Philomelæ lingua execta 695.20
Philoponi qui vocentur 872.10
Philoſophantes mercede pacta 19.20
Philoſophantes inter calices 169.60
Philoſophandi via optima quæ ſit 224.40.243.10 & dein. 258.10
Philoſophandi difficultas 249.10
Philoſophari qui primi cœperint 779.10
Philoſophi diuitias ſectantur 782.60 vt nominandi. ibid.
Philoſophia vbi habitet 163.10
Philoſophia à Comicis irriſa 164.20
Philoſophia barbaros non auerſatur, ſi modò rectè ac iuſtè ſentiunt 166.30
de Philoſophia diuerſæ opiniones 604.40
Philoſophia vna eſt. 605.10 Iouis donum. 778.04 per quos in contemptum venerit 781.60
Philoſophiæ laus 12.50
Philoſophiæ velut furor quidam 13.10
Philoſophiæ floſculis illuſtrata Luciani ſcripta 163.60
Philoſophiæ hypotypoſis graphica 163.60
Philoſophiæ comites 163.50
Philoſophiæ perpurgatio 121.50
Philoſophiæ adyta in fundo abſtruſa 246.20
Philoſophiæ guſtus. 240.40 reuerentia 257.40.50
Philoſophiæ querela ad Iouem 788.30
Philoſophiæ bonum mortalibus ibid. 40
Philoſophiæ propagatio 779.20
Philoſophiæ quatenus ſtudendum 806.50
Philoſophiæ ſcola, reip. adminiſtratio 835.50
Philoſophus aulæ ineptus 200.50
philoſophus ſummis tantum labijs 208.20
Philoſoph. qualis corpore eſſe debeat 434.50
Philoſophus conuiuium obturbans 560.10
Philoſophus cum morione colluctans in publicis nuptijs 803.40
Philoſophus nullus in bello interijt 607.10 40. 608.10.20
Philoſophus decrepitus etiã morbo confectus tamẽ opiparo conuiuio deeſſe nõ vult 559.40
Philoſophus paderaſtes 757.30
Philoſophus ob maledicentiam vrbe eiectus 770.10
Philoſophi ſupellex 770.10
Philoſophi ſenes inutiles 203.50
Philoſophi noũe qui verè ſit dignus 254.30
Philoſophi magiſtri & auũculi de nepote male inſtituto conquerentis velut dialogiſmus 256.60. & dein.
Philoſophi conſpectus tanquam canis rabidi fugiendus 159.20
Philoſophi Stoici et tyrãni diſcrimẽ 342.40
Philoſophi progreſſus ab initio 442.10.20
Philoſophi color, pallor 536.10.20
Philoſophe, ſeruire indignum eſt 216.10.20
Philoſophum ſe profitetur Lucianus 165.30
Philoſophũ præſtare, hoc eſt viri officio fungi cum muliere, ridiculè ac falſè 435.50
Philoſophus ſenex 203.40 645.50
Philoſophi in deos nefarij 30.40
Philoſophi irriſi 93.20.30.580.60. & dein
Philoſophi qui ſint à Luciano perſtricti 168.20
Philoſophi vt probentur legitimè ſint, an ſpurij 173.10
Philoſophi moribus adoleſcentulorũ formandis inepti 256.60
Philoſophi vnde cenſeãtur quibuſdã 572.10
Philoſophi veri, veritatis optimi cultores 586.20
Philoſophi baculis armati incedunt 612.40
Philoſophi nihilo plus alijs à peccato immunes 806.60
Philoſophi conflictu cõuiuali vulnerati 810.10
Philoſophi ſæpe rei 613.10
Philoſophi longæui 709.40
Philoſophi ne noua nomina confingant 842.30
Philoſophorum mores 18.40.50. & dein. rixæ 31.30.432.60. habitus 41.50 nugacitas 113.10. vitia idẽ. 169.40 224.40.225.40 incertæ & diuerſæ doctrinæ 127.30.150.30 40.244.30
Philoſophorum auaritia 170.10.20.611.50
Philoſophorum deſpectus cæterorum hominũ 220.40
Philoſophorum æſtimatio ex habitu & cultu corporis 226.10
Philoſophorum vanitas velut in ſomnijs & rerũ domeſticarum ſecuritas 252.20
Philoſophorum miſera voculæ, ac ſilogiſmi 256.10
Philoſophorum ſalaria antiquitus 433.20
Philoſophorum præcipui 449.10
Philoſophorum duntaxat eſſe amorẽ maſculum 463.50.60
Philoſophorũ nefanda per noctem Luna deſpicit, ac tegit 578.10
Philoſophorum omnia plena, & plerique ex ijs fex hominum 585.40
Philoſophorum exitus infelices 613.20
Philoſophorum conuicia rex patienter ferens 770.10
Philoſophorũ inſectatio 102.30.159.30.40 61.10 644.20.777.50.798.20
Philoſophorum dignitas ac reuerentia 782.30
Philoſophorum externa imitari facile 780.40
Philoſophorum nuptijs adhibitorum cõſeſſus 800.10
Philoſophorum in ſe inuicem crimina 806.20
Philoſophorum intenta 841.30
Philoſophis ſingulis quantum temporis impendendum 240.50
Philoſophis quatenus fides adhibenda 241.20
cũ Philoſophis conuiuia non temere celebrãda 810.30
Philoſophos omnes Lucianus perinde habet 258.50
Philoſophos etiam dignari res principum ſcribere, philoſopho hiſtorico dicendum non eſſe 283.10
Philoſophos omneis perditos cupit Luna 478.20

INDEX.

Philosophicis sermonib. qui moueantur 22.50
philosophica plera& hippocentaurorũ & chimærarũ ac gorgonum similia 252.30
Philosophicus fastus 442.30
philoxeni mira libertas aduersus Dionysiũ tyrannum 443.10
Phineo harpiæ cibos è faucibus eripiũt 33.50
Phyfalli serpentes 716.10
Phlegius Solaris 302.10
Phocion inter beatos 312.30. Eius paupertas 533.40.50
Phœnix Indica auis. 733.20. eius ingenium mirabile 772.50
Phœnicum nauigatio 491.20.570.30
Phœnices, scortatores 576.40
Phrenetici cum medico certamen de cantu 803.40.50
Phrygia saltatio 411.30
Phrygia tibia nõ omnes ad insaniam adigit 22.50 Phrynondas 387.10
Phryxus Helles frater 87.30
Physicæ principia ridicula & obscura à philosophis traduntur 443.40
Pictorum absurda figmenta populus admiratur 252.50
Pictores Græci vt innotuerint 261.10
Pictorum adulatio 481.20.30
Pictor vt opera sua emendare possit 483.40
Pictoris docti industria 705.10
Pictores pulchritudinis studiosi 871.50
Pictura excellentissima 263.50.60
Pictura Pyladis & Orestis apud Scythas 491.50.705.10.20
Pictura sociorum Socratis quum illi in carcere adstarent 797.50
Picturæ inuertendæ vsus 831.40
Pincernæ auribus obturatis 795.50
Pindari de auro sententia 558.30
Pingi pulcherrimæ cupiunt mulierculæ etiã deformes 280.40
Pingues homines, vulgus 388.10
Pirithous Thesei socius in rapienda Helena 868.60
Piscatio Luciani pseudophilosophorũ 173.30 40. & dein.
Piscator Luciani quid contineat 159. 20.30
Piscatorum frustratio 248.20
Piscatores & nautæ ac agricolæ scortis vtiliores quàm milites 765.10
Pisces vini gustu 298.10
Pisces cælestes 437.40
Pisces in delicijs 794.40.811.10
Pisces vbi sacri habentur 814.60
Pisces admirabiles 823.50
Piscium in tincturam abusus 846.10
Pistilli in hominẽ excantati mirũ 656.30
Pistricum liberalitas in Demonactem 449.10
Pittaci senectus 709.50
Pityne fabula 711.10 Plagarũ metus 6.10
Platanus Platonica 461.50
Socratica 465.30
Platanorum vmbræ 856.50
Plato Siculis tyrãnis adulatus 115.50.606 10
Platonis eloquentia 166.10
Plato apud beatos non est, sed in sua ciuitate degit 312.30
Plato præstigiatoribus non dissimilis 393.40
Platonis leges frigidæ 577.30.641.10
Platonis argutias perstringit 596.50
Platonis senectus 688.40
Platonicorũ fœminæ & pueri omnibus communes 313.60
Plebeiorum res ac studia 573.50
Plesthenes podagricus 739.60
Ploratus maniũ in cymba Charontis 182.50
Plumæ longissima galli caudæ mirum 567.40.50
Plumbea regula 356.50
Plumbeis compedibus vinctus 393.40
Pluribus egent infirmiores 846.30
Plutonis regnum, inferni locus 632.10
Plutonis regia expugnata 889.20
Plutonis miseria 889.30
Plutus querulus 32.10 cæcus & claudus 34.10 aliàs à Ioue mittitur, aliàs à Dite. ibid. 20.30
Plutus ex tenui trama suspensus 727.60
Pnyce concionum locus Athenis 461. 20. 586.40
Pocillatores formosi & exoleti 802.20. 50
Pocula admiranda sponte vino se implentia 311.40
Podagra, senectutis comes 203. 50. Eius remedia 646.50
Podagræ vis & malitia 735. 10.20. & dein. per tot.
Podagra & tussis ac tabes, senũ morbi. 794 40
Podagrici querela 736.10
Podagrici cæteris ludibrio sunt 741.10
Podagricorum illustrium catalogus 739.60
Podalirij mulierositas 389.20
Pœcilus porticus 163. ad marginem
Poemata non semper noua cudenda in festis deorum 832.20
Pœna paratior in delictis, quàm præmium in rectè factis 350.60
Pœnæ apud inferos sceleribus similes reponũtur 890.60
Pœnitentia damnatorum 130.30
Pœnitentiæ typus 681.30
Pœnitentia mercede conductorum 200.30
Pœnitentia ac querela diuitum 847.50
Poesis fato quodam accedit 603.30
Poesis ornatus 827.30
Poeta versifex 641.10
Poetæ epithetis ruinas carminũ fulciunt 29. 10 Poetæ herculea audacia 254.30
Poetæ in elysio campo præcipui 311.60
Poetæ primi legendi 428.60.442.10
Poetæ ne verbis nimis obsoletis vtãtur 429 50
Poetæ deorum gloriam imminuentes 543.20
Poeta & pictores liberi sunt 485.30
Poeta quando vera dicere putandi, quãdo nugari 529.40.719.10
Poeta multorum ridiculorum credendorum authores 859.10.856.50
Poetæ deliri 789.20
Poetarum absona de dijs 127.10.550.50
Poetarum ambigua & obliqua & incorrecta 719.10.860.10
Poetarum libertas 278.30 mẽdacia 645.10 nugæ 858.40
Poetarum studiosa pulchra mulier 476. 40
Poetis cognitu necessaria 412.30.40
Poetas magis voluisse oblectare, quàm conatos vera dicere 549.60
Poetica magniloquentia 538.10
Poetice pedestris 279.10
Poetices & historiæ discrimen 2789.10
Poeticus furor 827.30.40
Poeticis dictiõibus historicus abstineat 284. 20.291.30
Polemo ex lasciuo adolescente subitò grauis philosophus factus 589.20.30.40
Polemonis cuiusdam amatoris à militia reditus 755.10 & dein.
Pollicita immensa 393.20
Pollicitis & spebus pellecta meretriculæ 752.40
Polus Acragantinus vt innotuerit 260.50
Polybij historici senectus 710.40
Polycleti canon. 418.20.767.40
Polycrates Samiorum tyrannus in crucem adactus 140.20
Polydamas Scotussæus palæstrites 289.10
Polydamantis statuæ virtus 841.20
Polygnotus supercilioru optimus pictor 473. 40
Polylampes Solaris 302.10
Polymnia memoriæ filia 412.10
Polyphemus Doridis amasius 80.50.60. ab Vlysse excæcatus 82.20
Polypi variatio 84.10.416.50
Polypi vice ferreorum rostrorum 308.10
Pompa funebris 632 60
Pomum Eridis in conuiuiũ deorum proiectũ. 84.30
Poma, gymnasiorum in Pythijs præmia 609 40. Pondus Telluris 211.10
Pons ingens 319.10
Pontici homines rudes 391.20
Popularis concio studijs magis quàm iudicio ducitur 329.50
Populares qui vocentur 872.40
Populi iudicium quanti faciendum 483. 50
Populi lachrymæ electrũ, fabulosæ 666. 30
Populi spes, vana 774.30
Populum excitandi ratio 393.20
Porcina abstinentes 825.30
Porci sceleratine, an sacri ibi. 20
Portenta miranda 318.40
Portæ somni 316.40.558.20
Porrectis pedibus dormire, prouerb. 193.10
Porus ab Alexandro captus 106.3
Posidonij Apamæi senectus 710.10
Posidendi cupido quàm cæca 886.20.
Posidonij, Posidippi, Posicrei, possifundi, Possidori vocari possint sophistæ 782.60
Postulata geometrica 254.20
Potamonis rhetoris senectus 711.10
Potentes viri vt grati populo sint 478.30
Potestas dicendi historico necessaria 288. 50
Potus, aer in calicem expressus 302.50
Prabibendi inuicem mos in nuptijs apud veteres 802.50
Præceptor discipuli benenolentia commodè vsus in patriam 710.10
Præceptori habenda fides 321.20
Præceptorum reuerentia 234.10
Præcipitij petra prope Delphos 379.30
Præconiũ pro dicenda sententia 542.40
Prædictiones & oracula eleuat 532.50

Prædi-

INDEX.

Prædictionis oraculi anteambula 546.50
Præfationes aliquot Luciani 661.30. *& dein*
Præfationis pulcherrimum argumentũ. 715.20. *& dein.*
Præfecturæ claſis dignitas apud Athenienſes 829.10
Præmia cur dari debeant bene meritis de patria 323.60. *Præmiorum ſtimulus.* 529.20
Præmia in gymnaſiis Athenienſiũ 616.50
Præmijs ad pauca promouemur 338.30
Præſaltatores, ſtatuis honorati 407.60
Præſcripta legum ſeruanda 356.50
Præſcientia futurorum quibus maximè neceſſaria. 388.30. *ad quid vtilis* 440.50.60
Præſentibus acquieſcendum 119.40
Præſentibus multis cõtumelia affici, & præſentibus paucis, multum refert 617.10
Præſtigiæ ex cauda galli gallinacei 567.60. *& dein.*
Præſtigiarum modum vt nõ intelligas, ne tamen accedas 391.30
Præſtigiatores philoſophos irridet 171.20.30 *& dein.*
Præſtigiatoris techna 387.30
Præſtigiatores inuicem mutuas operas tradentes 394.50
Præſtigiatorum impudentia 841.20
Prati floridi illecebra 871.40
Precatio & ſacrificium Indorum 408.20
Preces vt fiant ad deos pro vnoquoq; in ade Syria dea 821.10
Praces noſtras vt ex omni loco dij exaudiant 445.60
Priamus, podagricus 739.60
Priami infelix exitus 892.10.20
Priapi ſaltatio 411.10
Priapi à Bacchopoſiti 815.40. 820,30
Priapi conſenſores 821.10
Princeps mercedis expers non eſt, & quæ ea ſit 210.50
Principem bene agere, difficile 378.20
Principi operam in rep. adminiſtranda merce de locantes, de ſeruitute voluntaria arguendi non ſunt 210.10
Principes nunquã verè ſunt hilares 883.10.20 *& dein.*
Principum ac magnorum virorum voluptas ac felicitas 882.40.50
Principum aularum incommoda 880.10
Principũ ſtipatores aliquando in cauſa ſunt vt ſalutatores formula excidant 216,30
Principatus imperium vt tuearis 377.50
Principium, dimidium totius 219.40
Principium abſurdũ admiſſum, quàm multa abſurdiora inferat 253.20
Priuatarum domum mala 880. *& ſeq.*
Priuatus priuatum indemnatum interficere non debet 780.50
Priuatorum hominum conditio quàm felix. 883.10.886.50.60.
Priuatorum honor, dulciſſimus 886.20
Priuignus nouercã deperiẽs 588.40. *& dein*
Priuigni calumnia à nouerca 686.20
Priuignorum ac nouercarum odium. 378.30
Priuilegia 349.50
Probaſtis muſca & elephanti 679.10
προέχυμα. 450.50
Procorum mos in petendis puellis apud Boſporanos 505.30.40
Prodicus Cius vt innotuerit 260.60
Prodigalitas, damnabilis ac ſtulta 33.10
Prodigia non facilè creduntur 556.40
Prodigioſa & fabuloſa coram adoleſcentibus non proponenda 656.60
Proditorum vilitas 832.50
Proditores nobiles 833.50.836.40
προκόπτω, προκοπή 851.10
Prolegorũ ac deorũ optimus Elenchus 689.20.30
Prometheus audire quatenus ſuſtinuerit Lucianus 7.30. *& dein.*
Promothei fabulæ velut myſteriũ 10.10.48.40.50.54.20. *& de* 147.30.412.20. 465.50.60.531.20
Proœmia faſtidioſa oratorum 37.50
Proœmia turgida ac tragica, corpus hiſtoriæ exile 284.40
Proœmia potentia & facultate ibid.50
Proœmium hiſtoricũ, & cæteræ partes 293.40.50
Proœmij vſus apud Areopagitas illicitus 621.30
Properanter ſcriptarum literarum indicium 757.20
Prophetæ falſi deſcriptio 619.10. *& dein.*
Prophetæ falſus vanitatis argui non patitur 398.50
Propoſita linea triangulum rectè deſcribere 658.30
Propriũ vniuſcuiuſq; rei, pulchrũ 280.10
πρός τινα, & περί τινα differunt 853.20
Proſerpina à Pirithoo auxilio Theſei rapta 869.10
Proſopopœia legum 364.50 *patriæ.* ibid. *deorum.* ibid.
Proſſectandi modus 861.10
Protarchus 34.50
Proteſilaus ex morte in vitam reuerſus 113.60.117.30.632.30
Proteſilaus podagricus 740.10
Proteſilaus pro deo cultus 843.40
Protei transformationes miræ 83.50
Proteus Ægyptius ſaltator eximius 410.50
Protei Cynici baculus talẽto venditus 675.20
Proteus Homericus 766.10.831.50
Protei cuiuſdam ambitio 766.50.772.50
Prouidẽtia deorum 530.40.50. *& dein. quæ ſit* 531.60.548.50.549.30.40
Proxenides Aetionis pictoris ſocer 261.10
Proxenus propr. no 864.30
Prudẽtia ciuilis hiſtorico neceſſaria 288.50
Prudentiæ ſecuritas 837.20
Pſettapiſcis 174.10
Pſeudapoſtolus videtur perſtringere 781.40
Pſeudomantis deſcriptio 388.30. *& dein.*
Pſeudonero 678,50
Pſeudophiloſophorum habitus 41.50
Pſeudophiloſophiæ furus 183.30
Pſeudophiloſophi à Luciano irriſi 168.50 *Vide Philoſophi. Pſeudoreges* 676.50
Pſeudoſophiſta 848.60
Pſittopodes ceti incolæ 306.40
ex Pſona fricẽtis voluptas 596.50
Pſyllotoxota 299.60 *Pthiæ* 436.50
Ptolemæi Lagi filij res geſtæ 8.50.60 *epiſtolæ* 118.10 *ſenectus* 708.40
Ptolemæus ſororem ſtuprans 576.10
Ptolemæus Apellem ferè per calumniã perdidit 680.50.60
Ptolemæi Dionyſij bacchatio 684.10
Ptolemæus Philadelphus 708.40
Ptolemæi philateri ſenectus ibid.2
Ptolemæi templum 827.20
Publicum priuato præponendum 290.30
Pudenda non vellenda, aut glabra reddenda 697.20
Pudẽda quidã ſibi execãs ne in ſuſpitionẽ aut etiã crimen adulterij incideret 817.20
Pudenda aurè potiora ibid.40
Pudenda execta pudicitiæ ſecuritatẽ faciunt ibid.50
Pudendorum mira genera 534.40
ex Pudendis vincire 315.10
Pudicitiæ mira ſolicitudo in adoleſcente 817.30
Pudor philoſophorũ reſipiſcentium 254.10
Pudor iuuenilis periclitatus 686.20
Puellæ niſi nubiles non elocandæ 868.60
Puellæ amore morti ſe deuouentes adoleſcentes 870.40
Puellarũ educatio qualis eſſe debeat 881.10
Pueri verberibus ab initiatione artium abſterrentur 2.50.5.10
Pueri mortui, quæ immaturæ 177.40
Pueri poma Demonacti afferentes 449.10
Pueri apud Lacones ad aras loris cæduntur 630.10
Puerorum mira educatio à capella, cerua & cane 144.10 *Puerorum ædicula* 233.50
Puerorum maſculorũ exercitia 446.10.20
Puerorũ educatio apud Athenienſes 622.10.20
Puerorũ formoſorũ deformatio 793.30
Pueros amare, ſolis philoſophis reliquendum 458.50
Pueros ſuos ſacrificantes ſtulti homines 819.50
Puerilis ſimplicitas graphicè depicta 55.60
Puerilis ætas hoſtib. miſerabilis, at q; adeo etiã leonibus 361.40
Pugilum ſpectaculum 511,10
Pugillarium Æſchyli precium 675.50
Pulices magni vt duodecim elephantes 299.50
Pulicũ veſtigia non metienda 859.10
Pulchris ſtatim paretur 871.50
Pulchritudo amari ſe cogit 64.50.60
Pulchritudo apud inferos nulla eſt 119.20
Pulchritudo nõ tam neceſſaria, quã vtilitas 279.30 *Pulchritudo abſoluta* 475.10
Pulchri Nireus ac Phaon 480.20
Pulchritudinis vis 701.20
Pulchritudo mulieris nimis ornatu obſcuratur 702.50
Pulchritudinis encomiũ 864.30 *& dein.*
Pulchritudo inſolentes facit 865.40
Pulchritudine ſtatim capimur 871.50
Pulchritudo omnibus rebus humanis propoſita 872.10
Pulchritudine alteri cedere dearum nulla vellit 867.10.20
Pullus Alcyonis viginti vulturibus amplior 318.30 *Purgandi animi ratio* 184.10
Purgatio cacozeliæ 428.40
Purpura non adeſum modo, ſed & ad tinctũram apta 848.20

INDEX.

Puſio cinadus 678.20
Pylades ac Oreſtis amor 467.20
Pyra in qua Proteus exuſtus eſt 774.60.& dein.
Pyra aut fax,feſtum quoddam 823.20
Pyrallis meretrix 759.40
Pyramides Aegyptiæ quàm altæ 500.10
Pyrrhia ſeruus 197.10
Pyrrhichy nomen vnde meruerit Pyrrhus 406.50
Pyrrhonis opinio 593.10
Pyrrhus Epirota 215.20.675.60.& dein.
Pyriphlegethon lacus 129.20
Pyronides Solaris 302.10
Pythagoras apud inferos irriſus 115.10
Pythagoras nihil ſcripto reliquit 213.50
Pythagoræ metamorphoſes 313.30.560.40.562.30,563.20.30.
Pythagoras ad Phalarim adijt 380.50
Pythagoræ præſtigiæ 387.10.393.40.557.20.30.& dein.
Pythagoras ſophiſta, & eius peregrinationes 563.10.20
Pythagoras ad Eleuſinia ſacra non admiſſus 689.50
Pythagoricorum dogmata 150.50
Pythias meretrix 759.10.20.& dein.
Pythium os à Nerone obturatum 875.50
Pythonis oratoris eloquentia 827.60.834.40

Quadragenarius philoſophari cœpit Lucianus 224.30
Quadruplatoris ſtudiũ 682.50
Quæſtiũcula & perplexitates philoſophorum 256.10 in nuptys propoſita 804.50
Quæſtorum rapina 887.10
Quandoquidem, vtique, nempe, & eiuſmodi particulæ, flores orationis 640.50.641.30
Quantitas etiam aliqua eſſe debet in lethalibus pharmacis vt occidant 246.50
Quatuor digitorum voluptas 21.10
per Quatuor iurant Pythagorici 151.20.214.10
Quintillus Luciani amicus 471.50
Quorum nullum eſt medium,eorum alterum ſi eleuatur,alterum deprimitur 288.30

Ranis aſſis victitantes 302.40
Ranarũ terreſtriũ clamor 444.20
Radicula radix commanducata ſpumare facit 389.40
Raptus Europæ elegantiſſimè deſcriptus 31.30.40.& dein.
Raptus Helenæ & Proſerpinæ 869.10.30
Raſuras ac vulſuras corporis damnat Cynicus 846.50.60.848.40
Ratione præditi,irrationabilibus plura videt 463.40.50
Recitatoris audiẽdi gratia 831.60.& dein.
Reddendi oraculi mira ratio 822.50
Regia Ludis 148.10.30
Regiarum magnarum facinora 576.10
Regiminis cura 877.40
Regina à qualibus cuſtodibus optimè ſeruentur 819.10.20
Regionis felicis atque amœnæ deſcriptio 310.10
Regnandi libido quã cæca 885.60.& dein.
Regni votum 728.30.& dein.
Religionis reus Demonax quid egerit 443.40.50
Religionis prætextu colligenda ſtipis 522.40
Reliquiæ memorabiles ſeruantur 675.30
Remigatio mirabilis 307.40
Renaſcentia in iuuentutem 728.50
Reprehẽdere & cõuiciari,facile eſt 544.20
Rei familiaris gubernatiõis difficultas 880.30
Reip.adminiſtratores honorandi,non deſeruiendi calumniandi 209.60
Res mortalibus iucundiſſimæ 409.30
Res omnes mortalium in duo diuiſæ,bellum, & pacem 409.40
Res priùs quàm verba paranda 429.30
Res præclaræ bonorum virorum apud Scythas vt ſeruarentur 491.40
Rerum abuſus 845.50.60
Reſerandorum libellorũ ratio, vt videantur intacti fuiſſe 392.30
Reſipiſcendum eſt vel ſerò 258.30.40
Reſponſorum ex oraculis reddendorũ vaframentum 391.40.precium 392.10
Reſponſa αὐτόφωνα. 394.20
Reſponſi vnius pro altero ſubſtitutio 394.40
Reſponſa vbique eadem præſtigia reddebantur ibid.50
Reſponſa oraculorum temeraria 400.10
Reſuſcitatus quidã poſt vigeſimum diem quã mortuus erat 653.20
Retractatio pudori eſſe non debet 483.40
Reus & actor æquali benignitate à iudicibus audiendi 682.10
Rex in crucem ſublatus 709.10
Rex conuicia patienter ferens 770.10
Rex Athenienſium Theſeus nudus & ſine calceis incedens 846.50
Regis oculi,plures, & acutum vident 224.30
Regis & tyranni diſcrimen 359.40
Regis boni munus 378.10
Regis conuiuij in ſaturnalibus prærogatiua 786.50
Regis pudor 879.10
Reges maximi apud inferos mendicant 132.10
Reges nulli apud inferos agnoſcũtur,ſed vmbra duntaxat 180.30
Reges ad omnia feroces,in morte timidi 181.30
Reges duos vna ciuitas non alit 152.30
Reges ſupra modum infelices 566.10.20
Reges vbi ceciderint,tragœdiarum hiſtrionibus ſimiles 567.10
Reges longæui 707.50.60
Reges inclytiæ ſucceſſione 718.40
Regum ac tyrannorũ faſtus apud inferos irridetur 94.60.& dein.
Regum eadem atque infimorum cõditio apud inferos 140.30
Regũ felicitas 181.50.882.40.incõmodaac labores 142.10.566.40.734.30.877.40
Regum ac tyrannorũ vita ac mores 175.30.40.& dein.176.50.& dein.576.10
Regum amici ſimulati omnes 379.50
Regum merces qua ſit 810.30
Regum metu hiſtoricus verum tacere nõ debet 190.30
Regum vxores pudicè habẽdæ 817.40.819.10
Regum caſus graviores ſunt quàm priuatorum 889.40
Regibus ſe aſſimilantes 676.50.Vide Princeps,Tyrannus
Rhadamanthus iudex omnibus æquus 180.30.eius regnum 310.20.30.vaticiniũ 315.10
Rhapſodi deorũ ſcelera traducentes 543.20
Rhea amore inſaniens 64.30.147.40
Rheæ ſacra Attes inſtituit 815.10
Rheæ deæ indicia 815.30
Rhetor irriſus 101.60
Rhetor intra diem vnum vt quis fiat 640.30.40
Rhetor impudentia & omni genere improbitatis eiectus 643.20
Rhetoris importunitas 803.10
Rhetores & philoſophi omnes gloriæ cupidi 611.20
Rhetores inepti perſtringuntur 636.30.40.& dein.
Rhetores longæui 711.10
Rhetorum ignauia 607.30.auaritia 611.50
Rhetorica & philoſophia cæteris artibus præſtantiores 604.20
de Rhetorica diuerſæ opiniones 604.40
Rhetorices & dialogi cõtrouerſia 121.50.60
Rhetoricæ fucus 595.10
Rhetorica vna eſt 605.10.Eius imago 638.20
ad Rhetoricam viæ duæ 638.10
Rhetorica antiqua 638.20
Rhodochares nepos 182.20
Rhododaphne appellatus quidam homo mollis 695.40
Rhodus,ciuitas Solis 452.40
Rhombi agitatio in incantatione 749.30
Rhoxanes & Alexandri nuptiæ depictæ 261.10
Ridere homines cũ dijs cõmune habent 488.20
Ridere regis factum aut tyranni,quàm periculoſum 875.10
Riſus muliebris 473.10
Riſu nimio ſuffocatus Philemon 711.10
Riualium duorum de ſcorto contentio 764.30.40.& dein.
Robur ducis militiæ quod ſit 341.40
Romanis vocabulis vſi Graci in Graca hiſtoria 282.10
Romani quo die preces pro toto anno faciant 690.40
Romani longæui 707.40
Roſam non videntes, ſpinas contemplantur, prouerb 287.10
Roſarum eſus Lucianũ in hominem vt reſtituerit 515.50.527.40.50
Roſea vincula 542.30.catena 146.50
Ruber mulieris qualis eſſe debeat 473.30
Rudimenta artium plagoſa ne ſint 250.5.20
Ruditus aſini nefaria prodens 523.20.Vide Aſini ruditus
Rumoribus patriam implendi ratio 389.10
Ruſticorum ſaltatio ad tibiam 411.40
Ruſticum ſe vocat Hercules inter deos relatus 547.50

INDEX.

Rutilia mulier formoſiſſima, in lunæ figurã efformata, Alexandri tanquam Endymionis amaſia 397.10
Rutilianus vir Rom. mirè ſuperſtitionis homo 395.10.50.402.60

Sacea & Medi longani 707.10
Sacauraca Scythæ 709.20
Sacerdotum munus 384.10.20
Sacerdotum Delphorum otium ac commoda 384.30
Sacerdotum cinædorum nequitia 523.10.20
Sacerdotum deæ Syriæ furtum 524.20
Sacerdotes flagellorum & incendiorum 773.10
Sacerdotum honos apud veteres 800.40
Sacerdotum varia munera 823.40
Sacerdotalis & prophetica corona Alexandri Pſeudomantis 863.30
Sacra dijs gratiora quæ ſint 713.50
Sacra miro modo facta 523.10
Sacri homines 822.40
Sacri loci religio 771.20.772.50
Sacris naminibus morbi non curantur 647.40
Sacra vrbs in Syria 811.50. eius ingrediẽdæ ceremonia 825.30
Sacrificandi ritus à Numa inſtitutus 690 40
Sacrificandi ritus varij 825.50
Sacrificant Scythæ viris bonis 490.10
Sacrificare quòd nunquam viſus eſſet, reus actus Demonax 443.40
Sacrificium bis die 823.50
Sacrificium & precatio Indorum 408.20
Sacrificium ſordidum ac tenue, 541.10 ſtultum 811.40.50
à Sacrificio faciẽdo nemo excluditur 384.60
Sacrificia veterum irridet 145.30 & dein
Sacrificia veterum differentia pro offerentis conditione 148.40.50
Sacrificia cur dijs exhibeantur 530.20. 531.10
Sacrificiorum cupidiſſimi dij 51.60.580.20
Sacrificijs accommodi boues 825.20
Sacrilegium inſigne 500.10
Sacrilegij horror 500.50.60
Sacrilegium ſacerdotum cinædorum 524.20
Sacrilegijs deſpoliantur dij 531.30
Sacrilegorum impunitas 651.10. punitio 531.40
Sagittarum ſcopi ſtipulæ 223.50.60
Sagittas ſuas circum capita ſua tanquam coronas geſtant Æthiopes 408.30
Sagittandi mira ars 234.10
Sagittarius zodiaci 301.20
Sagittarij optimi Reyſæ ac Scythæ 234.10
Sagittariorum ſcopo comparatus animus hominis 12.10
Salmoneus Ioui obtonans 29.10.740.50 857.10
Salethi iudicium 207.30.40.
Saliorum ſaltatio 410.60
Salſamenta hiſpanica 727.30
Saltandi mos meretricium 747.50
Saltãtes nunc contrà quàm olim, non ſimul etiam cantant 410.50
Saltatio mortalibus iucundiſſima 409.20
Saltatio adulterij Veneris & Martis 415.50
Saltationis ſcopus 412.10. encomium 403.50.60. & 406.10.415.20 & dein.
Saltationũ cur non ſint certamina 401.60
Saltationum genera & nomina 409.10. & 410.60
Saltator, interpretis vice 416.20
Saltator qualis eſſe debeat 418.30.50. 419.30.40
Saltatoris ſumma laus 412.10
Saltatori quæ noſcenda ſint 411.50.60. & dein
Saltatores & cynædi philoſophis prælati 435.10.20
Saltatorum vitia 419.40
Saltus exercitatio 615.60.625.40
Saluere verbi vſus 212.60
Salus ſeu valetudo, antiquiſſima eſt 214.30
Salutandi formula lapſus Lucianus ſe excuſat ampliſſimè 212.20.30 & dein
Samoſata, Luciani patria 285.20
Sanctimoniæ pretextus fallax 781.20
Sandalij non ſecum combuſti ergò reuerſus ſpiritus mulieris mortuæ 553.50
Sanguinis libamine ineunt amicitiam Scythæ 503.30
Sanguinis Centaurici vis 772.10
Sanguis filij vulnerati matrem exaſperat 809.10
Sanguine dea placata 523.10
Sanguine victimarum maximè delectantur dij 580.20
Sanguineæ guttæ pluentes 301.10
Sanitas vbi abſit, cætera bona omnia velut ociоſa ſunt 215.10.20
Sapientes Græciæ inter beatos 312.10
Sapientiæ ſtudio, nota peccatorum ex anima delentur 184.30
Sapietia numeros nemodum expleuit 211.20
Sapphopoetris 461.30 477.50
Sardanapalus regno indignus 533.50
Sardanapali Callia & Midiæ luxus ac nequitia 553.20
Satellites tyrannorum qui ferè ſint 345.50
Satietatis faſtidium 794.50
Saturni res 146.50. vincula 412 20 439.30. 531.30.40. imbecillitas 786.10.20. 788.40
Saturnium ſeculum 781.20.788.10.792.10. 793. 40
Saturnaliorum feſtorum conſideratio 784.40. & dein per totum
Saturnus cur imperium depoſuerit 787.40
Saturni ſpectrum 789.20
Saturnales epiſtola 791.50.60. & dein
Satyra ſaltatio 419.10
Satyri Bacchi miniſtri 409.10 ſaltationum trium inuentores 409.10
Satyrion morio 803.30
Satyri, dij aſſcriptitij 839.30
Sauromatarum & Alanorum aduerſus Scythas bellum 509.10
Σκάφιον tonſura ſpecies 431.10
Scarabeus ſemper in ſtercore volutatur 689.10
Scarabeus philoſophans 783.20.
Scelera non temere ſcriptis aut aliorum conſilijs committenda 395.30
Scelera mortalium impunita non abeunt 890.50
Sed ſimilibus pœnis mulctantur 890.40
Scelerum nota in animas ſeu vmbra impreſſa, vt elui poſſint 184.10
Scelerati homines 387.10
Sceleratus vt iudicio & accuſationi ereptus 402.20
Sceleratorum duces, quàm multa illis permittant 353.60
Sceleſtorum pœnas videntes, etiam facinora illorum cogitent 379.20
Scenicas victorias ambibat Nero. 875.40
Scepticorum dogmata 158.30
Σχινοβάκτης & lentiſcum rodens 431.60
Scientiæ cupiditas ſimulata multorum diuitum 198.10
Scintharus 306.50
Scipionis contentio cũ Alexandro & Annibale 105.10
Scommatibus nihil redditur deterius 164.10
Scommata, feſtiuitatis pars 167.40
Scopus difficilè attingitur 207.20
Scorodomachi 299.40
Scorpionum duplex genus 715.60.
Scorpius ſacer 821.10
ex Scorto philoſophus 564.10.
Scribendi nimia cupiditas vitanda 569.60
Scribere primùm docentur pueri Athenienſium 622.40
Scribuntur in cælo res omnes hominũ 860.30.40.
Scripta à vita diſſona 206.20
Scripta ſemel, immutare, graue 277.30
à Scriptoribus veteribus quæ petantur 676.10
Sculptorum ars abiecta 5.10
Scyllæ nomen vnde ductum 432.20
Σκύμνος ibi.
Scythæ ſagittas veneno tingunt. 22.30 ab Alexandro victi 106. 30 etiã dij ab Athenienſibus facti 271.10. ipſi immortalitate homines donant. ibi.
Scythis etiam ab Alexandro Pſeud. oracula reddita 400.20.30
Scythæ bonos viros honorant 491.10.490.10 progenitores ſuos vita functos deuorant 492.40 orationes ſuas non phalerant 503.10. perpetuò in bello 503.10. cur ſemper armati. 628.20. facilè ſibi domũ faciũt 670.20. indocti. 688.30. philoſophi. 779.20. ſibi deos ipſi faciunt 840.40.50
Scytharũ immanitas in hominibus dijs pro victima mactandis 149.10
Scytharum amicitiæ vt concilientur 503.20 & dein.
Scytharũ de Alanis & Sauromatis ac Græcis victoria 509.50
Scytharũ lex de pulſantibus ciues, aut de via detrudentibus 617.40
Scytharũ etiam res in cælo deſcribuntur 633 40
Sectæ philoſophorum varia 127.30. eas perſtringit 217.10.20. & dein per tot.
Seculum 154.50
Sedecim dei epulis accepti, ſolum gallum recipiunt, eúmque ſenem, & mucо ac pituita laborantem 541.10
Sedendi in tergore bouino, mos 506.50
Seditio Athenienſium cõſpecto Demonacte

INDEX.

Sedata 449.20
Seditionum piacula vt fiant 359.50
Semele Cadmi filia 62.20
Semidei omnes in Elysio campo 312 10
Semimares amores 461.10
Semiramidis opera 814.50 statua ignominiosa 823.10.20
Semiuocalium potestas 24.50
Senecta an vitia minuat 353.20
Senectutis incommoda 634.10. Oblectatio 666.10. imbecillitas 742.40
Senectutem vt quis summam consequatur 707.30
Senectus obliuiosa 864.50
Senex à recta via discedere nolens 401.60
Senex, iuuenis est cùm necessitas postulat 742.40
Senis decrepiti hypotyposis 97.30
Senes plerunque iunioribus superuiuunt 97. 20
Senes mortui, vuapassæ 177.60
Senes callidiores 341.40. facundiores 667. 30. verbis armati 743.60
Senes quàm iuuenes maiore desiderio patriæ tenentur 713.60
Senum amatores 100.10.20. & dein
Senũ crura fere turgida & tarda 447.30
Senum repuerascentia 788.40
Senum incommoda 375.40.704.40
Senium etiam vitia minuit 322.40
Senij frigus interdum vehementer recandescit 347.10
Senio patris ingratus filius 710.60
Senio & vnio, alea iactus 786.30
Senilis ira, impotentior 343.10.346.60
Senilis nequitia, maxima 353.40
Sententia Minois irrita 125.10
Sententiæ apud inferos ferendæ exemplum 132.50
Sepes appellatus quidam ob barbæ spinositatem 695.50
Sepiæ aridæ pro telis 318.20
Septem Graciæ sapientes 779.30
Septenarij obseruatio 825.10
Sepeliendorum Gallorum mos ibidem
Sepulchrum Iouis apud Cretenses 858.40
Sepulchri honore carentes Charon non traycit 878.30.40
Sepulchrorum celebritas vt fiat 776.10
Sepulturæ contentio ac cura 118.30
Sepulturæ inanis luxus ridetur 168.10
Sepulturæ securitas 449.30
Sepultura alia apud alios 635 10
Sepulturæ cura quanta esse debeat 876.60
Serarum aperiendarum modus 568.20
Seres admodum longæui 682.60
Serenitas cæli perpetua apud Aethiopas 437 10
Sermo etiam brutis tribuitur à poetis, & ligus 556.10
Sermonis & eloquentiæ vis 665.30
Sermone nihil valentes, ad opera confugiunt & contrà 781.10
Serpentis vini tractu neglecto, exuuium sequi, prouerb. 256.30
Serpens, deum consalutatus 390.20
Serpentum demulsiones 647.30
Serpentes omnes vnius regionis miro modo per incãtatorem quendam in vnum locum contracti, & ibi insibilatione super eos facta combusti 648.20.30
Serpentes Libyci 715.60
Serui Tullij senectus 707.50
Seruus recèn locupletatus, rectè diuitys vti nescit 283.40
Seruus promptus esse debet ad munus suum 524.30. 732.10.
Seruo nouo nonnihil parcitur 524.20
Serui senes, ingrati 196.50
Serui electi à dominis, illis suspicioni sunt 204.10.20
Serui idiotæ & indocti sæpe dominis renunciant plura quàm viderint 395.10
Serui dominorum arcana norunt 514.30
Serui amatorum etiam ipsi à meretricibus inescandi 757.50
Serui in philosophiam inuadentes 780.10
Seruorum nequitia 880.30
Seruos suos vt diuites conuiuio accipiant 882.50
Seruilis vita conditio eleganter perstricta 207.40
Seruitus mercede conductorum 198.50
Seruitus multitudini liberæ durissima 330. 40
Seruitus vt fugiatur 197.40
Seuerianus proconsul Romanus 194.20
Sexagenarij flaccidi & surdi 177.50
Sexagenariæ anus amor 643.20
Sexus muscarum promiscuus 670.60
Sibyllæ oraculum 772.60
Siccitate emergentes morbi 770.40
Sicinnis saltatio 409.10
Siderum chorea 406.10
Sigma & Taf contentio 23.30. & dein.
Signum Veneris Gnidiæ 454.40
Signi excipiendi astutia 392.20.30
Signi muti ac marmorei amator impotens 445.30.40
Signorum tollendorum artes 392.20
Silentium Pythagoricorum 151.10.557.20
Silenus cordacem saltans in conuiuio deorũ 580.30 Eius descriptio 661.50
Silenus, deus assciptitius 839.30
Siliquæ vt cornu duræ 300.10
Sillus, strabus 430.50
Simi nasi fœditas 734.10
Simia personata saltans, nucibus obiectis cõtinuò personam abijcit 170. 30. 208. 10
Simiæ trunco alligata comparatus philosophus diuiti seruiens 197.50
Simia semper est simia etiam aureo cultu ornata 672.50
Simile pulchrum 625.30
Simmiche meretrix 748.20
Simonida Cij senectus 711.20
Simplicia podagræ commoda 737.50. 60.
Simulacra ingentis precij 821.40.50.
Simulacra deorũ ad mare descẽdentia 824. 10
Simulacrorum & signorum sacrorum conferendorum ad sacrum ac festum mos 824. 40
Simulandi ac dissimulandi artifex 387. 20
Simulationis sera pœnitentia, cũ retiliri iam non possit 774.10.20
Simylus nauclerus Megarensis 708.10
Sinarbochis Porthyæorũ regis senectus 709. 10
Sindiani Scytharum hostes 510.10
Singulare certamen Alexandri & Pori. 280.30
Singulari certamine victi pœna apud Scythas, dextræ amputatio 493.40
Sirenum modulatio 476.10.20
Sirenum & Gorgonũ fabulæ mysteriũ 686. 50.703.40
Sirius canis 155.10
Sitiens, potum non audens petere 194.10
Situs Tantali quæ possit esse 111.50
Sitim quæ maximè ferant animalia 715.30
Siti emoriuntur à dipsade morsi 716.10
Siti multitudo periens 770.20
Σιτῶ quid sit 614.10
Σιλᾶδαι. alere ibi.
Smyrnæ forma 471.50
Sobrietatis commendatio 845.10
Sobrius esto, qui philosophiæ initiari vult 240 40
Socer à genero in aurigãdi certamine victus, occisus 870.40
Societatis humanæ bonum 460.10
Societatis dulcedo in opulentia 613.20 798. 50
Socordes ad philosophiã se applicantes 780. 20
Socrates inter statuarios enutritus 5.10. pederastes 154. 50. 312. 50. à Comicis irrisus 167.20 nihil se scire professus. 241.20. inter beatos. 312.10. etiam senex saltare didicit. 409.50. amori deditus, vt qui maximè 469.60
Socrates & Aeschines optimi pictores 477 30
Socrates XI viris traditus 533.50. apud inferos calumniæ & vẽtricosus 652.40 ab Anyto accusatus 778.20. Mopsi genus 850. 10
Socratis derisio 10.10.20.468. 10.613.10 sapientia ac fortitudo 115. 40.50.313.40. 50.608.20
Socratis stulta secta 155. 10. 20. dissertatio sub platano 699.30
Socratis Phocionis & Aristidis paupertas 553.20
Socratis mors 585.30
Socratica ironia odiosa 442.40
Socraticum crimen 435.10.458.40
Sol à Ioue redargutus quòd phaethontem in currum suum imposuisset 78.50
Sol etiam inhabitatus 299.10
Sol antelucano opere anteuertendus pauperi. 555.50
Sol quid sit 572.30. & dein.
Sol, vnus deus quibusdam 573.10. 711.60
Solis amasia Clymene 64,20
Solis ciuitas Rhodus 452.40
Solis labores 583.10
Solis æstus capiti infestus meridiano tempore 619.50
Solis & Lunæ imagines fieri nihil est necesse 822.20.30
Solem orientem vt salutẽt Indi 408.20.30
ad Solem obuerti domum debere 700.10
Solem orientem Brachmanes pyrum inscensuri salutant 775.40
Solstitium hybernum 715.30

INDEX.

Solœciſmus in voluptatibus 20.50
Solœciſmi ſaltationum 418.30.40
Solœciſmus, ſtribiligo 848.60
Solœciſſans quidam redarguitur 851.10 20. & dein.
Solœciſſare, turpe homini grandæuo 849.20
Solœciſſare non permittendus amicus, ſed docendus 852.30
Solœciſta 848.60
Solium Solis & Lunæ 822.20
Solonis cum Cyro colloquium 138.30.40
Solonis commendatio 272. 40. 50. 618. 40
Solonis ſenectus 709.50
Solum & primum ſe iactans, vt irriſus 446.10
Solus nemo dives eſt 613.30
Solitaria vita, brutalis 460.10
Somnium ſeu viſio Luciani 3.10.20
Somnium aureum 557.50.560.30
Somnij mirabilis viſio 816 50
Somnio diuites 34.10.20
ex Somnio in amorẽ inducta Medea 252.50
Somnia mirifica ſunt 5.30. non ſemper vana 6.30
Somnia iucunda ſomniantes agrè ferunt ſi excitentur 560.30
Somniorum inſula pulcherrimè ficta 316.30 40
Somniorum variæ ſpecies 316.50
Somniorum ratio 560.10.20.30
Somniorum populus 861.30
Somniorũ interpretes Ariſtander & Artemidorus 861.30.40
Somnolentiæ pœna 821.10.890.60. & dein.
Somnus, mortis germanus 346.10
Somnus vt ad omnes aduolet 583.50
Somnus mortalibus iucundiſſimus 409.30
Sonus iucundus 310.20
Sophiſtæ & philoſophi qui dicantur 390.40 658.40
Sophiſtæ, tanquam hippocentaurorum genus 779.40
Sophiſtarum nugæ 256.10
Sophiſtarum vitia fugienda 429.10
Sophoclis tragici mors 711.10
Soror fratribus viam in cælum aperiens pulchritudine ſua 866.10
Sorores vxores ducunt Perſæ & Aſſyrij. 147. 10.
Sortu quenque ſuæ pœnitet. 877.10.
Sortitio iudicum ſecundum genera actionũ. 588.30.
Soſandræ ornatus. 473. 10. 747.50.
Soſtrati Gnidij aſtutia in nomine ſuo propagando. 293.10. & dein. 658.50.
Soſtratus ſceleratus. 387.10
Soſtratus Bœoticus Hercules dictus. 441.30.
Soter & Sotericlus. 743.40.
Spadonis aut eunuchi cõſpectus primo domus egreſſu, inauſpicatus. 692.50.
Spartanorum puerorum fortitudo 606.50
Spectaculum Draconis cuiuſdam mirum 390.50
Spectaculis deditum eſſe hominem grauem non decet 404.20
Spectaculis vt quis melior fiat 418.10
Spectaculis iiſdem non perinde afficiuntur docti & indocti 698.40
Spectrorum & Laruarum conſideratio 644. 10. & dein.
Speculo ſimilem animum gerere debet hiſtoricus 293.10
Speculum mirum 303.30
Speculo cæcus non indiget 676. 30
Spes & metus vt nos afficiant 140.50
Spes meliorum miſeros alit 196.20
Spe nulla medicina tentãda non eſt 366.50
Spes & metus in hominum vita maximi ty ranni 140.50.388.20
Spebus meretrices ali non poſſunt 752.60
Spectandi cupiditas 720.20
Sphæra Calani 12.40
σφενδόνη quid 700.30
Sphenopogones 779.30
Spicæ pro frumento panes paratos emittentes 311.30
Spina delphini arida in trophæum erecta 307.10
Spinæ & ericio comparatus tyrannus 353. 10
Spinarum ferendarrum labor 521.30
Spiritus vehementia 856.40
Spiritus mortuæ mulieris reuerſus Vide Vmbræ
Spiritus poteſtatem ac vim dicendi præſtans 870.50
Spongiæ ingereæ 106.60
Spõſus in nuptijs ſuis à conuiuis vulneratus 809.20.810.10
Sportulæ Athenienſium in concionibus & iudicijs 832.10
Spumam ore vt facilè reiectes 389.30.40
Stateræ Scepticorum 158.30
Statua ſacrilegio ſpoliata, vt ſe ſit vlta 651. 20
Statua ſeu imago ad mare bis quotannis proficiſcens hauſtum aquam 822.10
Statuæ deorum quales pingãtur 848. 140
Statuæ è baſi ſua deſcendentes 656.30.40 & dein. febribus medentes 841.10
Statuæ ſaltatorum 407.60. olympionicarum 482.30
Statuæ æreæ præmium 819.40
Statuariæ initiatus Lucianus 2.30
Statuariæ typus 3.10
Statuarij inſignes 3. 40
Statum quiſque ſuum tueatur ac ſeruet 877.20
Stellæ formatæ 860 30
Stellarum motus effectus quo modo ad nos perueniat 440 50
Stellarum potatio vt fiat 572.50
Stellis nauigatio Phœnicũ dirigitur 570.30
Stertere ſub mandragora, prouerb. 29.20
Steſichori poetæ ſenectus 711.20
Steſichoro Helena reconciliata 312.10
Sthenebœæ crimen 818.40
Stigmata Pſeudophiloſophorum, vulpes & ſimia 173.10
Stigmatici vnde ſint Aſſyrij 825.60
Stili ac materiæ vertenãæ finis ſit aliquando 831.50
Stipatoribus barbaris cur plus gaudeant tyranni 885.20
Στοχάζομαι & φάσκω differunt 851.20
Stoæ & voluptatis controuerſia 590. 40
Stoicus, peruerſus quidã eſt tyrannus 342.40
Stoici cuiuſdam Etæmoclis ridicula indigna tio 804.10 20 dein.
Stoici & Epicurei de rerum principijs & fine bonorum diſſentiunt 233.10
Stoicorum dogmata 155.50.60
Stoicorum encomium 224.50
Stoicorum nefaria 592.10
Stoicorum nemo in campo Elyſio 312.40
Strangulati ſubleuatio 426.20
Stratonices reginæ amores 815.50.817.10. 20. ſtulta ambitio 481.10
Struthiones humi volantes 715.20
Stribiligo, ſolœciſmus 848.50.60
Struthionum oua 716.50.60
Struthobalani 299.60
Studij philoſophici tempus quantum eſſe debeat 219.50.60. & 220.50
Studia ſemel cœpta iam ſeneſcentibus relinquere, pudibundum 254.10
Studia vt formanda 429.10
Studioſo quæ vitanda 429.20
Studioſi literarum nonnunquam otia Muſis permittunt 296.20
Studijs inepti, quiſe cibis ac vino replẽt. 603 20
Stuppæ gerendæ periculum 521.30
Stuporem quidam quærunt in ædificijs ſuis, non pulchritudinem 700.10
Stuprum penè coram omniũ oculis peractum in myſterijs 397.10
Stygis iuramentum 842.20
Stymphalides aues 543.50
Suberis vſus in naufragijs 497.20
Suberibus inſidentes nauigantes 320.10
Subigendi verbum ambiguum 444.50
Subtilitates philoſophorum fatuæ ac ridiculæ 257.20 & dein.
Sues ſcelerati ne, an ſacri 825.20
Suffragandi mos, manus protenſio 842.50
Sui commendandi aſtutiſſima ratio 393.10. & 40
Summa elegãtia neceſſariò vna eſt 240.10
Summus ſacerdos ſingulis annis innouatus 823.40
Superbiam ac faſtum maximè deteſtatur Minos 129.10
Superciliorũ opt. pictor Polygnotus 473. 40
Supercilium Stoici philoſophi 804.20
Superſtitionem circa deos colẽdos ridet 145. 20.30
Superſtitio lapidum inunctorum aut coronatorum adorandorum 395.10
Superſtitiones mirãdæ 825.10. & ante & poſt 20.30
Superſtitioſi homines facilè oraculis capiũtur 383.50
Supplicia inferorum 130.30.632.40
Supplicium tyranni apud inferos nouum 185 50
Supplicij nouũ genus excogitatum 520. 20
Supplicio publico afficiendos multi ſubſequũtur 774.30
Sycophantarum digna vltio 819.30
Sylla copiam ingentem librorum ex Athenis in Italiam auexit 672.20
Syllogiſmi vis 156.30.157.40
Syllogiſmi philoſophorum inutiles 256.10
Syllogiſmi Chryſippi frigidi 579.40
Syllogiſmus cornutus, acerualis, metes 804. 40

INDEX.

Sylua in ventre ceti enata 304.60
Sylua nauigata 319.10
Συμπαρίωτης conterraneus 850.20
Sympoſium varium 424.50
Synagoga in Palæſtina 768.10
Syracuſanæ menſæ 830.20
Syria dea, & eius ædes, ſacerdotes, & ſacrificia &c, 522.40.810.30.40. *& dein. per totum*
Syri cuiuſdam ſacrilegium 500.20
Syrus rhetor Lucianus 593.10.594.50
Syrus quidam Lunaticos curans 649.50
Syrtis magna Libyæ 716.40

Quã multis in dictionibus pro Σ ponatur 25.20.30. *& dein. eius cum Σ contentio ibi. per totum*
Tabula picta elegantiſſima 271.10.20
Tabulæ oraculorũ clàm de induſtria defoſſæ, poſteà in apertum tanquam fortuitò inuentæ productæ 389.10
Tabulatorum in naufragijs vſus 498.10
Talus Cretenſis 650.60
Talorum nudandorum mos in ſaltatione 747.30
Talorum vſus quàm antiquus 788.10
Talorum vſus qualis eſſe debeat 791.30
Talis ludens amator ſigni Veneris, pro illius amore 455.40.50
Tantali in morem ſitire, prouerbium 33.50
Tantali fabula 112 40.148.10
Eius pictura 716.40
Taricanes in ceto habitãtes 306.20.307.10
Tarquinij ſenectus 707.50
Tarſis ciuitas vectigalibus vt ſit leuata 710.10
Tartarus, ingens aeris multitudo 439.40. 631.60
Tauri artificem deum momus cur riſerit 20.50.309.30
Taurus cæleſtis 437.40
Taurus Phalaridis 381.10.20. *& dein.*
Tectum domus quale eſſe debeat 700.20
Telemachus regiam Menelai admiratus 872.10
Telephium vulnus 24.10
Teleſille fortitudo 461.40
Tellus Athenienſis feliciſſimus 138.40 312.10
Telũ imprudenter miſſum culpa non vacat ſi quenquam occidat 348.60
Tela tanquam radios capitibus ſuis circunm ponunt Æthiopes 408.30
Temperati corporis robur 624.60
Temperatura corporum varia 374.50
Tẽpli Veneris Gnidæ deſcriptio 454.1 *& ſe.*
Templa Ægyptiorum 374.40.812.10
Templum Oreſtis 491.50
Templa antiqua 812.20
Temeritas & negligentia punitur 350.10
Tempus, artium magiſter 462.50
Tempus philoſophiæ impendendum, quantũ 219.50.60.220.50
Tempus vel locus ante vniuerſi fabricam imaginari non poteſt 572.50
Temporis iactura nunquam faciẽda 218.60
Tẽpore multa molliuntur, ac miteſcunt 353.10
Tempora in homine prima caneſcũt 758.40
Temporum omnium pœnitentia apud diuites ac molles 847.50
Tenebræ inferorum 183.30
Ter beatus 11.40
Tereus inceſtuoſus 204.20
Terei Driſorum regis ſenectus 708.20 709.20
Tergora directa, ſerpentia 556.10
in Tergore bouino ſedendi mos 506.50
Terræ hypotypoſis 136.50
Terra ſolis 303.40
Terræ vicinæ ſigna 296.40
Terra luna minor 574.50. *& vt ab Icaromenippo agnita. ibid. parua admodum reſpectu vniuerſi* 577.10. *in communi omnibus expoſita* 844.30 *pro cubili ſatis ſit Cynico* 847.20. *ſuper aquas firmata* 860.20
Tertia figura 592.40
Teſſeræ naufragium 786.50
Teſtamentorum quorundam ineptia 20.30
Teſtamentorũ ſimulatio ac captatio 99.20
Teſticuli hominis defoſſi mirum 302.30
Teſticulis inſtructus ad philoſophiam accedens quidam 444.20
Teſtimonium laudis per magnates ac optimates petendum 268.30.40
Teſtium reſectionis ſpontaneæ mirum 825.10 *Vide caſtrati*
Teſtudo penſilis 350.30
Teſtudinem in muſicum cantum adaptauit Mercurius 60.50
ex Teſtudine Indica lectus 528.30
Teſtula tranſmutata, prouerbium 206.20
Thais meretrix 745.20
Thalaſſopota 308.10
Thaletis Mileſij induſtria 658.50
ſenectus 709.50. *naturalium rerũ peritia* 874.40
Thamyris temeritas 162.10
Thanatuſiorum certamen 313.40
Thargelia philoſopha 434.40
Theagenes ſcorti amore ſibi mortem conſciuit 178.20
Theagenes Thaſius palæſtrites 286.10
Theagenes impoſtor quidam 766.60. *& dein.* 796.10.773.10
Theagenis ſtatuæ virtus 841.20
Theano pythagoricæ doctrinæ filia 461.40
magnanima 477.50
è Theatro redeuntes cum febre 276.30
Theatrorum Sirenes 404.50
Themiſtocles & Miltiades proditionis accuſati 686.40
Themiſtocles & Pericles patriæ amantes 833.40
Theodotæ Rhodij ſtratagema 265.50,60
Theodotas homo ſeditioſus 680.40
Theognidis ſententia de paupertate 190.10
Theologus ac præco Alexandri Pſeudomantis 391.60
Theon paleſtrites 289.10
Theopompi hiſtorici vitium 295.10
Therites Solaris 302.10
Θρᾴττοντες qui ſint 610.10
Thermaſtris ſaltatio 411.10
Themopotare 431.30
Theſites cum Nireo de forma contendes 119.20 30. *Cynicæ libertatis* 448.50 *eius deformitas* 673.20
Therſagoras poeta 827.10
Theſaurus in carbones verſus 251.30.263.40
Theſei inſtitutum in Labyrintho ingrediendo 240.40
Theſei & Menelai contentio de Helena 310.40
Theſei plures mulieres ibi.
Theſeus ex inferis reuerſus 632.30
Theſei virtus aduerſus improbos homines 543.40
Theſeus Herculis diſcipulus, ſine calceis ac nudus incedens 846.50
Theſeus Helenam puellam teneram rapuit 868.50
Theſmopolidis Stoici ridiculũ 201.20. 559.40
Theſpias meretrix 765.10
Theſpis tibicen. 9.10 *citharœdus* 674.10
Theſſalæ incantatrices 745.40. 748.10 20
Theſſalorum ſaltationes 407.50
Theſſali duo ex inferis reuerſi 632.30
Thetis Briareum in Iouis auxilium accerſit
Thaſſarum mulierum crudelitas 674.50
Thoon Ægyptius 387.50
Thoraces è ſquammis lupinis 300.10
Thraces philoſophi 779.30
Thraciæ hypotypoſis 382.40 674.50
Θρυμμαΐδες 431.10
Thmuis & Xois ſerui viles 643.10
Thucydidis oratio funebris 285.50 *modeſtia inſcribendo* 290.30.294.50
Thucydicẽ octies ſibi deſcripſit Demoſthenes 672.20
Thucydidis locus aduerſus luxuriam 722.10
Thyeſtes 204.20
Thynnus elapſus, prouerb 34.50
Thynoccphali 307.10
Tiara ſummi ſacerdotis aurea 823.40
Tibiæ vſus 267.30.407.10
Tibiæ ſeptem talentis emptæ 672.50
Tibia vt venter intumens 856.50
Tibicine aut tympaniſta facilè mouẽtur Paphlagones 388.50
Tibicinæ amantibus aderant 764.50
Tibicinæ viæ ac ſtupris obnoxiæ 809.60
Tibius ſeruus 198.10
Tigranis Armeniorũ regis ſenectus 709.20
Tigrapates Lazorum princeps 505 50
Tilliborus latro 386.30
Timæi, Tauromenitæ ſenectus 710.30
Timocles Stoicus deorum propugnator 541.50. *& dein. Eius infantia* 545.30.40
Timocrates Heracleotes 402.20
Timoſeu miſanthropus 27.28. *& dein.*
Timon Echecratidis Colytenſis 30.50
Timon Athenienſis ianitor apud inferos 316.10
Timotheus muſicus 267.30
Tintinabuli vſus in precibus pro populo faciendis 821.10
Τιφᾶοι panes 431.20
Tireſias vates vtrunq; ſexum expertus, muliebrem pronunciauit expeditiorem 123.10 540.50.460.30.563.40 *Eius oraculum* 128.10

INDEX.

128.10 Eiusdem sex ætates 706.60
Tisiphone 183.50
Titanicus aspectus 41.60
Titanum pugna 412.30
Tithonus longæuus 242.20
Titormus qui fuerit 289,10. ad marg.
Tolerantia Cynicorum in malis 847.50
Tomyris Cyro caput obtruncat, & in vtrem sanguine plenum immergit 140.10
Tonitrua à quo sint 552.10
Tonitruficum receptaculum 862.30
Tonorum discrimen 267.40
Tonsorum peritorum instrumenta 679.10
Toper pro cito 641.10
Toto cognito, pars etiam cognoscitur 244.10
Toxaris Scytha Athenas eruditionis ergò adyt 273.10.20 Eius sepultura 271.10
Toxaris & Sisinnes Scythæ, nobile amicorum par 510.20
Trachea arteria nihil cibi aut potus in se recipit 278.30
Tragici actores sibinde alias atque alias personas referunt 208.10
Tragica velut febris 376.10
Tragicum non debet esse dicendi genus historicum 282.30
Tragica ac comica saltationes 410.10
Tragicus habitus ibid. 20.794.40
Tragica modestia 596.10
Tragicorum & Comicorum differentia 623.30
Tragœdi septimani 276.20
Tragœdiarum histrionibus comparati reges 567.10
Tragœdijs certabat Nero 875.30
Transformatio Pythagorica 151.30
Tranquillitas maris per dies Alcyonios 44 20
Tribades mulieres 750.10
Tridens Neptuno furtim sublatus 544.30
Triticum idem aliàs alibi prouenit 375.10
Triticum non périnde vt palea incendatur 852.10
Tritonomendites 306.20
Triangulus Pythagoricus quid significet 214.10
Tricipitis hominis mira absurditas 253.10
Tricuspis oratio 696.50
Triduana mysteria 397.10
Triginta dierum obseruatio in purgatione 825.20
Trinitatem in diuinis exprimit 858.50 860.50
Triptolemus 5.50. Eius currus 645.40
Trita via an tutissima 831.30.40
Trœzeniorum mira lex de virginibus & adolescentibus attondendis 825.60
Troia ab Apolline & Neptuno constructa 146.30. Eius excidium 879.20
Troiani belli causa, Helena 113.20.881.10 Eius belli historiam apud Homerum verâ non esse 560 20
Troianorum stultitia in Helena non redenda 869.30
Trophonij vaticinium 95.30. templum 134 10
Trophonius & Antilochus dij assentitij 843.40
Tryphæna meretrix 758.10. & dein.
Turpes etiam amatores admittere debent meretrices 754.40
Turpes qui vocentur 872.30
Turpia non aperienda 751.10
Turpitudo & pulchritudo qualiter reputãda 279.30
Turpium aspectus inuisus 868.30
Turris memorabilis 295.30. & 50
Tussis medelam iactans ipse tussi totus concussus 208,50
Tussis laudata 487.10
Tutorum negligentia 829.20
Typhœi gigantis oppressio, ac reluctatio 887. 50
Tyrannicida qualis esse debeat 325.40 344. 60. 360. 50. 60
Tyrannicidium, facinus clarissimum 331.10 337.50
Tyrannis quid sit 338.10. quibus contineatur 341.30. non vnius hominis capite constat 354.10.30. fatale reip. malum 359. 20.50.60
Tyrannidis successio ac propagatio grauissima 322.60. & dein.
Tyrãnidis fructus ad quos magis redeat. 353. 60. & dein.
Tyrannidis occupandæ occasio 377.40
Tyrannidis deponẽdæ consilium vt impeditũ 358.10.30
Tyrannidem in hominum vita potissimum obtinent spes & metus 388.20
Tyrannus ipse solus non magna res est 325. 60. legitimum imperium imitatur 354. 30. qui sit ibid. 50
Tyrannus, prodigiosum animal 355.10
Tyrannus citra iudicium impune occidi potest 357.40. qualiter tollendus 363.10
Tyranni post obitum contemptus ac neglectus 179.20.30. & dein.
Tyranni apud Rhadamanthum accusatio 184.40.50. defensio 379.50
Tyranno quatenus ciuitas parere debet 359. 50
Tyranni ac reges cur tam inuiti moriantur 181. 10
Tyranni ferè dijs similes in hoc mundo 161. 60 apud inferos autem vilissimis hominibus 93.20
Tyranni humeris impositus Cynisçus in scapha Charontis 182.50
Tyranni parum in filios pij 342.10.20. 343. 50 barbaris magis satellitibus quàm filijs suis fidunt 344.1. ætate non mitescunt 344.10 per ministros scelera sua perpetrãt 352 30
Tyranni familiares, tyranno peiores 353.60
Tyranni multi apud Græcos commodi ac sapientes 380.10
Tyrannorum potentissimorum infelices exitus 140.10.20. Eorũ vita ac mores describuntur 175.20.30 & dein.
Tyrãnorũ seuitia exacerbãda non est 343.10
Tyrannorum orationes ac donaria in templo Pythij Delphis 379.60. 383.10
Tyrannorum ingenia ebria 874.20
Tyrannorũ suspicio ac formido 380.10. 885 10.20.30 miseriæ 888.50.60. & dein.
Tyrannorum exitus, & supplicia apud inferos 890.40. 891.20
Tyro puella à Neptuno stuprata 857.30
Tyro puella Salmonei filia ab Enipeo vitiata 89.50 309.30
Tyroessa insula 314.30.50

Valere verbi vsus 213.20.40. 214.20. 215.10.20
Valere ac sanum se esse solùm ab dijs petebat Pyrrhus Epirota 215.20
Vanitas humana ambitionis 142.20.30
Vanitatẽ sibi opprobrari Alexander Pseud. pati non poterat 398.30.40
Vasculi depositi repetitio, vitã depositori seruans 819.10
Vates post factum 343.30
Vates celebres 718.40
Vatum mos, nihil sani dicere 123.50
Vatum nimium studium, reprobabile 138. 40
Vaticinium Apollinis irrisum 583.40 admirandum. ibid. & 822.50.60
Vaticinij merces cur detur 532.50
Vaticinij præambula 546.50
Vaticinia agricultura ab agricolis melius docentur 554.40
Vaticinia Amphilochi & Trophonij irridẽtur. 95.10.20
Vaticinia propriè quæ sint 720.10.20
Vbera mulieris formosæ 472.50
Vecti galibus leuata Tarsis ab Augusto in gratiam Athenodori præceptoris illius inde oriundi 710.10
Venationes parasiti 611.20
Veneficarum incantationes 445.40
Venefica & incantatrix Syra in amoribus adhibita 349.20
Venenarij inuidia laborant etiam cum bene fecerint 361.60 & dein.
Venenata in minima quantitate libata & summis digitis, non occidunt 247.10.20
Venenum imprudenter ei datum qui id alteri parari iusserat 98.60
Veneno hostem tollere non licet 316.60
Venena regibus metuenda 567.10
Venerandi haberi cupiunt philosophi, nec eã existimationem perdere etiam errore suo cognito 254.30
Venter culeo amplior 203.40
Venter apertilis, ac clausilis 303.10
Ventricosi ac podagrici apud inferos 129. 50
Venti in conuiuio ministrantes 311.40
Ventus & Acinaces dij præcipui Scytharum 503.40
Ventorum agitatio 583.50
Venus à filio Cupidine huc & illhuc agitata 63.40
Venus & Gratia, Vulcani vxores 66.30
Venus Martis quã Vulcani amãtior 66.60
Venus adultera 147.40.50
Venus ætate non extinguitur 353.30
Veneris partus 412.30
Veneris templi pulchritudo 454.10
Venus cum Baccho, iucundior 454. 30 generationis radix ac sẽminarium 457.10
Veneris Cnidiæ pulchritudo 472.20
Venus hortensis Athenis 161.30
Venus Cnidia non aurea, sed lapidea 539.20
Venus à Diomede vulnerata 736. 40 vbi educata 550.20
Venus publica, cælestis, & hortensis 752.30
Venus nuptiarum præses 867.10
Venus, aurea maximè dici amat 867.30
Veneris pollicita Paridi 73.30. 869.30

INDEX.

Ver perpetuum in insula beatorum 311. 30
Verus aspectus 701.10
Ver podagræ aptum 735.50.60.737.20
Verarum narrationum Luciani occasio 296.60.& dein.
Verberans seipsum, & verberari faciens Peregrinus 770.10
Verbera Homerica 191.30
Verberum tolerantia laudabilis apud Lacedæmonios 630.20 30.& dein.
Verberibus ac plagis initiandos non esse pueros in artibus 2.50.5.10
Verbi diuini omnipotentia 859.10.20
Verba ac mens consentire debent 208.20
Verbi lapsus, in omen bonum versus 216. 10.20
Verba rebus accommodanda, non contrà 429.30
Verborum insolentia vitanda 427.30
eorum enomitio 428.40
Verborum obsoletorum vsus 641.10. 694.60
Verborum pictura, exilis 704.40
Verborum Romanorum corruptor 284.10
Verborum vetustorum vsus qui sit 445.60 458.40.50
Verborum vis à visu superatur 703.40
Verborum vitia vitanda 278.10
Verbulis ac prætigiatoris morbos non tolli 647.20
Verbis cæteris præstantes philosophi, factis ridiculi 806.40
Verbis aut obligantur aut absoluuntur homines 335.10
in Verbis & compositione quæ spectanda sint historico 291.40.50
Verecundia dea 464.10.598.40
Veritas, dubio colore & subterlabens 164. 50.60
Veritas quid sit, & vt sit odiosa 242.30.40
Veritas pulchritudini & iucunditati anteferenda 279.30.40
Veritatis curam non habuisse poetas, sed delectationis 549.50
Veritas iterum de cælo in terram redire veretur 585.20.60
Veritas calumniam excludit 687.10
Veritatis delubrum 316.60
Veritatem non dicentium punitio maxima 316.10
Veritate mitiora à Deo audiens Nero, contumelia se affectum putabat 876.50
Vermibus scatens Alexander Pseudomantis interijt 403.10.20.30
Versus tenacius hærent 622.40
Versiculi, conciionibus inepti 541.10
Vertigo oculorum ob aeris profunditatem 574.10
Vertumni ac Iani capita 887.10
Vespertiliones Libyci 716.10
Vestigium ingentis magnitudinis 298.10
Vestis amasiæ conscissio, feruentis amoris indicium 373.60
Vestis cum instituto cuiusque cõuenire debet 847.30
Vestis finis 844.10
Vestis lacera pudor apud diuitis assectam 558.50
Vestis sacerdotum tota candida 823.40
Vestes hominum primæ 462.50.
Vestes nationem indicant 298.60.619.50
Vestes pretiosæ non plus calefaciunt quàm viles 845.50
Vestes quas dare debeant diuites pauperibus 792.40
Vestes vitreæ & æreæ 303.40
Vestium pernicies, mures eas arrodentes 693.20
Vestibus superbiens, falsè irrisus 447.10
Vestitus muliebris 465.10 473.10
Vestitus peregrinus hospites indicat 619 50
Vestitu an æstimãdus homo 226. 30 & dein
Vetulæ anus libertas 677.10
Vetustis ac peregrinis verbis non vtendum 446.10
Via ad virtutem multiplex monstratur 231. 10 *vna est* 229.50.60
Via ac modus in factis requiritur 361.40 & dein.
Via compendium commonstratum, propter incredulitatem neglectum 637.30
Via duæ ad rhetoricam 638.10
Victoriæ Babylonicæ nuncium 863.40
Victoriæ cupiditatis infelix exitus 872.60 & 873.10.20
Victis etiam nonnunquam præmia dantur 336.30
Victus quotidianus mercede conductorũ 199 10
Victus ratio longæuos facit 707.10
Videndi incantatio 137.10
Vigilia septem dierum 821.10
Viginti annos meretricium quæstum exercens mulier 754.30
Vim vi repellere licet vel cæde 357.20
Vindex contra Neronem insurrexit primus in Gallia 874.40
Vineæ aquæ feraces 303.1
Vineæ quot mensibus ferentes 311.30
Vinum malum non est, sed eius abusus 69. 30
Vinum ementes, quid agant 245.30.40
Vinum tenue & acre alnum ciet 194.60
Vinum bibens asinus 525.50.611.20
Vinum Italicum 727.20
Vinum idem conuiuis omnibus in vna mensa propinandum 795.40
Vinum tragœdias excitans 801.60.& 802.10
Vinum audentes facit 818.10
Vini conspersio pestilentiam sedans 271.10
Vini effundendi mos in procandis puellis 505.40
Vini abstinentia 647.20
Vini vis 799.30 *Vino primùm gustato in furorẽ acti Indi.* 13.20
Vino quæ possint imputari 807.10
Vini fluens flumen 297.50
Vinosi ac gulosi philosophi 169,50
Violentarum manuum illationis deprecatio 837.10
Viperæ 726.10
Vir vt laudandus sit 463.30.40
Vir in mulierem velut effœminatus 815. 10.819,60
Vir vnde quis aparear 847.1.40
Viri magni ac probi descriptio 442.50.60. 443.10.20
Viri & mulieris conuersatio ex naturæ instituto. 457. 30. 40.
Viri constantis & imperterriti mors meritò contemplanda. 836. 10. 20.
Viro illi nubere mulier honesta refugit, qui ipse viro indigeat. 696.30.
Viri philosophi authoritas maxima. 449. 20.
Viri ac fœminæ diuersa delineatio. 264.50.
Viri insignes in Elysio campo 312. 10.
Viri ex mulieribus facti. 414.50.750.30.
Viri iusti cur aff.igantur, mali prosperẽtur. 533. 30. 40.
Viri qui & mulieres aliquando fuerint. 664.10.
Viri ne an fœminæ vita suauior. 564.10.
Viri fortes quàm timendi. 862.40.
Virorum mala ab vxoribus. 880.50. 60.
Viris turpibus ac deformibus pulcherrimæ vxores contingunt. 66.40.50.& dein.
Viris illustrissimis & maximis cõmendandus, qui innotescere velit 273.30
Viros esse debere philosophos &c. 435.50. 60
Vires vnde nonnunquam suppeditentur inualidis 347.10.20
Virilia publicè manibus contrectãs Peregrinus 770.10
Virilia pudenda vbi in honore 815.40
Virilis natura in muliebrem mutata 856. 50
Virilitas rusticana 637.30
Virga Mercurij 421.30
Virgo alteri sponsa ac nupta, rapta, & amatori in manus tradita 508.50
Virgo ab asino Luciano vecta, multa illi pollicens 519.20.30
Virgini pulchræ comparatus Plutus 33.20. 30
Virgines multæ capite truncatæ 858,30
Virgines obstetricaturas non esse 67.60
Virtus sola, defunctorum comes 103.50.60
Virtus procul sita 219.30
Virtus instar vrbis optimè institutæ 228.10 *seruos & barbaros nõ auersatur* 229.10 *in actioẽ cõsistit* 256.10 *imbecillitati opposita nõ clarescit* 281.20 *vbiq; laudãda* 834.30
Virtus & natura & fatum & fortuna peregrina nomina 841.30
Virtutis vertex 222.10 *laus.* 891.50 *ad virtutem formatæ vrbis idea* 228. 10.20.& dein.
Virtutis studiosos quales esse oporteat 229. 20
Virtutis cum fortuna contentio 893.10.
Virtutum successio optima 104.40
Visa auditis certiora 287.10 & *iucundiora* 291.50.60
Visio ac conspectio miraculorũ ferè per transennam permittitur 390.50.60
Visio pulchri qualiter animũ percellat 699. 30
Visus aquilæ perspicacissimus 575.30
Visus de nimium propinquis non tam bene iudicat, quàm de ijs quæ iusto interuallo distãt 482.60
Visum non contemnendum 271.10
Vita hominum pompæ cuidam fortunæ similis 131.10 *somno par* 141.40

Vita

INDEX.

Vita optima ac prudentiſsima 133.10
Vita breuis, ars longa 218,60.223.50.459.40
Vita aut miſera agenda, aut philoſophiæ ſtudijs excolenda. 219.10.
Vita ex communi hominum more inſtituenda. 258.40.50.
Vita libero homine digna degenda. 259.10.
Vita nihil maius eripi poteſt homini 410.10.
Vita nulla non tranquillior ac beatior humana. 567.30.
Vita aut diutiſsime producatur 707.30.40.
Vita alterius miſericordia contingens, turpis 836.30.
Vitæ dulcedo. 122.30. 600.50.
Vitæ flagitioſæ ab adoleſcentia deſcriptio. 693.10.
Vita inhoneſta, mors honeſta anteferenda. 836.50.
Vitæ longæuæ homines. 706.50.60.
Vita meta an ſciri poſſit. 221.10.
Vitæ perpetuæ faſtidium Chironem cepit. 120.10.20
Vitæ ſuæ contemptor, alienæ Vitæ dominus. 361.30
Vitã homini haud facile lex eripit. 358.10.
Vites mirabiles. 298.10.20. 309.30.
Vitiligines in meretrice, turpes. 759.10.
Vitia hiſtorico fugienda. 278.10.
Vitia rerum. 285.10.
Vitijs inſignem demonſtrari, non parum cõfert ad rhetoris profeſſionem 643.40.
Vitreus amictus 303.10
Vitrorum cruſtis ſe occidens quidam 285.30
Viuam orationem ſolus Demoſthenes habuit 829.40
Viuum capere, & non viuũ capere, ænigma 87.40.50
Viui ad inferos penetrarunt, Hercules, Vlyſſes, Orpheus 128.40
Viuis ad beatorum inſulas commeare non licet 310.40
Vlyſſes Polyphemum excæcat 82.10
Vlyſsis ſocij voluptate deleniti 191.10
Vlyſſes Homericus fabuloſæ hiſtoriæ inuẽtor 296.60.644.50
Vlyſſis literæ ad Calypſo 315.40.317.20
eiuſdem cum illa conſuetudo 601.10.
Vlyſſes ex inferis reuerſus 632.30
Vlyſsis inſania 705.40
Vlyſſes podagricus 740.10
Vmbræ mortuorum quæ intelligi debeant 111.40.632.50
Vmbræ apud inferos accuſatrices 130.10
Vmbræ ab inferis non redeunt 143.30
Vmbræ rectæ, non nigræ, animæ beatorum 311.20
Vmbræ mortuorum nudæ ſunt, & vitia ſua omnia in fronte ferunt 881.50.60
Vnda maris vnde annumeranda 258.40
Vngendi mirus modus 311.60
Vnguentum ad podagram filijs à patre traditum 740.10.20
Vnguẽtis nõ vtendũ niſi in morbis 697.20
ab Vngue leonis, tota leonis magnitudo æſtimata 243.50
per vngues exaudire 856.50
Vnguibus pedum carentes homines 302.60
Vniuerſum hoc finitũ ne ſit, an infinitum 583.10
Vnus inter multos inſaniẽtes ſanus eſſe nõ poteſt 398.60
Vnus auxiliaris bonus ac fidus, multis alijs præponderat 554.40
Vnius Demoſthenis robur 833.10
Vnodigiti homines 302.60
Vocalium iudicium de ſigma & taf 23.30
Vocatione ſua quiſque contentus ſit 877.10.20
Vocalium poteſtas 24.40
Vox per inſenſatum caput mirè reddita 394.20
Vox & ſermo mulieris formoſæ 475.50
Vox Neronis qualis eſſet 874.60
Voces incognitas proferens magus 390.10
Vocum modulatio, iucundiſſima 409.30.40
Voculæ miſeriæ philoſophorum 256.10
Volare vt homo in ſublime poſsit 571.10.20. 30.573.30.40.648.40
Voluiſſe, num ſatis ſit 334.10
Voluntas modo ad virtutem capeſſendam ſufficit 229.10
Voluntatis nudæ an præmium aliquod eſſe debeat 334.10
Voluntatis peccata Æaco & Rhadamantho ſeruantur 334.30
Voluntas ſine conatu & effectu, non punitur à lege 350.10
Voluptas quæ ſit 599.20
Voluptas quatuor digitorum 21.10
Voluptas in quo ſit ſita 120.10
maior eſt ex viſu quàm ex auditu 703.50
naturam violauit 457.60. & 458.10
Vnluptas redarguitur 592.10.20
Voluptatis magiſtri Cyrenaici 153.30.40
Voluptatis ſectatoribus quatenus ignoſcendum 191.10.20
Voluptati etiam noſtræ, non neceſsitati modò conſuluit natura 844.30. & dein.
Voluptates & amatoria diuitibus ſubminiſtrantes, philoſophis prælati 199.30
Voluptates veras philoſophia ſubminiſtrat 21.20
Voluptatõ porta 116.40. ſolœciſmus 20.50
Voluptatum communicatio ſuauiores illas efficit 460.10.20
Voluptatum intemperati vſus mala 794.40
Voluptarij taxantur 20.50
Vorago ingens inter duas aquas 319.20
Vota etiam confidentiam habere debent 31.50
Vota ſupra naturam 251.20.30
Vota mortalium vt exaudiat Iupiter 579.40.50
Vota hominum ſtulta irridentur 718.40. & dein. 724.30. & dein. 732.40.50 & dein.
Votorum ſibi factorũ exactrix acerba Iuno 817.50
Vrbanè ac ſalsè dicta Demonactis philoſophi 444.10
Vrbis eiuſdem ciuium inter ſe conciliatio 269.30.40
Vrbes ferè ſemper iiſdem vitijs laborant 126.30
Vrbes nidis comparatæ 136.60
Vrbes etiam & flumina ſuam quandã mortem obire 144.20
Vrbes quæ oppugnentur 684.50
Vredo frigoris 423.40
Vrna & oſſa inimici parum ſunt 832.50
Vrſi cicures 823.30
Vſuras ſolus ſapiens exerceat præſcripto Stoicorum 157.10.20
Vterum modo ſibi impletum meretrix queritur 745.60
Vtilitas ex ſola veritate conciliatur 279.20
Vtique & quandoquidem, flores orationis 640.50.641.30
Vtis ſeu nemo Homericus 710.40
Vuæ mirabiles 298.20
Vuarum acini velut grando 303.10
Vulcanus pocillator irriſus 58.10
Vulcanus formoſiſsimas duas vxores habens 66.40
vt ſit à Iunone editus 147.20
Vulcani commendatio 67.20
Eius fabrica à Momo reprehenſa 227.20
Vulgus camillis ac maledicẽtijs gaudet 167.20
ferè malum eſt 847.20
Vulgi multitudo promiſcua non curanda ei qui illuſtris haberi velit 268.30
Vulgi commoti ſedandi ratio 769.30
Vulgi credulitas 775.50
Vulnerantes ſemetipſos homines ſacrati 824.40
Vulneratus iniuria, non ad prætorem, ſed potius ad medicum eat 444.50
Vulnera incredibilia 283.40
Vultur è flamma ſubuolans 776.10.20
Vultures tricipites 298.60
Vulturum ſacacitas 721.20
Vultus grauitatis momentum 198.20
Vultus ſeueritas nonnunquam fallax 805.40
Vxor caſta animam ſeu anhelitum viri grauem non iudicat 234.10
Vxor bonam tyrannidis partem ſæpe ſuggerit 359.10
Vxor ducta ab amico diuite & illuſtri, amicis pauperis & infamis filia turpiſsima 499.20
Vxor patris à filio adamata 815.50.60
Vxoris amor impotens 117.40
Vxoris ereptæ dolor 509.10.20
Vxoris alienæ curam adoleſcentes ne temere ſuſcipiant 817.10. & dein.
Vxorem ab amatore ſuo duci meretrix grauiter fert 745.60. & dein.
Vxores ex Socratis ſententia communes 155.10
Vxores alienæ ab Alexandro Pſeu. vel aſpici, nedum amari aut iniri, pulchrũ ac felix ducebant 398.10
Vxores alienas corrumpentes quidam ſanctimoniæ prætextus 781.20
Vxorum communitas 781.30.808.10
Vxorum incommoda & moleſtiæ 880.50
Vxorum malarum ſcelera 881.50.60

Xanthus fluuius penè exuſtus 88.20
Xanthus Achilis equus concionans 555.50.60

INDEX.

Ξενοφῶς 710.10
Xenocratis ſenectus 756.10
Xenophanis philoſophi ſenectus ibi.
Xenophili muſici ſenectus ibi.
Xenophon proœmys an vſus 285.10
Xenophon iuſtus ſcriptor 290.40
Xenophontis ſomnium 6.30
Xenophontis locus de pulchra muliere 424.40
Xenophontis Grylli filij ſenectus 710.20
Ξηράλοιφος 430.50
Xerxis regis factum laudabile 834.20 opus magnificentiſsimum 874.10
Xois & Thmuis infirmi ſerui 643.10
ξυνιάνειν verbi vſus 213.50.215.20
Zamolxi mortui ablegabantur 270.60
Zamolxis & Acinacis dij patrij Scytharum 272.20
Zamolxis inter beatos 312.20
Zamolxis Thracum deus 551.10.840.50
Zelotypia ſera in ſuperbo amatore 84.40
Zelotypia meretricum 747.20.30
Zelotypia, amoris indicium 753.60
Zelotypia in pugnam erumpens 764.40
Zelotypia vbi ſit 808.10
Zelotypiæ vis in amore 754.40
Zelotypiæ metu quidã ſe ipſum caſtrãs 817.30
Zelotypiam amatoribus ſuis excitare debent meretrices 683.50.754.20
Zeno Ariſtæneti filius 800.10
Zenonis Stoici ſenectus 709.50
Zenodotus perſtrictus 313.10
Zenothemidis philoſophi mira impudentia 808.60 & dein.
Zenothemis Maſſiliẽſis & Menecratis amicitia 498.50
Zephyrus Apollinis riualis in amore Hyacinthi 66.10.20
Zeuxis pictoris præſtantiſsimi Hipocentaurus fœmina &c. 263.50. & dein.
Zirim, Scythica vox quid ſignificet 504.30
Zodiacus vt inſtitutus 437.20.30
Zopyrio ſeruus 197.10
Zopyrus Darij amicus apud illum puris flebat quàm infinitæ Babylones 554.40
Zopyrus pædagogus 805.20
Ζυγομαχεῖν quid ſit 851.10

FINIS.

LVCIANI SAMOsatenſis opera.

DE SOMNIO, SEV vita Luciani,

Iacobo Micyllo Interprete.

BIBLIOTECA NACIONAL DE MAESTROS

ARGVMENTVM.

Occaſio huius narrationis videtur ſumpta eſſe ex ſecundo Xenophontis de dictis Socratis, vbi Prodicus ſophiſta eodem modo Herculi pueritiã egreſſo, narrat virtutem ac voluptatem apparuiſſe, & vtranque illum ad ſe pertrahere contendiſſe. Conſilium autem & ſcopus in fine ab ipſo Luciano explicatur. Nam vt adoleſcentes præinopia deficientes, & ad deteriora animum applicantes, reuocaret, & ad literarum ſtudia conuerteret, ſermonem hunc ait à ſe inſtitutum eſſe.

DEsieram nuper in ludum ire, factus iam ętate adoleſcẽs, cùm pater vnà cumamicis conſiliumcapiebat, quámnam artẽ potiſsimùm diſcendam mihi proponeret. Pleriſque igitur videbatur humanitas, ſeu literarũ ſtudium & labore multo, & tempore lõgo, & ſumptu nõ exiguo, deniq; & fortuna quadam, opus habere: noſtras autem res cùm paruas eſſe & modicas, tum verò celere quoddam auxiliũ poſtulare. Quòd ſi igitur artem aliquam mechanicam didiciſſem, fore vt principiò ſtatim ab ipſa arte neceſſaria vitæ comparare poſſem, neque neceſſe haberem adeò ætate iam proiectus, domi, déque paterna menſa viuere: ſed non multò pòſt etiam ipſum patrem exhilaraturum eſſe me, referendo domum ſemper aliquid ab arte quæſitum. Alterius itaque conſultationis caput propoſitum inde eſt, quænam ars & optima, & ad diſcendum facillima, & homine libero maximè digna foret, déinde & minori ſumptu atque inſtrumento egeret, multum autem, & ſufficientem quæſtum ſuppediaret. Próinde alio aliam laudante, prout quiſq; animo affectus, aut vſu expertus erat, pater ad auunculum aſpiciens (aderat enim is quoque, ſtatuarius tum habitus optimus, & poliendo marmore inter præcipuos laudatus) Minimè fas, inquit, eſt aliam artem hîc vincere, te pręſente: ſed hunc acceptum (méque demonſtrabat) abduc tecum, & doce lapidum artificem probum, & eorundem compoſitorem ac ſtatuarium nobis eſſe. Poterit enim & hoc, natura, vt ſcis, prædítus felici ac dextera. Fecerat autem hanc de me conie cturam pater, ex ludicris à me alíquando è cera cõfictis. Quando enim à præceptoribus domum dimittebar, abradens ceram, nunc boues, nunc equos, interdum per Iouem & homines fingebã, nõ omnino ineptè, vt tum videbar patri: ob quæ tum à præceptoribus quidem plagas accipere ſolebam: hîc autem ad probandam ingenii dexteritatem hęc quoque in parte laudis ducebantur. Atque adeò bonam ex eo ſpem de me omnes concipiebant, vt qui breui adeò artem hanc, ſecundùm fingendi illam facilitatem, perdiſcere poſſem. Simul igitur & idonea dies videbatur ea eſſe auſpicandæ arti, & ipſe tradebar auunculo, non admodum, per Iouem, iniquè aut grauiter ferens: ſed mihi etiam luſum quendam non inſuauem ipſa res videbatur habere: & apud æquales ad oſtentationem & laudem facturum eſſe, ſi & deos ſculpere, & parua quædam ſimulachra, cum mihi, tum illis quibus vellem, adornare poſſem. Ac tum primùm quidem illud, & incipientibus ſolitum, fiebat: celtem enim quendam auunculus mihi tradens, paulatim tabulam lapideam, quæ in medio poſita erat, contingere, atque artem auſpicari iubet, tritum illud admonens:

Dimidium facti, qui cœpit, habet.

Cæterùm durius impingente me, præ imperitia, vt fit, tabula rumpitur. Auunculus autem indignatus, & ſcuticam quandam propè iacentem corripiens, nequaquam manſuetè, aut vti docentem conueniebat, excepit atque initiauit me, ita vt mox in lachrymas prooemiũ artis mihi verteretur. Aufugiens igitur inde, domũ redeo, continuéq; vlulando, & lachrymis oculos opplendo, commemorabam ſcuticam, demonſtrabam vibices, nimiámque illius crudelitatem accuſabam, hoc quoque addens, quòd inuidia quadam iſta feciſſet auunculus, videlicet metuens ne ſe in arte ſuperarem. Iraſcente itaq; matre, & multa fratri conuicia faciente, poſteaquàm nox ſuperuenit, dormiui, plenus adhuc lachrymarum, totámque noctem cogitabundus iacens. Atque hacte-

nus quidem quæ diximus, ridicula, puerilíaque ſunt: quæ verò déinceps audietis, nequaquam contemnenda ſunt, ò viri, ſed quæ admodum auſcultandi cupidos auditores quoque requirant. Nam vt iuxta Homerum dicam:

Venêre mihi diuino ſomnia nutu.

Almam per noctem, ita clara & manifeſta, vt nihil ab ipſa veritate diſtarêt. Adhuc igitur etiam poſt tantum temporis interuallum, & habitus eorum quæ mihi tum apparuere, in oculis hærent, & ipſa vox auribus quaſi inſonat: adeò tum plana fuerunt omnia. Duæ mulieres manibus corripientes trahebant me in diuerſum, vtraque ad ſe videlicet, violentè admodum & validè: parum itaque abfuit quin me diſcerperent, dum inter ſe ambitioſè adeò cõtendunt. Nam modò hæc ſuperabat, & propémodum totum tenebat me: modò altera, eadémque me ad ſe retrahebat. Clamabant autem ambæ, accuſabántque mutuò ſeſe: hæc, quòd me ſuum videlicet illa poſsidere vellet: illa verò, quòd hæc fruſtrà aliena ſibi vſurparet. Erat autem altera quidem operaria, & virili aſpectu, ſqualida coma, manus callo paſsim obductas habens, ſuccincta veſte, & marmoreo puluere oppleta, qualis & ipſe auunculus eſſe ſolebat tunc, cùm lapides poliebat. Altera verò facie admodum honeſta, habitum decentem præ ſe ferens, & veſtes ornatas ac mundas induta. Poſtremò autem permittunt meo iudicio, vt vtri earum conuerſandum mihi putem, ſententiam ipſe feram. Ac prior quidem dura atque virilis illa ſic cœpit: Ego, chare puer, ſtatuaria ſum, ea quam tu heri diſcere cœpiſti, familiaris adeò tibi & cognata à parẽtibus. Nam & auus tuus (addens nomen aui materni) marmorarius fuit, & auunculus pariter & patruus tuus eandem artem exercuere, & per nos inter præcipuos celebrati ſunt. Quòd ſi igitur voles deliriis ac nugis circa quas iſta verſatur (indicans alteram) abſtinere, ac mecum degere, principiò generoſè educaberis, humeróſque habebis validos, & ab omni inuidia alienus eris, neque vnquam in terras alienas atque externas hinc abibis relicta patria, atque domeſticis tuis: neque etiam ob verba & orationem modò laudabunt te omnes. Neque verò auerſeris corporis hanc fragilitatem, aut veſtium ſorditiem. Nam ab his initiis profectus etiam Phidias ille, Iouem ſpectandum exhibuit, & Polycletus Iunonem fabricauit: præterea Myron laudibus vectus eſt, & Praxiteles in magna admiratione fuit. Adorantur itaque nunc illi cum ipſis illis Diis quos ſculpſere. Quòd ſi igitur horum vnus tu quoque fores, quomodo non celebris & ipſe apud omnes homines fieres? Patrem certè beatum efficeres, & patriam tuam omnibus ſpectabilem redderes. Hæc, atque etiam plura his, balbutiendo, & pleraque barbarè pronuntiando, dixit Statuaria, valde ſanè ſtudioſè omnia connectens, & me in ſuam ſententiam adducere cupiens: ſed non vltrà memini: plurima enim memoriam iam effugerunt. Cæterùm vbi tandem finem fecit, tum altera illa in hunc fermè modum orditur: Ego verò, ò fili, Humanitas ſum, iam nunc conſueta ac nota tibi: tametſi ad finem aut plenum nondum periculum mei feceris. Quanta igitur bona Statuaria iſta tibi præſtatura ſit, ſi eam artẽ didiceris, ipſa modò enumerauit. Nihil enim aliud niſi operarius eris, corpore laborans, & in eo totam ſpem vitę poſitam habens, obſcurus ipſe degens, modicum & minimè generoſum quæſtum faciens, deiectus animo, tenuis ac pauper reditibus. Denique neque amicis expetibilis, neque inimicis formidabilis, neque etiam inter ciues beatus habitus: ſed hoc ſolùm, opifex videlicet quiſpiam, & ex multa atq; promiſcua plebe vnus, præſtantiorem te ſemper formidans, & dicendo valentem præ oculis habens ac palpans, & in ſumma, léporis quandam vitam agens, potentioríſque lucrum exiſtens. Quòd ſi etiam Phidias vel Polycletus fias, præclaráque & admiratione digna multa opere præſtiteris, artem quidem laudabunt omnes: at qui ex aſpicientibus tibi ſimilis eſſe optarit, nemo erit, qui modò mentem habebit. Qualis qualis enim fueris, nihil niſi rudis quiſpiam opifex, manibus laborans, & iiſdem victum quæritans, cenſeberis. Contrà autem ſi mihi obſequêris, principiò tibi oſtendam multa veterum virorum præclara opera, & res admiratione dignas. Déinde & orationes illorum tibi renunciando, & omnium (vt ſic dicam) expertum te reddendo, animum (quod præcipuum in te eſt) exornabo tibi multis ac præclaris ornamentis: modeſtia ſcilicet, iuſtitia, pietate, manſuetudine, æquitate, prudentia, fortitudine, amore honeſti, & pulcherrimarum quarumcunque rerum deſiderio. Hæc enim animi ornamenta ſunt, verè ſyncera atque perpetua. Neque autem latebit te neque veterum quicquam, neq; eorum quæ in præſens geri debent: ſed ea quæ agi conueniet, quæque decent, me duce longè antè proſpicies. Et in ſumma, omnia quæcunque ſeu diuina ſeu humana ſunt, paruo tempore docebo te: & qui nunc pauper, atque inops es, iſtius neſcio cuius filius, qui de arte adeò illiberali neſcio quid cõſultas, haud ita multò pòſt nimium felix, nimiúmque beatus omnibus videberis, dum & honoribus afficieris, & laudibus efferêris, & pulcherrimarum quarumcunque rerum gloria celebraberis, illorum etiam qui diuitiis ac genere cæteris anteſtant, in te animis atque oculis conuerſis: ac veſtitum quidem talem geres (demonſtrans ſuum: gerebat autem admodum ſplendidum) Magiſtratibus verò, & primo in conſeſſu honore ante alios dignus exiſtimaberis. Et ſi quando aliquò peregrè abiens proficiſcêris, etiam in aliena terra nõ ignotus aut obſcurus eris. Talibus ſcilicet ornamentis ego te inſignem atque conſpicuum reddam, vt eorum quoque qui te aſpicient, quiſque proximè aſtantem leuiter impellens & commouens, digito te demonſtret, atque, Hic eſt ille, dicat. Iam ſi quid ſtudio dignum accidet quod vel ad amicos, vel etiam ad ipſam ciuitatem pertinebit, omnes in te oculos atque ora conuertent. Atque ſi tum aliquid fortè dixeris, plerique hiantes auſcultabunt, admirantes & prædicantes tum te ob dicendi vim, & orationis poteſtatem, tum etiam patrem tuum ob felicitatem prolis.

Et quod

Somnium, ſeu viſio Luciani.

Statuariæ verba.

Statuarii inſignes.

Verba Humanitatis.

Et quod diei vulgò ſolet, quòd ex hominibus quidam immortales redduntur, id quoque tibi dabo. Nam poſtquam ipſe ex hac vitâ deceſſeris, nunquam deſines conuerſari doctis, & cõſuetudinem habere cum optimis. Demoſthenem illum certè vides, cuius filius fuerit, & quantũ ego eundem reddiderim. Vides & Aeſchinem, qui tympaniſtriæ cuiuſdam filius erat, & tamen propter me etiam Philippus rex illum palpauit. Socrates autem, qui & ipſe inter ſtatuariam hanc artem enutritus fuit, & ſimul atque primùm intelligere cœpit meliora, relicta illa transfugit ad me nimirũ: audis vt nunc ab omnibus decãtetur? Igitur relinquẽs tãtos ac tales hoſce viros, res adeò ſplendidas, orationes tam graues ac illuſtres, veſtium ornamenta, honorem, famam, laudem, primos aſſeſſus, potentiam, imperia, deniq; & illam quam ex dicendo conſequêris gloriam, & quæ te omnes ob prudentiam prædicabunt, felicitatẽ, tuniculam aliquam indues ſordidam, habitúmq; aſſumes ſeruilem: vectes præterea & celtes, & id genus cætera ſculpendi cædendíque inſtrumenta in manibus habebis, déorſum inclinatus in opus, humi repens, demiſſus, déniq; modis omnibus abiectus & contemptus, nunquam autem neque expergiſcens, neque virile aut libero homine quicquam cogitans, ſed in opera intentus, vt illa videlicet proportionibus ſuis conſona & bene formata tibi reddantur: dete ipſo autem, vt & concinnus & ornatus incedas, minimè curã gerens, ſed te ipſis iſtis ſaxis contemptiorem reddens. Adhuc igitur dicente hæc illa, non expectato orationis fine ſurgens ſententiã toli, & relicta deformi & operatrice illa, tranſiui ad Humanitatem, admodum gaudens, præcipuè poſtquam mihi etiam in mentem venit ſcuticæ, & quòd plagas ſtatim non paucas incipienti mihi pridiè illa inflixiſſet. Porrò relicta illa, principiò quidem indignè ferebat, complodebátq; manus, & dentibus infremebat: poſtrèmò autẽ, quẽ admodum Nioben audimus, ita hæc quoque diriguit, & in ſaxum mutata eſt. Quòd ſi igitur incredibilia paſſa eſſe videtur, ne miremini. Somnia enim mirifica ſunt, & mira operari ſolent. Altera autem ad me reſpiciens, Próinde, inquit, ego tibi hanc iuſtitiam rependam, quoniam cauſam hanc bene & rectè iudicaſti. Veni igitur, & aſcende vehiculum hoc, (commonſtrato quodã vehiculo, quod alatis equis quibuſdã Pegaſo ſimilibus vehebatur) vt videas qualia ac quanta ignoraturus fuiſſes, ſi me non ſecutus eſſes. Cæterùm poſtquam aſcendi, illa quidem agitare, atq; aurigari cœpit: Ego verò vbi iam in ſublime ſublatus fui, obſeruabam & contemplabar, ab oriente incipiens, vſque ad occidentem, vrbes videlicet, & populos, nõ aliter quàm Triptolemus oſim, ſpargens quiddam in terram: quanquam nõ amplius memini quidnam illud fuerit quod tum ſpargebam, niſi hoc ſolùm, quòd ſurſum aſpicientes homines laudabant me, & ad quoſcunque volando peruueneram, cum multa prædicatione & gratulatione me proſequebãtur, & quaſi deducebant. Porrò vbi illa hæc tãta mihi, & meipſum collaudantibus illis demonſtraſſet, reduxit rurſum, non ampliùs eadem veſte illa indutũ, quam habueram ab initio auolans, ſed videbar mihi tum admodum delicatus & ſplendidus redire. Deprehendens igitur & patrem aſtantem, atque expectantem me, cõmonſtrauit ei veſtem illam, & me ipſum qualis redirem: ſubmonuítque eum quàm parum abfuerit quin minimè digna de me ille cum amicis ſuis ſtatuiſſet. Atque hæc quidem memini videre me, cùm primùm è pueritia egreſſus eſſem, plagarum metu, cerni mihi videor, tum exturbatus. Sed interea dum hæc dicuntur, ô Hercules, inquit quiſpiã, quàm longum hoc ſomnium, & iudiciale eſt! Déinde alius quidam hoc eludens, Hyemale, dixit, ſomnium eſt, quando nocte ſunt longiſsimæ: aut fortaſsis etiam trinoctiale, qualis & ipſe Hercules eſt. Quid igitur in mentem venit illi, nugari talia nobiſcum, mentionémque facere puerilis iſtius noctis, ſomniorúmque veterum, & ætate iam obſoletorum? Frigida enim & ingrata eſt omnis inepta ac futilis oratio. An fortè ſomniorum quorundam quaſi quoſdam interpretes eſſe nos credidit? Nequaquam, ô bone: quoniam neque Xenophon quondam exponens ſomniũ illud, quo baſeos. Lib. 3. Anapacto ipſi viſum fuerat in domo paterna, & déinceps. Noſtis enim vt non coniectationem quandam proponens, viſionem ſuam, aut quòd ita nugari ſtatuiſſet, narrauit, præſertim in bello & ſummarum rerum deſperatione conſtitutus, circunſtantibus vndique hoſtibus, ſed quòd vtilitatẽ quandam ſecum habebat illa narratio. Próinde & ego ſomnium hoc vobis expoſui, ea videlicet gratia, vt adoleſcentes ad meliora ſtudia conuerterentur, & humanitatem amplecterentur, & maximè ſi quis eorum præ inopia & paupertate peius de ſeipſo ſtatuit, animúmque ad deteriora declinat, ingenium non illiberale, illiberaliter perdendo. Confirmabitur enim talis aliquis, ſat ſcio, & quaſi conualeſcet, vbi ſermonem hunc audierit, idoneum atque ſufficiens exemplũ me ſibi proponens, vbi videlicet ipſe ſecum cogitabit, qualis ego ab initio exiſtens, ad optima prouectus fuerim, humanitatémque appetiuerim, minimè deiectus aut fractus animo ob eam paupertatem in qua tũc fui: déinde qualis & huc ad vos aſcenderim, qui certè vt nihil aliud, aut amplius, nullo tamen ſtatuariorum iſtorum inferior aut obſcurior euaſi.

CONTRA EVM QVI dixerat, Prometheus es in verbis.

Iacobo Micyllo Interprete.

ARGVMENTVM.

Apologia quædam eſt contra eum à quo Prometheus in verbis appellatus fuerat, qua quantum hanc collationem in ſe admittat, & quantum non, cum acerba quadam regeſtione reſpondet. Vt autem in ſuperiore narratione ſomnii, generis, educationis, ac ſtudiorum ſuorum rationes expoſuit: ita hîc videtur dictionẽ, & dicendi genus ſuum, quale, & ad quod exemplum comparatum eſſet, indicare voluiſſe, nempe quod ad materiam & res attinet, comœdiam: quod autem ad cõpoſitionem & ipſam orationis figuram ſpectat, dialogos, quales ſcilicet Platonis ſunt, ſeſe imitari.

PRometheum igitur me eſſe ais? ſi quidem ea ratione, ô optime, quaſi & mea opera lutea ſint, agnoſco collationem, ac fateor me ſimilem illi eſſe: neque recuſo luti figulus etiam ipſe dici: tametſi lutum mihi vilius ſit, quale ſcilicet ex triuiis colligitur cœnum propémodum ac fœtulentũ quoddam. Quòd ſi verò adeo extollens orationẽ meam, périnde vt artificioſam & fabrefactã, doctiſſimi illius Titanum nomine, eam cohoneſtas & laudas: vide ne quis ironiã dixerit, & quaſi quandam Atticam ſubſannationem ſubeſſe huic laudi: aut vnde enim adeò fabrefactum eſt quod ego facio? Quę verò illa nimia & Promethea ſapientia in ſcriptis meis? Nam mihi certè illud ſatis fuerit, ſi non omnino terrena atque fictilia tibi videãtur, aut digna adeò Caucaſo. At verò quanto iuſtiùs vos comparari Prometheo poteratis, quicunque in iudiciis, & cauſis agendis celebres eſtis, cum veritate certamen inſtituentes? Viua enim re vera atque animata vobis opera ſunt, & per Iouem etiam calor illorũ ignitus eſt. Quod ipſum quoque ex Promethei rebus ſumptum videri poſsit, niſi ſi ſic decidatis hîc, quòd minimè ex luto fingatis vos, ſed quòd aurea vobis pleriſque figmenta ſua ſint: nos autem qui ad vulgus prodimus, atque ibi tales noſtras auſcultationes iactamus, nihil aliud quàm ſimulachra quædam rerum ſpectanda exhibemus. Et in ſumma, circa lutum quidem, quemadmodum paulò antè dixi, ipſa hæc figulina verſatur, périnde vt & aliorum figulorum: præterea autem neque motus ſimilis ineſt, neq; animæ ſeu vitæ aliqua ſignificatio, ſed delectatio quædam inanis, & quaſi quidam luſus totum illud negotium eſt. Vt interim etiam cogitare incipiam, num ita me Prometheum dicere volueris, vt Comicus ille Cleonẽ, noſti ſiquidem. Cleon, inquit, Prometheus ille poſt negotia eſt. Cæterùm etiam ipſi Atheniẽſes figulos olarum, & furnorum conſtructores, & quicunque circa lutum verſantur, Prometheos vocabant olim; alludentes ad lutum, opinor, & ad illam quæ fit in igne, vaſorum aſſaturam. Quòd ſi etiã hoc ſibi vult Prometheus iſte tuus, admodũ directè ac certò iaculatus es, & omnino ſecundùm Atticam illam mordẽdi acerbitatem dixiſti: quoniã & noſtra opera fragilia ſunt, périnde vt illorum ollulæ: & modicum quiſpiam lapillum iniiciẽs, facilè contriuerit omnia. Aequi dixerit aliquis, conſolando nos, nequaquam iſta aſsimilaſſe Prometheo, ſed nouitatem hanc, & ea quæ nullo alio exemplo facta, aut ad imitationem comparata ſunt, laudare voluiſſe te: quemadmodum & ille nondum exiſtẽtibus hominibus excogitatos, atque de nouo inuentos illos tum finxit, talibus animalibus effigiatis & exornatis, quæ & mouerentur facilè, & aſpectu gratioſa forent, & in ſummа, architectus ipſe erat, ſed cooperabatur tamẽ etiam Minerua illi, quæ & lutum inſpirabat, & figmenta illa animata reddebat. Talia quidem ille aliquis dicere poſſet, atque ita in meliorẽ partem dictum iſtud exponere. Et fortaſsis hæc ſententia etiam dicti fuit: ſed mihi non ita ſatis eſt, ſi videar noua fingere: quoniam neque vetuſtius aliquid dicere quiſquam poterit eo figmento, ad cuius imitationem ac formam hoc deductum & quaſi progenitum eſt. Sed tamen niſi & gratiam quandam atque venuſtatem præ ſe ferat, puderet me ſanè (ſat ſcias) illius, & conculcando abolere cuperem. Neque enim illi eò profuerit apud me nouitas hæc, quò minùs conteratur, ſi deforme exiſtat. Et ſi quidem non ita ſentiam, dignus mihi videor qui à ſedecim vulturibus attõdear: vt qui non intelligam quòd multò deformiora ea ſunt, quæ hoc ipſum quod ſunt, cum peregrinitate quadam coniunctum habent. Ptolemæus igitur Lagi filius, cùm aliquando duas res nouas in Aegyptum adduxiſſet, Camelum videlicet Bactrianam totam nigram, & hominem bicolorẽ, cuius altera pars planè nigra, altera autem excellenter candida erat, per totum corpus æqualiter diſtincta atque diuiſa: congregatis in theatrum Aegyptiis, exhibuit illis cum alia multa ſpectacula, tum inter poſtrema, hæc quoque, camelum videlicet, & ſemialbum hominem: putauítque ſe magnam admirationem illo ſpectaculo concitaturum

turum esse. At illi ad cameli quidem conspectum perterriti sunt, & parum abfuit quin exilientes profugissent, quanquam tota ea auro exornata, ac purpura instrata erat, frenum autem etiã gemmis compactum habebat, ex Darii alicuius, aut Cambysis, aut etiã ipsius Cyri thesauris depromptum. Ad hominis autem intuitum plerique ridebant: alii autem etiam vt monstrum aliquod ipsum auersabantur. Quare Ptolemæus intelligens se illis non adeò laudem conciliasse sibi, neque nouitatem apud Aegyptios in admiratione esse, sed præ ipsa quod concinnum atq; compositum, iustáque forma præditum foret, probari, transtulit illos inde, hominémque non amplius eodem honore habuit, quo antea. Ac camelus quidem neglecta atque relicta tum, mortua est: hominem autem illum duplicem Thespidi cuidam tibicini, cùm ad pocula bene cecinisset, dono dedit. Porrò vereor ne & mea, camelus in Aegypto, sint, homines autem adhuc frenum illius & purpuram admirentur: quoniam neque illud ex duobus optimis compositum, Dialogo videlicet, & Comœdia, per se ipsum satis valet ad formam & elegantiam, nisi & compositio inter se consentiens, iustáque proportione temperata fuerit. Licet quippe ex duobus pulchris compositionem alienam atque peregrinam fieri, quale illud vulgatissimum est Hippocentauri. Non enim facilè dixeris amabile aliquod animal esse hoc, sed potiùs contumeliosissimũ, si modò conuenit pictoribus credere, exhibentibus temulentiam & cædes illorum. Quid ergo? an non rursum quoque bene formatum ac pulchrum aliquid ex duobus optimis cõpositum fieri potest? Vt ex vino & melle commistum & temperatum, suauissimum equidem aio esse. Quanquam de meis compositionibus hoc cõtendere nõ ausim, quòd ipsæ quoque tales sint: sed metuo ne vtriusque pulchritudinem ipsa temperatura corruperit. Neque enim omnino consueta inter se atq; affinia ab initio Dialogus & Comœdia fuere. Siquidem ille domi & secum ipse, mehercle, in ambulacris cum paucis quibusdam disputationes suas habebat: Comœdia autem trãdens se totam Dionysio, in theatro conuersabatur, simúlque ludebat, & ridicula erat: gaudebat salibus, & dicacitate, & cum numerositate quadam ad certamen & palmam veniebat. Interdum etiam anapæsticis versibus prorsum in sublime euecta, Dialogi sectatores ac socios vt plurimùm irridebat ac subsannabat, curarũ exercitores, ac vanos sublimiũ rerum disceptatores, & id genus alia vocitando. Quin & vnam hanc adeundi viã habebat, fugillando illos, & Dionysiacam istam libertatem in ipsos effundẽdo, nunc in aere ambulantes, & cũ nubibus congredientes illos exhibens, nunc pulicum saltus metientes fingens, vt qui scilicet de aereis & sublimibus istis rebus nimis exiliter argutarentur. Dialogus autem contrà maximè graues ac venerabiles disputationes habebat, cum de natura rerum, tum de virtute philosophorũ: ita vt Musicorum illud, *διὰ πασῶν*, hoc est, bis per omnes chordas siue distantias tonorum, nempe à summo atque acutissimo ad imum atq; grauissimum vsque, inter eos disconueniret. Et tamen ausi fuimus nos, hæc ita sese habentia, inter sese coniungere & quasi conciliare, eáq; mutuò coaptare, quæ neque omnino obsequuntur, neq; facilè communionem & societatem aliquam sustinent. Vereor itaque ne denuò simile aliquid Prometheo isti tuo feciss videar, vt qui fœminum cum masculino commiscuerim, & ob idipsum nunc reus agar. Imò etiam ne quid aliud tale videar, decepisse fortasse auditores, atque ossa apposuisse ipsis pinguedine obducta ac tecta, risum scilicet Comicũ sub philosophica grauitate. Hoc enim furti fuerat. Absit hoc vnũ modò, vt ne in nostris inesse dici possit. Aut vnde enim furaremur tale aliquid? nisi verò quispiam nos latet, qui eiusmodi pinuũ incuruatores & Hircoceruos & ipse composuerit, Veruntamen quid facerem? Persistendum enim est in iis quæ semel cœperis, quandoquidem mutare consilium, Epimethei opus, non Promethei est.

Cõpositio diuersa & varia, hippocẽtaurus vocetur.

Dialogus. Comœdia.

Qualia de Socrate fingit Aristophan. in nubib.

NIGRINVS, SIVE DE Moribus Philoſophorum,

Iacobo Micyllo Interprete.

ARGVMENTVM.

Hoc dialogo vitam ac mores Philoſophorum deſcribit, conferẽdo inter ſe verè Philoſophos & ſimulatos: & quòd ijs qui ſeriò philoſophari cupiunt, vrbis Romæ conſuetudo & luxus nequaquã conueniant, oſtendendo. Cuius rei exemplum, Nigrinum, Platonicum Philoſophum, & turbas iſtas adulatorum, cœnas, & lucrum ſectantium, inter ſe componit. Quanquam haud ſcias, an etiam veræ Philoſophiæ ſectatores hic laudando, pro more ſuo ironia vtatur. Valde autem quadrat hic dialogus in noſtræ quoque ætatis homines eos, qui ornatu & habitu veterum iſtorum quaſi ſucceſſores quidam ſunt.

Epiſtola ad Nigrinum.

Noctuas Athenas. *Lucianus Nigrino ſalutem. Noctuas Athenas, inquit prouerbium: quaſi ridiculum ſit ſi quis eò noctuas apportet, quoniam illis illi abundent. Ego verò ſi quidem poteſtatem ac vim verborum exhibere velim, atque ita Nigrino ſcribens, librum mitterem: obnoxius equidem huic ridiculo forem. Nunc autem quando ſolùm ſententiam meam declarare tibi volo, quomodo videlicet nunc animatus ſum, & quòd non obiter ac leuiter oratione tua correptus atque affectus fui, effugero ſanè meritò etiam Thucydidis illud, quo dicitur imperitia audaces, res autem cogitata atq; conſiderata timidos efficere. Manifeſtum enim eſt quòd non imperitia ſolùm, verùm etiam amor, ac ſtudium orationis, huiuſmodi audaciæ cauſa eſt. Vale.*

VT verò grauis nobis admodum & ſublimis rediiſti? Nõ igitur neq; aſpicere nos amplius dignaris, neq; conuerſationem aliquam nobiſcũ habere, neq; etiã ſimilibus atq; iſdem verbis nobiſcũ vti, ſed repentè immutatus es, & omnino eiuſmodi quiſpiam vidêris, qui cæteros omnes præ ſe contemnat. Lubens igitur audierim ex te, vnde ad hoc inſolentiæ peruueneris, & quæ eius rei cauſa ſit. PHIL. Quid enim aliud, ô amice, quàm felicitas? LVC. Quid ais? PHIL. Nam præter conſiliũ atq; propoſitũ meũ, venio tibi felix atq; beatus factus, adeóq; illud quod in ſcena vſurpari ſolet, ter beatus. LVC. Papæ! Adeò breui? PHIL. Atq; admodum. LVC. Quid autẽ vltrà hîc eſt propter quod etiam ſuperbis, vt nõ ſummatim modò lætemur, ſed & accuratè ſcire poſsimus, audito toto negotio? PHIL. An non admiratione dignum tibi videtur per Iouem, pro ſeruo liberum, pro paupere diuitem, ſdq; adeò verè, pro ſtulto autẽ & inſano redire modeſtũ? LVC. Maximè igitur. Sed nondum tamen planè intelligo quídnam illud ſit quod dicis. PHIL. Profectus in vrbem rectà fui, vt ibi oculorum aliquem medicum circunſpicerem. Nam malum illud quo ex oculis laborabam, magis ac magis ingraueſcebat tũ mihi. LVC. Scio equidem ſingula, ideóq; etiam optaui vt in bonum atque peritum aliquem incideres. PHIL. Cùm igitur viſum mihi eſſet, Nigrinum quoq; illum Platonicum philoſophum, vt quem longo temporis interuallo non videram, compellare, manè ſurgens, ad ipſum abeo, & pulſata ianua, cùm puer intrò de me renunciaſſet, accerſitus ſum. Atq; ita ingreſſus in ædes, deprehendo ipſum quidem manibus librum tenentẽ, circum autem vndiq; multas veterum atq; doctorum hominum imagines iacentes. Poſita autem in medio erat etiam tabella quædam, in qua Geometricæ quædam figuræ deſcriptæ erant, ac ſphæra Calani illius, ad exemplum & imitationẽ vniuerſi, vt videbatur, compoſita. Admodum igitur benignè & comiter me amplexatus ille, interrogat quídnam agerem. Quibus omnibus illi expoſitis, & ego quoque per vices ex eo ſcire poſtulabam, & quid ipſe ageret, & nunquid apud ſe ſtatuiſſet in Græciam denuò nauigare. Ibi verò ille, ô amice, poſteaquàm cœpiſſet de hiſce rebus mecum colloqui, ſuámq; ſententiam explicare, tantã quãdam verborũ ambroſiã mihi affudit, vt mihi planè videretur Sirenes illas, ſi quę vnquam fuerunt, & Aedonas & Loton illã Homeri antiquam referre. Adeò diuina quædam loquebatur. Eò enim verbis euaſit, vt & Philoſophiam laudaret, illámq; quæ ex hac proficiſcitur, libertatem: & contrà iſta quæ vulgò pro bonis habentur, irrideret, vtpote diuitias, gloriam, regna, honores: præterea aurum quoque, & purpuram, & cætera quæ admodum ſpectabilia pleriſque, anteà verò etiam mihi videbantur. Quæ quidem animo ipſe intento atque aperto accipient, continuò equidem ita affectus fui, vt cui, quod mihi tum acciderat, comparare poſſem, non haberem: ſed omnino

omnino varius reddebar, atq; in omnes partes rapiebar. Ac nunc quidem dolebam, quòd confutari atq; refelli videbam ea quæ mihi chariſſima fuerant, diuitias videlicet, argentum, & gloriam: ac tantum non lacrymabar damnatis atq; reiectis illis: nunc verò eadem ipſi mihi videbantur vilia atq; ridicula eſſe: gaudebámq; rurſum tanquam ex tenebroſo quodam aere prioris vitæ ad ſerenitatem & magnam aliquam lucem reſpiciens. Quare ſanè & oculorum, (quod tum abſurdiſsimum erat) & eorum infirmitatis obliuiſcebar, animo autem acutus & perſpicax paulatim magis magisq; fiebam. Nam ad id tempus minimè animaduertens, cæcutientem atque obtuſam illam circunduleram: progreſſus autem inde, ad id tandem adductus ſum, cuius nomine tu paulò antè me criminabaris. Nam & elatus oratione illius, & tanquam in ſublime euectus ſum, & omnino paruum atq; humile nihil quicquam cogito. Videtur enim ſimile quiddam mihi accidiſſe circa philoſophiam, quale Indis circa vinum accidiſſe fertur. Nam cum primùm illi vinum bibiſſent, nempe natura calidiores, accedente potu adeò forti, continuò admodum in furorem verſi ſunt, ac duplo quàm cęteri magis ex mero inſanire cœperunt. Eodem pacto & ipſe tibi quaſi quodam furore captus, ac verbis ebrius obambulo. Quanquam hoc quidem non eſt ebrium, ſed ſobrium atq; temperantem eſſe.

Indi primũ vino guſtato in furorẽ verſi.

Lvc. Ego verò optarim, ſi fieri poſſit, ipſam illam audire orationem. Neque enim contemnere ipſum, opinor, fas eſt, preſertim ſi ille qui audire cupit, & amicus eſt, & circa ſimilia ſtudium atque operam aliquando poſuit. Phil. Confide ô bone. nam iuxta Homericum illud, feſtinantem per ſe ipſum hortaris. Ac niſi prænortiſſes, iam vltrò rogaſſem, me narrantem audires. Teſtem enim te relinquere apud pleroſq; volo, quòd non præter rem inſanio, præcipuè cùm & ipſum illius crebrò meminiſſe, volupe mihi ſit, & hanc iam quaſi quãdam exercitationem apud me inſtituo. Nam etiamſi nemo mihi adſit, tamen ſic quoq; bis vel per diem reuoluo mecum ipſe dicta illa. Et quemadmodum amatores puerorum, abſentibus illis, opera aliqua & ſermones ab ipſis habitos, memoria repetunt, in iiſq; immorando morbum fallunt, perinde ac ſi illi ipſi amati adſint: quidam verò etiam colloqui ſecum illos putant, atq; iis quæ tum ſibi audire videntur, quaſi paulò ante reuera dictis, gaudent, animúmq; memoriæ præteritorum applicantes, neque quieſcere poſſunt, ob ea quæ pro pedibus & in mora ſunt, ſeſe angendo: eodem igitur pacto etiam ipſe, philoſophia non præſente, verba quæ tum audiui, recolligens, mecũ & ipſe crebrò repetens, non paruum capio ſolatium. Et in ſumma, perinde ac ſi in pelago, & per noctem alicubi ferar, ad hanc quaſi quandam facem aſpicio, omnibus illis rebus quæ à me geruntur, virum illum coràm adeſſe exiſtimans, ſemper autem velut audiens ipſum eadem illa ſua ad me dicentem. Interdum verò, & maximè quãdo animum erigo, & in illum quaſi infigo, etiam vultum illius videre mihi videor, & vocis ipſius ſonus in auribus mihi relinquitur. Etenim iuxta Comicum, reuera aculeum quendam in auditoribus reliquit. Lvc. Deſine, ô admirande, parumper præludere, ac dic ab initio repetens iam tandem dicta illa, quoniam non mediocriter me expectatione iſta excrucias, dum verbis ita ſuſpendis & circunducis. Phil. Rectè dicis atque ita facto opus eſt: ſed illud quæſo, vidiſtíne aliquando ſiue Tragicos, ſiue etiam, per Iouem, Comicos hiſtriones, malos iſtos dico, qui ſibilo excipiunt, quíq; poemata agendo corrumpunt, ac poſtremò theatris eiiciuntur, tametſi ipſæ fabulæ ſæpenumero bene ſe habeant, ac palmam etiam reportent? Lvc. Multos noui tales. ſed quorſum hoc? Phil. Vereor ne interim & ipſe illos imitari videar, alia quidem inordinatè cõnectens, interdum autem etiam ipſam ſententiam præ imbecillitate ingenii corrumpens, atq; ita progreſſus, paulatim etiam ipſam damnem fabulam. Ac quantum quidem ad me ipſum attinet, non admodum ægrè id feram. Cæterùm argumentum illud non mediocri dolore me affecturum eſſe videtur, ſi mecum vnà reiiciatur, meáſq; partes dehoneſtet. Proinde hoc per totam memineris mihi orationem, quòd Poeta quidem ipſe taliũ pecatorũ vobis innocẽs ſit, ac procul à ſcena ſeiunctus alicubi ſedeat, neq; quicquã ea curet quæ in theatro aguntur. Ego verò mei ipſius periculum tibi faciam, qualis ſcilicet hiſtrio ſim, quãtúmq; memoria valeam, quod ad cætera attinet, nihil à nũcio Tragico diſtãs. Quare ſi quid etiam minus aut parcius iuſto videbor dicere, vulgare illud tibi, & quod vbiq; in prõptu eſt, occurrat, quòd ſcilicet melius hoc fuerat, & quòd ipſe poeta aliter fortaſſis idẽ dixerat. Me verò ſi exibilaueris etiam, non admodum quicquam moleſtè feram.

Quod de Pericle tereſtatur Euripides.

Lvc. Vt bene ſanè, ite me Mercurius amet, atq; adeò iuxta rhetorum leges exordiũ hoc tibi per actũ eſt. Videris igitur etiã illa additurus fuiſſe. quòd nõ ita diu inter vos mutuò cõuerſati eſtis, & quòd neq; ipſe venis ad dicendum paratus, & quòd ſatius fuerit ipſum illum dicentem audire. te enim pauca quædam, &, quantum poſſibile tũ erat, memoria collecta & quaſi comportata habere, An non hæc quoq; dicturus eras? Nihil igitur opus illis amplius tibi eſt apud me: exiſtimes autem huius rei gratia, quod ad prooemium atq; præfationem attinet, omnia te verbis complexũ atq; conſecutum eſſe: quoniã ego iam & vociferari & applaudere paratus ſum. Quòd ſi verò longius etiã differes, malignitatis eius inter ipſum certamẽ meminero, ac tum acutiſsimè ſibilabo. Phil. Equidem & hæc quæ tu modò commemoraſti, dicta mihi velim: & illa quoq;, quòd neque ordine, neq; vt ille, iuſta quadam & cõtinua oratiõe de omnibus dicturus ſum omnino enim hoc nobis impoſsibile eſt: neq; rurſum illius perſonæ attribuendo ſermonem, ne alio ac nouo etiam modo hiſtrionibus illis ſimilis fiam, qui ſæpenumero aut Agamemnonis, aut Creontis, aut etiam ipſius Herculis perſona aſſumpta, ac veſtibus auro contextis induti, & graue quiddam tu-

entes, mox ore in immensum diducto, exiguum & gracile, adeóq; muliebre quiddam loquuntur, ipsa etiam Hecuba aut Polyxena multò demissius. Ne igitur & ipse eodem modo conuincar maiorem omnino quàm pro capite meo personam induisse, ipsumque ornatum dehonestare, ex nuda tibi volo meáque propria persona colloqui, ne cadens alicubi, ipsum illum Heroem quem ago, mecum vnà conuellam ac lacerem. Luc. Homo hic nunquam cessabit hodie contra me crebra illa scena atque tragœdia vti. Phil. At verò cesso quidem: ad illa autem de quibus cœperam, me nunc conuertam. Principium igitur orationis illius, commendatio quædam fuit Græciæ, & eorum hominum qui Athenis commorantur, quòd cum philosophia scilicet & paupertate vnà educarentur, & neque ciuium neque peregrinorum quenquam oblectarentur aspicientes, qui voluptatem importando ad illos, antiquam illorum honestatem violaret. Sed si quis etiam veniret ad illos ita affectus, paulatim & transformarent ipsum, & veteres mores atque animos dedocerent, ac ad puritatem, sobrietatémque vitæ transferrent. Memorabat itaque quendam ex purpuratis istis, & multo auro fulgentibus, qui cùm veniisset Athenas admodum insignis & conspicuus, magna comitantium turba stipatus, auro variáque veste exornatus, ipse quidem Athenienſibus omnibus existimabatur valde beatus esse, & périnde ac deus quispiam suspiciendus: istis autem miser atque infelix quispiam videbatur homuncio ille: statímque erudire illum aggrediebantur, non acerbè, neque etiam apertè interdicentes, ne in libera ciuitate quocunque ipse pacto viuere vellet, sed postquam & in gymnasiis, & in balneis quoque molestus erat, obterens seruos suos, & in angustum cogens obuios, ex occulto quidam submissa voce, quasi lateret, neque tamen illum perstringere vellet, subiecit: Metui, inquiens, ne ille inter lauandum periret. Atqui pax certè longa balneum iam tenet: próinde nihil opus erat isto exercitu. Ille autem audiens quæ res erat, intereà erudiebatur. Rursum autem vbi vestem illam variam atque pur puream exuebat sese, vrbanè admodum floriditatem atque nitorem istum colorum irriden tes, Iam ver adest, dicebant: &, Vnde nobis pauo hic? &, Fortasis matris ipsius hæc est. & id genus similia. Atque eodem pacto etiam cætera illius cum risu carpebant, nunc annulorũ multitudinẽ, nunc comę superuacaneam curam, nunc victus intemperantiam atque luxuriam notantes. Quare paulatim ad sobrietatem, atque modestiam reuocatus est, & longè melior publicè ita emendatus ac doctus inde abiit. Quòd autem non puderet eos etiam paupertatem confiteri, referebat mihi vocem quandam, quam aiebat publicè ab omnibus emissam, audisse se in ludis Panathenaicis. Deprehensum enim quendam ex ciuibus fuisse, & ad præsidem ludorum adductum, eò quòd in veste tincta ad spectaculum venerat: cæteros autem qui hominem videbant, miſertos illius, ac veniam precatos esse. Atque vbi præco iam proclamaret quòd in leges commisisset quia tali cum veste ludos spectaret: omnes vna voce, quasi anteà super hoc deliberassent, exclamare cœpisse, vt venia daretur talibus induto: neque enim aliam vestem habere illum. Hæc igitur prædicabat ille mihi, & præterea libertatem quoque eam quæ illic esset, ac victus frugalitatem, necnon & otium, & quòd homines minimè curiosi atque auidi rerum essent, cuius generis virtutes infinitæ apud illos sunt. Ac pro certo indicabat mihi, conuersationem eorum hominum, philosophiæ ipsi consonam esse, moréque puros ac sobrios conseruare posse: studioso videlicet homini, & qui diuitias contemnere didicisset: & qui secundùm ea quæ natura honesta sunt, viuere secum ipse statuisset: ei illorum hominum vitam quàm maximè aptam atque accommodam esse. At qui diuitias amaret, auróque delectaretur, præterea purpura atque potentia felicitatem metiretur, qui & libertatem nunquam gustasset, & cum seruitute enutritus esset, aut qui voluptati toto animo incumbens, huic vni inseruire atque obsequi statuisset, amans epularum ac mensæ opiparè instructæ, indulgens vino ac rebus venereis, plenus præstigiarum, deceptionis atque mendacii: aut rursum qui delectaretur audiendo citharum sonitus, aliorúmque instrumentorum lasciuos crepitus, gauderétque cantilenis perditis & eneruatis: talibus videlicet hominibus conuenire loci huius consuetudinem. Ibi enim rerum charisirum ipsis, omnes plateas, omniáque fora referta esse: ac licere ipsis omnibus quasi portis voluptatem recipere, partim quidem per oculos, partim autem per aures & nasum, partim etiam per gulam, & per venerea: qua præterea fluente perenni ac turbulento quodam flumine, omnes, inquit, viæ complanantur. Siquidem in vnum conueniunt & adulterium & auaritia, & periurium, & id genus reliquum voluptatum. Relaxatur autem atque auertitur, animo submerso atque obruto vndique, omnis verecundia, & virtus, & iustitia: quibus locus il le desertus & vacuus redditus, siti autem semper impletus, suppullulat multis ac feris cupiditatibus. Ac talem quidem describebat mihi vrbem, taliúmque magistram bonorum. Ego itaque, inquit, quando primùm ex Græcia reuersus fueram, atque ista iam propius aspiciebam, reuocans me ipsum, & quasi verbis compellans, rationem poscebam aduentus hue mei, Homerica illa videlicet mecum ipse dictans:

Cur autem infelix, deserto lumine Phœbi — Odyss. 12.

(Græcia nempe, & felicitate illa atque etiam libertate) Venisti? vt videas loci huius tumultus, sycophantas videlicet, salutationes superbas, cœnas, adulatores, homicidia, testamentorum

Athenarũ encomiũ.

Continẽtiæ ac paupertatis commendatio.

Intẽperantiæ repreheńsio.

rum expectationes, & amicitias ſimulatas? Aut quid tandem facere decreuiſti, cùm neque diſcedere hinc, neque conſuetis & inueteratis hiſce vti poſsis? Hoc igitur pacto mecum ipſe conſultans, & quemadmodum Iupiter Hectorem illum, ita meipſum è telis, vt dicitur, ſubducens, éque hominum cæde, atque tumultibus, éque cruore, de cætero domi continere me ſtatui: atque hanc muliebrem quandam vitam & timidam pleriſque viſam, proponens mihi, cum ipſa philoſophia, Platone, & veritate colloquium habeo. Ac meipſum quaſi in quodam amplo ac populoſo theatro collocans, ex ſublimi admodum inſpicio atque contemplor ea quæ geruntur: quæ partim eiuſmodi ſunt, vt multum delectationis ac riſum exhibere poſſint: partim etiam vt virum verè conſtantem, ac firmum tentare aut labefactare aliquò modo queant. Nam ſi malorum quoque encomium aliquod dicere conuenit, ne credas maiorem vllam virtutis palæſtram eſſe, aut veriora vſquam animorum experimenta fieri, quàm in hac ciuitate, & in ea qua hîc viuitur conſuetudine. Neque enim parum eſt reſiſtere tot quidem cupiditatibus, tantis autem ſpectaculis atque aurium illecebris vndique attrahentibus ac detinentibus: ſed oportet omnino Vlyſsis exemplo præternauigare illa, non quidem ligatis manibus, vt ille, (nam hoc formidoloſum foret) neque etiam auribus cera obturatis, ſed audientem atque liberum, & verè animum ſupra hæc elatum habentem. Licet autem & philoſophiam mirari, conferendo eum illa tantam hominum amentiam atque ſtultitiam: bonáque iſta fortunæ contemnere, vbi aſpexeris, velut in quadam ſcena, ac multiplici, pro perſonarum varietate, fabula, alium quidem ex ſeruo dominum prodire, alium autem ex diuite pauperem fieri: contrà alium ex paupere ſatrapam, aut regem: rurſus alium amicum huius, alium inimicum: alium etiam exulem eſſe. Nam hoc certè vel grauiſsimum eſt, quòd licet fortuna ipſa teſtetur ſeſe in humanis rebus ludere, fateatúrque nihil illarum certum ac ſtabile eſſe, nihilò minùs tamen quotidie iſta aſpicientes, & diuitias expetunt, & potentiam: ac pleni obambulant omnes earum rerum ſpe, quarum euentus nunquam ſequatur. Quod autem videlicet dixi, quòd ei ridere ad hæc quæ alibi geruntur, licet, atque animum oblectare, illud tibi iam exponam. Quomodo enim non ridiculi ſint diuites ipſi, qui & purpuras ſuas ſpectandas exhibent, & digitorum annulos oſtentant, & omnino multas præ ſe ferunt ineptias? Quod autem omnium abſurdiſsimum eſt, etiam obuios aliena voce ſalutant, & hoc quaſi magno aliquo contentos eſſe volunt, ſi ſolùm ipſos aſpexerint. Quidam verò faſtuoſiores adorari etiam cupiunt, non à longè, neque vt Perſis mos eſt, ſed neceſſe eſt propriùs accedentem, & ſeſe incuruantem, animo à longè demiſſo & humiliato, illiúſque affectu etiam corporis ſimilitudine declarato, pectus aut dexteram deoſculari: quod ſanè beatum atque ſpectabile videtur etiam iis qui honorem hunc nunquam aſſequuntur. Ille verò ſtat in longum tempus ſeipſum præbens decipiendum. Vbi & hanc illorum laudo inhumanitatem, quòd neque ore nos approbant, aut compellant. Cæterùm his multò ridiculi magis ſunt ipſi ſectantes, atque obſeruantes, qui de media nocte ſurgentes circuncurſant totam ciuitatem, & à ſeruis excluſi foribus, canes, & adulatores, & id genus alia audire ſuſtinent. Prima verò huius tam acerbæ circuitionis, ipſis oneroſa illa, atque multorum malorum cauſa, cœna eſt: in qua quidem illi, qui multa ingurgitantes: quàm multa autem potantes, quàm multa etiam, quæ proloqui non decet, reprehendentes poſtremò, aut ægrè ferentes diſcedunt: & vel ipſam criminantur cœnam, vel contumeliam aut ſorditiem accuſant! Pleni autem & angiportus ſunt vomentibus ipſis, & circa vtiliſsima quæque proſtibula depugnantibus. Et complures ipſorum in multum diem decumbentes, circumeundi cauſam medicis præbent. Quidam enim (id quod abſurdiſsimum eſt) neque ægrotando quieſcunt, aut otium ducunt. Ego verò multò adulatores ipſos magis perditos eſſe, quàm quibus adulantur, exiſtimo, & propémodum authores illis exiſtere ſuperbiæ ac faſtus iſtius. Nam cùm illorum opulentiam & rerum omnium abundantiam admirantur, aurum laudibus extollunt, veſtibula manè complent, & accedentes ipſos quaſi dominos appellant: quid quæſo etiam illòs cogitare conſentaneum eſt? Quòd ſi verò communi decreto vel paululùm modò abſtinerent ab hac voluntaria ſeruitute, an non putas è diuerſo ipſos diuites ad fores pauperum atque mendicorum venturos eſſe, vltrò rogantes ne ignobilem atque obſcuram, & quaſi abſque teſte latentem ipſorum felicitatem relinquerent, néve paterentur vt inutilem, & ab omni vſu remotam & menſarum pulchritudinem, & domorum magnitudinem perire? Neque enim ſic ipſas diuitias amant, vt propter diuitias beatos atque felices ſeſe exiſtimari. Atque ita ſanè res habet, vt nulla ſit vtilitas poſsidenti, neque pulcharum ædium, neque auri, neque eboris, niſi ſit qui illa admiretur. Oportebat igitur tali aliqua via diminuere ipſorum exiſtimationem, & extenuare potentiam, obiiciendo, & quaſi propugnaculum aliquod opponendo diuitiis, deſpicientiam iſtam atque contemptum: nunc verò colendo contrà & obſeruando, ad ſtultitiam atque amentiam illos adducunt: atque homines quidem indoctos, & ignorantiam manifeſtè confitentes, huiuſmodi factitare, tolerabiliùs meritò exiſtimetur: at verò eos qui philoſophari quoque ſe ſimulant, multò etiam ineptiora his, magíſque ridicula facere, illud tandem omnium grauiſsimum eſt. Quomodo enim me putas animo affectum eſſe, quoties video iſtorum aliquem, maximè eorum qui ætate prouecti ſunt, adulatorum turbis immiſceri: & illorum

Quæ animum ſapientis labefactare poſſint.

Hypotypoſis diuitum faſtuoſorũ.

Diuites cur diuitias amant.

aliquem, qui honores gerunt, satellitum modo deducere atque sectari: deinde & cum iis qui ad cœnam vocare solent, colloquia serere, insigniorem autem, magisque conspicuum cæteris ob ornatum & habitum esse? Quod vel maximè indignari soleo, quòd non itidem personã ac habitum mutant, cùm vtiq; quod ad cętera attinet, eodem modo fabulã agant. Nam quæ in conuiuiis operantur, cui quæso adulatorũ illa comparabimus? An non replentur cibo, multò quàm cę teri minore modestia? An non inebriantur magis quàm alii manifestè: à conuiuio autem surgunt omnium vltimi: deinde & plura aliis auferre secum volunt: si qui verò ipsorum vrbaniores paulò sunt, sæpenumero etiam cantare incipiũt? Atque hæc quidem pro ridiculis ille censebat. Præcipuè verò etiam eorum mentionem faciebat, qui pacta mercede philosophãtur, virtutémque ipsam venalem tanquam de foro proponũt. Ergastula igitur, & cauponas illorum scholas vocabat. Censebat enim eum qui diuitias cõtemnere alios docere vellet, principiò seipsum lucris & quæstu superiorem gerere debere: quoniã & ipse reuera talia agebat, non solùm gratis conuersando ac differendo cum volentibus, sed & indigentibus necessaria subministrando, omnémque omnino diuitiarum abundantiam contemnendo. Ac tantùm aberat ab expetendo ea quę ad ipsum nihil spectabant, vt ne suarum quidem rerũ, quæ illi interim corrumpebantur, curam aliquam gereret, vt qui & agrum quem non procul ab vrbe habebat, iam annis ne inuisere quidem dignatus fuerit. Quin & principiò neq; suum esse illum constituebat, illud, opinor, distinguens, ac disputans, quòd natura quidem istarum rerum nullius domini sumus, lege autem & per successionem vsum earum in tempus incertũ acquirentes, temporanei seu momentanei possessores habemur: ac posteaquàm terminus ille constitutus præterierit, tunc rursum alius easdem à nobis accipiẽs, nomine illo fruitur. Non parua autem etiam illa præbẽt imitari volentibus exempla, victus scilicet frugalitas, exercitiorum iustus modus, personæ ipsius venerabilitas, & vestitus mediocritas, & super omnia hæc aptum ad omnia mentis attemperamentum, morũmq; facilitas. Monebat autem eos qui cum eo versabantur, ne cunctarentur aut in certos dies extraherent bene aliquid facere, id quod multi solerent, præfinientes sibi velut diem aliquam constitutam, aut festiuitates sacrorum, aut solennes conuentus, tanquam ab illis auspicaturi mendacia vitare, & conuenientia facere. Volebat enim liberũ, & ab omni cunctatione remotum esse illum ad honesta impulsum, ac mentis impetum. Manifestò autem apparebat quòd & tales philosophos damnabat, qui virtutis meditationem eam putabant, si multis necessitatibus atque laboribus adolescentes resistere, exercitatione ac vsu assuefeciſſent. Atque ob id multi ligare atque vincire se iubebant, alii autem flagellis verberabant. Qui verò elegantiores paulò erant, etiam ferro superficiem corporis radebant. Putabat enim ille multò priùs in animis duritiem istam & firmitatem contra dolores ac perturbationes parandam esse. Et qui optimè instituere atq; erudire homines vellet, partim animi, partim corporis, partim etiam ętatis, & prioris educationis rationem atq; obseruationem quandam habere debere, vt ne ea quæ vires excederent, imponẽdo, reprehensionem incurreret. Multos itaq; & mortuos ex eo esse dicebat, dum præter rationem ita supra vires intenderentur. Vnum autem etiam ipse vidi, qui cùm iam ea apud illos mala degustasset, quam primùm veros sermones, verámq; doctrinam audiuit, irreuocabili cursu aufugiens inde, ad ipsum peruenit. videbatúrq; multò quàm anteà quietiore animo esse. Iam verò digrediens ab istis, aliorum rursus hominum mentionem faciebat: persequendo ver bis & eos qui in vrbe fiunt tumultus, & quo pacto alii ab aliis impelluntur. Prætereà & Theatra, & Circum, & equestres statuas, & equorum ipsorum nomina, déq; iis ipsis in angiportis colloquia. Multa enim reuera equorum passim ibi insania est. Iam & multos eorum qui pro studiosis ac grauibus habentur, reprehẽdebat. Post hæc autem quasi alteram fabulæ partem attingebat, notando ea quæ circa funera mortuorum & testamenta agitantur, hoc addens, quòd vnam hãc vocem, Romanorum pueri per omnem ætatem veram emittant, eam intelligẽs quæ in testamentis vsurpatur, qua petunt ne à sua veritate depellantur. Illa verò etiã intereà cùm ab eo diceretur, risu prosequi coactus sum, quòd & secũ sepeliri ignoratiã suam velle eos aiebat, & stultitiã suam apertè scripto etiam testari, dum aliis vestes quibus in vita pretiosioribus vsi sunt, comburere eodem rogo secum mandant: alii autem & seruos certos ad sepulchra adstare. Rursum alii cippos siue columnas quoq; coronari sertis præcipiunt, stolidi videlicet etiam in ipsa morte manentes. Coniecturam igitur inde fieri volebant, inquit, quid in vita ab illis actum sit, quando talia de iis quæ post mortem secutura sint, testamentis mandant. Hos enim illos esse, qui pretiosa ac chara obsonia emere solent, vinúmque in conuiuiis cum plausu & odoribus effundunt: qui media etiam hyeme opplentur rosis, raritatémque illarum & intempestiuum amant: illud autem quod suo tempore & secundùm naturam fit, pro vili & abiecto fastidiunt. Hos illos esse, qui & vnguenta bibunt: quo nomine vel maximè eos carpebat, quòd ne vti quidem cupiditatibus scirent, sed & in hisce peccarent, finésque earum confunderent, vndique permittentes voluptatibus animum proterendum, & conculcandum, & hoc quod in Tragœdiis atque Comœdiis dicitur, Iam & præter casam incitati. Solœcismum igitur vocabat hoc genus voluptatum. Cæterum ex eadem sententia etiam illa dicebat, prorsus Momi illius verba imitatus. Vt enim ille reprehendebat tauri artificem deum, qui non præposuisset oculis cornua: ita scilicet & ipse accusabat eos qui coronas gestabant, quòd locum vbi eas adhibere deberent, nescirent. Nam si afflatu atq; odore

De frugalitate & vitæ modestia.

De stultitia circa testamenta.

Non cunctandũ esse bene agere.

Contra apathian.

In voluptuarios.

Sic Eras. in prou. Ita fuge, ne præter casam.

odore,inquit,violarum, roſarúmq; delectantur, ſub naſum eos potiſsimùm coronari oportebat, iuxta ipſam,quàm proximè fieri poteſt, reſpirationem,vt quamplurimùm inde voluptatis attra herent. Eodem modo illos irridebat,qui miram quandam diligentiam in apparandis cœnis adhi bent,dum liquamentorum varietatem, & bellariorum curioſam atque immodicam compoſitio nem ſectantur. Nam rurſum & hos dicebat breuis ac modico tempore duraturæ voluptatis amore multa negotia ſuſtinere. Indicabat autem,quatuor illos digitorum cauſſa totum hunc ſuſcipere laborem ſolere. Tot enim digitorum menſuram æquat vel longiſsimum hominis gut tur. Nam neque anteà quàm eorum quę tam cha ro emuntur,quicquam ederunt,vllam voluptatẽ eos capere: nec rurſum poſteà quàm illa deuora ta atque abſumpta ſunt,ſuauiorem cæteris illam quæ ſit ex tam pretioſis & charis iſtis, repletionem reddi. Reſtare igitur vt illam quæ velut in tranſcurſu percipitur,voluptatẽ, tam grandi pecunia mercentur. Conſentanea autem ipſis dicebat accidere ob inertiam atque imperitiã iſtam, quòd veriores illas voluptates ignorarent, quas omnes Philoſophia ſuppeditat & quaſi ſubminiſtrat iis qui laborare volũt. Cæterùm de iis quæ in balneis aguntur, multa ſanè commemorabat, & de multitudine proſequentium, & de contumeliis,& de iis qui ſeruis impoſiti geſtarentur,ac tantùm non efferrentur. Vnum autem maximè ac præter cætera odiſſe verbum viſus eſt,frequẽs autem in ciuitate hoc eſt,& in balneis propémodum familiare ac patrium. Prætereuntes enim quoſdam ex ſeruis clamare oportet & admonere vt pedibus proſpiciant, ſi quid extantius paulò, aut cauum ſubituri ſint,atque ita commoneface re eos, (id quod abſurdiſsimum eſt) quò ſcilicet meminerint ire ſeſe. Graue igitur atque intolerandum putabat eſſe,ſi, cùm ederent, alieno ore non indigerent,aut manibus:neque cùm audirent,aliorum auribus vterentur: oculis autem aliorum,valẽtes ac ſani, ad proſpiciendum opus haberẽt,ac ſuſtinerent voces audire,quæ miſeris hominibus & excæcatis cõuenirent. Hæc enim ipſa accidere illis in foro,& medio die,& hoc ciuitatem atque remp. ipſis velut humeris ſuis ſuſtinentibus. Hæc atq; huiuſmodi multa alia verbis perſecutus,dicendi finẽ fecit. Ego verò hucuſque cum admiratione ac veluti ſtupefactus auſcultabam illum,metuens ne conticeſceret. Vbi verò hic loqui deſiit,illud nimirum quod Phæacibus olim accidit, ego quoq; paſſus ſum. Longo enim tempore ad ipſum aſpiciens quaſi delinitus atque permulſus,déinde multa confuſione atque vertigine corrreptus, partim ſudore manabam,partim loqui volens,deſtituebar viribus,ac retrò inhibebar:ipſáq; vox deficiebat me,neque lingua iam ampliùs officio ſeruiebat ſuo:poſtremò præ dubio atq; inopia agendi lacrymabar. Neque enim ſummam duntaxat cutem perſtrinxerat,aut fortuito aliquo leuſq; ictu oratio illa tetigerat me,ſed altius,& omnino ad viuum vſque plaga hæc peruenerat: ac certò admodũ ſciẽque librato iactu emiſſa oratio,ipſum,ſi ita decendum eſt, animum intercidit. Si enim decet nonnihil & me iam philoſophicos attingere ſermones,ita equidem de hiſce exiſtimo: Videtur mihi animus hominis ſolertis & ingenioſi admodum ſimilis eſſe ſcopo alicui tenero ac molli. Sagittarii autem in hac vita multi, qui plenas quidem pharetras variis atque omnis generis orationibus habent: cæterùm non omnes certò iaculantur,ac deſtinata feriunt,ſed alii ipſorum neruo nimium intento, vehementiori impetu quàm ſatis eſt,telum emittunt: & apprehendunt quidem etiam iſti viam, ſagittæ autem ipſorum in ſcopo non manent,ſed præ vehementia ictus penetrantes ac tranſuolantes, pertuſum modò atque hiantem vulnere animum relinquere ſolent. Rurſum aliis diuerſo huic pacto euenit. Nã præ imbecillitate virium,& quòd laxiore neruo iaculantur, ſagittæ ipſis ad ſcopum vſq; non peruenium,ſed ſoluto impetu, ſæpenumero in medio curſu deficiunt ac décidunt. Quò ſi verò interdum etiam ſcopum contingunt, ſummum illum quidem & in ſuperficie tantùm perſtringũt, altiorem autem plagam nequaquam infligunt: neq; enim valido impulſu atque impetu emiſſæ fuerunt. At qui bonus iaculator eſt,atq; huic noſtro ſimilis,principiò quidem diligenter circunſpiciet ſcopum,ne nimis mollis,néve nimis ſolidus,& tranſmittendo telo durior ſit. Sunt enim & ſcopi quidam qui omnino ne vulnerari quidẽ poſſunt. Vbi autem hæc omnia perſpecta habet, tum demum tincta atque infecta ſagitta, non venenо,quemadmodum Scytharũ ſagittæ tinguntur,neque reſina,périnde vt Curetum,ſed ſenſim mordicante pariter & dulci pharmaco inuncta verè iaculari ſolet. Illud autem quod iactum eſt, bene adeò,& pro modo ſuo ſatis fortiter impulſum,eóque penetrans vt iam tranſiturum eſſe videatur,citrà tamen deſinat, & manet pariter, & multum medicamenti illius de ſe emittit, quod videlicet diſperſum, totum circunquaq; animũ ambit & complectitur:atque hoc illud eſt,quo & oblectantur,& cur lacrymas inter audiendum emittunt. Quod & mihi accidit, paulatim ac tacitè medicamento illo animum mihi obeũte. Sue currebat igitur mihi Homericum illud ipſum dicere:

Sic iace,ſi qua viris per te noua lux oriatur.

Quemadmodum enim qui Phrygiam tibiã audiunt, non omnes inſaniũt,ſed quotquot ipſorũ à Rhea corripiuntur,atq; ii audito carmine,prioris affectus ac perturbationis reminiſcuntur: ita & qui philoſophos audiũt,nõ omnes attoniti ac ſaucii abeũt:ſed illi ſolùm, quibus quaſi fomes aliquis philoſophiæ cognatus,iã anteà natura inſitus atque innatus fuit. Lvc. Quàm grauia & admiratione digna, atque adeò diuina,ô amice,verbis cõmemoraſti! Multáq; reuera ambroſia & loto ſaturatus,me nõ aduertẽte fuiſti. Quare & interim dum tu iſta dicis, neſcio quid animo meo accidit,& nunc deſinente atq; tacente te,mœrore afficior. Ac vt tuo videlicet exemplo dicã quoq;, ſaucius ſum. Neq; verò mireris:noſti enim quòd & illi qui à canibus rabioſis mordẽtur,nõ ipſi ſolùm rabie corripiuntur,ſed & ſi quos alios ipſi in

In gulo-ſos.

Quatuordigitorum voluptas.

In molles.

Animus hominis ingenioſi ſcopo ſagittariorum ſimilis.

ea

ea insania eodem illo modo afficiunt ac lędunt, etiam illos mente deiici, atq; in furorem verti solere. Nam simul cum morsu etiam affectionis istius quiddam in alium transfertur, ac morbus ille fœcunditate quadam subinde alios, atque alios de se procreat, sitque insaniæ istius omnino multiplex successio. PHIL. Itaq; etiam ipse nobis iam amare confiteris? LVC. Prorsus igitur, téque iam etiam oro, vt communem aliquam medicinã nobis excogites atq; inuenias. PHIL. Ergo Telephi illud necesse erit facere. LVC. Quódnam illud dicis? PHIL. Vt ad eum à quo vulnerati sumus, redeamus, & ab illo medicinam petamus.

IVDICIVM VOCALIVM,

Martino Bolero Interprete.

ARGVMENTVM.

Est autem lusus valde festiuus atque elegans, ad exemplum iudicialis actionis compositus: queritur enim σῖγμα de vi et iniuria τῶν, quòd ab eo pluribus dictionibus spolietur, & quasi de sua possessione deiiciatur. Exordio beneuolentiam captat simulatione modestiæ, & excusando necessitatem suam. Deinde per translationem ad θέσιν venit, nullam literarum suo loco & ordine mouendam esse. Hinc iudicibus admonitis vt pro officio suo agant, & cæterarum ordinem atque dignitatem cuiusque conseruent: narratiunculam subiungit, quæ confirmationem causæ continet. Hanc postea longa primùm enumeratione aliorum damnorum eidem sibi illatorũ amplificat: déinde etiã collatione modestiæ suæ & illius petulantiæ tum erga se tũ erga cæteros etiã homines, quàm idem etiã hominibus inuisum ac detestabile sit, docet.

IMPERANTE ARISTARCHO PHALEreo septima Octobris actionem instituit σῖγμα aduersus τῶν, constitutis iudicibus septem vocalibus, de vi & rapina, spoliari se dicens omnibus illis vocibus quæ duplici τῶν proferri solent.

ACTENVS quidem, ò iudices Vocales, non admodum graui iniuria affectus ab hoc ταῦ, quòd meis rebus abuteba tur, & inde auferebat vnde minimè conueniebat, quod quidem damnum non grauiter tuli: nonnulla etiam quæ dicebantur, audiuisse me dissimulabã, propter modestiã, quã vos ipsi nostis me seruare cum erga vos, tum erga alias syllabas: postquam verò ad tantam auaritiã & amentiam peruenit, vt non modò non sit contentum iis quæ ego sæpe dissimulaui, verùm iam maiorem vim inferat, ipsa me necessitas cogit vt accusem ipsum apud vos, qui vtrunq; nostrũ nouistis. Non autem exiguus metus propter istam miseriam me inuasit. Nam cùm prioribus iniuriis maiores semper addat, prorsus me è domestica sede expellet, ita vt parum iam absit, dũ ego ista dissimulo, quin ne inter literas quidem amplius numerer, & in simili quodam versér me tu. Est itaque æquum non modò vos iudices, sed omnes etiam reliquas literas huius doli curam gerere. Nam si vt libet vnicuique licebit è suo ordine in alium violenter irrumpere, ídq; vos, sine quibus nihil omnino scribitur, permiseritis, non video quomodo sua quique ordines iura, iuxta quæ à principio constituti sunt, tuebuntur. Sed non existimo vos vnquam ad tantam incuriam vel negligentiam peruenturos, vt ea feratis, quæ cum æquo & iure pugnant. Et vt vos certamen omiseritis, tamen mihi, qui iniuria affectus sum, negligendum non erit. Atque vtinam aliarum quoque literarum audacia ab initio statim cùm cœperunt contra leges delinquere, esset repressa: neque enim litigaret ad hunc vsque diem λάμβδα cum ῥῶ, disceptans de voce κλαγγὴς & κεφαλαλγία. Neq; etiã τῷ γάμμα esset cũ κάππα certamen, neq; tam sæpe ad manus veniissent in fullonia, de dictionibus γραφέω & νιπτῆρα disceptãtes. Quin cessasset etiã hoc γάμμα cum λάμβδα contendere, dictionem μόγις illi surripiens, imò suffurant. Adeóque reliquæ item literæ quieuissent seditiones mouere cõtra leges. Est enim pulchrum vnamquanq; literam in eo ordine quem primùm sortita est, manere: transcendere verò eò quò non oportet, eius est qui ius & æquum soluit. Et qui primus vobis has leges finxit & formauit, siue Cadmus fuerit ille insularis, siue Palamedes Nauplii filius, (quanquam nonnulli hanc prudentiam Simonidi tribuant) non ordinem tantùm, per quem sua quibusque literis præsidentiæ dignitas firmiter permanet, definierunt, videlicet quæ debeat esse prima, quæ secunda: sed qualitates etiam & virtutes quas habent singulę nostrûm, constituerunt. Et vos quidem, ô iudices, honore affecerunt præcipuo, propterea quòd vestro Marte poteritis sonum efficere. Semiuocales verò secundo loco dignati sunt, eò quòd sine vestro accessu exaudiri neque unt. Ex omnibus etiam literis, quibusdam omniũ postremum locum decreuerunt, mutis scilicet, & voce carentibus. Has itaque leges per vos Vocales conseruari decet. Hoc verò ταῦ, (neq; enim possum ipsum turpiori nomine appellare, quã quo nominari solet) per Deos, nisi duæ quædam bonæ ex vobis, & aspectu decenti, ἄλφα scilicet, & ὐ φιλόμ., se illi coniunxissent, ne audiretur quidem solúm. Hoc inquam mihi maiorem vim quàm vllæ vnquam literæ, inferre ausum

ſum eſt. Nam nominibus & verbis patriis me extrudere, præterea ex ipſis etiam cõiunctionibus & præpoſitionibus expellere tẽtat, adeò vt iſtam immodicam auaritiam porrò ferre nequeam. Verùm iam tempus eſt dicere vnde & à quibus res initium ſumpſerit. Peregrinabar aliquãdo in Cybelo, (id oppidulum eſt non iniucundum, colonia, ſicuti fertur, Atheniẽſium, adducebam: verò mecum fortiſsimum ῥᾶ ex vicinis meis optimum. Diuertebam verò ad cõmicum quendam poetam, huic nomen erat Lyſimacho: & à maioribus, quãtum apparebat, genere erat Bœotius, ſed tamen de ſe dici volebat quòd in media Attica natus eſſet. Apud hunc hoſpitem ego huius ταῦ auaritiam deprehendi. Equidem cùm hactenus paucis quibuſdam manus intuliſſet, dicendo τετταράκοντα, priuãs me meis cognatis, exiſtimabam eam eſſe conſuetudinem literarũ, quæ vnà mecum eſſent educatæ. Præterea cùm κύμορον & ſimiles quaſdam voces mihi detraxiſſet, dicerétque eas eſſe ſuas, audiebam patienter, nec vehementer admodum me ea res mordebat: verùm cùm ab eis initium ſumpſiſſet, atque poſteà auſum eſſet etiam dicere κατ᾽ιτρόν & κάτ᾽ιμα, & πάτ᾽αρ, déinceps abiecto omni pudore βασίλητ᾽αρ quoque nominare: haud leuiter ſum commotus, & ira accenſus, timens ne quis temporis ſucceſſu etiam σῦκα, τῦνα appellet. Oro autem vos per Ibuem, vt mihi indignanti, & iuſta ira commoto, præterea omni ope & auxilio deſtituto, ignoſcatis. Neque enim paruum hoc, aut leue eſt periculum in quo verſor, cùm præterquàm quòd aſſuetis & familiaribus literis me ſpoliauit, etiã κίσταρ, id eſt picam, auem meam loquacisſimam, ex medio ſinu, vt dici ſolet, abreptam, κίτ᾽αρ appellauit. Quin & φάσταρ, id eſt palumbum, vnà cum νήσσας, id eſt anatibus, & κοσσύφοις, id eſt, merulis, abſtulerat, interdicente Ariſtarcho. Eripuit etiam non paucas apes. In Atticam verò veniẽs, ex media illa regione ὑμηττὸν præter ius rapuit, ſídque vobis ipſis & aliis quibuſdam ſyllabis videntibus. Verùm quid ego iſta commemoro, cùm me tota Theſſalia expulerit, velítque eam Thettaliam dicere? Toto inſupermari ſum exclu ſus. Neque à betis hortenſibus ſibi temperat, vt iam, quod dici ſolet, ne paxillus quidem mihi re liquus ſit. Quòd verò litera ſim quæ nulli nocere ſtudeam, vos ipſi mihi teſtes eſtis: neque enim vnquã accuſaui literam ζῆτα, quæ mihi σμάραγδον abſtulit, & toram σμύρναν ſurripuit. Nec ipſo etiã ξῦ omnia fœdera & pacta rumpenti, litem intendi, ipſo etiam Thucydide opem illi ferente. Etenim vicino meo ῥᾷ venia danda, quòd morbo affectum ſit, & meas apud ſe μυῤῥίνας, id eſt myrtus, plantarit, & quòd melancholiæ malo laborans me in faciem percuſſerit. Et talis quidem litera ſum ego. Hoc verò ταῦ quàm ſit naturâ violentum aduerſus reliquas omnes literas, & quàm à nullis omnino abſtinuerit, cõſideremus: Sed & ἄλτα & θῆτα & ζῆτα, & propè omnia literarum elementa iniuria affecit. Accerſe mihi læſas literas. Auditis, Vocales iudices, ipſum ἄλτα dicere: Surripuit mihi meam ἐνδελέχειαν, pro qua vult vt dicatur ἐντελέχεια: quòd ſanè contrarium eſt omnibus legibus. Auditis vociferari θῆτα, & capiti capillos euellere, eò quòd priuatum eſt cucurbita. Auditis ipſum etiam ζῆτα ſuis vocibus ὀνοΐζειν & σαλπίζειν ſpoliatum eſſe, adeò vt ne γρύζειν quidem, id eſt mutire, illi porrò liceat. Quis iſta quæſo ferat? aut quæ pœna ſatis magna erit tam ſceleſto? Verùm hoc non tantùm cognatũ ſibi elementorũ genus lædit, ſed iam ad homines etiam iiſdem moribus ſe contulit. Neque enim permittit vt rectà ferantur linguis. Imò verò Iudices: interim enim res humanæ rurſus me admonuerunt γλώσσης, id eſt linguæ: nam expulſum me hac quoque parte, γλῶσσαν facit γλῶτ᾽αν. O reuera linguæ pernicioſus morbus ταῦ. Verùm rurſum me conferam ad illud quod cœperam, atque homines defendam in iis in quibus aduerſus eos delinquit. Nam conatur illorum voces quibuſdam vinculis conſtringere & diſcerpere, ita vt ſi quis pulchrum quidpiam videns, id καλὸν appellare velit, hoc ταῦ ſtatim irruens ταλὸν ipſum dicere cogit: adeò cupit in omnibus præſidentiam obtinere. Rurſum alius quiſpiam dicit, πρὸ κλήματος, id eſt, de palmite: hoc verò (eſt enim re vera τλῆμον, id eſt, miſerum) τλῆμα facit, quod erat κλῆμα. Et quidem nõ plebeios tantùm homines iniuria afficit, ſed iam etiam magno illi regi cui fama eſt ipſam terram & mare ceſsiſſe, atq; naturas ſuas reliquiſſe, inſidias tendit, & ex ipſo, cùm κῦρος ſit, τῦρον quendam efficit. Atque in hunc modum vocem hominum lædit. Quomodo verò re ipſa & opere eoſdem lædat, audite. Plorant homines, atq; ſuæ fortunæ vices deſient, atque ipſum ſæpe Cadmum execrantur, quòd ταῦ in literarum genus induxerit: aiunt enim Tyrannos eius literæ corpus ſecutos, atque figuram imitatos, poſteà ſimili figura ligna fabri caſſe, in quibus homines ſuſpendant: atq; ex hoc huic tam pernicioſæ fabricæ peſsimum nomen obuenisſe. Propter iſta omnia quot mortibus ipſum ταῦ dignum eſſe iudicatis? Ego quidẽ exiſtimo meritò hoc ſolùm ad ſuppliciũ ipſius ταῦ relinqui, vt pœnam in ſua illa figura ſuſtineat, propterea quòd crux ab ipſo fabricata eſt, & ab eo nomen illi homines impoſuerunt.

Alludit ad vocem κολοκύθη, ſeu κολοκύντη. Pro quo συρίσδειν, & σαλπίσδειν Dores dicunt.

Alludit ad dictiones βάλαστα, σῦτλον, πάτ᾽αλον.

Crucis ſupplicium.

Alludit ad πόρσιον & κόρρις.

TIM

TIMON, SIVE Misanthropos,

Eraſmo Roterodamo Interprete.

ORNATISSIMO IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI THOMAE RVTHALLO SECRETARIO REGIO, POST EPISCOPO DVNELMENSI, ERASMVS ROTERODAMVS S P D.

VIDE *quantum audaciæ mihi ſuppeditet ſingularis quædam ingenij tui morúmque facilitas, humaniſſime* Rutballe: *qui cùm neutiquam ignorem te inter Aulicos primores, vel authoritate, vel gratia, vel ſplendore, vel eruditione præcipuum eſſe, tamen non verear meas nugas rudes adhuc, vixq; è prima ſcheda repurgatas, ad tuam excellentiam mittere. Sed quid facerem? Iam vrgebat nauita, ventos & æſtum nulli ſeruire clamitans. Itaq; ne nihil mei apud hominẽ tam noſtri ſtudioſum relinquerem, id quod tum fortè erat in manibus,* Miſanthropum miſi, nimirum ad virum vnum omniũ Philanthropotaton. *Is eſt Luciani dialogus, quo vix alius lectu vel vtilior, vel iucundior: verſus quidem ille iampridem ab alio neſcio quo: ſed ita verſus, vt interpres hoc modo demonſtrare voluiſſe videatur, ſeſe neque Græcè ſcire, neque Latinè: nec temerè adeò quis ſuſpicetur eum interpretem ſubornatum eſſe ab ijs qui Luciano malè volunt. Tu noſtram hanc audaciam boni conſules, & Eraſmum in eorum numero pones, qui tui ſint amantiſſimi.* vale, Londini Anno M. D. IIII.

ARGVMENTVM.

Hoc dialogo de diuitijs tractatur, quis ſcilicet verus diuitiarum vſus ſit, & quomodo retineantur, quibus potiſſimùm obueniant, & quales reddant poſſeſſores. Occaſio dialogi à perſona Timonis ſumpta eſt, quem Atheniẽſes, quòd inhumanus planè eſſet, hominúmq; congreſſus ac ſocietatem vitaret, imò etiam publicis malis gauderet, μισάνθρωπον appellarũt: cuius mortui quoq; ſepulchrum (vt ſcribit Suidas) inacceſſum & inuium factum fuit, cùm mare, tanquam ipſum quoque peroſum illius inhumanitatẽ, inũdatione eam terræ partẽ vbi ſepultus erat, à reliqua abſtractam ſeclusiſſet. In quo & tale epitaphium inſcriptum fuiſſe fertur,

Hîc iaceo, vita miſeráque inopíq; ſolutus,
Nomen ne quæras, ſed malè tute peri.

Huic igitur Timoni ſimiles reddi & diuites, videtur intelligere velle Lucianus, vtpote quos diuitiæ & faſtuoſos, & inſolentes, & planè barbaros efficere conſueuerunt. Fingit autem ab initio diuitẽ fuiſſe, ſed ob liberalitatem, et quòd abſq; iudicio in quoſuis benignus eſſet, ad paupertatẽ redactũ eſſe. Quam rem cùm Iupiter ex ipſius querela, qua cum illo expoſtulando, in hominum malitiam & ingratitudinem à principio inuehitur, cognouiſſet, miſertus illius, eò quòd & in deos pius fuerat, & multa illis ſacra peregerat, diuitẽ denuò facere ſtatuit, ac Plutum cum theſauro ad ipſum mittit. Qui principiò ire detrectat, oſtendens illum ſua culpa pauperem factum eſſe, & cum talibus hominibus minimè perdurare ſe poſſe, atq; æquè odiſſe eos, vt ſordidos atq; auaros illos qui nunquam omnino ſe vtãtur. Mediocritate enim vtẽdi ſegaudere. Atq; hic locus vſum diuitiarũ, & quomodo conſeruari eædem debeant, docet. Déinde cùm Iupiter in ſententia perſiſteret, atque ita Plutus ducente Mercurio ad Timonẽ proficiſceretur, inter eundum fingitur claudicare: ibi, interrogante Mercurio, cauſam eius reddit, quòd quoties à Ioue mittatur, tardè incedat, neq; videat quorſum eat, neq; norit ad quos eat: quoties autem à Dite mittatur, etiam alatum eſſe. Quo figmento ſignificare videtur, improbos ac malos ſemper melioribus ſucceſsibus frui: probos autem, & à Ioue dilectos, aut nunquã, aut tardè in hac vita felices ac diuites fieri. Poſtremò interrogatus à Mercurio, cur deformis ac pallidus, tantoperè ametur ab hominibus, reſpondet, inſcitia ac cæcitate illorũ hoc fieri. Atq; ibi cum hos, tum alios effectus ſuos exponit: quæ omnia poſtremò actione, & quaſi ipſa re cõprobantur, dum Timonem ab initio Plutũ reijcere atq; auerſari fingit, vtpote ex paupertate modeſtũ ac temperantẽ tam factum, & agnoſcẽtem ſuperiora mala, in quæ ex diuitiarum copia inciderat. Mox eundem acceptum cum ſumma cura aſſeruare, tumidúmque & inſolentem omnes alios homines vitare atque contemnere. Additis ad finem etiã adulatoribus, ſcurris, aſſentatoribus, ſycophantis, fumi vẽditoribus, & id genus alijs, qui vt corpus vmbra, ſic ipſi diuitias atque fortunam comitantur.

IVPITER Phílie, hoſpitalis,ſodalitie,domeſtice, ſul gurator,iuſiurandice, nubico ge,grandiſtrepe, & ſi quod aliud tibi cognomen attoniti Poetę tribuunt,maximè quũ hærent in verſu:nam tum illis tu multinominis factus, carminis ruinam fulcis,metríque exples hiatum. Vbi tibi nunc magnicrepum fulgur,grauifremum tonitru? Vbi ardens,candens, ac terrificum fulmen ? Nam hæc omnia iam palàm apparet nugas eſſe, fumúmque poeticum,nec omnino quicquam præter nominum ſtrepitum. Sed decantata illa tua arma eminus ferientia expromptáque, neſcio quomodo penitus extincta ſunt,frigéntque adeò, vt ne minimam quidem ſcintillulam iracundiæ aduerſus nocentes reliquam obtineant. Itaque citiùs quiuis ex his qui peieraturi ſunt,extinctum ellychnium metuerit, quàm flammam fulminis cuncta necantis: vſque adeò titionem quempiam in ſeſe vibrare te putant,vt incendium aut fumum ab illo proficiſcens, nihil quicquam formident, verùm hoc ſolùm vulneris inferri poſſe iudicẽt, vt fuligine compleantur. Quibus rebus factum eſt vt iam Salmoneus tibi ſit auſus etiam obtonare,neque id admodum ab re, quippe aduerſus Iouem vſqueadeò ita frigidum, vir ad facinora feruidus,audaciáque tumidus. Quid ni enim faciat,vbi tu périnde ac ſub mãdragora ſtertis,qui neque peierantes exaudias, neque eorum qui flagitia committunt,reſpectum agas ? Cæcutis autem lippitudine,& hallucinaris ad ea quæ fiunt, auréſque iam tibi obſurduerunt inſtar horum qui ætate defecti ſunt:quandoquidem quum iuuenis adhuc eſſes,acríque animo, veheménſque ad iracundiam, permulta in homines maleficos ac violentos faciebas : neque tum vnquam tibi cum illis erant induciæ: ſed perpetuò fulmen erat in negotio,perpetuò obuibrabatur ægis, obſtridebat tonitru, fulgur continenter iaculorum in morem denſiſsimè ex edito loco deuolantium torquebatur. Terræ quaſſationes cribri inſtar frequentes : ad hæc nix cumulatim, neque non grando ſaxorum in morem:atque vt tecum grandiùs loquar,imbréſque rapidi & violenti,ac flumen quotidie exundans. Hinc tantum repentè Deucalionis ætate naufragium ortum eſt, vt omnibus ſub aqua demerſis , vix vnica ſcaphula ſeruaretur,quæ in montẽ Lycorem appulit,humani generis quaſi ſcintillulas quaſdam ſeruans, vnde ſceleratius etiam genus in poſterum propagaretur. Nimirum igitur dignum ſocordia præmium ab illis reportas,quum iam nec ſacra faciat tibi quiſquam,nec coronas offerat , niſi ſi quis obiter in Olympicis : ac ita ne is quidem rem admodum frugiferam facere videatur , ſed priſcum quendam ritum magis referre : ac penè Saturnum , ô deorum generoſiſsime, te reddunt,magiſtratu abdicantes. Omitto loqui,quoties iam templum tuum ſacrilegio compilarint, quum tibi etiam ipſi in Olympiacis manus admoliti ſunt. Atque intereà tu altifremus ille pigitabaris vel excitare canes,vel vicinos aduocare, vt auxilio accurrentes illos comprehenderent , quum etiamdum ad fugam adornarentur. Sed egregius ille Gigantúmque extinctor, & Titanum victor,ſedebas,quum tibi cęſaries ab illis circuntonderetur, decemcũbitale fulmen dextera tenens. Horum igitur,ô præclare, quis tandem erit finis, quæ tu adeò ſecurè deſpicis? Aut quando de tantis maleficiis pœnas ſumes?Quot Phaethontes aut Deucaliones ſatis idonei ſint ad expiandum tam inexhauſtam morum iniquitatem ? Etenim vt de communibus ſileam , de iis quæ mihi acciderunt dicam:quum tam multos Athenienſes in ſublime euexerim , ex pauperrimis diuites reddiderim , cunctíſque quotquot opus haberent,ſuppeditarim,imò ſemel vniuerſas opes in amicos iuuandos effuderim: ſimul atque his rebus ad inopiam deueni , iam ne agnoſcor quidem ab illis , nec aſpicere dignantur me , qui dudum reuerebantur , adorabant, meóque de nutu pendebant. Quòd ſi quando per viam ingrediens , fortè fortuna in eorum quempiam incidero, périnde vt euerſam hominis iam olim defuncti ſtatuam,ac temporis longitudine collapſam prætereunt, quaſi ne norint quidem. Porrò alii procul conſpecto me , aliò ſeſe detorquent,exiſtimantes ſeſe inauſpicatum, abominandúmque viſuros ſpectaculum , quem non ita pridem ſeruatorem , & adiutorem ſuum eſſe prædicabant. Itaque prementibus malis ad extrema redactus conſilia, rhenone arrepto terram exerceo, quaternis conductus obolis, atque hîc cum ſolitudine,cúmque ligone philoſophor. Hoc interim lucri mihi videor facturus , quòd poſthac non intuebor pleroſq; præter meritum ſecundis fortunæ ſucceſsibus vtentes: nam illud vel maximè vrit. Iam igitur tandem alíquando Saturni Rheæq; proles excuſſo profundo iſto graúſq; ſomno(nam Epimenidem quoq; dormiendo viciſti) denuo iactato fulmine,aut ex Oeta redaccenſo,ingenti reddita flamma iram aliquam ſtrenui illius ac iuuenilis Iouis oſtende,niſi vera ſint quæ à Cretẽſibus de te tuáq; ſepultura ferun tur. IVP. Quis hic eſt Mercuri,quẽ audio ſic vociferantem ex Attica,ad radicem montis Hymetti,horridus totus ac ſqualidus,pelléq; hircina amictus?fodit autem,vt arbitror:nam pronus incumbit, homo loquax , & confidens : mirum ni philoſophus eſt . neque enim alioqui adeò impia , nefariáque in nos fuerat dicturus. MERCVR. Quid ais pater , an non noſti Timonem Echecratidis filium Colyttenſem?Hic nimirum eſt, qui nos ſæpenumero in ſacris legitimis coniuuio accepit,ille repentè diues factus,ille qui totas hecatombas , apud quem ſplendidè Iouialia feſta conſueuimus agitare. IVP. Hem,quænam iſta rerum commutatio?híccine honeſtus ille?ille diues,quem tam frequentes cingebant amici? Quid igitur accidit vt hoc ſit habitu?ſqualidus, ærumnoſus , foſſor conductitius , vti coniicio, quum tam grauem ligonem gerat. MERC. Ad hunc modum illum quodam modo probitas euertit atque humanitas , & in omnes quicunque egerent,miſericordia:at reuera vecordia potiùs, facilitáſque,nullúſque in ſuſcipiendis amicis delectus

lectus, quippe qui neutiquã intellexerit ſeſe cor uis, lupíſque largiri. Quin magis quum à vulturibus tam multis miſero iecur eroderetur, ob id amicos eos, neceſſariósque iudicabat, quaſi beneuolentia erga ſeſe afficerentur, quum illos epulæ magis caperent. Ergo poſteaquam oſſa penitus nudaſſent, circumroſiſſéntque, déinde ſi qua medulla ſuberat, hanc quoq; admodum diligenter exuxiſſent, aufugerunt, exuccum, & radicitus defectum deſtituentes, adeò vt poſteà ne agnoſcant quidem, aut aſpiciant: tantum abeſt vt ſint qui ſuppeditent, impartiántque. Has ob res foſſor, & ſago, vt vides, opertus pelliceo, vrbem præpudore fugiens, mercede terram exercet, aduerſus ingratos atra bile ſtomachatur, qui quidem ſua benignitate ditati, admodum faſtuoſè nunc prætereant, ac ne nomen quidem an Timon vocetur nouerint. Iup. Atqui profectò vir neutiquam faſtidiendus, neque negligendus: & iure optimo indignatur, qui iis tantis in malis agat. Quare ſceleratos iſtos adulatores ipſi quoque fuerimus imitati, ſi eum virum neglexerimus, qui tantum taurorum, & caprarum pinguiſsimas quaſque nobis in aris adoleuerit, quarum nidor etiamnum mihi in naribus reſidet: tametſi propter negotia, maximámque turbam peierãtium, tum vi non iure agentium, neque non aliena rapientium, prætereà ob formidinem quam mihi pariunt ſacrilegi, qui quidem tum multi ſunt, tũ obſeruatu difficiles, adeò vt ne minimũ quidem nos conniuere ſinant: iampridem profectò ad Atticam regionẽ oculos detorſiſſem, maximè poſteaquàm philoſophia & de verbis digladiationes apud iſtos increbuerunt, ita vt pugnantibus inter ſe iſtis, vociferantibúſque, ne exaudire quidem mortalium vota liceat: vnde mihi neceſſum eſt aut auribus obturatis ſedere, aut dirumpi ab eis, conficíq;, qui virtutem quandam, & incorporea quædam, meráſq; nugas ingenti vociferatione connectunt: hæc in cauſa fuerunt, vt hunc quoque neglexerim, quum haud mediocriter de nobis ſit meritus. Quod reliquum eſt Mercuri, tu Plutum adducens, quantum potes ad iſtũ abeas. Porrò Plutus vnà ſecum ducat & Theſaurũ: & vtrique apud Timonem perſeuerent, neq; vſquam adeò facilè demigrent, etiam ſi quàm maximè rurſum illos per bonitatem ex ædibus exegerit. Cæterùm de palponibus illis, atque ingratitudine qua in hunc ſunt vſi, in poſterum conſultabo: pœnáſque daturi ſunt ſimul atque fulmen inſtauraúero. Nam fracti ſunt in eo retuſa cuſpide duo è radiis maximi, quum nuper auidiùs in ſophiſtam Anaxagorã iacularer, qui ſuis familiaribus ſuadebat, nullo pacto eſſe vllos nos, qui dii vocaremur. Ac illum quidem errore non feriebam, propterea quòd Pericles obtenta manu eum protexerit: cæterùm fulmen in Caſtoris ac Pollucis templum detortum, tum illud exuſſit, tum ipſum parum abfuit, quin ad ſaxum comminueretur. Quanquam interim vel id ſupplicii ſatis magnum in iſtos fuerit, ſi Timonem conſpexerint egregiè locupletem factum. Mer. Quantum habet momenti, altum vociferari, & obſtreperum audacémque eſſe! Idque non iis modò qui cauſas agunt, verùm etiã qui vota faciunt, conducibile. En vt mox è pauperrimo dives euaſerit Timon, qui ſe in precando clamoſum & improbum præſtiterit, Iouémque reddiderit attentum. Quòd ſi ſilentio fodiſſet in curuus, etiam nunc foderet neglectus. Plvtvs. At ego, Iupiter, haudquaquam ad iſtum rediturus ſum. Iup. Quid ita non rediturus optime Plute, præſertim à me iuſſus? Plv. Quoniam per Iouem iniuria me affecit eiiciens, & in multa fragmenta diſſecans: ídq; quum illi paternus eſſem amicus: ac me, penè dixerim, fuſcinis ex ædibus extruſit, nec aliter quàm ii, qui è manibus ignem abiiciũt. Num rurſus ad iſtum ibo, paraſitis, adulatoribus & ſcortis donandus? Ad eos me mitte, ô Iupiter, qui munus intellecturi ſint, qui amplexuri: quibus equidem in pretio ſim, & maiorem in modum exoptatus. At hi ſtupidi cum inopia commercium habeãt, quam nobis anteponunt, vt ab ea accepto ſago pelliceo, ligonéque, ſat habeant quum quatuor lucrantur obolos, decem talenta contemptim dono dare ſoliti. Iup. Nihil iſtiuſmodi poſthac in te facturus eſt Timon, quippe quem ligo abundè ſatis corripuerit: niſi prorſus nullum dolorem ſentiunt illius ilia, te videlicet potiùs, quàm inopiam eſſe præoptãdam. At tu mihi querulus admodum videris eſſe, qui nunc Timonem incuſes, quòd tibi patefactis foribus liberè permiſerit vagari, neque includens, neque zelotypus in te. Porrò aliàs diuerſa de cauſa in diuites ſtomachabare, quum diceres te ab illis, repagulis, clauibus, ac ſignorum obiectaculis impreſsis ita fuiſſe concluſum, vt ne proſpicere quidem in lucẽ tibi liceret. Id igitur apud me deplorabas, affirmans præfocari te nimiis tenebris: eóque pallidus nobis occurrebas, & curis confectus, digitis etiamnum ex aſsiduo colligendi, coaceruandíq; vſu contractis, contortíſque: quòd ſi quando daretur opportunitas, aufugiturum quoque ab illis te minitabare. In ſumma, rem ſupra modum acerbam iudicabas, in æreo ferreóve thalamo, Danaes exemplo, virginem aſſeruari, atque à ſceleſtiſsimis educari pædagogis, fœnore, & computo. Próinde abſurdè facere aiebas hos, quòd te præter modum adamarent: neque, quum liceret, frui auderent: neq; quũ ipſis eſſet in manu, amore ſuo ſecurè vterentur, ſed vigiles obſeruarent, ad ſignum ac ſeram oculis nunquam connituentibus, neque vſquam dimotis ſemper intuentes, abundè magnum fructum arbitrantes, non quòd ipſis fruendi facultas adeſſet, ſed quòd nemini fruendi copiam facerent, non aliter quàm in præſepi canis, nec ipſe veſcẽs hordeis, nec equum famelicum id facere ſinens. Quinetiam ridebas iſtos, qui paſcerent, aſſeruaréntque, & (quod eſſet abſurdiſsimum) ipſi quidem ſibi ſubtraherent, vererentúrq; contingere, non intelligerent autem fore, vt aut ſceleratiſsimus famulus, aut diſpenſator, aut liberorum pædagogus furtim ſubiret, ludibrio habiturus infelicem & inamabilem herum, quem poſtea ſinat ad fuliginoſam, & oris anguſti lucernulam, ac ſiticuloſum ſcirpulum vſuris inuigilare. Quid itaque? an

non

non iniquum, quum hæc quõdam incuſaueris, nunc in Timone diuerſa his criminari? P L V. Atqui ſi rem verè perpenderis, vtrunq; me iure facere iudicabis. Nam & Timonis iſta nimia lenitas, negligentia potius, haud beneuolentia ſtudiúmq;, quod ad me pertinet, meritò videatur. At è diuerſo qui me oſtiis ac tenebris incluſum ſeruabant, id agentes quò ſcilicet craſsior ſaginatiórque, ac vehementer corpulentia onuſtus euaderem: quum interim neq; ipſi cõtingerent, neque in lucem producerent, ne vel aſpicerer à quopiam, hos dementes & contumelioſos in me iudicabam, quippe qui me nihil cõmeritum tot in vinculis cogerẽt ſitu cariéq; putreſcere, haud intelligentes, quò mox demigrent, me alii cuipiam, cui fortuna fauerit, relicturi. Nec hos igitur probo, ſed ne illos quidem qui nimium facilè mihi manus admouent, ſed qui (quod eſt optimum) mediocritate vtantur, vti nec prorſus abſtineãt, neq; penitus profundãt. Etenim illud per Iouem conſidera Iupiter: Si quis vbi puellulam & formoſam lege duxiſſet vxorem, poſtea neq; obſeruet, nec vlla omnino zelotypia proſequatur, videlicet ſinẽs illam noctu atq; interdiu quocunq; libitum ſit ire, & quicũq; voluiſſent, cum ea habere rem, vel producat potius vltrò vt adulteretur, fores aperiens, proſtituturúſque, & quoſlibet ad illam inuitans, num hic amare videbitur? Profectò hoc tu nequaquam dices Iupiter, qui ſæpenumero amorẽ ſenſeris. Rurſum ſi ingenuã lege domum deducat, vti liberos legitimos progeneret, cæterùm nec ipſe contingat florẽtem ætate decorámq; virginem, nec alium ſinat aſpicere, ſed incluſam, orbam, ſterilémq; in perpetua virginitate contineat, idq; præ amore ſe facere prædicet, & huuc quidem præferat, pallore, corpore exhauſto, oculis refugis, non fieri potis eſt vt huiuſmodi non deſipere videatur? quippe qui quum liberis oportuerit operam dare, fruiq; cõiugio, puellam adeò formoſam atq; amabilem ſinat emarceſcere, per omnem vitam tanquam Cereri ſacerdotem alens. Huiuſmodi & ipſe indignè fero quum à nonnullis ignominiosè cædor calcibus, laniórq; atq; exhaurior, à nonnullis contrà perinde vt ſtigmaticus fugitiuus compedibus vincior. I V P. Quid eſt autem quod aduerſus illos indigneris, quandoquidem vtriq; pœnas egregias luunt? Alteri quidẽ dum Tantali in morem neq; bibere ſinuntur, neque edere, ſed ore ſicco dũtaxat inhiant auro. Alteri verò dum his ceu Phineo cibos Harpyiæ ipſis è faucibus eripiunt. Sed abi iam, Timone multò poſthac vſurus cordatiore. P L V. An ille aliquãdo deſineo me ceu foraminoſo cophino, priuſquam omnino influxerim, data opera exhaurire, quaſi conetur occupare quò minus influam, veritus ne ſi copioſius infũdar, ipſum vndis obruam? Quo fit vt in Danaidũ dolium aquã mihi videar allaturus, fruſtráq; infuſurus, vaſe nõ continente liquorem: imò prius propemodũ effuſo quod influit, quàm influxerit. Adeò latus dolii hiatus ad effuſionem, ac liber exitus. I V P. Proinde niſi hiatum iſtum obturauerit, perpetuámque perſtillationẽ ſiſtere ſtuduerit, te propediẽ effuſo, facilè rurſum ſagum & ligonem in dolii fece reperiet, ſed interim abite, atque illum diuitem reddite. At tu Mercurii fac memineris vt rediẽs Cyclopas ex Aetna tecũ adduas, quò fulmen cuſpide reſtituta reſarciãt. Nã eo nobis acuminato opus fuerit. M E R. Eamus Plute. Quid hoc? Nũ claudicas? Equidẽ ignorabam ò præclare, te non cęcũ modò, verùm etiã claudũ eſſe. P L V. Atqui non hoc mihi perpetuũ Mercurii: verùm ſi quãdo proficiſcor à Ioue miſſus ad quempiam, tum neſcio quo pacto tardus ſum, & vtroque claudus pede, ita vt ægrè ad metã pertingere queam, ſene nõnunquã interim facto, qui me opperiebatur. Porrò quũ diſcedendum eſt, alatũ videbis multò auibus celeriorẽ. Vnde fit vt vix iam amoto repagulo, ego iam præconis voce victor pronuncier, ſaltu ſtadiũ tranſmenſus, ne vidẽtibus quidẽ aliquoties ſpectatoribus. M E R. At iſta quidẽ haud vera narras: imò ego tibi permultos cõmemorare queam, quibus heri ne obolus quidẽ erat quo reſtim emerẽt, qui hodie repentè diuites facti, ſplendidè viuant: albis quadrigis vehantur, quibus antè ne aſellus quidẽ ſuppeditarit. Ii tamen purpurati, aurũq; manibus geſtantes obambulãt, qui ne ipſi quidẽ, opinor, credere poſſunt quin per ſomnium diuites ſint. P L V. Iſthæc alia res eſt Mercuri, neq; enim tum meis ipſius ingredior pedibus: nec à Ioue, ſed à Dite ad iſtos trãſmittor: qui & ipſe nimirum opum largitor eſt, ac magna donãs: id quod ipſo etiam nomine declarat. Itaq; quoties eſt mihi ab alio ad aliũ demigrandum, in tabellas iniiciunt me, ac diligenter obſignantes ſarcinæ in morẽ ſublatum tranſportant. Interea defunctus ille alicubi in ædium tenebricoſa parte iacet, vetere linteo in genua iecto tectus, de quo feles digladiãtur. Porrò qui me ſperauerant obtinere, in foro opperiuntur, hiantes non aliter quam hirundinem aduolãtem ſtridentes pulli. Deinde vbi ſignum detractũ eſt, & lineus ille funiculus inciſus, apertæq; tabellæ, iamq; nouus dominus pronunciatus eſt, ſiue cognatus quiſpiam, ſiue adulator, ſiue ſeruulus obſcœnus, qui puerili obſequio fauorẽ emeruerit, etiam tum mento ſubraſo, pro variis & opiparis voluptatibus quas illi iam exoletus ſuppeditaue rat, ingens ſcilicet præmium ferens generoſus quiſquis ille tandem fuerit, nonnunquã me ipſis cum tabellis arreptum fugiens apportat, cõmutato nomine, vt qui modò Pyrrhias, aut Dromo, aut Tibius: iã Megacles, aut Megabyzus, aut Protarchus appelletur. Cæterùm, illos nequicquam hiantes, ſeq; mutuum intuentes relinquit, ac verum luctum agentes, quòd eiuſmodi thynnus ex intimo ſagenæ ſinu ſit elapſus, qui nõ parum magnã eſcà deuorarit. At hic repentè totus in me irruẽs, homo vitæ mũdioris atq; elegãtioris rudis, pingui illotáq; cute, qui compedes etiã dũ horreſcit, & ſi quis præteriens loro increpet, arrectis ſtet auribus: quíq; piſtrinum perinde vti templum adoret: non eſt deinceps tolerandus iis quibúſcum viuit: verùm & ingenuos afficit contumelia, & cõſeruos flagris cædit, experiẽs num ſibi quoq; ſimilia liceãt, donec aut ſcortulo cuipiam irretitus, aut equorũ alendorum ſtudio ca-

Mediocritas in diuitijs ſeruanda.

ptus, aut adulatoribus ſeſe permittens deierantibus Nireo formoſiorẽ eſſe, Cecrope Codróue generoſiorem, callidiorem Vlyſſe, vnum autem vel ſedecim pariter Crœſis opulentiorem, momento temporis ſemel profundat infelix, quæ minutatim multis ex periuriis, rapinis, flagitiis fuerant collecta. MER. Iſta fermè ſic habẽt vti narras: verùm vbi tuis ipſius ingrederis pedibus, quî tãdem, cæcus quum ſis, viam inuenire ſoles? Aut quî dignoſcis ad quoſnam Iupiter te miſerit, dignos illi viſos qui diuitiis abundẽt? PLV. Enimuero credis me reperire iſtos ad quos mittor? MER. Per Iouem haud quaquam. Neque enim alioqui Ariſtide prẽterito ad Hipponicum & Calliam acceſsiſſem, tum ad alios Athenienſes, homines ne obolo quidem æſtimandos. Cæterùm quid facis quando quidem es emiſſus? PLV. Surſum ac deorſum circũ curſans oberro, donec imprudens in quempiam incurrero, hic autem quiſquis ille ſit, qui fortè primus me nactus ſit, abducit ac poſsidet, te Mercuri pro lucro prẽter ſpem obiecto venerans atq; adorans. MER. Num ergo fallitur Iupiter, qui quidem credat ex ipſius animi ſententia ditari abs te hos quos ille dignos exiſtimarit qui diteſcerent? PLV. Et iure quidem optimo fallitur, ô bone: quippe qui quum me cæcum eſſe non ignoret, emittat veſtigatum rem vſq; adeò repertu difficilem, & iam olim è vita ſublatã, quam ne Lynceus quidẽ facilè inueniret, quæ nimirum adeò obſcura ſit, ac minuta. Itaq; quum rari ſint boni, improbi porrò in ciuitatibus omnia obtineant: oberrans facilè in huiuſmodi mortales incurro, ac retibus illorum illigor. MER. At quî fit vt quoties eos deſeris, celeriter aufugias, quum viæ ſis ignarus? PLV. Tum demum acutum cerno, pedibúſq; valeo, vbi ad fugam tempus inuitat. MER. Iam illud quoq; mihi reſponde, quî fit vt quum ſis oculis captus (dicendũ enim eſt) prætereà pallidus, poſtremò claudus, tam multos habeas amantes, adeò vt omnes in te defigant oculos: & ſi potiantur, felices videantur: ſin fruſtrentur, non ſuſtineant viuere? Ex his equidem non paucos noui, qui ſic perditè te amarint, vt ſe aereo è ſcopulo piſcoſi in æquoris alta præcipites abiecerint, rati faſtidiri ſeſe abs te, propterea quòd illos nullo pacto reſpexiſſes. Quanquam ſat ſcio, tu quoq; fateberis, ſi quo modo tibiipſi notus es, furere iſtos, qui eiuſmodi amore ſunt demẽtati. PLV. Atenim credis me, qualis ſum, talem iſtis videri, nempe claudum aut cæcum, aut ſi quid aliud adeſt mihi vitii? MER. Quid ni ô Plute? niſi fortè & ipſi omnes ſunt. PLV. Haud eęci quidem, ô optime, verùm inſcitia errórq; (quæ nunc occupant omnia) illis offundunt tenebras: ad hæc ipſe quoq; ne per omnia deformis ſim, perſona vehemẽter amabili tectus inaurata, gemmíſq; picturata, ac verſicoloribus amictus eis occurro: at illi rati ſeſe natiui vultus venuſtatem aſpicere, amore capiuntur, diſpereúntque niſi potiantur. Quòd ſi quis me toto corpore renudatum illis oſtenderit, dubio procul futurum ſit, vt ſe ipſi damnent, qui tantopere cæcutierint adamantes res neutiquam amãdas, ac fœdas. MER. Quid ergo? poſteaquã eò peruentum eſt, vt iam diuites euaſerint, iámq; perſonam ſibi circũpoſuerit, rurſum fallũtur? Adeò vt ſi quis illis detrahere conetur, penè caput potius, quàm perſonam abiiciant? Neq; enim veriſimile eſt etiam tum illos ignorare, auro bracteatam eſſe formã, quum intus cuncta inſpexerint. PLV. Ad id non parum multæ res, ô Mercuri, mihi ſunt adiumento. MER. Quænam? PLV. Simul atq; qui me primùm nactus eſt, apertis foribus exceperit, clanculum vnà mecum introit elatio, vecordia, iactantia, mollities, violentia, dolus, atque alia item innumerabilia: à quibus omnibus poſteaquam eſt animus occupatus, iam admiratur quæ neutiquam ſunt admirãda, & appetit ea quæ ſunt fugiẽda, méq; cunctorum illorum quæ introierant malorum patrem ſtupet, illorum ſatellitio vallatum, quiduis potius paſſurus, quàm vti me compellatur reiicere. MER. Vt leuis ac lubricus es Plute, retentu difficilis, ac fugax, neque vllam præbens anſam certam quò prenſus teneare: ſed neſcio quomodo anguillarum ac ſerpentum in morem inter digitos elaberis. At è diuerſo paupertas, viſcoſa, prenſu facilis, totóq; corpore mille vncos gerit hamos, vt qui tetigerint, illico hæreãt, nec facilè queant auelli. Verùm interea dum nugamur, rem haud paruam omiſimus. PLV. Quam? MER. Nempe quia Theſaurum non adduxerimus, quo vel in primis erat opus. PLV. Iſthac quidẽ ex parte bono ſis animo. Nam non niſi in terra relicto illo ad vos aſcendere ſoleo, iuſſóq; intus manere foribus occluſis, neque cuiquam aperire, niſi me vociferantem audierint. MER. Iam igitur Atticam adeamus. Tu me conſequiter chlamydi adhærens, donec extremam viam attigerimus. PLV. Rectè facis Mercuri, quum me per viam ducis. Etenim ſi me deſereres, forſan oberrãs in Hyperbolum aut Cleonem inciderem. Sed quis hic ſtridor ceu ferri ſaxo impacti? MER. Timon hic eſt, qui proximè montanum & petricoſum fodit ſolum. Papæ! adeſt & Paupertas, & Labor ille, tum Robur, Sapientia, Fortitudo, atque id genus aliorum turba: quorum omniũ agmen Fames cogit, longè præſtantius quàm tui ſint ſatellites. PLV. Quin igitur quàm ocyſimè diſcedimus Mercuri? Neq; enim vllum operęprẽcium fecerimus cum homine eiuſmodi vallato exercitu. MER. Secus viſum eſt Ioui: quare ne metu deterreamur. PAVPERTAS. Quò hũc nunc Argicida manu abducis? MER. Ad hunc Timonem, ad quẽ à Ioue ſumus ire iuſſi. PAV. Itáne rurſum Plutus ad Timonem, poſteaquam ego hunc autea deliciis malè corruptum ſuſcepi, commendánſq; Sapientiæ & Labori, ſtrenuum, multíq; precii rirum reddidi? Adeóne deſpiciẽda, iniuriæque idonea vobis Paupertas iudicor, vt hunc, quæ mihi vnica erat poſſeſsio, eripiatis, iam exactiſsima cura ad virtutem excultum? Vt Plutus hic vbi denuo ſuſceperit, per contumeliam & arrogantiam illi manu iniecta, talem reddiderit, qualis erat dudum, mollem & ignauum, ac vecordẽ: rurſum mihi reſtituat, vbi iam nihili factus erit, & reiiculus? MER. Sic ô Pau-

Collatio paupertatis, & eius effectus.

pertas

pertas Ioui placitum eſt. P A V. Equidem abeo, at vos Labor & Sapientia reliquíque conſequimini me. Porrò hic breui cognoſcet qualis in ſe fuerim, quam nunc relinquet: nempe adiutrix bona, & rerum optimarum doctrix: quicum donec habuit commercium, ſano corpore, valentíq; animo perſeuerauit, virilem exigens vitam, & ad ſeſe reſpiciens, ſuperuacua autem & vulgaria iſta, aliena, ita vt ſunt, exiſtimans. M E R. Diſcedunt illi, nos ad eum adeamus. T I M. Quinã eſtis ô ſceleſti? aut qua gratia huc adueniſtis, homini operario mercenarióq; negocium exhibituri? verùm haud quaquam læti abibitis, ſceleſti vt eſtis omnes: nam ego vos illico glebis & ſaxis petitos comminuam. M E R. Nequaquam ô Timon, ne ferito, neq; enim feries mortales: verùm ego ſum Mercurius, hic Plutus. Miſit nos Iupiter, votis tuis exauditis. Quare, quod bene vertat, opes accipe, deſiſtens à laboribus. T I M. Atqui vos iam plorabitis, etiã ſi dii ſitis, vt dicitis. Siquidẽ odi pariter omnes tum deos, tum homines. Sed hunc cæcum, quiſquis hic fuerit, mihi certum eſt ligone impacto comminuere. P L V. Abeamus per Iouem, Mercuri, quandoquidem hic homo mihi videtur non mediocriter inſanire: ne malo quopiã accepto diſcedam. M E R. Ne quid ferociter Timon: quin exue potius penitus iſtam ferocitatem, aſperitatémque, ac manibus obuiis excipe bonã fortunam. Rurſum diues eſto, rurſum Athenienſium princeps: & ingratos illos deſpicito, quum ſolus florebis. T I M. Nihil mihi vobis eſt opus. ne obturbate. ſat opum mihi ligo. præterea fortunatiſsimus ſum ſi nemo propius ad me acceſſerit. M E R. Adeóne quæſo inhumaniter?

Hæc ego ſæua Ioui refero atq; immania dicta? Atqui par erat forſitam homines tibi haberi inuiſos, vt qui tam multa indigna in te commiſiſſent: deos odio te proſequi nequaquã erat conſentaneum, quum illi tãtopere tui curam agant. T I M. At tibi Mercuri, Iouíq;, quòd me reſpicitis, plurimam equidem habeo gratiam: cæterùm hunc Plutum nequaquam recepero. M E R. Quid ita? T I M. Quoniam pridem innumerabilium malorum hic mihi fuit autor, quum me aſſentatoribus proderet, inſidiatores in me inuitaret, conflaret odium, illecebris corrumperet, inuidiæ obnoxium redderet: denique quum me adeò perfidè ac proditoriè deſtituerit. Contrà paupertas optima me laboribus viro digniſsimis exercens, mecúmq; verè & liberè cõuiuens, & quibus opus erat, ſuppeditauit laborãti, & vulgaria iſta docuit contemnere: effecítq; vt mihi vitæ ſpes omnis ex me ipſo penderet, demonſtrans quænã eſſent opes verè meæ: nempe quas neq; adulator aſſentans, neq; ſycophanta minitans, neq; plebes irritata, neq; concionator ſuffragiorum autor, neque tyrannus intentus inſidiis queat eripere. Itaq; iam validus effectus ob laborem, dum hunc agellum gnauiter exerceo, neq; quicquam eorum quæ ſunt in ciuitate malorum aſpicio, abundè magnum & ſufficientem victum mihi ligo ſuppeditat. Quare tu Mercuri, quam veniſti viam remetiẽs, recurre, vnà tecum Plutum abducens ad Iouem. Illud mihi ſat fuerit, ſi effecerit vt omnes mortales per omnẽ ætatem eiulent. M E R. Nequaquam, ô bone. neque enim omnes ad eiulandum ſunt accommodi. Quin tu iracunda pueriliáq; iſta miſſa face, ac Plutum excipe. non ſunt reiicienda munera quę à Ioue proficiſcuntur. P L V. Vin' Timon vt contra te partes defendam meas? an grauiter feres ſi quid dixero? T I M. Dicito, ne multis tamen, neq; cum procemiis, quemadmodum perditiſsimi iſti ſolent Oratores. nam huius Mercurii gratia te feram paucis dicentem. P L V. Atqui multis mihi potius erat dicendum, tot nominibus abs te accuſato. Attamen vide num qua in re te, quemadmodum ais, læſerim, qui quidem dulciſsimarum quarumq; rerum tibi extiterim autor, opiféxq;, autoritatis, præſidentiæ, coronarum, aliarũ item voluptatum. mea opera conſpicuus eras, celebris, & obſeruandus. Cæterùm ſi quid moleſti ab adulatoribus accidit, nõ mihi potes imputare: quin ipſe magis abs te ſum affectus contumelia, propterea quòd me tam ignominioſe viris illis execratis ſuppeditaris, qui te mirabantur, ac præſtigiis dementabant, mihíque modis omnibus inſidias ſtruebant. Porrò quod extremo loco dixiſti, te à me proditum deſertúmq; fuiſſe: iſtud criminis in te poſſum retorquere, quum ipſe ſim modis omnibus à te reiectus, præcépſque exactus ex ædibus. Vnde pro molli chlamyde ſagum iſtud chariſsima tibi paupertas circumpoſuit. Itaque teſtis eſt mihi hic Mercurius, quantopere Iouem orauerim ne ad te venirem, qui tam hoſtiliter eſſes in me debachatus. M E R. At nunc vides Plute, in cuiuſmodi hominem ſit commutatus. Proinde audacter cum illo conſuetudinem age. Tu verò fode ita vt facis. Tu interim theſaurum ſub ligonem adducito. Audiet enim ſi tu accerſiueris. T I M. Parendum eſt Mercuri, rurſúſque diteſcendum. Quid enim facias, quum dii compellant? tamen vide in quas turbas me miſerum coniicies, qui quidem quum ad hunc vſq; diem feliciſsimè vixerim, tãtum auri repentè ſum accepturus, nihil commeritus mali, tantúmq; curarum ſuſcepturus. M E R. Suſtine Timon mea gratia, tametſi graue eſt iſthuc, atq; intolerandum, quòd videlicet palpones illi præ inuidia rumpantur. Ego porrò ſuperata Aetna in cælum reuolauero. P L V. Abiit ille quidem, ſicut apparet. nam ex alarum remigio facio coniecturam. Tu verò hîc opperire. ſiquidem digreſſus Theſaurum ad te tranſmittam. ſed feri fortius. Tibi loquor auri Theſaure, Timoni huic audiens eſto, offérq; temet eruendum. Fidi Timon altius impingens. Cæterùm ego à vobis digredior. T I M. Age iam ô ligo, nunc mihi tuas vires explica, neq; defatigere dum ex abdito Theſaurum in apertum euocaris. Hem prodigiorum autor Iupiter, amici Corybantes, ac lucrifer Mercuri, vndénam auri tantum? Num ſomnium hoc eſt? Metuo ne carbones reperturus ſim experrectus. Atqui aurum profectò eſt inſigne, fuluũ, graue, & aſpectu multo iucundiſsimum. Pulcherrima aurum fauſtitas mortalibus: quippe quod ignis in morem ar-

Diuitiarũ mala.

Paupertatis bona.

des, noctéſq; & dies renides. Ades ô mihi chariſsimum deſideratiſsimúmq;. Nunc demum credo vel Iouem ipſum olim aurum eſſe factum.

Effectus diuitiarum.

Etenim quæ tandem virgo non exporrecto ſinu vſq; adeò formoſum amatorem excipiat per tegulas illapſum? O Mida Crœſéq;, ac munera Delphico in templo dicata, vt nihil eratis, ſi cum Timone, cúmq; Timonis opibus conferamini: cui ne Perſarum quidem rex par eſt. O ligo, & ſagum chariſsimum, vos huic Pani ſuſpẽdi commodum eſt. At ego quàm maximè ſemotũ mercatus argrum, turriculáque ſeruandi auri gratia conſtructa, vni mihi affatim vixero: ſepulchrum item inibi mihi defuncto parare eſt ſententia. Hæc igitur decreta ſunto placitáq; in reliquum vitæ: ſeiunctio, ignorantia, faſtidium erga mortales omneis. Porrò amicus, hoſpes, ſodalis, aut ara miſericordiæ, meræ nugæ. Tum commiſerari lacrymantem, ſuppeditare egentibus, iniquitas, ac morum ſubuerſio: at vita ſolitaria, qualis eſt lupis: vnus ſibi amicus Timon, cæteri omnes hoſtes, & inſidiarum machinatores. Cum horum quopiam congredi, piaculum: adeò vt ſi quem aſpexero duntaxat, inauſpicatus ſit ille dies. In ſumma, non alio nobis habeantur loco, quàm ſigna ſaxea, æreáue: neq; fœcialem ab illis miſſum recipiamus, neq; fœdera feriamus. Solitudo terminus eſto. Cæterùm tribules, cognati, populares, poſtremò patria ipſa frigida quædam & ſterilia nomina, ſtultorúmq; mortalium glorię. Solus Timon diues eſto: deſpiciat omnes: ſolus ipſe ſecum oblectetur, liber ab aſſentationibus, & oneroſis laudibus. Diis ſacra faciat & epuletur ſolus: ſibi ipſi vicinus, ſibi particeps, excutiens ſeſe ab aliis. Ac ſemel decretum eſto, vt vnus ſeipſum comiter accipiat, ſi moriendum ſit, aut neceſſe habeat ſibi ipſi coronam admouere. Nullúmq; nomen ſit dulcius, quàm Miſanthropi, id eſt hominum oſoris. Morum autem notæ, difficultas, aſperitas, feritas, iracundia, inhumanitas. quòd ſi quem conſpexero incendio conflagrantem, obteſtantem quò reſtinguam, pice oleóque reſtinguere. rurſum ſi quem flumen vndis abſtulerit, ſq; manus porrigens, imploret vt retineatur: hunc quoq; demerſo capite propellere, ne poſsit emicare: hunc ad modum par pari relaturus eſt. Hanc legem Timon tulit Echecratides Colyttenſis: & concionis ſubſcripſit ſuffragiis idem ille Timon: Age hæc decreta ſunto: hæc fortiter tueamur. Cæterùm magno emerim vt id omnibus innoteſcat, quòd opibus abundo: nã illa res illos præfocauerit. Sed quid illud? Hem, quæ trepidatio? Vndique concurrunt puluerulenti atq; anheli, haud ſcio vnde aurum odorati. Vtrum igitur hoc conſcenſo colle ſaxis eos abigo, è ſublimi deiaculans: an hac tantùm in re legem violabimus, vt ſemel cum illis congrediamur, vt magis angantur faſtiditi, repulſíq;? Ita ſatius eſſe duco. Itaque reſtemus, quò illos excipiamus. Age proſpiciam, primus eorum iſte quis eſt? Nempe Gnathonides adulator, qui mihi nuper cœnam petenti, funem porrexit, quum apud me ſæpenumero ſolida dolia vomuerit. Sed bene eſt quòd ad me venit: nam primus omnium

Comites diuitiarum adulatores & ſcurræ.

vapulabit. GNA. An non dixi Timonem virum bonum non neglecturos eſſe deos? Salue Timon formoſiſsime, iucundiſsime, conuiuator belliſsime. TIM. Scilicet & tu Gnathonides, vulturum omnium edaciſsime, atque hominum perditiſsime. GNA. Semper tibi grata dicacitas. Sed vbi compotamus? Nam nouam tibi adfero cantilenam ex his quos nuper didici dithyrambis. TIM. Atqui elegos canes admodum miſerabiles, ab hoc doctus ligone. GNA. Quid iſtuc? Feris ô Timon? Atteſtor, ô Hercules, Hei, hei. in ius te voco apud Areopagitas, qui vulnus dederis. TIM. Atqui ſi cunctere pauliſper, mox cædis me reum ages. GNA. Nequaquam: quin tu planè vuulneri medere, paululo auri inuncto. Mirum enim in modum præſentaneum id eſt remedium. TIM. Etiam manes? GNA. Abeo. At tibi malè ſit, qui quidem ex viro commodo tam ſæuus factus ſis. TIM. Quis hic eſt qui accedit recaluaſter ille? Philiades, aſſentatorũ omnium execratiſsimus. Hic quum à me ſolidum acceperit fundum, tum filiæ in dotem talenta duo, laudationis præmium, quum me canentem reliquis ſilentibus omnibus ſolus maiorem in modum extuliſſet, deierans me vel oloribus magis canorum: vbi me pridem ægrotum cõſpexiſſet, (nam adieram oraturus vt mei curam ageret) plagas etiam egregius ille vir impegit. PHILIADES. O impudẽtiam! nunc demum Timonem agnoſcitis: nunc Gnathonides amicus & conuiua. enimuero habet ille digna ſe, quandoquidem im memor eſt atque ingratus. At nos qui iam olim conuictores ſumus, æquales ac populares: tamen modeſtè agimus, ne inſilire videamur. Salue here. fac vt iſtos adulatores ſacrilegos obſerues, qui nuſquam adſunt niſi in menſa: præterea à coruis nihil differunt. Neq; poſthac huius ætatis mortalium vlli fidendum eſt. Omnes ingrati, & ſceleſti. At ego quum tibi talentum adducerem, quo poſſes ad ea quæ velles vti, in via accepi te ſummas quaſdam opes eſſe nactum. Proinde acceſsi his de rebus admoniturus te: quanquam tibi forſitan me monitore nihil erat opus, viro nimirũ adeò prudenti, vt vel Neſtori ipſi, ſi neceſſe eſt, conſilium dare queas. TIM. Ita fiet Philiades. ſe age accede, quò te ligone comiter accipiam. PHIL. Viri, caput mihi comminutum eſt ab hoc ingrato, propterea quòd eũ ea quæ in rem illius erant, admonui. TIM. Ecce tertius huc orator Demeas ſe recipit, tabulas dextra geſtans, aíſque ſe mihi cognatum eſſe. Hic vna die de meo ſedecim talenta ciuitati dependit: nam damnatus erat, ac vinctus: at quum ſoluendo non eſſet, ego miſertus illum redemi. Porrò quum illi ſorte obueniſſet, vt Erechtheidi tribui diſtribueret ærarium, atq; ego audiens, id quod ad me redibat, poſcerem, negabat ſe ciuem noſſe me. DEM. Salue Timon, præcipuum generis tui præſidium, fulcimentum Athenienſium, defenſaculum Græciæ. Profectò iamdudum te populus frequens & vtraq; curia opperitur. Sed priùs decretum audi, quod de te conſcripſi: Quandoquidem Timon Echecratidæ filius, Colyttenſis, vir nõ modò probus & integer, verùm etiam ſapiens, quantum

Hæredipetæ.

alius

alius in Græcia nemo,nunquam per omnem vitam deſtitit optimè de Rep. mereri:tum autẽ in Olympicis vicit pugil, & luctа curſúq; die eodem,ad hæc ſolenni quadriga, equeſtríq; certamine. TIM. At ego ne ſpectator quidem vnquã in Olympicis ſedi. DEM. Quid tum? ſpectabis poſthac:ſed iſta communia addi ſatius eſt. Tum anno ſuperiore apud Acharnenſes pro Rep. fortiſsimè ſe geſsit, & Peloponenſium duas acies concidit. TIM. Qua ratione? quippe qui nec vnquam arma geſſerim, neque vnquam militiæ dederim nomen. DEM. Modeſtè tu quidem de teipſo loqueris,nos tamen ingrati futuri ſumus, niſi meminerimus. Præterea in ſcribendis plebiſcitis,& in cõſultationibus,& in adminiſtrãdis bellis non mediocrem vtilitatem attullit Reip. His de cauſsis omnibus viſum eſt curiæ, plebi, magiſtratibus tributim,plebeiis ſingulatim,communiter vniuerſis, aureum ſtatuere Timonem iuxta Palladem in arce, fulmen dextera tenentem,radiis tempora ambientibus:vtq; ſeptẽ aureis coronis coronetur,hæque coronæ hodie in Dionyſiis per Tragœdos nouos promulgentur. Siquidem hodie illi Dionyſia ſunt agenda. Dixit hoc ſuffragium Demeas orator, propterea quòd cognatus illius propinquus,ac diſcipulus eius ſit. Nam & orator optimus Timon: præterea quicquid voluerit. Hoc igitur tibi ſuffragiũ. Sed vtinam & filium meũ ad te pariter adduxiſſem,quẽ tuo nomine Timonen appellaui. TIM. Quî potes Demea, quum ne vxorem quidẽ duxeris vnquam,quantum nobis ſcire licuit? DEM. At ducam nouo ineunte anno,ſi deus permiſerit,liberíſq; operam dabo. Tum quod erit natum (erit autem maſculus) Timonem nuncupabo. TIM. An vxorem tu ſis ducturus, equidem haud ſcio, tanta à me plaga accepta. DEM. Hei mihi quid hoc eſt rei? Tyrannidem Timon occœptas? pulſáſq; eos qui ſunt ingenui,ipſe nec ingenuus planè,nec ciuis?verùm propediem pœnas daturus, quum aliis nominibus,tũ quòd arcem incenderis. TIM. Atqui non conflagrauit arx, ſceleſte. proinde palàm eſt te calumniatorẽ agere. DEM. Verùm effoſſo ærario diues effectus es. TIM. Atqui non efloſſum iſthuc,vnde ne hæc quidem probabiliter abs te dicũtur. DEM. Verùm effodietur poſthac: ſed tu interim omnia quæ in eo condita, poſsides. TIM. Alteram itaq; plagam accipe. DEM. Hei ſcapulis meis. TIM. Ne vociferare:alioqui & tertiam tibi illidam. Etenim res planè ridicula mihi acciderit,ſi quũ inermis duas Lacedæmoniorũ acies fuderim, vnum ſceleſtum hominem nũ protriuero. Tum fruſtra vicerim in Olympiis, & pugil, & palæſtrites. Sed quid hoc?an nõ philoſophus Thraſyeles hic eſt? Profectò ipſus eſt,promiſſa barba, ſubductíſque ſupercilis, & magnũ quiddam ſecum murmurãs accedit,Titanicũ obtuẽs, cæſariem per ſcapulas fluentem ventilans,alter quidã Boreas,aut Triton,quales eos Zeuxis depinxit. Hic habitu frugalis,inceſſu moderatus,amictu modeſtus,manè mirum quàm multa de virtute diſſerit,damnans eos qui voluptate capiuntur,frugalitatẽ laudans: at vbi lotus ad cœnam venit,puérq; ingẽtem illi calicem porrexit (meraciore autẽ maximè gaudet) perinde vt Lethes aquam ebibens,à diluculariis illis diſputationibus diuerſiſsima quæ ſunt exhibet, dum milui inſtar præripit obſonia, & proximum cubito oppoſito arcens,mento interim condimentis oppleto, dum canum ritu ingurgitat, prono incũbens corpore, perinde atq; in patinis virtutem inuenturũ ſeſe ſperet,dúmq; vſqueadeo diligenter catinos extergit indice digito, vt ne paululum quidem reliquiarum ſinat adhærere,nunquam non querulus,tanquam deteriorem partem acceperit, vel ſi totam placentam,aut ſuem ſolus omnium accipiat:qui quidẽ edacitatis & inſatiabilitatis eſt fructus,temulentus,vinóq; bacchatus,non ad cantum modò,ſaltationémq;,verùm ad conuicium vſq;,& iracũdiam. Ad hæc multus inter pocula ſermo (tum enim vel maximè) de temperantia,ſobrietatéq;: atq; iſta quidẽ loquitur, quum iam à mero malè affectus ridiculè balbutit. Accedit his deinde vomitus. Poſtremò ſublatum eum de conuiuio efferunt aliqui, ambabus manibus tibicinæ inhærentem. Quanquam alioqui ne ſobrius quidem vlli primariorum ceſſerit,vel mendacio,vel cõfidentia,vel auaritia. Quin & inter aſſentatores primas tenet: peierat promptiſsimè, anteit impoſtura,comitatur impudentia. In ſumma,prorſus admirãdum quoddam ſpectaculum eſt omni ex parte exactum,variéq; abſolutũ:proinde non eiulabit clarius videlicet, quum ſit modeſtus. Quid hoc?pape!tandẽ nobis Thraſycles? THR. Non hoc animo ad te venio,Timõ,quo pleriq; iſti,qui nimirum opes admirati tuas,argenti,auri,opiparorum cõuiuiorum adducti ſpe,concurrunt,multáq; aſſentatione deliniunt te, hominẽ videlicet ſimplicem, faciléque impartientem id quod adeſt. Siquidem haud ignoras offam mihi in cœnam ſat eſſe, tum opſonium ſuauiſsimum cepe,aut naſturcium,aut ſiquando lubeat lautius epulari,puſillum ſalis. Porrò potum fons Athenis nouem ſaliens venis,ſuppeditat. Tum palliũ hoc quauis purpura potius. Nam aurum nihilo magis apud me in precio eſt,quã calculi qui ſunt in littoribus. Sed tua ipſius gratia huc me contuli,vt ne te ſubuerterit peſsima iſta atq; inſidioſiſsima res,opulentia: quippe quæ multis ſæpenumero immedicabilium malorum extiterit cauſa. Etenim ſi me audies potiſsimùm opes vniuerſas in mare præcipitabis,vtpote quibus nihil ſit opus bono viro, quíque philoſophiæ poſsit opes perſpicere. Ne tamen in altum ò bone,ſed ferme ad pubem vſque ingreſſus,paulò vltrà ſolum fluctibus opertum,me quidem vno ſpectante. Quòd ſi hoc non vis, tute igitur eas potiore via ex ædibus eiicito,ac ne obolum quidem tibi facias reliquum,videlicet largiens iis quicunque opus habent,huic quinq; drachmas,illi minam, alii talentum. Porrò ſi qui erit philoſophus,hũc æquum eſt duplam aut triplam ferre portionẽ: quãquam hoc quidem mihi non mea ipſius gratia poſtulo,ſed quò amicis,ſi qui egebũt,donem: ſat eſt ſi modò peram hanc largitione tua expleueris, ne duos quidem modios Aeginiticos capientem. Nam paucis contentum modeſtúmque

Gula ac vo racitas ſeu dophiloſophorum.

Pſeudophiloſophorũ habitus.

conuenit eſſe eum qui philoſophatur, neq; quicquam vltra peram cogitare. TIM. Equidem iſta quæ dicis, probo, Thraſycles: ergo, ſi videtur, priuſquam peram expleam, age tibi caput opplebo tuberibus, poſteaquam ligone ſum menſus. THR. O libertas, ô leges, pulſamur ab impuriſsimo, libera in ciuitate? TIM. Quid ſtomacharis ô bone Thraſycles? num te defraudaui? Atqui adiiciam vltra menſuram chœnices quatuor. Sed quid hoc negocii? Complures ſimul adueniunt. Blepſias ille, & Laches, & Gniphon, breuiter agmen eorum qui vapulabunt. Itaq; quin ego in rupem hãc conſcendo, ac ligonẽ quidem iandudum fatigatum, pauliſper interquieſcere ſino: at ipſe plurimis congeſtis ſaxis, procul eos lapidum grãdine peto? BLEP. Ne iace Timon: abimus enim. TIM. At vos quidam nec citra ſanguinem, nec abſq; vulneribus.

ALCYON, SIVE DE Transformatione,

Auguſtino Datho Senenſi interprete.

ARGVMENTVM.

In hoc dialogo de poteſtate diuina diſputat Socrates, quòd ſcilicet Deo poſsibilia ſunt omnia, et quòd nos illius operũ atq; effectuum cauſas intellectu ac ratione conſequi non poſſumus. Eſſe enim nos, quod ad collationem Dei & rerũ æternarum attinet, pueros, ac veluti cæcos. Quòd autẽ Deus multa facilè efficiat quæ nobis impoſsibilia videntur, probat primùm à ſigno ſiue exemplo tẽpeſtatum, quæ illius prouidentia ſeu adminiſtratione ex maximis & turbulentiſsimis ſubitò in ſummam tranquillitatem & ſerenitatẽ conuertuntur. Item ab incremento & collatione ætatum hominis, cùm æquè mirũ ſit ex puero imbecilli ac paruo virum tantum & tam fortem fieri. Poſtremò ab effectis & vi naturæ, quæ cùm Deo longè inferior ſit, tamen ea quæ nobis ratione ſcilicet, ac ſenſu omnia metientibus, impoſsibilia videri poterant, operatur. Occaſio dialogi ſumitur à cantu & obiectu Alcedinis: diſputationis autem, à fabula quæ de transformatione illius narratur.

CHAEREPHON.

QVAE vox inſonuit nobis ô Socrates procul à littoribus & promontotio illo? quàm iucunda auditu! quodnam eſt inquam vocale hoc animal? Nam muta quidem ſunt quæ in aquis degunt. SOC. Maritima quædam ales ô Chærephon, cui Alcyon nomen eſt, luctuoſa admodum, & perquàm flebilis: de qua vetus iampridem hominibus fabula proditur. Etenim ferunt hanc aliquando mulierem Aeoli Græci filiam, quem à puella virum acceperat, ſtudii atq; amoris gratia lugere mortuum, Trachinium Ceyca Luciferi Aſtri pulchri atque honeſti patris pulchrum quoq; atq; honeſtum filium. Mox verò diuino quodam numine pennis circumfuſam, volucris inſtar maria circundare, atque illum perquirere. Cæterùm terram omnem peragrans, inuenire haudquaquam potuit. CHAER. Nũquidnam Alcyon eſt quod ais? Neque ego vnquam antè vocem audieram, at mihi quidem externa quæpiam contigit. Lugubrem ſcilicet perquàm verè vocem profundit animal. Cuiuſmodi quæſo & hoc ô Socrates? SOC. Non magnum, Chærephon: at magnum ob coniugalem pietatem à diis accepit honorem. Siquidem in nidulatione iſtarum auium & Alcyonum quas appellant, dies mundus agit per mediam quoque hyemem tranquillitatis differentis, è quibus eſt & hodierna præſens nunc in primis. Nónne cernis ſumma ac ſuperiora maris, quàm ſereniſsima? Pacatum autem ac tranquillum omne pelagus, ſimile deniq; (vt ita dixerim) ſpeculi? CHAER. Rectè dicis: videtur nanque hodierna Alcyonis dies: ſed & heſterna quoque talis quæpiam fuit. Sed per deos quæſo, nunquid opus eſt iis fidem adhibere, quæ initio habita ſunt, ô Socrates, vt vel ex auibus mulieres aliquãdo effectæ ſint, vel ex mulieribus aues? Nullo enim pacto tale quippiam videtur fieri poſſe. SOC. O amicè Chærephon, videmur nos quidem & eorum quæ fieri poſſunt, & eorum quoque quæ effici nequeant, tardi atque obtuſiores quidam eſſe iudices. Nam iudicamus nos planè pro humanæ facultatis viribus, quæ & rerum ignara ac rudis eſt, & difficilè adducitur vt credat, ſed & nequaquam perſpicaciter intuetur. Itaq; compluria nobis & de iis quæ facilia ſunt, difficilia: & quæ conſequi poſſunt, impoſsibilia ſæpe videntur. Atque id quidem nonnunquam per imperitiam, ſæpenumero verò ob quandam mentium ipſarum infantiam. Omnis nanq; homo infans vtiq; videtur eſſe, vel vltima ſenectute prouectus: quandoquidẽ puſillum admodum, ac nouellum eſt vitæ tẽpus ad vniuerſum æuum. Quid eſt igitur ô bone vir, quod ex eiuſmodi rebus, poſsibileſne, an impoſsibiles ſint, dicere quippiam poſsint ii quos deorum ac dæmoniorum latent poteſtates, quibuſue totius naturæ vis incognita eſt? Meminiſti ô Chærephon quanta nudiuſtertius tempeſtas extiterit? Nam vel cogitantem quidem tum fulgura illa ac tonitrua, tum ventorum ineredibiles atq; immenſas magnitudines, cogitantem inquam pauor inceſsit: vereretur forſitan quiſpiam vniuerſam iamiam ruituram mundi fabricam. Porrò verò admirabilis

quædam

quędã tranquillitatis conſtitutio exorta eſt, quæ ipſa & hactenus perdurauit. Vtrum igitur maius ac difficilius arbitraris eſſe, eámne ſerenitatẽ ex illo vehementiſsimo turbine ac perturbatione traducere transferréq; in tranquillitatẽ per mundum omnem, an potius mulieris formam trãſſiguratam in auis cuiuſpiam ſpeciem conuertere? Etenim & pueri noſtri quoq; huiuſmodi aliquid fingere ac formare ſciẽtes, limum cerámue cum ceperint, facillimè ex eadem maſſa varias multiplicéſq; trãſſigurant formarum naturas. Diuino autẽ numini, quicum ne minima quidẽ ex parte noſtræ facultates conferri debent, perfacilia ac prona hæc ſunt omnia. Tũ mũdum omnẽ quanto teipſo maiorẽ putas eſſe? Dicásne tu? CHAE. Quis hominũ ô Socrates huiuſmodi quicquam vel cogitatione complecti, vel oratione cõſequi valeat? Neq; enim id dicẽdo quiſquã aſſequatur. SOC. Itaq; iam cernimus homines, ſi fortè inuicem cõferantur, permultum differre inter ſeſe, pręſtaréq; alterum alteri tum viribus, tum etiam imbecillitatibus. Etenim matura hominum ętas collata ad pueros penitus infantes, quinque puta decémue dies natos, quàm magnũ quæſo, quãq; admirabile diſcrimen habet & infirmitatis, & roboris, cum in omnibus ferè vitæ actionibus, atq; artium ſtudiis, tum in iis quoque omnibus quæcunq; aut corpore adminiſtrantur, aut animo gerentur? Hæc nãq; (id quod paulò antè dixi) tenerioribus pueris ne in mentẽ quidem vidẽtur venire poſſe. Ac roboris quidem magnitudo eius qui perfecta ætate ſit, quantam, quámue immenſam atq; inæſtimabilem præ illis præſtãtiam habet? Myriadas enim talium vir vnus permultas manu cõplectatur, & quidem facilé. Aetas nanq; ab ipſo initio imperita prorſus rerum omniũ, & quæ moliri nihil poſsit, hominibus natura contingit. Cũ igitur homo homini (vt videtur) tantum interſit: quid cenſebimus vniuerſum videri cælum præ noſtris facultatibus, iis qui talia hæc cognitione aſſequantur? Credibile itaq; fortaſsis pleriſq; videbitur, cuiuſmodi habet mundi magnitudo præſtantiam ad Socratis & Chęrephontis formam: eiuſmodi & ipſum poteſtate, & prudẽtia, ac deniq; cognitione ſimiliter eam quæ in nobis ineſt antecellere facultatem. Proinde multa & tibi, & mihi, ſed & aliis qui perinde ac nos ſunt, impoſsibilia videntur ex iis quæ aliis forſitan perfacilia ſunt: quandoquidem & tibia vti iis qui tibicines non fuerint, & legere ac ſcribere Grammaticæ artis ignaris impoſsibilius eſt, vt qui illa ignorant, quàm aut mulieres conſtituere ex auibus, aut ex mulieribus aues. Ac natura quidem cum informe ferme animal cõpararet, & pedum & manuum & pennarũ expers: pedes ſubiiciens, atq; adhibens pennas, ſed & varietate quadam multipliciũ variorúmq; colorum exornãs, apem effinxit, ſapientẽ diuini mellis effectricem. Quinetiam ex mutis ouis atq; inanimis cõpluria genera conſtituit animalium tum volucrium atq; terreſtrium, tum etiam aquatilium, ætheris magni (vt nõnulli tradunt) ſacris vtens artibus. Quamobrem immortalium poteſtates (quę profectò quãmaximæ ſunt) mortales nos, ac puſilli, & qui nec magna, nec etiam parua percipere valeamus, pleraq; etiam addubitemus eorum quæ circa nos ipſos verſantur; haud firmũ quicquam vel de Alcyonibus, vel de philomelis tradere poſsimus. Cæterùm gloriam fabularum, qualis à patribus prodita eſt, talem & pueris meis & ales queſtuum ac luctuum (debeo enim) præbuero de tuis laudibus. Tuum verò piũ ac ſtudioſum viri amorem concinam crebrò vxoribus meis Xantippæ, ac Myrto, referens cùm alia multa, tum in primis quem à diis honorem conſecuta es. Tu quoq; ô Chærephon huiuſmodi aliquid feceris. CHAER. Decet igitur planè ô Socrates, & quæ abs te dicta ſunt, duplicem vt habeant perſuaſionem, ad mulierem inquam cõſuetudinem, ac virorum. Iam igitur Alcyoni ſalutatione facta, regredi ad vrbem ex Phalerico tempus. SOC. Sanè quidem: igitur ſic faciamus.

PROMETHEVS,
ſiue Caucaſus,
Ottomaro Luſcinio interprete.

ARGVMENTVM.

Videtur hoc dialogo Lucianus, id quod & in ſequentibus facit, Deorum gentilium vanitatem, & ineptam de illis perſuaſionem hominum reprehendere atq; irridere voluiſſe. Occaſionem autem ſumpſit ex fabula Promethei, quẽ poetæ, eò quòd Iouem in diſtributione carnium decepiſſet, deinde & homines formaſſet, poſtremò autẽ è cælo ignem ſurreptũ terris intuliſſet: à Ioue Caucaſo alligatũ, aquilámq; immiſſam, quæ hepar illius carpẽdo attereret. Fingit itaq; hic interea dum rupibus affigitur, cauſam dicere, & apud Mercuriũ & Vulcanum ſe de criminibus obiectis purgare. Primùm de diſtributione carniũ, per extenuationẽ, dicẽdo iocum fuiſſe conuiualem, non fraudẽ, neq; tantum ſupplicii mereri, ex aduerſo priora ſua merita referendo. Secundo loco de plaſtice, vbi bifariã reſpondet, & ſuper eo, an homines in vniuerſum finxiſſe, Dijs damnoſum fuerit: & forma, oſtendens nõ modò nihil incõmodi fictionẽ hominis attuliſſe Dijs, verũ etiam vtilẽ et propè neceſſariã fuiſſe. Deinde & hac forma, ita vt Deos referrẽt facie, & rationis participes eſſent, neceſſe fuiſſe creari. Vltimo de furto ignis reſpondet, neq; cæleſti igni quicquam ademptũ eſſe, & ad officium Deorum pertinere, vt homines iuuent: præſertim cùm ea re ipſi neque opus habeant, neque vtantur, homines autem ſacrificãdo indigeant, & ad ipſorum Deorum miniſterium adhibeant. Occaſio apologiæ ſumitur ex eo, quòd cum Prometheus ſui miſereri Mercurium iuberet, ille contrà meritò eum pati hæc dixerat.

MERCVRIVS.

IN tibi Caucaſum ô Vulcane, cui miſer hic Titan affligẽdus eſt. Itaq; circunſpiciamus ſicubi locus pateat in præcipiti, nudatus niue, cui firmius

infigantur vincula, & vnde ſuſpenſus ipſe magis promineat, & fiat conſpicuus. VVLC. Circunſpectandũ profectò Mercuri nobis eſt, ne humili loco ac prope terrã affixus, plaſmatis ſui (nempe hominũ) experiatur auxilia: aut rurſus in ſublimi prõpendens, iis qui in montis radice verſantur, minimè appareat. Quãobrem, niſi aliter tibi viſum fuerit, hĩc in montis medio ſupra conuallem, paſsis hinc atque illinc è regione manibus, cruci affigatur. MER. Rectè dicis: prærupta enim hîc vndique ſunt ſaxa, & nemini acceſſa, quippe propendentia parũper in præceps, tanta proinde anguſtia, vt nullum penitus recipiant veſtigium, quum vix ſummis hîc inſiſtas pedibus: denique quàm maximè opportuna in quibus furca fiat. Ne igitur cuncteris Promethee, ſed aſcende, & præbe te monti affigẽdum. PROM. At vos ſaltem ô Mercuri & Vulcane, miſereſcite mei, qui citra vllam prorſus noxã calamitatẽ iſtam incidi. MERC. Miſereſcite, ais Prõmethee? Tanquã parum ſit tibi Caucaſo alligari, niſi nos quoque ambos Iupiter eidem pœnæ mox deſtinet, veluti mãdato ſuo immorigeros? Sed tu porrige dexteram. Vulcane tu reclude, & affige malleo potenter immiſſo. Prẽbe læuam, quò & illa ritè implicetur. Bene actũ: iam nunc deuolatura tibi aquila iecur depaſcet, ne quippiã tibi vnquã deſit præmii pro opere illo tuo tũ pulchro, tũ ingenioſo.

Accuſatio Promethei

PROM. Saturne, ô Iapete, & tu Tellus parens, infelix ego quibus afficior pœnis, qui neq; facinus vnquã graue admiſerim! MER. Nullum facinus, ais Promethee? qui primò quidem diſtribuendarum carnium obiens munus, mirũ quàm vafrè egeris atq; improbè: optimam enim partẽ tibi ſubducens, Ioui oſsibus candido adipe velatis impoſuiſti. Heſiodi ipſius mihi iam in mentem venit, qui mehercle de hac re verba facit. Deinde & homines effinxiſti, animantis genus quo nõ eſt aliud verſutum magis ac callidum, & quidem maximè omniũ mulier. Super omnia autem ignem theſaurũ deorum multo omniũ præſtantiſsimũ furtim ſurripuiſti, hominibus eiuſce vſum tradens. At verò quũ tanta admiſeris flagitia, mirũ quomodo dicere auſis te quaſi inſontẽ & nemini prorſus iniurium vinculis implicari.

Mulier maximè omnium callida.

PROM. Videris quoque & tu mihi Mercuri, iuxta poetã, incuſare innocuũ, quãdo talia mihi obiicis, quæ ego iure optimo me feciſſe contenderim, ob quæ equidẽ in Prytanéo publicè alendum me, ſi pro merito mecũ ageretur, cẽſuiſſem. Verùm ſi vacat tibi audire ex me defenſionẽ minimè incũdam, ego detortã in me culpam, facili conatu diluere curauero, ſimul atq; perſpicuum fuerit oratione mea, quàm iniquè aduerſum me Iupiter pronunciauerit. Tu verò quãdoquidem tã eloquio polles, quàm iuris ſcientia, Iouis partes tuearis; denique effingas, vt lubet, quòd me haũd iniuria prope portas Caſpias Caucaſo iſti affigendum iudicarit, quò miſerrimum Scythis omnibus fiam ſpectaculũ. MER. Inanem inſumis operã Promethee, ſi prouocare velis Iouis in te lata ſententia: tentare enim iſtuc, prorſus exiſtimo inutile. Verùm quãdo alioquĩ tãtiſper mihi hîc manendum eſt dum ex arduo aduolet aquila, quæ hepatis tui curam gerat: occaſionem nimirum hæc nobis mora miniſtrabit te auſcultandi declamantẽ, qui præter aſtum quo cunctos mortales ſuperas, Rhetoricen quoq; probè calles. PROM. Primùm igitur Mercuri tu velim dicas, quibus de rebus mecũ pater tuus expoſtulet: quas dein exaggerare tibi licebit, & lõgè grauiſsimas facere. Caueto autem in primis, ne prætermiſſum tibi aliquid excidat. Cæterùm tu Vulcane cenſor eſto, ac de cauſa cognoſcas velim. VVLC. Ita me amet Iupiter, pro iudice accuſator tibi futurus ſum, eò quòd compilato igni, gelidam mihi officinam reddideris. PROM. Partiri igitur vos conueniet actionem, vt tu quę ad furtum pertinent, in vnum congeras: at Mercurius quæ hominum formationi conueniunt, carniſumque diſtributioni, impugnare conetur. Nihil autem video quod vos remoretur, quum ambo ſitis egregii artifices, & ad compoſitè dicendum impendiò inſtructi. VVLC. Mercurius meam obibit prouinciam, cui hæc non obiter curæ ſunt, vtpote Rhetori: nam ego quum haudquaquam in iudicialibus diſſertationibus verſor, ſed magis circa focum, ibíque non nihil eſt quod meæ poſſunt vires: quo pacto oratorem agam, non video. PROM. Nihil eſt quòd Mercurium de furto dicturum ſuſpicer. Quomodo enim furti me ſugillauerit, cuius ipſe auctor eſt? Vnde neceſsitudo quædam mihi cum Mercurio intercedit, propter idem artificium. Atqui tẽpus expetit ô Maiæ ſoboles, ſi me culpæ cuiuſpiam arguere velis, vt modò proponas accuſationem.

Capita accuſationis.

MER. Si mihi propoſitum ſit malefacta tua inſectari, longa profectò oratione opus fuerit, & apparatu aliquo: neq; enim quaſi compendio quodam recenſere crimina ſatis eſt, quo pacto videlicet commiſſo tibi diſtribuẽdarum carnium officio, Regem meliori parte fraudaueris, atque illam pro te ſeruaris: quódq; homines, quos eſſe minimè decebat, effinxeris: deniq; quòd ignem quoq; à nobis ſuſtuleris, ad illos eum perferens: qua in re abuſus es profectò vir optime, Iouis benignitate, ac viſus es mihi eam parùm intellexiſſe. At verò ſi hæc inficiaberis te admiſiſſe flagitia, lõgiore tecum vtemur ſermone, quo ſimul & dicta tua refellamus, & vt veritas quàm maximè fiat perſpicua, laborẽmus. Cæterùm ſi ea conceſſeris quæ de carnium diuiſione diximus, hominibus recèns formatis, atq; oblato igni, abunde iam mihi in hac accuſatione ſatisfactum eſt. Quod enim pluribus opus? quando aliter dicere, iam planè ſit nugari.

Promethei apologia: et primùm de diſtributione carniũ.

PROM. Siquidem iſthuc an ſit nugari, poſthac videremus: nunc verò quoniam abſoluta tibi eſt aduerſum me (vt ais) accuſatio, ego, præpotens Mercuri, hæc obiecta facilè amoliri tentauero. Et primò quidem audi obſecro quæ dicam de carnibus, Cælum teſtor, ſi me non Iouis loco nunc pudet vt recenſeam quàm ille ſit puſillanimus & querulus, non tam aliã ob cauſam, quàm quia minutula quædã oſſa in portione quæ ſibi fortè obtigerat offendit, & huius rei gratia me tanto nunc tempore à cunctis pro deo habitum, palis huc affigendum miſit; immemor ſanè quibus eum iuuerim beneficiis

neficiis, neque ſatis probè, perpendens cuius momenti ſit tantæ indignationis origo, atque materia. Nam quis non videt puerilem hanc eſſe iram, vt excandeſcas, & iniquo feras animo, quia maiorem partẽ non acceperis? Verùm quã to foret æquius Mercuri, conuiualium huiuſcemodi fraudium deinceps ne recordari quidem, & dimiſſa ira, ſimpoſii delictum veluti luſum æſti mare atq; iocum? Quippe quũ in craſtinum con tinere odium, & meminiſſe iniuriæ veteris, haud quaquã reges deceat, ne dicam deos. Sed agedũ tollamus è conuiuiis lepõres illos & ſales, riſum, & ſubdolas captiones: quid, oro, præter temulen tiam, edacitatem, & ſilentium fieri reliqui? Quæ quum triſtia admodũ ſint, & parum iucunda, decentius exulare crediderim huiuſcemodi à conuiuio. Nam Iouem in poſterum diem recordaturum quis oro putaret huiuſce diſtributionis car nium, in qua nil prẽter iocum notares, ac luſum. Vt ne interim dicã quòd moleſtè nonnihil eſſet laturus, tanquam his rebus leuiculis potuerit of fendi. Nil enim aliud explorare volebam in ea diuiſione, quàm in delectu partium meliorem num Iuppiter ab aliis dignoſceret. Sed age Mercuri, vt illi iam aliquid concedamus, minorem portionẽ ei tradidimus in partitione: adde quòd fœdam, quòd horrendam, atq; moleſtam: &, ſi lu bet, finge me omnino portionem ſuſtuliſſe: quid tum? Nunquid ideo decebat vt cælum (ceu pro uerbio dicitur) terræ miſceretur, vincula excogi tarentur, & cruces, totúſq; Caucaſus, aquilæ de hinc dimitterentur, quæ hepar dilaniarent? Fal lor, ſi hæc non ſunt aperta puſillanimitatis indi cia, animíq; ignobilis, & propenſi in iram. Nam quum hæc agit ob pauculas carnes, quid oro fe ciſſet, ſi bos integer illi fuiſſet ademptus? Videre iam licet homines in pari negocio longè mode ſtius affectos, qui quum diis immortalibus natu ra ſint inferiores, acrius illos excandeſcere par erat quàm deos. Atqui nemo hactenus fuit, qui coquum cruci adiudicarit eam ob cauſam, quòd carnes elixans, immiſſum iuſculo digitum viſus ſit circumlambere, aut ex veru nonnihil toſtarũ carnium vellens vorarit. Magis enim veniam il lis impertiunt, niſi vehemẽter fuerint irati: tunc enim incutiũt coquo pugnum, aut verberant ge nas: verùm qui in crucem vllum ſuſtulerit, inue nias neminem. Et hæc de carnibus, vilis ſanè de fenſio: ſed vnde multo vilior planè, ac turpior in Iouem redundet accuſatio. Tempus nũc monet, vt de plaſmate & hominibus à me formatis diſſe ratur: qua in re geminam conſtat ſtram eſſe accu ſationem: neq; ſatis compertum habeo Mercuri cuiúſnã culpæ me primò reum agas: num illius quòd homines haudquaquam procreari debue rint, qui mouerentur: ſed conducibilius foret ter rã ipſam vnde ſunt progeniti, prorſus eſſe ocio ſam. An verò quòd formari quidem homines haud fuerit abſurdum, ſed longè aliter, & fermè ad aliam figuram ac formam, quàm ego illos fa bricarim. Ego ad vtrunq; facilè reſponderim, ſi mul atq; oſtendere tentauero, quòd non modò nulla penitus iactura malóue deorũ, homines in vitam ſunt adducti, verùm etiam quòd in rẽ eo rum iſthuc potiſsimùm cedat, magis quàm ſi (vt iam olim fuit) tellus deſerta, & hominibus, qui eam colerent, deſtituta maneret. Sic enim nullo negocio palàm fiet, num ego deliquerim in hac formæ humanæ renouatione, quã ſolam conſtat diuinam eſſe, & planè cæleſtẽ. Quum itaq; tellus inculta, rudi ac hirta ſylua horreſceret, ac ſquale ret ſitu, adeò vt neq: viſpiam gentiũ videres aras deorum, templum, ſtatuã, ſimulachrum, aut aliud huiuſcemodi, quemadmodũ ſumma diligẽtia iã vndiq; apparent hæc elaborata, non ſine eximia deorũ veneratione: ego quum alioqui propenſus ſum ad prouidendum in cõmune, ne quid deſit, quod ad incrementum rei diuinæ, decus, ac ve nuſtatem pertineat, tacitus mecum reputaui nec quicquã poſſe fieri melius, quàm ſi puſillum luti acciperẽ, & inde animantia effingerẽ nobis, diis forma nõ admodũ abſimilia. Quippe vel id erat vnicum in quo mihi natura diuina deficere vide batur, quòd nullius collatiõe felicior appareret, atq; perfectior, veluti modò ſi eam cum homine conferas, prudentia, ingenio, ac rerum optimarũ captu, intellectúue præſtante, ſed mortali tamen. Cæterùm iuxta Poetæ dictum, terram aquæ com miſcens, ex liquida molliq; effinxi homines. Mi neruam interea adhortatus, vt in opere abſoluẽ do mihi ferret ſuppetias. Hæc ſunt magna illa & ardua, quibus nos deos offendimus, totiúſq; ma li (vt vides) hæc ſumma eſt: ex luto perfecta no bis ſunt animantia, & quòd antehac immotum erat, nos ad mobilitatẽ perduximus. Iã verò mi rum quàm indignetur Iuppiter ex tali terreſtriũ animantium formatione. Quaſi verò deinceps deorum ſuſtinere cogatur penuriam, & procrea tis hominibus iam futurũ ſit, vt diis ſuis orbetur. Verũ quis vnquã tam demens extiterit, vt ſoli tudinẽ in Iouis curia propter generatos homi nes aliquando veriſimiliter futuram formidare queat? Niſi fortè id veretur, ne defectionẽ moliã tur homines, & armis deos laceſſant, id quod o lim fecerũt Gigantes. Itaq; neminem fugit, qua ego ſim modeſtia, vt iam iniquè de me quiſpiã queratur, vel operibus mea induſtria abſolutis, quòd inde dii immortales offenſi ſint, ac damnũ acceperint. Quin tu Mercuri minimum aliquod profer, & ego conticuero, veluti meritò has da turus ſim pœnas. Atqui in prõptu eſt cognoſce re quanta hinc diis accedat vtilitas, ſi contẽple ris terram, quæ priùs informi ſitu, ac ſquallore obducta erat, vrbibus, agriculturis, & mitioribus plantis exornatam, mare nauigatum, inſulas ha bitatas, vndique aras & delubra, ſacrificia, & feſtiuitates, adeò vt iam paſsim viæ & fora, deni que quocunque te vertas, prorſus omnia Iouis plena ſint. Quòd ſi ego rei priuatæ intentus, ſo lùm mihi homines, rem adeo præclaram, ef finxiſſem, profectò quantum ex fructu coniice re licet qui ad me inde rediret, vos dii immor tales opibus & ditione ne mihi quidem conferẽ di ſitis. Verùm ego in communi deorum vtilita ti conſulens, ac commodi proprii negligentior, in rem veſtram homines potiſsimùm produxi. Nam ſi quæ ad Rempub. attinent, ego attenuare molior, quò res meas promoueam, velim mihi

Conuiuia quibus rebus exhilaranda.

Excuſatio de plaſmate, & hominibus fictis.

commonſtres templum Promethei, quemadmodum Iouis, & Apollinis nuſquam non videas, denique & tibi Mercuri quædam delubra ſunt ſacra. Cæterum iſthuc interea tecum expẽdas velim, num tibi bonũ aliquid appareat ſine omni penitus teſte, & nũ oblectare queat habentẽ poſſeſsio, aut opus quod nemo videat, nemo laudet nemo admiretur. Quod ideo dixerim, quia niſi fierent homines, iã futurum erat, vt omnis cunctarum rerum decor eſſet ſine teſte, & opes noſtræ ne à nobis quidẽ ipſis haberentur in precio, quum nemo alius ſit, qui harum admiratione caperetur. Adde quòd nemo ex nobis felicitatem ſuam ſit intellecturus, ſi non liceat ſe cõferre cũ illis, qui reſpectu quodam ſunt inferiores, quippe bonorum noſtrorum expertes. Nam quis vnquam rem quãdam ſeu magnam æſtimarit, ſi nõ cum exigua illam dimetiatur? Verumenimuerò quum optimo iure honorem à vobis pro rebus bene geſtis in Repub. ſperare debuerim, in crucem à vobis leuatus, mercedẽ capio mei tam ſalutaris cõſilii. Sed ais: flagitioſi quidã ſunt inter homines, puta mœchi, bellatores, ſororum mariti, & parentum acerrimi hoſtes. Tanquam apud deos non æquè liceat reperire hanc ſcelerũ multitudinem, & huius rei gratia in cælum culpam reiicias, ac Terrã, vnde dii fuerũt prognati. Nec verò eſt quòd dicas hominũ formationem diis immortalibus faceſſere negociũ, & augere curã, alioqui ocioſis. Sic enim eandem ob cauſam paſtor qui gregem curandum ſuſceperit, in pluuia eum non continebit, quãdo operoſum ſibi iſtud videbitur: quum alioqui cura illa propter cõiunctam exercitationem, non admodũ appareat eſſe iniucunda. Sed adime, obſecro, diis omnem ſolicitudinem: vt iam nihil ſit cui prouideant, quid iam aliud agãt, quàm quòd torpeãt ocio, nectar imbibant, & ventrẽ diſtendant ambroſia? Cæterum malè me habet, quòd inuehendo in opus à nobis elaboratũ, fœminas potiſsimùm reprehẽderitis, quas tamen impendiò adamatis, & modò tauri, modò ſatyri, & cygni effecti, ad illas vos demittitis: vt ne interim dicã quòd in cælum admiſſas diuinitatis conſortes redditis. Atqui non erat, ais: abſurdum, vt fierent homines, ſi modó ad noſtram hanc formam ſimilitudine quapiam non accederẽt. Ego ſi exemplar aliud nouiſſem quod forma præcelleret, ad illius inſtar homines effigiaſſem: niſi beluinum magis deceret eſſe & prorſus agreſte iſtud animantis genus. Sed ſi hoc dixeris, non video quomodo vos diuino honore afficerent, aut accumularent ſacrificiis: quæ quàm grata ſint vobis, coniicere licet, ex eo maximè, quòd non grauamini vel vltra oceanũ ſumma celeritate proficiſci, poſt inculpatos Aethiopas, ſi quando ſenſeritis vobis afferri ab illis hecatombas: verùm me, qui honorũ huiuſcemodi ac ſacrificiorum autor ſum atq; origo, neſcio quo iure in crucẽ ſuſtuleritis. Hæc ſunt quæ de hominum plaſmate ſat fuerit cõmemoraſſe. Ad ignem tranſeamus direptum, ſi placet, fœdam ni mirum & inexpiabilem rapinam. Per Deos autẽ in primis te oranerim: ne cunctẽris, ſed mox mihi reſpondeas, nunquid ex igne Dii quippiã per

Bonũ nullum ſine teſte iuuat.

Mulieroſi etiam dii.

Excuſatio de igne ſurrepto.

diderint, ex quo ille fuit apud homines: quod quidem vix vnquam dixeris, quando ſic natura comparatum eſt, vt ignis nihilo fiat minor, ſi quis etiam cum alio communicet: deniq; non extinguitur ideo, quia alius inde flammam tranſtulerit. Itaq; euidentiſsimum hinc colligo argumentum inuidiæ, quòd cùm citra vllam iactu ram igne carere potueritis, ab eius tamen vſu arcere in animum induxeritis eos, qui hoc potiſsimum egere videntur. Quod contra oportebat Deos omnes eſſe bonos, bonarum rerum largitores, & ab inuidia longè abeſſe. Sed quid ſi omnẽ prorſus ignem ſuffuratus, detuliſſem in terram, adeò vt nihil vobis feciſſem reliqui? quánã oro, iniuria vos affeciſſem, quibus ignis haudquaquã poteſt eſſe vſui, quum neque coquere vobis neceſſum ſit, neq; frigidare ambroſiã? Ad hæc, non egetis artificioſo lumine, verùm hominibus quũ ad alia neceſſaria ignis habendus eſt, tum maximè ad ſacrificia, quò videlicet in biuio nidorem vobis parent: thura incendant, & pecudũ coxas adoleant in aris. Verùm quum (vt video) ingentem vobis lætitiam pariat fumus ille, nihil proinde tam gratum, quod in epulorum vicem vos reficiat, quàm vbi nidor ſimul cum fumo volutatus ad cælum vſque permeat. Itaque parum appoſitè profectò, & nimium abſurdè videmini vaporem huiuſcemodi nunc incuſare. Miror autẽ cur Soli poteſtatem facitis lucendi hominibus, neque illi vitio vertitis, quòd in adminiſtrando deorũ bono tam prodigus ſit, atque intemperãs, cùm ignis ille ſit multò quã hic noſter diuinior, & candens magis. Dixi: veſtrum erit Mercuri ac Vulcane, ea quæ perperam à me propoſita ſunt, ad rectitudinem perducere, & rationibus quibus poteſtis noſtra hæc impugnare: dehinc rurſus ad reſpondendum accingemur. MERC. Haud facile eſt Promethee cum tam generoſo oratore certare: verùm vehementer ex re tua fuit, quòd hæc abs te non audiuit Iupiter. Id enim certò ſcio, ſedecim vulturibus negocium dediſſet: qui poſthac viſceribus tuis paſcerentur. adeò grauiter ipſum criminatus es, aliud fermè agens: nam defenſionem pro te dicere inſtitueras. Mirum autem profectò, quum vates ſis, quomodo præſagire nequieris has te modò daturũ pœnas. PRO. Præſciui hæc Mercuri: neq; me præterit, quòd rurſus liberabor: & nunc Thebanus quidam veniet tibi amicus, qui eminus iaculetur aquilam, quam ſupernè polliceris deuolaturam. MERC. Vtinam hæc eueniant. ſolutum à te vinculis videro, nobis conuiuam aditum, at non carnes partientẽ. PRO. Bono ſis animo, epulabor vobiſcũ. & Iupiter me liberabit, non exiguæ felicitatis gratia. MERC. Ne, oro, graueris dicere quæ ſit illa felicitas. PRO. Noſtin Mercuri Thetin? ſed quid verbis opus? præſtat enim celare arcanum, quò me maneat præmium poſt ſolutam pœnam. MERC. Quãdoquidem id præſtat, tecum recondas licebit. Quin nos Vulcane abimus? iam enim non longè abeſt Aquila. at tu Titan præſtolare tantiſper, dum tibi Thebanus (vt ais) ſagittarius cõtingat, qui te ab alitis huius laniatu quietum reddat, ac liberum.

Amarum.

DEOR

DEORVM DIALOGI.

Argumentum in eoſdem.

Dialogi qui ſequuntur tam ſuperorum, quàm inferorum Deorum, quaſi quandam ſyluam, ac ſummam continent omnium fere fabularum, quæ partim apud Homerum & cæteros Epicos poetas, partim à Tragicis, Æſchylo, Euripide, Sophocle, & reliquis tractantur. Sunt autem vti breuiores, ita argutiores quoque, ſiue res, ſiue verba & compoſitionem ſpectes: adeoque germanam illam Atticæ eloquentiæ feſtiuitatem & gratiam exprimunt. Videtur autem Lucianus non hoc tantùm agere voluiſſe, vt Deorum gentilium, & Homericorum vanitatem argueret, atque irrideret, (quis enim veterum, ſaltem mediocriter ſapientum atque doctorum, vnquam fuit, qui huiuſcemodi nugis vllam fidem adhiberet, aut numen noſtris & humanis affectionibus obnoxium eſſe crederet?) verùm illud quoque, vt (quod in Prometheo ipſe de ſe dicit) Heroicam illam dialogi perſonam, & Tragicam grauitatem, Comico riſu temperaret. Et quia in omni genere ſcriptorum verſatum eſſe oportet eum, qui veram ac ſolidam eloquentiæ atque doctrinæ laudem aſſequi cupit, quemadmodum ipſe infrà in Lexiphane præcipit, exiſtimo quidem etiam exempli, & exercitationis cauſſa ad hunc modum in hoc genere illum ſeſe exercuiſſe. Nam vt hîc Tragicorum, & Homericorum fabulas, ita infrà Comicorum quoque argumenta retractat, & ad dialogorum feſtiuitatem reuocat. Interim tamen etiam ſeria obiter monet ac docet, vt in Cupidine, vbi tacitè illud indicat, quod Cicero pro Cælio multis verbis commemorat, ſtudioſos puta, & literarum amantes, nullis externis ac prauis cupiditatibus alligari ac vinci: quod idem & Theocritus de Muſis apertè dicit: Nã quos aſpiciũt illæ (inquit) exhilarãtq; vi dendo, Nulla venenoſa lædunt hos pocula Circes.

RPOMETHEI ET IOVIS,

Iacobo Micyllo Interprete.

PROMETHEVS.

SOlue me Iupiter, grauia enim iã paſſus ſum. IVP. Soluam te, ais, quem oportebat grauiores pedicas habentẽ, & Caucaſum totũ ſuper caput incumbentẽ à ſedecim vulturibus non ſolùm corrodi hepar, ſed & oculis carere offoſsis, eò quòd talia nobis animalia, homines videlicet, effinxeris, & ignem furtim ſurripuiſti, & mulieres fabricatus es? Nã quibus meipſum decepiſti in diſtributione carnium, oſſa pinguedine obducta mihi apponens, & meliorem partiũ tibiipſi ſeruans, quid attinet dicere? PRO. Igitur ſufficientẽ iam pœnã exolui, tantũ tempus Caucaſo affixus, peſsimam auiũ perditam aquilã nutriens hepate. IVP. Ne minimũ quidem hoc eorũ quæ te oportet pati. PRO. Atqui nõ ſine mercede me ſolues Iupiter, ſed tibi ſignificabo valde neceſſarium. IVP. Blandiendo decipis me Promethee. PRO. Et quid plus habebo? Non enim ignoras rurſus vbi Caucaſus eſt: neque indigebis vinculis, ſi quo modo verſutias agens depræhendar. IVP. Dic prius quámnam mercedem perſolues neceſſariã nobis exiſtentẽ. PRO. Si dixero ad quem locum vadis nunc, fide dignus ero tibi, & de reliquis vaticinans? IVP. Quomodo enim non? PRO. Ad Thetin, coiturus cum ipſa. IVP. Hoc quidem noſti. Quid igitur poſtea? videris enim verum quiddã dicere. PRO. Nihil ô Iupiter rei habeas cum Nerine hac: ſi enim ipſa grauida reddetur ex te, fœtus ſimilia faciet tibi, qualia & tu feciſti Saturno. IVP. Hoc ais, expulſurũ me regno? PRO. Vtinã ne fiat, ô Iupiter: veruntamen tale aliquid coitus ipſius minatur. IVP. Valeat igitur Thetis: te verò Vulcanus ob hæc ſoluat.

CVPIDINIS ET IOVIS,

Eodem interprete.

CVPIDO.

AT ſi quid etiam peccaui, Iupiter, ignoſce mihi: puer enim admodum ſum, & adhuc imprudens. IVPI. Tu puer autem Cupido, qui antiquior multò Iapeto es? An quia neque barbam habes, neque canos produxiſti, propterea etiam infans putari cupis, ſenex, & verſutus adeò cùm ſis? CVPIDO. Qua verò iniuria affeci te ego ſenex ille, vt tu ais, cur me vincire quoque cogitas? IVPITER. Specta, ô ſceleſte, an parua, qui me ita ludibrio habes. Itaque iam nihil eſt quòd me non effeceris, Satyrum, taurum, aurum, cygnum, aquilam: omnia hæc feciſti me. At quæ me viciſsim amaret, nullam planè vnquam feciſti; neque intellexi me etiam

vxori

vxori propter te gratiorem fuiſſe: ſed oportet me præſtigiis vti ad illas, & meipſum abſcondere. Illæ autem taurum, aut cygnum exoſculantur: me verò ſi aſpiciant, moriuntur præ formidine. CVPIDO. Meritò: neque enim ferunt, ô Iupiter, vt quæ mortales ſint, aſpectum tuum. IVPIT. Quomodo igitur Apollinem Branchus, ille & Hyacinthus tantopere amant? CVPIDO. At Daphne etiam fugiebat illum, quanuis comatum & imberbem. Quòd ſi autem voles amabilis eſſe, neque concutias ægidem, neque fulmen geras, ſed quàm ſuauiſsimum te ipſum perhibe: vtrinque demiſſo capillo, eóque mitra reuincto, veſtem ſume pupuream, crepidas ſubliga auratas, ad tibiam, & ad tympana compoſito greſſu incede, & videbis quòd plures te ſequentur, quàm Bacchum Menades. IVPITER. Apage, equidem nolim amabilis eſſe iſthoc pacto vt talem meipſum exhibeam. CVPIDO. Proinde & amare nolis. nam hoc certè facile eſt. IVP. Quin amare quidem volo, minore autem negotio illo potiri. Atq; ob hæc nunc dimitto te.

IOVIS ET Mercurii,

Iacobo micyllo interprete.

IVPITER.

ILLAM Inachi puellam pulchram noſti Mercuri? MERCV. Etiam. Io dicis. IVPIT. Non amplius puella illa eſt, ſed iuuenca. MERC. Monſtroſum hoc. Quomodo mutata eſt? IVPIT. Zelotypia mota Iuno transformauit ipſam. Sed & nouum aliud quoddam malum inſuper excogitauit. Infelici illi bubulcum quendam multioculum, Argum nomine, cuſtodem addidit, qui iuuencam paſcit, inſomnis ac peruigil ipſe exiſtens. MERC. Quid igitur nos oportet facere? IVPITER. Deuolans in Nemeam ſyluam (illic alicubi Argus paſcit) illum quidem interficito: ipſam verò Io per pelagus in Aegyptum abducens, Iſim facito, & de cætero pro Deo ab incolis habeatur, Nilúmque attolat, & ventos immittat, & præterea nauigantes ſeruet.

IOVIS ET Ganymedis,

Eodem Iacobo interprete.

IVPITER.

De raptu Ganymedis.

AGEDÒ Ganymedes (peruenimus enim quò oportebat) oſculare me iam, vt videas non amplius roſtrum aduncum me habere, neque vngues acutos, neque alas, qualis videbar tibi modò, cùm volucris eſſe apparebam. GANYMEDES. Mi homo, an non aquila modò fuiſti, ac deuolans rapuiſti me à medio ouili? Quo pacto igitur alæ illæ ablatæ tibi ſint, tu verò ipſe alius quiſpiam ſubitò appares? IVPIT. Sed neque homo quę vides, aduleſcentule, neque aquila, ſed omniũ rex Deorum ego ipſe ſum, qui meipſum ad tẽpus ita transformaui. GANY. Quid ais tu? Pan ille es? Deinde quomodo fiſtulam non habes, neque cornua, neque hirſutus es crura? IVPIT. Solum enim illum exiſtimas Deum? GANYME. Etiam: atque adeò ſacrificamus ipſi, coleatum hircum ad ſpeluncam agẽtes, in qua ipſe poſitus eſt. Tu verò plagiarius quiſpiam videris mihi eſſe. IVPIT. Dic mihi, Iouis verò nomẽ non audiſti? neque etiam aram vidiſti illius in Gargaro, pluentis ſcilicet, atque tonantis, & fulgura facientis? GANY. Tu te optimevir ais eſſe, qui paulò antè effudiſti nobis copioſè grandinẽ, qui habitare ſupra nos diceris faciens ſtrepitum, cui arietem pater ſacrificauit? Denique quſdnam improbè tentantem me ſurſum rapuiſti rex Deorum? Iam verò & oues fortaſsis lupi diripuerunt, deſertas illas inuadendo. IVPITER. Adhuc enim cura eſt tibi ouium, immortali facto, & hîc conuerſaturo nobiſcum? GANY. Quid dicis? An non deduces me tandem in Idã hodie? IVPI. Nequaquam, quoniam fruſtra aquila fuiſſem pro Deo factus. GANY. Igitur inquiret me pater, & indignabitur nõ inueniẽs, verberáque poſtea capiam, relinquens ouile. IVP. Vbi ille videbit te? GANYME. Nequaquam? deſidero verò ipſum. Quod ſi verò dimittes me, promitto tibi & alium hircum ab ipſo immolatum iri, redemptionis precium pro me videlicet. Habemus autem triennem illum, & magnum, qui præit cæteris in paſcua. IVPI. Quàm ſimplex hic puer eſt, & minimè malus, atque id ipſum ſolum, puer adhuc. Verùm ô Ganimedes, illa quidem omnia valere ſine, & obliuiſcere ipſorum, ouilis videlicet, & Idæ. Tu autem (iam enim cæleſtis es) multa benefacies hinc & patri, & patriæ. Ac pro lacte quidem, & caſeo ambroſiam edas, & nectar bibas. Hoc tamen & aliis nobis ipſe infundendo præbebis. Quod autem maximum eſt, non amplius homo, ſed immortalis eris. atque etiam ſydus tuũ apparere faciam pulcherrimum: & omnino felix eris. GANYMEDES. Si verò ludere cupiam, quis colludet mecum? in Ida enim multi coæta nei eramus. IVP. Habebis & hîc colluſorẽ tibi hunc Cupidinem, & aſtragalos valde multos. Confide ſolùm, & lætus ſis, & nihil deſideres inferiorum. GANYMEDES. Quid verò vobis vtilis ero? An oues paſcere oportebit & hîc? IVP. Non, ſed miniſtrabis vinum, & ad nectar paulò pòſt ordinaberis, & procurabis conuiuiũ. GANYME. Hoc quidem non difficile. ſcio enim vt oporteat effundere lac, & coronare pocu lum paſtorale. IVP. Vide, rurſus hic lactis me minit, & hominibus ſe miniſtrare putat. Hoc verò cælum eſt, & bibimus (quemadmodum dixi) nectar. GANYME. Dulcius ô Iupiter, lacte? IVPI. Scies poſt puſillum: & cùm guſtaueris, nõ amplius deſiderabis lac. GAN. Porrò vbi dormiam nocte? An cũ coætaneo Cupidine? IVP. Nõ, ſed ob hoc te rapui, vt ſimul dormiremus. GAN. Solus enim non poſsis, ſed ſuauiùs dormire mecum? IVP. Profectò, cùm tali qualis es tu Ganymedes

medes,ſic pulcher. GAN. Quid enim te ad ſomnum iuuabit pulchritudo? IVP. Habet quoddam incitamentum ſuaue, & faciliùs inducit ipſum. GAN. Atqui pater meus indignabatur mihi condormienti, & narrabat manè quomodo turbarem ipſius ſomnum, volutatus per lectum, calcitrans,& aliquid loquens intereà quãdo dormirem: quapropter ad matrem remittebat me dormiturum ſæpiuſcule. Quare ſi ob hoc,vt ais, rapuiſti me, tempus tibi eſt vt me denuò in terram deponas, vel moleſtia afficieris nihil dormiendo. Turbabo enim te continuè, huc atque illuc me reuoluens. IVP. Atqui hoc ipſum ſuauiſſimum mihi feceris,ſi tecum vigilare cogas. Oſculabor enim intereà te eò ſæpiùs & amplectar. GAN. Ipſe videris, ego verò dormiam te deoſculante. IVP. Videbimus tunc quid agendum. Nunc verò abduc ipſum Mercuri,& poſteaquàm de immortalitate biberit, duc vt miniſtret nobis,docens priùs quemadmodum oporteat porrigere cyphum.

IVNONIS ET Iouis,
Iacobo Micyllo Interprete.
IVNO.

EX quo adoleſcentulum hunc Iupiter, Phrygium iſtum dico,ab Ida raptum huc adduxiſti, minùs aduertis mihi animum. IVP. Etiam ob hunc, Iuno, zelotypa iam es,ſimplicem adeò, & minimè moleſtum? Ego verò putabam mulieribus ſolis difficilem te eſſe quæcunq; conuerſantur mecum. IVN. Neque illa quidem rectè facis, nec conuenientia tibi ipſi, qui omnium deorum dominus exiſtens, relinquens me legitimam vxorem in terram deſcendis,ibíque adulteria exerces in aurum vel taurum conuerſus. Verũtamen illæ mulieres tibi in terra manent: ideo autem hoc puero rapto, etiam in cælum ſubuolaſti, Deorum generoſiſsime:& nunc ille nobiſcum habitat,ante oculos mihi adductus quaſi æmulus, ſcilicet vt pocillaretur tibi,ſic enim aiunt. Itáne verò carebas pocillatoribus?aut defeſſi adeò ſunt & Hebe & Vulcanus miniſtrando? Tu verò etiam calicem non aliter ab eo accipis,quàm ſimul & oſculatus fueris ipſum antea, omnibus aſpicientibus:& deoſculatio iſta ſuauior tibi eſt ipſo Nectare. Atque ob id ſæpenumero neque ſitiens petis bibere. Interdum autem etiam vbi deguſtaſti ſolùm, porrigere ipſi ſoles:deinde bibente ipſo arripis calicem,& quantum in illo reliquum reſtat,omne ebibis, ea etiam parte,vnde ipſe bibit & vbi applicuit labia, vt & bibas ſimul & oſculeris. Nuper verò rex ille atque omnium pater, depoſitis ægide ac fulmine, ſediſti talis ludendo cum illo, barbam ipſe tantam, & tam promiſſam habens. Omnia igitur video hæc:quare ne te putes latêre. IVPITER. At quid adeò graue hoc, ô Iuno, adoleſcentem adeò pulchrũ inter bibendum deoſculari, oblectaríque vtroque illo, & oſculo videlicet, & nectare? Quid ſi igitur vel ſemel committam ipſi quò & te oſculetur? non amplius accuſabis me quòd oſculum illius præſtantius nectare puto. IVNO. Pædieonum verba hæc ſunt. Ego verò non ita inſaniuero, vt labia mea applicem molliculo iſti Phrygi, adeóque effœminato. IVPITER. Non cõuicieris,generoſiſsima tu,amores meos. Nam mulieroſus, & barbarus,& molliculus iſte, ſuauior,& deſiderabilior, nolo autem dicere amplius, ne te magis irritem. IVNO. Vtinam verò & in vxorem illum duxiſſes mei gratia. Memineris igitur qualibus mihi propter egregium iſtum pocillatorem temulenter inſultas. IVPITER. Imò verò Vulcanum iſtum filium tuum oportebat nobis pocillari, claudicantem videlicet, & à fornace venientem, plenum adhuc fauillis, depoſito paulò antè forcipe, & ab illis ipſis digitis accipere nos calicem, attractúmque ipſum interea oſculari, quem neque mater tu libenter oſculata fueris: præ fuligine, quaſi tota illius exuſta facie. Nimirum ſuauia hæc,adeóque multum etiam pocillator iſte cohoneſtat deorum conuiuium, nonne? Ganymedes autem hic iterum in Idam hinc ablegandus eſt? quippe purus ac candidus eſt,& digitos habet roſeos: etiam ſcitè porrigit poculum: & quod te omnium mordet maximè,oſculatur dulcius ipſo nectare. IVNO. Nunc tibi & claudus, ô Iupiter, Vulcanus eſt, & refertus fuligine, atque nauſea afficeris cùm aſpicis ipſum, ex quo formoſum & capillatum iſtum Ida enutriit. Olim autem non videbas iſta, neque tum fauillæ: neque fornax ipſa abſterrebat te quò minus biberes illo porrigente. IVPIT. Aegritudine Iuno te ipſam afficis, nihil aliud, & mihi amorem eo magis incendis,quia zelotypa es. Quòd ſi verò grauaris à puero formoſo accipere poculum, tibi quidem filius miniſtret potum. Tu verò Ganymedes mihi ſoli imple calicem, & cum quolibet bis oſculare me, & cùm plenum porrigis,& cùm rurſum à me illum accipis. Quid ita lacrymaris? Ne metue. Malum enim feret ſi quis tibi moleſtus eſſe voluerit.

IVNONIS ET Iouis,
Iacobo micyllo interprete.
IVNO.

IXIONEM hunc vides Iupiter? quibúſnam moribus affectũ putas? IVP. Hominem eſſe vtilem Iuno, & combibonem: non enim couerſaretur nobiſcum,ſi indignus conuiuio foret. IVNO. At indignus eſt,contumelioſus certè exiſtens: quapropter non amplius conuerſetur nobiſcum. IVP. Quid autem contumeliæ intulit? oportet enim (vt puto)& me ſcire. IVNO. Quid verò aliud? Et enim erubeſco dicere ipſum. tale eſt quod ſibi ſumpſit. IVP. At qui ob hoc tãto etiã magis dicere debebas,inquãtum ille turpia quoque conatus eſt. Num igitur ſolicitauit aliquam ad ſtuprum? intelligo enim cuiuſmodi turpe ſit, quod

Ixion.

quod reformidaueris dicere. IVN. Ipſam me, non aliam quampiam Iupiter, longo iam tempore, Ac primùm quidem ignorabam, quid rei eſſet cur attentè adeò in me aſpiceret: ille autẽ etiam ingemiſcebat, & ſublacrymabatur: & ſiquando bibens tradidiſſem Ganymedi poculũ, hic petebat ex eo iam ipſo bibere, & capiẽs oſcu labatur interea, & ad oculos admouebat, & rurſus proſpectum in me intendebat. Hæc intellige bam amatoria eſſe: & multo quidem tempore ve recundabar dicere ad te, putabámque ceſſaturũ à furore hominem. Poſtquam verò & ſermones auſus eſt mihi adhibere, ego dimittens illum adhuc lacrymantem, & ad genua prouolutum, obturatis auribus, vt ne cõtumelias ſupplicantis illius audirem, abii, vt tibi dicerẽ. Tu verò ipſe vide quomodo explores virum. IVPI. Euge, ſceleratus ille, in meipſum, & vſque ad Iunonis nuptias etiam? adeóne inebriatus eſt nectare? Cæterùm nos autores horum ſumus, & vltra modum amatores hominum, qui quidem & cõuiuatores noſtros ipſos fecimus. Digni igitur venia ſunt, ſi bibentes ſimilia atque eadem nobiſcum, deinde & aſpiciẽtes cæleſtes iſtas formas, & quales nunquam viderunt in terra, eonecupierunt frui illis, amore capti videlicet. Eſt autẽ amor violentum quiddam, & non hominibus ſolùm imperat, ſed & nobis ipſis interdũ. IVN. Tuus quidem & valde hic dominus eſt, & ducit te, & fert naſo (vt aiunt) trahẽs, & ſequeris ipſum quocũq; duxerit te, & immutaris facilè in quod cunque iuſſerit, & prorſus poſſeſsio & ludus amoris es tu. Et nunc Ixioni ſcio, quòd veniam tribuis, vt qui & ipſe adulterio cognoueris aliquando illius vxorem, quæ tibi Pirithoum peperit. IVPIT. Adhuc enim tu meminiſti illorum, ſi quid ego luſi in terram deſcendens. Sed noſti quid mihi videatur de Ixione? mulctandũ quidem ipſum nequaquam, neque à conuiuio extrudendum eſſe. ruſticum enim foret. Sed quia amat, &, vt ais, lacrymatur, & intolerabilia patitur. IVN. Quídnam ô Iupiter? metuo enim ne & tu contumelioſum aliquid dicas. IVP. Nequaquam: ſed ſimulachrum ex nube fingentes tibi ſimile, poſtquam ſolutum fuerit conuiuium, & ille vigilat (vt par eſt) præ amore ad concubitum adhibeamus ipſi afferentes. ſic enim ab angendo animo fortaſsis deſiſtet, putans ſe conſecutum eſſe deſiderium. IVN. Apage, vt nunquã quicquam tempeſtiuum illi contingat, quando ea ſtaque ſupra ipſum ſunt, concupiſcit. IVPI. Attamen patere ô Iuno. Quid enim adeò graue tibi accidet ex hoc figmento, ſi cum nube Ixion congredietur? IVN. Sed nubes ego eſſe apparebo, & turpitudinem iſtam in me committet propter ſimilitudinem. IVP. Nihil iſtud dicis. neq; enim nubes hæc vnquam Iuno erit, neque tu nubes: Ixion autem ſolùm decipietur. IVN. Sed (vt omnes homines arrogantes ſunt) gloriabitur deſcendens forſitan, & narrabit omnibus, dicens coiſſe cum Iunone, & Iouis riualem eſſe. forſitan etiam dixerit me ipſum amare: illi verò credetur, quando non viderunt quomodo cum nube coierit. IVP. Igitur ſi quid tale dixerit, in infernum præcipitabitur, ac rotæ miſer alligatus, cum ipſa perpetuò circunuoluetur, & laborem nunquam ceſſaturum ſuſtinebit, pœnas videlicet has pro amore dependens. IVN. Non enim graue hoc quidem, ob iactantiam.

Amor.

APOLLINIS ET VVLCANI, Eodem interprete.

VVLCANVS.

VIDISTIN' Apollo Maiæ infantulum illum, nuper genitum, vt formoſus eſt, & arridet omnibus, & iam quoque tale quiddam præ ſe fert, quaſi in magnum aliquod bonum euaſurus ſit? APOL. Illúmne ego infantem dicam, ô Vulcane, aut in magnum aliquod bonum euaſurum, qui ipſo Iapeto antiquior eſt, quantũ ad fraudulentiam attinet? VVL. Et quem adeò iniuria afficere potuerit, iam primum in lucem editus? APOL. Interroga Neptunum, cuius tridentem ſuffuratus eſt: aut Martem. nam & huius ſubtraxit eràm è vagina gladium, vt interim de me ipſo non dicam, quem & arcu ſpoliauit, & ſagittis. VVLC. Hæccine infantulus & modò natus ille, qui vixdum mouebatur in cunis inter inuolucra? APO. Scies Vulcane, ſi modò ad te aliquando venerit. VVLC. Atqui venit iampridem. APOL. Quid igitur? habés ne omne fabrile inſtrumentum? necdum quicquam illius tibi amiſſum eſt? VVL. Omne, Apollo. APO. Attamen inſpice diligenter. VVLCA. Per Iouem, forcipem nõ video. APO. Sed videbis illum alicubi inter inuolucra in cunis infantis. VVLCA. Adeó ne aduncas manus habet, perinde ac ſi in ipſo ventre iam tum meditatus eſſet furandi rationem? APOL. An non audiſti ipſum loquentem quoque iam arguta ac volubilia quædam? Atque hic etiam miniſtrare nobis vult. Heri autem vocato ad ſe Cupidine, ſtatim illum palæſtra ſuperauit, neſcio quo pacto pedes illi ſubtrahens. Déinde cùm à cæteris laudaretur, interea Veneri ſurripuit cingulum, eùm illa amplexata ipſum fuiſſet ob victoriam. Ioue autem ridente, ſceptrum illius ſuſtulit, & niſi grauius fuiſſet, & plus ignis habuiſſet, ipſum quoque fulmen ſubtraxiſſet. VVLCANVS. Celerem atque agilem quendam puerum mihi narras. APOL. Quin imò & muſicum prætereà. VVLCA. Vndénam huius rei coniecturam facis? APOLLO. Teſtudine mortua alicubi inuenta, inſtrumentum ex ea compactũ dedit. Brachiis enim adaptatis, & iugo ſuperinducto, deinde calamis (chordarum anſulis videlicet) infixis fundóque infrà, & quaſi quodam dorſo ſubiecto, atque inde ſeptem chordis ſuſpenſis, & intentis, iucundum adeò quiddam modulatur, & concinnum, vt ego quoque illi iam inuideam, qui iam olim perſonando citharam me exercco. Cæterùm ipſa Maia illud quoque dicebat, quòd neque in cælo noctu maneret, ſed præ nimio agendi ſtudio ad inferos vſque deſcenderet, furaturus ſcilicet etiam inde aliquid.

De furacitate Mercurii.

Alat

Alatus autem quoque eſt, ac virgam quandam ap parauit, mirificam poteſtatem ac vim habẽtem, qua animas euocat, & educit mortuos, Vvlc. Ego illam dedi ipſi, vt eſſet quaſi ludicrum. Apol. Proinde & mercedem iſtam tibi retulit, forcipem videlicet. Vvl. Rectè ſanè admonuiſti: quare ibo vt illum recipiam, ſicubi, vt ais. inter inuolucra in cunis inueniri poterit.

VVLCANI ET IOVIS,

Iacob. Miſcyl. interprete.

Vvlcanvs.

De eo quòd Palas è cerebro Iouis nata eſt.

QVID me oportet facere, Iupiter? venio enim, ita vt iuſiſti, ſecurim habens acutiſsimã etiam ſi lapides opus ſit vno ictu diſſecare. Ivp. Rectè ſanè Vulcane. Sed iam impacta illa diuide mihi caput in duas partes. Vvl. Tentas me num inſaniam? Impera igitur verè quod vis tibi fieri. Ivp. Diuidi mihi caluariam volo. ſi verò non obedieris mihi, me experieris non nũc primùm iraſcentem. Veruntamen ferire oportet audacter, & præſenti animo, neque cunctari: Pereo enim præ doloribus, qui mihi cerebrum inuertunt. Vvl. Vide Iupiter ne quid mali faciamus. Acuta enim ſecuris eſt, & non abſque ſanguine, neque etiam ad Lucinæ morem tibi obſtetricabitur. Ivp. Incute modò Vulcane auda cter. Ego enim noui quid ſit conducibile. Vvl. Inuitus quidem, ſed tamen feriam. Quid enim agat aliquis te iubente? Sed quid hoc? puella armata hæc eſt. Magnum, ô Iupiter, malum habuiſti in capite. meritò igitur iracundus fuiſti, tantam intra cerebri panniculum virginem viuam nutriens, ſdque armatam: nimirum caſtra, non caput habuiſti, non aduertens, Hæc verò etiam ſaltat, & cum armis tripudiat, clypeum concutit, ac haſtam vibrat, & quaſi quodam furore concitatur, & quod maximum eſt, formoſa admodum, ac maturis nubilis annis breui adeò iam facta eſt, cæruleos quidem oculos habens. Sed tamen & huic gratiam addit galea. Quare ô Iupiter, obſtetricandi præmium hoc mihi refer: deſponde mihi illam. Ivp. Impoſsibilia petis Vulcane: perpetuò enim virgo manere vult. Ego certè, quantum in me eſt, nihil repugno. Vvlc. Hoc volebam: reliquum quod eſt, ipſe curabo. ac iam ſimul rapiam hinc ipſam. Ivp. Si tibi facilè adeo hoc, facias licet: veruntamẽ illud ſcio quòd amas ea, quæ tibi contingere nequeunt.

NEPTVNI ET MERCVRII, Eodem interprete.

Neptvnvs.

De eo quòd Bacchus ex femore Iouis natus eſt.

IAcétne ô Mercuri, conuenire Iouem nunc? Mer. Nequaquam Neptune. Nep. Attamen intrò renuncia de me ipſi. Merc. Ne moleſtus ſis, inquam. Importunum enim hoc, quare non poteris ipſum videre in præſentia. Nep. Num igitur cum Iunone coeumbit? Merc. Non, ſed diuerſum quiddam eſt. Nep. Intelligo, Ganimedes intus eſt. Mer. Neque hoc, ſed ipſe infirmus aliquantulum eſt. Nep. Vnde hoc Mercuri? Neſcio enim quid graue narras. Mercv. Pudet dicere tale quidpiam eſt. Nep. At nihil eo tibi opus eſt apud me, patruus vtique cùm tibi ſim. Mer. Peperit paulò antè, Neptune. Neptv. Apage. An peperit ille? Ex quo? Itaque latuit ille nos Hermaphroditus exiſtens? At neque vterus eius tumorem aliquem præ ſe tulit. Mercv. Rectè dicis, neque etiam ille partum intra ſe habebat. Nep. Noui, rurſum ex capite peperit ſcilicet, quemadmodum & Mineruam. habet enim ille caput quoddam puerperum. Merc. Neque illud, ſed in femore geſtauit partum illum, videlicet ex Semele receptum. Nep. Euge generoſus, vt ille totus nobis, & ex omni parte corporis imprægnando idoneus atque fœcundus eſt. Sed quæ nam Semele iſta eſt? Mercv. Thebana mulier, ex filiabus Cadmi vna. Huic congreſſus prægnantem eam reliquit. Neptv. Deinde verò ipſe pro illa peperit. Merc. Atq; admodum, etiam ſi tibi alienum ac mirum videatur. Nam Semelen dolis aggreſſa Iuno, (noſti autem vt ſit zelotypa hæc) perſuadet illi vt petat à Ioue quo cum fulmine ac fulgure ad ſeueniat. Quæ cùm verbis huius inducta credidiſſet, veniſſétque Iupiter fulmen ſecum portans, conflagrauit tectum, ipſaque Semele ex igne periit. Me autem iubet Iupiter, vt inciſa illius aluo, partum ad ſe afferam, imperfectum illum quidem adhuc & intra ſeptimum menſem conceptum. Quod vbi feciſſem, ille diſſecto femore ſuo, intrò illũ recipit, vt ibi perficeretur. Atque ita iam tertio poſtquam factum illud eſt, menſe, denuo illum peperit, & nunc ex doloribus aliquantulum languidus eſt. Nep. Vbi igitur infans ille iam eſt? Merc. In Nyſam hinc ablatum, tradidi illum Nymphis enutriẽdum, Dionyſium cognominatum. Nep. Ergo vtrunque, Dionyſii huius & pater & mater ille eſt. Merc. Ita videtur. Abeo igitur, vt illi aquam ad vulnus afferam, ac cætera ea quæ ex more atque conſueto fieri ſolent, quaſi puerperæ procurem.

MERCVRII ET SOLIS,

Iac. Micyl. interprete.

Mercvrii.

De concubitu Iouis cũ Alcmena, & nocte prolõgata.

AVdi ô Sol, ne hodie currum agas, inquit Iupiter, neque in craſtinum, neque etiam in diem perendinum: ſed intus mane: fiátque interea perpetua vna nox longa. Quare equos quidem iterum ſoluant Horę, tu verò reſtingue ignem, & nunc tandem poſt longum interuallũ temporis teipſum recrea. Sol. Noua hæc atq; omnino aliena denuntians venis. Sed nunquid trãſgredi ſiue peccare viſus ſum inter agendum, & extra fines curſum habuiſſe, atque id nunc iraſcitur ille mihi, noctémque triplo maiorem die facere ſtatuit? Mer. Nihil tale: neque hoc etiã perpetuò fiet: ſed ipſe nunc opus habet noctem ſibi fieri cõſueto longiorem. Sol. Vbi autem etiam ille eſt?

aut

aut vnde ipſe emiſſus es vt hæc nuntiares mihi? MER. Ex Bœotia, ab vxore Amphitryonis, cũ qua concumbit. SOL. Amator illius? atque ita illi ſatis non eſt nox vna? MER. Nequaquam. Naſci enim quendam oportet ex hoc concubitu magnum, atque multorum certaminum victorem deum: hoc igitur vna nocte abſolui ac perfici impoſsibile eſt. SOL. Sed abſoluat, atque ad exitum perducat ille, quod fauſtum felíxque ſit. Veruntamen hæc, Mercuri, temporibus Saturni non fiebant, (ſoli enim hîc nos ſumus) neque ille tum ab vxore Rhea diuertebat, aut ſeorſim cubabat: neque etiam relicto cælo Thebis dormiebat, ſed dies quidem tum dies erat, nox autẽ ad ſuum certum ſpacium ſecundum proportionem horarum agebatur: peregrinum verò aut immutatum nihil. Neque ille tum vnquam cum muliere mortali quicquam rei habuit. At nunc infelicis mulierculæ cauſſa oportet omnia ſurſum & deorſum verti, ac equos quidem præfractiores & difficiliores fieri ob ocium & deſidiã, viam autem aſperiorẽ: eò quòd toto triduo non vſurpabitur: homines prætereà miſerè in tenebricoſo viuere. Hoc boni ex amoribus Iouis conſequentur illi ſcilicet, ſedebúntque expectantes, donec ille athletam iſtum quem dicis, abſoluerit ſub longis tenebris. MERC. Tace ô Sol, ne quid mali pro his dictis tuis nanciſcare. Ego verò ad Lunam hinc abiens, & ad Somnum, renuntiabo etiam illis quæ Iupiter mandauit: illi quidem, vt ne procedat citius: huic autem, vt ne remittat à ſe homines, quò ignorent longã adeò noctem hanc fuiſſe.

VENERIS ET LVNAE,

Iac. Micyl. interprete

VENVS.

QVID hęc ô Luna facere te aiũt quoties ad Cariam peruenis, vt currum ſiſtas: ac deſuper aſpectes Endymionẽ dormientem ſub dio tanquam venatorem aliquem: interdum autem etiam deſcendas ad ipſum ex media via? LVN. Interroga ô Venus filium tuum, qui mihi harum rerum autor eſt. VEN. Sine: contumelioſus ille eſt. Me quippe matrem ipſius quibus modis affecit! nũc quidem in Idam adigens Anchiſæ cauſa Troiani: nunc autem in Libanum ad Aſsirium illum adoleſcentem: quem & Proſerpinæ deſiderabilem fecit, & me ex dimidia parte amoribus meis priuauit. Quare iam ſæpe illi interminata ſum: ni deſinat talia facere: fracturam eſſe me ipſius & arcus, & pharetram, amputaturam autem etiã alas. Iampridem verò & plagas ipſi in nates incuſsi ſandalio: ſed ille, neſcio quo pacto, tũ quidem ſtatim metuens, ac ſupplicans, paulò pòſt omnium obliuiſcitur. Verùm dic mihi, formoſus ne Endymion iſte eſt? Nam hoc quidem ſolatio fuerit malo huic. LVN. Mihi quidem etiã admodum formoſus ô VENVS videtur, & maximè ſi quando ipſa inſtrata ſuper rupem chlamyde dormit, læua tenens ſagittas paulatim è manu prolabentes. Dextra autem circa caput ſurſum verſus reflexa, decorem affert faciei, cui circunfunditur. Ipſe verò ſolutus ſomno, anhelat ambroſium illum halitum. Tunc igitur tacitè equidem & ſine vllo ſtrepitu deſcendens, ac ſummis digitis inſiſtens, vt ne expergefactus ille perturbari poſsit. Scis igitur quid tibi poſt hæc dictura fuerim, ſed pereo equidem amore.

VENERIS ET CVPIDINIS,

Eraſmo Roterod. interprete.

VENVS.

CVPIDO gnate, vide, quæ facis flagitia. Non iam de his loquor, quæ te impulſore mortales in terra, vel in ſe quiſque, vel inuicẽ alii in alios faciunt, verùm de his ago: quæ apud ſuperos quoque deſignas, qui quidem Iouem ipſum eogis varias aſſumere formas, in quodcunque tibi pro tempore viſum fuerit, eum vertens. Tum Lunam è cœlo deuocas. Quin & Solem aliquoties compellis lentum apud Clymenem ceſſare, aurigandi muneris oblitum: nam quicquid iniuriæ in me matrem etiam committis, audaciter, ac tanquam tutò facis. Verùm tu quidem ô deorum omnium confidentiſsime, Rheam inſuper ipſam iam anum, præterea deorum tam multorum parentem, eò perpuliſti, vt puſionem adamet, atque in Phrygium illum adoleſcentulum depereat: ac tua iam opera inſanit, iunctiſque leonibus, adhibitis itẽ Corybantibus, (quippe qui & ipſi furore quodã ſunt afflati) per Idã montem ſurſum ac deorſum oberrat, ipſa quidẽ Attis amore eiulans: cæterùm Corybantum alius ſuum ipſe penem enſe deſecat, alius demiſſa coma per montes fertur inſanus, alius cornu canit, alius tympano tonat, alius cymbalo perſtrepit. breuiter, omnis vndequaque Ida tumultus atque inſaniæ plena eſt. Proinde cuncta timeo: metuo ne tale quid accidat, quandoquidem te produxi, vt ſi quando reſipiſcat Rhea, vel potius ſi pergat inſanire, Corybantibus imperet, vt te correptum diſcerpant, aut leonibus obiiciant. Hic me ſolicitat metus, quòd videam tibi periculum imminere. CVPIDO. Ocioſo animo eſto mater: ſi quidem leonibus etiam ipſis iam familiaris ſum factus, ita vt ſæpenumero conſcenſis eorum tergis, prehenſáque iuba, equitis ritu inſidens illos agitẽ. At verò illi interim mihi caudis abblandiuntur, ac manum ori inſertam receptant: lambúntque, deinde mihi reddunt innocuam. Porrò Rheæ ipſi quando tandem vacauerit, vt me vlciſcatur, quum in Atte ſit tota? Poſtremò quid ego pecco, quum res pulchras vt ſunt offero, ac demonſtro? Vos ne appetite res pulchras, quare his de rebus ne in me crimen conferte. Num vis ipſa tu mater vti neque tu poſthac Martem ames, neque ille te? VENVS Vt es peruicax, & nulla in re non ſuperas? Attamen horum quæ dixi, aliquando memineris.

IOVIS

IOVIS, AESCVLAPII, & Herculis,

Iacobo Micyllo Interprete.

IVPITER.

Aeſculapius & Hercules de ſeſſione contendunt.

DESINITE ô Aeſculapi & tu Hercules contendere inter vos iurgiis périnde vt homines. Indecora enim hæc, & à conuiuio deorum aliena. HERC. At vis, ô Iupiter, medicamentariũ iſtum priore loco accumbere, quàm me? AES. Quid ni, per Iouem? melior quoque enim ſum. HER. In quo igitur ô attonite? an quòd te Iupiter fulmine aliſquando percuſsit, eò quòd quæ nefas erat feceras: nunc autem ex miſericordia iterum immortalitatis particeps factus es? AES. Oblitus verò etiã tu es Hercules, quòd in Oeta conflagraſti, quandoquidẽ mihi ignẽ obiicis? HER. Nequaquam æqualia atq; ſimilia ſunt quæ vterque in vita egimus, vt qui ipſe quidem Iouis filius ſim, tantos autem labores ſuſtinuerim, expurgata vita, deuictis beſtiis, & hominibus cõtumelioſis vindicta ac pœna affectis. Tu verò radicũ inciſor es, & circulator, ægrotantibus fortaſsis hominibus vtilis medicamenta adhibendo: virile autem nihil quicquam opere præſtitiſti. AES. Rectè dici, quoniam & inuſtiones tuas curaui, quando paulò antè aſcendiſti ad nos ſemiuſtulatus, corpore vtrinque corrupto ac perdito, & à tunica iſta, & poſt illam etiam à flamma. Ego verò quid? ſi nihil aliud, tamen neq; ſeruiui quemadmodum tu, neque lanificium exercui in Lydia indutus purpura, & ab Omphale verberatus ſandalio aureo: neque verò etiam inſaniens occidi liberos & vxorẽ. HER. Niſi deſinas conuiciari, ſtatim admodum ſenties quòd non multum tibi profutura ſit immortalitas: quoniã ſublatum hinc è cælo præcipitem dabo te, vt ne ipſe quidem Pæon curauerit te, diminuto atque effracto tibi cerebro. IVP. Deſinite inquam, & ne perturbate nobis conuerſationem hanc: aut ambos hinc ablegabo vos è conuiuio. Quanquam etiam æquum eſt ô Hercules, priore loco accumbere Aeſculapium, quippe qui & prior mortuus eſt.

MERCVRII ET Apollinis,

Eodem Interprete.

MERCVRIVS.

QVID verò triſtis es Apollo? APOL. Quoniam, ô Mercuri, miſer atq; infelix circa amores ſum. MERC. Dignum quidẽ mœrore hoc: ſed tu quo pacto miſer atque infelix es? An adhuc dolore afficit te id quod cum Daphne accidit? APOLL. Nequaquam, ſed amaſium doleo Laconem illum Oebali filium. MER. An mortuus eſt Hyacinthus? dic mihi. APOL. Atque admodum. MER. Vnde Apollo? aut quis ita ab omni amore alienus fuit, vt occiderit formoſum illum puerum? APOLL. Meum ipſius factum hoc eſt. MERC. Quid igitur? inſaniuiſtin' Apollo? APOL. Non, ſed infortunium quoddam inuito mihi accidit. MERC. Quomodo? cupio enim audire rationẽ hanc. APOL. Diſco ludere diſcebat, atque ego vnà cum illo ludebam. Cæterùm ventorum omnium peſsimè perditus Zephyrus amabat quidem longo iam tempore etiam ipſe illũ. Verùm neglecto eo, & contemptum iſtum non ferente, ego quidem, quemadmodum conſueueramus, diſcum in altum ſurſum verſus iaculabar, ille autem déorſum à Taygeto ſpirans, ablatum hunc in caput puero inflixit, ita vt ex ea plaga & cruor manaret affatim, & ipſe puer ſtatim moreretur. Verùm ego è veſtigio Zephyrum vleiſcebar, tortis in eum ſagittis, fugientémque ad montem vſque perſequendo. Puero autem & tumulum extruxi in Amyclis, quo loco diſcus eum proſtrauit: & florem ex cruore illius terram induere feci, ſuauiſsimum illum quidem Mercuri, atque omnium fragrantiſsimũ, præterea & literas quaſdam habentem, quæ mortuum ipſum quaſi deplorant. Num tibi igitur præter rationem mœſtus fuiſſe videor? MER. Sanè verò, Apollo. Noras enim mortalem te comparaſſe amaſium tibi: quare dolere non debes mortuo iam illo.

Hyacinthus cum Apolline diſco ludẽs interficitur.

MERCVRII ET Apollinis,

Eodem Interprete.

MERCVRIVS.

TAN' autem Vulcanũ, cùm & claudus ipſe ſit, & artem adeò fabrilem & contemptã exerceat, Apollo, pulcherrimas duas vxores duxiſſe, Venerem, atque Gratiam? APOL. Felicitas quædam hæc, Mercuri. Veruntamen illud equidẽ miror, quòd cum illo rem habere ſuſtinent, & maximè quando vident ſudore fluentem, in fornacem demittere atque incuruare ſeſe, multa adeò fuligine facie illius oppleta. Et tamen talis ipſe cùm ſit, amplectuntur ipſum, & oſculantur, & vnà dormiũt. MERC. Hoc & ipſe indignor, & Vulcano inuideo. At tu comam nutri Apollo, ac citharã perſona, animum ob pulchritudinem elatum atque ſuperbum præ te ferens: ego autem etiam ob habitudinem corporis, & lyram: cæterùm vbi cubitum eundum fuerit, ſoli dormiemus. APOLL. Ego verò aliàs quoque habeo Venerem minùs propitiam ad res amatorias: quippe etiam quos duos maximè præter cæteros amaui, Daphnem & Hyacinthum, illa quidem aufugit, atque odit me, adeò vt in lignum conuerti maluerit, quàm mecum rem habere: hic autem à diſco interfectus eſt, & nunc pro illis coronas habeo. MER. At ego iam aliſquando Venerem, ſed non oportet gloriari. APOL. Noui, atque etiam Hermaphroditum iſtum ex te aiunt peperiſſe ipſam. Veruntamen illud mihi dic, ſi noſti: quomodo non æmulatur Venus Gratiam, aut contrà illa Venerem? MER. Quoniam, Apollo, illa in Lemno cum ipſo conſuetudinem habet, Venus autem in cælo: præſertim autem hæc cũ Marte ple-

Deeoquòd Vulcanus duas vxores formoſiſsimas haberet, Venerem, & Gratiam.

runque verſatur, atque illum amat: quapropter non ita multùm fabrum iſtum curat. APOL. Atque hæc putas ipſum Vulcanum ſcire? MERC. Scit, ſed quid agat cùm generoſum adeò adoleſcentem, & prætereà militarem ipſum eſſe videat? Quare ſilentium agit, niſi quòd minatur quidem vincula quædam excogitaſſe contra illos ſeſe, iiſque ipſos comprehenſurum eſſe, circundato veluti retibus quibuſdam lecto. APOLL. Neſcio ſanè: optarim verò ipſe, ille qui ſic comprehenderetur, eſſe.

IVNONIS ET Latonæ, Iacobo Micyllo Interprete.

IVNO.

PVlchros enimuero Latona & liberos proereaſti Ioui. LAT. Non enim omnes, ô Iuno, tales parere poſſumus, qualis Vulcanus eſt. IV. At hic claudus quidem, vtilis certè tamen eſt, artifex optimus exiſtens, ac cælum nobis exornauit quoque, Venerémq; vxorem duxit, à qua & ſtudioſè obſeruatur. Contrà autem tuorum liberorum altera quidem virilis vltra modum, & montiuaga eſt, & poſtremò in Scythiam quoque profecta, omnes ſciunt qualia comedat, hoſpites mactãdo, ac Scythas ipſos imitando, qui humana carne veſcuntur. Apollo autem ſimulat quidem omnia ſcire ſeſe, & iaculari, & cithara canere, & medicũ eſſe, & vaticinari: & erectis vaticinandi tabernis hìc in Delphis, illic in Claro & Didymis, decipit conſulentes ſe, obliqua, & in vtranque partẽ quæſtionis propoſitæ inclinantia reſpondendo, ne videlicet erroris poſsit damnari, atque ita ex hoc quæſtum facit, & diteſcit. Multi enim amentes ſunt, ſéque ipſos exhibent præſtigiis deludendos. Verùm non ignoratur vtique à prudentioribus, quòd pleraque falſa ac ficta dictitet: quippe ille ipſe vates ignorabat quòd interfecturus amaſium ſuum eſſet diſco: neque prædixerat ipſe ſibi quòd fugitura ipſum eſſet Daphne, idque adeò formoſum atque comatum. Quare non video qua cauſa pulchriores libetos te quàm Nioben illam procreaſſe putaris. LAT. At verò liberi hi, hoſpitum mactatrix iſta videlicet, & mendax vaticinator ille, ſcio quo pacto mordeant te dum conſpiciuntur inter deos, & maximè quando hæc quidem ob pulchritudinem laudatur, ille autem citharam perſonat in conuiuio, omnibus ipſum admiratione proſequentibus. IVNO. Nequeo riſum continere, Latona. Illúmne admirantur? quem Marſyas, ſi iuſtè modò iudicare Muſæ voluiſſent, exeoriaſſet meritò, vt qui ipſe in Muſica vicerat: nunc autem circunuentus miſer ille periit, iniuſtè ſanè damnatus. Hæc autem formoſa tua virgo, ita formoſa nimirũ eſt, vt poſteaquàm animaduertit ſeſe cõſpectam ab Actæone fuiſſe, verita ne adoleſcens ille turpitudinem ipſius euulgaret, immiſerit illi canes: vt interim non dicam quòd neque parturientibus obſtetricatura fuiſſet, ſi virgo vtique & ipſa ſoror. LAT. Valde animo elato es Iuno, eò quòd cum Ioue concumbis, & vnà cum eo regnas: & propterea abſque metu contumelioſa es. Veruntamen videbo te non ita multò pòſt rurſum lacrymantẽ, quando te relicta in terram deſcenderit ille, in taurum aut cygnum conuerſus.

APOLLINIS ET Mercurii, Eodem Interprete.

APOLLO.

QVid rides Mercurî? MERC. Quoniã maximè ridicula, Apollo, vidi. APO. Dic igitur, vt & ipſe auditis illis tecũ ridere poſsim. MERC. Venus cum Marte concumbens deprehenſa eſt, ac Vulcanus comprehenſos illos vinculis cõſtrinxit. APOL. Quomodo? Suaue enim quiddam dicere videris. MERC. Longo iam tempore, opinor, cognitis his quæ agebantur, expiſcatus eſt illos, & lecto occultis quibuſdam vinculis circundato, abiens ad fornacem opus faciebat. Poſt hæc Mars ingreditur ſecretò, vt quidem ipſe putabat. Videt autem ipſum ex alto Sol, & rem ad Vulcanũ defert. Vbi igitur lectum conſcendiſſent, & in opere eſſent, & iam intra retia tenerẽtur, circumuoluuntur ipſis quidem vincula, aſtat autẽ Vulcanus. Illa igitur (nam & fortè tum nuda erat) pudore affecta, non habebat quo ſe tegeret. Mars verò ab initio fugere tentabat, ſperabátq; ſe vincula illa diſrupturum eſſe: cæterùm poſteaquàm intellexit ſe vndique captum teneri, neq; effugere quôquã poſſe, ſupplicare cœpit. APOL. Quid igitur? ſoluítne ipſos Vulcanus? MERC. Nondum, ſed conuocatis diis ſpectandum ipſis exhibuit adulterium. Illi autem nudi ambo, & colligati mutuò, inclinatis déorſum capitibus erubeſcebant. Atq; adeò ſpectaculum hoc dulciſsimũ mihi viſum eſt, cùm tantùm non ipſum opus exhiberent. APOL. At faber ille an non pudore afficitur etiam ipſe cùm ſpectandã ita exhibet coniugii ſui turpitudinem? MER. Non per Iouem, quippe qui etiam arrideat ipſis aſtans. Ego verò, ſi opus eſt verum dicere, inuidebam Marti, non ſolùm quòd cum formoſiſsima dea adulterium exercuiſſet, ſed etiam quòd colligatus cum ipſa vnà eſſet. APOL. Próinde & tu ligari hoc pacto ſuſtineres? MERC. Tu verò non, Apollo? Aſpice modò & accedens (collaudabo enim te) ſi non eadem ipſe quoque optabis vbi videris.

Deprehenſi Mars cum Venere, à Vulcano vinculis colligantur.

IVNONIS ET Iouis, Iacobo Micyllo Interprete.

IVNO.

EQuidem erubeſcerẽ ô Iupiter, ſi mihi talis eſſet filius, effœminatus adeò, & perditus ebrietate, mitra quidẽ religata coma incedens, vt plurimùm autem cum inſanis mulieribus conſuetudinem habens, mollior ipſis illis, ad tympana & tibias & cymb

Calumniatur Iuno Bacchum vini inuentorem.

cymbala choreas agens, & in ſumma cuiuis magis quàm patri tibi ſimilis. IVP. At verò hic mitratus,& mulieroſus,non ſolùm,ô Iuno, Lydiam ſubiugauit,& eos qui ad Tmolum habitãt cepit,prætereà & Thraces ſub ſe redegit, verùm etiam contra Indos profectus cum muliebri iſto exercitu,& elephantos cepit,& terra potitus eſt, ipſumque regem, qui aliquantulum reſiſtere auſus fuerat,captiuum abduxit. Atque hæc omnia fecit ſaliens pariter & choream ducens,haſtis vtendo hederaceis,ebrius intereà,vt ais, atque furore correptus. Quòd ſi verò quiſpiam illũ conuiciari aggreſſus ſit, contumelioſè de ſacris illius loquendo:etiam hunc vlciſci ſolet, vel palmitibus ipſum implicando, vel à matre,périnde vt hinnulum,lacerari faciendo. Vides quàm virilia hæc,& me patre minimè indigna ? Si verò luſibus quoque & deliciis inter hæc indulget,nõ eſt quòd inuideas,& maximè ſi quis cogitet qualis hic ſobrius futurus erat,quando etiam ebrius hæc facit. IVN. Tu mihi videris etiam laudare inuentum ipſius,vitem videlicet, & vinũ:& hoc cùm videas qualia inebriati iſti factitẽt, tituban tes,& ad contumeliam prolabentes , & in ſumma,inſanientes præ vino. Itaque & Icarium illũ, cui primo donauit palmitem , ipſi compotores interfecere,ligoninus cæſum. IVP. Nihil hoc dicis.Non enim vinum hæc , neque ipſe Dionyſius efficit:ſed immoderatus potus,& vltrà quàm decet & ſatis eſt, repleri mero. Cæterùm ſi quis moderatè bibat , hilarior ille quidem & ſuauior fieri ſolet.Qualia verò Icarius paſſus eſt, tale nihil vlli compotorũ facilè fecerit. Sed tu adhuc zelotypia afficivideris,ac Semeles reminiſci, Iuno:ſiquidem eas res Dionyſii calumniaris, quæ ſunt omnium pulcherrimæ.

Vinum mala non deſignat, ſed nimius eius potus.

VENERIS ET CVPIDINIS,

Eraſmo Roterodamo Interprete.

VENVS.

Cupido omnes deos ſuperat,exceptis Minerua, Muſis , & quibuſdam aliis,&c.

QVid tandem in cauſa eſt , Cupido, vt quum reliquos Deos omneis adortus expugnaris, Iouem ipſum, Neptunũ, Apollinem,Iunonem,me deniq; matrem ab vna Minerua temperes , vtque aduerſus hanc nec vllum habeat incendium tua fax,& iaculis vacua ſit pharetra,tum & ipſe arcu careas, neque iaculari noris?CVP. Equidem hanc metuo,mater:eſt enim formidabilis,truculentóque aſpectu,ac ferocitate quadam ſupra modum virili: proinde ſi quando tenſo arcu petam illam, galeæ criſtam quatiens expauefacit me,móxque formidine tremere occipio , ſic vt arma mihi è manibus excidant. VEN. Atqui Mars an non erat hac formidabilior ? & hunc tamen ſuperatũ exarmaſti. CVPI. Imò ille cupidè me recipit, atque vltrò etiam inuitat: verùm Minerua ſemper adductis ſuperciliis obſeruat. quin aliquando temerè ad illam adnolaui, faciem propius ad mouens:at illa,Si quidem ad me acceſſeris , inquit,per parentem Iouem, quouis modo te confecero, aut lancea te transfigam,aut pedibus arreptum in tartara dabo præcipitem , aut ipſa te diſcerpam. Plurima item id genus comminabatur. Ad hæc acribus obtuetur oculis: poſtremò & in pectore faciem quandam geſtat horrendam:viperis capillorum vice comatant . hanc nimirum magnopere formido.territat enim me , fugióq; quoties eam aſpicio. VEN. Eſto ſané . Mineruã metuis, vt ais,atque huius geſtamen Gorgona reformidas , ídque quum Iouis ipſius fulmen non formidaueris. Cæterùm Muſæ quam ob cauſam abs te non feriuntur , atque à tuis iaculis tutæ agunt?num & hæ criſtas quatiunt,aut Gorgonas prætendunt? CVPI. Has quidem reuereor mater: ſunt enim vultu pudico,ac reuerendo : præterea ſemper aliquo tenentur ſtudio, ſemper cantionibus animum intentum gerunt : quin ipſe etiam non rarò illis aſsiſto , carminis ſuauitate delinitus. VEN. Eſto,nec has adoriris, propter ea quòd ſint reuerendæ: at Dianam qua tandem gratia non vulneras? CVP. Vt breuiter dicam, hanc ne deprehendere quidem vſquam ſum potis,quippe perpetuò per montes fugitantem : ad hæc alterius cuiuſdam ſui Cupidinis illa tenetur cupidine. VEN. Cuius ô gnate? CVP. Nempe venatu ceruorum & hinnulorum , quos inſectatur vt capiat,ac iaculo figat. Ac prorſum tota rerum huiuſmodi ſtudio tenetur:tametſi fratrem eius,qui nimirum arcu valet, & ipſe,ferítque eminus. VEN.Teneo gnate,eum ſæpenumero ſagitta vulneraſti.

DEARVM IVDICIVM.

Iacobo Micyllo Interprete.

IVPITER.

De iudicio Paridis.

MErcuri , accepto hoc pomo abi in Phrygiam ad Priami filium , paſtorẽ armenti (paſcit autém in Ida monte, qua parte Gargarum vocant) ac dic illi: Iupiter,inquiẽs,ô Pari iubet te, poſteaquam & ipſe formoſus es,& rerum amatoriarũ doctus, ſententiam ferre inter deas, quænam illarum omnium formoſiſsima ſit.Certaminis autem prẽmiũ,ea quę vicerit, pomũ accipiat.Porrò tẽpus iam eſt,vt & ipſæ vos abeatis ad Iudicem. Ego verò ablego à me arbitrium , vt qui ex æquo omnes vos amem,ac,ſi modò poſsibile foret , libenter omnes vos victrices videre vellem, præſertim quando & neceſſe eſt, qui vni pulchritudinis ſummã adiudicabit, eum omnino in odiũ cæterarum plurium incurrere. Quare equidem ipſe vobis idoneus iudex non ſum : adoleſcens autem ille Phrygius,ad quem hinc abitis, regio quidem genere prognatus eſt, & Ganymedis huius cognatus:cæterùm ſimplex & montanus: neque quiſquam illum cognitione hac indignum meritò putauerit. VEN.Ego verò,Iupiter,etiam ſi Momum ipſum præſtituas nobis iudicem,præſenti animo itura ſum ad documentum mei præbendum.Quid enim adeò reprehenderit ille in me? Sed oportet etiam hiſce placere hominem. IVNO. Neque nos,Venus,timemus quicquam, etiam ſi Mars iſte tuus electus ſit arbiter: ſed recipimus & hunc Parin , quiſquis etiam fuerit. IVP.Num igitur & tibi eadem hæc , filia, placent?quid reſpondes?auertis te,& erubeſcis? Eſt quidem peculiare hoc virginibus vobis verecun

dia affici erga talia: ſed tamen annuis. Abite igitur: ac videte ne infenſiores fiatis iudici, quęcunque victæ fueritis, néve malum aliquod inferatis ipſi adoleſcentulo. Neque enim fieri poteſt vt æqualiter omnes formoſæ ſitis. MERC. Procedamus ergo rectà verſus Phrygiam. Ac ego quidem præibo, vos autem non lentè & ſequimini me, & bono animo eſte. Noui ego Paridem hũc: adoleſcens eſt formoſus, & quod ad cætera attinet, amori deditus, & ad talia diſceptanda maximè idoneus: neque ille facilè iudicauerit malé. VEN. Hoc quidem totum bene, adeóque pro me narras, iuſtum videlicet eſſe nobis iudicem. Vtrum autem & vxore adhuc caret hic, an & mulier quæpiam ipſi cohabitat? MER. Non omnino abſque vxore eſt, Venus. VEN. Quomodo hoc dicis. MER. Videtur quædam cum eo habitare mulier Idæa, ſic ſatis formoſa, cæterùm ruſtica, atque inter montes malè conſueta: ſed non admodum adhibere animum ipſi videtur. Cuius igitur gratia hæc interrogas? VEN. Nullius ſanè rei, ſed ita temerè in mentem venit. MINERVA. Malè legationem obis, heus tu, qui priuatim cum hac conſilia confers. MERC. Nihil mali, Minerua, hoc: neque etiam contra vos: ſed interrogabat me an vxore adhuc careret Paris. MIN. Quamobrẽ igitur hoc ſuperſtitioſè adeò illa curat? MERC. Neſcio. Aiebat igitur quòd temerè ita in mentem veniſſet hoc, neque ex compoſito interrogaſſet me. MIN. Quid ergo? carétne vxore adhuc? MERC. Non videtur. MINE. Quid autem? bellicæne rei ſtudio aliquo tenetur, atque amans gloriæ eſt, an nihil aliud quàm bubulcus eſt? MERC. Verum quidem non poſſum dicere: coniecturam autem facere licet, iuuenis cùm ſit, etiam has res conſequi illum cupere, ac velle præcipuum in præliis eſſe ſe. VEN. Vides? nihil ego nũc conqueror, neque crimini verto tibi, quòd cum hac ſeorſim nunc loqueris. Querulorum enim hoc, non Veneris. MERC. Etiam hæc fermè eadem interrogauit me: quam ob rem grauiter ne feras, néve putes eò minùs conſecuturam eſſe te, quòd huic quoque ſimpliciter & abſque dolo reſpondi. Verùm intereà dum ſermones cedimus, iam multùm progreſſi, reliquimus poſt nos ſtellas, & propémodũ Phrygiam contigimus. Ego verò etiam Idam video, adeóque totum Gargarum exactè: &, ſi non fallor, ipſum quoque iudicem veſtrum Paridem. IVNO. Vbi autem is eſt? neque enim ipſa etiam video illum. MERCVR. Hàc verſum, Iuno, ad ſiniſtram reſpice, non ad ſummum montem, ſed ſecundùm latus, vbi antrum illud & armentum vides. IVNO. At non video armentum. MERCVRIVS. Quid ais? an non vides buculas ſecundùm meum hũc digitum ex mediis rupibus progredientes, & quendam à ſcopulo déorſum currentem, pedum manu tenentem, & prohibentem ne longiùs diſpergatur armentum? IVNO. Video nunc tandem, ſi modò ille eſt. MERCVR. Ille verò. Sed quia prpè iam ſumus, in terram, ſi videtur, demiſſi, pedibus faciamus iter, ne conturbemus illum ſupernè ex improuiſo deuolando. IVN. Rectè dicis. Atque ita faciamus. Cæterùm poſteaquàm deſcendimus, tuum iam eſt, Venus, vt præeas, ac viam nobis ducendo commonſtres. Tu enim, vt conſentaneum eſt, locorum perita es: quippe quæ ſæpius, vt fertur fama, huc ad Anchiſen deſcenderis. VEN. Non admodũ, Iuno, me tua iſta mouet dicacitas. MER. At igitur ego vos ducam: nam & ipſe frequenter in Ida verſatus ſum, quando Iupiter amabat adoleſcentulum iſtum Phrygium: ac ſæpius huc veni ab illo miſſus, vt quid ageret puer, obſeruarẽ: & cùm iam in aquilam conuerſus eſſet, vnà quoque cum ipſo aderam, & vnà formoſum illũ ſubleuabam. Et, ſi modò ſatis memini, ab hac ipſa rupe illum in ſublime abripuit. Nam hic quidẽ fortè tum fiſtula canebat ad ouile, Iupiter autem à tergo ipſi deuolans, leuiter admodũ vnguibus circunie&tis, & ore in tiaram, quam ſuper caput habebat, impreſſo, in altum ſuſtulit puerum, perturbatum, & ceruice reflexa in ipſum intuẽtem. Tum igitur ego fiſtulam ſuſtuli: abiecerat enim illam præ timore. Atenim arbiter hic propè eſt, quare compellemus ipſum. Salue bubulce. PARIS. Et tu certè adoleſcens. Quis autem ipſe es qui huc ad nos aduenieris: aut quáſnam has adducis mulieres? Non enim eiuſmodi apparent, quæ in montibus verſari cõmodè queant, formoſæ adeò cum ſint. MERC. At non ſunt mulieres Iunonẽ verò, Pari, & Mineruam, & Venerem vides, & me Mercurium videlicet Iupiter ad te miſit. Sed quid tremis & expalleſcis? ne metue. nihil enim periculi hîc. Iubet autẽ te iudicem eſſe pulchritudinis ipſarum. Quandoquidem enim, inquit, & formoſus ipſe es, & doctus rerum amatoriarum, cognitionem hanc tibi commendo: certaminis autem præmium ſcies lecto hoc pomo. PAR. Cedo, vt videam quid ſibi etiam velit Pulchra, inquit, capiat. Quo pacto igitur, ô here Mercuri, potero ego mortalis cum ſim ipſe ac ruſticus, iudex eſſe tam inopinati ſpectaculi, & maioris adeò quàm pro publici captu? Nam huiuſmodi cauſſas diſceptare, delicatorum atque vrbanorum magis eſt. Quod autem ad me attinet vtra capella formoſior altera ſit, & iuuenca num alia aliam ſuperet, fortaſſis ex arte diiudicare poſſim. Hæ verò & formoſæ pariter omnes ſunt & non video quo pacto aliquis ab vna ad aliam tranſferẽdo aſpectum auellere queat. Non enim facilè abſiſtere vult, ſed cuicunque ſe primo applicat, ei inhæret, & quod præſens eſt, laudat. Indeſi ad aliud tranſierit, etiã illud formoſum videt, & immoratur: & ſemper ab iis quæ propiora ſunt, ceu per ſucceſſionẽ excipitur. Et in ſumma, circumfuſa mihi eſt pulchritudo ipſarum, & totum me complexa tenet. Ac doleo quòd nõ & ipſe, quemadmodum Argus ille, toto corpore videre poſſum. Videor autem mihi bene tum iudicaſſe, ſi omnibus pomum hoc reddidero. Nam & rurſum illud quoque accedit, quòd hæc quidem Iouis ſoror & coniunx eſt: illæ verò filiæ. Quomodo igitur non periculoſum etiam hoc pacto iudicium hoc fuerit? MER. Neſcio. niſi quòd non licet detrectare Iouis imperium. PAR. Vnũ igitur hoc Mercuri perſuade ipſis, ne ſuccenſeant mihi duæ illæ reliquæ quæcunque victæ fuerint;

fuerint: ſed quicquid peccatum videbitur, id ſolis oculis imputent. MERC. Ita facturas ſe aiũt. Tempus autem iam tibi eſt vt peragas iudicium. PAR. Faciemus periculum. Quid enim agat quiſpiam? Cæterùm illud primùm ſcire volo, vtrum ſatis erit ſpectare ipſas, vt nunc ſunt, veſtitas: an verò etiam exuere ſeſe neceſſe erit, vt diligentiùs inſpici atque examinari eò poſſint. MER. Hoc tuum officium erit videre, vtpote iudicis. Ac imperes ipſis licet, quomodocũq; etiã voles. PAR. Quomodocunque etiam volo? Nudas igitur videre volo. MER. Exuite heus vos. Tu verò inſpice eas. Ego interim auertam me. VEN. Rectè ô Paris. Atque prima certè exuam me, vt noris quòd non ſolùm lacertos habeam candidos, neque etiam magnos & auguſtos oculos præ me ferendo, ſuperbiam. Aequaliter verò ſum tota & vniformiter pulchra. MIN. Ne priùs ipſam exueris, ô Paris, quàm ceſtum à ſe depoſuerit, (incantatrix enim eſt) ne te præſtigiis circumueniat per illum. Et certè quidem oportebat neque etiam ſtudioſè ita exornatam hîc adeſſe, neque tot coloribus fucatam, périnde ac verè meretricem aliquam, ſed ipſam formam nudam exhibere ſpectandam. PAR. Rectè ſanè admonent illud de ceſto: atq; etiam depone illum. VEN. Cur non igitur & tu Minerua galea depoſita nudum caput ſpectandum exhibes, ſed concutis conum, & perterres iudicem? An vereris ne tibi obiiciat & reprehendat cæruleum iſtud oculorum, ſi dempto terribili iſto aſpiciatur? MINERVA. Ecce tibi galea hæc ablata. VEN. Ecce tibi & ceſtus hic. IVNO. Sed exuamur tandem. PAR. O Iupiter monſtrifice, quod ſpectaculum! quæ pulchritudo! quę voluptas! qualis virgo hæc! vt verò regalis illa & venerabilis effulget, adeóque verè digna Ioue! Tuetur autem ſuaue quiddam & iucundum, ac blandum & illecebroſum: etiam arriſit. Sed iam ſatis habeo felicitatis huius. Si videtur autem, etiã ſeorſim vnamquanque inſpicere volo: quoniam nunc certè ambiguus ſum, neque ſatis ſcio ad quid etiam me referam, viſu in omnes partes diſtracto. VEN. Ita faciamus. PAR. Abſcedite igitur vos duæ: tu verò Iuno hîc mane. IVN. Maneo. Ac poſteaquàm me diligenter inſpexeris, tempus tibi erit & cætera iam ſpectare, num pulchra victoriæ meæ dona propoſita tibi. Nam ſi me, Pari, formoſiorem eſſe iudicaueris, vniuerſæ eris Aſiæ dominus. PAR. At non donis noſtra hęc gerũtur. Sed tamen abimox enim agetur quicquid æquum viſum erit. Tu verò accede Minerua. MINER. Adſum tibi. Quòd ſi igitur me, ô Pari, formoſam eſſe iudicio declaraueris, haud vnquam ex pugna victus abibis: bellatorem enim te, & victoriarũ compotem efficiam. PAR. Nihil, Minerua, opus mihi eſt bello, & pugnis. Pax enim, vt vides, in præſentia tenet Phrygiam ac Lydiam, & ab hoſtibus quietũ eſt patris imperium. Sed tamen confide: neque enim eò minùs feres: tametſi ob munera nequaquam iudicium feramus. Sed indue te tandem, & impone galeam: ſatis enim te inſpexi. Ac nunc Venerem adeſſe tempus eſt. VENVS. Eccam meipſam tibi. Ac contemplare ſingillatim vnumquodque diligenter, nihil curſu præterue-hendo, ſed immorando ſingulis etiam membris. Quòd ſi verò placet, ô formoſe, etiam hæc mea dicta accipe. Ego enim iamdudum aſpiciens te iuuenem adeò, & formoſum, qualem neſcio an vllum alium nutriat Phrygia, beatum quidem te puto ob pulchritudinem, reprehendo autẽ, quòd non relictis hiſce rupibus & ſaxis, in vrbe alicubi vitam degis, ſed corrumpi pulchritudinem iſtam ſinis in ſolitudine. Quid enim te montes iſti iuuant? aut quid proficiunt pulchritudine iſta tua boues? Decebat autem te iam & vxorem duxiſſe, non tamen ruſticam aliquam & indigenam, quales per Idam paſsim mulieres ſunt, ſed ex Græcia aliquam, vel Argiuam, vel Corinthiam, vel Lacænam, cuiuſmodi Helena illa eſt, adoleſcentula & formoſa, & nulla parte me ipſa inferior, & quod maximum eſt, amori quoque dedita. Nam illa ſi ſolùm etiam aſpiciat te, ſatis ſcio, relictis omnibus, ſéque ipſa ceu in deditionem tradita, ſequetur & cohabitabit tecum. Prorſum autem & tu audiſti iam alíquando de ipſa. PAR. Nihil etiam, ô Venus. Nunc autem lubens audiero omne quicquid eſt de illa te narrantem. VEN. Eſt hæc filia quidem Ledæ formoſæ illius, ad quam Iupiter è cælo deuolauit in Cygnum conuerſus. PAR. Qualis autem aſpectu eſt? VEN. Candida quidem, qualem conſentaneum eſt eſſe è Cygno prognatam: tenera autem, vt quæ in ouo enutrita fuerit: nuda plerunque exercens ſeſe, & palæſtricæ rei dedita. Adeò igitur magnopere ab omnibus paſsim expetitur, vt & bellũ ipſius cauſſa ſuſceptum fuerit, cùm Theſeus nondum nubilem illam rapuiſſet. Poſtea verò cùm iam ad florem ætatis perueniſſet, optimi quiq; Achiuorum ad petendas illius nuptias ſeſe obtulerunt. Antepoſitus autem reliquis tum Menelaus fuit, ex genere Pelopidarum natus. Quòd ſi autem voles, ego tibi conficiam has nuptias. PAR. Quid narras? eiúſne quæ iam nupſit alteri? VEN. Iuuenis adhuc es, & ruſticus. Ego verò noui quo pacto talia perficere conueniat. PAR. Quomodo? cupio enim & ipſe ſcire. VEN. Tu quidem proficiſcêris ad perluſtrandam Græciam, atque vbi Lacedæmona perueneris, videbit te Helena. Poſt illa verò meum iam opus erit efficere quò illa amore tui capiatur, téq; ſectetur. PAR. Hoc ipſum etiã incredibile mihi videtur, vt illa relicto coniuge, cum homine barbaro atque hoſpite è patria nauigare in animum inducat. VEN. Bono animo eſto. Nam huius certè rei gratia liberos duos habeo pulchros, Amabilitatem, & Cupidinem videlicet, quos tibi tradam, qui tibi duces itineris futuri ſint. Ac Cupido quidẽ totus ſubingrediens illam, vi coget amare mulierem. Amabilitas autem tibi ipſi circumfuſa, id quod ipſa eſt, & expetibilem te reddet, & amabilem. Déinde autem & ego vnà præſens rogabo Gratias, quò & illæ comites ſe præbeant: atque ita omnes ipſam ad hoc quod volumus impellemus. PAR. Quomodo fortaſsis hoc procedet, incertũ adhuc, Venus eſt: veruntamen amo iam Helenam, & neſcio quo pacto etiam videre ipſam mihi videor, & nauigo rectà verſus Græciam, & in Spar

ta peregrè abſum,& redeo vnà cum vxore:& doleo quòd nõ omnia hæc iam nũc facio. V E. Ne priùs amaueris Pari,quàm pronubã me & ſpõſæ conciliatricem iudicio hoc remuneratus fueris. Decet enim & me victorię cõpotem factã adeſſe vobis,& celebritatẽ peragere nuptiarũ pariter & victoriæ. Omnia enim licet tibi hæc, & amorẽ, & formã,& nuptias pomo iſto mercari. P A R. At metuo ne me poſt latũ iudicium negligas & contemnas. V E N. Vis igitur vt iurẽ tibi? P A R. Nequaquam,ſed tantùm promitte denuo. V E. Promitto igitur,Helenam trahituram me eſſe vxorẽ tibi,& futuram comitem proficiſcenti ad ipſam: déinde & Ilium venturam eſſe ad vos. Atq; adeò ipſa præſens adero,& ad omnia opitulabor. P A. Etiam Cupidinem & Amabilitatem & Gratias tecum adduces? V E N. Bonum animum habe: quin & Deſiderium & Hymenæum prætereà comites aſſumam. P A R. Ob hæc igitur do tibi pomum,ob hæc accipe.

MARTIS ET Mercurii,

Eraſmo Roterodamo Interprete.

M A R S.

Iouis iactãtia irridetur.

AVdiſtin' Mercuri cuiuſmodi nobis minatus ſit Iupiter? quàm ſuperba, quàmque dictu abſurda? Ego, inquit, ſi voluero, catenam ex æthere demittam, vnde ſi vos ſuſpenſi me vi detrahere conemini, luſeritis operam: nunquã enim me déorſum trahetis. Contrà ego vos ſi velim in altum attrahere, non vos modò, verùm etiam tum terram ipſam, tum mare pariter ſubuectum in ſublime ſuſtulerò. Ad hæc alia permulta, quæ tu quoque audiſti. At ego, ſi quidem cum vno quolibet ſingulatim conferatur, ità præſtantiorem eum eſſe, viribúſque ſuperiorem, haudquaquã negauerim: verùm vnum tam multis pariter in tantum antecellere, vt eum ne pondere quidem vincere queamus, etiam ſi terram ac mare nobis adiunxerimus, id neutiquam crediderim. M E R C. Bona verba Mars. Neque enim ſat tutum eſt iſta loqui, ne quid fortè mali nobis hæc petulãtia conciliet. M A R S. An verò credis apud quemlibet hæc dicturum me? imò apud te ſolùm id audeo, quem linguæ continentis eſſe ſciebã. Sed quod mihi maximè ridiculum videbatur tum quũ hęc minitantem audirem, haud queam apud tè reticere. Etenim memineram quum non ità multò antè Neptunus, Iuno ac Pallas, mota aduerſus eum ſeditione, machinarentur comprehenſum illum in vincula coniicere, quantopere formidarit, vtque in omnem ſpeciem ſeſe verterit, idque cùm tres dúntaxat eſſent dii. Quòd ni Thetis mi miſericordia commota, Briareum Centimanum illi auxiliũ accerſiuiſſet, ipſo pariter cum fulmine ac tonitru vinctus erat. Hęc reputãti mihi ridere libebat eius magniloquentiã iactãtiámq;. M E R C. Tace, bona verba: neque enim tutum eſt iſta vel tibi dicere, vel audire mihi,

PANOS ET MERCVRII,

Iacobo Micyllo Interprete.

P A N.

Pan deus Arcadię, paſtorum, muſicus ſocius Bacchi, filius Mercurii.

SAlue pater Mercuri. M E R. Salue vtique & tu. Sed quomodo ego pater tuus ſum? P A N. An non Cyllenius ille Mercurius es tu? M E R. Atq; admodũ. Quo pacto igitur filius meus es? P A N. Adulterinus ſum, examore tibi natus. M E R C V. Per Iouem hirci fortaſſe cuiuſdam, qui caprã per adulteriũ cognouit. Nam meus quomodo fueris, qui & cornua habes,& naſum talem, & barbam hirtam,& pedes bifidos, hircinóſq;, præterea & caudam ſuper natibus? P A N. Quæcunq; in me conuiciando dicis, iis tuum ipſius filium, pater, probroſum ac turpem declaras: imò potiùs teipſum, qui eiuſmodi generas, & tales liberos procreas: ego verò extra culpam ſum. M E R. Quam autem etiam matrem tuam ais eſſe? Num ignorans alicubi cum capra adulterium exercui ego? P A N. Non cum capra, ſed tibi ipſe in memoriã reuoca, num in Arcadia quandoque puellam liberam per vim ſtupraris. Quid mordendo digitũ, quæris, ac diu dubitas? Icarii filiam dico Penelopen. M E R. Quid igitur illi accidit, quòd pro me, hirco ſimilem te peperit? P A N. Dicam tibi, quæ ex illa ipſa audiui. Quando enim me in Arcadiam ablegabat, O puer, inquit, mater quidem tua ego ſum, Penelope, ex Sparta nata: cæterùm patrem noris habere te deum, Mercurium illum Maiæ ac Iouis filium. Quòd ſi igitur cornutus ipſe es, ac pedes hircinos habes, ne id ægrè feras. Quando enim mecum rem habebat pater tuus, hirco ſeipſum aſſimilauerat, quò facilius lateret: & ob id ſimilis hirco tu quoque euaſiſti. M E R. Per Iouem, memini me tale quiddã facere. Ego igitur formoſus ille, qui ob formam ac pulchritudinẽ animum elatum præ me fero, qui adhuc imberbis ipſe ſum, pater tuus vocabor? & ab omnibus riſu accipiar ob præclaram liberorum procreationem? P A N. At verò dedecori tibi pater non ſum. Nã & muſicus ſum, & fiſtula cano, admodũ pleno ſpiritu: & Bacchus ille nihil abſque me facere quicquã poteſt: ſed & ſociũ & conſultatorẽ fecit me, & duco ipſi chorũ. Iam & ouilia mea ſi videas, quot & per Tegeam & per Partheniũ habeo, admodũ delectaret te. Impero autẽ & Arcadiæ toti. Nuper verò eũã Athenienſibus auxiliũ ferens, ità præclarè rem geſſi in Marathone, vt ceu donum militare quoddã retulerim, antrum illud quod eſt ſub arce. Quòd ſi igitur Athenas veneris, cognoſces quantum ibi ſit nomen Panos. M E R. Ac dic mihi, duxiſtine vxorem iam? Hoc enim, opinor, dictitant te. P A N. Nequaquam, pater: amator enim ſum, neque cum vna aliqua rem habere contentus ſotem. M E R C. Capras videlicet conſcendis. P A N. Tu quidem irrides me, at ego tamen & cum Echo & cum Pytia rem habeo, præterea & cum omnibus Bacchi Mænadibus, atque admodum ſtudioſè ab illis obſeruor. M E R. Scis igitur quid te gratificari mihi, fili, primũ omniũ velim? P A N. Impera pater: nos autẽ videbimus hæc vti fiãt. M E R. Et ac

Pytis pinus eſt, tametſi Gaza Laricẽ vertat. hac autẽ Pan coronari ſolebat.

cedas

cedas ad me, & præsentes licet: patrē autem vide ne me appellaris quoquam audiente.

APOLLINIS ET BACCHI,

Iacobo Micyllo Interprete.

APOLLO.

De Cupidine, Hermaphrodito & Priapo, fratribus scilicet diuersorum studiorum.

QVid igitur? dicendúmne est, Bacche, fratres esse Cupidinem, Hermaphroditum, & Priapū, adeò dissimiles forma & studiis cum sint? Nam hic quidem formosus omnino & iaculator est, & potestatē non parua comparata sibi, omnibus imperat. Ille autē mulierosus ac semiuir, ambiguam quoque faciem præ se ferens, vt non facilè dignoscas adolescēnsne sit, an virgo. Tertius verò etiā supra modum virilis est. Priapus videlicet. BAC. Ne mireris Apollo: nō enim ipsa Venus in cauſa est, sed patres, qui diuersi fuere: quandoquidē & ii qui eodem patre, eadémq; matre nascuntur, sæpenumero alius vir, alius fœmina, quemadmodum & vos, nascuntur. APOL. Ita sanè est vt dicis: sed nos tamen similes sumus, & circa eadem studia versamur: sagittarii enim ambo sumus. BAC. Quantum quidem ad arcum & sagittas attinet, eadem ambo exercetis, Apollo: illa verò simulia nequaquam sunt, quòd Diana quidem hospites mactat apud Scythas, tu autem vaticinaris & medicaris ægrotantibus. APOL. An tu putas sororem delectari Scythis? quæ quidem etiam adornauit, si quis Græcus aliquando in Tauricā aduenerit, vt cum eo inde enauiget, iam olim pēròsa hactationes illas. BAC. Rectè sanè illa. Sed hic Priapus? Ridiculum enim quiddam narrabo tibi, quòd cùm Lampsaci nuper essem, mihi accidit. Ego quidem ad vrbem accesseram, ille autem me recepit, hospitio apud se præbito. Posteaquā igitur quieti nos dedimus, in conuiuio affatim madefacti, circa mediam propè noctem exurgens generosus ille: sed pudet dicere. APOL. Solicitauistne te? BAC. Huiusmodi quippiam est. APOL. Quid tu autem porrò ad hæc? BAC. Quid enim aliud, quàm risi? APOL. Rectè sanè, quòd neque acerbè neque rusticè quicquam. Venia enim dignus est, si te formosum adeò solicitauit. BAC. Huius igitur gratia etiam te Apollo solicitatum meritò venerit. Formosus enim & tu, & præterea comatus, vt vel sobrius Priapus ille aggredi te queat. APOL. Sed non aggredietur, Bacche, me facilè: nam præter comam etiam arcum gero.

MERCVRII ET MAIAE,

Erasmo Roterodamo Interprete.

MERCVRIVS.

Conqueritur miseriā & labores suos immēsos.

EST verò, mater, deus quisquā in cælo me miserior? MA. Caue ne quid istiusmodi dixeris Mercuri. MERC. Quid non dicam? qui quidem tantū negociorum solus sustineam, quibus delassor, in tam multa ministeria distractus. Nam manè prodinus surgendum est mihi, statímq; verrendum cœnaculum vbi dii compotant. Tum vbi curiā in qua consultant, vndique strauero, ac singula ita vt oportet composuero, Ioui necessum est assistere, ac perferendis illius mādatis toto die sursum ac deorsum cursitare. insuper quum redeo, paluerulentus adhuc Ambrosiam apponere cogor. Potrò priusquam nouitius iste pocillator aduenisset, ego nectar etiā ministrabam. Quódque est omnium indignissimum, soli omnium ne noctu quidem agere quietem licet, verùm id quoque temporis necesse habeo defunctorū animas ad Plutonem deducere, maniúmq; gregi me ducem præbere, tum autem & tribunalibus assistere. Neq; enim mihi sufficiebant scilicet diurna negocia, dum versor in palæstris, dum in concionibus præconis vices ago, dum oratores instruo: ni hæc quoque prouincia accedat, vt simul etiam vmbrarum res disponam. Atqui Ledæ filii alternis inter ipsos vicibus apud superos atq; inferos agitant: mihi necesse est quotidie tum hoc, tum illud pariter agere: deinde duo illi Alcmena ac Semele miseris prognati mulieribus, ocioſi in conuiuiis accūbunt: at ego Maia Atlantide progenitus, illis ministro scilicet. Quin nunc quum recens Sidone à Cadmi filia reuersus essem (nam ad hanc me legarat visum quid ageret puella) priusquam respirassem, & adhuc anhelum de via, rursum ad Argos emandauit visurum qui cum Danaē ageretur. Rursum inde in Bœotiam profectus, inquit, obiter Antiopam visito: adeò vt planè iam pariturum me negarim, quòd si mihi licuisset, lubens profectò fecissem id quod solent ii qui in terris duram seruiunt seruitutem. MA. Missa fac ista gnate: decet enim per omnia morem gerere patri, quum sis inuenis: ac nunc, quò iussus es, Argos contende, deinde in Bœotiam: nec si cessaris, fueríque lentior, plagas etiam auferas: nam iracundi sunt qui amant.

Hi duo dialogi qui sequuntur, in alijs circa finē posterioris tomi ponuntur: quos nos, quia & ipsi Deorum superiorum sunt, cum superioribus coniungendos putauimus.

IOVIS ET SOLIS,

Iacobo Micyllo Interprete.

IVPITER.

De eo quòd Phaëthon currū Solis perperam ducēs, punitus sit.

QValia feciſti autem, Titanum pessime? qui quæ in terris sunt, perdidisti omnia, adolescentulo fatuo ac stulto commisso curru, qui alia quidē exussit, nimis prope terram cursu delatus: alia verò præ frigore corrumpi fecit, longius ab ipsis abstracto igne: & in summa, nihil non conturbauit & cōmiscuit: ac nisi ego animaduersis iis, quæ gerebantur, deturbassem ipsum fulmine, nullę ne reliquiæ quidem hominum mansissent. Talem nobis pulchrum istum aurigam atque rectorem currus emisisti. SOL. Peccaui, Iupiter, sed ne offensior eo fias, si credidi puero multa supplicanti. Nam vnde vel sperare potui hoc tantum futurū esse malum? IVPITER. An non horas quàm multa opus habebat diligentia negocium hoc, & vt si quis etiam modicum excidat à via, pereant protinus omnia? Ignorabas autem etiam equo-

rum vehentiam, vt oporteat vi quadam continere frenum? Si quis enim permittat illis, arrepto eo continuò diuersi abeunt, quemadmodum videlicet & istum transuerse abripuerũt, nunc quidem ad læuam, paulò autem pòst ad dexteram, interdum etiam in contrarium eius quem cœperãt cursus, & in summa sursum ac deorsum, quocunque ipsis libitum fuisset. Ille autem ignarus nesciebat quomodo vtendum ipsis esset. SOL. Equidem omnia hæc sciebam, & propterea resistebam quoque aliquandiu, neque illi aurigationem committere volebam. Postquam autẽ impensius obsecrabat lacrymando quoque, & mater Clymene vnà cum ipso: currum impositum submonui quo pacto oporteret insistere viæ ipsum, quantum in sublime agitantem sursum ferri, deinde rursum per decliue deorsum vergere, & vbi habenas regere, neq; impetum permittere equis deberet. Dixi autem etiam quantum periculum foret si non recta via ageret. At ille (puer enim erat) consenso tanto igne, & vastæ adeò profunditati supernè incumbens, vt consentaneum est, obstupuit. Equi verò vt senserunt nomine esse eum qui conscendisset, contempto adolescentudo, è via diuerterunt, & hæc tanta mala perpetrarunt. Ille autem dimissis habenis, meminens opinor ne exideret ipse, iugum currus apprehendit ac tenuit. Sed & ille iam pœnas suas dedit: & mihi, Iupiter, satis supplicii luctus hic est. IVP. Satis autem, qui talia ausus sis? At nunc quidem veniam tibi tribuo, de cætero autem si quid simile deliqueris, aut talem aliquem successorem tibi emiseris, statim senties quanto igne tuo fulmen nostrum plus ignis habeat. Quare illum quidẽ sorores ipsius sepulchro tradant iuxta Eridanum, quo loco etiam decidit curru excussus electrum ipsi illacrymantes, deinde & in populos conuertantur præ dolore: tu verò compacto curru (fractus enim temo ipsius est, & altera rotarũ cõminuta) aurigare iunctis denuo equis: ac vide vt memineris horum omnium.

APOLLINIS ET Mercurii,

Iac. Micyl. Interprete.

APOLLO.

POtésne mihi dicere, Mercuri, vter istorum Castor est, aut vter Pollux? Nam ego quidem non facilè discreuero ipsos. MER. Ille qui heri conuersatus nobis est, Castor erat: hic autem Pollux est. APOL. Quomodo dignoscis? similes enim sunt. MER. Quòd hic quidem, Apollo, habet in facie vestigia vulnerum quæ aliquando ab iis accepit quibuscum pugillatu certauit, & maximè quibus à Bebryce Amyci filio vulneratus fuit, quando cum Iasone in Colchum nauigabat. Alter autem nihil tale præ se fert, sed purus est atq; integer facie totus. APOL. Operæ pretium feci, qui discrimina quibus internosci queant, docueris me. Nam cætera certè omnia æqualia sunt, oui pars dimidia, & stella supernè imminens, & iaculum in manu, & equus vtrique candidus. Quare sæpe equidem appellaui hunc Castorem, qui Pollux erat: & rursus Castorem Pollucis nomine. Sed & illud mihi die, cur non ambo pariter nobiscum versantur, sed ex diuiso nunc quidem mortuus, nunc autem Deus est alteruter ipsorum? MERC. Fraterno amore hoc faciunt. Nam cum oporteret alterum ex Ledæ filiis mortem obire, alterum autem immortalem esse, diuiserunt ita inter se ipsi immortalitatem. APOL. Non sanè prudenti, Mercuri, diuisione. Siquidem nec aspicient sese mutuò hoc pacto, quod vel maximè opinor desiderabant. Aut quomodo enim, cum alter apud deos, alter apud manes exiſtat? Veruntamen, quemadmodum ego vaticinor, Aesculapius medetur, tu palæstricam doces, puerorũ exercitator optimus, Diana autẽ obstetricatur: atque aliorum suã quisque artem habet, vel Diis vel hominibus vtilẽ: hi verò quid agent nobis? an inertes atque ocioſi conuiuabuntur nobiscum, tam grandes cum sint? MER. Haud quaquam, sed iniunctum illis est, Neptuno vt ministrent & subseruiant, & obequitare ipsos oportet pelagus: & sicubi nautas tempestate periclitantes aspexerint, insidentes nauigio præstare incolumes nauigantes. APOL. Bonam, Mercuri, & salutarem narras artem.

DIALOGI Marini.

Argumentum in eosdem.

Neque horum dialogorum diuersa aut alia ratio est, quod ad occasiones & argumẽta pertinet, quàm superiorum. Nam & ipsi ex Homericis ac Tragicis fabulis desumpti sunt, & eadem elegantia ac festiuitate nitent: nisi quòd omnes (quod idẽ tamen & in superioribus propè fit) de rebus amatorijs tractant. Vnde illud quoque verisimile est, Lucianum ostendere voluisse, quòd quæcunq; sub hac tota mundi machina mouentur & viuunt, inter cæteros affectus præcipuè amori obnoxia sint, ac voluptatem appetant. Illumque adeò generalem quendam omnium tam deorum quàm hominum domitorem esse. Quòd autem Deos maximè ex amore desipere atque insanire, deinde & voluptatibus deditos esse fingit, ex professione sua facere videtur. Fuit enim quanquam omnibus Philosophorum factionibus ex æquo propè infestus, ad Epicuream tamen magis quàm ad cæteras inclinatus, qui & voluptatem finem bonorum asserebant, & Deorũ prouidentiam negabant. Id quod cum alibi passim, tum in Demonacte, & in Concilio Deorum animaduertere licet.

DORIDIS ET Galateæ,

Erasmo Roterod. Interpre.

DORIS.

FOrmosum amantẽ, Galatea, nẽpe Siculũ istum pastorem aiunt amore tui deperire. GAL. A. Ne ride Doris: etenim qualis qualis est, Neptuno patre prog

Dẽ eo quod Polyphemus nimiũ deformis &

fœtidus ad-amauerit Galatea, & amatus ſit ab ea.

progenitus eſt. DOR. Quid tum poſtea, ſi vel Ioue ipſo ſit progenitus, quum vſq; adeò agreſtis atque hiſpidus appareat, quódque deformiſſimũ vnoculus? An verò credis genus quicquam profuturum ad formam? GAL. Ne iſthuc quidem ipſum, quòd hiſpidus eſt atque agreſtis, vt tu vocas, illum deformat: quin virile magis eſt. Porrò oculus media in fronte, decet etiam; quo quidẽ nihil ſegnius cernit, quàm ſi duo forent. DOR. Videris Galatea non amantem habere Polyphemum, ſed ille potius adamare: ſic etiam prædicas. GAL. Equidem haud adamo, ſed tamen inſignẽ iſtam veſtram inſultandi opprobandiq; potulantiam ferre non queo. Ac mihi quidem inuidẽtia quadam iſthuc facere videntur, propterea quòd ille quum fortẽ aliquando gregem paſceret ſuum, nóſque è litorali ſpecula in litore ludentes cerneret in prominentibus Aetnæ pedibus, quà videlicet inter montẽ & mare litus ſeſe in longum porrigit, vpꝺ ne aſpexerit quidem: at ego omnium vna viſa ſim formoſiſſima, eóq; in vnam me coniecerit oculum. Ea res vos malè habet: nam argumentum eſt me forma præſtantiorem eſſe, ac digniorem quæ amer: vos contrà faſtiditas eſſe. DOR. An iſtud tibi putas inuidendum videri, ſi primùm paſtori, deinde luſco formoſa viſa ſis? quanquam quid aliud ille potuit in te probare, præter candorem? Is illi placet opinor, quòd caſeo & lacti aſſueuerit: proinde quicquid his ſit ſimile, id protinus pulchrum iudicat. Alioqui vbi libebit ſcire qua ſis facie, de ſcopulo quopiam in aquam, ſiquando tranquillã ſteterit, deſpectans, temetipſam contemplare: videbis aliud nihil niſi perpetuum candorẽ. verùm is quidem non probatur, niſi rubor admixtus illi, decus illi iunxerit. GAL. Atqui ego illa immodicè candida, tamen eiuſmodi habeo amantem: quum interim è vobis nulla ſit, quam vel paſtor, vel nauta, vel portitor aliquis miretur. cæterũ Polyphemus (vt alia ne dicam) etiã canendi peritus eſt. DOR. Tace ô Galatea. audiuimus illũ canentem, quaſi nuper pruriret in te: ſed ô ſancta Venus, aſinũ rudere dixiſſes! nam lyræ corpus ſimillimũ erat ceruino capiti oſſibus renudato: tum cornua perinde quaſi cubiti prominebãt, iis iunctis inductíſque fidibus quas ne collope quidem circumtorquebat: agreſte quiddam & abſonum cantillabat, quum aliud interim ipſe voce caneret, aliud lyra ſuccineret: ita vt temperare nobis nequiuerimus, quin rideremus amatoriam illam cantionem. Nam Echo ne reſpondere quidem illi voluit balanti, quũ ſit adeò garrula: imò puduiſſet ſi viſa fuiſſet ſtridulum illius, & ridiculum cantum imitari. Ad hæc geſtabat in vlnis amaſius iſte delicias ſuas, vrſi catulũ pilis hirtum, ipſi non diſſimilem. Quis autem non inuideat tibi amicum iſtum Galatea? GAL. Quin tu igitur Dori, tuum ipſius amicum nobis commonſtra, qui meo ſit formoſior, quíque doctius ac melius vel voce canat, vel cithara. DOR. Mihi quidem nullus eſt amator, neque me hoc nomine iacto, quaſi ſim vehementer amabilis: verumtamen iſtiuſmodi amicũ, qualis eſt Polyphemus, nempe totus hircum olens, tum crudis vlcitans carnibus, & hoſpites, ſi qui appulerint, deuorans, tibi habeas, eúmque tu mutuum ames.

CYCLOPIS ET Neptuni,

Iacobo Micyllo Interprete.

CYCLOPS.

PAter, qualia paſſus ſum ab execrabili iſto hoſpite, qui me inebriatũ excæcauit, ſomno grauatum aggreſſus! Vlyſſes Polyphemum excæcat.

NEP. Quis verò eſt qui iſthæc facere auſus fuit, Polypheme? CYC. Principiò quidẽ ſeipſum. Neminem vocabat: poſtquam autem effugit, atque extra tela, vt dicitur, fuit, Vlyſſem nominari ſe aiebat. NEP. Noui quem dicis, Ithacenſem illum: ex Ilio autem nauigabat. Sed quo pacto hæc peregit, cùm alioqui non ita audax atque animoſus ſit? CYC. Deprehendi in antro, è paſcuis domum reuerſus, multos quoſdam, inſidiantes videlicet pecuariis. Poſteaquam autem apposui foribus operculum, (ſaxũ autem quoddam mihi eſt perquàm magnum) atque ignem reſuſcitaui, accenſa arbore, quam de monte mecũ ferebam, viſi ſunt abſcondere ſeſe parare. Ego verò comprehẽſis ipſorum quibuſdam, vt par erat, deuoraui, vt qui prædones eſſent. Hic igitur verſutiſſimus ille, ſiue Nemo, ſiue Vlyſſes fuit, dat mihi bibere, infuſo quodam veneno, dulci illo quidem, & fragranti, cæterùm ad inſidias ſtruendas præſentiſſimo, & maximè turbulento: nam ſtatim omnia videbantur mihi poſteaquàm bibiſſem, circumagitari, & anſrum ipſum inuertebatur, & prorſum apud me amplius ipſe nõ erã: poſtremò autem ſomno correptus iacui. Ille verò exacuto vecte, eodémque igne ſuccenſo inſuper, etiam excæcauit me dormientem: & ex eo iam tempore cæcus tibi ſum Neptune. NEP. Vt altè nimis dormiſti, fili, qui non intereà exilueris, cùm excæcareris! Vlyſſes igitur ille quo pacto effugit? Non enim, ſat ſcio, potuit dimouere ſaxum à foribus. CYC. At ego amoui ipſum, quòd faciliùs illum comprehenderem inter egrediendum. Ac collocato me ipſo ad fores, extentis manibus venabar, ſolis dimiſsis in paſcua ouibus, & arieti negotio dato, quænam ipſum agere pro me oporteret. NEPTVN. Intelligo rem. Sub illis latuit te, clàm ſe ſubducens. At cæteros certè Cyclopas conueniebat te inuocare contra ipſum. CYCLOPS. Conuocaui illos, pater, atque etiam venerunt: ſed poſtquam me interrogaſſent inſidiatoris nomen, atque ego dicerem Neminem eſſe: inſanire me arbitrati, relicto me iterum diſceſſerunt. Ita impoſuit mihi execrabilis ille, nomine. Et quod omnium maximè mihi ægrè fuit, contumelioſè obiecta mihi clade hac, Ne pater quidem, Neptunus, inquit, leuabit te hoc malo. NEPT. Confide fili, vlciſcar enim ipſum, vt ſentiat, etiamſi cæcitatem oculorum mederi non queam, nauigantes certè tamen ſeruare vel perdere, penes me eſſe. nauigat autem adhuc.

ALPHEI ET Neptuni,

Iacobo Micyllo Interprete.

NEPTVNVS.

QVid hoc, Alphee, quòd tu ſolus aliorum in mare delapſus, neque cũ ſalſugine miſceris, perinde vt ſolent cætera flumina omnia: neq; cohibes teipſum aquis diffuſis, ſed per mare velut concretus, ac dulci cuſtodito fluore, incorruptus etiam & purus curſu laberis? neſcio quo locorum in profundum teipſo, quemadmodum grauiæ atq; ardeæ faciunt, ſubmerſo, ac videris rurſum emergere quoque alibi, & te ipſum iterum ſpectandũ exhibere. ALPH. Amatoria quædã res hæc eſt, Neptune: quãobrem ne mihi vitio vertas. Amaſti autem & ipſe ſæpenumero. NEP. Mulierém ne, Alphee, an nympham amas, an etiam Nereidum ipſarum vnam aliquam? ALP. Non, verùm fontem Neptune quendam. NEP. Vbi igitur terrarum ille manat? ALP. Inſularis eſt, in Sicilia, Arethuſam ipſum vocant. NEP. Scio: non deformem ſanè, Alphee, Arethuſam amas: ſed & liquidus fons ille eſt, & perpurum ſcaturiendo ebullit: atq; ipſi aquæ etiam calculi gratiam addunt, ſupra quos tota ea velut argentea apparet. ALP. Vt verè noſti fontem hunc, Neptune ad illum igitur adeo nunc. NEP. Sed abi quidẽ, & feliciter vtere amore. illud autẽ mihi dic, vbi tu Arethuſam conpiſcatus es, Arcas ipſe cum ſis fons autem ille in Syracuſis manet? ALP. Properantem me moraris Neptune, curiosè nimis interrogando. NEP. Probè dicis. Abi igitur ad amatum, ac emergens iterum è mari, eódem alueo cum fonte illo miſcearis, & in vnam aquam redigamini.

MENELAI ET Protei,

Eodem Interprete.

MENELAVS.

AT in aquam conuertite Proteu, increbile adeò non eſt, marinus vtique cum ſis: etiam arborem fieri, tolerabile: præterea & in Leonem aliquando muteris licet, tamen neque hoc ſupra fidem eſt. Quòd ſi autem & ignem fieri te poſſibile eſt, cũ in mari habites, hoc omnino miror, neq; adducor vt credam. PRO. Ne mireris Menelae: fieri enim ſoleo. MEN. Vidi equidem ipſe: veruntamen videris mihi (dicetur enim hîc apud te) præſtigias quaſdam adhibere rei, atque intuentium oculos decipere: cum interim ipſe nihil tale fias. PROT. Et quæ nam adeò deceptio in rebus ſic manifeſtis fieri queat? An non apertis oculis vidiſti in quàm multa ipſe me transformauerim? Quod ſi verò non credis, & res hæc tibi falſa videtur, nempe apparentia quædam inanis ante oculos obuerſans, poſteaquam ignis factus fuero, applica mihi heus generoſe tu manũ nimirum ſenties, videárne tantùm ignis, an & vrendi vim habeam. MEN. Periculoſum eſt experimentum hoc Proteu. PRO. At tu Menelae videris mihi neque Polypum vidiſſe vnquã, neque etiam quid piſci huic accidere ſoleat, ſcire. MEN. Verùm Polypum ipſum quidem vidi: quæ verò accidant illi, libenter ex te cognouerim. PRO. Cuicunque ſaxo accedens acetabula ſua applicuerit, atque affixus inhęſerit cirramentis, illi ſeipſum ſimilem efficit, mutátq; colorem imitando ſaxum, quò videlicet lateat piſcatores, nihil abillo varians, neque ob hoc manifeſtè apparens, ſed omnino ſaxum referens. MEN. Ferunt hæc: ſed tuum hoc multo magis omnem opinionem excedit Proteu. PRO. Neſcio Menelae cuinam alteri facilè credas, qui tuis ipſius oculis non credas. MEN. Videns equidem vidi, ſed tamen res ipſa monſtro ſimilis eſt, eundẽ videlicet ignem atque aquam fieri. Polypi variatio.

PANOPES ET Galenes,

Iacobo Micyllo Interprete.

PANOPE.

VIdiſtine, Galene, heri qualia fecit Eris ad cœnã in Theſſalia, propterea quòd non & ipſa vocata fuerat ad cõuiuium? GAL. Haud conuiuata equidem vobiſcum tum fui: nam me Neptunus iuſſerat trãquillum interea, Panope, ſeruare pelagus. Sed quid fecit Eris, cum præſens non adeſſet? PAN. Thetis ac Peleus cõceſſerant intrò in thalamum, deducentibus ipſos Amphitrite ac Neptuno. Interea autem Eris, clam cæteris omnibus (id quod facile illi tum fuit, aliis bibentibus, quibuſdam autem applaudentibus vel Apollini citharam perſonanti, vel Muſis ore modulãtibus adhibendo animum) proiecit in conuiuium pomum quoddam admodum pulchrum, atque aureum, Galene, totum. Inſcriptum autem erat his verbis: Formoſa accipiat. Dum igitur volutatur hoc, tanquam ex compoſito iactũ, peruenit eò loci, vbi Iuno & Venus & Minerua accumbebant. Deinde vbi Mercurius ſublato illo legit ea quibus illud inſcriptum erat: nos quidem Nereides cum ſilentio ſedebamus: (quid enim agendum erat illis præſentibus?) illæ verò inter ſe contendebant, ac quælibet ſuum illud eſſe volebat. Et niſi Iupiter ſe ipſum interpoſuiſſet, etiam ad manus vſque res hęc proceſſiſſet. Verùm ille, Ipſe quidem, inquit, non ferã iudicium de hoc (tametſi illæ ipſum iudicare vellent) ſed in Idam ad Priami filium abite, qui & diſcernere nouit quæ nam formoſior ſit, vtpote elegantiæ ſtudioſus & ipſe: & non facilè talis cum ſit, iudicauerit malé. GAL. Quid igitur ad hæc Deæ illæ, Panope? PAN. Hodie, arbitror, in Idam abeunt. GAL. Et quis veniet paulò pòſt qui nobis renunciet eam quæ vicerit? PAN. At iam nunc tibi affirmo, quòd nulla alia vincet veniente in certamen Venere, niſi arbiter ipſe omnino cæcutiat.

Trit.

TRITONIS, AMYMONES, & Neptuni,
Eodem Interprete.

TRITON.

AD Lernam, Neptune, quotidie venit aquatum virgo, pulchra omnino ſpecies. Haud equidē ſcio formoſiorem vllam puellam vidiſſe me. NEP. Libe rámne dicis, Triton, an verò ſerua quæpiam eſt, quæ aquam ferre ſolet? TRI. Minimè verò, ſed Danai illius filia, vna ex quinquaginta iſtis etiam ipſa eſt, Amymone nomine. Interrogaui enim & quæ vocaretur, & genus ipſius. Danaus autē duri ter admodū educat filias, & opus manu facere ipſas docet, & ad aquā hauriēdā mittit, & ad alias res agendas inſtituit, impigræ ipſæ vt ſint. NEP. Solāne autem venire ſolet adeò lōgam viam ex Argis ad Lernam vſque? TRI. Sola: nam ſiticulo ſum ipſum Argos eſt, vt noſti: quare neceſſe eſt ſemper aquatum venire illam. NEPT. Non mediocriter affeciſti me animo, ô Triton, qui mihi hæc de puella narraris. Quare eamus ad ipſam. TRI. Eamus: iam enim tempus quoque eſt cùm aquatū ire ſolet. Ac propè mediam circa viam alicubi eſt petendo Lernam. NEP. Próinde currum iunge, vel, an hoc longiorem rebus moram iniiciet, ſubmittere equos iugo, & currum apparare? Tu verò potiùs delphinem mihi aliquem ex velocibus illis huc ſiſte: inequitando enim illi quàm celerrimè prouehar. TRI. Ecce tibi hūc delphinum omnium velociſsimum. NEP. Probè ſanè: prouehamur igitur. Tu verò, iuxtà natādo cōſequere me, Triton. Ac poſteaquàm ad Lernā iam aduenimus, ego quidem hîc in inſidiis ero: tu autem ſpeculando obſerua quando illam accedētem ſentias. TRI. Eccā tibi, propè eſt. NEP. Formoſa, Triton, & in ipſo ætatis flore puella hæc: ſed comprehendenda nobis eſt. AMY. Heus homo, quò me hinc correptam abducis? plagiarius quiſpiam es, ac videris ab Aegypto patruo noſtro allegatus eſſe: quare clamando patrem vocabo. TRI. Tace, Amymone, Neptunus hic eſt. AMY. Quid Neptunum mihi narras? Cur mihi ô homo vim facis, atque hinc in mare abſtrahis? Ego verò ſuffocabor miſera, ſubmerſa aquis. NEP. Bono animo ſis: nihil graue patiaris faciā: ſed & fontem cognominem tibi emanare hîc ſinam, percuſſo tridente ſaxo hoc iuxta æſtuariū, & tu ipſa felix atque beata eris, ac ſola ſororum obita morte aquam non guſtabis.

NOTI ET Zephyri,
Iacobo Micyllo Interprete.

NOTVS.

NVm hanc, Zephyre, iuuencam, quam per mare in Aegyptum Mercurius ducit, Iupiter amore captus vitiauit? ZEPH. Hanc ipſam, Note, ſed iuuenca tū non erat, ſed puella, Inachi fluuii filia. Nūc autem Iuno talem ipſam effīgiauit, æmulatione amoris commota, propterea quòd videbat Iouē illā prorſus deperire. NOT. Próinde etiā nunc bouem illam amat? ZEPH. Atque admodum: & propterea in Aegyptum ipſam miſit, nobiſque edixit ne conturbaremus mare, donec illa tranſnataſſet, vt quæ illic paritura ſit: fert autem vterum modò, Deúſque fiet cum ipſa, tum quod ex ea partum erit. NOT. An iuuenca Deus? ZEPH. Atque admodum, Note, imperabítque (inquit) Mercurius, nauigantibus, ac noſtra erit domina, vt quemcunque noſtrūm volet, emittat vel prohibeat ſpirare. NOT. Colenda igitur obſeruandáque nobis erit, Zephyre, iam domina certè cùm ſit: nam per Iouem, beneuolentior eo pacto nobis erit. ZEP. Sedenim iam traiecit, & in terram enatauit. Vides vt non ampliùs quadrupes incedat, ſed erectam ipſam Mercurius denuò mutauerit formoſam prorſus reddidit? NOT. Mira nimirum hæc Zephyre: nuſquam ampliùs neque cornua illius, neque cauda, neque tibiæ ambifidæ, ſed amabilis puella eſt. Cæterùm Mercurio quídnam accidit, qui ſeipſum mutauit, & ex adoleſcente factus eſt quiſpiam caninam faciem præ ſe ferens? ZEP. Ne curioſius perſequamur iſta, quandoquidem melius ille quæ facienda ſint nouit.

NEPTVNI ET Delphinum,
Iacobo Micyllo Interprete.

NEPTVNVS.

LAudo, rectè facitis Delphines, quòd ſemper amantes hominum eſtis. Nam & olim Inus filium in Iſthmum portaſtis, exceptum à Scironiis ſcopulis, vnde cum matre præcipitatus fuerat: & nunc tu citharœdo iſto Methymnenſi cum ipſo ornatu & cithara recepto, in Tænarum enataſti, neque paſſus es indignè à nautis perire illum. DEL. Ne mireris Neptune, ſi hominibus bene faciamus; nam & ipſi ex hominibus piſces facti ſumus. NEPTVN. Atque equidem ob id reprehendo Bacchum, quòd vos nauali prælio ſuperatos ita trāſformauit, cùm deberet captiuos ſolùm in deditionem accipere: quemadmodum & cæteros in poteſtatem redegit. Sed quo pacto cum Arione hoc quod acqidit, ſeſe habet? DEL. Periander iſte, puto, delectabatur homine, ac ſæpe illum ad ſe accerſebat artis gratia. Ille autem diues iam factus à tyranno, concupiuit, nauigando in patriam, Methymnam videlicet, ſpectandas ibi diuitias ſuas exhibere. Ac conſcenſa ad trāſiciendum naui hominum quorundam ſceleratorum, poſteaquàm cognitus eſt multū auri ſecum ferre, vbi ad mediū fermè Aegeum peruentū fuit, inſidiari illi nautæ cœperunt. Ille verò (nam auſcultabam omnia, iuxta nauigium natādo.) Quoniā hoc vobis ita viſum eſt, inquit, at me ſaltē aſſumpto ornatu, & decārato priùs mihi ipſi ſimebri ſiliquo carmine, volentem ſinite præcipitare meipſum. Conceſſerunt nautæ. Tum ille aſſumpſit ornatum, & cecinit admodum lene ac blandum quiddam, atque ita in mare præcipitauit ſeſe, tanquam

Delphini amatores hominum.

Sic Arion trāſuectus.

Io in vaccam.

tanquam ſtatim omnino moriturus. Ego verò excepto atque impoſito illo, enatauí vnà cum ipſo in Tænarum. NEP. Laudo ſtudium erga Muſicam tuum: dignam enim mercedem retuliſti ipſi pro eo quod auſcultaras.

NEPTVNI ET Nereidum,

Eodem Interprete.

NEPTVNVS.

Helle ab ariete in mare delapſa.

RETum hoc quidem anguſtũ in quod puella delapſa ſubmerſa eſt, Helleſpontus ab ipſa vocetur: cadauer autem ipſum vos Nereides acceptũ in Troadem auferte, vt ibi ab incolis ſepeliatur. NER. Nequaquam, Neptune, ſed hîc in cognomine pelago ſepeliatur. Miſeremur enim ipſius, vt quæ miſerabilia maximè à nouerca paſſa fuerit. NEPTV. At hoc quidem, Amphitrite, fas nõ eſt, neq; etiam aliàs honeſtum, hîc illam alicubi ſub arena iacere: ſed quod dixi, in Troade in Cherſoneſo mox ſepelietur. Illud autem pro ſolatio ei erit, quòd paulò pòſt eadem ipſa quoque Ino patietur, & præcipitabitur, perſequente illam Athamante, in pelagus ex ſummo Cithærone, quà in mare porrigitur, vnà cum filio quem in vlnis geſtabit. NER. Sed & illam ſeruare conueniet, gratiam hanc Baccho faciendo. Educauit enim illum Ino, eadémque nutrix illius fuit. NEP. Non decebat, adeò prauam. Sed tamen Baccho nõ gratificari, Amphitrite, indignum foret. NER. Sed quid accidit huic, quòd ab ariete decidit, frater autem eius Phryxus tutò vehitur? NEP. Meritò: adoleſcens enim eſt, & contra impetum obſiſtere poteſt. Illa verò eò quòd inſueta eius rei erat, conſcenſo videlicet vehiculo nouo & inopinato, & deſpiciendo in profundum immenſum, perculſa animo, & pauore pariter attonita, præterea & vertigine correpta, præ vehementia & impetu volatus retinere cornua arietis ampliùs non potuit, quibus ſe eouſque ſuſtentauerat: atq; ita in mare decidit. NER. An non igitur matrẽ ipſius Nephelen decebat opem ferre cadenti? NEPT. Decebat ſanè, ſed Parca quàm Nephele multò potentior eſt.

IRIDIS ET Neptuni,

Iacobo Micyllo Interprete.

IRIS.

Delos inſula fluitans ſubſiſtit. Alludit ad nomẽ δήλου, à quo ipſa inſula dicta eſt.

INſulam iſtam errãtem Neptune, quæ à Sicilia reuulſa atque vndis ſubmerſa, mari innatat, eam, ita iubet Iupiter, conſiſtere facias iam atque apparere, & vt tandem manifeſta atque conſpicua in medio Aegæo inconcuſſè maneat, fundata firmiter admodum illa: opus enim illa nonnihil habet. NEP. Fiet hoc Iri: ſed tamen quem vſum illi præbebit manifeſta apparens, & non ampliùs fluctuãs? IRIS. Latonam in ipſa oportet parere; iam enim malè habet à doloribus. NEP. Quid igitur? an non ſufficit illi cælum, vt in eo pariat? Quòd ſi minùs autem illud, at certè nec tota terra partus illius recipere poterat? IRIS. Non, Neptune. Nam Iuno obſtrinxit iureiurando magno Tellurem, ne præberet Latonæ parturienti vllũ receptaculum. Hæc igitur inſula iuramento non tenetur: abſcondita enim tum fuit. NEP. Intelligo rem. Igitur ſubſiſte inſula, atq; emerge iterum ex profundo, & nõ ampliùs fluctues aut titubes, ſed immota maneas: ac ſuſcipe ô feliciſſima fratris mei liberos duos, deorum omnium pulcherrimos. Et vos Tritones traiicite Latonam in ipſam, omniáque tranquilla ſint. Serpentem autẽ iſtum, qui nunc velut œſtro exagitat illam, perterrefaciendo, ipſi infantes poſteaquam in lucẽ editi fuerint, aggredientur, ac matrem vindicabunt. Tu verò vade renuncia Ioui omnia bene habere. Stabilita eſt inſula: veniat Latona, ac pariat.

XANTHI ET Maris,

Eodem Interprete.

XANTHVS.

Xãthus fluuius pene exuſtus.

VScipe me ô Mare: grania enim paſſus ſum: extingue mihi vulnera. MAR. Quid hoc rei eſt Xanthe? quis te deuſsit? XAN. Vulcanus: ſed igne candeſco prorſus miſer, & efferueſco. MAR. Cur autem iniecit tibi ignem? XAN. Propter filium Thetidis. Poſtquam enim occidẽtem illũ Phrygas ſupplex deprecatus ſum, ille autem ab ira nihil remiſit, ſed occiſorum corporibus etiam obſtruxit mihi alueum: ego miſertus miſerorum, occurri, vt aquis inundarem atque inuoluerẽ illum, quò eo periculo abſterritus, ab occidione virorum ceſſaret. Ibi igitur Vulcanus (nam tum fortè quadam propè aderat) vniuerſo igne, quantum opinor vſquam habebat, quantúmque & in Aetna, & ſi quibus aliis locis vllus eſt, allato, proceſsit obuiam: ac exuſsit quidem ylmos & myricas, aſſauit autem & infelices piſces & anguillas: me verò cùm efferueſcere feciſſet, parum abfuit, quin totum aridum ac ſiccum reddiderit. Vides nimirum quo pacto exuſtionibus iſtis deformatus ſim? MAR. Turbidus es, ô Xanthe, & calidus, vt conſentaneum eſt, cruore à cadaueribus: calore autem, vt ais, ab igne veniẽte. Ac meritò, Xanthe, vt qui contra *filium meum impetum feceris, non veritus quòd Nereidis filius ille eſſet. XAN. An non igitur decebat miſereri me Phrygum, vicinorum adeò meorum? MAR. Vulcanũ verò an non contrà decebat miſereri Achillis, Thetidis adeò filii?

Fortaſsis nepotem legendum, id eſt, pro ὑὸν ἔγαμον.

DORIDIS ET Thetidis,

Iacobo Micyllo Interprete.

DORIS.

Dãnes farimam bula.

QVid lacrymaris Theti? THE. Pulcher Dori, puellam vidi in arcam à patre coniectã, tum ipſam, tum infantem ab ea paulò antè genitum. Iuſsit autem pater nautas, arcam illam acceptã, poſtquàm

quàm in altum à terra proiecti essent, in mare abiicere, vt ita periret & misera illa, & infans vnà cum ea. DOR. Quamobrem autem, ô soror, hoc? quandoquidem comperta habes exactè omnia. THE. Pater illius, Acrisius, quia pulcherrima erat, in æreum quendam thalamũ inclusam, perpetuæ virginitati destinarat. Deinde, verum quidem dicere non possum, Iouem autem aiũt, conuersum in aurum, delapsum per impluuium ad ipsam esse. Accipiente autem illa in sinum demanantem deum, grauidam ex eo factam fuisse. Quòd cùm pater animaduertisset, vtpote durus quidam & zelotypus senex, grauiter indignatus est. Et quia ab aliquo stupratam fuisse illam arbitratus est, coniicit in arcam hanc, cùm paulò antè peperisset. DO. Cęterùm illa quid agebat, Thetì, quando abripiebatur? THE. Pro se quidem nihil dicebat, Dori, sed tacitè ferebat damnationem: pro infante autem deprecabatur, ne morti traderetur, lacrymando, atque illum auo ostentando pulcherrimum sanè puerum, Dori. Ille autem præ ignorantia malorum, etiam arridebat matri. Oppleor rursum lacrymis, cùm in mentẽ illius venit. DO. Et me flere feecisti. Sed nunquid iam mortui sunt? THE. Haudquaquam: natat enim adhuc arca circa Seriphum, viuis illis custoditis. DO. Cur igitur non conseruamus ipsam, piscatoribus istis Seriphiis in retia immittendo, qui extractos illos, incolumes præstabunt scilicet? THE. Rectè dicis, atque ita faciamus. Non enim perire decet neque ipsam, neq; infantem, adeò cùm sit formosus.

NEPTVNI ET Enipei,

Eodem Interprete.

ENIPEVS.

Neptunus amicam Enipei vitiat.

MInimè verò præclara hæc, Neptune (dicetur enim verum) qui circũuenta amica mea, assimilatus in formam meã vitiasti puellam. Putabat enim illa mecum rem esse sibi, & ob id exhibebat sese. NEP. Tu enim Enipeu fastuosus es & tardus, qui puella adeò formosa quotidie ad te nãte, ac præamore pereunte, despexeris illam, & gauisus sis si posses illi ægrè facere. Illa verò iuxta ripas mœrore affecta, atq; ibi inambulans, seséque lauans, non semel optabat in conspectum sibi venire te: at tu fastuosus deludebas illam. ENIP. Quid igitur? an propterea oportebat te præripere amorẽ mihi, & velut histrionem aliquem pro Neptuno Enipeũ te gerere, atq; ita decipere Tyro istam, puellam adeò simplicem? NEP. Serò verò nunc zelotypus es Enipeu, cùm priùs superbũ & contemptorem te gesseris. Ipsa autem Tyro nihil graue passa est, quando se putauit à te vitiatam esse. ENIP. Nihil autem? Dixisti enim abiens Neptunum esse te, quod vel maximè dolore affecit ipsam: atque ipse eò abs te iniuria affectus sum, quòd & quæ mea esse debuerat, eam voluptatem percepisti tu: & præterea composito circa vos fluctu purpureo, sub quo absconditi iacuistis, cum puella pro me tute rem habuisti. NEP. Tu enim non volebas Enipeu.

TRITONIS ET Nereidum,

Iacobo Micyllo Interprete.

TRITON.

BAlæna ista vestra, Nereides, quam contra filiam Cephei Andromedam emisistis, neque puellam ipsam iniuria aliqua affecit, périnde vt vos putatis, & ipsa iam mortua est. NEREID. A quo, Triton? Num Cepheus tanquam illectamento aliquo proposita puella, aggressus illam occidit, ex insidiis cum multa vi adortus? TRITON. Non: sed nostis, arbitror, Iphianassa, Perseum illum, Danaes puerum illum paruũ, quem vnà cum matre in arca abiectum in mare ab auo materno, conseruastis, misertæ illorum videlicet. IPHI. Noui quem dicis. Consentaneum verò, illum iam adolescentem factum esse, atq; admodum generosum, & pulchrum aspectu. TRI. Hic occidit Balænam. IPHI. Quamobrem Triton? Neque enim huiusmodi conseruationis præmia persoluere nobis debebat. TRIT. Ego vobis exponam omnem rem, ita vt gesta est. Missus hic fuit ad Gorgonas, vt hoc quasi quoddam certamen regi perageret. Postquam autem peruenit in Libyam. IPHI. Quomodo Triton? solúsne, an & alios secum socios abduxit? nam alioqui difficile hoc iter. TRIT. Per aerem profectus est: alatum enim ipsum Minerua reddidit: postquam autem eò loci venit vbi illæ agebant, illæ quidem dormiebant, opinor: at hic amputato Medusæ capite, iterũ auolauit. IPHI. Quo pacto autem aspexit illas? Aspici enim nequeũt, vel quisquis illas aspexerit, non amplius quicquam posthac aspicit. TRIT. Minerua illi clypeo velut face aliqua prælato (talia enim audiui ipsum narrantem apud Andromedam, postea & apud Cepheum) Minerua igitur, inquam, in clypeo refulgente, tanquam in speculo aliquo, exhibuit ipsi spectandam Medusæ imaginem. Posteà sinistra, arrepta illius coma, & inspecta imagine, dextra autem sublata harpe, abscidit caput ipsius: atque ita prius, quàm sorores reliquæ expergiscerentur, auolauit. Porrò vbi circa maritimam hanc Aethiopiæ oram venisset, terræ iam propinquior aliquantò volans, videt Andromedam expositam in rupe quadam prominente palo affixam, pulcherrimam, ô Dii, promissa coma, & seminudam longè vsque infra vbera. Ac primùm quidem misertus fortunæ illius, interrogat causam damnationis huius. Paulò autem post amore captus, (oportebat enim incolumem seruari puellam) opem ferre illi statuit. Atque vbi iam Balæna accessisset, terribilis admodum, & quasi mox absorptura Andromedam, in altum sublatus adolescens, manu ad capulũ admota, harpen tenens, altera quidem ferit, altera autem Gorgona spectandam proferens, in lapidem illam conuertit. Illa igitur mortua est, & diriguere ipsius membra omnia quæcunque Medusam aspexerunt: at hic solutis

vinc

vinculis quibus virgo alligata fuerat, ſuppoſitáq; manu, ſuſcepit illam ſummis pedum digitis deſcendentem è rupe, ardua illa quidem, atq; procliui: & nunc cum eadem nuptias peragit in ædibus Cephei, abducétq; illam ſecum Argos: quare pro morte nuptias neque eas vulgares illa inuenit. NER. Equidem non ita valde ægrè fero factum hoc. Quid enim adeò nobis iniuriæ fecit puella, ſi mater ipſius ſuperbè extulit ſeſe tunc, ac pulchrior nobis eſſe voluit? TRI. Quòd hoc pacto magnum dolorem perceptura fuiſſet ob filiam, mater certè illius cùm ſit. NER. Ne meminerimus Dori iſtorum amplius, ſi quid barbara mulier ſuprà quàm decebat, loquax fuit. Satis enim ſupplicii tulit, quæ tanto in metu, filię cauſa conſtituta fuit. Gratulemur igitur nuptiis.

ZEPHYRI ET NOTI,

Iacobo Micyllo Interprete.

ZEPHYRVS.

NVnquam equidem pompam magnificentiorem vidi in mari, ex quo ego ſum & ſpiro: tu verò an non vidiſti Note? NOT. Quámnam hanc dicis Zephyre pompã? aut quínam ſunt qui illam duxerunt? ZEPH. Suauiſsimo ſpectaculo caruiſti, & quale non facilè aliud vnquam víderis. NOT. Iuxta Rubrum mare occupatus fui, afflaui autem & partem Indiæ nonnullam, quantum videlicet eius terræ mari adiacet: próinde nihil eorũ noui quæ tu dicis. ZEPH. Quid? Sidonium illum Agenorem vidiſti? NOT. Etiam, Europę patrem ſcilicet. Quid tum? ZEPH. De illa ipſa narrabo tibi. NOT. Num quòd Iupiter iam olim amare puellam cœpit? Nam hoc etiam pridem ſciui. ZEPH. Igitur quod ad amorem attinet, noſti: quæ verò poſteà conſecuta ſunt, ea nunc audi. Deſcenderat Europa ad litus ludendi gratia, aſſumptis ſecum æqualibus ſuis. Iupiter autem in formã tauri aſsimulatus, ludebat vnà cum ipſis, pulcherrimus tum apparens. Nam & candidus erat, vt nihil ſuprà, & cornua habebat reflexa pulchrè, vultúmque præ ſe ferebat admodum manſuetum ac placidum. Saltabat igitur & ipſe in littore, & mugiebat ſuauiſsimè, ita vt Europa etiã conſcendere ipſum iam ſuſtineret. Cæterùm vbi hoc factum eſt, citato curſu Iupiter quidem vnà cum illa in mare prorupit, atque ibi, vti inciderat, natabat: illa verò admodum perculſa animo ex hac re, ſiniſtra apprehendit ac tenuit cornua, vt ne delaberetur: altera autem manu diffluente vento veſtem continebat. NOT. Dulce hoc ſpectaculum Zephyre, & amatorium, natantem videlicet Iouem, & ferentem ſecum amores ſuos. ZEPH. At verò quæ conſecuta ſunt, ſuauiora multò, Note. Nam & mare ſtatim compoſitis fluctibus quietum fuit, & tranquillitate vltrò attracta, placidum ipſum ac planum ſeipſum præbuit. Nos autem omnes ſilentium agentes, nihil aliud quàm ſpectatores tantùm eorũ quæ fiebant, quaſi quidam comites ſequebamur. Cupidines verò iuxtà volitantes, paulùm ſupra mare, ita vt interim ſummis pedibus contingerent aquam, accenſas ferentes faces, Hymenæum cantabãt. Nereides autem emerſæ vndis, delphinum tergis inſidentes obequitabant applaudentes, ſeminudæ pleræq;. Prætereà & Tritonum genus, & ſi quid aliud marinorum aſpectu metuendum nõ eſt, omnia illa circum puellam quaſi choreã ducebãt. Nam ipſe quidem Neptunus conſcenſo curru, & quaſi pronubus incedens, vnà cum Amphitrite lætus præibat, veluti viam aperiens natanti fratri. Supra omnes autem Venerem duo Tritones vehebant in concha recubãtem, ac flores omnis generis aſpergentem ſponſæ. Atque hæc à Phœnicia vſque in Cretam fiebant. Poſtquam autem in inſulam aſcendit, ipſe quidem taurus non amplius apparebat: Iupiter autem apprehenſam manu Europam, in antrum Dictæum abduxit, erubeſcentem, atq; oculos demittentem: intelligebat enim iam ob quã rem ita duceretur. Nos autem incumbentes mari, alius aliam illius partem fluctibus agitabamus. NOT. O beatum Zephyre te, qui iſthæc videris! ego verò intereà Gryphas & Elephantos, & nigros homines aſpiciebam.

MORTVORVM Dialogi.

ARGVMENTVM IN EOSDEM.

Quanquam ex eadem occaſione & hi dialogi, quibus inferorum querelæ, iudicia, pœnæ, & id genus alia deſcribuntur, exceptis paucis quibuſdam, quorum argumenta de ſuis temporibus ſumpſiſſe Lucianus videtur, cum ſuperioribus prognati ſunt: alium tamen atque diuerſum ab illis finem habent, aliáque monent ac docent. Suprà enim amores & affectus deorum tractantur: at hîc illud indicatur, atque etiam oculis penè ſubijcitur, quòd apud Inferos, & eos iudices quorum ſententiæ poſt hanc vitam ſubijciendi omnes ſumus, nulla perſonarum ratio, nulla potentiæ, diuitiarum, honorum, famæ, aut cuiuſcunque fortunæ æſtimatio futura eſt: ſed quòd omnes, quod ad conditionem attinet, æquales futuri, & pro eo ac quiſque in hac vita ſe gerit & meretur, ſupplicium aut præmium acceperi ſumus. Tametſi illud quoque non ignorem, Lucianum ex ironia magis pleraque hæc, quàm quòd ita animo ſenſerit, dixiſſe videri poſſe, vtpote Epicureum, &, vt ab aliis vocatur, ἄθεον, qui neque de dijs, neque de immortalitate animarum recte quicquam ſenſerit. Veruntamen etiam aliàs, cùm de veris moribus philoſophorum ſcribit, vt in Nigrino, Demonacte, & cæteris quibuſdam, eiuſmodi de præſentis vitæ rebus & actionibus præcipit & tradit, quæ illũ haud dubie de futura quoque nonnihil cogitatione ac ſenſu præcepiſſe confirmare poſſint. Vtut autem hæc ſe habent, digni tamen dialogi iſti ſunt qui legantur, & ob oculos quàm ſæpiſſimè reuocentur. Vel ob hoc ſolùm, vt à cupiditatibus ac rerum externarum deſiderio mentem auocemus, & ad illud reſpiciamus, quod poeta dixit: Puluis & vmbra ſumus: quódq;

poſt

poſt hanc vitam neque opes, neque potentia, neque vllæ aliæ fortunæ defunctos ſequẽtur aut iuuabũt.

Hecates cœnam) *Mos erat diuitibus vt ſingulis menſibus Hecatæ ſacrificando in triuijs panes atque alia quædam ponerent, quæ poſtea à pauperibus auferebantur: hanc Hecates cœnam dicebãt. Suidas & Athenæus lib. vij. Athenienſes autem & theatra, & conciones, & cæteros conuentus hominum luſtrare ſolebant, adhibitis paruis & vilibus quibuſdam hoſtijs, vt Suidas tradit: eò videtur hic alludere.*

DIOGENIS ET Pollucis,

Iacobo Micyllo Interprete.

DIOGENES.

COmmendo tibi, Pollux, quamprimũ ad ſuperos aſcẽderis (tuum enim eſt, ni fallor, cras reuiuiſcere) vt ſicubi videris Menippum canem illum, (inuenies autem ipſum Corinthi circa Cranéum, aut in Lyceo, deridentem contendentes iſtos inter ſe philoſophos) dicas illi: Menippe, inquiens, iubet te Diogenes, ſi ſatis ea quæ ſuper terrã ſunt, deriſiſti, quò & huc ad inferos deſcẽdas, vbi multò plura quæ rideas, habiturus es. Illic enim in ambiguo tibi adhuc riſus fuit, & frequens illud obiici potuit: Quis enim omnino ſcit, quæ poſt vitam futura ſint? Hîc autem nõ deſines conſtanter atque perpetuò ridere, quemadmodum ego quoque nũc facio, & maximè poſtquam videris diuites iſtos ac ſatrapas & tyrannos ita humiles & obſcuros eſſe, ſolóq; eiulatu ab aliis dignoſci: tum quòd & molles & ignaui ſunt, reminiſcẽtes eorũ quæ in vita geruntur. Hæc illi quæſo vt dicas, & vt præterea etiam pera veniat impleta & multo lupino, & ſicubi in triuio poſitã inueniat Hecates cœnam, aut ouum ex luſtratione relictũ, aut ſimile quippiam. POL. At renunciabo hęc illi, Diogenes: ſed quò meliùs illũ agnoſcere queam, cuiuſmodi facie eſt? DIO. Senex eſt caluaſter, pallio indutus lacero, & vẽto cuiuis peruio, præterea & diuerſorum pannorum aſſumentis variegato. Ridet autem ſemper, ac plerunque arrogãtes iſtos philoſophos acerbè perſtringit. POL. Facile erit inuenire illum, ex his vtique ſignis. DIO. Viſne vt ad ipſos quoque philoſophos illos aliquid tibi mandem? POL. Mandes licet: nõ enim graue neq; hoc mihi fuerit. DIO. In vniuerſum adhortare illos, vt deſiſtant à rugis ſuis, neque de toto contendant, neq; cornua ſibi mutuò affingant, neque crocodilos faciant, neq; huiuſcemodi ſterilia atq; ieiuna interrogare, animum inſtituant. POL. At indoctum me & ineruditum eſſe dicent, qui doctrinam illorum reprehendam. DIO. Tu verò plorare iſtos meo nomine iube. POL. Et hæc nunciabo illis. DIO. Diuitibus autem, ô lepidiſſimum caput, hæc noſtro nomine annuntiẽs quæſo: Quid, ô vani, inquiens, aurum tantopere cuſtoditis? quid autem excruciatis vos ipſos, ſupputantes vſuras, & talentum aliud ſuper aliud accumulantes: quos non plus quàm vnum obolum habentes venire huc paulò pòſt oportet? POL. Dicentur & hæc ad illos. DIO. Sed & formoſis iſtis & robuſtis dicas, Megillo puta Corinthio, & Damoxeno palæſtritæ, quòd apud nos neque flaua coma, nec cærulei nigríve oculi, neque rubor faciei amplius vllus eſt: neque præterea nerui intenti & robuſti, neque humeri laborum tolerantes, ſed omnia vnus puluis, vt aiũt, nobis, caluaria forma nudata ſcilicet. POL. Non moleſtum erit neque hæc ad formoſos & robuſtos illos dicere. DIO. Etiã pauperibus, ô Lacon dicas licet, (multi autem ſunt quibus & ea res perquàm moleſta eſt, & inopiam lugent) vt neque lacrymentur, neque plorent, expoſita illis æqualitate hac, quæ hîc eſt: & quòd videbunt eos, qui illic diuites ſunt, nihilò meliores quàm ſeſe hîc eſſe. Lacedæmoniis autem tuis hæc, ſi videtur, nomine meo obiicias, molles & eneruatos ipſos eſſe dictitans. POLL. Ne de Lacedæmoniis Diogenes quicquã dicas, non enim feram: ſed quæ ad cæteros mandaſti, ea illis renuntiabo. DIOG. Miſſos igitur faciamus hos, quandò tibi ita videtur: tu verò quibus anteà dixi, ad eos ſermones hos meos deferas.

PLVTO, SEV CONtra Menippum,

Iacobo Micyllo Interprete.

CROESVS.

NOn poterimus ferre, Pluto, Menippum hunc canem cohabitantem nobiſcum: quapropter aut illum hinc amotũ alio loco colloca, aut nos hinc aliò commigrabimus. PLVT. Quid autem vobis mali adeò facit, quando eodem modo mortuus eſt ac vos? CROES. Poſtquam nos ploramus & ingemiſcimus illorum reminiſcẽtes quæ apud ſuperos habuimus, vtpote Midas hic auri, Sardanapalus autem multæ voluptatis, ego verò theſaurorum: irridet, & cum conuitiis exprobrat ea nobis, mancipia & piacula nos vocitando. Interdum autem etiam cantando conturbat ploratus noſtros: & in ſumma, valdè nobis moleſtus eſt. PLVT. Quid hæc audio de te, Menippe? MEN. Vera Pluto. Odi enim ipſos, ignaui ac perditi adeò cùm ſint, quibus non ſatis fuit vixiſſe malè, ſed etiam mortui inſuper cogitatione atque animo illis quæ ad ſuperos ſunt, inhærent. Delector itaque ægrè ipſis facien do. PLVT. Sed non decet: dolent enim non exiguis rebus priuati. MEN. Etiam tu deliras Pluto, qui gemitus iſtorum tuo quoque calculo approbas? PLVT. Haudquaquam: verùm nolim vos diſcordes ac ſeditioſos eſſe mutuò. MEN. At verò, ô peſſimi Lydorum, Phrygum, & Aſſyriorum, ita de me cognoſcite, vt qui neque vnquam deſiturus ſim. Nam quòcunque abieritis hinc, eòdem ſequar, ægrè faciendo, cantandò, atque irridendo vos. CROE. An non hæc contumelia eſt? MENIPP. Non: ſed illa contumelia erant, quæ vos facere ſolebatis, quãdo & adorari vos volebatis, & hominibus

liberis

liberis pro libidine abutebamini: neq; tum mortis quicquam memores eratis. Próinde plorate nunc, omnibus illis deſpoliati. CROE. Multis certè, ô Dii, & magnis poſſeſsionibus. MID. Quanto equidem ipſe auro? SARD. Quanta verò ego voluptate? MEN. Rectè ſanè, ita facite: lugete vos quidem, ego verò tritum illud, Noſce teipſum, identidem connectendo, vobis occinam: decet enim huiuſmodi ploratus ſi crebrò illis accinatur.

MENIPPI, AMPHILOCHI, & TROPHONII,

Eraſmo Roterodamo Interprete.

MENIPPVS.

VOS nimirum Trophoni, atque Amphiloche, quum ſitis mortui, tamen haud ſcio quonam modo phanis eſtis donati, vatéſque credimini, ac ſtulti mortales deos eſſe vos arbitrantur. TRO. Quid? an nobis igitur imputandum, ſi per inſcitiam illi de mortuis huiuſmodi opinantur? MEN. Atqui non iſta fuiſſent opinati, ni vos tum cùm viueretis, eiuſmodi quædam portenta oſtentaſſetis, tanquam futurorum fuiſſetis præſcii, quaſique prædicere potuiſſetis, ſi qui percontarentur. TRO. Menippe, nouerit Amphilochus hic ipſi pro ſeſe reſpondendum eſſe, cæterùm ego Heros ſum, vaticinórque ſi quis ad me deſcenderit. At tu videre nunquam omnino Lebadiam adiiſſe, neque enim alioqui iſta non crederes. MEN. Quid ais? Equidem niſi Lebadiam fuiſſem profectus, ac linteis amictus, offam ridiculè manu geſtans, per anguſtum aditum in ſpecum irrepſiſſem, nequaquam fieri potuiſſet vt te defunctum eſſe cognoſcerem, périnde atque nos, ſoláque præſtigiatura reliquos antecellere. Sed age per ipſam diuinandi artem, quid tandem eſt Heros? neque enim intelligo. TROPH. Eſt quiddam partim ex homine, partim ex deo compoſitum. MEN. Nempe quod neque ſit homo, quemadmodum audio: neque deus, verùm pariter vtrunque. Ergo dimidia illa tui ac diuina pars, quò nunc receſsit? TRO. Reddit oracula, Menippe, in Bœotia. MENIP. Haud intelligo quid dicas Trophoni, niſi quòd illud planè video, te totum eſſe mortuum.

MERCVRII ET Charontis,

Iacobo Micyllo Interprete.

MERCVRIVS.

RATIONEM ſupputemus portitor, ſi videtur, quantum mihi debeas iam, ne denuò aliquando de eo inter nos contendamus. CHAR. Supputemus Mercuri. Satius enim eſt maturè id agere, déinde & minoris negotii. MERC. Anchoram, vt mandaras, comparaui tibi quinque drachmis. CHAR. Caro dicis. MERC. At per Plutonem, quinque emi illam: & præterea lorum quo remũ alligares, obolis duobus. CHAR. Pone quinque drachmas, & obolos duos. MERC. Et pro reſarciendo velo quinq; obolos ego exolui. CHAR. Etiam hos appone. MER. Et ceram ad oblinendas nauigii rimas tibi emi: & clauos præterea, & funiculum vnde hyperam feciſti, omnia hæc duabus drachmis. CHAR. Rectè, laudo, hęc vili emiſti. MERC. Hæc ſunt quæ tibi expoſui: niſi ſiquid reliquum eſt quod me fugit inter computandũ. Quando autem hæc redditurum te promittis? CHAR. Nunc quidem, Mercuri, non poſſum. Si verò peſtis aliqua aut bellum confertos & frequentes huc demiſerit aliquos, licebit mihi tum allucrari aliquid, ſubtracto clàm nonnihil ex portorio. MER. Próinde ego nunc ſedebo peſsima quęq; vt eueniant precando, vt inde fructum aliquem capiam. CHAR. Fieri aliter non poteſt, Mercuri. Nam pauci nunc, vides, ad nos deſcendunt. Pax enim eſt. MERCVR. Satius eſt ita eſſe, etiam ſi ob hoc abs te prorogatur nobis debiti iſtius ſolutio. Verùm enimuero priſci illi, Charon, noſti quales aduenire ſolebant, quàm fortes atque animoſi omnes, cruore madidi, & vulneribus pleni plerique? Nunc autem aut veneno aliquis à filio interfectus, aut ab vxore, aut præ nimia voluptate tumefacto ventre, & crutibus aduenium. Pallidi enim omnes, & ignaui, neque ſimiles prioribus illis. Plurimi autẽ ipſorum etiã pecuniarum cauſſa veniunt factis (vt videtur) mutuò ſibi inſidiis. CHARON: Omnino enim expetibiles illæ ſunt. MERC. Proinde neq; ego videar peccare grauius aliquid, ſi vel acerbiùs abs te exigam ea quæ mihi debes.

Hyperę funiculi ſunt quibus antennarum cornua tra ducũtur: vnde prouerbiũ: Omiſſa hypera pedẽ quæris. Vide Eraſ. & Suid.

PLVTONIS ET Mercurii,

Iacobo Micyllo Interprete.

PLVTO.

SEnémne noſti, iſtum ætate omnino confectum dico, Eucratem diuitem, cui liberi quidem nulli ſunt, hæreditatis autẽ captatores plus quàm quinquaginta millia? MERC. Noui: Sicyonium illũ dicis. Sed quid poſtea? PLVT. Viuere illum quidem Mercuri ſine vltra eos quinquaginta annos, quos ætate peregit, alteris totidem accumulatis, ſi modò poſsibile ſit, atque etiam pluribus: adulatores autem ipſius, Charinum adoleſcentem, & Damonem, & cęteros abripe huc ordine omnes. MERC. Atqui abſurdum hoc videri queat. PLVT. Haud quaquam, imò iuſtiſſimum Quam enim ob cauſſam illi adeò optant illum mori, niſi quia pecuniam illius ambiunt, nulla propinquitate iuncti? Quod autem omnium ſceleratiſsimum eſt, interea cùm talia precantur, tamen obſeruant, & colunt manifeſtè vtique illũ. Ac quæ ægrotante illo apud ſe conſultent, nemo ignorat: attamen ſacrificaturos ſeſe promittunt, ſi cõualeſcat denuo: & in ſumma, varia quædam adulandi ratio illorum hominum eſt. Quã ob rem ipſe quidẽ immortalis ſit, illi autem præ ipſo abeant, fruſtra hiantes. MERC. Ridicula patientur,

In hæreditates qui ſæpe antè quàm capta ti moriuntur.

patientur ſceleratí cùm ſint. Sed tamẽ & ille ad modũ ſcitè circunducit illos,& ſpe paſcit inani: & in ſumma,ſemper morituro ſimilis,multò validus magis eſt quã quiſquã iuuenis. Illi autẽ hæreditate inter ſe diuiſa paſcuntur,vitã quandam beatam ſecum ipſi animo præcipientes. PLVT. Proinde ipſe exuta ſenectute,quẽadmodum Iolaus ille,in iuuenem redeat,illi autẽ in ipſa media ſpe,diuitiis illis quaſi per ſomnum ſpectatis deſtituti,abeãt iã huc,mali malè mortui. MER. Alias res cura Pluto.iam enim accerſam tibi illos,alium ſuper alium ordinem. ſeptem autẽ,opinor,ſunt. PLVT. Deducas licet. Ille autem mittat ſingulos præ ſe,ex ſene iterum in adoleſcentem conuerſus.

TERPSIONIS ET Plutonis,

P. Virunio interprete.

TERPSION.

Expoſtulatio quòd ſenes iuniorib⁹ ſuperuiuant.

IVſtúm ne hoc eſt ô Pluto,me quidẽ è vita abiiſſe,triginta cũ ſim annorum: Thucritum verò ſenem ſeptuagenarium,& vltrá,adhuc viuere? PLVT. Iuſtiſsimùm quidem ô Terpſio. Nã & ſi ipſe viuit,certè ad nullius tamen mortem affectus eſt: tu verò omni tẽpore illius hæreditatẽ expectãs, eum mori auidiſsimè cupiebas. TERP. Nonne opus fuerat cùm ſenex ſit, nequeátq; de cætero ſuis vti diuitiis,locum dare iuuenibus? PLVT. Nouas ô Terpſio ſtatuis leges,quum ad voluptatem diuitiis vti nequeat,ipſum è vita decedere. Aliter autẽ & Parca & natura ſtatuiſſe videtur. TERP. Proinde hãc obhuiuſcemodi accuſo ordinem:decebat enim has res ſucceſsione gradúque fieri,ſenem primò,deinde qui in ea ætate ſe queretur,mori:haudquaquam autẽ exerceri aut viuere,qui ſenectute decrepitus eſſet,qui tres dũtaxat dentes habeat,cui vix deſeruiũt oculi, qui curuatus à quatuor famulis deducitur, deguttantes nares,lippóſq; oculos habens,nihil denique voluptatis deguſtans,haud aliud exiſtens,quã animatum quoddam ſepulchrum,ab ipſa iuuentute deriſum:& contrà mori optimos atq; robuſtiſſimos adoleſcentes. Nam hoc perinde eſſe videtur,ac ſi flumina ſurſum deferantur. Aut ſaltem ſcire neceſſe foret,quando & ſenũ quilibet obiturus eſſet,ne quos,prout eis mos eſt, fallerent. Nunc verò illud accidit quod prouerbio dici ſolet:Quadrigæ bouẽ ſæpiſsimè ducit. PLV. Hæc quidem,ô Terpſio,prudentius fiunt, quàm tibi profectò videntur. Verùm & vos quid paſsi eſtis quòd rebus alienis gaudetis,& ſenibus filiis orbatis voſmet tantopere in adoptionem traditis? quamobrem in deriſum adducti,ab illis ſepelimini:quod quidem plurimis fit periucundum. Nam quantò vos magis mori illos peroptatis,tantò plus omnibus quàmgratiſsimum eſt, ſi ante eos vos mori contingat. Etenim nouam quandã in medium adducitis artem,aniculas atque decrepitos cum amatis,præſertim quidem ſi liberis ſint orbati. qui verò liberos habent,illorũ vobis non eſt cura. Atqui ex his qui amantur,plurimi, minimè veſtri ignari aſtus,etiam ſi ipſis liberos eſſe contingat,illos odiſſe diſsimulant,vt & ipſi habeant amatores. Inde iis in teſtamento excluſis, qui munera diutiſsimè obtulerunt: liberi, ſicuti profectò dignum eſt, omnem eorum ſubſtantiã conſequuntur:at illi triſtitia affecti,ſuáq; ſpe deluſi,dentibus fremunt. TER. Omnia hæc vera ſunt,quæ de me,& Thucrito autumas. Quantũ enim meorum ille deuorauit, quum ſemper eũ mori putarem? Ac quoties ad eum ingrediebar: gemendo,& interdum quiddam perinde atq; ex ouo pullus aliquis immaturus ſtridendo, ægritudinem ſimulabat. Vnde quanto citius eum ad ſepulchrum duci exiſtimabam,tãto plus illi donorum mittebam,vt ne ii,qui in amore concurrebant,muneribus me præclaris vincerent. Plerunque etiam præ nimia ſolicitudine inſomnis iacebam,ſingula enumerans,ac vnumquicque diſponens. Eáque etiam cauſa interitus mihi fuit curæ videlicet & vigiliæ. Ille autem deglutito hoc illectamento meo tanto,adſtitit mihi quando ſe peliebar paulò antè,arridens. PLV. Euge ô Thucrite,diutiſsimè viuas,vnà & diuitiis abundans, & huiuſcemodi homines deridẽs:neq; prius moriaris,quàm hos blanditores cunctos premittas. TERP. Hoc quidem ô Pluto periucundum mihi foret,ſi ante Thucritum Chariades vita decederet. PLV. Boni animi ſis ô Terpſio: & Phido etiam,& Melantus,& omnes penitus ipſum præcedent,ſuis ipſorum curis cõfecti. Hęc ego ſummopere laudo, ô Thucrite, diutiſsimè viuas.

ZENOPHANTAE & Callidemidæ,

Eraſmo Roterodamo interprete.

ZENOPHANTES.

Hæredipeta veneno quod alteri parauerat, periit.

AT tu Callidemides,quo pacto interiiſti? Nam ipſe quemadmodum Diniæ paraſitus cùm eſſem,immodica ingurgitatione præfocatus fuerim, noſti. aderas enim morienti. CAL. Aderã Zenophantes. Porrò mihi nouum quiddam atq; inopinatum accidit. Nam tibi quoq; notus eſt Ptœodorus ille ſenex. ZEN. Orbum illum dicis, ac diuitem,apud quem te aſsiduè verſari cõſpiciebam? CAL. Illum ſemper captabam,colebámq;,id mihi pollicens fore,vt meo bono quàmprimũ moreretur. Verùm quum ea res in longum proferretur,ſene videlicet vel vltra Tithonios annos viuente, compendiariam quandam excogitaui viam,qua ad hæreditatẽ peruenirem. Siquidem empto veneno,pocillatori perſuaſeram,vt ſimul atq; Ptœodorus potũ poſceret, (bibebat autem prolixius)præſentius in calicẽ proiiceret,haberétq; in prõptu porrecturus illi. Quod ſi feciſſet iureiurando cõfirmabam me illum manumiſſurum. ZENO. Quid igitur accidit? nam inopinatum quiddã narraturus mihi videris. CAL. Vbi iam loti veniſſemus,puer duobus paratis poculis,altero Ptœodoro,cui venenũ erat additum, alterò mihi:neſcio quomodo errans, mihi venenum Ptœodoro porrexit innoxium. Mox ille

quidem bibit, at ego protinus humi porrectim ſtratus ſum, ſuppoſititium videlicet illius loco funus. Quid hoc? Rides Zenophãtes? Atqui nõ conuenit amici malis illudere. ZENOPHAN. Rideo profectò. Nam eleganter, ac lepidè tibi hæc res euênit. Porrò ſenex ille quid interim? CAL. Primùm ad caſum ſubitum atque inexpectatum ſanè conturbatus eſt: deinde ſimul atque intellexit id quod acciderat, puta pocillatoris errore factum, riſit & ipſe. ZENO. Rectè ſané. Tametſi non oportuit ad componendum illud diuertere, ſi quidem veniſſet tibi populari, vulgagatáq; via tutius certiúſque, etiã ſi paulò ſerius.

CNEMONIS ET Damnippi,

Eraſmo Roterod. interprete.

CNEMON.

In hæredipetas

HOc illud eſt quod vulgò dici conſueuit, Hinnulus leonem. DAM. Quid iſthuc eſt quod tecũ ſtomachare Cnemon? Quid ſtomacher, rogas? Equidem hæredem reliqui quendam præter animi ſententiam, videlicet aſtu deluſus miſer, iis quos maximè mea cupiebam habere, præteritis. DAM. Sed iſthuc quinam euênit? CNE. Hermolaum nobilem illum diuitem, quum orbus eſſet imminente morte captabam, aſsidens atque inſeruiens. Neq; ille grauatim officium meum admittebat. At interim illud quoque mihi viſum eſt ſcitũ, conſultúmque, vt teſtamentum proferrem, ac publicarem, quò illum rerum mearum in ſolidum hæredem inſtitueram, nimirum, vt ille viciſsim idem faceret, meo prouocatus exẽplo. DAM. At quid tandem ille? CNE. Quid ille ſuo in teſtamento ſcripſerit, id quidem ignoro: cæterùm ego repentè atq; inſperatò è vita deceſsi, tecti ruina oppreſſus: & nunc Hermolaus mea poſſidet, lupi cuiuſpiam in morem ipſo hamo cum eſca pariter auulſo. DAM. Imò non eſcam modò cum hamo, quin etiam te quoque piſcatorem ſimul abſtulit. Itaq; technam iſtam in tuũ ipſius caput ſtruxeras. CNE. Sic apparet, ídque adeò deploro.

SIMYLI ET Polyſtrati.

Eodem interprete.

SIMYLVS.

Plures vnius diuitis hæreditatẽ ambientes deluſi.

VENISTI tandem & tu Polyſtrate ad nos, quum annos vixeris haud multò pauciores centum opinor. POL. Nonaginta octo Simyle. SIM. Sed quinam triginta iſtos annos egiſti, quibus mihi fueras ſuperſtes? Nam ipſe perii te fermè ſeptuagenario. POL. Quàm ſuauiſsimè profectò, etiam ſi hoc mirum tibi videbitur. SIM. Mirum verò, ſi quidem tibi primùm ſeni, deinde inualido, poſtremò etiam orbo quicquã poterat eſſe in vita ſuaue? POL. Principio nihil erat, quod non poſſem præterea pueri formoſi complures aderant, tum mulieres nitidiſsimæ, vnguenta, vinum mirè fragrans, poſtremò menſæ vel Siculis illis lautiores. SIMYL. Noua narras. Nam ego te planè ſordidum ac parciſsimum eſſe ſciebam. POL. Atqui, vir præclare, ex alienis arcis opes mihi ſubſcatebant. Tum diluculo protinus quàmplurimi mortales ad fores meas ventitabant, ſimúlque ex omni rerum genere, quę terrarum vbiuis pulcherrimæ reperiuntur, munera deportabantur. SIM. Num me defuncto regnum geſsiſtis? POL. Minimè, verùm amantes habebam innumeros. SIM. Non poſſum non ridere. tú ne amãtes, tantus natu quum eſſes, víxque tibi dentes ſupereſſent quatuor? POL. Habebam equidem per Iouem optimates ciuitatis, quúmque eſſem tum ſenex, tum caluus, ſicuti vides, præterea lippiens etiam, ac ſenio cæcutiens, poſtremo naribus muccoſis, tamen cupidiſsimè mihi inſeruiebant, adeò, vt is felix videretur, quemcunq; vel aſpexiſſem modó. SIM. Num tu quoque quem admodum Phaon ille, Venerem aliquam è Chio tranſuexiſti, vt ob id optanti tibi illa dederit rurſum ad iuuentam redire, ac denuo formoſum, atq; amabilem fieri? POL. Haudquaquam: quin magis quum talis eſſem, qualem dixi, tamen ſupra modum adamabar. SIM. Aenigmata narras. POL. Atqui notiſsimus eſt hic amor, quum vulgo ſit frequens, nempe erga ſenes orbos diuites. SIM. Nunc tua forma vnde tibi profecta fuerit, intelligo, vir egregie, nimirum ab aurea illa Venere. POL. Veruntamen non parum multas cõmoditates ab amantibus tuli, Simyle, propemodum etiam adoratus ab illis. Porrò ſæpius etiam quaſi procax illis illudebam, excludens interdũ nonnullos eorum: interim illi inter ſeſe decertabant, & in ambiendis primis apud me partibus alium alius anteire nitebatur. SIM. Sed age, de facultatibus tuis quid tandẽ ſtatueras? POL. Palàm quidem affirmabam, me vnumquenque illorum relicturum hæredem: ídque illi quum crederent futurum, certatim ſe quiſque obſequẽtiorem atque adulantiorem præbebat. Cæterùm alteras veras illas tabulas, quas apud me ſeruaueram, reliqui, in quibus omnes illos plorare iuſsi. SIM. At poſtremæ illæ tabulæ quem pronuntiabant hæredem? Num è cognatis quempiã? POL. Non per Iouem, imò nouitium quendam ex formoſis illis adoleſcentulis, natione Phrygẽ. SIM. Quot annos natum Polyſtrate? POL. Viginti fermé. SIM. Iam intelligo quibus obſequiis ille te demeruerit. POL. Attamen multò illis dignior, qui ſcriberetur hæres, etiam ſi Barbarus erat, ac perditus, quem iam ipſi etiam optimates colunt capténtque. Is igitur mihi extitit hæres: iámque inter patricios numeratur, ſubraſo mento, Barbaróque cultu, ac lingua: quin eum Codro generoſiorem, Nireo formoſiorem, Vlyſſe prudentiorem eſſe prædicant. SIM. Non laboro, vel totius Græciæ ſit imperator, ſit liber, modò ne illi potiantur hæreditate.

CHA

CHARONTIS ET Mercurii,

Martino Bolero interprete.

Interlocutores, Charon, Mercurius, Mortui, Menippus, Charmoleus, Lampichus, Damaſias, Philoſophus, Rhetor.

CHARON.

AVdite quo loco ſint res veſtræ. Equidem parua eſt nobis, quemadmodum videtis & carioſa nauicula, & quæ vndique perfluit, quòd ſi in alteram partem ſe inclinarit, planè ſubmerſa peribit: atq; veſtrum tam multi ſimul confluunt, & ſinguli pluri mas ſarcinas adferunt. Quòd ſi cum his nauiculam cõſcenderitis, vereor ne poſtea vos facti pœniteat, maximè verò eos qui nandi ſunt imperiti. MORT. Quid igitur faciendum erit, vt ſine periculo nauigemus? CHAR. Ego vobis dicam: nudos vos ingredi oportet, atq; iſta omnia quæ ſuperflua ſunt, in littore relinquere. Nam ſic etiã vix capiet vos nauicula. Tibi verò Mercuri deinceps curæ erit neminem ex illis recipere, niſi nudus ſit, & ſupellectilem abiecerit. Itaque ad ipſas ſcalas te ſtatuas, ipſóſq; cognoſcito, & ſuſcipito, nudóſque ingredi cogito. MERC. Rectè dicis, atque ſic faciemus. Quis eſt ille primus? MEN. Ego Menippus ſum. Ecce autem peram & baculum in paludem abieci: verùm rectè feci, qui pallium non acceperim. MERC. Ingredere ô Menippe vir optime, primúmque apud gubernatorem nauis, locum accipe, in ipſa ſummitate, quò omnes poſsis intueri. Verùm quis ille formoſus eſt? CHA. Charmoleus ſum Megarenſis ille amator, cui oſculum vnum duobus talentis conſtitit. MERC. Exue igitur iſtam pulchritudinem, & labia vnà cum oſculis, iſtam etiam denſam comã, & genarum ruborem, adeóque totam cutem. Bene ſe res habet, expeditus es, ingredere nunc. Quis verò ille eſt purpuratus, & diademate præcinctus, grauitatem quandã præ ſe ferens? Quis es tu? LAMP. Lampichus ſum Geloorum tyrannus. MER. Quid igitur cum tot ſarcinis veniſti? LAMP. An ne nudum aduentare cõueniebat tyrannum? MER. Nequaquam tyrannum, ſed mortuum. itaque depone iſta. LAMP. Ecce abieci diuitias. MER. Sed ſuperbiam ô Lampiche, & faſtum etiam abiice: nam iſta ſi nauiculam coincidant, vehementer grauabunt eam. LAMP. Igitur ſine vt diadema habeam ſaltẽ, & ſtragulũ. MER. Nequaquam, imò & hæc relinquito. LAMP. Sit ita. quid præterea vis? Nam omnia, vt vides, abieci. MERC. Crudelitatem etiam & amentiam, & violentiam, & iracundiam, atq; his ſimilia depone. LAMP. Ecce nudus ſum. MER. Ingredere nunc. Tu verò pinguis admodum, & carnoſus quis es? DAM. Damaſias ego ſum athleta. MER. Certè videris ille eſſe: ſcio enim te ſæpe in palæſtris à me viſum. DAM. Ita eſt ô Mercuri. Verùm accipe me, nudum exiſtentem. MERC. Nequaquam ô bone vir nudus es, tanta carne circundatus: itaque exue eam. Nam ſi vel alterum tantùm pedem in nauẽ poſueris, ſubmerges eam. Sed & coronas iſtas & præconia abiicito. DAM. En planè nudus ſum, vt vides: & ſimili cum aliis mortuis ſtatura. MERC. Sic præſtat leuem eſſe. itaque inſcende iam. Et tu ô Crato diuitias abiice, præterea mollitiem, & delicias, neque feras tecum epitaphia, neque maiorum tuorum dignitates. Relinque etiam genus, & gloriam. Item ciuitatum de quibus ſcilicet bene meritus es, publica præconia ſtatuarum inſcriptiones: & dicas ne tibi magnum ſepulchrum conſtruant. nam & hæc grauant, ſi in memoriam reuocentur. CRA. Inuitus certè, ſed tamen abiiciam, quid enim faciam? MERCV. Papæ! Quid tibi vis armatus? aut quid iſtud trophæum tecum circumfers? CRAT. Quia vici Mercuri, & res præclaras geſſi, propterea ciuitas hoc me honore affecit. MERC. Relinque trophæum in terra. apud inferos enim pax eſt, neque vllis armis opus eſt. Verùm quis ille eſt ipſo habitu grauitatem quandã præ ſe ferens, elatus, & cõtractis ſuperciliis propter curas, longa barba? quis eſt ipſe? MENIP. Philoſophus quidam eſt ô Mercuri: imò præſtigiarum, & nugarum plenus. Itaque & hũc exue, videbis enim multa, eáque ridicula ſub palliolo occulta eſſe. MERCVRIVS. Depone tu hunc habitum primùm, deinde hæc quoque omnia. O Iupiter quantam ille arrogantiam, quantam inſcitiam, & quantum contentionũ, & inanis gloriæ, quantum quæſtionum dubiarum, quantum ſpinoſarum diſputationum, & cogitationum perplexarum, circumfert? imò quàm multos vanos labores, & deliramenta non pauca? quantas item nugas, & quantam curioſitatem? Sed per Iouem aurum etiam hoc, & voluptatem, & impudentiã, iracundiam, delicias, & mollitiem ſecum habet: neque enim latẽt me iſta, etiam ſi ſtudioſè celas Verùm abiice mendacia etiam & ſuperbiam, & opinionem illam, qua exiſtimas te omnibus reliquis præſtantiorem eſſe. Nam ſi cum rebus omnibus ingrediaris, quæ quinqueremis te acciperet? PHIL. Depono igitur ea, quandoquidẽ ſic iubes. MEN. Sed & barbã hanc deponat Mercuri, grauem equidem & hirſutam, vt vides. capilli ſunt trium minarum ad minus. PHIL. Sed quis abradet? MERC. Menippus ille ſecurim accipiens, quibus naues fabricantur, eam reſecabit, vtetur autem ſcalis naualibus, quibus ſuperpoſita barba reſecetur. MEN. Nequaquam Mercuri, ſed da mihi ſerram. hoc enim erit magis ridiculum. MERC. Sufficiet bipennis. MEN. Euge, humanior nunc appares, depoſito hircino fœtore. Vís ne vt parum etiam de ſuperciliis auferam? MERCV. Maximè, nam hæc ſuper frontem etiam attollit, neque ſcio quo ſeipſum extendat. Quid hoc rei eſt? etiam ploras ſceleſte? & mortem times? ingredere igitur. MEN. Vnũ quiddam adhuc grauiſsimum geſtat ſub alis. MERCV. Quid Menippe? MEN. Adulationem Mercuri, quæ illi, dum viueret, multùm profuit. PHILO. Igitur & tu Menippe tuam abiice libertatem, & loquendi audaciam, lætitiam, animi magnitudinem, & riſum. An tu ſolus alios omnes ridebis? MENIP. Nequaquam, ſed retine iſta. Leuia enim ſunt, & planè facilia portatu, &

ad nauigandum prosunt. Tu verò Rhetor abiice istam tantam verborum contradictionem, & antitheses, & similitudines, item periodos, & barbarismos, atque alia sermonis pōdera. RHETOR. En abiicio. MERCV. Bene se habent res. Itaq; solue funem: attollamus scalas, attrahatur anchora, expande velum, túque nauta clauum dirige. Simus hilares. Quid ploratis ô vos amētes? præsertim tu Philosophe, qui paulò antè tua barba spoliatus es. PHIL. Quia existimabam immortalem esse animam. MEN. Mentitur. nam alia sunt, quæ videntur eum mœrore afficere. MERC. Qualia? MEN. Quia non amplius tam opiparas cœnas habebit, neque noctu exiēs clam omnibus circumuoluto palliolo capiti, ordine omnia accedet scorta, nec manè deceptis adolescentibus sua sapiētia, pecuniam accipiet. hæc sunt, quæ illi dolent. PHIL. An tibi molestum non est, Menippe, quòd mortuus es? MEN. Quomodo posset esse molestū mihi, qui ad mortem festinaui nemine vocante? Verùm nonne clamor quidam interim, dum nos confabulamur, exauditus est, veluti quorundam in terra vociferantium. MERCV. Certè Menippe: verùm non vno tantum loco exauditur clamor, sed quidam in vnum cœtum conuenientes, cum voluptate derident mortuum Lampichum, & illius vxorem mulieres circūstrepunt: atque illius pueri nuper admodum geniti, multis lapidibus à pueris obruuntur. Quidam Diophantum Rhetorem laudant, in Sicyone funebres orationes recitantem de hoc Cratone. Et per Iouem Damasiæ mater vlulans, lamentationem inceptat vnà cum mulieribus pro Damasia. Te verò, Menippe, nemo est, qui deploret, & solus iaces tranquillus. MEN. Nequaquam. nam haud ita multò pòst, audies canes miserabiliter latrantes propter me: & coruos alas concutientes, quando ad sepeliendum me conuenient. MERCV. Fortis es, Menippe. Sed quia iam transfretauimus, abite vos rectà per hanc viam ad forum iudiciale: ego verò & nauta alios transuectabimus. MEN. Feliciter nauigate ô Mercuri, nos quoque progrediemur. Verùm quid præterea de vobis futurum est? Iudicium de vobis ferre oportebit, & quidem aiunt pœnas esse graues, rotas, aquilas, & lapides. Vniuscuiusque autem vita examinabitur.

CRATETIS ET Diogenis,

Erasmo Roterodamo interprete.

CRATES.

Sola virtus defunctorū comes.

MOerichum diuitem noueráne Diogenes? illum inquam supra modum diuitem, illum Chorintho profectū, cui tot erant naues onustæ mercibus cuius consobrinus Aristeas quum ipse quoquè diues esset, Homericum illud in ore solebat habere: Aut me confice tu, aut ego tete. DIOG. Cuius rei gratia sese captabant inuicē, Crates? CRAT. Hæreditatis causa, quum essent æquales, vterque alterum captabant. Iámque testamenta publicauerant ambo, in quibus Mœrichus, si prior moreretur, Aristeam omnium rerum suarum dominum relinquebat: Mœrichum vicissim Aristeas, si quidem ipse prior è vita decederet. Hæc igitur quum essent in tabulis scripta, illi inter sese captabant, & alter alterum adulationibus obsequiisque superare contendebat. Porrò diuini, haud scio vtrum ex astris id quod futurum sit coniectantes, an somniis, quemadmodum Chaldæi faciunt, quin & Pythius ipse, nunc Aristeam victorem fore pronuntiabat, nūc Mœrichum: ac trutina quidem interim ad hūc, interim ad illū propendebat. DIOG. Quid igitur tandem euēnit? nā audire est operæprecium, Crates. CRAT. Eodem die mortui sunt ambo: cæterùm hęreditates ad Eunomium ac Trasyclē deuenerunt, quorum vterq; cognatus illis erat. atqui de his nihil prædixerant diuini futurum, vt tale quippiam accideret. Etenim quum Sicyone Cirrham versus nauigarent, medio in cursu obliquo orto Iapyge euersa naui, perierunt. DIOG. Rectè factum. At nos quum essemus in vita, nihil eiusmodi alter de altero cogitabamus. Neque enim ego vnquam optabam vt moreretur Antisthenes, quo nimirum baculus illius ad me rediret hæredem: neque tu Crates opinor desiderabas, vt me mortuo in possessionum mearum successionem venires, puta dolii, ac peræ, in qua quidem lupini chœnices inerant duæ. CRAT. Neque enim mihi quicquam istis rebus erat opus, imò ne tibi quidem Diogenes: siquidem quæ ad rem pertinebant, quæque tu Antistheni succedens accepisti, deinde ego succedēs tibi, ea nimirum multò sunt potiora, multóque splendidiora, quàm vel Persarum imperium. DIOGE. Quænam sunt ista quæ dicis? CRAT. Sapientiam inquam, frugalitatem, veritatem, dicendi, viuendíque libertatem. DIOG. Per Iouem memini me in istiusmodi opum hæreditatem Antistheni successisse, tibíque eas longè etiam maiores reliquísse. CRAT. Verùm reliqui mortales hoc possessionum genus aspernabantur, neque quisquam nos ob spem potiundæ hæreditatis obsequiis captabat, sed ad aurum omnes intendebant oculos. DIOG. Nec iniuria. neque enim habebant quò facultates eiusmodi à nobis traditas acciperent: quippe rimosi iam, viciatíque delitiis, non aliter, quàm vasa carie putria. Quo fit, vt si quando quis in illos infundat, vel sapientiam, vel libertatem, vel veritatem, effluat illico perstillétque, fundo, quod immissum est continere non valente: cuiusmodi quiddam & Danai filiabus aiunt accidere, dū in dolium pertusum haustam aquam importāt: at iidem aurum dentibus & vnguibus, omnique vi seruabant. CRATES. Proinde nos hìc quoque nostras possidebimus opes: illi simul atque huc venerint, obolum duntaxat secum ferent, ac ne hunc quidem vlterius, quàm ad portitorem,

LVC

LVCIANI SCIPIO,

P. Virunio interprete.

Interlocutores,
Alexander, Hannibal, Minos, Scipio.

ALEXANDER.

OLIBICE, me decet præponi: melior equidem sum. HAN. Imò verò me. ALEX. Iudicet ergo Minos, qui sem per iustissimus iudex est habitus. MINOS. Quis es tu? ALEX. Hic est Hannibal Carthaginensis: ego autem Alexander Philippi regis filius. MIN. Per Iouem vtrique glorioſi. Sed qua de re vobis altercatio est? ALEX. De præstantia: dicit enim is sese meliorem, quàm ego ducem exercitus fuisse: ego verò quemadmodũ omnes sciunt, non hoc solùm, sed omnibus fermè, qui ante meam ætatem fuere, in re militari prestantiorem me esse affirmo. MIN. Dicat ergo vterque vicissim pro virili, tu verò ô Libyce prius loquaris. HAN. Vnũ hoc me iuuat, quòd & hîc sermonem Græcum didicerim, vt neque etiam hac in re Alexander me superet. Porrò illos maximè laudis dignos puto, qui quum parui à principio fuere, propria virtute ad magnam gloriã euasere, potentésq; per se ipsi facti, & principatu digni habiti. Ego igitur cũ paucis quibusdam Hispaniam primùm inuadens, quũ subcon sul essem fratri additus, maximis rebus idoneus, atque optimus iudicatus, ibi tum Celtiberos cepi, atque Gallos ipsos deuici: & quum magnos montes transmigrassem, omnem Eridanum trãscurri, multásque ciuitates euerti, & planam Italiam subiugaui, & vsq; ad suburbia Romæ grassatus sum, tótque vno die Romanos cecidi, vt eorum annulos modiis mensurari oportuerit, & ex cadaueribus pontes fluminibus fecerim. Atque hæc omnia peregi, nec Ammonis dictus filius, neque Deũ me fingens, aut matris insomnia narrans: sed me hominem fatebar, pugnabámq; contra duces magna prudentia, contra milites magna audacia atque fortitudine præditos, non aduersus Medos, aut armenios, qui antequàm quispiam sequatur, fugiunt, & facilè cuiuis audẽti victoriam tradunt. Alexãder verò regni patris successor, & id fortunæ quodam impetu ampliauit: qui quum deuicto misero illo Dario apud Issum & Arbelas victoriam cepit, antiquam ex patre consuetudinem omittens, adorari sese voluit, se séq; ad Medorum delicias inuitari libenter tulit, atque in conuiuiis amicos interemit, interficientibúsq; auxilium tulit. Ego autem patriæ dominatus sum, quæ quum me reuocaret, hostium magna classe aduersus Libyam nauigante, parui, continuóque me hominem priuatum dedi, & dãnatus æquo animo rem tuli. Atque hæc egi Barbarus cùm essem, omnísque Græcorum disciplinæ expers, & neq; Homerum, vt hic, edidici, neque Aristotele sophista magistro eruditus fui, sed solùm mea natura optima sum vsus. Hæc sunt quibus me meliorem Alexandro esse puto. Si verò ea causſa mihi hic præferendus est, quòd caput diademate ornauerit, id decorum forsan apud Macedones est: non tamen ob id præstantior hic videri debet generoso duce, & viro, qui mentis sententia magis quàm fortuna est vsus. MIN. Hic certè orationem neque ingenerosam, neque vt Libycum decebat, dixit: tu verò Alexãder quid ad hæc inquis? ALEX. Oportet quidẽ ô Minos, homini adeo temerario nihil respõdere. Sola enim te fama satis edocere potest qualis ego rex, qualis hic latro habitus fuerit. Aduerte tamen an parum ipsum superauerim, qui cùm adolescens adhuc essem rem aggressus, regnum obtinui, & de patris mei interemptoribus supplicium sumpsi. At quum Thebas subuertissem, toti Græciæ terror fui, ab ea dux electus. Neq; dignum putaui, Macedonum regno me contentũ esse, quod pater reliquerat: sed totum terrarum orbem sitiui: dúrúmque putãs, nisi rerum omniũ dominus essem, paucos quosdam mecum agens, in Asiam exercitum traduxi, & apud Granicum magna pugna vici, Lydiam, Ioniã, & Phrygiã cepi. Et tandem quæcunque transieram subiugans, veni ad Issum, vbi Darius me expectabat, infinitos exercitus secum agens. Post hæc ô Minos, vos ipsi scitis quot ad vos vno die mortuos miserim. Dicit enim Charon, tunc sibi scapham nõ suffeciſſe, sed ratibus compositis illorum plerosque se transportasse. Atque hæc cõfeci meipsum periculis opponens, & in pugna vulnerari non timens. Et vt quæ apud Tyrum & Arbelas gesta sunt, omittam, vsque ad Indos veni: atque Oceanum mei regni terminum feci, & illorum hominum elephantes cepi, ac Porum captiuum abduxi. Scythas verò homines certè nõ spernendos, Tanaim transiens, magna equitum pugna vici, ac amicos meos remuneraui, inimicos autem vltus sum. Si verò Deus hominibus videbar, parcendum illis erat. Nam rerum magnitudine, vt tale aliquid de me crederent inducti sunt. Tandem mors me regem occupauit. Hic autem Hannibal apud Prusciam Bithyniæ exulauit, vt crudelissimo & pessimo homini conueniens erat. Nam quo pacto Italos vicit, omitto dicere: nam non virtute, sed malitia atque perfidia, & dolis id peregit, nũquam aut alicuius claritudinis aut iusti memor. Sed quoniam quòd delicioſè vixerim, vituperauit, oblitus mihi videtur eorum quæ apud Capuam admiserit. Ibi enim mulieribus deditus fuit, & voluptatibus vir iste mirabilis, belli gerendi occasiones prodidit. Ego verò nisi ea quæ sub occidente sunt, parua quidem putans, versus Orientem me impulissem, quídnam adeò magni perfeciſſem? Qui Italiam absq; sanguine capere, ac Libyam, omnémque eam vsque ad Gades, sub potestatem redigere facilè potuissem? Sed hæc ego tanta contentione digna non putaui: præsertim iam antea illis perculsis, ac dominum me agnoscentibus. Dixi. Tu verò Minos iudica. Nam & hæc è multis protulisse satis est. SCIP. Non, nisi me quoque prius audias ô Minos. MIN. Quis tu vir optime es, aut vnde, quòd hisce claris ducibus te cõferre audes? SCIPIO. Scipio Romanus, qui Carthaginem deleui: & Afros multis magnis præliis deuici. MIN. Quid igitur & tu dicis? SCIP. Alexandro qui-

dem minorem esse me, Hannibale autem præstantiorem, vt qui ipsum persecutus fuerim, & ad turpem fugam compulerim. Quomodo igitur non impudens iste videatur, qui cum Alexãdro seſe comparet, cui ne ipse quidem Scipio, qui istũ deuici comparare me ausim? MIN. Per Iouem æqua dicis Scipio: quapropter primus quidem iudicetur Alexander, deinde post illam tu: atq; tum, si placet, tertius hic Hannibal, quippe qui nec ipse contemnendus existat.

DIOGENIS ET Alexandri,

Erasmo Roterod. interprete.

DIOGENES.

Irridetur Alexandri superbia, qui mortalis cũ esset, diuinos tamen honores sibi passus sit exhiberi

QVID hoc rei Alexander? itáne defunctus es tu quoque, perinde atque nos omnes? ALEX. Vides nimirum Diogenes: tametsi mirandum non est, si homo cùm fuerim, defunctus sim. DIOG. Num ergo Iupiter ille hammon mentiebatur, quum te suum esse filium diceret? an verò tu Philippo patre prognatus eras? ALEX. Haud dubiè Philippo. neque enim obiissem, si Hammone paren te fuissem progenitus. DIOG. Atqui de Olimpiade etiam consimilia quædam ferebantur, puta draconem quendam cum ea fuisse cõgressum, visumque in cubiculo: ex eo grauidam peperisse te: porrò Philippũ errare, fallíq;, qui se tuum patrem esse crederet. ALEX. Inaudieram quidem & ipse ista, quemadmodum tu: at nunc video neque matrem neque Hammonios illos vates sani quicquam aut veri dixisse. DIOG. Atta men istud illorum mendacium, Alexãder, ad res gerendas haudquaquam tibi fuit inutile, propter ea quòd vulgus te verebatur, metuebátq;, quum deum esse crederet. Sed die mihi, cuinam tam ingens illud imperium moriens reliquisti? ALEXAN. Id equidẽ ignoro, Diogenes: celerius enim è vita submouebar, quàm vt esset ocium de illo quicquam statuendi, præter id vnum, quòd moriens Perdiccæ anulum tradidi. Sed age, quid rides Diogenes? DIOG. Quidni rideam? an nõ meministi quid Græci fecerint: quum nuper tibi arrepto imperio adularentur, principémque, ac ducem aduersus Barbaros deligerẽt., nonnulli verò in duodecim deorum numerum referrent, ac phana constituerent, denique sacra facerent tanquam Draconis filio? Sed illud mihi dicito, vbi te sepelierunt Macedones? ALEX. Etiamdum in Babylone iaceo tertium iam diem: porrò Ptolemæus ille satelles meus, si quando detur ocium ab his rerum tumultibus, qui nũc instant, pollicetur in Aegyptũ deportaturum me, atque inibi sepulturum, quò vicelicet vnus fiam ex diis Aegyptiis. DIOGE. Non possum non ridere Alexander, qui quidem te videam etiam desipientem, sperantémque fore vt aliquãdo vel Anubis fias, vel Osiris. Quin tu spes istas omittis ô diuinissimè? neque enim fas est reuerti quẽquam, qui semel paludem transmiserit, atq; intra speeus hiatum descenderit, propterea quòd neq; indiligens est Aeacus, neq; contemnendus Cerberus. Verùm illud abs te discere peruelim, quo feras animo quoties in mentem redit, quanta felicitate apud superos relicta huc sis profectus, puta corporis custodibus, satellitibus, ducibus, tum auri tanta vi, ad hoc populis, qui te adorabant: præterea Babylone, Bactris: immanibus illis belluis, dignitate, gloria: deinde quòd eminebas cõspicuus, dum vectareris, dum amiculo candido caput haberes reuinctum: dum purpura circumamictus esses: nunquid hæc te discruciant: quoties recursant animo? Quid lacrymaris stulte? an non id te sapiens ille docuit Aristoteles, ne res eas quæ à Fortuna proficiscantur, stabiles, ac firmas existimares? ALEX. Sapiens ille, quum sit assentatorũ omnium perditissimus? Sine me solùm Aristotelis facta scire, quàm multa à me petierit, que mihi scripserit: deinde quemadmodum abusus sit mea illa ambitione, qua cupiebã eruditione cæteris præstare, quum mihi palpare tur interim, ac prædicaret me, nunc ob formam, tanquam & ipsa summi boni pars quædam esset: nunc ob res gestas atq; opes: nam has quoq; in bonorum numero collocandas esse censebat, ne sibi vitio verteretur, quòd eas acciperet. Planè præstigiosus vir ille quidem erat, ac fraudulẽtus, ô Diogenes: quãquam illud fructus scilicet ex illius sapientia fero, quòd nũc perinde quasi summis de bonis excrucior, ob ista quæ tu paulò antè commemorasti. DIOG. At scin' quid facies? ostendam tibi molestiæ istius remedium. Quandoquidem in his locis veratrum non prouenit, fac vt Lethæi fluminis aquam auidis faucibus attrahens bibas, iterúmque ac sæpius bibas: atque eo pacto desines de bonis Aristotelicis discruciari. Verùm enim Clitum etiam illum & Callisthenem video, cùmque his alios complureis raptim huc seſe ferentes, quò te discerpant, pœnásque sumant ob ea quæ quondam in illos commisisti, quare fac in alteram hanc ripam te conferas, & crebriùs vt dixi, bibas.

Aristotelis fraus.

ALEXANDRI ET Philippi.

Ottomaro Luscinio interprete.

PHILIPPVS.

Culpatur Alexandri arrogantia, & cõmentum quo deũ se haberi voluit.

NON igitur inficiaberis Alexander ex me prognatum te esse filium: nam ad Iouem Hammonem genus paternum referens, mortẽ non obiisses. ALEX. Neque verò nescius eram, pater, Philippi Amyntæ me esse filium: sed quia ad res gerendas sic mihi visum erat conducere, commẽto hoc vsus sum vaticinii. PHIL. Quid ais? Conducibile id tibi visum, vt vatibus impostoribus fallendum te exponeres? ALEXAN. Nõ isthuc, sed barbaros in mei admirationẽ tractos, facilius hoc prætextu nostro subdidimus imperio: quum nemo vnus viribus nostris hactenus restiterit, quippe hac sola opinione ducti, quòd aduersus deum sibi esset præliandum. PHIL. Quos tu igitur tanto conatu dignos vsquam vicisti, qui cum timidis illis, arculis, peltariis, ac gerris vimineis pugnare solitis, semper congressus es? Atqui Græcos armis

mis domare, Bœotios, Phocenſes, Athenienſes, & id genus alios, operis fuerat ſtrenui atq; magnifici. Arcadum inſuper ſuſtinere armaturam, equitatum Theſſalum, Eleorum iaculatores, Mãtineos peltis inſtructos, aut eũ Thracibus, Illyriciis, Pæonibúſve manum conſerere, operoſum profectò atq; arduum id fuiſſet in primis. Cæterùm Medos, Perſas & Chaldæos delicatos, ac plurimo auro conſpicuos, non ſatis compertum habeo, quonam modo ante te duce Clearcho mille viri bello adorti expugnarint, fœdè in fugam actos antequàm ad manus ventum fuiſſet. ALEX. At verò Scythæ, pater, & Indici elephantes, res ſunt non vſque adeò abiectæ & contemptibiles: & tamen neque concitatis inter ipſos inteſtinis odiis, neque per proditionẽ mihi venundari paſſus ſum victoriam. Sed neque peieraui vnquam, aut per nugas à pollicito receſsi, fidémque ſolui victoriæ gratia. Adde quòd & Græcos alios ſine ſanguine in deditionẽ accepi: Thebanos autem fortaſsis ipſe audiſti quomodo aggreſſus fuerim. PHI. Noui hæc omnia ex Clito, quem tu inter epulas eò quòd nomẽ meum celebraret, & meas res geſtas cum tuis cõferre auderet, traiecto per corpus telo tũ iugularas. Tuverò & Macedonicã chlamidem abiiciens, candyn Perſicum amictũ recepiſti (vt aiunt) & tiaram rectam. Vt ne interim commemorem, quòd à Macedonibus, viris vtique liberis, adorari debere te in animũ duxeris: & qui, quod maximè omnium erat ridiculum, hominum à te victorum mores imitatus es. Tempero mihi, ne memorem alia quæ turpiter admiſeris, viris doctis in leonum clauſtra ineluſis, & nuptiis talibus peractis: quódq; Hephæſtionem plus quàm eſſet ſatis amaris. Vnum eſt, quod ſolum laudo abs te geſtum, in Darii vxore videlicet, forma præſtante, quia ab illius complexu abſtinueris: & genitricis illius, atque filiarum ne vim paterentur, curã ſuſceperis. Regium certè id opus extitit, quod tum factitaſſe te accepimus. ALEX. Quomodo autẽ tibi nõ probatur, pater, quòd in Oxydracis, gente Indica, lubens me in periculum coniecerim, atque acceptis plurimis vulneribus, muros primus omnium tranſilierim? PHIL. Non probo, Alexander: neque id quia pulchrum eſſe negem vulnerari quandoque imperatorem, & in ſubeundis periculis prętętare viam: ſed quia ex re tua iſthuc erat minimé. Si quidem pro deo habitus, quos, oro, riſus præbebas ſpectatoribus, quando poſt acceptum vulnus ab exercitu magno tumultu direptus, mœrens, ac eiulans ſanguine fluitabas? Adde quòd Iupiter Hammon, tanquam præſtigiator quiſpiam, & vanus propheta, reus mendacii palàm tum arguebatur. Nõ enim video qualiter riſum contineat, qui Iouis filium viderit animum deiicere, & in deſperatione rerum efflagitare medicorum auxilia. Denique quum iam tandem mortem obieris quẽ credas, obſecro eſſe, qui confictam illam adoptionem, qua Iouis dictus es filius, nõ carpat maledictis? Potiſsimùm vbi dei iſtius cadauer porrectum iacère, turgidum ſanè, & iuxta aliorum corporum morem contactu ſuo omnia labefactans aſpexerit. Cæterùm quòd ais Alexander, tibi fuiſſe conducibile, quò facilius rerum potireris: id profectò multum tibi gloriæ ex bene etiam ac ſtrenuè geſtis eripuit. Nam quanquam inſigniter multa, tamen diis longè inferiora agere viſus, vacillare ob hoc iudicatus es, & tota ratione deficere. ALEX. Haudquaquam de me iſthuc ſentiunt mortales: ſed cum Hercule me & Baccho conferunt, veluti æmulũ, parique cum illis gloria certantem. Nam & Aornũ, à neutro etiam illorum armis ſubactum ego facilè cepi. PHILIP. Etiamdum videris iſta vt Hammonis filius dicere, quando nec Baccho quidem cedis, aut Herculi. Sed nec erubeſcere noſti Alexãder, ſolitámve dediſcere arrogantiam, teipſum dein noſcere, vel iam tandem ſapere, etiam ſi ſerius, vbi fato occubueris.

ANTILOCHI ET Achillis.

Ottomaro Lucinio interprete.

ANTILOCVS.

QVænã ſunt illa, Achilles, quæ tu Vlyſſi iam primùm cõmemorando in mortem executus es, vt minimè generoſa, ac Chirone atq; Phœnice, quibus tu aliquando vſus es præceptoribus, parũ digna? Audiui enim magis ex re tua futurum tibi videri, ſi vilis agricolæ munus obiens, inopi, cui nec victus ſuppetat, loces operã, quàm vt omnibus vita functis domineris. Quæ ſi rudis quidam plebeius ex media Phrygia ortus, atque immodicus inſuper etiam vitæ affectator diceret, ferendum fortè id eſſet, atque condonandum nonnihil ruſticitati: verùm ex Peleo prognatum, & ex omni heroum numero periculorum contemptorem acerrimum, in tam abiectam & humilem de ſeipſo deſcendere opinionem, fœdum ſanè atq; pudendum in primis. Denique iis quæ in vita ſtrenuè geſſeris, equidem haud ſcio quomodo iſta conueniant. Nam dum in Phthio regnare tibi ad ſenectam vſque licuiſſet, citra gloriam tamen: tu glorioſam oppetere mortem maluiſti, quàm potiri regno. ACHIL. At ô Neſtoris fili, nondum etiam tum feceram rerum earum periculum, & quid cui præferrem ignorans, gloriolã hanc infelicem præponebam vitæ. Atqui ſerò iam tandem intelligo quàm egerim imprudenter. Apud viuos enim reperies fortè qui res bene geſtas celebrent literarum monumentis: ſed hîc apud manes non video quàm frugiferum opus effecerim, vbi vnus eſt honos omnium. Sed neque vires iam adſunt corporis Antiloche, aut forma: interciderunt omnia: pari rerum ſtatu viſuntur omnia: nullum ſapientia aut alterius rei diſcrimen eſt. Adde quòd nulli iam ex Troiano rum mortuis formidabilis ſum, nemini Græcorum venerandus; prorſus omnium de mortuis par exiſtimatio eſt, ſiue boni fuerint, ſiue improbi. Hæc ſunt quæ me angunt, & miſerè ſolicitãt, & ob quæ doleo, quòd non potius loco operas, & viuo. ANTI. At verò, Achilles, quid agat quiſpiam? quando ſic natura comparatũ eſt, vt omnes prorſum cogantur ſemel vitam relinquere: quæ

Aequalem omnium apudinferos eſſe cõditionem, neminẽq; præferri mortalium.

lex quum in vniuerſum iam obtinuit, nec abrogari vllo modo queat, patiẽter hanc feras oportet. Cæterũ aſpice nos, quotquot penes te ſumus: deniq; & Vlyſſes quoq; poſt puſillũ aduenier, vnde ſolatium tibi meritò afferet ſocietas: id quod & aliis in rebus plerũq; vſu venire ſolet. Nõ enim ſolus videris in hæc mala coniectus: en tibi Herculem, Meleagrũ, & alios pleroſq;, qui non parũ multos in admirationẽ traxere, qui quidem (ni fallor) haudquaquã in vitam videntur redituri, ſi quis eos ad inopes & victu indigos mittat, vt illis pro mercede ſeruiant. ACHI. Sociorũ hæc quidem admonitio eſt: verùm haud ſcio quo pacto eorum quæ in vita aguntur, memoria, impendiò me excruciat. Arbitror autẽ & veſtrum vnũquenq; ita affici, etiam ſi non palàm confiteami ni: nequiores ſanè in eo, quòd tacitè huiuſcemodi per quietem toleratis. ANTI. Non equidem Achilles, ſed longè tibi præſtamus: quippe qui intelligimus quã ſit inutile de iis rebus verba facere. Silere enim, & æquo animo ſuſtinere omnia quæ accidũt, datum nobis eſt: ne tibi affectu iſto ſimiles, ipſi quoque ridiculi omnibus meritò videamur.

DIOGENIS ET Herculis.

P. Virunio interprete.

DIOGENES.

Ridetur diuinitas herculis.

NVnquid Hercules hic eſt? Haud quiſquam mehercule alius. arcus, claua, pellis leonina, magnitudo ipſa, totus deniq; Hercules eſt. Igitur è vita deceſſit, qui Iouis erat filius? Dic quæſo ô victorioſe, mortuúſne es? Ego enim quum terræ ſupereſſem, tibi haud ſecus quã Deo ſacrificaui. HERCV. Rectè quippe ſacrificaſti. Hercules enim ipſe in cælo vnà cum diis immortalibus conſiſtit, Heben apud ſe habẽs cruribus formoſiſsimam. Ego verò qui te alloquor, ſua ſum vmbra. DIOGE. Quídnam dicis amabo? vmbra ipſius dei? fieri enim poteſt, altera eundem ex parte deum eſſe, altera vita deceſſiſſe? HERC. Vtiq;. Ille enim nequaquam mortuus eſt, ſed ego duntaxat imago ipſius ſum. DIOG. Intelligo rem. Te virum pro viro Plutoni pro ſe dedit, & tu nũc pro illo mortuus es. HERC. Sic res ſe habet. DIO. Quo pacto igitur callidiſsimus cùm ſit Aeacus, te nequaquam illum eſſe non nouit, ſed amiſit tanquã ſuppoſititium Herculem. HERC. Quoniã ille ipſe eſſe videor. DIOG. Vera autumas: nam ita perſimilis es, vt ſi ille ipſe ſis. Caueas igitur ne cõtrà ſit, vt tu quidem Hercules exiſtas, imago verò apud deos immortales Heben in vxorem duxerit. HER. Audax nimium es atq; loquax: & niſi à ſcommatibus quæ in me iacis, abſtinueris, ſenties quãprimũ qualis dei imago ſim. Arcus enim nudus eſt atq; paratus. DIOG. Cur autem de cætero te timeam, quum ſemel mortuus ſis? Sed per tuum Herculem dic quæſo, dũ ille viuebat eráſne vnà cum ipſo, & tunc imago exiſtẽs, aut vnus quidem eratis in vita, poſteaquàm autem è vita deceſſiſtis, ſeparati: ille quidẽ ad deos immortales auolauit, tu verò vmbra, vt dignũ videtur, ad inferos adueniſti? HERC. Etſi fas equidẽ foret nequaquam reſpondere viro ſophiſticè pereũctã ti: attamen aures quoq; ad hoc porrigas. Quicquid enim Amphitryonis in Hercule erat, idipſum morte affectum eſt, quod nempe ego ſum (vt dixi) totum: quod autẽ ex Ioue erat, cũ diis immortalibus cõuerſatur. DIOG. Perſpicuè nũc intelligo. autumas enim eadẽ vice Alcmenã duos peperiſſe Hercules: vnũ quidem ex Amphitryone, alterũ verò ex ſummo Ioue: ex quo factũ eſt, vt gemini vnius matris vtero lateretis. HERC. Nequaquã ô inſane: idem profectò ipſi eramus ambo. DIOG. Neq; adhuc ad intelligendũ id facile eſt, duos Hercules in vnũ eſſe cõpoſitos, niſi quis diceret vos tanquã Hippocẽtaurũ in vnum fuiſſe copulatos: hominem videlicet & Deum. HER. An nõ & homines eodẽ pacto ex duobus cõponi tibi videntur, animo videlicet & corpore? Vnde quid prohibet animũ quidem ipſum ex ſummo Ioue natũ adeſſe cælo, me verò mortalẽ ad inferos veniſſe? DIOG. Vtiq; elegãter hęc diſſeruiſſes, ô optime Amphitryoniade, ſi corpus hac tẽpeſtate eſſes: ſed incorporea es imago: itaq; periculũ eſt, te triplicẽ iam feciſſe Herculẽ. HERCV. Quonã modo triplicẽ? DIOG. Hoc quidem modo: nam ſi vnus in cælo exiſtit, tu verò apud nos imago, corpus autem in Oeta iã in puluerẽ verſum, hæc tria iã ſunt. animaduertas igitur velim, quem tertiũ corpori eſſe intelligas patrem. HER. Audax es, atq; ſophiſta: ſed quod nomẽ tibi eſt? DIOG. Diogenis Sinopei imago: ipſe autem, per Iouẽ, minimè cum diis immortalibus, ſed cum mortuorum optimis conuerſor. Homerum atque huiuſcemodi fabulas deridens.

MENIPPI ET Tantali,

Eraſmo Roterodamo interprete.

MENIPPVS.

Tántalus à labris ſitiẽs fugiẽtia captat flumina.

QVID eiulas ô Tantale, aut quid tuam deploras fortunam, ſtagno imminẽs? TAN. Quoniam ſiti enecor Menippe. MENI. Vſquadeo piger es atque iners, vti non vel pronus incumbens bibere noris, vel caua vola hauriens? TANT. Nihil profecero, ſi procumbam: refugit enim aqua ſimul, atque me propius admoueri ſenſerit, quod ſiquãdo hauſero, oríque coner applicare, prius effluit, quàm ſumma rigem labia: atque inter digitos effluens aqua, haud ſcio quomodo rurſus manum meam aridam relinquit. MENIP. Prodigioſum quiddam de te narras Tantale: verùm dic mihi iſthuc ipſum quorſum opus eſt, bibere, cùm corpore careas? nam illud quod eſurire poterat, aut ſitire, in Lydia ſepultum eſt: cæterùm tu quum ſis animus, quãnã poſthac aut ſitire queas, aut bibere? TANTAL. Atqui hoc ipſum ſupplicii genus eſt, vt anima perinde quaſi corpus ſit, ita ſitiat. MENIPPVS. Age, hoc ita habere credamus, quandoquidem affirmas te ſiti puniri: at quid hinc acerbi tibi poterit accidere? Num metuis ne potus inopia moriare?

At

At equidem haud video alteros inferos, ſi quis relinquat neq; locum alium in quem morte demigret quiſpiam. TANT. Rectè tu quidem dicis: verùm hoc ipſum ſupplicii genus eſt, ſitire, quum nihil ſit opus. MEN. Deſipis Tantale, & vti verũ tibi fatear, non alio potu videris egere, quàm veratro mero: nam diuerſum quiddam pateris iis quos canes rabioſi momorderint, vt qui non aquam quemadmodũ illi, ſed ſitim horreas. TAN. Ne veratrũ quidẽ recuſarim bibere Menippe, ſi liceat modó. MEN. Bono es animo Tãtale, certũ habẽs nũquã fore, vt vel tu vel reliquorum Maniũ quiſpiã bibat: nec enim fieri poteſt: quanquã non omnibus quemadmodũ tibi, pœna adiudicata eſt vt ſitiant aqua illos non expectãte.

MENIPPI ET Mercurii,

Eraſmo Roter. interprete.

MENIPPVS.

Forma bonum fragile.

AT vbinam formoſi illi ſunt, ac formoſæ, Mercuri? ducito me docetóq;, vtpote recèns huc profectum hoſpitem. MER. Haud mihi licet per ociũ Menippe: quin tu iſthuc ipſo è loco dextrorſum oculos deflecte. Illic & Hyacinthus eſt, & Narciſſus ille, & Nireus, & Achilles, & Tyro, & Helena, & Leda: breuiter quicquid eſt veterum formarum. MEN. Equidem præter oſſa nihil video, caluariáſq; carnibus renudatas, inter quæ omnia nihil ſit omnino diſcriminis. MER. Atqui hæc ſunt quæ poetæ cuncti mirantur ac celebrant, oſſa ſcilicet quæ tu videris contemnere. MEN. At Helenam ſaltem mihi cõmonſtra: nam ipſe quidem haud queã dignoſcere. MER. Hæc videlicet caluaria, Helena eſt. MEN. Et huius ſcilicet oſsis gratia mille naues ex vniuerſa Græcia acto delectu ſunt impletæ, tantáque tum Græcorum tum Barbarorum multitudo conflixit, tot vrbes ſunt euerſæ? MER. Cæterùm Menippe non vidiſti mulierem hanc viuam: quod ſi feciſſes, forſan diceres tu quoq; vitio dandum non eſſe.

Pro tali muliere diu tolerare labores.

Alioqui ſiquis flores etiã arefactos marcidóſq; contẽpletur, poſteaquã coloris decus abiecerint, deformes nimirum videantur: at iidem donec florent, colorémq; obtinent, ſunt ſpecioſiſsimi. MEN. Proinde illud iã demiror Mercuri, ſi Græci nõ intellexerũt ſeſe pro re vſqueadeo momẽtanea, quæq; tam facilè emarceſceret, elaborare. MER. Haud mihi vacat tecũ philoſophari: quare delecto loco vbicunq; velis, proſterne temet ac recũbe: mihi iam aliæ ſunt traducendæ vmbræ.

AEACI, PROTESILAI, Menelai, Paridis,

Iacobo Mycillo interprete.

AEACVS.

Protheſilaus primus Græcorum interfectus.

QVAMOBREM Proteſilae in Helenã irruens, ſtrãgulas illam? PRO. Quia huius cauſa, Aeace, imperfecta quidẽ domo relicta, & vidua vxore quã nuper duxi, reddita, mortuus ſum. AEA. Accuſa igitur Menelaũ, qui vos omnes pro tali cõiuge recuperãda contra Troiã duxit. MEN. Nequaquã me, ſed multò iuſtius Paridem, qui hoſpiti mihi vxorẽ contra omne ius eripuit. Hic enim nõ modò abs te, verùm ab omnibus tũ Græcis tum Barbaris meritò ſtrãgulari debebat, vt qui tam multis mortis cauſſa extiterit. PRO. Melius hoc. Proinde malè nominate Pari, nunquã te dimittam è manibus. PARI. Iniuriam adeónũ facis Proteſilae, idq; eo magis, quòd eandẽ tecum artem exerceo. Nã & amori etiã deditus ipſe ſum, & ab eodẽ deo quaſi vinctus teneor. Noſti autem quòd quædã ſunt quæ inuitis nobis geruntur, & neſcio quis deus nos ducit quocunq; ipſi placet, atq; impoſsibile eſt illi repugnare. PRO. Rectè dicis. Vtinam igitur Cupidinem ipſum hìc comprehendere mihi liceat. AEA. At ego etiam pro Cupidine tibi reſpõdebo quæ iuſta videntur. Sic enim ille dicet, ſeſe quidem Paridi fuiſſe fortaſſis cauſam amandi, ſed mortis cauſam tibi fuiſſe neminem alium, quàm teipſum Proteſilae, qui clàm vxore nuper ducta, poſtquã appropinquabatis Troadi, ita omni contempto periculo, & velut deſperatus ante reliquos omnes in litus exiliiſti, gloriæ nimirum cupidus, propter quam & primus in egreſſu nauiũ occiſus fuiſti. PRO. Proinde & ego pro me ipſo tibi Aeace reſpondebo multò iuſtiora quam tu. Neque enim ego mihi horum cauſa fui, ſed fatum, & quòd iam inde ab initio ita prædeſtinatum fuerat. AEAC. Probè: quid ergo iſtos accuſas?

A Deo inuiti agimur.

Fatum.

MENIPPI ET Aeaci,

MENIPPVS.

PER Plutonem, ô Aeace, expone mihi quæſo hîc quæ apud inferos ſunt omnia. AEA. Haud facilè, Menippe, omnia: verũ quæ ſummatim & veluti per capita indicari poſſunt, hæc accipe. Hic quidem quòd Cerberus ſit, noſti. Deinde & portitorem hunc noſti, qui te traiecit: præterea & lacũ, & Pyriphlegethontẽ iam vidiſti cũ ingreſſus es. MEN. Noui hæc, & præterea te quoq;, quòd hìc in veſtibulo ſedes, atq; aditum obſeruas. Etiam regẽ ipſum vidi, & Furias. Homines verò priſcos quæſo oſtende, & maximè eos qui inter cæteros nobiliores fuere. AEA. Hic quidẽ Agamemnon eſt, ille autem Achilles. Rurſum hîc Idomeneus: qui propius aſsidet poſt hunc, Vlyſſes, deinceps Aiax, & Diomedes, & cæteri Græcorũ præſtantiſſimi. MEN. Papæ Homere! vt tibi Rhapſodiarũ tuarũ capita humi proiecta iacent, ignobilia atq; obſcura, cinis ac puluis omnia, & nugę merę, denique (verè vt abs te dictum eſt) capita infirma & caduca. Sed hic, Aeace, quiſnam eſt? AEA. Cyrus eſt, ille autem Crœſus, & iuxta ipſum Sardanapalus. Vltra hos autem Midas, & deinceps ille Xerxes. MEN. Et te, ô ſceleſte, tota exhoruit Græcia, iungentem pontibus Helleſpontũ, & per ipſos montes nauibus traiicere affectantem? Qualis verò & ipſe Crœſus eſt! Cæterùm

Homerus pater fabularum.

ἀμέλυνα κὲ ρηνα, capita ſine robore: clauſula frequens apud Homerum.

Sardanapalo quæſo huic Aeace permitte vt demulceã caput, inflicto colapho. Ae a c. Nequaquam: cõminueres enim ipſi caluariã, muliebris ac fragilis adeò cum ſit. Me n. certè tamẽ amplexabor illum, vtpote ſemiuirũ ac mulieroſum plané. Ae a c. Vísne tibi oſtendã & doctos illos? Me n. Per Iouẽ etiã. Ae a c. Primus en hic tibi Pythagoras eſt. Me n. Salue Euphorbe, ſiue Apollo, ſiue deniq; quodcunq; voles. Py t. Ita ſanè, & tu vtiq; Menippe. Me n. Quid? an non amplius aureũ iſtud femur habes? Py t. Non: ſed age cedo ſiquid mãducabile tibi habet pera iſta. Me n. Fabas habet, quare nihil hîc eſt quod tu manducare queas. Py t. Da modó. Mã hîc apud manes alia dogmata atque inſtituta didici: nempe quòd nihil hîc inter ſe ſimiles ſunt fabæ & patrantium teſticuli. Ae a c. Porrò hic Solõ eſt, filius Execeſtidis: præterea ille Thales, & iuxta ipſos Pittacus, & cęteri illi: ſeptem autẽ omnes ſunt, vt vides. Me n. Læti hi ſunt Aeaci ſoli atque alacres præter cæteros. Sed hic oppletus cinere, tanquã ſubcinericius panis aliquis, hic crebris puſtulis quaſi ſufferuefactus, quiſnam eſt? Ae a c. Empedocles, Menippe, ſemicoctus ab Aetna mõte huc profectus. Me n. O æripes optime, quid obſecro acciderat tibi cur teipſum in cratêres Aetnæ iniiceres? Em p. Inſania quædã, Menippe. Me n. Non, per Iouẽ, ſed inanis quædã gloriæ affectatio, & faſtus, & multa dementia, hæc te cõflagrare fecerunt vnà cũ ipſis crepidis, cum dignus minimè eſſes. Veruntamen nihil tibi commentum iſtud profuit: deprehenſus enim es & ipſe mortuus. Cęterùm Socrates ille, Aeace, vbi locorum tandẽ eſt? Ae a c. Cũ Neſtore ac Palamede ille plerunq; nugatur. Me n. Cuperẽ tamen videre ipſum, ſicubi locorũ hîc foret. Ae a c. Vidéſne caluum illum? Me n. At omnes hîc calui ſunt, quare omniũ cquè notatio hęc fuerit. Ae a c. Simum iſtum dico. Me n. Etiã hoc ſimile omniũ eſt: nam & ſimi omnes ſunt. So c. Méne quæris Menippe? Me n. Teipſum Socrates. So c. Quo pacto res Athenis ſe habẽt? Me n. Multi iuniorum philoſophari ſe profitentur: ac habitũ certè ipſum & inceſſum ſi quis aſpiciat, meri philoſophi videntur, admodum multi. Cæterùm autẽ vidiſti opinor qualis & Ariſtippus huc ad te venerit, & Plato ipſe, alter quidẽ olens vnguẽta, alter autẽ in Sicilia tyrannis adulari doctus. So c. At de me quid ſentiunt? Me n. Beatus, Socrates, quiſpiam es, quod ad huiuſmodi res vtiq; pertinet. Omnes itaq; te admirabilem fuiſſe virum exiſtimant, atque omnia cognouiſſe hæc (decet enim opinor verum hîc dicere) cum nihil ſcires. So c. Et ipſe dicebã hæc ad illos, ſed illi tum ſimulationẽ quandã eam rem eſſe putabãt. Me n. Sed quínam iſti ſunt circa te? So c. Charmides, Menippe, & Phædrus, & Cliniæ filius ille. Me n. Euge Socrates, quoniã & hic artem tuam exerces, neque formoſos iſtos negligis. So c. Quid enim aliud quod quidẽ ſuauius ſit, agerẽ? Sed huc propius nobiſcũ recumbe, ſi videtur. Me n. Nõ, per Iouem: ad Crœſum enim & Sardanapalũ redeo, prope illos habitaturus. Videor quippe mihi non pauca habiturus ibi eſſe quæ rideã, quando plorantes illos audiã. Ae a c. Et ego quoq; iam abeo, ne quis mortuorũ clam nobis ſubducat ſeſe. Pleraque autem alia videbis Menippe quando iterum conueniemus. Me n. Abeas licet: nam & hæc Aeace vidiſſe ſufficit.

Pythagoras.

Empedocles.

Alludit ad id quòd Empedocles diciatur æreis crepidis vſus fuiſſe, vt eſt apud Diogenẽ.

MENIPPI ET Cerberi,

Eraſmo Roter. interprete.

Menippvs.

IEvs Cerbere, quandoquidem mihi tecum cognatio quædam intercedit, quum & ipſe ſim canis, dic mihi per Scygiam paludem, quomodo ſeſe habebat Socrates quum huc accederet? Veriſimile eſt autẽ te, deus quum ſis, non latrare modò, verumetiam humano more loqui, ſiquando velis. Cer. Quum procul adhuc abeſſet Menippe, viſus eſt cõſtanti atq; interrito adire vultu, perinde quaſi mortem nihil omnino formidaret, tanquam hoc ipſum vellet iis qui procul à ſpecus ingreſſu ſtabant, oſtendere: verùm ſimul atq; deſpexit in hiatum, vidítq; profundum atq; atrum antri receſſum, ſimúlque ego cunctantem etiam illum aconito mordens, pede correptum detraherem, infantiũ ritu eiulabat, ſuóſq; deplorabat liberos, nihílq; nõ faciebat, in omnem ſpeciem ſeſe cõuertens. Me n. Num igitur fucatè ſapiẽs erat ille, neq; verè mortem contemnebat? Cer. Haud verè: cæterùm vbi vidit id eſſe neceſſe, audaciam quandam præ ſe ferebat, quaſi verò volens id eſſet paſſurus, quod alioqui volenti nolenti tamen omnino fuerat ferendum, videlicet quò ſpectatoribus eſſet miraculo. Equidẽ illud in totum de viris iſtiuſmodi verè poſſim dicere, ad fauces vſque ſpecus intrepidi ſunt ac fortes: porrò intus quum ſunt, nihil mollius neque fractius. Me n. Cæterùm ego quónam animo tibi viſus ſum ſubiiſſe ſpecum? Cer. Vnus mortalium Menippe ſic mihi viſus es ſubire, vt tuo dignum erat genere: & prior te Diogenes: propterea quòd neutiquam adacti ſubieritis, aut intruſi: verùm tum vltronei, tum ridentes, atq; omnibus plorare renunciantes.

Fortitudinem Socratis falſam fuiſſe.

CHARONTIS & Menippi,

Eraſmo Roter. interprete.

Charon.

REdde naulum ſceleſte. Me n. Vociferare, ſi quidẽ iſtuc tibi voluptati eſt Charon. Cha. Redde inquam quod pro traiectione debes. Me n. I. Haudquaquam auferre queas, ab eo qui non habeat. Cha. An eſt quiſpiam qui ne obolum quidẽ habeat? Me n. Sítne alius quiſpiã præterea, equidẽ ignoro: ipſe certè nõ habeo. Cha. Atqui prę focabo te per Ditẽ impuriſſime, ni reddas. Me n. At ego illiſo baculo tibi cõminuã caput. Cha. Num ergo te tam lõgo traiectu gratis tranſuexero? Me n. Mercurius meo nomine tibi reddat, vt qui me tibi tradiderit. Me r. Bellè mecũ agatur

De naulo Charonti reddẽdo litigant.

tur per Iouem, ſi quidē futurum eſt vt etiam defunctorū nomine perſoluā. CHA. Haud omittam te. MEN. Quin igitur vel huius gratia perge, vt facis, nauim trahere: quanquā quod nō habeo, quīnā auferas? CHA. At tu neſciebas quid tibi fuerit apportādum? MEN. Sciebam quidē, verùm non erat. Quid igitur? num ea gratia erat mihi ſemper in vita manendum? CHA. Solus ergo gloriaberis te gratis fuiſſe tranſuectū? MEN. Haud gratis ô præclare: ſiquidem & ſentinā exhauſi, & remū arripui, & vectorum omnium vnus non eiulaui. CHA. Iſta nihil ad naulum: obolum reddas oportet: neque enim fas eſt ſecus fieri. MEN. Proinde tu me rurſum in vitam reuehe. CHA. Bellè dicis, nimirū vt verbera etiā ab Aeaco mihi lucrifaciā. MEN. Ergo moleſtus ne ſis. CHA. Oſtende quid habeas in pera. MEN. Lupinum, ſi velis, & Hecatæ cœnam. CHA. Vnde nobis hunc canem adduxiſti Mercuri? tū qualia garriebat inter nauidū, vectores omnes irridens, ac dicteriis inceſſens, vnúſq; cantillans illis plorantibus? MER. An ignoras Charon quē virum tranſuexeris? planè liberum, cuíq; nihil omnino curæ ſit. Hic eſt Menippus. CHA. Atqui ſi vnquā poſthac te recepero. MEN. Si receperis? ô præclare: ne poſsis quidem iterum recipere.

PLVTONIS ET Proteſilai, Iacobo Mycillo interprete.

PROTESILAVS.

DOMINE, ô rex, ô noſter Iupiter, & tu Cereris filia, ne deſpicite preces amatorias. PLV. Tu verò quid precaris à nobis, aut quis denique es? PRO. Equidem proteſilaus ſum, filius Iphicli, patria Phylacenſis, qui cū reliquis Græcis in expeditione ad Troiā profectus, ac primus omniū contra Ilium pugnando occiſus ſum. Precor autem vt dimiſſus hinc, modicū temporis in vitam redire denuo permittar. PLV. Hunc amorem, Proteſilae, omnes mortui amant: ſed nullus tamen ipſorum potitur eo. PRO. At non vitam ô Pluto tantopere amo, verùm equidem vxorem, quam nuper ductā, domi reliqui, atq; in bellum nauigādo profectus ſum: deinde infelix in egreſſu nauium ab Hectore occiſus ſum. Amor itaq; iſte vxoris non mediocriter me, ô Domine, eneecat, volóq; ſi vel paululū ab ipſa cōſpectus fuero, rurſum huc deſcēdere. PLV. Non bibiſti. Proteſilae, aquam Lethæam? PRO. Bibi equidem, ſed hæc res prætaluit pondere. PLV. Igitur expecta: aduenient enim & illa quandoq;, neq; nunc opus quicquam erit iterum aſcendere te. PRO. Sed moram hāc ferre nequeo. Amaſti autem tu quoque aliquando, ac noſti qualis res amor ſit. PLV. Et quid adeò iuuabit te vnum diem reuiuiſcere, deinde autē paulò pòſt eadem hæc lugere? PRO. Spero me etiam illam adductum eſſe, vt huc ad vos ſequatur me: quare pro vno mortuo paulò pòſt duos recipies. PLV. Haud fas eſt iſta fieri, neq; etiam ſimile vnquam factum eſt. PRO. At ego in memoriam tibi reuocabo, Pluto. Nam Orpheo ob ipſam hanc cauſam Eurydicen vxorem reddidiſtis, & cognatam meam Alceſtin emiſiſtis, Herculi gratificantes. PLV. Optaris autem cū iſta nuda atq; deformi caluaria, formoſę illi ſponſæ tuę in conſpectū venire? Quo pacto autē illa etiam aſpiciat te, quæ ne dignoſcere quidem amplius te poterit? Terrebitur enim, ſat ſcio, atq; aufugiet, túq; fruſtra tantum iter exātlaueris. PROSERPINA. Proinde mi vir, tu iſti quoq; rei medicinam aliquam adhibe, ac Mercurium iube, vt poſtquā ad lucem peruenerit Proteſilaus, contactū virga, mox in adoleſcentem formoſum conuertat illum, qualis videlicet antea fuit cùm ex ſpōſæ thalamo prodiret. PLV. Quoniam, Proſerpina, & tibi hoc videtur, age perductum hunc iterum ad ſuperos, Mercuri, ſponſum facito. Tu verò memineris non amplius quàm vnum diem tibi permiſſum eſſe.

DIOGENIS ET Mauſoli, Eraſmo Roterodamo interprete.

DIOGENES.

Contentio de ſepultura, alterius quidem magnificentiſſima, alterius negletiſsima.

CHE tu Car, quare tādem inſolens es, tibíque places, ac dignum te credis qui vnus nobis omnibus anteponare? MAV. Primùm regni nomine ô tu Sinopenſis, quippe qui Cariæ imperauerim vniuerſæ, præterea Lydiæ quoq; gentibus aliquot: tum autē & inſulas nonnullas ſubegerim: Miletum vſq; peruenerim, pleriſque Ioniæ partibus vaſtatis. Ad hæc formoſus eram ac procerus, ac bellicis in rebus prævalidus. Poſtremò, quod eſt omnium maximum, in Halicarnaſſo monumentum erectum habeo ſingulari magnitudine, quantumvidelicet defunctorum alius nemo poſsidet, neq; pari etiam pulchritudine conditū, viris ſcilicet atq; equis pulcherrimo è ſaxo ad viuam formam abſolutiſsimo artificio expreſsis, adeò vt vel phanum aliquod ſimile haud facilè quis inueniat. Nū iniuria tibi videor has ob res mihi placere atq; efferri? DIOG. Num ob imperium ais, ob formam, atque ob ſepulchri molem? MAV. Per Iouem ob hæc inquā. DIOG. Atqui ô formoſe Mauſole, neq; vires iam illæ, neque forma tibi iam adeſt, adeò vt ſi quē arbitrum de formæ prȩcellentia delegerimus, haudquaquam dicere potis ſit quamobrē tua caluaria meæ ſit antefe-renda: ſiquidē vtraq; pariter tum calua, tū nuda: vtriq; dentes pariter oſtēdimus: pariter oculis orbati ſumus: pariter naribus ſimis ac ſurſum hiantibus deformati. Cæterùm ſepulchrū ac ſaxa illa precioſa Halicarnaſſeis forſitan iactare licebit, & hoſpitibus gloriæ cauſa oſtētare, tanquā qui magnificā quandā apud ſe ſtructurā habeant: verùm quid hinc cōmoditatis ad te redeat, vir egregie, nequaquam video, niſi forſan illud commodum vocas, quòd plus oneris atque nos, ſuſtines, ſub tam ingentibus ſaxis preſſus ac laborans. MAV. Itáne nihil illa mihi conducunt omnia? planéq; pares erūt Mauſolus ac Diogenes? DIOG. Imò haud pares, inquā, vir clariſsime: nam Mauſolus diſcruciabitur quoties earū rerum in mentē veniet,

niet, quibus in vita florere conſueuit: at Diogenes interim eũ ridebit. Atq; ille quidẽ de ſuo illo monumẽto quod eſt in Halicarnaſſo, memorabit, ab vxore Artemiſia atq; ſorore parato: contrà Diogenes ne id quidẽ ſuo de corpore nouit, nunquid habeat ſepulchrũ. Neq; enim illi res ea curæ eſt, verùm apud viros excellentiſsimos ſui memoriã famámq; reliquit, vt qui vitã peregerit viro dignã, tuo monumento, Carũ abiectiſsime, celſiorem, ac tutiore loco ſubſtructam.

NIREI, THERSITAE, & Menippi,

Eraſmo Roter. interprete.

NIREVS.

Contentio de pulchritudine, quæ apud inferos nulla eſt.

ECCE denique vel Menippus hic iudex erit vter noſtrum ſit formoſior. Dic Menippe, an nõ tibi videor forma præſtantior? MEN. Imò quínam ſitis, prius arbitror indicandũ: nam hoc opinor ſcito eſt opus. NIR. Nireus ac Therſites. MEN. Vter Nireus, vter Therſites? nondũ enim vel hoc ſatis liquet. THER. Iam vnum hoc vinco, quòd tibi ſum ſimilis, neq; tãtopere me præcellis, quãtopere te cęcus ille Homerus extulit, vnũ omniũ formoſiſsimũ appellans: quin ego faſtigiato vertice, rariſq; & impexis capillis ille, nihilo te inferior viſus ſum arbitro. Iam verò tempus eſt vti pronũcies Menippe, vtrum altero formoſiorem exiſtimes. NIR. Mirum ni me, Aglaia Charopéq; prognatum,

Qui vir pulcherrimus vnus
Omnibus è Graiis Priameia ad Pergama veni.

MEN. Atqui nõ item ſub terrã opinor pulcherrimus veniſti, quippe qui reliquis quidẽ oſsibus aliis appareas aſsimilis: porrò caluaria hoc vno inſigni à Therſitæ caluaria dignoſci poſsit, quòd tua delicata eſt ac mollicula: quandoquidẽ iſthuc habes effœminatum, ac neutiquã viro decorum. NIR. Attamen Homerũ percontare, qua ſpecie tum fuerim, quum inter Græcorũ copias militarem. MEN. Tu quidem ſomnia mihi narras: at ego ea ſpecto quæ video, quæque tibi adſunt in præſentia: cæterùm iſta norunt qui id temporis viuebant. NIR. Quid igitur tandẽ? an non ego formoſior Menippe? MEN. Neq; tu, neq; quiſquam alius formoſus hoc loco: ſiquidẽ apud inferos æqualitas eſt, paréſq; ſunt omnes. THER. Mihi quidem vel hoc ſat eſt.

Apud inferos æqualitas eſt.

MENIPPI ET Chironis,

Eodem interprete.

MENIPPVS.

EQVIDEM inaudiui Chiron, te, deus quum eſſes, tamen optaſſe mortem. CHI. Vera nimirũ ſunt iſta quæ audiſti Menippe, planéq; mortuus ſum, ſicuti vides, quum mihi licuerit immortalẽ eſſe. MEN. At quænam te mortis cupido tenebat, rei videlicet quam vulgus hominũ horreat? CHI. Dicam apud te, virum neutiquã ſtultum atq; imperitum. Iam mihi deſierat eſſe iucundũ, immortalitate frui. MEN. Quid? an iniucundũ erat te viuere, lucémq; tueri? CHI. Erat inquã Menippe: nam quod iucundũ vocant, id ego neutiquam ſimplex, ſed varium quiddã eſſe arbitror. Verùm quum ego ſemper viuerẽ, atq; iiſdem perpetuò rebus vterer, ſole, luce, cibo, tum horæ eædẽ recurrerent, reliqua item omnia quæcunq; continguntur in vita, reciproco quodã orbe redirẽt, atq; aliis alia per vices ſuccederent: ſatietas videlicet eorum me cepit. Neque enim in eo voluptas eſt ſita, ſi perpetuò fruaris iiſdẽ, ſed omnino in permutando poſita eſt. MEN. Probè loqueris Chiron: cæterùm hæc quæ apud inferos agitur vita, quínam tibi procedit, poſteaquã ad hanc tanquã ad potiorem tè contuliſti? CHIR. Haud inſuauiter Menippe: ſiquidem æqualitas ipſa quiddam habet admodum populare. Nihil autem intereſt, vtrum in luce quis agat, an in tenebris: præterea neq; ſitiendũ eſt nobis quemadmodũ apud ſuperos, neq; eſuriẽdum, ſed eiuſmodi rerum omniũ egentia vacamus. MEN. Vide Chiron ne temet ipſe inuoluas, néue eodem tibi recidat oratio. CHIR. Quamobrẽ iſthuc ais? MEN. Nempe ſi illud tibi faſtidio fuit, quòd in vita ſemper iiſdẽ ſimilibúſq; rebus vtẽdum erat: quum hîc itidem ſimilia ſint omnia, eundẽ ad modum parient faſtidium, ac de-integro tidi quærenda erit vitæ cõmutatio, atq; hinc quopiam aliam in vitã demigrandũ: id quod arbitror fieri nõ poſſe. CHI. Quid igitur faciundũ Menippe? MEN. Illud nimirum, vti, ſapiens quum ſis, quemadmodũ opinor, & vulgò prædicant, præſentibus rebus ſis cõtentus, boníq; conſulas quod adeſt, neq; quicquã in his eſſe putes, quod ferri non queat.

Præſentibus acquiescendum.

DIOGENIS, ANTIſtenis, & Cratetis,

Iacobo Mycillo interprete.

DIOGENES.

OCIVM nunc agimus, Antiſthenes, & tu Crates: quare cur non, obſecro, imus deambulatũ rectà ad ingreſſum & fauces orci, vt ibi ſpectemus eos qui deſcendunt, quínam ſint, & quid quiſq; eorũ agat? ANT. Eamus Diogenes. Etenim ſpectaculum hoc iucundũ fuerit, videre alios quidẽ ipſorum lacrymari, alios autẽ vt dimittantur ſupplicare: quoſdam autẽ ægrè deſcendere, & quanquã ceruicem vrgente ac impellente Mercurio, reluctari tamẽ, & reſupinos obniti, nulla neceſsitate aut cõmodo ſuo. CRA. Ego verò etiam exponã vobis quæ ipſe vidi in via quãdo huc deſcendebã. DIOG. Exponas licet, Crates: videris enim quædam omnino riſu digna dicturus eſſe. CRA. Cum alii multi nobiſcũ deſcendebant, tum verò inter ipſos maximè nobiles, Iſmenodorus ille diues ex noſtris, & Arſaces Medorũ præfectus, & Armenius Orates. Iſmenodorus igitur (occiſus enim fuerat à latronibus circa Cithæronem, quando Eleuſinem, vt arbitror, proficiſcebatur) & gemebat, & vulnus in manibus præ ſe ferebat, liberos ſuos paruos, quos reliquerat, idemtidem vocando

vocando, ſibíq; ipſi ob audaciam ſuccenſendo, qui cum Cithæronem trãſiſſet, ac loca illa circa Eleutheras deſerta ac bellis vaſtata peragraſſet, non amplius quàm duos ſeruos ſecũ adduxiſſet, ídq; etiã cum phialas quinque aureas & cymbia quatuor ſecũ haberet. Arſaces autẽ (ſenior enim iam erat, & per Iouẽ, pro Barbarico illo ritu, facie non adeò inhoneſta aut cõtemnenda) grauiter ferebat atq; indignabatur quòd pedibus incederet, volebátq; ſibi equum ſuũ adduci. Nam & equus vnà cũ eo mortuus fuerat, vna plaga ambobus tranſfoſsis à Thracẽ ſiquodam ſcutato, in eo prælio quod cũ rege Cappadocũ ad Araxem fluuium cõmiſſum fuerat. Nam Arſaces quidem infeſto curſu in hoſtem ferebatur, longè, vt quidem ipſe narrabat, ante alios euectus: Thrax autem expectato illo ſubſiſtẽs, ac ſcutum præ ſe tenens, venientẽ Arſacis haſtam excutiẽdo diuertit: ipſe autem ſubmiſſa parumper ſariſſa ſua, & equum & inſidẽtem illum tranſuerberat. ANT. Sed quo pacto fieri potuit, Crates, vt vno ictu ambos tranſuerberaret? CRA. Facillimè, Antiſthenes: nam ille quidẽ curſu ferebatur, contũ quendam viginticubitalem prętentum habens: Thrax autem vbi pelta obiecta plagã excuſsiſſet, & iam cuſpis ipſum præteruecta eſſet, in genu procumbens excipit ſariſſa venientis impetũ, ac equum ſub pectus vulnerat: quo mox præ furore ac vehementia curſus ſeipſum tranſadigente, eadem haſta etiam Arſaces per inguina vtrinq; ad nates vſq; penetrante trãſfoditur. Intelligis nimirum quo pacto acciderit, cum nõ viri, ſed equi magis hoc opus fuerit. Veruntamen indignabatur ille, quòd non ampliore honore quàm cæteri habebatur, volebátque eques huc deſcendere. Orates autem, priuatus quiſpiã erat, atq; admodum debilis pedibus, quippe qui neq; ſtare humi, nedũ incedere vllo modo poterat. Accidit autem hoc prorſum Medis omnibus, vt poſtquam ab equis deſcenderint, veluti qui ſuper ſpinas ingrediuntur, ſummis pedũ digitis vix atq; ægrè incedant. Quamobrem cũ per ſe ipſum humi deiectus iaceret, neq; vllo prorſum pacto reſurgere vellet, bonus ille Mercurius ſublatum in ſe hominẽ ad cymbam vſq; portauit: ego verò ſequens ridebã. ANT. Et ego porrò quando huc deſcendebam, neq; admiſcui me ipſum cæteris, ſed relictis plorantibus illis ad cymbam accurrendo, præoccupaui mihi locum, quò cõmodiùs nauigarẽ. Inter nauigandũ verò alii quidem lacrymabantur, alii autẽ nauſeabant: ego verò inter ipſos ſedens admodũ oblectabar. DIOG. Tu quidẽ Crates, & tu Antiſthenes, huiuſmodi ſortiti eſtis itineris comites: mecũ autem Blepſias ille fœnerator ex Piræo, & Lampis Acarnan, qui mercenarios milites ductauerat, & Damis diues ille Corinthius, ſimul deſcendebant. Quorũ Damis quidẽ à puero veneno interemptus fuerat, Lampis autem ob amorẽ Myrtii meretricis ſe ipſum iugularat, Blepſias verò fame miſer periiſſe dicebatur, & apparebat ſanè adhuc pallidus ſupra modũ, ac tenuis maximé. Egoverò quãquam antea noram, interrogabam tamen quo pacto quiſq; mortuus eſſet. Ac Damidi quidem accuſanti filium Nõ iniuſta verò, inquã, paſſus es ab illo, qui talenta cùm haberes coaceruata mille, ac ipſe in deliciis viueres, annos nonaginta natus, adoleſcenti illi quatuor obolos ſcilicet ſuppeditabas. Tu verò Acarnan, (gemebat enim & ille, ac deuouebat Myrtiũ) quid amorem accuſas, inquam, & non potius te ipſum? qui hoſtes quidẽ haud vnquã perhorrueris, ſed te vltro periculis offerendo, ante alios in prælium deſcenderis, à puella verò vulgari illa quidẽ, ac fortè oblata, & à lacrymis atq; ſingultibus fictitiis, generoſus ipſe tu captus fueris. Nam Blepſias quidẽ ipſe ſeſe accuſat ob nimiã ſtultitiam, quòd pecuniã videlicet cuſtodierit hæredibus nulla neceſsitudine ſibi coniunctis, dũ vanus ipſe in perpetuũ victurum eſſe ſe putat. Verùm mihi quidem nõ vulgarem voluptatẽ præbuerunt tunc lamẽtantes iſti. Sed iam circa fauces ſumus. Aſpicere nos illuc oportet, atq; à longè contẽplari aduenientes. Papæ! multi certè, & varii, omnéſq; lacrymantes, præter pullos iſtos & infantes. Quin & ætate nimia confecti illi lugent. Sed quid hoc? num philtro aliquo vitæ tenentur? Iſtum igitur decrepitum interrogare lubet: Quid ploras heus tu, tã prouecta ætate mortuus? Quid indignaris bone vir, præſertim cum ſenex huc adueneris? Eccubi rex fuiſti? MEND. Haudquaquã. DIOG. Verùm ſatrapa. MEND. Neque hoc. DIOGE. Num igitur diues fuiſti, ideóq; malè te habet, quòd relictis multis deliciis ac voluptatibus mori coactus fueris? MEN. Nihil tale: ſed annos quidem circiter nonaginta natus fui, vitam autẽ difficilem egi, arundine & linea victũ quæritans, vltra modũ egenus ac pauper, liberis carens, & præterea claudus quoq;, & parum oculis videns. DIOG. Et viuere cupiebas, cùm talis eſſes? MEN. Certè quidem, dulcis enim erat lux: mori autem, graue & horrendum. DIOG. Deliras ô ſenex, & iuueniliter te geris erga neceſsitatẽ, & hoc, cum ſis coæqualis portitori huic. Proinde quid iam de adoleſcentibus dicamus, quando etiam decrepiti iſti tantopere viuere cupiũt, quos decebat ipſam mortẽ etiam cõſectari, tanquam remedium quoddam eorum malorum quæ ſecum fert ſenectus? Sed abeamus iam, ne quis & nos ſuſpicetur tales eſſe, qui hinc aufugere cupiamus, quando circa fauces hîc nos oberrare viderit.

MENIPPI ET Tireſiæ,

Iacobo Mycillo interprete.

MENIPPVS.

AN verò & cæcus ſis Tireſia, non amplius cognitu facilè eſt: nobis enim cũctis æquè ſunt vacui oculi, ac ſolæ illorum ſedes, relictæ: quod autem ad cętera attinet, nõ facilè dixeris, qui Phineus, aut qui Lynceus fuerit. At verò quòd vates fueris, & quod vtrunq; ſolus teipſum perhibueris marẽ ac fœminã, auditis aliquando poetis noui. Proinde per deos dic mihi, vtram vitam expertus es ſuauiorem, vírne quãdo fuiſti, an cũ fœmina? TIR. Potior multo fuit, Menippe, muliebris vita: expeditior

Tireſias vtrunq; ſexum experius, mulierem pronũciat ſuauiorem.

peditior enim: & dominãtur quoq; viris mulieres: neq; ipſis neceſſe eſt in bellũ proficiſci, neq; ad propugnacula ſtare, neq; in concionibus diſſidere, neque, in foro atque iudiciis contendere. MEN. Quid? an non audiſti Tireſia Euripidis Medeam, qualia dixerit cum mulierũ genus deplorando cõmemorat? quàm miſerę ſint, & intolerabilem parturiendo laborẽ ſuſtineant? Verùm dic mihi (cõmonefecerunt enim me verſiculi iſti Medeæ) peperiſtíne etiã aliquando cum mulier eſſes: an verò ſterilis & abſq; ſemine vitã illam degiſti? TIR. Quid hoc Menippe, interrogas? MEN. Nihil acerbè, Tireſia, verùm reſponde, ſi tibi moleſtũ non eſt. TIR. Non fui ſterilis quidem, ſed neq; peperi tamen. MEN. Sufficit hoc Vtrum enim & vuluam habuiſſes, ſcire volebam. TIRE. Habui ſcilicet. MEN. Succeſſu autem tẽporis vuluáne illa euanuit, & mẽbrũ muliebre obturatũ eſt, mamillæq; iterum cõplanatę, deinde virile ſuccreuit, & barbam produxiſti, an verò repẽtè ex muliere vir factus prodiiſti? TIR. Nõ video quid ſibi velit interrogatio hæc. Videris autem mihi pro dubio habere, factúmne hoc ita ſit, an non. MEN. Quid? an non dubitare, Tireſia, de huiuſcemodi rebus cõuenit, ſed perinde ac fatuum aliquem, nõ perpenſis, fieríne poſſint, an non, protinus pro veris recipere? TIR. Tum tu igitur neque cætera credis hoc pacto contigiſſe, puta quũ audieris vt quędam ex mulieribus aues factæ ſint, aut arbores, aut feræ, Philomela videlicet, aut Daphne, aut Lycaonis iſtius filia? MEN. Quòd ſiquando & in illas incidero, tũ quid ipſæ dicant quoq;, ſcibo: tu verò, ô optimè, ecquid cũ mulier eſſes, vaticinatus quoq; es tum, quemadmodum & poſtea? an verò pariter & vir & vates didiciſti eſſe? TIR. Vides vt cũcta ea quę de me ferũtur, ignoras? puta quo pacto & litem quandam Deorũ diremi, & Iuno viſu me priuauit: Iupiter autem in ſolatium damni eius, vaticinandi artem mihi dedit? MEN. Adhúene Tireſia mẽdaciis iſtis caperis? Sed facis hoc more vatũ Conſuetũ enim vobis hoc eſt, nihil iam ſani dicere.

AIACIS ET Agamemnonis,

Iac. Micyllo interprete.

AGAMEMNON.

SI tu dũ furore correptus fuiſti, Aiax, te ipſum interfeciſti, nos autem cunctos etiam mẽbris, vt putabas, detruncatis, deformaſti: quid quęſo Vlyſſem accuſas? Ac paulò antè neq; aſpicere ipſum voluiſti, cùm veniſſet huc vates conſulturus, neq; alloqui dignatus es virum commilitonem ac ſocium, ſed ſuperbè admodum ac grandi incedens greſſu præteriſti. AIAX. Meritò Agamemnon. Ille enim mihi furoris huius auctor extitit, vt qui ſolus mecũ pro armis iudicio cõtendere auſus fuerit. AGA. An verò dignũ cenſebas te, qui abſq; aduerſario, atq; abſq; puluere, vt dicitur, ſuperares omnes? AIAX. Quid ni, in tali vtique cauſa? Nam armatura ea cognationis quodã iure ad me pertinebat, eũ fratris mei patruelis certè fuerit. Deinde vos cæteri, qui multò quàm ille præſtantiores eratis, detrectaſtis certamẽ, & ceſſitis mihi arma: iſte autẽ Laertæ filius, quem ego nõ ſemel in ſummo periculo ſeruaui cum iam à Troianis propè cõcideretur, melior eſſe me voluit, ac dignior qui armis illis potiretur. AGA. Accuſa igitur, ô generoſe, Thetim, quæ cum tibi debuiſſet armorũ ſucceſsionem ac hęreditatem, vtpote cognato, tradere, in mediũ allata illa poſuit. AIAX. Haud quaquam, ſed Vlyſſem, vt qui ſolus ſeſe mihi oppoſuerit. AGA. Ignoſcẽdum Aiax eſt, ſi homo cum eſſet, appetiuit gloriã, rem dulciſsimam, cuius gratia etiã noſtrum quilibet obire pericula ſuſtinet, pręcipuè quando & vicit te poſtea, & hoc Troianis ipſis iudicibus. AIAX. Noui ego quæ me damnarit, ſed fas non eſt de diis aliquid dicere. Vlyſſem igitur aliud quàm odiſſe non poſſum, Agamemnon, non ſi mihi ipſa Minerua hoc imperet.

Gloria dulcedo.

MINOIS ET Soſtrati,

Eodem interprete.

MINOS.

PRAEDO hic quidẽ Soſtratus in Pyriphlegethontem præcipitetur, ſacrilegus autem ille à Chimæra diſcerpatur, tyrannus verò iſte Mercuri iuxta Tityum in lõgum extentus, arrodendum & ipſe hepar prębeat vulturibus. Vos autẽ boni ac probi, abite quàm celeriter in campũ Elyſium, inſuláſq; beatorũ habitate, pro iis quæ rectè ac iuſtè in vita feciſtis. SOST. Audi ô Minos, num tibi iuſta dicere videar. MIN. An ego denuo nũc audiam? An nõ conuictus es Soſtrate, quòd & malus fueris, & tam multos occideris? SOST. Cõuictus quidẽ fui, ſed vide num iuſtè ob id ſupplicio afficiar. MIN. Atq; admodũ, ſi modò id iuſtum eſt, pro merito quẽq; ſuo pœnã dependere. SOST. Attamen reſponde mihi ô Minos: breue enim quiddã interrogabo te. MIN. Dic, ſed ne prolixè modò, quò deinceps & cæteros diiudicare poſſumus. SOST. Quæcunq; in vita egi, vtrum volens ea feci, an ita à Parcis agglomeratum mihi fuit? MIN. A Parca ſcilicet. SOST. Proinde & boni pariter omnes, & nos qui mali videmur, eadem agimus, dum illi obſecũdamus. MIN. Ita profectò, Clotho videlicet illi parentes, quæ vnicuiq; iniungit, cũ primùm natus eſt, quæ agenda ipſi ſunt. SOS. Siquis igitur vi compulſus ab alio, occiderit aliquem, cũ non poſſit illi cõtradicere à quo cõpellitur, vt verbi gratia ſi carnifex aut ſatelles quiſpiam alter iudici parendo, alter tyranno: quémnã cædis iſtius reum ages? MIN. Quem alium, niſi iudicẽ aut tyrannum? quoniam neq; ipſum gladiũ accuſare poſſumus: ſubſeruit enim hic tãquã inſtrumẽtũ quoddam, animis atq; furori accõmodatus illius qui primò cauſam hanc præbuit. SOSTR. Rectè ſanè ô Minos: laudo quòd hæc etiam exemplo quaſi quodam auctuario locupletas. Siquis autẽ mittente hero veniat ipſe aurum, vel argentum afferens, vtrínam ea gratia haberi debet, aut vtri

beneficium hoc acceptũ referendum eſt? MIN. Ei qui miſit, Soſtrate: nam ille qui attulit, miniſter tantùm fuit. SOSTR. Videſne igitur quàm iniuſta facis, dum ſupplicio afficis nos, qui miniſtri tantùm fuimus eorum quę Clotho nobis imperauit: & rurſum dũ honore proſequeris eos qui in alienis bonis veluti diſpenſatores quoſdã ſeſe geſſerunt? Non enim illud dicere quiſquam poterit, quòd cõtradicere, aut imperata detrectare licitum fuerit in iis quæ eũ omni prorſum vi ac neceſsitate imperata fuere. MIN. Multa ô Soſtrate & alia videas, licet minimè ſecundũ rationem, fieri, ſi diligenter expendas: veruntamen tu ex hac quęſtione hoc boni conſequeris, quandoquidem non prędo ſolùm, verùmetiam Sophiſta quidam eſſe videris: Solue ipſum Mercuri, néue deinceps amplius puniatur. Cæterùm illud vide, ne & cæteros manes ſimilia interrogare doceas.

Si fatali neceſsitate omnia peraguntur, immeritò puniũtur ſontes.

Sententia Minois irrita ſit,

MENIPPVS, SEV Necyomantia,

Thoma Moro interprete.

ARGVMENTVM.

Videtur hoc dialogo Lucianus illud maximè commẽdatum voluiſſe, quod in fine Menippus ait, è Tireſia in aurem ſibi dictum fuiſſe, priuatorũ videlicet hominum vitam optimam atq; tutiſſimam eſſe: quod idẽ Græci noto illo prouerbio dictitant, τῷ λάτι βιώσας. Nam diuitias, potentiam, gloriam, & cætera quæ mũdus appetit, vana omnia & incerta eſſe: præcipuè autem diuitũ atq; magnorum hominum vt vitam ipſam periculoſam, & pompis ſolennibus, item tragicis quoque fabulis ſimilem eſſe, ita miſeros plerunque ſortiri exitus: quod eo decreto videtur intelligere velle quod apud inferos contra diuites factum fuiſſe dicit, quo & corpora illorũ ſupplicijs deſtinantur, & animi in aſinos migrare iubẽtur: quod & ipſum nimirum eam ſignificationẽ habet, quòd diuitum animi plerunq; inertes, & omnis doctrinæ expertes eſſe ſoleant. Inſcribitur autẽ Necyomantia, quaſi dicas, ab inferis ſeu mortuis petitum reſponſum: quo vel maximè apparet eum dialogi ſcopum habendum eſſe, qui reſponſo iſto Tireſiæ proponitur. Semper enim ex titulis alter nobiliorem dialogi perſonam, alter argumenti quaſi quandam ὕλην indicat, Platonico more, quem maximè in hoc Lucianus imitatus eſt. Conſtat autem perpetua quadam narratione, qua & cauſam & modum ſui ad inferos deſcenſus, & præterea occaſionẽ qua edictum illud de diuitibus audierit, cõmemorat. In hac præcipui quidem loci ſunt & maximè illuſtres, de incerta doctrina Philoſophorum, de Magorũ ſuperſtitione & poteſtate, de inferorum locis, ſupplicijs, & æqualitate, & poſtrema illa collatio vitæ humanæ cum pompa ſolenni & cum fabulis Tragicorum. Occaſio & exordium dialogi ab habitu & percunctatione Menippi ſumuntur.

MENIPPVS, PHILONIDES.

MENIPPVS.

SALVE atrium, domúſq; veſtibulum meæ. Vt te lubens aſpicio luci redditus! PHIL. Num nam hic Menippus eſt, canis ille? Non hercle alius, niſi ego fortè ad Nenippos omneis hallucinor. At quid ſibi vult habitus huius inſolẽtia? claua, lyra, leonis exuuiæ? Adeundus tamen eſt. Salue Menippe. Vnde nobis aduenisti? diu eſt quòd in vrbe te non vidimus.

MEN. Adſum reuerſus mortuorum è latibulis,
Foribúſq; triſtium tenebrarum nigris:
Manes vbi inferi manent ſuperis procul.

PHIL. O Hercules, clàm nobis Menippus vita functus eſt, reuixítq; denuo.

MEN. Non, ſed me adhuc viuũ recepit tartarus.

PHIL. Quænam cauſa tibi fuit nouæ huius atq; incredibilis viæ?

MEN. Iuuenta me incitauit, atq; audacia,
Quàm pro iuuenta haud paululũ impotẽtior.

PHIL. Siſte ô beate tragica: & ab Iãbis deſcendens, ſic potius ſimpliciter eloquere, quænam hæc veſtis? quæ cauſa tibi itineris inferni fuit, quum alioqui neque iucunda, neque delectabilis ſit via? MEN.

Res dilecte grauis me infernas egit ad vmbras,
Conſulerem manes vt vatis Tireſiai.

PHIL. Atqui deliras: alioqui non hoc pacto caneres apud amicos cõſarcinatis verſibus. MEN. Ne mireris amice: nuper enim cum Euripide atque Homero verſatus, neſcio quo pacto verſibus ſic impletus ſum, vt numeri mihi in os ſua ſponte confluant. Verùm die mihi, quo pacto res humanæ hìc ſe habent in terris? & quídnam in vrbe agitur? PHIL. Nihil noui: ſed quemadmodum prius actitabant, rapiunt, peierant, fœnerantur, vſuras colligunt. MEN. O miſeri atq; infelices! Neſciunt enim qualia de noſtris rebus nuper apud inferos decreta ſunt, qualéſque ſorte iacti ſunt in diuites iſtos calculi, quos per Cerberum nullo pacto poterunt effugere. PHIL. Quid ais? Nouíne aliquíd apud inferos noſtris de rebus decretũ eſt? MEN. Per Iouem, & quidem multa: verùm prodere non licet, neque arcana quæ ſunt, reuelare, ne quis fortè nos apud Rhadamanthum impietatis accuſet. PHIL. Nequaquam Menippe, per Iouem: ne amico ſermonem hunc inuideas. Nam apud hominem tacẽdi gnarum, & initiatum præterea ſacris, ediſſeres. MEN. Dura profectò iubes, & neutiquam tuta: verùm tui gratia tamẽ audendum eſt. Decretum eſt ergo, diuites iſtos ac pecunioſos aurum tanquam Danaen ſeruantes abſtruſum. PHIL. Ne prius ô beate quæ ſunt decreta dixeris, quàm ea percurras omnia, quæ abs te audire libentiſsimè velim: quæ videlicet deſcenſus cauſa fuerit, quis itineris dux, deinde ex ordine & quæ illic videris, & quæ audieris omnia. Veriſimile eſt enim, te, quum res pulchras videndi curioſus ſis, eorum quæ viſu aut auditu digna videbantur, nihil omnino prætermiſiſſe. MEN. Parendum etiam in his tibi eſt. Nam quid facias vrgente

amico?

amico? Ac primùm ſanè tibi expediam quæ res animum meum ad hunc deſcenſum impulerit. Ego igitur quum adhuc puer eſſem, audirémque Homerum atque Heſiodum ſeditiones ac bella canentes, non ſemideorum modò, ſed ipſorum etiam deorum, adulteria quoque, violentias, rapinas, ſupplicia, patrum expulſiones, & fratrum & ſororum nuptias: hæc mehercle omnia bona pulchráque putabam, & ſtudioſè erga ea afficiebar. Poſtquàm verò in virilem iam ætatem peruenirem, hîc leges rurſus iubentes audio poetis apprime contraria, neq; videlicet adulteria committere, neque ſeditiones mouere, neq; rapinas exercere. Hîc igitur hæſitabundus conſtiti, incertus omnino quo me pacto gererem. Neque enim deos vnquam putaui mœchaturos, aut ſeditiones inuicè fuiſſe moturos, niſi de his rebus perinde ac bonis iudicaſſent. Neque rurſus legumlatores his aduerſa iuſſuros, niſi id conducere exiſtimarent. Quoniam igitur in dubio erã, viſum eſt mihi philoſophos iſtos adire, atq; his me in manus dedere, rogaréq; vti me vtcũq; liberet, vterentur, vitæque viam aliquam ſimplicem ac certam oſtenderent. Hæc igitur mecum reputans, ad eos venio, imprudès profectò, quòd me ex fumo (vt aiunt) in flammam coniicerem. Apud enim hos maxims diligenter obſeruans, ſummam reperi ignorantiam, omniáque magis incerta, adeò vt præ his illico mihi vel idiotarũ vita iam aurea videretur. Alius etenim ſoli me iuſsit voluptati ſtudere, atq; ad eum ſcopũ vniuerſum vitæ curſum dirigere: in eo ipſam ſitam eſſe felicitatem. Alius rurſus omnino laborare, corpúſque ſiti, vigiliis, ac ſqualore ſubigere, miſerè ſemper affectum, contumeliiſq; obnoxium aſsiduè Heſiodi ſedulò inculcans celebria illa de virtute carmina, & ſudorem videlicet, & accliuem in verticem montis aſcenſum. Alius contemnere iubet pecunias, earúmq; poſſeſsionem indifferentem putare. Alius contrà bonas ipſas etiam diuitias eſſe pronunciat. De mundo verò quid dicam? de quo ideas, incorporeas ſubſtántias, atomos, & inane, ac talem quandam pugnantium inuicem nominum turbam in dies audiebam: & quod abſurdorum omnium maximè fuit abſurdum, de contrariis vnuſquiſq; quum diceret, inuincibiles admodum rationes ac perſuaſibiles afferebat: vt neq; ei qui calidum, nec ei qui frigidum idem prorſus eſſe contenderent, contrà quicquam hiſcere potuerim, atq; id, quum tamen manifeſtè cognoſcerẽ fieri nunquam poſſe vt eadem res calida ſimul frigidáque ſit. Prorſum igitur tale quiddam mihi accidebat, quale ſolet dormitantibus, vt interdum capite annuerem, interdum cõtrà abnuerem. Præterea quod multò erat iſtis abſurdius, vitam eorum diligenter obſeruans, comperi eam cum ipſorum verbis præceptíſq; ſummopere pugnare. Eos enim qui ſpernendam cenſebant pecuniam, auidiſsimè conſpexi colligendis diuitiis inhiare, de fœnore litigantes, pro mercede docentes: omnia denique nummorum gratia tolerantes. Ii verò qui gloriam verbis aſpernabantur, omnem vitæ ſuæ rationem in gloriam referebant. Voluptatem rurſus omnes fermè palàm inceſſebant, clãculùm verò ad eam ſolam libenter confluebant. Ergo hac quoq; ſpe fruſtratus, magis adhuc ægrè moleſtéq; tuli. Aliquantulum tamen inde memet conſolabar, quòd vnà cum multis & ſapientibus & celeberrimis viris ipſe inſipiénſq; eſſem, atque verè adhuc ignarus oberrarem. Peruigilanti mihi tandem, atque hiſce de rebus mecum cogitanti, venit in mentem vt Babylonem profectus, magorum aliquem ex Zoroaſtri diſcipulis ac ſucceſſoribus conuenirem. Audieram ſiquidem eos inferni portas carminibus quibuſdam ac myſteriis aperire, & quem libuerit, illuc tutò deducere, ac rurſus inde reducere. Optimè ergo me facturum putaui, ſi cum horum quopiam de deſcenſu paciſcẽs, Tireſiam Bœotium cõſulerem, ab eóque perdiſcerẽ (quippe qui vates fuerit & ſapiens) quæ vita ſit optima, quámque ſapientiſsimus quiſq; potiſsimùm elegerit. Ac ſtatim quidem exiliens quàm poteram celerrimè Babylonem verſus rectè contendi. Quò quum venio, diuerſor apud Chaldæorũ quendam hominem certè ſapientem, atque arte mirabilem, coma quidem canum admodúmque promiſſa barba venerabilem. Nomen autem illi fuit Mithrobarzanes. Orans igitur obſecránſq; vix exoraui, vt quauis mercede vellet, in illam me viam deduceret. Ac tandem homo me ſuſcipiens, primùm quidem dies nouem ac viginti cũ luna ſimul incipiens abluit ad Euphratem, manè ſolem orientem verſus producens, ac ſermonem quempiam longum muſsitans, quem non admodum exaudiebã. Nam (quod in certamine præcones inepti ſolent) volubile quiddam atque incertum proferebat, niſi quòd quoſdam viſus eſt inuocare dæmones. Poſt illam igitur incantationem ter mihi in vultum ſpuens, deducit rurſus, oculos nuſquam in obuium quenquam deflectens. Et cibus quidem nobis glandes erant, potus autem lac atque mulſum, & Choaſpi lympha: lectus verò in herba ſub dio fuit. Ac poſtquàm iam præparati ſatis hac diæta ſumus, medio noctis ſilentio ad Tigridem me fluuium ducens, purgauit ſimul atque abſterſit, facéq; luſtrauit ac ſquilla, tum pluribus itidem aliis & magicum ſimul illud carmen ſubmurmurans, deinde totum me iam incantans, ac ne à ſpectris lædererer, circumiens, reducit domum, ita vt eram, reciprocantem. Ac reliqua noctis parte nauigationi nos præparauimus. Ipſe igitur magicam quandam veſtem induit, Medorũ veſti vt plurimùm ſimilem: ac me quidem his quæ vides, ornauit, claua videlicet, ac leonis exuuiis, atque inſuper lyra. Iuſsit præterea vt nomen ſi quis me roget, Menippum quidem ne dicerem, ſed Herculem, Vlyſſem, aut Orpheum. PHIL. Quid ita ô Menippe? neq; enim cauſam aut habitus aut nominis intelligo. MEN. Atqui perſpicuum id quidem eſt, ac neutiquam arcanum. Nam hi qui ante nos ad inferos olim viui deſcenderánt, putauit ſi me his aſsimilaret, fore vt facilius Aeaci cuſtodias fallerem, atq; nullo prohibente tranſirem, vtpote notior tragico admodum illo cultu emiſſus. Iam igitur dies apparuit, quum nos ad flumen

Philoſophorum in certæ & diuerſæ doctrinæ.

Magorum potentia & ſuperſtitio.

flumen ingreſsi, in receſſum incumbimus. Parata ſiquidē ab illo fuerant, cymba, ſacrificia, mulſa, & in id myſterium deniq; quibuſcūque opus erat. Hæc poſtquam ergo quæ prompta erant, impoſuimus, tum nos quoque.

Ingredimur triſtes, lacrymíſque implemur obortis.

Atque aliquantiſper quidem in fluuio ferimur: deinde in ſyluam delati ſumus, ac lacum quendam, in quē Euphrates cōditur. Tum hoc quoq; tranſmiſſo, in regionem quandā peruenimus ſolam, ſyluoſam, atque opacam: in quam deſcendentes (præibat enim Mithrobarzanes) & puteum effodimus, & oues iugulamus, & foueam ſanguine conſpergimus. At magus interim accenſam facem tenens, haud amplius iam ſummiſſo murmure, ſed voce quàm poterat maxima clamitans, dæmones ſimul omnes conuocat, Pœnas, Erynnes, Hecaten nocturnam, excelſámque Proſerpinā: ſimúlq; polyſyllaba quædam nomina barbara atq; ignota cōmiſcet. Statim ergo tremere omnia, & rimas ex carmine ſolùm ducere, ac porrò Cerberi latratus audiri: & iam res planè triſtis ac mœſta fuit:

Poetica hypotypoſis orci carminibus magicis excantati.

Vmbrarum at timuit rex imis ſedibus Orcus.

Ac protinus quidem inferorū patebant pleraq;, lacus Pyriphlegethon, ac Plutonis regia. Tum per illum deſcendentes hiatum, Rhadamanthum propemodū metu reperimus extinctum. Ac Cerberus primùm quidē latrabat, cōmouítq; ſeſe: at quum ego lyram celerrimè correptā pulſaſſem, cantu ſtatim ſopitus obdormit: deinde poſteaquam ad lacum venimus, tranare ferè non licuit. Iam enim onuſtum erat nauigiū, & eiulatu certè plenū. Vulnerati quippe in eo nauigabant omnes, hic femur, ille caput, alius alio quopiam membro luxatus: vſqueadeo vt mihi certè ex bello quopiam adeſſe viderentur. At optimus Charon quum leonis videret exuuias, eſſe me ratus Herculem, recepit, tránſq; vexit libens: tū exeūtibus quoq; nobis mōſtrauit ſemitam. Sed quoniā iam eramus in tenebris, præcedit quidē Mithrobarzanes, ego autē à tergo cōtinuus illi comes adhæreo, quoad in pratū quoddam venimus maximū, aſphodelo cōſitum, vbi circumfuſæ vndiq; mortuorum ſtridulæ nos ſequuntur vmbrę. Tum paulò procedentes longius, ad ipſum Minois tribunal acceſsimus. Erat ipſe quidē in ſolio fortè quedā ſublimi ſedens: aſtabant autē illi Pœnæ, Tortores, mali Genii, Furiæ. Ex altera parte plurimi quidā adducti ſunt ex ordine, longa fune vincti: dicebātur autē adulteri, lenones, mœchi, homicidæ, adulatores, ſycophantæ, ac talis hominū turba quiduis in vita patrantium. Seorſum autē diuites ac fœneratores prodibāt, pallidi, ventricoſi, ac podagrici, quorum quiſque trabe vinctus erat, ferri pondere duorū talentorum impoſito. Nos igitur aſtantes, & quæ fiunt omnia conſpicimus, & quę dicūtur auſcultamus. Accuſant autem noui quidam atq; admirabiles rhetores. PHIL. Quſnam ergo hi per Iouem ſunt? Ac ne iſthuc quidē te pigeat dicere. MEN. Vmbráſne vnquam iſtas noſti, quas oppoſita ſoli reddunt corpora? PHIL. Quid ni? MEN. Hæ

Deſcriptio inferorum.

nos igitur quū primùm functi vita ſumus, accuſant, teſtantur, atq; redarguunt quicquid in vita peccauimus. Et ſanè quædam ex his dignæ admodum fide videntur, vtpote nobiſcum verſatæ ſemper, noſtríſq; nuſquam digreſſæ corporibus. Minos igitur curioſè quemlibet examinans, impiorum relegabat in cœtū, pœnas ibi ſceleribus ſuis dignas luiturum. In hos præcipuè tamen incenditur, quos opes, dum viuerent, ac dignitates inflauerant, quíq; adorari ſe ferè expectabant: nimirum breui perituram eorum ſuperbiam faſtúmq; deteſtatus: quippe qui non meminiſſent mortales ipſi quum ſint, ſeſe bona quoque mortalia conſequutos. At nunc ſplendida illa exuti omnia, diuitias inquā, genus, munia, nudi acvultu demiſſo ſteterunt, tanquā ſomnium quoddam humanā hanc felicitatem recogitantes: adeò vt hæc dum cōſpicarer, nimiū quàm delectatus fuerim. Et ſi quem eorū fortè agnoueram, acceſsi, atq; in aurē ſilenter admonui qualis in vita fuerat, quantopere fuerat inflatus tum, quum plurimi manè fores eius obſidentes, pulſi interim excluſíq; à famulis, illius expectabant egreſſum: at ipſe vix tandem illis exoriens puniceus, aureus, aut verſicolor, felices ac beatos ſe facturum ſalutantes putabat, ſi pectus dextrámue porrigēs permitteret oſculandam. Illi verò audientes iſta moleſtè ferebant. At Minos quiddam etiam iudicauit in gratiam: quippe Dionyſium Sicilię tyrannum multis & atrocibus criminibus & à Dione accuſatum, & graui Stoicorum teſtimonio conuictum, Cyrenæus Ariſtippus interueniens (nam illum valde ſuſpiciunt inferi, eiúſq; plurimū ibi valet autoritas) ferme iam Chimærę alligatum, abſoluit à pœna, aſſerens illum eruditorum nonnullos olim iuuiſſe pecunia. Tum nos à tribunali diſcedētes, ad ſupplicii locum peruenimus: vbi ō amice & multa & miſeranda audire ſimul ac ſpectare licuit. Nam ſimul & flagrorum ſonus auditur, & eiulatus hominum in igne flagrantiū, tum rotæ, & tormenta, catenæ: Cerberus lacerat, & Chimæra dilaniat, cruciātúrq; pariter omnes, captiui, reges, præfecti, pauperes, mendici, diuites: & iam ſcelerum omnes pœnitebat. Et quoſdam quidem eorum dum intuemur, agnouimus, videlicet qui nuper è vita deceſſerant. At hi ſe pudentes tum occulebant, noſtróq; ſubtrahebāt aſpectui: aut ſi nos aliquando reſpiciebant, id ſeruiliter admodum abiectéq; faciebāt, atq; hi quidem quàm olim putas oneroſi faſtoſiq; in vita? At pauperibus malorum dimidium remittebatur, & quum interquieuiſſent, denuo repetebātur ad pœnam. Sed illa quoq; quæ fabulis feruntur, aſpexi, Ixionē, Siſyphum, Phrygiúmq; grauiter affectum Tantalum, genitúmq; terra Tityum, dii boni, quantum? Integrum ſtratus agrum occupabat. Hos tandem prętereuntes, in campum venimus Acheruſium, vbi ſemideos heroidáſq; reperimus, atque aliam ſimul mortuorum turbam in gentes tribúſq; diſpoſitam, alios quidem vetulos quoſdā ac marcidos, atq; (vt Homerus ait) euanidos, alios verò iuueniles & integros & hoc potiſsimùm ob illam condiendi efficaciam Aegytios. Verùm dignoſcere quēlibet haud procliue

Campus Acheruſius ſiue Elyſius.

Aequalitas inferorum.

fuit:adeò nudatis oſsibus omnes erant inuicem ſimillimi,niſi quòd vix tandē eos diu intendentes agnouimus. Quippe conferti cōſidebant obſcuri atq; ignobiles,nullúmq; ſeruantes amplius priſtinæ formæ veſtigium. Cum igitur multi ſimul oſſei conſiſterent,inuicem omnino ſimiles, qui terrificum quiddam per cauos oculorum orbes tranſpicerent, dentéſq; nudos oſtenderent, hæſitabam certè mecum, quónam ſigno Therſitem à Nireo illo formoſo diſcernerem,aut mendicum Irum à Phæacum rege,aut Pyrrhiam eoquū ab Agamemnone, quippe quibus iam nihil veteris permanſit indicii, ſed oſſa fuerunt inter ſe ſimilia, incognibilia, nullis inſcripta titulis, nullíque vnquam dignoſcenda. Hæc igitur ſpectanti mihi,perſimilis hominū vita pompæ cuipiam lōgę videbatur,cui præſit ac diſponat quęque Fortuna,ex his qui pompam agunt,diuerſos varióſq; cuiq; habitus accōmodans. Alium ſiquidem Fortuna deligens,regiis ornat inſignibus,& tiaram imponens, & ſatellites addens, & caput diademate coronās. Alium ſerui rurſus ornatum induit:hunc formoſum effigiat,hunc deformem atq; deridiculum fingit:nam omnigenum,vt opinor,debet eſſe ſpectaculum. Quin habitus quorundam plerunq; in media quoq; pompa demutat, neq; perpetuò eodem ſinit ordine cultúque progredi,quo prodierāt, ſed ornatu commutato Crœſum quidem cogit ſerui captiuſq; veſtes induere:Mæandrium autē olim inter ſeruos incedentem,Polycratis viciſsim ornat tyrannide:& aliquantiſper quidē eo cultu permittit vti: verūm vbi iam pompæ tēpus præteriit,apparatum quiſque reſtituens, & cum corpore ſimul exutus amictu,qualis antè fuit efficitur, nihilo à vicino differens. Quidam tamē ob inſcitiam,quū ſuos fortuna cultus exigit,ægrè ferunt atq; indignantur,tanquam propriis quibuſdā bonis priuati,ac non potius alienis, quibus pauliſper vtebantur, exuti. Quin in ſcena quoq; vidiſſe te plerunque puto hiſtriones iſtos tragicos,qui (vt fabulæ ratio poſcit) modò Creontes,modò Priami fiunt, aut Agamemnones:idēq;(ſi ſors retulerit)paulò antè tam grauiter Cecropis aut Erechthei formā imitatus,paulò pòſt ſeruus poeta iubēte progreditur. At quum fabulæ iam finis affuerit, quiſq; auratas illas veſtes exutus,perſonam deponēs,& ab altis illis crepidis deſcendēs, pauper atq; humilis obambulat,haud amplius Agamemnō ille Atreo prognatus,aut Creon Menœcei filius, ſed Polus filius Chariclei Sunienſis, aut Satyrus filius Theogitonis Marathonius. Sic ſe mortaliū res habent, quemadmodum mihi tum ſpectanti videbatur. PHIL. Dic mihi Menippe, iſti qui magnificos altóſq; tumulos habēt ſuper terram, & colūnas,imagines,titulos,nihilóne ſunt apud inferos plebeis quibuſlibet vmbris honoratiores? MEN. Nugaris tu quidem: nam ſi vidiſſes Mauſolum, Carē illum dico pyramide celebrē, ſat ſcio,nunquam ridere deſiiſſes: ita in antrum quoddā abſtruſum deſpectim abiectus eſt,in reliqua mortuorū turba deliteſcens. Hoc tantum cō modi mihi [illegible]letur ex monumento referre,quòd imp[illegible]ndere laborat magis & premitur. Nam quum Aeacus,ô amice,locū cuiq; metitur,dat autē cui plurimùm,haud amplius pedē: neceſſe eſt eo iacere contentū,ſeſéq; ad loci modum contrahere. At vehementius multò riſiſſes opinor,ſi reges hoſce noſtros ſatrapáſq; vidiſſes apud eos mendicantes,& aut ſalſamenta venden tes,aut primas ipſas literas vrgente inopia profitentes, & quemadmodū contumeliis à quouis afficiantur,atq; in faciem cædātur, perinde atq; viliſsima mancipia. Itaq; Philippum Macedonē conſpicatus,cōtinere me certè nō potui: oſtenſus eſt mihi in angulo quodā detrito calceos mercede reſarciēs. Quin alios præterea multos erat videre mendicantes in triuiis,Xerxes videlicet, Darios,ac Polycrates. PHIL. Admiranda narras iſta de regibus,penéq; incredibilia. Socrates autem quid facit ac Diogenes,& ſi quis eſt ſapiētum alius? MEN. Socrates profectò etiā ibi obuerſatur,omnéſq; redarguit:verſantur autē cum illo Palamedes, Vlyſſes,& Neſtor,& quiſquis eſt alius inter defunctos garrulus. Inflantur autem illi etiamnū atq; intumeſcūt exhauſto veneno, crura. At optimus Diogenes Sardanapalo vicinus Aſſyrio, Midæq; Phrygio,atq; aliis itē pluribus ex iſtorum ſumptuoſorum numero manet, quos quum eiulantes audit veteris fortunæ magnitudinem recogitantes, & ridet & delectatur, ac ſupinus cubans vt plurimùm cantat, aſpera nimis, atque iniucunda voce illorum eiulatus obſcurans,adeò vt id ægrè ferentes, nec Diogenem ferre valentes,de mutanda ſede deliberent. PHIL. De his iam ſatis quidē:cæterùm quódnā illud decretū eſt quod initio dixeras aduerſus diuites eſſe ſancitū? MEN. Bene admones:neſcio enim quo pacto quū de hac re dicere propoſuiſſem,ab inſtituto ſermone procul aberraui. Dum igitur ibi verſabar, magiſtratus cōcionem aduocauerunt,his videlicet de rebus quæ in cōmune conducerent. Conſpiciens ergo multos concurrere,me quoq; cū illis ſimul immiſcens,vnus de numero eorū qui in concione aderant, efficior. Agitata ſunt igitur & alia multa, poſtremò verò de diuitibus negociū:in quos poſteaquàm plurima fuiſſent obiecta, violētia,ſuperbia,faſtus,iniuriæ:aſſurgens tādem ex populo primās quidā, huiuſmodi decretum legit:Quoniā,inquit,multa diuites perpetrant in vita,rapiētes,ac vim inferentes,inopéſq; omni modo deſpectui habentes:Curię populóq; viſum eſt,vt quum functi vita fuerint, corpora quidē eorum pœnas eū aliis ſceleratorū corporibus luāt,animæ verò ſurſum remiſſæ in vitam,in aſinos demigrent, donec in tali rerum ſtatu quinquies ac vicies decē annorū millia tranſegerint,aſini ſemper ex aſinis renati, onera ferentes, atque à pauperibus agitati: dein vt liceat illis è vita excedere. Hanc ſententiā dixit Caluarius,patre Aridello,patria Manicenſis, tribu Stygiana. Hac igitur lege recitata, approbauerunt principes,ſciuit plebs,adfremuit Proſerpina, allatrauit Cerberus: ſic enim rata quæ inferi ſtatuunt,authenticáq; fiunt. Quę igitur in concione agebantur,erant huiuſmodi. Tum ego ſtatim,cuius gratia veneram,Tireſiam adeo,atq; illi re vti erat ordine narrata, ſupplicaui vt mihi diceret

Philippus calceorū refector.

Decretum contra diuites factum.

Vanam eſſe gloriam, quā in hac vita maximi pleriq; appetunt.

diceret quódnam optimum vitæ genus putaret. Hic verò ſubridens (eſt autem ſeniculus quiſpiã cæcus, pallidus, voce gracili) O fili, inquit, cauſam tuæ perplexitatis ſcio à ſapiẽtibus iſtis profectam, haudquaquam idem inuicem iiſdem de rebus ſentiẽtibus: verùm haud fas eſt id tibi proloqui: ſi quidem quòd Rhadamãthus interdixit. Nequaquã, inquam, ô paterculè: ſed dic amabo, neq; me cõtemnas, qui in vita te etiam ipſo cæcior oberro. Abducens ergo me, procul ab aliis auferens, ad aures mihi inclinãs, Optima eſt, inquit, idiotarum priuatorúmq; vita, ac prudentiſſima: quamobrem ab hac vaniſsima ſublimium conſideratione deſiſtens, mitte principia ſemper ac fines inquirere, & vafros hoſce ſyllogiſmos deſpuens, atq; id genus omnia nugas æſtimans, hoc ſolùm in tota vita perſequere, vt præſentibus bene cõpoſitis, minimè curioſus, nulla re ſolicitus, quamplurimũ potes hilaris vitã ridénſq; traducas. Hæc quum dixiſſet, rurſus in Aſphodelorum pratum ſeſe corripuit. Ego igitur (nam & tunc veſper erat) age, inquam, ô Mithrobarzane, quid cunctamur, ac nõ hinc rurſus abimus in vitam? Ad hæc ille, Cõfide, inquit, ô Menippe, breuem quippe facilémq; tibi monſtrabo ſemitam: & me protinus abducens in regionem quandam magis priore tenebricoſam, manu procul oſtendens ſubobſcurũ tenuéq;, ac velut per rimam influens lumẽ: Illud, inquit, Trophonii tẽplum eſt, atq; illhac ad inferos è Bœotia deſcenditur: hac aſcendes, atque illico eris in Græcia. Ego igitur hoc ſermone gauiſus, ſalutato mago, difficilè admodum per anguſtas antri fauces ſubrepens, neſcio quo pacto in Lebadiam perueni.

Summa & ſcopus totius argumenti.

CHARON, SIVE CONTEMPLANTES,

Petro Moſellano Interprete.

ARGVMENTVM.

Eiuſdem ferme argumẽti eſt hic Dialogus cum ſuperiore. Nã vt illic Menippus apud inferos videre atque audire ſupplicia & miſeros exitus diuitum atq; potentum fingitur, ita hìc Charon apud ſuperos hominum dementiam contemplatur, ſtultas illorum conſilia & actiones deridendo: quippe qui in his quæ incerta ac momentanea maxime ſunt, puta robore corporis, potentia, diuitijs, fortuna, gloria, & id genus alijs, omnem ſpem atque fiduciam collocent: mortis verò, quæ omnium certiſſima, & mox conſecutura eſt, nullam rationem habeant. Id quod ipſe Charon in fine Dialogi apertis verbis indicat, & paulò ſuprà quoque, vbi homines ſtultitiæ ſuæ admonet, & ad meliorem mentem reuocat. Tractantur autẽ hæc primò per ſpeciem, propoſitis exemplis Milonis, Cyri, Crœſi, Polycratis, & aliorum: mox & in genere, deſcriptis hominum & priuatorum & regum affectibus ſtudijſq;, poſtremò etiam confutata opinione quam multi de defunctorum honoribus habebant, & in ſumma, non hominũ modò res & corpora, verùm & ciuitates, & flumina, denique omnia morti ſubiecta eſſe oſtenduntur: quam eo faciliorem cuique eſſe, quo mundanis iſtis rebus ac opibus minus impeditus aut captus fuerit. Prior pars Dialogi etiã δραματικὴ eſt, dum Mercurius iam exoratus à Charonte, montes alios alijs imponit, et locum vnde proſpectus in omnes terras pateat, extruit.

MERCVRIVS, CHARON.

MERCVRIVS.

QVID rides ô Charon? aut cur deſerto nauigio in hãc lucem aſcendiſti, non admodum aſſuetus ſuperũm rebus intereſſe? CHAR. Cupido me cepit ô Mercuri vidẽdi & quænam in vita gerãtur negocia, & quibus ſtudiis homines teneãtur: tum etiã quibus bonis exuti plorent omnes vbi ad nos deſcenderint. Neq; enim ex ipſis quiſquã citra lacrymas traiecit. Quare exemplo illius Theſſali adoleſcentis commeatu à Dite impetrato, vt vnum ſaltem diem à naue abeſſe liceret, in lucẽ aſcendi: ac mihi videor in ipſo planè tempore in te incidiſſe. Nam peregrinus cum ſim, ſat ſcio te non grauari quin obambulando me ducas, ſinguláque demonſtres, vt qui vniuerſa iam habeas comperta. MERC. Non eſt ocium, ô portitor. Nam abeo iam nunc, negocium quoddam quod ad mortalium ſtatum pertinet, ab Ioue ſummo datum expediturus. Ille autẽ ad iracundiam propenſior eſt: vt planè verear ne cunctãtem me vel totum veſtræ ſortis eſſe permittat, caligini videlicet addictum: vel quemadmodum nuper Vulcanum, ita & me, correpto pede, è ſummo deiiciat cælo: nimirum quò & ipſe pocillatoris munere fungens, claudicando riſus moueam. CHA. Deſpicies ergo me temere & indecorè in terra oberrantem, præſertim amicus, & nauigationis ſocius, tum & noſtræ Reipub. ex parte legatus? Atqui conueniret, ô Maiæ proles, illorum te etiamnum meminiſſe, quòd te vel ſentinam exhaurire, vel remum agitare ne vnquam quidem iuſſerim: quin tu interim, quaquam adeò robuſtus es humeris, in nauigii dorſo porrectus ſtertis, aut ſi quam fortè ex Vmbris loquacem offenderis, cum hac inter nauigandum perpetuò confabularis: ego verò quantumuis ſenex, remigium agens duplex, ſolus remigo. At te per patrem obſecro, ô chariſsime Mercuriole, ne me deſeras, ſed vt nouo aliquo conſpecto redeam, indica quænam in vita geruntur. Quòd ſi tu me neglexeris, nihil planè ab ipſis cæcis differre videbor. Vt enim illi lubrico greſſu per caliginẽ titubant, ita rurſus ego ad lucem tibi hallucinabor. Quin

tu hanc mihi das gratiam, ô Cyllenie, perpetuò memori futuro? MER. Hæc profectò res verberum mihi cauſſa exiſtet, adeò vt iam hinc cõmonſtrationis huius mercedem non ſine tuberibus nobis fore proſpiciam: obſequẽdum tamen. Quid enim facias vbi amicorum quiſpiam impellat? Principiò ergo vt omnia ſingulatim & examuſsim cõſpicias, fruſtra laboras, ô portitor: nam hoc multorum annorum fuerit negocium: deinde & ipſi mihi verendũ, ne interim tanquam tranſfugam Iupiter me abdicet: tibi verò quo minùs mortis munia peragere poſſes, fuerit impedimento: neq; non Ditis imperio detraxerit, cùm videlicet longo adeò tempore vmbras adueheres nullas. Poſtremò & Aeacus, qui portorio colligendo præfectus eſt, ſtomachabitur, vt qui tanto tempore ne obolum quidem lucrifecerit. Verùm qua via ipſa rerũ capita videre poſſis, iam conſilium nobis erit captandum. CHA. Ipſe ô Mercuri, quod optimum factum fuerit, videris: ego verò peregrinus cum ſim in terra, quid rerum hîc agatur, neſcio. MER. Breuiter, ô Charõ, editiore aliquo loco opus erit, vt inde cuncta queas proſpicere. Cæterùm ſi in cælum ſubuolare tibi foret facultas, non laboraremus. Cùm autem te, cui ſemper cum mortuorum ſimulachris cõmercium fuit, Iouis regiam calcare minimè liceat, iam tempus fuerit excelſum aliquem montem diſquirere. CHA. Noſti, ô Mercuri, quæ ad vos inter nauigandum dicere conſueuerim: ſiquidem vbi procelloſus ventorum flatus obliquo velo incubuerit, vt in ſublime tollantur fluctus: ibi vos, quæ eſt veſtra imperitia, iubetis vel velum trahere, vel pedem pauliſper accommodare, vel etiam ipſius venti curſum ſectari: at ego quietẽ vos agere iubeo: ipſum enim me, quod optimum ſit, non ignorare. Quin ergo & tu quidem hæc imitaris, & in præſentia quum ſis gubernator, quæ tibi conuenire viſa fuerint, facito: ego verò, vt eſt vectorum conditio, tacitus ſedebo, per omnia tibi iubenti obſecundans. MER. Rectè admones ô Charõ: ipſe enim quid facto opus ſit, ſciero, ac ſpeculam nobis idoneam inuenero. Num ergo Caucaſus idoneus, aut hoc altior Parnaſſus, aut vtroq; eminentior Olympus ille? Atqui in Olympum mihi intuenti non contemnendi cuiuſdam conſilii in mentem venit: verùm ad hãc rem tuo & labore & obſequio pariter erit opus. CHA. Tuũ ergo fuerit imperare ô Mercuri: equidẽ pro mea virili in omnibus parêre conabor. MER. Homerus poeta dicit, Aloei filios, cum & ipſi duo eſſent, ad hæc pueri, ſtatuiſſe olim vnà cum radicibus Oſſam euulſum Olympo ſuper imponere, deinde & huic Pelion, quòd arbitrarentur hoc pacto ſufficientem ſe gradum & aſcenſum in cælum habituros. Verùm hi adoleſcentuli cum impii eſſent, audaciæ ſuæ pœnas dederunt. Nos autem qui hæc in deorum iniuriam minimè molimur, cur non & ipſi eandem viam ædificamus, montem monti agglomerando, quò videlicet exactiorẽ & commodiorem habeamus proſpectũ? CHA. Et duobus nobis, ô Mercuri, vires ſuffecerint ad loco mouẽdum vel Pelion, vel etiam Oſſam? MER. Quid ni ô Charõ? an tu nos abiectiores magiſq; imbecillos infantulis illis iudicas? maximè quũ ſimus dii? CHA. Nequaquam, ſed res ipſa incredibilem quandam magnifici operis oſtentationẽ continere videtur. MER. Non iniuria: ruſticus enim es, & in elegantia poetica minimè verſatus. At egregius Homerus duobus ſtatim verſibus acceſſum nobis parauit in cælũ, adeò facilè congeſtis montibus. Porrò demiror hæc tibi prodigioſa videri, quum tamen Atlanta non ignores, qui vel ſolus cælum ipſum fert, vniuerſos nos ſuſtinens. Sed & de fratre meo Hercule fortè audiſti, quomodo ipſi illi Atlanti in officium ſucceſſerit, ipſéq; ſe oneri tantiſper dum ille interquieſceret, ſuppoſuerit? CHA. Audio ſanè huiuſmodi: an autem vera ſint, tu & poetæ videritis. MER. Veriſsima, ô Charon: alioqui qua gratia viri illi ſapientes mentirentur? Itaq; quod felix fauſtúmq; ſit, primùm Oſſam eruamus, quemadmodum carmen præſcribit, & ipſe architectus Homerus: At ſuper Oſſam Peliõ arboribus denſum. Vides quàm citra negociũ pariter & quàm poeticè effecerimus? Age hac mole conſcenſa diſpiciam num aut hæc faciant ſatis, aut plura ſuperſtruere oporteat. Papæ! quid hoc? Hæremus adhuc in ipſa cæli radice. Etenim ab oriente ſole vix Ionia & Lydia conſpiciũtur: ab occidente verò nõ amplius Italia ac Sicilia. Porrò à ſeptentrione, ea ſolùm quæ Iſtro adiacent, apparent. Illinc autem Creta, neq; hæc admodum aperté. Quare, ſicuti videtur, & Oetã tranſponere oportet. Poſtremò omnibus ſuperimponendus Parnaſſus. CHA. Sic faciamus. At hoc ſolùm vide, ne plus æquo attenuãdo opus, ipſum tenuius fragiliúſque reddamus, ita vt tandem vnà cum ipſa mole deturbati, Homericam illam ædificãdi rationem nimis amaram experiamur, nimirũ calnariis ex caſu perfractis. MER. Bono animo es ô Charon: res omnis in vado erit: tu Oetam tranſpone, aduolutetur & Parnaſſus. En iterum conſcendam. Bene habet, cuncta iam conſpicio: & tu nunc aſcende. CHA. Manum mihi porrige ô Mercuri: neq; enim paruam ac humilem molem me facis aſcendere. MER. Si ſingula contueri geſtis ô Charon, diſcrimini te committas oportet. Non enim ita comparatum eſt, vt ſimul & extra periculum ſis conſtitutus, & tamen, quæ cupis, liceat ſpectare. Poſtremò hac mea dextra nitere, ac pedetentim ſcandendo, ne in lubrico pedem figas, caue. Nunc omni ex parte res bene ſe habet, quum & tu ſuperaris. Iam verò quoniã bicipiti vertice prominet hic Parnaſſus, vterq; altero occupato conſidamus. Tu autẽ nunc oculis in orbẽ mihi ductis, intuere vniuerſa. CHA. Terram video amplam, ac paludem quãdam ingentem, quæ vndique terram circumfluit. Tum montes ac fluuios & Cocyto & Phlegethonte ampliores. Ad hæc, homines admodum exiles, pariter & horum nidulos quoſdam. MER. Vrbes illæ ſunt, quos tu nidos arbitraris. CHA. Vides quàm nihil nobis tanto labore ſit effectum? quin fruſtra ſede mouimus Parnaſſum vnà cum Caſtalio, tũ & Oetam; cæteróſq; mõteis omneis. MER. Quid ita? CHA. Equidem è ſublimi exactè

Breuis hypotypoſis terræ.

atqè deſpicio nihil: deſiderium autem erat non vrbes ſolùm, neq; montes ipſos tanquam in tabula depictos intueri, verùm & homines ipſos, tũ quæ faciant, quæq; loquantur, exaudire, haud ſecus ac prius, cùm tu obuius mihi factus ridẽtem conſpiceres, ac quídnam riderem, percunctareris. Nam cum ridiculum quiddam audirem, mirum in modum delectabar. MER. Quódnam hoc erat? CHA. Cum quidam ab amicorũ quopiam ad cœnam, opinor, vocatus eſſet, in poſterum, inquit, diem veniam, maximé. Atq; interim dum hæc diceret, tegula quædam neſcio quo deturbante à tecto in caput huic irruens, ipſum necauit. Riſi ergo hominem, vt qui promiſſa minimè præſtaret. Sed & nunc quò magis audiã, magiſq; videam, deſcendendũ mihi cenſeo. MER. Quietus es: nam & huic malo remedium inuenero, atque incantatione quadam ab Homero accepta, vidẽdi aciem acutiſsimam tibi, vel breuĩ reddidero. Ac poſteaquàm carmina ipſa pronunciaro, memor ſis non amplius hallucinari, verùm apertè cuncta contueri. CHA. Dic ſolùm. MER.

Dimoui nubem, viſum quæ texerat antè,
Vt tandem agnoſcas qui ſint, hominéſve, deſve.

CHA. Quid eſt? MER. An non iã vides? CHA. Maximè: cæcus ſanè Lynceus ille, ſi mecũ componatur. Itaq; deinceps hoc primùm me velim doceas, mihíq; percunctãti reſpondeas. Sed heus tu, vin' & ipſum me Homericis verſibus tecum agere, quò videlicet intelligas, neq; ipſum me ab Homeri elegantia abhorrere? MER. Vnde tu quæſo illius aliquid ſcire poſſes, nauta cùm ſis, & cum remis rem habeas? CHA. Vides? opprobria ſunt hæc in artem. At ego cum illum vita iam functum traiicerem, multa ex ordine canentem audiui, quorum nõnulla adhuc in memoria hærent. Porrò tempeſtas non mediocris tum nobis incubuit. Etenim poſteaquam cantilenam quandam nauigantibus non admodum proſperam neque ſalutarem fuiſſet auſpicatus, carminum vi impulſus Neptunus, & nubes conuocauit, atq; tridente velut vnco quodam hamo iniecto, cum fluctuum procellas excitauit, tum aliis multis turbis vniuerſum miſcebat mare, adeò vt parum abfuerit quin tempeſtas quæ vnà cũ denſa caligine imminebat, nauẽ nobis ſubuertiſſet. Tum ergo & ille nauſeabundus bonam carminũ partem Scyllæ & Charybdi euomuit: ſed & Cyclopi. MER. Nõ ergo difficile fuit ex tanto vomitu paucula aliqua reſeruare. CHA. dic mihi,

Craſſus & ille quis eſt, vir magnus cõſpicuúſq;,
Vertice ſublimi, atq; humeris latiſsimus amplis?

MER. Milo Crotoniata hic eſt athleta. Applaudunt autem ei Græci, quòd taurum ſublatum ſolus per medium ferat ſtadium. CHA. At quanto iuſtiori cauſa ô Mercuri ipſum me laudibus veherent, qui paulò pòſt ipſum tibi Milonem quãtus eſt, correptũ in nauiculam imponam? nempe vbi à morte inuictiſsimo aduerſario luctа ſuperatus ad nos venerit, quãdo nec ipſe planè intelliget qua cruris implicandi ratione ſit deiectus: tum profectò nobis plorabit, recordatus & harũ coronarum, & huius applauſus. Nunc autẽ quia propterea quòd taurum geſtarit, eſt admirationi, grandia ſapit, ac mirificè ſibi placet. Quid ergo de ipſo arbitrabimur? Num quòd mortem etiam aliquando ſibi imminere ſperet? MERC. Quid? ille mortis recordaretur in tanto flore? CHA. Miſſum hunc face ô Mercuri, riſum nobis haud ita multò pòſt exhibiturum, quando videlicet nobiſcũ nauigans, nec culicem quidem amplius, nedum taurum ferre poterit. Sed illud tu mihi dicas velim, quis alius ille vir grauis, ac ſeueritate quadam verendus, nec tamen Græcus, quantum ex peregrino habitu coniici poteſt? MER. Cyrus, ô Charon, Cambyſis filius, qui imperium quod olim Medi obtinebant, ad Perſas tranſtulit, atque ille idem Aſſyrios nuper deuicit, & Babylonem expugnauit: ad hoc exercitum in Lydiam traducere iam parat, hoc iam in animo deſtinãs, vt Crœſo ſuperato imperium habeat in omneis. CHA. At Crœſus vbi tãdem ille? MER. Illorſum oculos deflecte in magnam illam aream, quæ triplici muro eſt ſepta, Sardeis illæ. An non Crœſum ipſum vides in aureo ſedentem ſolio, ac eum Solone illo Atheniẽſe diſſerentem? Vis auſcultemus qua de re verba faciãt? CHA. Volo ô Mercuri. CROE. O hoſpes Atheniẽſis, quia iam diuitias noſtras vidiſti, theſauros ſcilicet, & quantum nobis auri ſit rudis; tum & aliam ſupellectilem precioſam: dic mihi, quémnam omniũ hominum feliciſsimum arbitraris? CHA. Quid tandem dicet Solon? MER. Ocioſo es animo, nihil ô Charon vel ingenerosum, vel contemnendum. SOL. Felices quidem admodum pauci: verùm ex his quos ego noui, Cleobin & Bitonem ſacerdotis filios arbitror feliciſsimos extitiſſe. CHA. Argiuæ ſacerdotis hic dicit: qui nuper poſtquam matrem vehiculo inſidentem ad ſacrarium vſque, ipſi iugum ſubeuntes, adduxiſſent, è viuis ſtatim exceſſerunt. CROE. Eſto, habeant illi felicitatis primas: at quis tenebit ſecundas? SOL. Tellus Athenienſis, qui præterquam quòd bene vixit, mortem etiam pro patria obire non recuſauit. CROE. Ego verò, ô ſcelus, non tibi videor felix eſſe? SOL. Nondum ô Crœſe ſtatui, quòd necdum ad vitæ metam perueneris: rectiſsimus enim eius rei iudex ac certiſsimus mors ipſa exiſtit, & vita ad finem vſque feliciter perducta. CHA. Optimè facis ô Solon, quòd noſtri non es oblitus, quoniam cymbam ipſam his de rebus iudicare cenſes. Sed quínam illi quos Crœſus emittit, aut quid humeris geſtant? MER. Aureos Pythio lateres dicat, oraculi eius mercedem, cuius beneficio paulò pòſt peribit. Eſt enim vir ille plus æquo vatibus deditus, adeò vt omnino ex ipſis pendeat. CHA. Et illud eſt aurum ſplendidum ſcilicet, quódque ſubpallidum refulget rubore? nunc enim, quum antè iam ſæpe de eo audierim, ipſum primùm video. MER. Hoc celebre illud eſt nomẽ, cuius gratia tãtopere pugnatur. CHA. Atqui non video quonam precio commẽdetur: niſi hoc fortè ad rem pertinet, quòd qui ferunt, eo grauantur. MER. Non enim noſti quot huius gratia bella, quot inſidiæ, quot latrocinia, quot

Cleobis, & Biton.

Tellus Athenienſis.

perluria,quot cædes,quot vincula,quámq; longinqua nauigatio,quot mercaturæ,quot ſeruitutes. CHA. Propter hócne ô Mercuri,quòd parũ ipſi æri præſtat? Nam æs noui, vt qui à ſingulis vectoribus (quod & tu ipſe non ignoras) obolum cum delectu accipiam. MER. Eſt ita vt dicis ô Charon: verùm æs, quia magna eius copia, non eſt in precio: aurum verò, & huius quidem parum,hi qui terræ venas ſcrutantur,ex immenſo profundo effodiunt: attamen ex terra prouenit,quemadmodum & plumbum, & reliqua metalla. CHA. Inſignem quandam hominum ſtultitiam narras,qui tanto amore proſequũtur rem tum pallidam,tum etiam grauem. MER. At Solon ille aurum minimè mirari videtur,vt & planè vides. Nam cum Crœſum ipſum,tum verò maximè hominis barbari iactantiam deridet, adeò vt videatur etiam mihi hac ipſa de re Crœſum velle percunctari. Quamobrem auſcultemus. SOL. Dic mihi, ô Crœſe, putáſne laterum horum indigere Apollinem? CROE. Per Iouem. nullum enim ipſi eſt donarium Delphis ſuſpenſum tam magnificum. SOL. Arbitraris ergo te deum beatum reddere,ſi inter alia multa tuo beneficio & aureos lateres poſſideat? CROE. Quid ni? SOL. Magnam mihi paupertatem in cælo narras,ô Crœſe,ſi deos,cum fortè deſiderent,aurum ex Lydia aduehere oportebit. CROE. Vbi enim alibi auri proueniret tantum, quantũ apud nos? SOL. Rurſus illud mihi dicito: ferrum in Lydia naſcitur? CROE. Non temere. SOL. Potioris ergo rei indigi eſtis. CROE. Quínam? ferrum præſtantius auro? SOL. Si citra ſtomachum reſpondere velis,facilè quidem intellexeris. CROE. Interroga tu modò ô Solon. SOL. Vtri præſtantiores,an qui ſeruant ac defendunt, an qui ſeruantur & defenduntur? CROE. Qui ſeruant profectó. SOL. Quid ergo? Si (quemadmodum quidam narrant futurum) Lydos Cyrus adortus fuerit,aureóſne gladios militi tuo facies,an ferro tum erit opus? CROE. Ferro ſanè, ferro. SOL. Et ſi huius copiam non apparaueris,futurum,vt egregium illud aurum captiuum ad Perſas abeat. CROE. Bona verba, ô homo. SOL. Dii meliora velint,quàm vt hæc hoc modo fiant. Verùm tu hac via videris ferrum auro nobilius fateri. CROE. Ferreos ergo lateres Deo me conſecrare iubes, aurum autem reuocare? SOL. Neque ferro ille indiguerit: ſed ſiue æs ſiue aurum dicaris, aliis ſanè futuram prædam ac poſſeſſionem ſuſpenderis,& id quidem aut Phocẽſibus,aut Bœotiis,aut Delphis ipſis,aut etiam prædoni alicui tyranno: deus autẽ aurifices tuos planè nihil moratur. CROE. Semper tu quidem diuitias mihi inuides & oppugnas. MER. Non fert delicatus hic Lydus,ô Charon,verborum & libertatem,& veritatem: quin ei peregrina quædam res & noua videtur,hominem obſcuro loco natum, ac pauperem, ea quæ vrgeant, intrepidè dicere. Atqui haud ita multò pòſt Solonis recordabitur, nimirum quando eum à Cyro captum, in conſtructum rogum oportebit conſcendere. Nam quæ cuique, Parcarum fuſo ſint decreta, ipſam Clotho nuper legentem audiui, in quibus & hæc erant ſcripta: Crœſum quidem à Cyro captiuum duci,ipſum autem Cyrum à Maſſagetide illa necari. Viden' Scythicã illam fœminam candido vehentem equo? CHA. Per Iouem. MER. Tomyris eſt,quę ſua ipſius manu Cyri caput detruncatum, in vtrem cruore refertum intrudet. Sed & filium Cyri vides adoleſcentem? Cambyſes ille eſt. Is patre defuncto in imperium ſuccedet. Ac vbi mille modis errarit & in Lydia,& in Aethiopia, tandem inſaniam correptus, occiſo, à ſe Api, migrabit è vita. CHA. O riſum inexhauſtũ! Sed num quis vel aſpicere ſuſtineat ipſos, adeò ſibi præ cæteris placẽtes? aut etiam cui credibile videri poterit,illũ ſcilicet paulò pòſt fore captiuum,hũc autem caput in vtre ſanguine pleno habiturum? At quínam is eſt,ô Mercuri, cui pallam purpuream fibula nectit, quem corona adornat, cuíq; coccus piſcis ventre diſſecto annulum exhibet? in gente mari ſepta regis ſe nomine iactat? MER. Belle ô Charon, quod interim occinis,cæterum Polycratem Samiorum tyrannum vides,qui ipſe ſe modis omnibus felicẽ putat: verùm & hic tandem ab aſsiſtente famulo Mæandrio Orœtæ ſatrapæ proditus, in crucem ſuffigetur. Miſer ſanè,qui vel temporis momento ex vniuerſa felicitate exciderit. Nam & hæc nuper ex Clotho audiui. CHA. Præclarè ô Clotho: ita & ipſos in crucem ſuffige,& eorum capita generoſè detrunca, quò ſe homines tandem agnoſcant: ſed & tuo beneficio in ſublime adeò ferantur, nimirum vt poſtea quanto altiori ruina,tanto grauiori dolore decidant. Porrò quod ad me attinet,quemcunq; horum nudum in nauigio agnouero,eũ maximè ridebo,quando neq; purpuram,neq; regium capitis tegmen,denique neque ſolium ſecum adferat aureum. MER. Et horum quidem fortuna ſic ſe habebit. Sed & vaſtam quandam multitudinem vides, atq; ex hac alios nauiganteis,alios bella gerẽteis,alios in foro litiganteis,alios terram aratro proſcindẽteis, alios fœneranteis,poſtremò alios mendicanteis? CHA. Turbam quandam video variam, ac promiſcuam,& vitam perturbationum plenam. Ad hæc ciuitates conſpicio apum examinibus ſimiles, in quibus proprium quendam peculiarémq; ſinguli habent aculeũ,quo ſibi vicinos pungunt. Quidam autem ex ipſis velut crabrones,agũntq; feruntq; imbecilliorem, ac viribus inferiorem. At agmẽ illud quod ex improuiſo ipſos circumuolitat,quínam ſunt? MER. Spes, ô Charon, & metus, & amentia, tum voluptas, auaritia, ira, odium,atq; id genus alia. Ex his autem ignorantia infimę turbæ eſt permiſta. Atq; in eadem cum ipſis Repub. degit ira, odium, æmulatio: tum & imperitia,hæſitãtia,auaritia. Porrò metus & ſpes ipſos ſuperuolitantes, ille quidem horrorem incutit,aliquando verò tantùm trepidare facit: hæ autem ſupra caput in altum vergentes, vbi quiſpiam apprehendere conetur, in ſublime volãtes aufugiunt,illis inhiantibus relictis: quod ipſum & Tantalum apud inferos ab aqua pati vides. Quòd ſi aciem intenderis, conſpicies in alto & Parcas ipſas ex pẽſo ſingulis adnere tenuia quędam fila, quibus vniuerſum mortalium genus

Allius locus de donariis diis cõſecratis.

Aurúmne præſtatius, an ferrum.

ſubnixum

ſubnixum dependet. Viden' quaſi quoſdam araneorum nexus ab ipſis fuſis in ſingulis demiſſos? CHA. Equidem filum vt plurimùm, admodum tenue ac fragile cuique è ſublimi innexum video, hoc quidem illi, illud verò alii. MER. Rectè vides ô portitor. Nam ab ipſo fato imminet interitus, illi ab hoc, huic autem ab alio. Atque hunc hæredem fore eius, cuiuſcunq; filum fragilius fuerit: rurſus autem illum huius: tale enim quiddam connexio illa portẽdit. Vides ergo cunctos à tenui filo ſuſpenſos. Atque hic quidem ex ipſis in altum ſubtractus, ſublimis eſt: verùm paulò pòſt vbi põderi tanto ſuſtinendo non amplius par fuerit, filo dirupto decidens, ingentem excitabit ſtrepitum. Alius autem, qui paululum tantùm à terra fuerit ſubductus, tametſi cadat, citra tamen ſtrepitum iacebit, adeò vt ruinam vix ipſi exaudiant vicini. CHAR. Nimis quàm ridicula ſunt hæc ô Mercuri. MERC. Atqui ne verbis quidem vllis pro dignitate cõſequi poſsis, quàm ſint ridicula maximè ardua ipſorũ ſtudia, & quòd nonnũquam interea dum multa ſpe aluntur, intereunt, ab optima ſcilicet morte arrepti: cuius nuncii & miniſtri, vt cernis, admodum ſunt multi, puta febres, tum feruidæ, tum frigidæ (latinis veteribus querceræ dictæ) tabes, pulmoniæq;, tum gladii, latrocinia, aconita, iudices quoque ac tyranni. Et horum nihil omnino mentem eorum ſubit tantiſper ſanè, dum conatus eorum feliciter proceſſerint. At ſiquando ſua ſe ſpe falſos ſenſerint, tum illud ohe frequens in ore, pariter & eheu, eheu, & hei mihi, hei mihi. Quòd ſi iam inde ab initio ſecum perpenderent mortales ſe eſſe, ac poſteaquàm paululum hoc temporis in vita fuerint peregrinati, hinc relictis rebus terrenis omnibus velut è ſomno migraturos, profectò & prudentius circunſpectiúſque vitam ducerent, & cum emoriendum eſſet, minus angerentur. Nunc autem quia præſenti rerum ſtatu vſuros ſe perpetuò ſperant, cum miniſter aut vocarit, aut abducere fuerit conatus, irretitos vel febre, vel tabe: ſtomachantur, & ducenti renituntur, propterea ſanè quòd abſtrahendos ſe è bonis præſentibus ne expectarint quidem. Sed enim quid non faceret ille, qui domum magno ſtudio ædificando, operarios vrget, ſi proſpexerit eam quidem finem habituram, ipſum autem ſe, cum iamdudum faſtigium impoſuerit, deceſſurũ domo ita relicta hæredi, vt is fruatur, ipſe autem miſer ne ſemel quidẽ in ea cœnet? Iam qui ſtirpe virili auctus, conuiuio excipit amicos, patris nomen, nempe ſuum, puero imponit: ſi præſciret puerum ſeptem annos natum emoriturum, nunquid ob prolem ſibi videretur gaudio ferri tam immodico? Verùm in cauſſa eſt, quòd in eũ quidem intuetur, cui in filio res proſperè cadũt, cui patrem eſſe contingit vel athletę, vel eius qui vicerit olympia. Vicinum autem, qui natum cremandum effert, non inſpicit, neq; nouit quo funiculo quámq; tenui ſibi ſit ſuſpenſus. Quin & eorũ qui de finibus digladiantur, quanta ſit turba, vides: & quàm multi coaceruẽt pecunias, qui tamen antequam ipſis frui liceat, ab imminentibus quos dixi tum nũciis, tum miniſtris auocantur. CHA. Video iſthæc omnia, & mecum ipſe cogito quídnam ſit eis in vita iucundũ, aut quid tandem ſit illud quo ſpoliati tantopere ſtomachentur. MER. Quin etiam ſi ipſorum reges, quos vel omnium feliciſsimos eſſe apparet, introſpiciat quiſpiam diligenter: nimirum præterquàm quòd inſtabili & ancipiti fortunæ ludo iactantur, inuenerit eis inhærere triſtia longè plura iucundis: tot timoribus, tot turbis, tot odiis, tot inſidiis, tot iris, tot adulationibus miſeri illi inuoluuntur. Prætermitto & luctus, & morbos, tum & affectus, qui ex æquo tum vulgo & his dominantur vſque adeò, vt non minoris fuerit & temporis & negocii, horum hîc recenſere mala, quàm & priuatorum. CHA. Tibi ergo ô Mercuri dicere volo, cuínã mortales aſsimiles mihi videantur, atq; horum vita omnis. Vidiſtin' aliquando bullas illas in aqua, torrente aliquo cum ſtrepitu ſcaturiẽte exiſtentes? Tumores illos inflatos dico, quibus cogitur ſpuma. Earum ſanè quædam ſunt paruę & exiles, quæ iam ſtatim diſſolutæ euaneſcãt. Aliæ verò diutius durant, atq; aliis ad ſe coactis vehemẽter inflantur, ac in maximum ſurgunt tumorem, tandem & hæ diſſoluuntur omnino, pereúntque: neque enim ſecus fieri poterit. Hæc tibi hominũ vita. Singuli flatu tumeſcũt, ita vt alii ſint maiores, alii autem minores: poſtremò alii quidem momentaneam, móxque deficientem ſentiant inflationem, alii verò prius deficiant, quàm omnino conſtituantur. At omnes deſtrui & euaneſcere neceſſe eſt. MER. Nihil tu quidem infelicius hominũ naturam ſimilitudine expreſsiſti, quàm vel ipſe Homerus, qui vniuerſum mortaliũ genus arborum foliis comparat. CHA. At cum tam fragilis ſit eorum conditio, vides tamen vt iuuicem auidè contendant pro imperiis, pro honoribus, poſſeſſionibúſq; certando: cum tamen ipſos, vniuerſis his poſt ſe relictis, vnico tantùm obolo onuſtos ad nos venire oporteat. Vis igitur, quoniam in edito conſiſtimus loco, quàm poſſum magna voce acclamando eos adhorter? primùm quidem vt à conatibus & ſtultis & vanis abſtineant: deinde vt mortem ſemper præ oculis habẽtes hunc vitæ curſum tranſigant, in hanc ſententiam verba proclamans: O ſtulti, quid tanto ſtudio in his rebus molimini? Deſiſtite à laboribus: neque enim perpetuò viuetis. Nihil ex his quæ hîc præclara habentur, perpetuum eſt: nec aliquid iſtorum, quum moriendum eſt, ſecum auferre quiſpiam poterit. Quin neceſſe eſt hominẽ quidem (quiſquis is tandem fuerit) nudum abire, domum autem atque agrum & aurum in aliorum tranſire manus, ſemperque dominum mutare. Hæc atque eiuſmodi alia ſi vnde exaudiri poſsint, ipſis incla marem, an non putas vitæ eorum magnæ fore vtilitati, ita vt etiam prudẽtiores longè inde fieri queant? MER. O beate, neſcis quàm fortiter eos tum ignorãtia tum error occupauerit, adeò vt eorum aures ne terebro quidem amplius aperire queas. Tanta obtenarunt cera, haud aliter ac ſociorum aures & Vlyſſes, veritũs ne Sirenum cantus exaudirent. At quínam audire poterint, etiam ſi vocem in tantum intendas, vt rumparis?

Homo bulla.

Homines arborũ foliis ſimiles.

Commonitio Charontis.

Ignorantia & error, quibus hominum animi excæcãtur.

Nempe quod apud vos obliuionis fons poteſt, idem hîc præſtat ignorantia. Quanquam ſunt in eis & pauci quidam, qui quoniam ceram in aures non accipiunt, ad veritatem ipſam declinant, atq; in ipſis rebus cernentes acutum, quales ſint agnoſcant. CHA. Vel illis ergo ſolis acclamarem. MER. Superuacaneũ fuerit, ea quæ ſciunt, ad eos dicere. Vides quomodo à vulgi turba ſemoti, rideant quæ alii factitarint? Tum neutiquam conuenit ipſis cum vulgo, adeò vt iam nunc appareat, ipſos fugam è vita ad nos adornare. Verùm omnibus odioſi ſunt, eò quòd iſtorum imperitiam redarguant. CHA. Bellè ô generoſi vos: tametſi ô Mercuri, admodum ſunt pauci. MER. Vel hos eſſe fuerit ſatis. Sed nunc deſcendamus. CHA. Vnum adhuc diſcere deſiderium eſt, quod vbi docueris, perfectã ſanè doctrinam dederis: nam contueri geſtio, in quæ cadauera reponant dum in terrã defodiunt. MER. Sepulchra, conditoria & monumenta hæc vocant. Cæterùm tumulos illos ante vrbes vides, tum columnas, & pyramidas. Omnia illa mortuorum ſunt receptacula, cadauerúmq; tentoria. CHA. Quid ergo ſaxa illi coronãt, vnguentóq; inungunt? alii præ tumulis conſtructo rogo, ac fouea effoſa ſumptuoſas illas exurunt cœnas, & vinum mulſúmq; (quantum coniecturis aſſequi poſſum) in ipſas foueas infundũt? MER. Equidem ignoro ô portitor, quid hęc ad eos qui apud inferos agunt, pertineant: verùm illis perſuaſum eſt, vmbras ab inferis reduces cœnare quidem, vtcunque liceat, circum nidorem volitando, bibere autem è foueis mulſum. CHA. Illos adhuc bibere vel eſitare, quorum caluariæ ſunt aridiſſimæ? Atqui ridiculum eſt me tibi hæc dicere, qui quòd quotidie ipſos deducas, probè noſti an vbi ſemel terram ſubierint, denuo velut poſtliminii iure ad ſuperos remeare queant. Quin & ipſe maximè ridicula paterer tot negociis occupatus, ſi eos traiiciendo nõ deducere ſolùm, ſed reducere oporteret ſiquando vellent bibere. O ſtulti, quæ eſt hæc amentia? Non ſcitis quàm latè diſtantibus finibus viuentium & mortuorum res ſunt ſeiunctæ? quóque pacto ſe res habeant apud nos, vbi

Mortuus eſt æquè, tumuli qui neſcit honorem,
Et qui ſortitur ſpectandi funera ſaxi:
Atque honor vnus adeſt & regi Agamemnoni, & Iro:
Therſitæ & ſimilis Thetidos formoſus Achilles.
Vmbræ nam pariter ſiccæ nudæq; pererrant
Aſphodeli campos, confracto vertice cunctæ.

MERCVRIVS.

Papæ quàm multa ex Homero hauris. Sed quia me ſubmonuiſti, Achillis ſepulchrum tibi volo indicare. Vides illud quod prope mare ſitum eſt? illic Troianum eſt Sigeum. E regione autem conditus eſt Aiax in Rhœtéo. CHA. Non magnifica neque inſignia ſunt monumenta. Verùm celebriores vrbes mihi commonſtra, de quibus infernè tam magnifica audimus, Ninum ſcilicet Sardanapali vrbem, Babylonem, Mycenas quoque, tum & Cleonas ſimul, & Ilium ipſum: nam illinc oriundos multos memini traiicere, adeò vt totis iam decem annis neq; nauem ſubduxerimus, neq; ea interim refrixerit. MER. Ninus quidem, ô portitor, iam eſt euerſa, ita vt ne veſtigium eius ſit reliquum, néq; vbi ſita fuerit olim, facilè dixeris. Babylon autem tibi illa eſt tot turribus bene munita, quæq; magno illo ambitu eſt ſepta, haud ita multò pòſt & ipſa deſideranda, quemadmodũ nunc Ninus. At Mycenas & Cleonas me ſanè commonſtrare pudet: omnium verò maximè Ilium: alioquin, vbi deſcẽderis, ſat ſcio, præfocaris Homerum, propterea quòd tam magnificis verſibus has nugas decantare non erubuerit. Veruntamen & quondam extiterunt felices, nunc autẽ mortuæ ſunt & ipſæ. Vrbes enim, ô portitor, perinde ac homines emoriuntur, & quod longè mirabilius, ſolidi etiam fluuii, ita vt Inachi ipſius in Argo ne monumentum quidem reliquum appareat. CHA. Vah, quæ laudes Homere, quámque ſuperba nomina!

Ingens Ilium, ac mœnibus amplum.
Tum ſtructæ bellè Cleonæ.

Sed interim dum fabulamur, quínam illic dimicant, & qua pro re ſe mutuò cædũt? MER. Argiuos vides & Lacedæmonios ô Charõ atq; ſemimortuum Imperatorem Othryadem ſuo ipſius nomine trophæum inſcribentem. CHA. At pro quo eis eſt pugna? MER. Pro eo ipſo agro in quo pugnant. CHA. O hominum amentiam! qui haud ſciunt ſe, etiam ſi nunc quiſque eorum totam Peloponneſum poſſideat, vnius tamẽ vix pedis locum ab Aeaco accepturos. Campum autem aliàs alii colent, ſæpe etiam hoc trophæo per aratrum reuulſo. MER. Hæc quidẽ hoc modo ſe habebunt. At nos iam hinc deſcendamus, ac montibus his in ſuas ſedes repoſitis regrediamur, ego quidem quò ſum ire iuſſus, tu verò ad nauem. Equidem poſt paulum veniam & ipſe tibi vmbrarum gregem mecum adducens. CHA. Probè feciſti ô Mercuri, atque in eorum album adſcribêris, à quibus beneficio me affectum perpetuò agnoſcam: quandoquidem tua ope in hac peregrinatione plurimùm ſum adiutus. O qualia infelicium hominum ſtudia! Reges, lateres aurei, magnifica ſacrificia, prælia, Charontis autem nulla habetur ratio.

Confutatio opinionis de defunctorum honoribus.

Non homines tãtùm, verũ & vrbes, & propè cuncta morti obnoxia eſſe.

DE

DE SACRIFICIIS,

Eraſmo Roterodamo interprete.

ARGVMENTVM.

Deridet hoc ſermone Lucianus vanitatem, & ſuperſtitionem hominum circa colendos Deos, vt qui primùm de Diis impia quædam opinentur, ac ſentiant. Deinde eoſdem ineptiore, acalieniore cultu, quàm qui pro natura, ac dignitate numinis proſequantur. Propoſitio eſt, Ridicula eſſe ea quæ homines tum ſentiunt de Diis, tum circa illorum cultum faciunt. Id confirmat, expoſitione primùm earum opinionum, quæ de Diis traduntur, quam veluti cauſam ſuperſtitionis iſtius eſſe oſtendit. Deinde & rituum, quibus tum Græci, tum Aegyptii (quos cæteris multò ineptiis iſtis anteire indicat) vti ſolent. Et hunc quaſi quendam effectum ex ſuperioribus opinionibus ſequi, videtur velle intelligere. Animaduertendum autem nullum hîc impietatis eſſe argumentum: cum neque Deum neget: ſed fabuloſos Deos, & à poetis ſuis ſcilicet myſtis criminatos, neque rideat religionem, hoc eſt cultum Dei ex animo: ſed ſuperſtitionem humanos affectus Deo tribuentem.

ENimuero ſi quis recenſereve lit, quæ ſtultiſsimi mortales factitãt in ſacris, in feſtis die bus, in adeundis, ſalutandíſq; diis: tum quas res ab illis petant, quæ vota faciant, cuiuſmodi ſint, quæ de illis ſentiũt ſtatuúntque: equidem haud ſcio, ſítne quiſquam animo curis ita cõfecto, vſqueadeò mœſto, quin riſurus ſit vbi perpenderit negotii tum abſurditatem, tum amentiam. At multò antè quàm ridere incipiat, opinor ſecum illud expendet. Vtrũ pios iſtos appellari conueniat, an contrà, Diis inimicos, atque infelices, ac Genios malos, quiquidem numen ipſum rem vſqueadeò humilem atque abiectam exiſtimãt eſſe, vt humanis egeat obſequiis, vtque adulatione capiatur, ac gaudeat: rurſum vt ſtomachetur, atque iracundè ferat, ſi negligatur. Nam Aetolica illa mala, ſimúlq; Calydoniorum calamitates, tótque hominum cædes, ad hæc, & Meleagri interitum, hæc omnia à Diana autore profecta eſſe prædicant, quæ videlicet grauiter ferret, quòd ab Oeneo non eſſet ad ſacrificium adhibita. Vſqueadeo nimirum alte dolor hic animo illius inſederat, quòd ſacris epulis eſſet fruſtrata. Quin illam iam mihi video videor (vt erat id temporis) in cælo ſolitariã, reliquis diis ad Oenei conuiuiũ profectis foras, miſeris modis gerentẽ ſeſe, ac miſerabiliter eiulantẽ, quòd ab eiuſmodi feſto eſſet abfutura. Contra Aethiopas illos fortunatos, ac multis modis felices quis dixerit: ſi modò Iupiter illis gratiã referret pro humanitate quam in initio poematis Homerici in ipſum exhibuerant, duodecim perpetuos dies epulis acceptum, ídque quum reliquis etiam diis comitatus ad conuiuium veniniret. Vſqueadeo nihil (vt apparet) quicquid faciunt illi, gratis faciunt: verùm ſua bona vendũt mortalibus: atque emere quidem ab illis licet omnia, puta bonam valetudinem bucula, diuitias bobus quatuor, tum regnum, bobus centum: præterea ſoſpitem à Troia in Pylum reditum tauris nouem iam ex Aulide: ad Ilium tranſmittendi facultatem regia puella. Nam alius quidam, ne id temporis vrbs caperetur à minerua mercatus eſt bobus duodecim, ac peplo. Veriſimile eſt autem eſſe præterea quædam, quæ vel gallo, vel corolla, vel ſolo thure ab illis redimi queant. Hæc igitur quum non ignoraret, opinor, Chryſes ille vtpote tum ſacerdos, tum ſenex, diuinarúmque rerum egregiè peritus, poſteaquam re infecta rediſſet ab Agamẽnone, tanquã qui pridem Apollini mutuum dediſſet beneficium: ita nunc impu tat, ac repoſcit vicem: quin conuiciatur etiam propémodum, nẽpe quum ſic ait: Equidẽ (Apollo egregie) templum tuum, quum id temporis ad hue eſſet incoronatum, ſæpenumero coronis or naui, deinde tam multas tibi in aris adoleui coxas taurorum pariter, atque caprarum: at tu contrà me negligis, quũ huiuſmodi patiar iniurias: próque nihilo ducis hominem bene de te meritum. Qua quidem oratione in tantum ille pudefactus eſt, vt protinus arrepto arcu, ac ſupra nauium ſtationem ſeſe collocãs, peſtem in Græcorum copias iacularetur: ne mulis quidem, & canibus intactis. Sed quoniã de Apolline incidit mẽtio, referam de eodem, & alia quæ de illo ſapientes iſti tradunt: non illa quidem, quoties, quàm infeliciter amarit. non Hyacinthi cædem, neque Daphnes ſuperbiam: verùm quemadmodum damnatus etiam fuerit: & ob Cyclopas interfectos in exilium exactus. Vnde factum vt è cælo in terram demitteretur, humana iam ſorte vſurus, noſtríſque malis factus obnoxius. Præterea autem quemadmodum in Theſſalia mercenariam operam ſuã locarit apud Admetũ: tum item in Phrygia, apud Laomedontem, atque apud hũc quidẽ haud ſolus, verùm cum neptuno: quũ ambo propter egeſtatẽ lateres cõponerent, ínque cõſtruendis mœnibus operam præſtarent. Ac ne mercedẽ quidem ſolidam à Phryge illo tulerunt, verùm debebat illis adhuc de ſumma, vt ferunt, plus triginta drachmas Traiani nomiſmatis. Quid enim? An non hæc in deorum honorem fabulantur poetæ? atq; his etiam multò diuiniora de Neptuno, de Prometheo, de Saturno, de Rhea, denique de vniuerſa ferme Iouis familia, ídque inuocatis, vt adſint canentibus, in exordio poematum, Muſis, à quibus tandem velut afflati numine, id quod apparet, huiuſmodi quædam cantant, quemadmodum Saturnus vt primùm Cælum patrem ſuum execuiſſet, ipſe in eo regnauerit, deinde liberos ſuos deuorauit, ſicuti ferunt feciſſe & Argiuum illum Thyeſtem. Deinde quemadmodum Iupiter furtim occultatus à Rhea, ſaxum pueri loco ſubiiciente, in Cretam ſit ablegatus, atque inibi à capella nutrice ſit alitus, itidẽ videlicet vt Telephus à cerua, Cyrus Perſa (is qui prior regnauit) à cane narratur

enutritus. Postea quemadmodum expulso patre, atque in vincula coniecto, ipse potitus sit imperio. Duxerat autem vxores complureis quidem alias, sed postremo loco Iunonem germanã, idq; iuxta Persarum & Assyriorum institutum. Tum autem quòd esset in amores propensus, atque in Venerem effusus, facilè cælum liberis expleuerit. Quorum alios ex suæ sortis deabus crearit: alios contrà nothos ex mortali terrestríque genere sustulerit, quum interim generosus ille nũc in aurum, nunc in taurum, nunc in cygnum aut aquilam verteretur: ac in summa pluręs sibi formas assumeret, quàm vel Proteus ipse. Porrò Mineruam è suo ipsius capite progenuit, hanc planè sub ipso cerebro omplexus. Nam Bacchum imperfectum adhuc (vt aiunt) è matre etiamnum conflagrante surreptum, in suum femur illatum defodit: deinde vrgente partu execuit. Nec his dissimilia de Iunone etiam canũt. Nempe hanc citra virilem congressum subuentaneo conceptu grauidam, puerum edidisse Vulcanum, atq; eum quidem non admodum fortunatum, verùm excusorem ac fabrum ærarium: quíque perpetuò tum in igni, tum in fumo versetur: ac scintillis oppletum: quippe cuius ars in fornacibus exerceatur. Tum autem ne pedibus quidem integris: claudicare enim è ruina, quum à Ioue præceps datus esset è cælo. Quòd ni Lemnii pro sua bonitate eum, dum adhuc ferretur in aere, susc epissent, perierat nobis Vulcanus nõ aliter quàm Astyanax è turri deiectus. Quanquã quæ de Vulcano narrant, toleranda videantur: cæterùm de Prometheo cui non cognitum est quàm atrocia sit passus, propterea quòd supra modum humanæ gentis amans fuerit? Siquidem hunc Iupiter in Scythiam deportatũ, super Caucasum montem cruci suffixit, adhibita illi aquila, quæ iecur illius assiduè circumroderet. Hic itaque pœnas pendit. Porrò Rhea (nam sunt hæc quoque simul referenda) an non indecorè atque indignè facit? Iam anus quum sit, & ætate exacta, iísque rebus intempestiua, deinde tam multorum mater deorum, dum pueros adhuc adamat, eósque zelotypia prosequitur, dúmque Attin ipsum leonibus secum circumuectat, præsertim quum iam vtilis esse non queat? Itaque quinam posthac vitio vertat aliquis vel Veneri quòd adulteretur, vel Dianæ quòd ad Endymionem frequenter medio è cursu diuertens descendat? Sed age missas faciamus has fabulas: atque ipsum cælum conscendamus, poetico illo more subuolantes: ea nimirum via, quam vnam pariter cum Homero Hesiodus commonstrat, contemplaturi quem in modum singula apud illos sint ordinata. Ac primùm quidem quòd forinsecus sit ferreum, vel ab Homero, qui id ante nostram ætatem dixit, audiuimus. Quod si superas, ac sublato paulùm capite sursum aspexeris, ac planè in ipsum quasi dorsum peruenęris, ibi simul & lumen apparet candidius, & serenior sol, & astra fulgentiora, nihílque vsquam oculis occurrit nisi clarus dies, ac solum vndique aureum. Cæterum introgredienti, primo loco mansitant Horæ; quippe portas seruant. Post eas Iris, ac Mercurius: vtpote ministri, ac Iouis internuncii. Deinde Vulcani fabrilis officina, omnigeno referta artificio. Postea deorũ ædes, ac Iouis ipsius regia: quæ quidem omnia Vulcanus pulcherrimè fabricatus sit. At verò dii iuxta Iouem assidentes (conuenit enim opinor, vt in supernis illis sedibus magno strepitu fastúque viuatur) in terram despiciunt, & quoquouersum intento capite circunspectant, sicunde subuolantem ignem videant, aut nidorem in aere surgentem, circáque fumum rotantem sese. Quòd si quis fortè sacrum faciat, epulantur omnes fumo inhiantes, ac muscarum in morem sanguinem exugentes circum aras effusum. Alioqui si domi cibum capiant, nectare atque ambrosia victitant. Nam olim homines etiam ab illis in conuiuium sunt adhibiti, vnáque cum eis potarunt, nempe Ixion, ac Tãtalus: verùm illi quoniam vim & raptum pararent, essentque futiles & garruli, ob id in hunc quoq; diem pœnas luũt. Porrò reliquo mortalium generi cælum iam inaccessum est: atq; occultum. Et in hunc quidem modum viuitur à diis. Proinde videlicet etiam mortales ipsi in colendis illis, consimilia quædã atq; istis cõsentanea moliuntur. Nam primùm lucos illis attribuerunt, tum & montes dicarunt, præterea aues consecrarunt, deinde suam cuique arborem assignarũt. His factis per regiones illos distributos colunt, eósq; velut in ciuitatem suam receptant, nempe Apollinem Delphi Deliíque: Mineruam Athenienses, quæ quidem Græcis Athena dicta, vel ipso vocabulo se ei Reip. famiarem esse testatur. Argiui Iunonem: Mygdonii Rheam: Venerem Paphii. Rursum autem Cretenses Iouem affirmant non modò vixisse apud sese, nutritúmque fuisse: verùm etiam sepulchrũ illius ostendunt. At nos scilicet interim tam multis iam seculis fallimur, qui quidem opinemur Iouem tonare, pluere, reliquáq; omnia peragere. Et illud nos latuit, eũ iam olim fuisse defunctũ, & apud Cretenses sepultũ. Deinde verò phanis in honorem illorum erectis, ne tectis videlicet aut penatibus careãt, formas illorum exprimũt, adhibito ad id vel Praxitele, vel Polycleto, vel Phidia. At hi quidẽ artifices haud scio vbinã visam eorum effigiem repræsentant. Ac Iouem quidem barbatũ fingunt, Apollinem verò semper puerum, Mercurium iam pubescentem, primámq; ducentem lanuginem, Neptunum nigro capilitio, cæsiis oculis Mineruam. Attamen qui templa ingrediuntur, non iam arbitrantur sese videre vel ebur ab Indis aduectum, vel è Thracum venis effossum aurũ: verùm ipsum Saturni Rheæq; filiũ à Phidia in terrã hospitẽ adductũ, iussum Pisanorum in solitudine custodẽ ac speculatorem assistere: idq; hoc cõtentum præmio, bonísq; consulentem, si intra quinque perpetuos annos, dum Olympia celebrantur, interim obiter illi sacrificet aliquis. Tum autem constitutis aris, designatis sacrorũ septis, puris vasis collocatis, victimas offerunt, bouem aratorem agricola, agnum opilio, capram caprarius. Est qui thus, est qui placentulam offerat. At si quis pauper, is ita deo litat, vt dexteram duntaxat suam ipsius exoscu

Hactenus opiniones vanas de diis recẽsuit, tanquã cauſam ſuperſtitionis. Iã & hominũ ineptias circa cultũ & religionẽ, tanquam effectum deliarem eſſe teſtatur. ſcribit.

exoſculetur. Iam verò quum immolant (nam ad illos rédeo) primùm ſertis coronant pecudem, multóque antè explorant num legitima ſit, & ſacris idonea: ne quid fortè mactēt ex his quæ religio repudiat: deinde ad aram applicant, ac ſub oculis dei iugulant, flebile quiddam emugientem, beneque (ſicuti licet coniicere) ominatam, denique voce iam leuiore ad ſacri tibias reſpondentem. Quis verò non facilè coniectet gaudere deos quum iſta ſpectent? Quin & in frontiſpicio poſita ſcriptura denunciat, ne quis intra pura vaſa conſiſtat, qui manibus ſit impuris. Atqui ſacrificus ipſe ſanguine fœdatus, neque aliter quàm Cyclops ille pecudem incîdit, inteſtina educit, cor reuellit, cruorem aræ circumfundit, & quid tandem non obiens peragénſque quod ad pietatem, ſacrorúmque ritum pertineat? Poſt omnia demum incenſo igni, captam ipſam pariter cum pelle deportatam imponit: ipſam item cum lanis ouem. Nidor interim ille ſacer atq; diuinus ſurſum fertur, atque in ipſum vſque cælum ſubuectus, paulatim diffunditur. Iam verò Scythæ reliquis omnibus hoſtiis omiſsis, vt quas viles atq; humiles exiſtiment, ipſos homines mactāt Dianæ, atque eo ritu deam placant. Verùm hæc fortaſsis modeſta videantur, cúmq; his ea quæ faciant Aſſyrii, quæ Phryges, quæ Lydi: verùm ſi in Aegyptum proficiſcaris, ibi demum, ibi videbis permulta religioſa, planéq; cælo digna: puta Iouem arietino vultu: Mercurium illum optimum facile canina: Panem verò totum hircum. Ad hæc alium Ibin, alium Crocodilum, alium etiam Simiam. Quod ſi his quoque de rebus.

Quò planè pernoſſe queas, didiciſſe licebit. Complureis ſophiſtas audies, tum ſcribas ac prophetas mento raſo, qui tibi narrent (ſed prius, vt dici ſolet, fores occlude prophane) quemadmodum videlicet quondam ea ſeditione territi, quam mouerant hoſtes atque gigantes, in Aegyptum deuenerint, vt illic in poſterum tuti ab hoſtibus latitarent: & ob eam cauſam alius hircum induerit, alius arietem, nimirum præ formidine, alius feram, alius auem. Atque hinc eſſe vt dii nunc etiam eas obtineant formas, quas id temporis aſſumpſerant. Nam hæc diligenter mandata literis, ſdque ante annos plus decies mille, in adytis illorum repoſita ſeruantur. Porrò ſacrorum peragendorum idem ferme apud illos ritus, niſi quòd hoſtiam luctu proſequuntur, iámq; mactatæ circumfuſi membra laniant. Sunt qui ſepeliant duntaxat poſteaquam occiderint. Nam Apis ille, qui quidem deus apud illos eſt maximus, ſiquando moriatur, quis vſqueadeo magni faciat cæſariem ſuam, qui non eam detondeat, ac nudo capite luctum præ ſe ferat, etiam ſi vel purpuream Niſi comam habuerit? Eſt autem hic Apis deus ex armento iam antea ſuffragiis deſignatus, vtpote multo formoſior ac venerabilior reliquis illis priuatis & gregariis bubus. Hæc igitur quum ſic habeant, & tamen à vulgo vera ſeriáque credantur, mihi quidem poſtulare videntur, non qui reprehendat, ſed vel Heraclitum potius aliquem, vel Democritum: quorum hic amentiam eorum rideat, ille deploret inſciriam.

VITARVM AVCTIO,

Martino Bolero interprete.

ARGVMENTVM.

Argumentum huius dialogi planum eſt vel ex ipſa inſcriptione. Deridet enim philoſophos, enumerando omnes propè illorum ſectas, & exagitando ea quæ in vnaquaque earum ridiculè maximè docentur. Fingit autem venales illas proponi hominibus à Ioue, mercatorum exemplo, vt quemadmodum illi cum mancipia, iumenta, aut etiam alias res vendunt, vſum ac pretium cuiuſque indicant, ita ipſe quoque occaſione hac mores, doctrinam, ac totam denique vitæ omnium rationem, maiore licentia exponere atque irridere poſſet.

INTERLOCVTORES,

Iupiter, Mercurius, Mercator, Pythagoras, Diogenes, Democritus, Heraclitus, Socrates, Cryſippus, Philoſophus.

IVPITER.

IVpiter quidem cōpone ſcamna, & locum adorna his qui adueniunt: tu verò vitas (id eſt philoſophorū ſectas) adducito, eásq; ordine ſiſte, veruntamen exornatas prius, vt formoſę appareant, & quamplurimos emptores alliciāt. Tu autem Mercuri, quod felix fauſtúmq; ſit, proclama, & aduoca emptores, vt iam adſint ad forū. Proclamabimus autē omnis generis Philoſophicas vitas, & variarū ſectarum. Quòd ſi quis in præſentia pecuniā numerare nequit, is ſaltem conſtituto aliquo qui pro ſe ſponſor ſit, in futurum annū ſoluat. MERCV. Multi accedunt: itaque non oportet differre, neque diu detinere eos. IVP. Vendamus igitur. MERCVR. Quem vis vt primum producamus? IVPIT. Ionicum illum comatum. grauitatem enim quandam præ ſe fert. MERCVR. Heus tu Pythagorice, deſcende, téque conſpiciendum præbe his qui congregati ſunt. IVPIT. Proclama. MERCVR. Optimam vitam maximéq; venerandam vendo. quis emet? quis maior homine eſſe vult? quis cupit vniuerſitatis, adeóq; omniū rerum harmoniam cognoſcere? quis vult reuiuiſcere? MERCATOR. Forma certè eſt non illiberali: verùm quid potiſsimum ſcit? MERCVR. Arithmeticam, Aſtronomiam, prodigiorum ſcientiam, Geométriam, Muſicam, præſtigiorum artem. vatem vides ſummū. MERCAT. Licétne eum interrogare? MERCVR. Quod fauſtum ſit, interroga. MERCATOR. Cuias es tu? PYTHAGORAS. Samius. MERCAT. Vbi verò inſtitutus es? PYTHAG. In Aegypto apud ſapientes qui illic ſunt. MERCAT. Age quòd ſi te emam, quid me docebis? PYTHAGO. Nihil equidem docebo te verùm commonefaciam

ciam. MERCAT. Quomodo? PYTHAG. Primùm quidem animam tuam puram faciam, repurgans eam à ſordibus, quibus nunc immerſa eſt. MERCA. Equidem finge me iam purũ eſſe, quis modus eſt commonefaciendi? PYTHAG. Principium quidem eſt longa quies, & taciturnitas, & totis quinque annis nihil loqui. MERCAT. Ergo, bone vir, Crœſi te filium erudire cõuenit, ego enim loquax, non ſtatua eſſe volo. verùm quid poſt illud ſilentium & quinquenniũ fiet? PYTHAGO. In Muſica, & Geometria exercebere. MERCATOR. Rem ſanè gratam narras, ſi prius quàm ſapiens fiam, citharœdum me eſſe oportet. PYTHA. Poſt hæc numerandi artem addiſces. MERCAT. Nunc etiam numerare ſcio. PYTH. Quomodo numeras? MERCATOR. Vnum, duo, tria, quatuor. PYTH. Vides decem eſſe ea, quæ tibi videntur quatuor, & perfectum trigonum, noſtrúmque iuſiurandum? MERCATOR. Per maximum igitur iuramentum quatuor, nunquam neque diuiniores neque ſanctiores ſermones audiui. PYTHAGO. Poſt hæc verò hoſpes, de terra, aere, déque aqua, & igne ſcies cuiuſmodi ſit illis impetus, quam habeant formam, & quomodo moueantur. MERCATOR. Formámne habent ignis, aer, & aqua? Certè minimè obſcuram. Neque enim ſine ſpecie & forma moueri poſſent. Præterea ipſum etiam Deum numerum eſſe, & harmoniam cognoſces. MERCATOR. Mira narras. PYTHAGORAS. Ad hæc teipſum quoque vnum videri ſcies, neque pro eo qui es, conſpici. MERCATOR. Quid narras? alius ſum, & non is qui nũc tecum colloquor? PYTHAG. Nunc quidem ille es, quondam verò in alio corpore, & alio ſub nomine videbaris, & temporis progreſſu rurſum aliud corpus indues. MERCAT. Itáne dicis? Immortalem me fore ſubinde alias, atque alias formas induendo? Verùm de his ſatis. Iam quod ad rationem victus attinet, qualia es? PYTHA. Nullum quidem animal edo, reliqua verò omnia, præter fabas. MERCAT. Quamobrem odiſti fabas? PYTHAG. Nullo quidem odio illas proſequor, verùm quia ſacræ ſunt, & mirabilem quandam naturam obtinent, ab illis abſtineo. Primùm quidem planè genitales ſunt, & ſi fabam adhuc viridem exuas, videbis eam omnino virilibus membris ſimilem naturam habere: elixam autem ſi deponas, certis noctibus ſanguinem feceris: & quod maius eſt, Athenienſium lex eſt fabis magiſtratus eligere. MERCA. Præclarè & religioſè omnia dicis. verùm exue te veſtibus. nam nudum te videre cupio. O Hercules, aureum illi femur eſt! Deus aliquis, & non mortalis eſſe videtur. itaque omnino illum emam. Quanti illum æſtimas? MERCAR. Decem drachmis. MERCA. Habeo tanti acceptum. IVPIT. Scribe nomen emptoris, & vnde ſit. MERCVR. Ex ea parte Italiæ eſſe videtur, quæ circa Crotonem & Tarentum, atq; eius loci Græciã ſita eſt. Atqui non vnus tantùm, ſed prope recenti communiter ipſum emerunt. IVP. Abducãt, alium adducamus. MERCVR. Vis ſqualidum illum ex Ponto? IVP. Omnino quidem. MERCV. Heus tu peram dependentem habens ex humeris, accede, & totum hunc conſeſſum circumeas. Vitam vendo planè virilem, vitam optimã, & generoſam, vitam liberam. quis emet? MERCA. Quomodo inquis præco? an liberum tu vendes hominem? MERCV. Maximé. MERCAT. An non times ne te accuſet tanquam plagiariũ, aut in Areopago litem intendat? MERCV. Nõ eſt illi curæ quòd venditur: omnino enim ſe liberum eſſe putat. MERCAT. Quis autem illius tam ſordidi & miſerè affecti vſus eſſe poteſt? niſi foſſorem fortè, aut lixam ex ipſo facere aliquis velit. MERCV. Non hoc tantùm, imò ſi ipſum quoque cuſtodem domus conſtitueris, multò fidelior erit, quàm vlli canes. ſiquidem & ille canis appellatur. MERCAT. Cuias autem eſt? aut quam artem profitetur? MERCVR. Ipſum interroga. iſtud enim præſtiterit. MERCA. Timeo vultum ipſius, ſeuerum admodum, & triſtem, & ne me accedentem allatret, aut per Iouem mordeat. Nónne vides quomodo lignum ſuſtulerit, & contractis ſuperciliis minaciter frementi, & irato ſimilis appareat? MERCV. Ne time. cicur enim eſt. MERCAT. Primùm quidem ô bone die, vnde es? DIOGE. Vnde vis? MERCAT. Quomodo dicis? DIOGE. Mundiciuem vides. MERCATOR. Quem verò imitaris? DIOG. Herculem. MERCA. Cur igitur & leoninam non induis? nam baculo illum quidẽ refers. DIO. Hoc quidem palliolũ leoninæ pellis vice mihi eſt: pugno autem non ſecus atque ille aduerſus voluptates, ídq; nemine imperante, ſed mea ſponte facio. ſic enim vitam meam repurgare conſtitui. MERCA. Euge quàm præclarum inſtitutum! verùm quid maximè te ſcire dicamus, aut qualem artem nouiſti? DIOG. Homines liberos facio, præterea medeor illorum affectibus. In ſumma, veritatis & audaciæ in loquendo, propheta eſſe volo. MERCAT. Age ô prophe ta, ſi te emam, qua re me exercebis? DIOG. Primùm cum accepero, exutum delitiis, palliolo amictum, in egeſtatem concludam: poſtea ad labores compellam. tum humi dormire, aquam bibere, atque iis rebus quæ caſu offeruntur, veſci faciam. Quòd ſi pecuniam habes, hanc meo conſilio in mare abiicies. Neque tibi vxor, liberi, aut patria, curæ eſſe debebunt: quin iſta omnia tanquam deliramenta exiſtimare oportet, & relicta patria domo, ſpecum, aut deſertam turriculã, aut dolium inhabitabis: peram præterea lupulo & libris opiſthographis refertam habebis. Hoc modo inſtructus, vel magno aliquo rege felicior eris. Quòd ſi vapulabis, aut ab aliquo torquebere, nihil horum moleſtũ eſſe putabis. MERCA. Quid narras? num cæſus non dolebo? neq; enim teſtudinis aut carabi cutem circumfero. DIOG. Illud Euripidis imitari te oportet, paucis tantũ immutatis verbis. MERC. Quale hoc eſt? DIOG.

Dolente mente, lingua ſit dolens nihil.

Hæc verò ante omnia tibi adeſſe neceſſe eſt. Impudentem te eſſe oportet, audacem, & omnibus ſine delectu tam regibus quàm priuatis maledicere. ita enim fiet vt omnes in te oculos coniiciant, téq; fortem eſſe exiſtiment. Barbara quoq;

vox,

vox,& abſonus ſonitus tibi ſit,quiq; canino planè ſimilis exiſtat. Vultus ſit intentus, tum ingreſſus ſit,qui talem vultum deceat. In ſumma, belluini & agreſtes planè ſint tibi mores, pudor autem & manſuetudo, & modeſtia procul abſint. Ruborem quoque omnem de facie abſtergas: loca autem quæque celeberrima,& in quibus maxima eſt hominum frequentia, accedito, & in his ipſis ſolus ſine vllo commercio eſſe velis,neque amicum,neque hoſpitem accedendo. His enim rebus hoc regnum ſoluetur. In conſpectu verò omnium ea facias,quæ ne priuatim quiſquã alius facere auderet:& in re venerea exercenda, ea quæ ſunt maximè ridicula eligito. Poſtremò, ſi tibi videtur crudum aliquem Polypum vel Sepiam deuorando morere. Hæc eſt illa felicitas, quam tibi procuramus. MERCATOR. Apage, ſceleſta enim & inhumana ſunt iſta quæ narras. DIOG. Sed heus tu,nemo non iſta facillimè aſſequi poteſt. Neque enim ad gloriam conſequẽdam opus erit eruditione,orationibus, atq; his nugis: verùm compendiaria ad illam via eſt. Etiamſi ex vulgo aliquis fueris idiota, coriarius videlicet,aut falſamenturius, aut faber, aut numularius,tamen nihil vetat quo minus te mirentur,ſi modò inſigniter impudens& audax fueris, atque omnibus egregiè conuiciari didiſceris. MERCAT. Ad has artes tui minimè indigeo. Nauta verò,aut hortulanus fortaſſe per occaſionem fieri poſſes,præſertim ſi te ille ad maximũ duobus obolis vendere velit. MERCV. Recipe eum. etenim libenter liberamur ab illo, qui clamoribus ſic nos obtundit,prorſuſque omnes iniuria & contumeliis afficit. IVPI. Alium accerſe,Cyrenæum illum purpura amictũ, & coronatum. MERCV. Agite, animũ aduortite omnes. Res ſumptuoſa eſt,quæque diuitibus indiget. Vita eſt hæc iucunda,vita ter beata. Quis cupit delicias?quis emet molliſsimum? MERCAT. Accede tu,& dic quid noris. emam enim te,ſi vtilis fueris. MERCVR. Ne obturba,ô bone,neq; interroga ipſum. ebrius enim eſt,itaq; non poterit tibi reſpondere,lingua,vt vides,titubans. MERCA. Quis mentis compos emat tam corruptum, & immodeſtum mancipium,quódque tot vnguẽta olet?quàm verò greſſu lubrico,& ratione carẽte incedit! Sed vtique Mercuri dic quibus artibus præditus ſit,aut quæ tractare ſoleat. MERCVR. In ſumma,conuiuator eſt,& compotor egregius:quin ad exercendas impudicas, & laſciuas ſaltationes,vnà cum tibicina admodum idoneus eſſet amatori cuidã & perdito hero. Quòd ad alia attinet,parandorum bellariorum gnarus eſt,& in adornãdis eduliis exercitatiſsimus. Breuiter, voluptatis artifex eſt: inſtitutus enim eſt Athenis,atque Syciliæ tyrannis ſeruiuit, apud quos in magno precio fuit. Summa verò propoſiti ſui,ſeu doctrinę eſt,omnia contemnere,& omnibus rebus vti,vndique voluptatem conquirere. MERCAT. Tempus eſt vt alium emptorẽ nempe diuitem,& multas habentem pecunias, quæras: ego enim minimè idoneus ſum, qui tam hilarem vitam emam. MERCV. Ille ô Iupiter, quantum apparet inemptus nobis manebit. IVPI. Traducito,atq; alium adduc,vel potius duos iſtos,quorũ alter,Abderites ſcilicet, ridet: alter verò Epheſius, plorat. ſimul enim vendi volunt. MERCV. Deſcendite in medium. Optimas vitas vendo, omnium ſapientiſsimos proclamo. MERCAT. O Iupiter,quanta diſſimilitudo! alter enim non deſinit ridere, alter autem aliquem lugere videtur. omnino enim plorat. Heus tu, quid hoc ſibi vult,cur rides? DEMOC. Interrogas?quia mihi omnia quæ vos facitis,ridicula videntur,adeóque vos ipſi etiam. MERCATOR. Quis narras?nos omnes tu derides? atq; omnia noſtra opera nihil facis? DEMOC. Sic ſanè eſt. Nam in illis nihil eſt præclarum, aut ſtudio dignum. inania enim ſunt omnia,& atomorum cumulus,& infinitum quippiam. MERCAT. Nequaquam,imo tu vanus re vera,& experientia carens. O contumeliam! nondum deſinis ridere? Tu verò ô bone quid ploras? multò enim melius erit,vt exiſtimo, tecum quàm cum Democrito loqui. HERAC. O hoſpes, ego omnes humanas res calamitoſas, & deflendas eſſe exiſtimo,atque in illis nihil non eſſe fato obnoxium: ideóque miſeret me ipſarum, & deploro eas. Neque magnifacio præſentia, futura verò puto planè erumnoſa fore, conflagrationes dico,& totius mundi calamitatẽ. Iſta ſunt quę ego deploro,quódq; nihil ſolidum eſt, ſed quodammodo omnia in cyceonem conuoluuntur, tum quòd eadem res delectat & offendit, eſtque cognitio ignorantia, magnum parum: atque ſurſum deorſumque ferũtur omnia,& per vices mutantur in ludo huius ſeculi. MERCAT. Quid eſt ſeculum? HERAC. Puer, ludens,ludens talis,contendẽs. MERCA. Quid verò homines ſunt? HERAC. Dii immortales. MERCA. Quid verò dii? HERAC. Homines immortales. MERCA. Heus tu ænygmata loqueris,an griphos componis?planè enim tã quã Apollo,nihil explicas. HERAC. Nihil vos curo. MERCATOR. Igitur neq; quiſquam mẽtis compos te empturus eſt. HERA. Ego verò à pueris iubeo plorare omnes,tam eos qui me emunt,quàm qui non emunt. MERCAT. Hoc certè malũ parum differt ab inſania. neutrum horum emam. MERCVR. Et illi quoq; apud nos manebunt,cum non ſint vendibiles. IVPI. Aliũ accerſe. MERCV. Viſne Athenienſem illum facundum? IVP. Maximé. MERCV. Heus tu, huc veni. Vitam bonã & prudentem proclamamus. quis emet ſanctiſsimum hominem? MERCAT. Dic mihi, quam potiſsimùm noſti artem? SOCRAT. Pęderaſtes ſum,& in rebus quæ ad amorem ſpectant,prudens. MERCA. Quanti igitur emam te?nam pędagogo indigeo. eſt enim mihi puer egregius. SOCRAT. Quis magis idoneus me eſſe queat,qui cùm formoſo puero verſetur? Neque enim corporum amator ſum. Animam enim formoſam eſſe exiſtimo: & quanquam ſub eodem palliolo mecum recumbant, audies illos,vel ipſis teſtibus, nihil graue à me perpeti. MERCAT. Incredibilia ſunt quæ dicis,pædera ſtes cum ſis, tamen nulla de re te eſſe ſolicitum, quàm de anima, præſertim cùm copia fiat vt ſub eadem veſte iaceatis. SOCRAT. Atqui per canem

Cyrenaici.

Democritici.

Heraclitici

Potio eſt ex multis cõpoſita.

Seculum.

Academici

nem,& per platanum rem ſic habere. MERCA. Hercle, quanta abſurditas deorum. SOCRAT. Canis deus Quid ais? An non videtur tibi canis eſſe deus? Nónne vides quantus ſit in Aegypto Anubis, atque ille in cælo Sirius, necnon apud inferos Cerberus? MERCA. Rectè dicis. ego verò pecco. Verùm quale habes genus vitæ? SOCRA. Mihi ipſi ciuitatem quandam extruo, peregrina autem vtor politia, meáſque præſcribo leges. MERCAT. Vnum aliquod ex tuis dogmatibus audire cupio. SOCRA. Audi ergo maximum quidem illud, in quo mea de vxoribus ſententia comprehenſa eſt: Videtur mihi nullam debere cuiuſquam eſſe propriam, verùm vnamquamq; paſsim debere accedere ad eũ, qui eam appetat. MERCAT. Quid ais? Num abrogandas eſſe leges de adulterio? SOCR. Per Iouem non illas ſolùm, verùm omnes reliquas nugas ea de re cõſtitutas. MERCAT. Quid verò tibi de pueris iam maturis videtur? SOCRA. Et illi quidem optimatibus, qui aliquid præclari geſſerunt, præmium erunt, vt eos ament ſcilicet. MERCAT. Papæ! quanta libertas! quæ ſapiẽtia! Verùm quæ eſt tuæ doctrinæ ſumma? SOCRA. Ideæ, & eorum quæ exiſtunt, paradigmata. Quæcunque enim vides, terram ipſam, quæque ſuper terram ſunt, cælum, mare, horum omnium imagines obſcuræ exiſtunt extra totius vniuerſitatem. MERCAT. Vbi autem exiſtunt? SOCRA. Nuſquam. Nam ſi alicubi eſſent, non eſſent. MERCA. Nõ video iſta quæ tu dicis paradigmata. SOCRA. Meritò. cæcus eſt enim tibi animæ oculus, ego verò omnium video imagines, & te latentem, & me alium. in ſumma, duplicia video omnia. MERCA. Ergo emendus es, ſapiens cùm ſis, & acutè cernas. Age, ſcire volo quid tu à me exigas pro ipſo. MERCVR. Da duo talenta. MERCA. Emi ita vt dixiſti, pecuniam verò in poſterum numerabo. MERCVR. Quod igitur tibi nomen eſt? MERCA. Dion Syracuſius. MERCVR. Age, quod felix fauſtúmque ſit, recipe eum. Epicurei. Te iam voco epicure. Quis emet hunc? Eſt enim illius riſoris diſcipulus, necnon illius qui ebrius eſt, quos aut multò antè proclamauimus: vnius autem cuiuſdam rei cognitione illos vincit. multò magis enim impius eſt quã illi. Quod verò ad cætera attinet, ſuauis & gulæ amans eſt. MERCA. Quo precio venditur? MERCVR. Duabus minis. MERCA. Accipe: verùm vt hoc quoque ſciam, quibus delectatur eduliis? MERCVR. Dulcia edit, & mellita, maximè verò ficus. MERCA. Bene ſe res habet. emam enim illi totas mallas caricarum IVP. Alium accerſe, illum Stoici. corpore hirſuto, vultu ſeuero, ex Stoa. MERCVR. Rectè dicis. videtur enim magna ipſum multitudo quæ ad forum accurrit, expectare. Ipſam virtutẽ vendo, vitam perfectiſsimam. Quis cupit omnia ſcire ſolus? MERCA. Quid tu dicis? MERCVR. Quia ſolus ille ſapiens eſt, ſolus bonus, ſolus iuſtus, fortis, rex, rhetor, diues, legislator, & quæ cũq; alia ſunt his ſimilia. MERCA. Nũ, ô bone, & coquus ſolus eſt, & per Iouem coriarius, & faber, & his ſimilia. MERCVR. Sic videtur. MERCA. Accede ô bone, & dic mihi tuo emptori, qualiſnam ſis: ante omnia autem, num tibi doleat, quòd venderis & ſeruis. CHRYS. Nequaquam, neque enim in nobis hæc ſunt. quæcunque verò in nobis non ſunt, iſta indifferẽtia eſſe ſolent. MERCAT. Non intelligo quid dicas. CHRY. Quid ais? non intelligis, quòd horum quædam ſunt prælata, quædam verò rurſus non prælata? MERCA. Ne nunc quidem intelligo. CHRY. Meritò quidem: neque enim aſſuetus es noſtris nominibus, neque imaginationem habes quæ facilè apprehendat: verùm ſtudioſus Dialecticæ contemplationis, non hæc tantum nouit, verùm etiam qualiter & quãtum accidens & præter accidens inter ſe differant. MERCAT. Per Philoſophiã quæſo, ne inuideas explicare quidnam accidẽs ſit, & præter accidens, neſcio enim quomodo perculſus ſim præ numero vocũ iſtarum. CHRY. Citra inuidiã dixero. Si quis claudus exiſtat, illiſóque pede quo claudicat, ad lapidem, ex inopinato vulnus acceperit, is certè accidens habet claudicationem, vulnus autem præter accidens accepit. MERCA. O argutiam! præterea verò quídnam ſcire te potiſsimum profiteris? CHRY. Retia ſermonum, quibus capio, & obſtringo, denique tacere cogo, eos qui contra me diſputant, planè frenum quoddam illis imponens: iſti verò tantæ orationis vi nomen eſt Syllogiſmus celeberrimus. MERCAT. Hercle fortem quendam & inexpugnabilem ſyllogiſmum refer. CHRY. Vide ergo, eſt ne tibi puer. MERCAT. Quídni? CHRY. Quid ſi hunc ad flumen fortè ambulantem Crocodilus rapiat, poſtea verò ſe rediturum polliceatur hac lege, vt illi verum dicas quídnam de puero reddendo apud ſe decreuerit: quid tu dicis ipſum in animo conſtituiſſe? MERCAT. Quæſtionem rogas ad quam difficile admodum eſt reſpondere. dubito enim vtrum dicere debeã quò puerum recipiam. Sed per Iouem quæſo te, reſponde tu, & puerum mihi ſerua incolumen, ne præuortat, ipſúmque deuoret. CHR. Bono es animo. etenim & alia quædam docebo te, quæ plus admirationis habent. MERCAT. Quænam ſunt iſta? CHRY. Iſtum inquam colligentem ſermones, tum quoque illum dominantem, præterea illam quæ ſupra omnes eſt, Electram, tãdem opertum illum ſermonem. MERCAT. Quis ille opertus ſermo, aut quæ illa tandem Electra eſt, de quibus dicis? CHRY. Electram illam dico Agamemnonis vel de celebrem, quæ quidem eandem rem ſimul norat, & non norat. Aſtante enim illi Oreſte adhuc incognito, nouit quidem Oreſtem ſuum eſſe fratrem: quòd verò ille Oreſtes eſt, ignorat. Rurſus verò opertum illum, adeóque omnino mirabilem audies ſermonem. Reſponde mihi: noſtim tuum patrem? MERCATOR. Maximé. CHRYS. Quid igitur, ſi prope te ſtatuerem aliquem coopertum, atque interrogarẽ, Noſtin' hunc? quid diceres? MERCATOR. Scilicet me non noſſe dicerem. CHRY. Sed ille ipſe pater erat tuus. Itaque ſi iſtum non noſti, palàm eſt te patrem tuum non nouiſſe. MERCATOR. Nequaquã, verùm ego detracto velo num verum ſit, explorabo. Sed quiſnam tuæ ſapientiæ

προηγμένα & ἀποπροηγμένα Cicero producta & præcipua vertit. vide 3. de finibus bonorum.

Syllogiſmus.

tiæ finis eſt? aut quid tandem facturus es, ſi ad virtutis ſummum peruenieris? CHRY. In his quę in natura prima ſunt, verſabor. Dico autẽ diuitias, ſanitatem, & his ſimilia. Primùm autem oportet multos labores impendere. libris enim exiguis literis deſcriptis incumbere oportet, & interpretationes congerere, & Solœciſmis & abſurdis vocibus impleri. In ſumma nequaquam decet ſapientem fieri prius quàm ter ex ordine helleborum bibas. MERCAT. Egregia ſunt iſta tua, & forti viro digna. Verùm auarum fœneratorem eſſe (iſta enim tibi ineſſe video) num illa dicemus eſſe viri, qui helleborum biberit, & iam ad virtutem idoneus ſit? CHRYS. Certè. ſolùm enim ſapientem fœnus exercere decet. Quandoquidem enim illius proprium eſt ſyllogiſmis cõcludere: vſuras autem colligere, & fœnus computare, atque ſyllogiſmis colligere, parum differre videntur: quemadmodum hoc ſoli ſtudioſo competit, ita quoq; illud: nec decet illum fœnus ſimpliciter, quemadmodum alii ſolent, accipere, verùmetiam alterius quoque fœnoris fœnus. Niſi fortè ignoras, fœnus aliud eſſe primum, aliud ſecundum, velut quandam illius progeniem. Vides autem & ſyllogiſmum quendam vulgò iactari, Si primum fœnus acceperit, aceipiat etiam ſecundum. Verùm accepit primum, igitur & ſecũdum accipiet. MERCA. Num ergo & de merce de quam tu à iuuenibus quos inſtituis, capere ſoles, ſimilia dicenda ſunt, quippe cùm manifeſtũ ſit ſolos ſtudioſos mercedẽ à virtute accepturos eſſe? CHR. Diſcis. certè non mea cauſa accipio, verũ illius gratia qui dat. Nã cũ alius ſit effuſor, alius verò cõprehenſor: me quidem ipſum comprehenſor: vt ſim præparo, diſcipulũ verò vt fiat effuſor. MERCA. Atqui contrariũ dicis iuuenẽ eſſe comprehenſorem, te verò qui ſolus diues es effuſorem. CHRYS. Heus tu, ſcommate me perſtringis? ſed vide tu ne te petam ſyllogiſmo ineuitabili. MERCAT. Quid verò mali ex hoc telo accidet? CHRYS. Dubitatio & ſilentium, prẽterea mentis & intellectus ſubuerſio: & quod omnium eſt maximum, ſi voluero in lapidem te conuertam. MERCAT. Quomodo lapidem feceris? neque enim Perſeus, ô bone, mihi eſſe videris. CHRY. Hoc modo. Lapis eſt corpus. MERCATOR. Certè. CHRY. Quid verò? Nónne & animal corpus eſt? MERCAT. Imò maximè. CHRY. Tu verò animal es. MERCAT. Sic videtur. CHRY. Lapis igitur es, cum corpus ſis. MERCA. Nequaquã: ſed per Iouem ſolue me. & de nodo hominem me fac. CHRY. Non eſt difficile factu. igitur rurſus ſis homo. dic verò mihi, Nónne omne corpus animal eſt? MERCAT. Non. CHRY. An verò lapis animal eſt? MERCA. Non. CHRYS. Tu verò corpúsne es? MERCAT. Maximé. CHRY. Corpus autem cum ſis, animal es? MERCAT. Euge effeciſti, vt iam mea crura non aliter atque Niobes refrigerata & ſaxea facta ſint. verùm coemam te. Quantũ pro ipſo numerabo? MERCV. Duodecim minas. MERCA. Accipe. MERCV. Solúſne ipſum emiſti? MERCAT. Non per Iouem, verùm illi omnes quos vides. MERCV. Certè multi ſunt, & fortes habentes humeros, & * digni ſermone colligante. IVPITER. Quid moraris? allium aduoca. MERCV. Peripateticum accerſo, te inquam honeſtum & diuitem. Age, te quidem aptiſsimum, qui vendaris, quippe qui omnia ſolus noris. MERCAT. Qualiſnam ille eſt? MERCV. Modeſtus, æquus, vita bene compoſita: &, quod maximum eſt, duplex exiſtit. MERCAT. Quomodo dicis? MERCV. Alius quidem foris apparet, quàm intus eſſe videtur. Itaque ſi ipſum emes, memento vt hunc internum, illum verò externum appelles. MERCA. Quid verò potiſsimum nouit? MERCV. Nouit tripliciа eſſe bona: animæ ſcilicet, corporis, & rerum externarum. MERCAT. Humana ſapit, quanti verò venditur? MERCV. Viginti minis. MERCAT. Pluris certé. MERCV. Nequaquam equidem: & ipſe pecuniam habere videtur. Itaque non eſt quòd in illo emendo poſsis eſſe celerior quàm deceat: præterea non ita multò pòſt diſces ab eo quandiu viuat culex, & quàm profundè ſol radios immittat in mare: denique qualẽ animam habeant oſtrea. MERCAT. O Hercules quanta argutia! MERCVR. Quid ſi audias alia multa his acutiora, de ſemine, videlicet & generatione, déque embrionis formatione in vtero, & quomodo homo riſibilis ſit, aſinus verò animal quod neque ridere, neque ædificare, neque nauigare poſsit. MERCATOR. Planè admiranda ſunt ea quæ narras, & valde vtilia dogmata. Itaque emam ipſum viginti minis. MERCVR. Quis adhuc reliquus eſt? Scepticus ille. Heus tu Pyrrhia accede, illico proclamandus es. iam enim multi abeunt, & diffluunt, atque in paucis erit venditio. Veruntamen quis emet illum? MERCAT. Ego. Sed primùm dic mihi, quid noſti? PHILOSOPHVS. Nihil. MERCA. Quid ita? PHILOS. Quia omnino nihil mihi videtur exiſtere. MERCAT. Igitur neque nos aliqui ſumus. PHILOSO. Nec hoc quidem ſcio. MERCAT. Neque tu aliquis exiſtis. PHILOSO. Hoc ego multo magis ignoro. MERC. O ignorantiam! verùm quid ſibi volunt hæ ſateręq? PHILOSO. Sermones in illis trutinor, & ad æqualitatẽ redigo: poſtquam autem illos planè ſimiles, & æquale pondus habere cognouero, tunc ignoro quis eorum verior ſit. MERCAT. In aliis autem rebus quid potiſsimùm facere ſoles? PHILO. Omnia facio præterquam quòd fugitiuos non perſequor. MERCAT. Quid? Anne hoc tibi impoſsibile eſt? PHILOS. Quia ô bone non comprehendo. MERCAT. Iure: tardus enim & piger eſſe videris. Verùm quis tuæ ſapientiæ finis eſt? PHILOSO. Ignorantia, & nihil neque audire, neque videre. MERCAT. Num ego & ſurdus ſimul & cæcus es? PHILO. Imò ſenſu etiam & iudicio careo. Breuiter nihil à verme differo. MERCA. Propterea emendus es. Quantillũ æſtimas? MERCVR. Attica mina. MERCA. Accipe. Heus tu quid ais? ego te emi. PHIL. Nõ eſt certũ. MERCA. Nequaquã. emi enim, & pecuniam numeraui. PHIL. De eo nũc cogito, atque iſtud conſidero. MERCATOR. Atqui ſequere me, quemadmodum ſetuum decet.

Id eſt, digni qui colligant manipulos, aut opus in agris faciant allusione facta ad ſignificationem propriam τῶ θερίζειν. Peripatetici.

Sceptici.

cet. PHIL. Quis nouit num vera sint quæ dicis. MERCA. Præco, & Attica mina, & illi qui adfuerunt. PHIL. An aliqui etiã nobiscum sunt? MERCA. At ego te iam coniiciens in pistrinũ, persuadebo tibi secundum peiorem causam, me tuum esse herum. PHIL. Ea de re nunc mecum delibero. MERCATOR. Sed per Iouem iam pronuntiaui, & sententiam tuli. MERCV. Tu quidem desine te huic opponere, atque sequere eum, quandoquidem te emit. Vos autem cras ad uocabimus: proclamaturi idiotas & fabriles, atque viles vitas.

Alludit ad λόγος ἅτλο & κρεῖττο, quos vocat.

PISCATOR, SEV Reuiuiscentes,

BILIBALDO BIRKHEIMERO INTERPRETE.

ARGVMENTVM.

Hic Dialogus quasi quædam apologia superioris est: quantum ad Luciani personam attinet. Exponit enim ille causam hîc, cur toties in philosophos inuehatur: nempe quòd plerique simulato nomine pro veris falsos se gerant, quæstúmque magis quàm virtutem sectentur. Series argumenti ita se habet. Finguntur philosophi illi vetustiores, Pythagoras, Socrates, Plato, Aristoteles, Chrysippus, Diogenes, atque alii, ad vlciscendum Lucianum, cum propter alia conuicia, tum quòd proximo Dialogo venales eos proposuerat, idque etiam vilissimo precio, ab inferis redire, ac reuiuiscere, commeatu in vnum diem impetrato. Qui cùm illũ saxis persecuti in fugam conuersum cepissent, occidere primùm statuerunt. Ille verò prouocando ad ipsam Philosophiam, cóque obtento vt caussam sibi dicere liceret, postquàm à Diogene, vtpote Cynico, & cæteris liberiore, communi omnium nomine accusatus esset, tanquam qui contumeliosissimè omnes Philosophiæ cultores, viros de tota virtute & rebus moralium optimè meritos, proscidisset, ita sese defendit, vt dicere se minimè negare obiecta, sed consilio & ratione adductum, & hæc, & plura etiam his feciſſe: non quidem in veros philosophos, sed in eos, qui nomine tantùm illo sese iactarent, cum interim non modò Philosophiam veram ignorarent, sed planè diuersa etiam à præceptis & regulis illius factitarent. Proinde se non modò supplicio nullo dignum esse, sed cõtrà etiam præmiis tanquam veræ Philosophiæ amatorẽ atq; assertorem donari debere. Hoc iudicio peracto, cũ ille non solùm ab accusatione liberatus, verumetiã in societatem eorum à quibus antè accusabatur, ascitus fuisset, à Philosophia deinceps & falsi illi Philosophiæ simulatores citãtur, vt suæ professionis caussam redderent. Qui cũ iudiciũ hoc omnes fermè declinasſent, mittitur Lucianus vnà cũ Elencho, vt illos inquirant, ac bonos quidem honoribus afficiant, malos autem adempto habitu stigmate inurant: sed prius quàm id fieret, Lucianus seu Parrhisiades (ita enim sese apud Philosophiam appellat) puta quò iam re ipsa cõprobaret, quod verbis antea dixerat, accepto hamo, eóque, auro, caricis & placentis abscondito, quasi piscator aliquis, allectos & attractos simulatores istos capit, captos autem de communi reliquorum consensu de saxo præcipites mittit. Habet autem dialogus hic duos titulos, quorum alter ab iis, quæ à principio geruntur, nomen accepit, alter ab exitu seu catastrophe sumptus est, simillimúsque, quod ad argumentum & eius tractationem attinet, alicui veteris Comœdiæ fabulæ est.

SOCRATES.

INiice iniice lapides crebros execrandum in hunc: proiice glebas: adiice testas, percute fustibus calumniatorem: vide sis effugiat: & tu Plato iacta, & tu Chrysippe, tu quoque: agite omnes pariter in illum ob armemur.

Pera vt reddam opẽ peræ, baculúsque baeillo. Siquidem communis est hostis, nec quispiam è nobis exiſtit, quem non iniuria affecerit. Tu verò ô Diogenes, si vnquam aliàs, præcipuè nunc baculo vtere. non desinas. dignas cõuiciator pœnas luat. Quid hoc rei est? nunquid, Aristippe, defessi estis? atqui minimè oportebat.

Este cati, atque acris nemo nunc immemor iræ.

Aristoteles, accelera, quin propius accede. Bene habet, capta est fera. deprehensúsne es scelerate? Porrò confestim intelliges quósnam viros maledictis tuis lacessieris. Verùm qualémnam fatum ipsum manebit? siquidem varium quoddam mortis excogitabimus genus, crudelitate cuius omnes exaciari valeamus. etenim æquum est septies eum singulis nobis morte pœnas expendere. PLATO. Mihi quidem per Iouem, erutis oculis, abscissáque lingua, cruci suffigendus videtur, prius tamen flagris cæsus. Tibi verò Empedocles quid? EMPEDOCLES. In Aetnæ cratêras præcipitandus, vt meliores conuiciis incessendos haud esse addiscat. PLA. Quinimo optimum esset, si Penthei, vel Orphei instar inter petras dilaniatus inueniretur; ita vt particulã vnusquisque digrediens secũ auferre posset. LVCIANVS. Minimè, verùm mihi parcatis, obsecro. SOCRATES. Arctius adstringe. Amplius non dimittêris. Num quid homerus dicat, vides.

Non est tuta fides hominũ generi atq; leonũ.

LVCIA. Atqui & ego quoq; per Homerum vos oro: forſitan enim illius reueremini carmina, méque verſus connectentem haud ſpernetis.

Me viuum capite: haud hominem prauum:
hæc quoque dona
Suſcipite, æs, aurum, quæ curant & ſapientes.

PLATO. Verùm neq; nobis aduerſum te Homerica deerit reſponſio: audi igitur:

Nec mihi mẽte fugam tu perſuadere valebis,
Poſtquã te teneo, licet aurea verba loquaris.

LVC. Hei malorum: ſiquidem ſpes maxima Homerus nos fruſtratur: ad Euripidem igitur mihi confugiẽdũ erit: ſiquidẽ ille me forſitan ſaluabit,

Ne ſupplicẽ interficite, haud fas occídere eſt.

PLATO. Atqui nunquid hæc ſunt & Euripidis,

Sceleſta qui patrarunt, mala decet pati?

LVC. Igitur iuxta verba hæc me interficietis?

PLA. Rectè per Iouem: inquit enim ille idem:

Effrenioris & ex legis dementiæ extremũ infelicitas occupat.

LVC. Próinde quoniam omnino me interficere decreuiſtis, nullúmq; mihi reſtat refugium, agite ſaltem hoc mihi indicate, quínam eſtis, quẽúe tã intoleranda à nobis perpeſſi ſitis, vt tam intoleranter iraſcamini, ac me mortis cauſa ceperitis.

PLATO. Quibus nos affeceris contumeliis, à teipſo ſceleratiſsime perquire, bellulíſque illis tuis ſermonibus, in quibus Philoſophiam ipſam conuiciis laceſsiuiſti, ergáq; nos iniurius fuiſti, cùm tanquam ex conciliabulis viros ſapientes præconio diuulgares, & quod maximũ eſt, liberos: quapropter indignatione moti, propter te emerſimus, ac tantiſper inferos dereliquimus, Chryſippus iſte, ac Epicurus, ego quoq; Plato, & Ariſtoteles ille, ſilénſq; hic Pythagoras, necnon Diogenes, omnes deniq; quos ſermonibus tuis infamaſti. LVC. Reſpiraui: ſiquidem non me interficietis, ſi intellexeritis qualíſnam ego erga vos extiterim: quapropter lapides abiicite: quin potius reſeruate: nam contra meritos vſui erũt.

PLATO. Nugaris: te etenim hodie perire neceſſe eſt: iámq; adeò, ob perpetrata ſcelera, lapideũ induas amictũ. LVCIA. Atqui viri optimi, quẽ ſolum ex omnibus laudare oportebat, familiarẽ veſtrum, beneuolum, & conuenientem, quin (ſi proloqui moleſtum non eſt) ſtudiorum veſtrorũ procuratorem, vt intelligatis, interficietis, ſi me occideritis, qui tot propter vos labores exantlaui. Videte igitur ne inſtar philoſophorum qui nunc ſunt, agatis, vt ingrati, iracundi, ac perfidi erga virum beneficũ videamini. PLATO. Proh impudentiam! nunquid tibi ob conuicia gratias debemus? Verè hic cum mancipiis ſibi rem eſſe exiſtimat, quandoquidem ob tantas iniurias, verborúmq; debacchationem, beneficia nobis enumerare conatur. LVCIA. Vbínam ego, vel quando vos iniuria affeci, qui ſemper Philoſophiam ſum admiratus, ac voſipſos ſummis extuli laudibus, cum ſermonibus quoque à vobis derelictis aſsiduè conuerſatus? Quin & hæc ipſa quæ proloquor, vnde quàm à vobis accepi, ac inſtar apiculæ decerpens, hominibus oſtendo? at illi laudant, ac vniuſcuiuſque florem, vnde, à quo, & quemadmodum collegerim, cognoſcunt, méq; oratione quidem ob florigeram hanc meſſem commendant: ſed verius voſipſos, ac prata veſtra amœniſsima, qui tam varia & verſicoloria produxiſtis, extollunt: quæ ſi quis rectè ſecernere, connectere, ac concinnare nouerit, ita vt minimè alterũ ab altero diſcrepet, nunquid cùm tam egregiè quis à vobis affectus fuerit, obloqui conabitur viris benefactoribus, quorum gratia exiſtimationis alicuius eſſe reputatur? ni eiuſdẽ ſit naturæ, cuius & Thamyris vel Eurytus, ita vt vel Muſas, à quibus canendi normam acceperit, canendo, vel Apollinem iaculationis præceptorẽ iaculando prouocare audeat. PLA. Verùm genero ſe, hæc omnia Rhetorum more, ac maximè rebus contraria protuliſti: ſiquidem proteruiorem tuam oſtendunt audaciam, manifeſtámq; præ ſe ferunt iniuſtitiam ac ingratitudinem, ſi, cùm à nobis (vt ipſe fateris) iacula acceperis, ea contra nos iaculatus es, hunc vnum ſcopum obſeruans, vt nos omnes conuiciis laceſſas: talem ſiquidem à te conſequimur gratiam, quoniam prata illa florida tibi reſerauimus, nec vt ne decerperes, ſinúque repleto diſcederes, inhibuimus: ideò maximè ob hanc noxam mori dignus es. LVC. Videte, iræ aures præbetis, & quæ iuſta ſunt, minimè conſideratis: ego verò me nunquam in Platonis, vel Chryſippi, ſeu Ariſtotelis, aut reliquorũ veſtri ordinis iram incidere poſſe exiſtimaſſem: ſed longè ab illis mihi diſtare videmini. Verùm ô admirandi, ne indemnatum, cauſáq; non cognita me interficiatis: quanuis & id vos deceat, ne vehementia ac manifeſta violentia graſſari videamini, iure ſcilicet controuerſias diſſoluere, rationes dantes pariter & accipientes: iudicem eligere: méque vel vnà omnes accuſare, aut qui omnium vice id agat, eligere. Ego verò obiectis reſpõdere ſum paratus, & ſi aliqua in re iniurius eſſe conuictus fuero, ac ita de me ſtatuerit iudicium: merita expendam ſupplicia, vóſq; violentum nil perpetrabitis. Si verò crimina diluere videbor, ac inſons & ab omni culpa alienus eſſe inueniar: me iudices dimittent, vos verò in eos qui vos deceperunt, ac contra nos inſtigarunt, iram conuertetis. PLAT. Hoc illud eſt, æquum in campum, vt iudices eludere queas, educere conaris: ſiquidem te Rhetorem & cauſidicum vehementem, in orationibúſque admodum callidum eſſe dicunt. Próinde quémnam iudicẽ fieri cupis, quem muneribus, vt pro te ſententiam ferat (qualia iniuſta multa perpetrare cõſueuiſtis) corrumpere haud valeas. LVCIA. Confidite: huius enim rei gratia nullum arbitrum ſuſpectum, vel ancipitem, ſeu qui pro me iniuſtè calculum ferat, mihi euenire deſidero: & vt certius id cognoſcere poſsitis, ego Philoſophiam ipſam vnà vobiſcum iudicem eligo. PLAT. At quíſnam ac cuſabit, ſi nos iudicauerimus? LVCIA. Voſmetipſi accuſate, & iudicate: neq; enim illud timeo, quoniam tam iuſta antecello cauſa, támque lucu lenter & abundè me reſponſurum cõfido. PLATO. Quid faciemus ô Pythagora & Socrates? nã vir iſte quoniam iudicio experiri dignum ducit, haud abſurdè prouocare videtur. SOCR. Quid verò aliud, quàm vt ad iudicium pergamus, aſ-

ſumptáq; Philoſophia, quídnam reſponſurus ſit audiamus? nam abſque cognitione quid conari, non ad nos, ſed potiùs ad viros quoſdam iracundos, & qui iuſtitiam in manibus ſitam continẽt, ſpectare videtur: præbebimus enim occaſionem obloqui volentibus, ſi virum lapidabimus, nec pro ſe reſpondere permittemus, & hæc nóſmetipſi iuſtitiæ vale dicentes. Próinde quid Anyto & Melito accuſatoribus meis, vel qui me tum damnarunt iudicibus, reſpondebo, ſi hic inauditus occubuerit, & aquæ omnino compos nõ fuerit? PLAT. Rectè ô Socrates admones: ad Philoſophiam igitur pergamus: & illa quidem diiudicet: nos verò quicquid ſtatuerit, amplectemur. LVCIA. Euge viri ſapientiſsimi, meliora hæc & iuſtiora: lapides verò, vt dicebam, feruate: ſiquidem paulò pòſt in iudicio indigebitis. Verùm vbínã Philoſophiam quis inueniet? vbi enim habitet, non noui, quanuis longo circumerrauerim tempore, domũ, vt eam conuenire poſſem, quærens: inde in quoſdam vilibus amictos veſtibus, barbáſque promiſſas geſtantes incidi, qui cùm ad eandem ſe pergere aſſererent, eos ſcire exiſtimans, interrogaui: at illi, quoniã me longè plus ignari eſſent, ne de ignorantia redargui poſſent, vel omnino nil reſpondebant, vel ianuam aliam pro alia oſtendebant: ego verò in hunc vſq; diẽ domum reperire haud quiui. Sæpiùs verò ipſe ſuſpicãs, vel ductore quopiam, ad quaſdam ianuas perueni, certiſsimè tum inueniſſe ſperans, à multitudine ingredientium & egredientium coniecturam ſumens, qui omnes ſeueritatem quandã præ ſe ferebant, forma erant decora, vultu verò meditabundi: hoſce inſecutus, & ipſe quoq; ſum ingreſſus: ibi viraginem conſpexi quandam, nõ incurioſè, ſordidè vel incõcinnè excultã: verùm quamprimùm deprehendi eam dependulos cincinnos minimè ornando negligere, veſtitúſque cultum ſtudioſè affectare: & quanuis tam exquiſitis munditiis ornata eſſet, cultum tamen decoris gratia diſsimulare nitebatur: apparebat & fucus quidam, lenociniúmque, & verba perquàm meretricia: ab amatoribus verò laudata, admodum gaudebat, & ſi quis aliquid dediſſet, auidè ſuſcipiebat: opulentiores quoq; iuxta ſe locabat, amatores autem inopes nec aſpicere dignabatur. Sæpius quoque cùm ſe caſu denudaſſet, torques aureas anguillis craſsiores conſpiciebam. Hæc cùm vidiſſem, confeſtim ad pedes ſum conuerſus, oppidoquàm miſeratione commotus ob infelices illos non naribus ſed barbis ad illam pertractos, ac Ixionis inſtar pro Iunone idolo cõgredientes. PLATO. Hæc quidem rectè dixiſti: non enim manifeſtum nec cunctis notum eſt oſtium: atque haud neceſſe erit ad illius accedere domum: hîc enim in Ceramico ipſam opperiemur: illa verò iam aderit, ex Academia reuertẽs, vt etiam in Pœcilo obambulet: id enim quotidie facere conſueuit: quin potiùs iam præſtò eſt. Vidéſne ex effigie decorem, manſuetudinem ex aſpectu, ipſam verò cogitabundam placidè incedere? LVC. Multas effigie, inceſſu, & veſtitu ſimiles video: atqui inter has omnes ſolùm vna vera eſt Philoſophia. PLA. Rectè loqueris: verùm quænam ſit, cùm ſolùm loqui cœperit, oſtendet. PHILOSOPHIA. Papæ! cur Plato, Chryſippus quoque, & Ariſtoteles, necnon reliqui omnes, ipſa mea diſciplinarum capita, apud ſuperos? Cur rurſus in vitam? Ecquis vos ex inferis læſit? Iracundis ſimiles eſtis. Quíſnam hic exiſtit, quem comprehenſum ducitis? nunquid fur eſt, ſeu homicida, vel ſacrilegus? PLATO. Ita per Iouem, ô Philoſophia, & omnium ſacrilegorum inquinatiſsimus, qui te ſanctiſsimam maledictis inceſſere conatus eſt, paritérque nos omnes, quotquot abs te quippiam didicimus, ac poſteris vtendum dereliquimus. PHILO. Itaque maledicẽte quopiam indignamini, cùm ſciatis quænam ego à Comœdia in Dionyſiis audire ſoleo: attamen ipſam amicam eſſe duco, neque in ius voco, ſeu accedens incuſo, verùm conuenientia & feſto congruentia ludere permitto. Noui enim quòd nil ob ſcommata redditur deterius, ſed econtrà, quodcunque bonum exiſtit, tanquam aurũ cùm erutum inciditur, clarius relucet, fitque ſplendidius. At vos neſcio quemadmodum iracũdia ac indignatione accenſi eſtis: próinde cur eũ ſtrãgulatis? PLA. Vnũ hunc poſtulantes diẽ, contra illum emerſimus, vt ob cõmiſſa malefacta dignas perſoluat pœnas. Fama etenim cognouimus qualia contra nos invulgus ſparſerit. PHIL. Igitur eum indemnatum ac inauditũ interficietis? Atqui dicere quid velle videtur. PLAT. Minimè: verùm negotium omne tibi cõmittemus, vt cognita cauſſa, quicquid viſum fuerit, ſtatuas. PHILO. Quid tu ais? LVCIA. Hoc idẽ ô hera Philoſophia, quandoquidem ſola veritatem inuenire potis es: vix enim multis obtinui precibus, vt tibi cauſſa delegaretur. PLAT. Nunc, ô execran de ipſam dominã appellas, paulò antè verò rem eſſe turpiſsimam philoſophiam aſſerebas, cùm in tanto theatro etiam pro duobus obolis vnum quenque ſingulatim venalem proponeres: memini ſtíne ſermonum? PHIL. Atqui videte ne non philoſophià iſte, verùm præſtigiatores viros ſub veſtri nominis obtentu multa ac fœda committentes, maledictis inſectatus ſit. LVC. Quamprimùm cognoſces, ſi ſaltem reſpondentem audire velis: tantummodo ad Arium abeamus pagum, ſeu potiùs in arcem ipſam, vt tanquam ex ſpecula, cuncta pariter quæ in vrbe ſunt, manifeſtè pateant. PHILO. At vos ô amicæ in Pœcilo tantiſper deambuletis porticu: adero etenim quum primùm diiudicatum fuerit. LVC. Quænam ô Philoſophia hæ ſunt? nam & ipſæ admodum ornatæ eſſe videntur. PHIL. Virilis hæc Virtus ipſa, illa verò Modeſtia, penes quam Iuſtitia, & anteſignana diſciplina: dubio verò colore, & vix apparens illa, Veritas eſt. LVC. Nõ video: quámnam dicis? PHIL. Nónne inornatam illam cernis, nudam inquam, ſunterfugientem ſemper, ac ſubterlabentem? LVC. Vix nunc tandem cerno: verùm cur non & has ducis, vt penitus repleatur conſeſſus? ſiquidem Veritatem & Patrocinium ad iudicium pariter aſcendere volo. PHIL. Rectè per Iouẽ: ſequimini igitur & vos: non enim difficile erit vnicum iudicare iudiciũ, præcipuè cũ de noſtris agetur. VERITAS. Abite vos: nil enim

Oratores ad aquæ mẽſuram perorabant.

Ceramicus locus Athenis, vbi qui in bello ceciderant, ſepeliebãtur.

A varietate picturarum pœcilus dicta.

ctus porticus: nam in bella varia quæ Athenienſes aduerſus hoſtes geſſerant, depicta erãt, meminit Pauſanias.

Locus Athenis vbi Oreſtes cauſam dixit, & vbi quæ ad remp. ſpectabant, ſeueriſsimè adminiſtrabantur.

enim mea refert ea audire, quæ quidem qualia ſint, noui. Lvc. Verùm ô Veritas, vt iudicio adſis, ac ſingula diligenter exquiras, maximè noſtra intereſt. PHIL. Nunquid famulitium hoc mihi admodum beneuolum deducam? Lvc. Valde quidem, & quemcunque volueris. PHIL. Sequimini ô Ingenuitas, Loquendíque libertas, vt mi ſerum hunc homuncionem amatorem noſtrum, ac nullo prætextu iuſto periclitantẽ, ſaluare poſſimus: at tu Elenche illic remane. Lvc. Minimè ô hera, quin ille quoque veniat, & ſi quis alius: haud enim cum fortuitis neceſſe eſt me depugnare feris, verùm cum arrogantibus difficillimæq; redargutionis hominibus, & qui ſemper effugia quædam inueniant, ita vt neceſſarius ſit Elenchus. PHIL. Igitur admodũ neceſſarius: melius verò ſi & Demonſtrationem tecum aſſumas. VER. Sequimini omnes, quandoquidem ad iudicium neceſſarii videmini. ARIST. Cerniſne ô Philoſophia, quemadmodum propter nos Veritati ſubblanditur? PHIL. Nũquid ô Plato, Chryſippe, & Ariſtoteles, veremini ne ſui cauſſa, cùm Veritas ſit, mentiatur? PLATO. Nõ hoc: ſed admodum callidus eſt, & blandiculus, ita vt illi perſuadere poſſet. PHIL. Confidite: nil iniqui, cùm Iuſtitia hæc adſit, fieri poterit. Abeamus igitur. Verùm dic mihi tu, quod tibi nomen eſt? Lvc. Mihi? Parrhiſiades Alethionis Elenxiclei. PHIL. Patria verò quænam? Lvc. Syria, ô Philoſophia, iuxta Euphratem. Sed quid hoc eſt? noui enim quoſdam ex his meis aduerſariis, nõ minùs quàm ego ſum, barbaros genere, moribus verò & diſciplina non Solenſes vel Cyprios, ſeu Babylonios, aut Stagiritas. Siquidem quantum ad te pertinet, nil refert ſi quis voce ſit barbarus, dummodo iuſtè ac rectè ſentire videatur. PHIL. Benè dicis. Verùm & hoc quæro, quámnam artem noſti? quoniam & id ſcire decet. Lvc. Arrogantiæ ſum oſor, & verſutiæ oſor, & mendacii oſor, & inſolentiæ oſor, omnéſque eiuſmodi coinquinatorum hominum odi ſpecies: ſunt enim, vt noſti, perqu[illegible]altæ. PHIL. Hercules, odii plenam exerces [illegible]m. Lvc. Rectè dicis: cernis etenim quibúſnam odio ſim, & quemadmodum propter eã periclitor. Verùm & cõtrariã admodum probè noui artẽ, eam inquã, quæ ab amare exordiũ ſumit: ſum enim veritatis amator, & honeſti amator, & ſynceritatis amator, ac omnium quę ad amare ſpectare videtur. Verũ pauci admodũ hac arte ſunt digni: qui verò ex aduerſo ſunt cõſtituti, ac odio magis familiares, infiniti. Periclitor igitur illam quidem ob ſegnitiẽ iam dediſcere, hanc verò etiam nimium callere. PHIL. Atqui haud oportebat: eiuſdem enim ferunt eſſe & illa & iſta, ita vt indiuiſibilis ſit ars: vnica etenim eſt, quanuis binæ eſſe videantur. Lvcia. Meliùs tu hæc ô Philoſophia noſti: meum verò ita ſe habet, vt prauos odio habere, bonos autẽ laudare & amare conſueuerim. PHIL. Age, quò oportebat, iam deuenimus: hîc in Mineruæ iudicabimus veſtibulo. Heus ſacerdos, diſpone ſedilia: nos interim deam adorabimus. Lvc. Obſecro Pallas, contra arrogantes mihi auxilium ferto, ac recordare quanta ipſorum periuria quotidie audis: ſola enim tanquam ſpeculatrix quæ perpetrant vides: nunc tempus illos vlciſcendi adeſt: ſi verò me victum cernes, nigróſque ſuperare, tuum adiice calculum, méq; ſaluato. PHILOS. Agite iam conſedimus, veſtras parati audire querelas: vos verò ex omnibus quempiam eligatis, qui egregiè accuſare ac redarguere nouerit, quandoquidem impoſsibile eſt vos omnes pariter loqui. Tu autem Parrhiſiades dehinc reſpondebis. REVIVISCENTES. Quis igitur è nobis, vt potiſsimùm hanc agat cauſam, idoneus erit? Tua ô Plato excellens prudentia eſt admiranda, eloquentia verò redundans, & Attico lepôre referta, flexanima & venuſta: cognitio autem ac diligentia, necnon tempeſtiua demonſtrationũ inductio, hæc omnia copioſè tibi adſunt: quapropter accuſationem ſuſcipe, & pro cunctis, quæ digna ſunt, eloquere, ac omnium illorum nunc reminiſcaris, & in hoc vnum cõfer ſi quid aduerſus Gorgiam, aut Polum, ſeù Prodicum, vel Hippiam à te dictum eſt. Vehementior hic exiſtit: expedi igitur ironias & ſales, copioſáſque illas & iucũdas comitates: quin, ſi videbitur, nõ nunquam exuperes, vt magnus Iupiter alatũ impellat currum, ac indignatione moueatur, ni ille debitas expendat pœnas. PLAT. Minimè, ſed vehementiorem quendam eligamus, Diogenem hunc, vel Antiſthenem, aut Cratetẽ, ſeu te Chryſippe: non enim elegantiæ perpolitæ in præſenti, nec conſcribendi acrimoniæ eſt tempus, ſed redargutionis cuiuſdam, ac iudicialis exercitationis. Rhetor enim eſt Parrhiſiades. DIOGEN. Próinde ego ipſe accuſabo: non enim ſermonibus nimium longis opus eſt arbitror. Accedit, quòd præ cunctis reliquis iniuria ſim affectus, paulò antè pretio duorum obolorum præconis voce venalis expoſitus. PLAT. Diogenes, ô Philoſophia, pro cunctis loquendi prouinciam ſubibit. Verùm ô generoſe, memineris te accuſatione iſta non ſolùm rem tuam, ſed communem agere: ſi enim inuicem in quibuſdã diſcrepamus, tu id nũc minimè ſcruteris: nec quis rectiùs ſentiat, inquirere curabis, ſed ob hoc ſolùm, quoniam philoſophia ipſa iniuria ſit affecta, ac malè in Parrhiſiadis audierit ſermonibus, indigneris. Opiniones verò in quibus diſſidere videmur, omitte: pro ea re quæ omnibus communis eſt, digladiare videſis. Te ſolum præpoſuimus, ac nunc in te cuncta noſtra periclitantur, vt vel maximè ſyncera videantur, vel talia, qualia ille deſignauit, eſſe credantur. DIO. Confidite: nihil prætermittemus: pro omnibus verba faciã. Próinde etſi Philoſophia ſermonibus cõmota, (natura enim manſueta ac mitis eſt) ipſum abſoluere ſtatuerit, non tamen mea deerunt: illi enim, quòd baculos haud fruſtrà geramus, oſtendam. PHIL. Minimè hoc, verùm potiùs ſermone: ſatius enim lingua quàm ligno rem agere: ne igitur cunctẽris: iam enim effuſa eſt aqua, conciliúmque in te oculos coniecit. Lvcia. At reliqui quoque ô Philoſophia, conſideant, ac vobiſcum diiudicent: Diogenes verò ſolus accuſet. PHIL. Verùm nunquid vereris ne cõtra te calculum ferant? Lvc. Minimè: plures enim ſupe-

Audax locutor veridici gloriofi redarguitoris filius.

rare volo. PHIL. Generosa hæc tua: desidete igitur: tu verò Diogenes loquere. DIOG. Qualesnam circa vitam, ô Philosophia, viri extiterimus, tute optimè nosti, verbisq; minimè indiget: nam vt de me sileam, quisnam ignorat quãta bona Pythagoras iste, & Plato, & Aristoteles, & Chrysippus, reliqui denique in vitæ humanæ vsum contulerint? Verùm quibúsnam contumeliis, quanuis tales extiterimus, sceleſtissimus hic Parrhisiades nos lacessierit, iam dicere pergam. Cùm enim Rhetor, vt aiunt, fuisset, derelicto foro, ac illius existimatione, quicquid vehemẽtiæ ac oratorii vigoris consecutus est, vniuerso illo contra nos se instruens, non desinit maledictis insectari, præstigiatores ac deceptores subinde vocans, multitudinisque vt nos derideat & contemnat, tanquam nullius simus momenti, persuadet: quinimò multorum iam odium non in nos solùm, sed contra te quoque ô Philosophia suscitauit, potissima etiam tua, mendacia ac nugas appellans, & quæ nos edocuisti, subsannatione inceſſens, ita vt à spectatoribus laudetur, ac non vulgariter illi applaudatur, nos verò intolerandis afficiamur iniuriis. Vulgus siquidem eiusce vt plurimùm est n[illegible]ræ, vt cum res cauillatione ac maledicentia a[illegible] gaudeat, præcipuè cùm ea quæ absolutissim[illegible]e videntur, mordicus arripiuntur: quemadmodum olim gaudebat cum Aristophanes & Eupolis irrisionis gratia Socratem hunc in scenam introducerent, Comœdiásque absurdas quasdam de illo commentarentur. Et illi quidem contra virum vnum talia sint ausi, ac in Dionysiis, cùm id facere concessum esset, scommatáq; pars quædam festiuitatis viderentur, forsitánq; deus, cùm lepidus quispiam esset, delectaretur: at iste deliberatè ac multo studio instructus, in optimos quosque inuectus est: librum enim ingentem blasphemiis quibusdam refertum conscripsit, magnáq; voce Platoni, Pythagoræ, Aristoteli huic, Chrysippo illi, mihi, omnibus deniq; maledicit, cùm id nec festiuitas permittat, nec priuatim aliqua in re à nobis læsus fuerit. Parcendum enim illi foret, si talia iniuriam repellendo, non inferẽdo ageret: & quod omnium grauissimũ existit, sub tui nominis prætextu talia, ô Philosophia facere audet: nec non eodẽ conatu dialogo familiari nostro auxiliatore & mimo contra nos vtitur: quinetiam Menippo viro nobis amico persuasit, vt quãplurimùm in comicis illis cauillis sibi assistat: qui solus non adest, neque nobiscum, prodita societate, accusat: pro quibus omnibus pœnas luere est dignus. Quid enim contra hæc dicere posset, cùm exactissima quoque coram tot testibus carpere ausus fuit? In quorum vtilitatem hoc quoq; redundabit, si ipsum pœna affectum spectauerint: nemo enim dehinc philosophiã tam facilè contemnere audebit. Próinde in hac re quietẽ agere, & iniuriantem tolerare, non modestiæ, sed extremæ ignauiæ & amentiæ indicium censendum esset. Cæterùm postrema cuinam ferenda sunt? Siquidem nos tanquam mancipia in venaliciũ deducens, præconis, vt aiunt, voce diuendidit, nõnullos pretio ingenti, quosdam mina Attica, me verò sceleſtissimus ille obolis duobus, ita vt circunstantibus risum moueret. Eam ob causam indignatione perciti, in illum manus iniecimus, tẽque rogamus vt nos turpissimis affectos iniuriis vlciscaris. REVIVISC. Euge ô Diogenes, pro cunctis, vt decebat egregiè peroraſti. PHIL. Desinite inuicem laudare. Infunde responsuro: tu verò Parrhisiades dicere pergas: nunc enim tibi aqua defluit: ne igitur cunctaris. PARR. Nõ omnia mea, ô Philosophia, in accusatione sua Diogenes recensuit, verùm magna ex parte, quæ difficiliora erant, nescio qua ratione ductus præmisit: tantùm verò aberit, vt me illa minùs dixisse negem, vel præmeditatam excusationem quandam prætẽdam, vt si qua ille idem reticuit, vel ego anteà haud protulerim, nunc vel præcipuè expedire videar: ita enim intelliges, quósnã arrogantes & præstigiatores appellans diuulgauerim, aut maledictis meis lacessierim. Próinde hoc solum mihi considerate, nunquid in cunctis veritatem dixero. Quòd si blasphemi vel asperi quid in se oratio habere videbitur, non me redarguendum, sed rectiùs (vt arbitror) illos qui talia committunt, accusandos esse puto. Ego siquidem confestim ac percepissem quantis incõmodis rhetores degrauari necessum esset, deceptionibus scilicet, mendaciis, temeritate, clamore, presionibus, infinitis denique aliis: hæc quidẽ, vt decebat, cuncta declinaui, ad tuáque, ô Philosophia, bona aspirans, quantum mihi vitę adhuc reliqui esset, tanquam ex fluctuatione ac tempestate in tranquillum quendam subiens portum, sub tua protectione viuere expetebam: ac posteaquàm ad vestra tantummodo transgressus essem, te quidem, prout conueniens erat, ac reliquos omnes qui vitæ optimæ institutores fuissent, admirabar, tanquam qui manus ad eos festinantibus porrigerent, ad optimáq; & vtilissima adhortarentur, si quis solùm ea transgressus non esset, seu neglexisset, verũ firmiter regulas quas tulissetis inspexisset, ad illáque vitam suam direxisset, ac instruxisset: quod quidem per Iouem inter nos pauci facere consueuerunt. Cùm verò quàmplurimos cernerem philosophiæ amore minimè teneri, verùm ob huius rei gloriam solam, prompta hæc ac vulgaria, & quæcunque omnino faciliter imitantur, admodum rectè bonorum instar virorũ assimilare, barbam inquã, ac incessum, necnon induuium, cæterùm vitam ac eorum actus formæ contradicere, vobísq; penitus cõtraria exercere, ac professionis dignitatem corrumpere: indignabar, videbatúrque mihi res admodũ similis esse Tragico mimo, qui mollis esset, ac muliebris, Achillũ verò, seu Theseum vel Herculem ageret ipsum: cùm tamen neq; heroicè incederet, neque loqueretur, verùm ita sub tali lasciuiret persona, vt nec Helena vel Polyxena, cùm id earum modestiæ minùs conueniret, tolerare possent, taceo Herculem Callinicũ, qui, vt mihi videtur, quamprimùm conuersus clua talem verberasset, ipsum inquam, ac personã illam quæ tam effœminatè eum repræsentando contaminasset. Talia igitur cùm vosipsos quoq; ab illis perpeti viderem, non tuli hypocriseos impud

Verte Horologium.

Herculem saltãtem, & Cerberum ab inferis extrahentẽ meminit Hesychius

impudentiam, ſi cùm ſimiæ eſſent, heroum perſonas aſſumere, vel Cumanum illum aſinum imitari auderẽt, qui leonina indutus pelle, leo quoque ipſe videri volebat, cùm aduerſus Cumẽſes ignaros admodum horrendè & aſperè rugiret, donec hoſpes quidam ipſum non leonem, ſed aſinum eſſe deprehendiſſet, verbis redarguiſſet, fuſtibúſq; inſecutus verberaſſet. Próinde quod maximè intolerandum mihi videbatur, id erat: nemo nõ hominum, ſi quempiam ex illis flagitioſum ſeu turpe aut impudicum aliquid cõmittere vidiſſet, confeſtim Philoſophiã ipſam, ſiue Chryſippum, aut Platonem, ſeu Pythagoram, vel cuiuſcunq; cognomen non doctrinam delinquens ille aſſumpſerat, accuſabat: & quoniam ille coinquinatè viuebat, homines malè quoq; de vobis, multis anteà ſeculis defunctis, cõiectabatur: (nõ enim de viuentibus vobis inquiſitio fiebat, ſed iam ex pedibus ſublatis) omnes verò cùm manifeſtè cernerent quàm moleſta & impudica ille committeret, vos quoq; indicta cauſa cõdemnabant, ac pari calumnia dilacerabant. Ego verò cùm hæc cernerem, ferre non potui, verùm eos redarguebam, à vobíſq; ſecernebam: vos verò honore propter hæc me dignum, in iudicium rapitis. Nunquid igitur ſi initiatum quempiã viderem occulta deorum prodeuntem, ac in publicum efferentem myſteria, ideóq; indignarer & reprehenderem, me impium eſſe exiſtimaretis? Atqui minùs iuſtè, quandoquidẽ certaminũ quoque præfecti, mimos qui vel Palladis, vel Neptuni ſeu Iouis aſſumpſere perſonam, non tamen commodè nec ex deorum egere dignitate, flagellare conſueuerunt: at ii minimè iraſcuntur illis, ſi flagelliferos quempiã perſona ornatum ſeu forma decoratum verberare iuſſerunt, verùm (vt arbitror) vapulantes potius laudare conſueuerunt. Seruum enim vel nuncium minùs aptè repræſentare, paruus error: at Iouẽ ipſum ſeu Herculem haud pro dignitate ſpectatoribus oſtendere, turpe ac piaculo ſimile eſſe videtur. Quinimò & hoc omniũ eſt abſurdiſsimũ, quòd cùm multi ex eis dogmata veſtra exactè calleant, ita tamẽ viuunt, ac ſi ideo tantùm illa legerint, ac meditando operam impenderint, vt contraria exercere poſsint. Cuncta enim quæ dicunt, veluti pecuniæ ac gloriæ contemptum, ſolúmq; honeſtum bonum eſſe arbitrari, ira vacuum eſſe, & ſplendida quoque deſpici debere, bonis æqualiter perfruendum eſſe, honeſta per deum admiranda: ſapientiæ & veritatis ſunt plena: at ii qui hæc ipſa ſub mercede docent, & diuites admirantur, & argento inhiant, caniculis iracundiores, leporibus timidiores, ſimiis blandiores, aſinis petulantiores, felibus rapaciores, gallis contentioſiores: ita igitur affecti quid aliud quàm riſum mouent, inuicem circa diuitum ianuas ſe conculcantes, cœnáſq; diuerſas appetentes, & in illis ipſis moleſtè laudantes, ac vltra honeſtatem ſe ingurgitantes, cuncta reprehendentes, & inter calices illepida & abſona philoſophantes, merum deniq; minimè ferentes? Idiotæ verò, quos cõuiuio intereſſe contingit, rident ſcilicet, ac Philoſophię, quoniam piacula talia producat, inſultant. Eſt & illud omnium abſurdiſsimũ, quòd cùm vnuſquiſque nullius ſe rei indigere affirmat, ſed ſolum ſapientem diuitem eſſe vociferatur, paulò tamen pòſt accedens poſtulat: & ſi non accipit, indignatur, paſiter ac ſi quis regiè ornatus arduam geſtet tiaram, necnon diadema, & reliqua ſigna regia, friuolarũ tamen rerum indigus mendicet. Próinde cũ ipſi quid accipere debent, multus quòd omnia communia eſſe cõueniat, ſermo, & quòd indifferentes diuitiæ, & aurum vel argentum nil à litoralibus differat lapillis. At cùm vetus quiſpiam amicus & familiaris auxilii indigens accedit, & paucula quædam ex multis poſtulat, taciturnitas, & indigentia, & ruditas, & dictorum in contrarium palinodia, variíq; de amicitia ſermones illi, necnon virtus ac honeſtum quónam abeant, ignoro. Sunt enim verba hæc verè pẽnata, & penitus euaneſcentia, quæ illi fruſtrà in quotidiana conuerſatione, vmbratili inter ſeſe iacti tant pugna. Eouſque enim vnuſquiſq; eorũ amicus exiſtit, quouſq; nec de argento neq; de auro ſeu de commodo agitur: quòd ſi quis obolũ tantummodo oſtenderit, confeſtim pax ſoluitur, ac omnia turbantur, implacatâq; redduntur: libri excidunt, & virtus aufugit: quemadmodum & canibus euenit, inter quos ſi quiſpiam os proiecerit, confeſtim exiliunt, ac inuicem mordent, & illi qui prior os rapuit, allatrãt. Fertur Aegyptius rex quidam ſimias vt tripudiarent inſtituiſſe, aniliáq; (nam admodum ad res humanas imitandas ſunt apta) celerrimè didiciſſe vt perſonata ac purpurata ſaltarent: erátq; admodum viſu res digna, donec ſpectator quiſpiam vrbanus nuces è ſinu depromptas in mediũ abiiceret: id ſimiæ videntes, tripudii oblitæ, id quod erãt, ſimiæ pro ſaltatoribus euaſerunt, perſonas conterebant, veſtitum diſcerpebãt, inuicémq; pro fructibus depugnabant, ita vt pyrriches ordo diſſolueretur, à theatróque rideretur. Talia & hi perpetrant, quos ego conuiciis inſectatus ſum, nec vnquam redarguere & comicis morſibus impetere deſinam. Verùm non ita inſanio, vt in vos, ſeu vobis ſimiles (ſunt enim, ſunt profectò nõnulli qui verè philoſophiã amplectantur) blaſphemiæ quid, vel ſiniſtrum euomam: quanuis ſi quid haberem quod dicerem, nunquid hoc vos ad vitam reducere deberet? At verò vt glorioſi illi, ac deo inimici odio habeantur, admodũ dignum exiſtimo. Próinde tu Pythagora, & Plato, & Chryſippe, & Ariſtoteles, nunquid tales vobis congruere, vel in humanæ vitæ vſum familiare ſeu conueniens quid oſtendiſſe dicitis? Ita per Iouem, inquiunt, Hercules, & ſimia. An quia barbas nutriunt, & ſe ueritatem præ ſe ferre, philoſophiam quoq; exercere videntur, ideo vobis ſimiles erũt? Quinimò pertuliſſem, ſi ad ſimulationem ipſam quoque apti fuiſſent: nunc verò citiùs vultur luſciniam imitabitur, quàm illi Philoſophos. Próinde quæ pro me ipſo dicenda erant, expoſui: at tu veritas, nunquid vera ſint, teſtificare. PHILOS. Nũc longiùs ô Parrhiſiade abſiſte: quid vobis agendum erit? quomodo vobis vir dixiſſe videtur? VIRTVS. Ego quidem ô Philoſophia interim cùm iſte peroraret, terrã ſubire optabam:

adeò vera omnia protulit. Siquidem audiens vnumquenq; qui talia faceret, agnoſcebam, interſmq; dicta aliqua in hunc, alia verò in eum qui grauia perpetraret, referebam: etenim perquàm manifeſtè viros tanquam pictura quadã cuncta conferens, expreſsit, ac non ſolùm corpora, ſed & animas ipſas admodum deſignauit. PHIL. Et ego quoq; ô Virtus admodum erubui: vos verò quid dicitis? REVIVIS. Quid aliud, quàm à crimine eum abſolui, inter amicóſq; & benefactores noſtros aſſcribi debere? Planè etenim nobis idem quod Ilienſibus euênit, qui hunc tanquam Tragœdum quendam aduerſus nos excitauimus, qui Phrygûm decantaret calamitates. Canat igitur, & dei inimicos tragicè exagitet. DIOG. Et ego quoque, ô Philoſophia, admodum virũ laudo, ac cuncta quæ illi obieci, execror: & quia generoſus eſt, amicum eum facio. PHIL. Euge ô Parrhiſiades, quoniam in omnibus ſuperior euaſiſti, ab accuſatione te abſoluimus: dehinc verò noſter eris. PARRH. Hanc primam adoraui: verùm aliud magis Tragicum opus mihi ſupereſſe puto: ſiquidem ô valde veneranda Victoria, quotidie vitam meam venerabilem reddis, nec coronare deſinis. VIRTVS. Nunquid igitur & illos citemus, ac à ſecundo iam ordiamur cratere? vt pœnas ob ea propter quæ in nos iniurii fuere, expendant, Parrhiſiades autem vnumquenq; accuſabit. PARRH. Rectè, ô Virtus, elocuta es: quapropter heus tu miniſter Syllogiſme, ocyùs in vrbẽ deflectere, Philoſophóſq; vt præſtò ſint, citare pergas. SYLLOG. Audi, tace: philoſophos vt in arcẽ aſcendant, ac de virtute, philoſophia, ac iuſtitia rationem reddant, çitó. PARRH. Vidéſne? pauci citationi obedientes conueniunt, partim verò iudicium timent, ac plurimi ocioſi non ſunt, circa diuites enim verſantur: ſi verò cunctos aduenire cupis, de iis præconium ô Syllogiſme pronũcia. PHIL. Minimè: verùm tu Parrhiſiade ex arbitrio tuo illos conuoca. PARRH. Atqui minimè hoc difficile erit. Audi, tace: quicunque ſe philoſophos eſſe dicunt, & quicunq; nomen hoc ad ſe ſpectare arbitrantur, ad diſtributionem in arcem veniant: ſingulis enim minæ dabuntur duæ, ſeſaminâq; placenta. Quicunque verò barbam profundam oſtenderit, ille & caryarum maſſam accipiet. Nemo verò ſeu modeſtiam vel iuſtitiam aut continentiam afferat: ſiquidem hæc ſi non aderint, neceſſaria ſunt minimé. Quinq; prætereà ſyllogiſmos vnuſquiſq; apportet: non enim fas abſq; his ſapientem eſſe. Duo deniq; auri talenta in medio exponentur, quibus illum donabimus.

Qui verbis omnes poſſit contendere contra.

Loca Athenis iuxta arcem.

Papæ! quàm refertus eſt impellentium multitudine aſcenſus! quemadmodum ob duas tantùm acceleranti minas, apud Pelagiſcum quidam, & iuxta Aeſculapii templum alii, circa Arion pagum quoq; multi, nonnulli & penes Tali ſepulchrum: quin reliqui admotis ſcalis per Geminorum ædem turmatim, vt pœnas dent, irrumpũt, & per Iouem apum inſtar racematim, vt Homeri verbis vtar, ſed & hinc quàmplures, illinc quoque innumeri,

Quot folia & flores naſcuntur tẽpore verno.

Atqui breuiter conſidentium clangore repleta eſt arx, ac vndique pera, barba, aſſentatio, impudentia, baculi, guloſitas, ſyllogiſmus, auaritia: ac pauci illi quicunque ad primum illud conuenerant præconium, latentes & ignoti reliquorum multitudini intermixti, ſub aliarum formarum ſimilitudine deliteſcunt. Eſt & hoc, ô Philoſophia, moleſtiſsimum, & in quo te maximè quis reprehendere queat, quòd minimè notas & ſigna illis inuſiſti: ſiquidem præſtigiatores iſti ſæpiùs ad perſuadendum, verè philoſophantibus ſunt aptiores. PHIL. Paulò poſt hoc fiet: verùm iam animum aduertamus. PLATONICVS. Primos nos Platonicos ipſos accipere decet. PYTHAGORICVS. Minimè, ſed nos Pythagoricos: prior enim erat Pythagoras. STOICVS. Deſipitis: præſtantiores nos, qui à porticu. PERIPATETICVS. Minimè quidem, verùm nos de Peripato, in rebus ſumus priores. EPICVREVS. Nobis Epicureis placentas date, & carycarum maſſas: de minis verò expectabimus, donec vltimi accipere debeant. ACADEMICVS. Vbi duo ſunt talenta? ſiquidẽ nos Academici oſtendemus quantum aliis ſimus contentioſiores. STOICVS. Nõ, nobis Stoicis præſentibus. PHIL. A contentionibus deſiſtatis: vos verò Cynici ne inuicem impellatis, néve baculis verberetis: nam propter alia vocati eſtis. Ego enim Philoſophia nunc vnà cum Virtute & Veritate diiudicabimus quinam ſint qui verè philoſophentur: inde qui noſtris inſtitutis viuere inuenientur, felices erunt, & optimi eſſe iudicabuntur. At ſubdolos illos, níl q; ad nos ſpectantes, malos malè perdemus, ne dum ſibiipſis contraria cõmittunt, arrogãtia tamen efferantur. Verùm quid hoc eſt, fugitiſne? Ita per Iouem: multi per confragoſa deſiliunt, adeò vt penitus euacuata ſit arx, præter paucos illos qui iudicium haud formidantes remãſere. Vos verò miniſtri peram quam Cyniculus fugiendo abiecit, tollatis. Sed quid in illa latet? nũ quid lupini, ſeu libri, vel panes toſti? PARRH. Minimè, ſed aurum hoc, & vnguentum, ac culter ſacrificulus, ſpeculum quoq;, & tali. PHIL. Euge ô generoſe, hæc tibi exercitii erant viatica: cum illiſq; omnibus conuiciari, ac alios docere audebas? PARRH. Nobis itaque illi tales. Cæterùm vos conſiderare decet, quo pacto error hic tollatur, ac homines cognoſci queant, quinã ex illis boni, & qui rurſus alterius vitæ exiſtant: tu verò ô Veritas inquire: tua enim intereſt, ne tibi mendacium prævaleat, néve propter errorẽ viri mali bonis intermixti deliteant. VERITAS. Hac in re ex Parrhiſiadis arbitrio, quoniam probus ac nobis beneuolus eſſe videtur, téq; Philoſophia præcipuè admiratur, ita agemus: ſecum Elenchũ aſſumat, & omnes qui ſe philoſophari profitentur, conueniat, ac quemcunque inuenerit legitimum, & veræ Philoſophiæ alumnum, illum corona coronet oleagina, & in Prytaneum conuocet. Si verò alicui (quemadmodum multi ſunt) viro execrando, ac Philoſophiæ hypocritæ, obuiam factus fuerit, attritam dilaceret veſtem, barbámque Tragica abradat nouacula, frontíque

ſtigm

ſtigmata imprimat, vel inter media inurat ſupercilia: ſit verò deuſtionis figura, Vulpes vel Simia. PHIL. Euge Veritas, ſiquidem Elenchus ô Parrhiſiade talis erit, quales & aquilarum pulli contra ſolem eſſe feruntur, non per Iouem tamen vt ii quoq; luminis ſplendore probentur, ac æſtimentur: verùm coram illis aurum, gloriã, ac voluptatem exponas: & quemcunque videris ea negligere, ac minimè eorum aſpectu moueri, is erit qui oleagina coronetur: quem verò fixè intuentem, manúmque ad aurum protendentem videbis, hunc vt inuratur abducas, abraſa tamen priùs barba. PARRH. Hęc ô Philoſphia, vt cenſes erunt, ac confeſtim perquàm multos eorum ſimia vel vulpecula notatos videbis, paucos verò coronatos: quinimò, ſi placuerit, nonnullos per Iouem vobis huc reduxero. PHIL. Quid ais? nunquid fugientes reduces? PARR. Et maximè, ſi ſacerdos parumper funiculum hunc & hamum, quos ex Piræo piſcator ſacrauit, mihi cõmodare voluerit. SACERD. En accipe, pariter & calamum, vt cuncta habeas. PARR. Nunquid ô ſacerdos & carycas aliquas mihi ſuppeditabis, ac auri pauxillum? SACERD. Accipe. PHILO. Quſdnam vir hic facere intendit? PARR. Hamum placenta & auro ineſcare, in ſummitatéq; muri conſidens in vrbẽ demittere. PHIL. Quid agis ô Parrhiſiade? nũquid ex Pelaſgico lapides piſcare decreuiſti? PARR. Tace ô Philoſophia, ac prædam expecta. Tu verò Neptune venator, ac optima Amphitrite, varios nobis mittito piſces. Verùm lupum quendam maximum cerno, quin potiùs auratam. LIBERTAS. Minimè, ſed felis eſt: hians enim ad hamũ natare videtur: aurum ſubolet: propè iam adeſt: tetigit: captus eſt: attrahamus. PARRH. Et tu ô Elenche pariter nunc funiculum apprehende: attractus eſt. Age ô optime, inſpiciamus quiſnã piſcis exiſtat: hiat iſte. Hercules, qualéſnã dentes! quid hoc rei eſt? Nũquid ô generoſe, circa petras liguriẽdo diſcurrés captus es? Vbi prædari ſperabas, ibi tu præda facta es: at nunc omnibus à branchiis appenſus, manifeſtus eris. Extrahamus illecebras huic, & hamũ: vacuus en hamus, placenta iam cũ auro in ventrẽ deſcendit. DIO. At per Iouem inuomuit: quapropter & alios ineſcemus. PARR. Bene habet: quid ais ô Diogenes? tu hunc quiſnã ſiet noſtin'? nũ ad te attinet? DIO. Minimé. PARR. Próinde quo pretio dignum hunc aſſerere oportet? ego etenim paulò antè duobus obolis eum appreciaueram. DIO. Nimiũ dicis: mollis enim eſt, & turpis, & moroſus, & iners: verſo capite hũc tu à petra præcipitato, & alium demiſſo hamo attrahe. Atqui videſis ô Parrhiſiade, ne tibi calamus inflexus abrumpatur. PARR. Cõfide ô Diogenes: tenues ſunt, & Aphyis leuiores. Et per Iouem leuiſſimi quoque: ſubinde tamen extrahe. PARR. En, quiſnam alius hic latus tanquam ſemiſectus piſcis accedit? Pſetta quædam in hamũ impegit: deglutiuit: capta eſt. DIO. Attrahatur: quiſnam eſt? PARR. Platonicum ſe aſſerit. PLATO. Et tu execrande ad aurum accedis? PARR. Quid ais ô Plato? quid cum illo agamus? PLA. Ab hac eadẽ petra & ille. DIO. Ad alium capiendum confideas. PAR. Próinde perquàm bellulũ quẽdam accedere video (veluti in profundo apparet colore vario) ac vittas quaſdam aureas in humeris habentem: cerniſne ô Elenche? Ariſtotelem hic refert: acceſsit: atqui rurſus abiit: diligẽter arbitratur: iterũ redit: deguſtauit: captus eſt: extrahatur: nũ hic tibi Ariſtoteles cognitus eſt? ARISTOT. Ne me, ô Parrhiſiade, de ipſo interroga: nam quis ſit ignoro. PARR. Nunquid igitur & hunc ô Ariſtoteles per petras? ARISTO. Et maximé. DIOG. Sed ecce multos hîc conſpicio piſces paricolores, ſpinoſos, in ſuperficie aſperiores, Echinis magis aculeatos: verriculo aliquo opus eſſet, verùm non adeſt: ſatis erit ſi vnum ex grege extrahamus: atqui ad hamum acceſsit, qui ipſorum eſt ferociſsimus. ELENCHVS. Conſide ſi videtur, ac priùs funiculum longè ferro circunda, ne dentibus adrodant, & aurũ deglutiãt. PARR. Deſedi; at tu Neptune capturam ſecunda. Papæ! pro illecebris depugnant: partim congregati carycas circũrodunt, alii verò deuorantes, ab auro detinentur. Benè habet, adhæſit quidam admodum robuſtus. Age dic, cuius tu cognomen refers? Atqui ridiculus ſum, piſcem loqui cogens: muti ſiquidem ſunt: cæterùm tu Elenche dic, quémnam hic magiſtrum habet? ELENCH. Chryſippum hunc. PARRH. Intelligo, quoniam aurum, vt arbitror, nomini conuenire videtur. At tu Chryſippe per Mineruam refer, noſtíne viros? vel talia ipſos facere doces? CHRYSIPPVS. Contumelioſè per Iouem, o Parrhiſiade interrogas, qui nobis quicquã cum iis qui tales exiſtant, conuenire ſuſpicaris. PAR. Euge, generoſus es, ô Chryſippe: igitur & iſte cũ aliis in caput pręcipitetur, quoniam ſpinoſus eſt, ac timendum, ne ſi à quopiam comeſtus fuerit, guttur offendat. PHIL. Satis, ô Parrhiſiade, piſcatus, ne quis (veluti multi ſolent) abrupto auro & hamo aufugiat, indéq; ſacerdoti abs te repetere ſit neceſſe. Próinde nos ad deambulationem pergamus. Tempus quoq; inſtat vt & vos eò vnde veniſtis reuertatis, ne vltra præſcriptum tempus moram ducere videamini. Tu verò Parrhiſiade, & Elenche, per gyrum ad cunctos accedatis, & quemadmodum iuſsi, illos aut coronate, aut inurite. PARRHISIADES. Fient hæc ô Philoſophia. Valete virorum optimi: nos verò ô Elenche proficiſcamur, ac iuſſa exequamur. Verùm quò primùm pergere neceſſum erit? nunquid in Academiam, vel Stoam? Ab Lyceo exordium faciamus: nihil hoc refert. Attamen hoc noui, quôcunq; gentium perueniemus, paucis equidem coronis, multis verò indigebimus cauteriis.

Lupus marinus. memi nit Ariſtoteles & Plinius.

Felis Galeus. Gaza muſtelã interpretatur, eſt piſcis rapax.

Aphyæ. piſciculi quos paritlimus, vermiculorum inſtar ſcaturiẽtes. meminit Aelianus. Plinius verò aquas à latinis appellari dicit, quòd ex aqua & pluuia procreantur.

Pſetta piſcis latus. meminit Ariſtoteles & Suidas.

Echinus, latinè Erinaceus, ſpinis aculeatis.

CATAPLVS SIVE TYRANNVS,

Petro Moſellano Interprete.

ARGVMENTVM.

Vti ſuprà in Menippo, diuitum exitus ac pœnas deſcripſit, recitato etiam decreto, quo animæ illorum in aſinos migrare iubentur, ita hìc ſub Megapēthis perſona, Tyrannorum vitam, mores, exitus, & quæ tandem poſt hanc vitam, animorum ſupplicia & cruciatus illos maneant, exponit, amplificatis etiam his antitheſi quadam, dum ſutorem Micyllum, & Philoſophum Cyniſcum, vtrunque pauperem, alterum etiam virtuti ac ſapientiæ deditum, cum illo componit. Illud videlicet innuens, quòd qui potentiam & diuitias ſectantur, & vitam plerunque peßimam atque nequißimam agant, mortem quàm grauißimo animo patiantur. Contrà autem qui à rebus iſtis mundanis, ijſdémq; malorum omnium principijs & cauſis, animum remotum ac liberum habent, quiq; virtutem præijs quæ vulgus appetit & miratur, colunt, illos & mortem contemnere ſolere, neque vllis conſcientiæ flagris facilè perterreri. Tractat autem hæc pro more ac inſtituto ſuo, fabuloſo rurſum dramate quodam, ficta vmbrarum transfretatione apud Acherontem: in qua dum & tyrannus hic traijciendus foret, mora cæteris, renitente ac mortem deprecante illo, iniȝcitur. Quam rem Charonte atque alijs grauiter ferentibus, tandem Mercurius collo attractum illum in nauem compellit, adiuuantibus ad id pauperibus illis Cyniſco & Micyllo. Porrò vbi iam traiectum eſſet, rurſus apud Rhadamanthum eodem pacto iudicium ſubterfugere velle idem fingit: ſed tamen & ibi in medium protractus, & à Cyniſco accuſatus, extremo tandem ſupplicio damnatur.

Charon, Clotho.

AGE verò ô Clotho, nauis quidem hæc iamdudum nos expectat parata, & ad nauigationem cõmodè admodum inſtructa: ſiquidem & ſentinã exhauſimus, & malum ereximus, tum & velũ eſt paſſum, ac remi ſuo loco collocati omnes, ita vt (quod in me eſt) obſtet planè nihil quin anchora ſubtracta, iam hinc ſoluamus. Verùm Mercurius, qui iam diu adeſſe debuiſſet, ſolus eſt in mora. Itaq; quum hodie iam ter traieciſſe licuiſſet, vectoribus, vt vides, adhuc vacuum eſt nauigium: & iam ad veſperam vergit dies: nos autem nondum ne obolum quidem demeruimus. Porrò Pluto, ſat ſcio, me huius moræ authorem ſuſpicabitur, idque quum apud alium ſit negocii culpa. Ille autem bonus & egregius vmbrarum dux, quemadmodum & alius quiſpiam ex vmbris, hauſto apud ſuperos obliuionis fonte, ad nos redire oblitus eſt: & vt coniicio, cum ephebis luctatur, aut citharam pulſat, aut fabulas aliquas denarrat, ſcilicet, quàm ſit bellus nugator, oſtentans: vel etiam interim dum regreditur, inter viam furandi ſtudio forſan occupatur: nam ex artibus quas profitetur, hæc vel præcipua eſt. Ad hunc ergo modum pro ſuo arbitrio liberè nobiſcum agit, nihil etiam veritus quòd media ex parte eſt noſter. CLOTHO. At quid noſti ô Charon an negocio aliquo detineatur, Ioue videlicet poſtulante vt in procurandis Superûm rebus plus quàm iuſtum tempus inſumat? Herus autem eſt & ille. CHARON. At non ita, vt vltra iuſtũ modum communi mancipio debeat imperitare: quando nos, cùm abeundi tempus eſſet, ne vnquam quidem eum detinuimus. Sed ego rei cauſam propémodum coniecturis aſſequor: nempe apud nos malua tantùm eſt cum libamentis, & placentulæ, ſilicerniáque: cætera verò caligo, & nebula, tenebræque: in cælo autem, præterquàm quòd clara & lucida ſunt omnia, ambroſia multa pariter, & nectar áffatim ſuppetit, adeò vt mihi quoq; hoc nomine ſuauiùs lubentiúſq; apud illos cunctari videatur: quin & à nobis ſubuolare conſueuit, périnde ac ſi è carcere aliquo aufugeret: vbi verò deſcendendi fuerit tempus, lentè admodum & pedetentim vix tandem accedit. CLOTHO. Mitte iram iſtam ô Charon, ſiquidem hic propè adeſt, complureis ſecum adducens: imò, vt cernis, denſam turbam velut gregem virga præ ſe agit. Sed quid hoc? Vinctum hercle quendam in ipſis conſpicio, tum alium riſu diffluentem, porrò alium quendam pera ſuccinctum, ac baculum manu geſtantem, aſperúmque ac toruum quiddam obtuentem, denique aliis, vt gradum addant, à tergo imminentem. An non & Mercurium ipſum vides ſudore perfuſum, pedibus puluere conſperſis, tum & crebrò anhelantem, adeò vt os ei ſuſpiriis ſit diſtẽtum? Quid hoc rei eſt ô Mercuri? Hem, quæ eſt hæc trepidatio? Nobis certè vehementer perturbatus videre. MERCVR. Quid aliud ô Clotho, quàm quòd dum ſceleſtum hunc aufugientem proſequor, penè acciderit, vt ego ad hãc nauem hodie non fuiſſem rediturus? CLOTHO. At quínam eſt? aut quid ſibi quærens, conatus eſt tranſfugere? MERCVRIVS. Hoc quidem eſt vel cuiuis manifeſtum, quòd diutiùs viuere cogitauit. Eſt autem vel rex quiſpiam, vel tyrannus, quantum ex eius eiulatu coniicere licuit: nam ingenti quadam ex felicitate ſe deiectum querebatur. CLOT. Et quum filum quod ei erat innexum, iam defeciſſet, ſtultus tamen ille, quaſi ſuperuiuere queat, aufugit. MERC. Aufugit narras? Quòd ſi non generoſiſsimus hic, qui baculũ manu geſtat, mihi fuiſſet auxilio, ſicq; ipſum comprehenſum vinculis alligaſſemus, è noſtris profectò

fectò manibus egregiè effugisset. Etenim ex quo eũ mihi tradidit Atropos, per omnẽ viã retrahere, atq; obniti nunquã destitit. Quin pedibus solo oppositis ita se offirmauit, vt inter ducendum nobis non parum negocii exhibuerit. Aliquoties autem supplicabat ac deprecabatur, ingentia daturum se pollicens, si vel paululum dimitteretur. Ego verò cùm hominem ea quæ contingere non possent, ambire viderem, vt & me decuit, minimè dimisi. At vbi iam ad ipsum ostium vsque peruenissemus, ipséq; vmbras, vt moris est, Aeaco adnumerarem, & ille vniuersas ad summã à sorore tua transmissam recenseret, perditissimus hic nescio quomodo clàm nobis aufugerat. Itaque quum summæ vnus deesset, Aeacus adductis superciliis, Non in omnibus, inquit, passim tu furandi artificium intende. Satis tibi sit quòd eiusmodi ludos in cælo reddere conceditur: vmbrarum autem res omnino sunt planæ, neque quicquam nos aliqua via fallere potest. Quatuor supra mille, vt vides, summa habet inscriptos, tu verò vno minùs adducis: nisi forsan excusas, quòd te circumuenerit Atropos. Ad hũc ego sermonem rubore perfusus, quæ in via acciderant, in memoriam reuocare cœpi. Et cùm oculis in vrbem ductis, hunc nusquam cernerem, facilè animo collegi, eum transfugisse: quare viam quæ rectà ad Tænarum reducit, quàm potui celeriter remetior: hic autem optimus vir sua sponte me comitabatur. Itaque velut è carceribus emissi, celeri cursu volantes ipsum iam in Tænaro deprehendimus: vsqueadeò parum abfuit quin effugisset. CLO. Et nos ô Charon, Mercurium adhuc ignauiæ damnamus? CHARON. Quid ergo diutiùs cunctamur, quasi non satis sit moratum? CLOT. Probè dicis: inscendant. Ego verò, sumpto in manus libello, ingredientes singulos, qui, & vnde nati, quóque modo vita functi sint, ex more dignoscam. Tu autem ô Mercuri ipsos excipe, & omnes suo ordine collocato. Verùm tu infantulos istos primùm iniice: quid enim mihi interroganti quiuerint respondere? MERCVR. En tibi ô portitor sunt hi numero trecenti, præter eos qui à parentibus sunt expositi. CHAR. Papæ! quæ est hæc soli fertilitas? egregius es vmbrarum ductor: vuas immaturas nobis adducis. MERCVR. Vin' tu ô Clotho ab his indefletos introducamus? CLOT. Vetulos istos dicis? maximé. Quid enim attinet, vt quæ ante Euclidem hucusque contigerunt, sciscitando, ipsa mihi negocia facessam? Vos, qui plus sexaginta annos nati estis, adeste. Sed quid hoc? Itan' eorum aures annis sunt obturatæ, vt me non exaudiant inclamantem? Forsan & hos sublatos importare oportebit. En duodequadraginta flaccidi omnes, & apprimè maturi, ac in ipso planè tempore decerpti. CLOTH. Per Iouem: quandoquidem iam omnes sunt vuæ passæ. Saucios ô Mercuri nunc adducito. Vos quo mortis genere vitam clauseritis, mihi primùm dicite. Sed cur non ipsamet, quæ cuique vestrùm sint inscripta, inspicio? Octoginta in prælio cadere heri apud Medos decretũ erat, atq; vnà cum his & Oxyartæ filium Gobarem. MER. Adsunt. CLOT. Præ amoris impatientia sibi ipsi mortẽ conscisse septem: in primis autem Theagenes philosophus, propterea quòd scorto Megarensi, cuius amore flagrabat, potiri non posset. MER. En tibi propè adsunt. CLOT. Porrò vbi illi qui de imperio certando, mutuis se cædibus confecere? MERCV. Hîc adstant. CLO. At quem adulter, in hoc iuuante vxore, neci dedit, is vbi est? MERCV. En tibi hîc adest. CLOT. Quos iudicum sententia capitis damnauit, tandem adsint, eos inquam qui carnificinam senserunt, quíque in crucem sunt adacti. Tum sexdecim illi qui à latronibus sunt iugulati, vbi sunt ô Mercuri? MERCVR. Adsunt saucii illi, quos vides. Mulieres porrò non & eas vnà vis adduci? CLOT. Maximè, pariter & eos qui naufragio perierunt. Simul enim & eadem mortis ratione vitam exiuerunt. Sed & quos febris interemit, hos simul adducito. Tum Agathoclem medicum. Sed vbínam Philosophus Cynicus, quem Hecates cœna ac ouis lustralibus, cúmque his sepia cruda deuoratis vitam finire decretum erat? CYN. Iamdudum hîc tibi adsisto ô tu præclarissima Clotho. Verùm hoc interim mecum admiror, quónam iniuriæ genere maiestatem tuam læserim, quòd me tam longo tempore apud superos errare permiseris. Nam vniuersam colum ferè vni mihi adglomerasti. Ipse certè quanquam filum ipsum dirumpere sæpè sum conatus, tamen quũ nescio quomodo infragile esset, quod moliebar, efficere non potui. CLOT. Equidem te humanorum peccatorum velut inspectorem ac medicum relinquebam. Iam autem quod felix faustúmque sit, inscende. CYN. Minimè gentium, priùs quàm vinctum hunc inscendere compulerimus: vereor enim ne te precibus suis à sententia dimoueat. CLOTH. Age, videam quis est. MERCVR. Megapenthes Lacydæ filius, tyrannus. CLO. Inscende tu. MEG. Nihil minùs, ò regina Clotho, potiùs autẽ ad superos me remeare paulisper finito. Quòd si feceris denuo, vltro me huc recipiam, vel nullo vocante. CLOTHO. At quídnam est cuius gratia tantopere in vitam redire gestis? MEGAPENTHES. Equidem domum semiperfectam reliqui, quam vt priùs per te liceat ad fastigium perducere, vehementer oro. CLOTHO. Nugas agis: quin mox inscendis? MEGAPENTHES. Non multum temporis flagito, ò Parca, diem hunc saltem mihi apud superos agendum concede, quo tempusculo de pecuniis nostris vxori nonnihil iniungam, atque vbi defossum thesaurum habuerim, demóstrem. CLOTHO. Frustrà laboras: stat sententia. MEGAPENTH. Ergo tantum auri peribit? CLOT. Quin tu hac gratia animo es ocioso. Nam Megacles potietur tuus consobrinus. MEGAP. O insignem contumeliam! ille mihi inimicus, quem ego præ segnitia non occidi? CLOT. Ille ipse, qui non modò non paulò plures quàm tu viuet annos, verùm & pellices tuas, & vestes, & quicquid est auri, nanciscetur. MEGAP. Præter æquum facis, ò Clotho, quòd hominibus inimicis, & hostiliter infestis meas fortunas attribuis. CLOT. Quasi verò tu non eadem hac via

quæ Cidimachi erant, nactus esses: non solùm ipso occiso, sed & liberis eius in conspectu spirantis adhuc, & palpitantis, mactatis. MEGAP. Sed iam tum mea erant. CLO. Itaq; tui dominii tempus iam effluxit. MEGAP. Ausculta ô Clotho, quæ tibi priuatim semotis arbitris dicere volo. vos hinc paulispere abscedite. Si me effugere permiseris, auri puri mille talenta me tibi hodie daturum repromitto. CLO. Ridiculum caput, adhuc aurum & talenta habes in memoria? MEGAP. Sedenim, quando ita vis, duos crateras addam, quos occiso Cleocrito, mihi vendi caui. Eorum vterq; auri puri, defęcatiq;, centum æquat talenta. CLOT. Corripite hominem: neq; enim apparet eum sua sponte ingressurum. MEGAP. Testor vos, murus manet imperfectus, & nauium statio inchoata: quæ omnia, si quinque saltem dies ampliùs viuere licuisset, ad fastigium perduxissem. CLOT. Securus es, alius extruet. MEGAP. Atqui hoc saltem æquum postulare videor. CLOT. Quid hoc? MEGAP. Vt tantisper supereſſe liceat, dum Pisidas sub iugum misero, & Lydis tributum imperauero, dúmq; mihi ipsi magnificentissimo monumento erecto, inscripsero quæcunque in vita gessi, vel magna, vel egregii imperatoris virtute digna. CLOT. Quid? tu non vnã postulas diem, sed fermè viginti annorum moram. MEG. Atqui sponsores vobis exhibere sum paratus, & tam breuis moræ, & mei reditus. Quinetiam, si cordi fuerit, obsidem pro me relinquam Agapetum. CLOT. O scelestum! eúmne, quem relinquere in terris superstitẽ sem per tibi in votis erat? MEGAP. Olim is erat animus: nunc autẽ, quod melius est, video. CLO. Veniet & ille tibi haud ita multò pòst, ab eo qui nunc regẽ agit, è medio sublatus. MEGAP. Cæterùm illud saltem non negabis ô Clotho. CLOTHO. Quid hoc tandem est? MEG. Equidem scire gestio, vt sese res mea habitura sit post me. CLOTHO. Ausculta, tametsi vbi audieris, sat scio, animo magis angèris. Principiò vxore tua Midas seruus potietur: quam iam antè non semel constuprauerat. MEGAP. Illéne sceleroſus, quem equidem dum vxori gratificari studeo, manumisi? CLOT. At filia tua in pellicum gregem, eius qui iam tyrannidẽ exercet, adnumerabitur. Porrò imagines, & statuæ quas olim ciuitas tibi erexit, iam euersæ omnes, spectãtibus risum mouent. MEGA. Hoc mihi expedias velim: nullus amicorum meorum illis qui hoc faciũt, obsistit? CLOT. At quísnam tibi amicus erat? aut ex qua causa iusta quẽpiã tibi conciliaras? Nescio, quòd qui vos velut deos adorant, & quæcunq; vel feceritis, vel dixeritis, laudant: aut timore, aut certè sui compendii spe ea omnia faciunt, nimirum imperii ipsius amici, ac interim tempori seruientes. MEGAP. Atqui si quando in conuiuiis ex more vinum libarent, magna voce omnia mihi bona precabantur, adeò vt, si fieri posset, vnusquisq; eorum etiam pro me mortem subire paratus esset. In summa, per nihil aliud, quàm nomen meum iurabant. CLOT. Propterea ex cœna quam heri cum quodam eorũ cepisti, statim mortem oppetiisti. Nam poculum tibi postremo temperatum, huc te demisit. MEGAP. Hoc illud est, quòd amarum quiddam gustaram. Sed quid ex eo scelere sibi voluit? CLO. Nimis multa percunctaris, quum iamdudum inscendendi tempus fuisset. MEGA. Vnus adhuc restat scrupulus, qui me omnium maximè solicitat, cuiúsque gratia in vitam vel tantillum respicere gestiebã. CLO. Quid hoc tandem est? ingens enim aliquod fore apparet. MEGAP. Carion, famulus meus, statim vt me mortuum aduertit, circa vesperam conclaue in quo iacebam, ingressus, cùm deserta omnia offendisset (neque enim quisquam mei curam gerebat) attractis foribus (tanquam nemo adesset) pellicem meam Glycerium subegit, cũ qua, opinor, iam multò antè rem habere consueuerat. Posteà verò cùm iam animum voluptate explesset, oculis in me defixis, Tu quidẽ, inquit, homuncio sceleste, sæpè mihi nihil commerito, verbera non pauca inflixisti. Et cum dicto, comã mihi vellicabat, ac caput tuberibus opplebat. Tandem autem cùm rictu ampliter diducto in me despuisset, ac vt in impiorum regionem faceſſerem iussisset, abiuit. Ibi ego, quanquam ira succendebar, tamen quia iam frigidus, & exanguis eram, hominem vlcisci non potui. Porrò sceleſta famula, cùm aduenientium quorundam strepitum sensisset, scilicet vt me lugere videretur, oculis sputo inunctis, eiulando, noménque meum lugubri voce inclamãdo, abscedebat. quos si prehendero. CLO. Quin tu minis omissis celeriter inscendis? Iamdudum enim tempus, vt in iudicium concedas. MEGAP. At quis contra hominem regem pronunciare audebit? CLOTHO. Contra regem quidem nemo: verùm eõtra vmbram Rhadamanthus, quem in sentẽtiis pro cuiusque merito ferendis mox æquissimum experieris: quare in præsentia non ampliùs cuncta re. MEGA. Priuatum saltem, & vnum ex pauperibus istis facias licebit: imò pro rege seruũ, modò reuiuiscere sinas. CLOTHO. Vbi is qui baculo armatus est? & tu Mercuri? Quin hominem correpto pede intrò trahitis? Neque enim voluntarius inscenderit vnquam. MERCVR. Sequere nunc fugitiue: cape hunc portitor vnà cum illo altero, atq; vt malo fortiter adalligetur, cura. MEGAP. Atqui conuenit honestissimo me sedere loco. CLOT. Quid ita veró. MEGAP. Quòd rex fuerim per Iouem, & satellites habuerim complureis. CLOT. Et iniuria te vellicabat Carion, hominem sæuum adeò, ac intractabilem? Iam certè tyrannidem admodum acerbam experiêris, nimirum huius gustato baculo. MEGAP. Et Cynisçus mihi baculum illidere audebit? Non ego te nuper, quòd liberiùs & asperiùs quàm pro maiestate, obiurgasses, tantùm non cruci adfixi? CLOTHO. Propterea & tu nunc hîc manebis malo adstrictus. MIC. Dic mihi, ô Clotho, quando vobis mei nulla est cura, an quia pauper sum, propterea me postremum inscendere oportet? CLO. Tu verò quis tandẽ es? MICYLL. Equidem sum Micyllus sutor. CLOTHO. Quid, quòd tam grauiter fers moram? Non vides quàm multa se daturum polliceatur hic Tyrãnus, si vel paulùm in vitam remittatur?

Vnde

Vnde mirari ſuccurrit, cur non & tibi mora ſit iucunda. M i c. Auſculta rem paucis, Parcarum optima. Non admodum me delectat munus illud Cyclopis, videlicet in hunc modũ policeri,

Poſt omneis alios tandẽ ipſe vorabitur Vtis.

Siue enim primum, ſiue poſtremum, iidem me dentes manent. Sedenim neque aliàs meæ res vt diuitum ſe habent. Noſtra enim & illorum vita (quemadmodum aiunt) perpendiculo inter ſeſe diſtant: quandoquidem tyrannus, qui in vita horrendus omnibus, & ſuſpiciendus videbatur: nũc auro, argento, veſtibúſq; exutus, tum & equis, cœnis, pueris floridis, & mulieribus formoſis poſt ſe relictis, eorum deſiderio non iniuria cruciatur, ac à tot commodis ſe abſtrahi fert grauiter: quibus, neſcio quomodo, anima ipſa velut glutino hæret affixa, neq; ſe facilè ſinit auelli, vt quæ eis iamdiu inhæſerit: quin magis, tanquam vinculum aliquod eſt infragile, cui ipſos alligari, ir retirſq; contingit, adeò vt vbi quiſpiam eos abducere pararit, plorent. At cùm in cæteris ſint feroces, in hac tamen via, quæ ad inferos ducit, meticuloſi deprehenduntur. Itaque ſubinde dant terga: & ad ea quæ procul in luce apud ſuperos geruntur, reſpicere geſtiunt: ſicut ſtultus hic faciebat, qui non ſolùm in itinere aufugere conabatur, verùm etiam hîc mortem fruſtrà deprecatur. At ego, vt qui in vita pignus haberem nullum, non agrum, non domum magnificè extructam, non aurum, non ſupellectilem, non nominis gloriam, non imagines, ad mortem expeditus meritò eram. At ſtatim vt mihi ſolùm innuit Atropos, abiectis & ſubula, & loro geniculari, tantùm crepidam quandam manu portãs, voluntarius ſequebar: vſqueadeò haud grauatim, vt dum præ feſtinandi ſtudio ſubſulto, neque calceos ſubligarim, neq; atramentum abſterſerim: imò verò præcurrebam, quæ ante me eſſent, ſpectare geſtiens. Neque enim à tergo mihi erat relictũ quicquam, quod me vel conuertere, vel reuocare potuiſſet. Et per Iouem, quæcunq; apud vos video, mirum quàm mihi placeant: nam pares honorũ gradus hîc dari, nec quenquã vicino præſtare, res mihi omniũ longè ſuauiſsima videtur. Déinde coniecturam facio, ne æs quidẽ alienum hîc à creditoribus repoſci, neq; tributum cuiquam pendi, neq;, quod omnium maximum eſt, hyberno tẽpore quenquam rigere, neq; ægrotare, neq; potentiores in humiliores pugnos ingerere. Poſtremò pace cõſiſtunt omnia, & in contrarium tota vitæ ratio verſa. Siquidem nos pauperculi ridemus, diſcruciantur autem & plorant diuites. C l o. Ergo quum iamdudum ridentem te conſpexerim, quid tandem ſit quod potiſsimũ tibi riſum mouerit, audire percupio. M i c. Auſculta, Dearũ mihi maximè verenda. Cùm apud ſuperos propter tyrannum habitarem, quæ apud eum fierent, nimis quàm accuratè inſpectabam. Ac tum quidem feliciter ex æquo cum diis viuere mihi videbatur. Nam cùm purpuræ florẽ ſpectarem, & comitantium turbam numerarem, aurum, ac pocula gemmis diſtincta mirarer, lectos argenteis pedibus ſuffultos ſtuperem: beatum planè hominem prædicabam. Ad hæc eorum quæ in cœnam apparabantur, nidor ſæpe me prurire faciebat. Iam verò quũ pro maieſtate in publicũ prodiret: & ſe ipſe ſubinde erigẽs velut reſupinaret, obuiiſque ſtuporem iniiceret, cæteris mortalibus pulchrior, & fortunæ beneficio toto penè regio cubito ſublimior videbatur. Sed vbi iã vita functus eſſet: ipſe quidem iſtis deliciis exutus ridiculo fuit omnibus: ego verò meam ſtulti tiam multò magis ridebam, qui eiuſmodi nõ hominem, ſed hominis probrum, ad ſtuporem vſq; miratus fuiſſem: cuius felicitatem ex epularum tantùm nidore æſtimaſſem: quémq; ob ſanguinẽ qui Laconici maris teſtudinibus innaſcitur, beatum prædicaſſem. Neq; verò hic ſolùm mihi ludo fuit, verùm etiam cùm Gniphonem illũ fœneratorem gemẽtem viderem, & quòd pecuniis dum licuiſſet, vſus non fuiſſet, propriam ſortem deplorantem, imò quòd ne ſemel quidẽ illis à ſe guſtatis, verùm luxu perdito Rhodochari relictis, è viuis exceſsiſſet (hic enim quia genere proximus erat, in hæreditatem lege vocabatur) hæc inquam cùm cernerem, riſum ſiſtere nullo modo potui, præſertim recordatus, quàm in vita pallidus ſemper, & ſqualidus obambulaſſet, & vultu præ curarum magnitudine, triſti. Déinde quòd ſolis digitis opulentus fuiſſet, quibus talenta & milliones ſupputare conſueuiſſet, ea paulatim & minutatim corradendo, quæ fortunatiſsimus Rhodochares haud ita multò pòſt fuerat egregiè diſtracturus. Sed quid iam? non hinc ſoluimus? Etenim ſi quid reliquum eſt, hoc inter nauigandum ridebimus, quando & hos plorantes videre licebit. C l o t. Inſcende tandem, vt anchoram portitor ſubtrahat. C h a r. Quid hic? quò fertur? Inibi opperire. Cras te prima luce traiiciemus? M i c. Iniquus es ô Charon, qui me vmbram iam penè exoletam relinquis. Age age, vt lubet: equidem tibi diem dicam apud Rhadamanthum. Hei miſero mihi, iam nauigant, at ego hîc ſolus relinquor. Atqui cur non. ad eos natando contendo? Neque enim cùm iam antè ſim mortuus, periculum eſt ne denuò ſubmerſus præfocari queam. Déinde, vt maximè nauigare liceat, ne obolus quidem eſt quo naulum reddam. C l o t h. Quid hoc rei ô Micylle? quin iſthic manes? haud fas eſt Micyllum iſta ratione tranſfretare. M i c y l l. Et quid ſi citiùs quàm vos, ripam attigero? C l o t h o. Nequaquam: potiùs naue adacta eum recipiamus. Tu Mercuri corripe hominem. C h a r. At vbi nunc ſedebit, cùm, vt cernis, plena ſint omnia? M e r c. Si videbitur, Tyranni humeris inſidat. C l o t h o. Quàm hoc appoſitè Mercurio venit in mẽtem! Aſcende ergo, atque ſceleſti huius dorſum fortiter proculca. Nos autem proſperiter nauigemus. C y n i s c v s. Aequum fuerit ô Charon, vt hîc iam tibi, quod verum eſt, detegam. Equidem obolum quem pro traiectu debebo, ſoluere non potero, quando præter peram, quam vides, & baculum, habeo planè nihil. Cæterùm ſi vel ſentina ſit exhauriẽda, vel agendus remus, en tibi adſum paratus. Porrò Charontem Cyniſci non pœnitebit, dummodo agilem & firmum dederis remum. C h a r. Remiga. Nam à te

vel

vel hoc lucri facere, fuerit ſatis. CYN. Non & cantu remiges accendere profuerit? CHARON. Per Iouem, ſi quidē nauticam aliquam cantilenam tenes. CYN. Teneo, & quidem multas. Verùm, ſicuti tute vides, obſtrepunt hi plorando, ſic vt cantus ipſe interturbetur. DIVES. Hei mihi, quæ reliqui prædia. ALIVS. Heu quàm fertiles agros. Me miſerū, qualē reliqui domū. ALIVS. Væ, væ infantulis meis. AGRICOLA. Quis nūc vuas decerpet è vitibus, quas hoc anno plantaui? MERC. Tu verò Micylle nihil ploras? Atqui fas non eſt quenquam citra lacrymas pernauigare. MIC. Bona verba. Nam cùm ſecundo flatu nauigem, quid plorem, nō video. MERC. Attamē pro more pauliſper ingemito. MIC. Quin hac gratia, quando ita vis, plorabo: Hei mihi, quot lora reliqui, hei crepidas antiquatas. Eheu marcidos calceos. Non ego infelix poſthac à mane ad veſperam vſque ſine cibo peragā, nec hyemis tempore ſine calceis & ſeminudus oberrabo, dentes præ frigoris acerbitate complodēdo. Quis tandem meam habebit ſubulam? qui acicula? Satin' lamentatum ô Mercuri? Iam enim iam ripam fermè attigimus. CHAR. Age verò priùs naulum reddite. Tu redde: ab aliis omnibus habeo. Obolum redde Micylle. MIC. Iocaris ô Charon, aut, quemadmodum aiunt, in aqua ſcribis, qui à Micyllo obolum expectes. Ipſe certè antequam huc veniſſem, quadrangulúſne eſſet obolus, an rotundus, ne noueram quidem. CHAR. Egregiam verò, & quæſtuoſam nauigationem hodiernam. Abſcedite tamen. Ego verò ad equos, boues, & canes, reliquáq; id genus animalia me recipiam: nam & ea traiicere oportet. CLOT. Mercuri, tu hos exceptos abducito. Equidem in aduerſam ripam renauigabo, Indopāten & Heramithren aduectura, quandoquidem hi de agrorum finibus rixando, mutuò ſe confecerunt. MERC. Heus vos, progrediamur: imò verò omnes vno agmine me ſequimini. MIC. O Hercules, quæ eſt hæc caligo? Vbi nūc formoſus ille Megillus? Aut quónā indicio quis Phryne formoſiorem Symmachen hīc dignoſceret? Hīc enim paria, & eiuſdem coloris omnia, adeò vt nihil ſit neque formoſum, neque formoſius. Quin palliaſtrum meum, quod antehac fœdū vidēbatur, æquè nunc eſt in pretio, quàm ipſa regis purpura, nempe quòd ambo ſint obſcura, ac eiſdem tenebris obducta. Tu autem Cyniſce vbi tandem es? CYN. En tibi Micylle hīc adſūm: ſed ſi commodum videtur, pariter eamus. MIC. Probè dicis: dextram mihi iniice. Dic mihi (quando Eleuſiniis ſacris initiatus es) non tibi hæc ſimilia vidētur illis quæ iſthic fiunt? CYN. Rectè confers. En adeò quædam facē geſtans accedit, obtuēs terrificū quiddā & minabundū. An non eſt Erinnys? MIC. Apparet certè ex habitu. MER. Excipe hos ô Tiſiphone, ſupra mille, quatuor. TISIP. Atqui iamdudū Rhadamanthus hic vos expectat. RHADAM. Adduc ipſos ô Erinny. Tu verò Mercuri, vt eſt præconis munus, editis nominibus ſingulos accerſe. CYN. O Rhadamanthe, per patrem te obſecro, meā cauſam primum omnium cognoſcas. RHAD. Qua gratia? CYN. Omnino geſtit animus accuſare quendam de malis quæ in vita me conſcio commiſit. Alioqui nipriùs qui ſim, & qua ratione vitæ curſum tranſegerim, fiat manifeſtum, non dignus ero cui fides adhibeatur. RHAD. Quis ergo es? CYN. Cyniſcus ſum, ô præclare, profeſsione Philoſophus. RHAD. Huc ades, & primùm ad iudiciū aſsiſte. Tu verò accuſatores accerſe. MERC. Si quis Cyniſci huius eſt accuſator, huc prodeat. RHAD. Nullus accedit: quanquam hoc ſatis nō eſt, ô Cyniſce, ſed veſtimenta detrahe, vt de te, notis tuis inſpectis, pronunciem. CYN. At vbi Cyniſcus notis eſſet inuſtus? RHAD. Quot ſcelera quiſq; veſtrūm in vita patrarit, tot notas, ſed quæ nō facilè appareant, in anima circumfert. CYN. En tibi nudus aſsiſto: quare notas, quas dicis, inueſtiges licebit. RHAD. Hic per omnia eſt purus, præter treis quatuórve cicatrices admodum obliteratas, ac vixdum conſpicuas. At at quid hoc? veſtigia certè, & inuſtionū ſigna. Verùm haud ſcio quomodo ſunt deleta, imò verò in totum exciſa. Quid hæc, ô Cyniſce? aut quî denuò purus es factus? CYN. Equidem rem tibi indicabo. Olim cùm per imperitiam vitioſus eſſem, atq; hoc nomine complureis commeruiſſem notas, ſapiētiæ ſtudio me ipſe dedere cœpi: cuius beneficio haud ita multò pòſt vniuerſas maculas ex animo abſterſi. RHAD. Bono profectò, & præſentiſsimo es vſus remedio. Sed iam hinc in beatorum inſulas abito, illic enim inter optimos locum habebis, ſi priùs Tyrannum, de quo dicis, accuſaris. Alios aduoca Mercuri. MIC. Quod ad meā cauſam attinet, parum ſanè eſt, & breui cognitione indiget. Iamdudum enim hīc tibi nudus adſum: quare me introſpicias licebit. RHAD. At quis tandem es? MIC. Sum Micyllus ſutor. RHAD. Euge ô Micylle, purus es omnino, & ne punctulo quidem notatus. Concede & tu ad hunc Cyniſcum. Accerſe nunc tyrannum. MERC. Megapenthes Lacydæ filius prodeat. Quorſum te agis? Accede: te voco tyranne. Quin ipſum ô Tiſiphone in medium proiicis, capite in terrā ſtatuto? Bene habet. Tu nunc ô Cyniſce, accuſa, & hominem de ſceleribus conuince. Iam enim hic tibi propter adeſt. CYNISC. Principiò quanuis in accuſando ne verbis quidem opus fuiſſet, quandoquidem cuius monetæ ſit, vel ab ipſis nō tis agnoſcere potes: tamen quò res fiat ſole clarior, & ipſe tibi virum detegere, ſermonéquē depingere conabor. Ac flagitia quæ ter ſceleſtus nebulo, tantiſper dum priuatam agebat vitam, peregit, equidem cenſeo prætermittenda. Sed vbi partim hominum perditiſsimorum, atque audaciſsimorum, quos in hoc ſibi conciliārat, fauore, partim ſatellitum collecta manu, tyrannidem arripuit, plus ſexcentos indicta cauſa trucidauit. Déinde cùm hac vīa ſingulorum ciuium opes exhauriendo, diuitias ſummas corraſiſſet, nullam libidinis ſpeciem intentatam reliquit. Quin genus omne cum iniuriæ tum crudelitatis in miſeros ciues exercuit, virgines vitiando, adoleſcentes ſtuprando: breuiter, modis omnibus in ſubditos debacchando. Iam pro faſtu, pro ſuperbia, próq; eius in obuios omneis fremitu,

mitu, ſupplicium factis dignum ſumere non poſſis, quando minori periculo in ſolem quàm in hunc defixis oculis tueri licuiſſet. Porrò noua ſupplicia,& ad crudelitatem eius explendam recèns inuenta, quis poterit recenſere, qui ne ab intima quidem familiaritate coniunctis abſtinuerit? Quòd ſi ab eo interemptos huc aduocaris,facilè comperies hæc haudquaquam à me calumniandi ſtudio confingi. Imò verò non vocati,& voluntarii,vt vides,hic adſunt, ipſúmq; circunſiſtentes malè vrgent. Hi omnes, ô Rhadamanthe,huius crudelitate vitam amiſerũt: quorum alii formoſarũ vxorũ gratia inſidiis ſunt eiſ cũuenti:alii quòd liberorum ſuorũ,quos ad iniuriam violenter abducebat,nomine ſtomacharentur,ſunt trucidati:alii quòd opibus illorum inſidiaretur:porrò alii,quòd boni eſſent,& prudentes,quibus haudquaquam eum illius factis cõuenire poterat. Rhad. Quid ad hæc dicis ſacrilege? Megap. Cædes quas dicit, equidem perpetraui:cætera verò omnia,nẽpe adulteria, læſam puberum pudicitiam, virginum ſtupra, hæc omnia Cyniſcus falſò criminatur. Cyn. Quin & horum teſtes proferam ô Rhadamãthe. Rhad. Quos eos dicis? Cyn. Mercuri,eius mihi Lucernam aduoca, & Lectum. Hæc enim in medium progreſſa,quæ ſeſe conſciis hic ter ſceleſtus patrarit,teſtabuntur. Merc. Et Lectus,& Lucerna Megapenthis huc aſsint. Bene ſanè quòd obſequuntur. Rhad. exponite ergo vos, quæ vobis teſtibus commiſerit hic Megapenthes. Tu Lecte dic prior. Lectvs. Vera planè ſunt omnia de quibus à Cyniſco accuſatur: me tamen ô here Rhadamanthe hæc dicere ſanè pudet: eiuſmodi ſunt,quę ſupra me patrauit. Rhad. Itaque eum teſtimonio tuo apertiſsimè damnas, cùm eius facinora ne dicere quidem ſuſtineas. Et tu iam Lucerna,da teſtimonium. Lvcerna. Equidẽ quæ interdiu ſint facta,neſcio: neque enim aderam. Verùm quæ noctu vel in alios fecit, vel ipſe eſt paſſus,horreo dicere. Cæterùm nephanda multa,& quóuis iniuriæ genere ſuperiora ſæpenumero ſpectaui,adeò vt & ipſa quidẽ aliquoties extingui geſtiens,oleum vltro non adbiberim. At ille quò mihi lucem modis omnibus conſpurcaret,etiam abominandis facinoribus me inuitam adhibuit. Rhad. Satis eſt teſtimoniorum. Sed purpuram hanc exue, vt & notarum numerum conſpiciamus. Papæ! hic totus eſt liuidus & inſignis,imò præcatricum crebritate cœruleus. Nunc autem quo tormenti genere eſt puniẽdus? in Phlegethontém ne iniiciendus,an tradendus Cerbero? Cyn. Minimè, ſed (ſi tibi eſt cordi) nouum quoddam ſupplicium, & hoc planè dignum,indicabo. Rhad. Dic modò:nam ego tibi vel hoc nomine magnam habebo gratiam. Cyn. Mos eſt (ni fallor) vt qui moriuntur, ex obliuionis fonte bibant. Rhad. Eſt quidẽ. Sed quid tum? Cyn. Hic ergo ſolus à potu arceatur. Rhad. At qua gratia? Cyn. Hac via grauiores ſanè & moleſtas dabit pœnas:videlicet cum recordabitur & qui fuerit,quantáque apud ſuperos potentia præualuerit: in primis autem vbi delicias illas ſuas in animo recolere cœperit.

Rhad. Probè dicis. Itaque ad eum modum damnatus eſto,& ad Tantalum vinculis alligator,ſempérque in animis verſato,quæ (dum vixit) peregit iucundé.

DE IIS QVI MERCEDE CONDVCTI IN DIVITVM FAMILIIS VIVVNT,

ERAS. ROTEROD. INTERPR.

ARGVMENTVM.

Aulicæ vitæ moleſtias & incommoda, oratione hac depingit Lucianus, quámque indigna ea ſit homine,præſertim docto, & liberaliter inſtituto, exponit:confutatis etiam cauſsis ijs,quibus ſeſe tuentur,qui hoc vitæ genus ſectantur,& in ſeruitutem vltrò ſeſe præcipitant. Exordium ab attentione incipit,amplificando rei magnitudinem, fidémq; faciendo dictis,ab eorum perſona qui in eadem vita aliquãdiu vixerũt. Mox & beneuolẽtiã captat Timoclis, eius ad quẽ ſcribit, ab officio amicitiæ, indicans ſe hæc propterea illi ſcribere, vt quia illũ iam olim de hac vita ſuſcipienda conſilia agitare intellexerit,ne quid olim,ſi res malè cadat,& illũ conſilij ſui pœnitere incipiat, accuſare ſeſe poſsit, vt à quo admonitus aut reuocatus nõ fuerit, præſertim quando ſciat,hanc vitam non modò per ſe difficilem,atque periculoſam eſſe,verùm etiam homini philoſopho,aut quocunque denique diſciplinarum genere docto, minimè conuenire. Exordio in hunc modum peracto,confutationem ſtatim ſubiungit earũ cauſarum quibus ſeſe tueri ſolent, qui hoc vitæ genus vltrò amplectuntur. Diluit autẽ omnes eas per inuerſionem, oſtendens ea maximè vel ſequi, vel negari,quæ illi cùm primis euitare, vel conſequi ſtudent: ac poſtremò etiam turpe eſſe homini docto & ingenuo,ob ſolam ſpem voluptatis alicuius, in voluntariam ſeruitutem ſeſe dare. Atque hinc iam ad ipſam rem accedit,propoſitis per diuiſionem ijs de quibus dicturus ſit. Principiò igitur recenſet quanta incommoda, quantæque moleſtiæ perferendæ ſint antequàm in aulam recipiaris:deinde quæ,& quanta toleranda,atque adeò deuoranda, vbi iam receptus fueris, circa prima conuiua, circa pactionẽ mercedis,circa ſeruitutem reliquã, quæ mox exceptũ atq; perdomitũ, paulatim in contemptum adducit,& ad adulandum impellit. Præterea & metu periculiſque inuoluit,ob quæ variæ exinde querelæ, & vitæ mutatæ pœnitentia ſequuntur. Atque hæc omnia non domi ſolùm perferenda eſſe indicat, verùm etiam foris, vbi interim multò ſordidiora miniſteria imponuntur, etiam à mulieribus, quibus æquè ac viris adulandum eſt. hæc & circa munerum compenſationes,quo pacto nuncij ac diſpenſatores conciliandi: & circa mercedis ſolutionem,quanta cum moleſtia exigenda illa,quantáq; aliorum etiam inuidia accipienda ſit:

& poſtre

& poſtremò, quàm ignominioſi exitus pleroſque maneant ſenes iam, & exhauſtos, cùm clàm, aut turpiter ab aula profugiunt, aut reiciuntur. Quæ omnia ad finem, velut in tabella quadam propoſita breui, ſed eleganti admodum imagine depingit, & ob oculos ponit, amplificatis etiam in media paſſim oratione ijs quæ maximè vrgere aut commendare voluit.

Cquid tibi primum, amice, aut quid poſtremum, quemadmodum vulgò dici cõſueuit, recenſeam, ex his quæ tũ facere, tum pati cogũtur, qui mercedis gratia ſeſe in alienas domos, conuictúmq; tradunt alienum, quíque in locupletum iſtorũ amicitiam accenſentur, ſi modò eiuſmodi illorũ ſeruitutem conuenit amicitiam appellare? Noui enim permulta, atque adeò pleraque omnia, quæ illis ibi ſoleant accidere, non per Iouem quòd ipſe ea experimento cognorim (neque enim mihi vnquam experiundi incidit neceſsitas, ac nequando incidat, Dii prohibeant) ſed quòd complures qui in hoc vitæ genus inciderãt, apud me ſoliti ſint commemorare: partim qui in ipſis etiamdum malis conſtituti, quæ, & quanta ferrent, deplorabant: partim qui tanquam è carcere quodam profugi, non abſque voluptate recordabantur, commemorabántque ea quæ fuerãt perpeſsi: imò iuuabat reuocare ob oculos, quas ærumnas effugiſſent. Atque hi quidem digniores mihi viſi ſunt, quibus fides haberetur: vt qui eius ſacri ritus (vt ita dixerim) omneis, omniáq; myſteria perdidiciſſent, cunctáque ab initio ad finẽ vſque perſpexiſſent. Hos igitur haudquaquã indiligenter, nec oſcitãter audire ſoleo, veluti naufragium quoddam, ac præter ſpem obiectam ſalutem enarrantes: cuiuſmodi ſunt iſti, qui in temeplis deraſo capite, complures ſimul obambulantes, immanes vndas, procellas, ſublatos in cælum fluctus, iactus, malos fractos, gubernacula reuulſa narrant: in primis autem geminos Caſtorem, & Pollucem apparentes (nam hi peculiariter ad hanc tragœdiam pertinent) aut alium deum quempiam repentè (quemadmodum in fabulis fieri conuenit) exortum, ſummíſque antennis inſidentem, aut iuxta clauum adſiſtentem, qui nauim ad litus aliquod molle dirigeret: ad quod appellens, futurũ eſſet, vt & ipſa paulatim ac lentè ſolueretur, & ipſi tutò in ſolum deſcenderent, ídque ope fauoréque diuino. Atq; iſti igitur per multa id genus ad præſentem cõmoditatem exaggerantes cõmemorant: quò videlicet à pluribus ſtipẽ accipiant, ſi non calamitoſi modò, verùm etiam diis chari eſſe videantur. Porrò ii, dũ eas quas in tectis tulerunt tempeſtates referrẽt, atq; immanes illas vndas, quinetiã decumanos fluctus, ſi fas eſt dicere, & quemadmodũ primum à litore ſoluerint mari tranquillo, quantúmque moleſtiarum perpetua nauigatione ſint perpeſsi, dum ſitiunt, dum nauſeant, dum ſalo perfundantur: denique quemadmodum infelici nauigio in cautem quampiam ſub vndis latentẽ, aut in ſcopulum aliquem præruptum, & aſperum, illiſo, fractóq; miſeri ægrè enatarint, nudi, cunctarúmque rerum inopes: hæc, inquam, quum referrent, mihi quidem viſi ſunt permulta præ pudore ſubticere, volentéſque ac ſcientes obliuiſci. At ego etiam illa, præterea autem & alia nonnulla ex illorũ narrationibus coniectans, deprehendi quic quid ærumnarũ cum eiuſmodi conuictibus coniunctum eſt. Quæ quidẽ omnia haud grauabor, optime Timocles, tibi percenſere. Iampridem enim mihi videor animaduertiſſe, te de capeſſenda hac vitæ ratione cogitare. Nam olim quum his de rebus ſermo incidiſſet: mox ex his qui præſentes erant, quiſpiam mercenarium hoc vitæ genus laudare cœpit: fortunatiſsimos eos affirmans, quibus contigiſſet horum vti familiaritate, qui apud Romanos eſſent optimates: tum conuiuiis adeſſe opiparis, ídque immunes: præterea ſplendidis in ædibus diuerſari: tum peregrinari omnigena cum commoditate, voluptatéq;, alba interim in rheda (ſi fortè libeat) reſupinatos. Inſuper ob hanc amicitiam, óbque commoditates quibus afficiuntur, etiam mercedem capere: id verò non mediocre videri. Iſtis enim haud dubiè citra ſementem, ac culturam (quod aiunt) cuncta prouenire. Hæc igitur, atque id genus alia quum audires, animaduerti quemadmodum ad ea inhiaueris, quámq; auidè ad eſcam os apertum porrexeris. Próinde ne quid mihi certè in poſterum poſsis imputare, neque expoſtulare queas, quòd quum te conſpiceremus tantùm vnà cum eſca deglutiẽtem hamũ, non reuocaremus, neque priùs, quàm in guttur demergeretur, reuulſerimus, neque præmonuerimus, verùm poſteaquàm ceſſaſſemus, donec eo iam adacto, atque infixo, trahi iam, ac vi duci conſpiceremus: tum quum nihil opis afferri poſsit, fruſtrà adeſſe nos, atque illacrymari: hæc inquam, nequando poſsis dicere: (quæ ſi dicantur, meritò profectò dicantur, neque à nobis refelli poſſent, quò minùs peccaſſe videremur, vt qui priùs iſta non indicaſſemus.) Audi nunc ordine omnia, ac rete quidẽ ipſum cuiuſmodi ſit, quámq; nullum habeat exitum: non intus mediis in ſinibus inuolutus, ſed foris tutò, atq; per otium antè contemplator, vnci æris aculeum, reflexam hamiaciem, ac tridentis cuſpides manu tentans, malæq; admotas experiens. Quòd niſi vehementer acuta, niſi ſic illigantia, vt effugiendi nulla ſit facultas, niſi dira vulnera factura videantur, acriter trahentia, & inexplicabiliter retinentia: nos quidem inter formidoloſos, atq; ob id etiã pauperes, famelicóſq; adſcribito: ipſe verò ſumpta fiducia, venatum iſtum, ſi videtur, aggreditor, Lari in morem, totam eſcam hiatu deglutiens. Atque in vniuerſum quidem forſitan tua cauſa omnis hic ſermo dicetur: quanquam non ſolùm de vobis philoſophis, aut his quicunque vitę inſtitutum ſibi delegerunt cum virtutis ſtudio coniunctiùs, verumetiã de grammaticis, rhetoricis, muſicis, breuiter de omnibus qui in doctrinæ profeſsione verſari, quæſtúmq; facere propoſuerunt. Cæterùm quũ omnia ſint inter iſtos cõmunia, eadémq; prorſus accidãt omnibus, palàm eſt

philoſoph

philoſophorum conditionem non eſſe à reliquis eximiam,imò hoc illis turpiùs iſta contingere, quum ſint cum aliis communia, ſi ii qui conducunt,non aliis præmiis eos quàm reliquos dignos iudicent,nihilóque magis quàm cæteros in honore habeant. Sed quicquid erit,quod narrationis ſeries aperiet,eius culpam potiſsimùm in ipſos conferre par eſt,qui eiuſmodi faciunt: déinde in eos qui talia ſuſtinent. Ego verò culpari non debeo,niſi fortè veritas & libertas in cõmemorando reprehenſionem mereatur. Ac reliquum quidem hominũ vulgus, puta palæſtricos quoſpiam,aut adulatores imperitos,ſordidóque animo,ac ſuopte ingenio humiles & abiectos homines, ne operæpretium quidem fuerit ab eiuſmodi conuictu dehortari,quippe nequaquã obtemperaturos: neq; rurſum æquum ſit illis vitio vertere:quòd non relinquant ſuos conductores, etiam plurimis ab illis contumeliis affecti : ſunt enim ad eam vitę rationem accõmodati,factíq;, neque ea videlicet indigni. Prętereà ne habeant quidem aliud quippiam ad quod ſeſe conuertant,& in quo ſeſe exerceãt,adeò vt ſi quis eã vitam illis adimat,ignaui illico,conſiliíq; inopes, deſidioſi,atque inutiles reddantur. Quamobrem nec ipſi rem aliquam indignam patiantur, nec illi contumelioſè facere videantur,ſi(quod aiunt) in matellam imminxerint. Etenim ad eas ipſas contumelias iam inde initiò præparati, conferunt ſeſe in familiam, atq; hæc ſola illis ars ſuppetit,ferre,& perpeti quicquid acciderit. Cæterùm eruditorum nomine,de quibus inſtituèram loqui,meritò indignandũ,enitendúmq; vt quàm maximè fieri poteſt,eos inde reuocatos,in libertatem vindicemus. Videor autem rectè facturus, ſi quibus de cauſsis ſe quidam ad hoc vitę genus conferunt,eas cauſſas excuſſero, parúmque idoneas,atque efficaces eſſe demonſtrauero. Siquidem eo pacto omnis illis præripietur excuſatio, ſummúſq; ille titulus,quo ſuam ſpontaneam ſeruitutem ſolent obtexere. Iam igitur pleriq; paupertatem, & rerum neceſſariarum inopiã proponũt,atq; eam vmbram ſatis idoneam exiſtimãt, qua ſuum factum prætexant, quòd vltro ad eam vitam acceſſerint,ac ſibi ſufficere credunt,quum aiunt ſe quiddam ignoſcendum facere, qui id quod eſt in vita moleſtiſsimum, nempe paupertatem,ſtudeant effugere. Poſteà in prõptu Theognis,atque illud plurimum in ore:

Nam quemcunque virum paupertas enecat,
Ille dicere nil (ceu cui lingua ligata)poteſt.

& ſi qua alia terricula abiectiſsimi quiq; poetæ de paupertate prodiderunt. Equidem ſi viderem ex huiuſmodi conuictu paupertatis effugiũ aliquod verè contingere, non admodũ anxiè cum eis de vehementer amplectenda libertate diſceptarem. At poſteaquàm eiuſmodi quædam accipiunt, cuiuſmodi ſunt ægrotantium alimenta (quemadmodum egregius ille dixit orator) quî queant effugere quò minùs in hoc ipſum parum rectè ſibi conſuluiſſe videantur, nimirum ſemper illis manente eodem vitæ illius argumento? Semper enim manet paupertas,ſemper accipiendi neceſsitas:nihil quod ſeponatur, nihil ſupereſt,quod reſeruetur: verùm quicquid datum fuerit,vt detur,vt vniuerſum etiam capiatur, prorſus omne inſumitur,ita tamen, vt ne id quidem in vſus ſufficiat. Rectiùs autem futurum fuerat, ſi nequaquaquam cauſſas eiuſmodi comminiſcerentur,quæ paupertatem ſeruant,alúntque, atq; eatenus dúntaxat opitulantur, verùm quæ illam tandem alíquando tollant. Ac forſitan tibi hoc volebas Theogni,quum diceres eam in altũ mare, ac præruptis de ſcopulis præcipitem dari oportere. Quòd ſi quis ſemper pauper, ſemper egẽs,cùm ſemper mercede cõductus mereat, hoc ipſo ſeſe arbitretur aufugiſſe paupertatem:nõ video quî fieri poſsit quò minùs hic ipſe ſeſe fallere videatur. Rurſum alii negant ſeſe paupertatẽ formidaturos,ſi modò reliquorum hominum in morem poſsint ſuo labore,ſuáq; induſtria ſibi victum ſuppeditare: at nunc ſibi fractas eſſe corporis vires, ſeu ſenio,ſeu morbis:eóq; ad eam vitã mercenariam facilem videlicet, atq; commodã confugere. Age igitur,inſpiciamus nũ vera prædicent,& num ea quæ dantur, ex facili illis ſuppetant,ac non multò, neque adeò maiore labore conſtent,quàm vulgò ſuus victus. Nam id quidem etiam votis expetendum, vti citra laborẽ, citra ſudorem, nullo negotio paratum argentum accipias. Verùm quàm hæc abſint à vero, iſtud profectò vt dignum eſt, ne dici quidem ſatis poteſt:tantum laborum, tantum ſudorum in eiuſmodi conuictibus exhauriendum, vt hic ne valetudo quidem ad id par ſit, quippe quũ quotidie ſexcenta non deſint negotia quæ corpus conficiant,ádque extremam vſq; defectionẽ delaſſent. Verùm hæc ſuo loco dicemus,quum etiã reliquas illorum incommoditates commemorabimus. In præſentia ſat erit oſtendere, qui ſe aiunt hac de cauſſa in ſeruitutem addicere ſeſe, ne iſtos quidem vera dicere. Supereſt iam vt eam cauſſam referamus: quæ quidem vt eſt veriſsima,ita ab illis minimè profertur : nempe ipſos voluptatis gratia, & amplis illis ſpebus incitatos,vltro inuadere familias diuitum, auri, argentíque vim & copiam admiratos : prætereà quòd felices ſibi videantur ob conuiuia, & reliquas eius vitæ delicias : ſperantes futurum vtî mox nemine vetante áffatim aurum bibant. Hęc nimirum ſunt quæ illos adducunt,atq; ex liberis ſeruos conſtituunt,non rerum neceſſariarum vſus,quem prætexebant: ſed rerum non neceſſariarũ cupiditas, atq; ingẽtium illarum,& amplarum opum admiratio. Enimuero quemadmodũ miſeros iſtos, atque infelices amantes, callidi quidam & veteratores amaſii receptant,& faſtidienter ducunt,lactántque videlicet,quò iugiter amantes ambiant ipſos, atque inſeruiant : cæterùm ex amoris fructu ne ſummo quidem oſculo impertiunt! Intelligunt enim copia facta diſſoluendum amorem:id igitur ne fiat, præcauẽt, diligentérque ſui copiam ſubtrahunt. Alioquî ſpe ſemper retinent amantem,metuentes ne deſperatio minuat cupiditatis ardorem,amantémque ab ſe alienet. Próinde ſemper arrident,pollicentúrq;, ſemper facturi ſunt,ſempérque gratificaturi:ſempérque ingentium ſumptuum ratio-

nem

nem habituri: donec imprudentes ambo senuerint, atque vtrique iam præterierit ætas, huic ad amandum, illi ad dandum: atque ita omni vita nihil illis peractum est vltra spem meram. Atqui voluptatis cupiditate nihil non ferre, id quidem forsitan non vsqueadeo vitio vertendum: quin magis venia danda, si quis voluptate capiatur, & hanc vndequaque consectetur, quò possit ea potiri: quanquam turpe forsan ac seruile, si quis ea gratia semet in ius tradat alienum: propterea quòd voluptas quæ ex libertate percipitur, multò suauior est, quàm ea quam ille libertatis iactu fa sectatur. Attamen hoc quoque aliquo pacto ignoscendum illis sit, si modò consequantur. Ve rumenimuerò ob solam voluptatis spem multas perferre molestias, equidem & deridiculum arbitror, & stultum: maximè quum videant labores certos esse, manifestos, & ineuitabiles: porrò illud quod speratur, quod quidem nihil aliud tandem est quàm voluptas, ne tam longo quidē tempore contigisse, præterea autem nec verisimile videri vt contingat aliquando, si quis modò rem recta reputet via. At Vlysis quidem socii, dulci quadam gustata loto, reliqua negligebant, ac præsenti voluptate deliniti, honesta contemnebant, vt non prorsus cum ratione pugnarit in illis honestatis obliuio: nimirū animo voluptatis illius sensu occupato. Verùm si quis famelicus alii cuipiam loto sese ingurgitanti, neq; quicquam inde impertienti, assistat, idque solam ob spem, quòd credat fore vt & ipsi aliquando degustandam lotum porrigat: assistat inquā ad hunc modum, recti atque honesti oblitus, Dii boni quàm hoc ridiculum, planéque verberibus quibusdam Homericis dignum! Ergo quæ istos ad diuitum conuictum adducunt, & quibus impulsi sese illis dedunt, ad quodcunque lubitum fuerit vtendos, hæc sunt, aut his fermè simillima. Nisi si quis & illos commemorandos esse iudicat, quos hæc vna res ad id cōmouet, quòd glorioſum arbitrantur cum illustribus atque opulentis viris habere consuetudinem. Sunt enim qui hoc quoq; præclarum ac magnificum, supráque plebem esse existiment. Nam ego quidem, quod ad me propriè attinet, recusarim vel cum Persarum rege conuiuere duntaxat, conuictórque videri, si nullus ex eo conuictu fructus ad me redeat. Quum itaque causſa eius vitæ susciplendæ sic illis habeat, age iam consideremus apud nosmetipsos, primùm cuiusmodi sint illis perferenda priusquàm admittantur, priusquàm obtineāt: deinde cuiusmodi in ipsa iam vita constituti patiantur: postremò quæ tandem catastrophe, quis fabulæ exitus illis contingat. Neq; enim illud dicere possunt, hæc tametsi molesta sint, tamen assuescī facilè, neque ad id multo opus esse labore: sat esse si velis modò: posteà reliqua omnia factu fore facilia. Imò necesse est vt primùm diu sursum ac deorsum cursites: manè excitatus assiduè pro foribus obuerseris: vt perdures quum protruderis, quum excluderis, quum improbus interdū atque importunus videris, cùm ianitori malè Syrissanti, ac nomenclatori Libyco subiiceris, quúmque nominis tui memoriam mercede redimere cogeris. Quin etiam vestitus tibi est apparandus supra tuæ rei facultatem, pro dignitate eius cuius conuictum ambis: deligendus color quo ille potissimùm gaudeat, vti ne discrepes, néve oculos illius offendas. Postremò vti gnauiter assectere necesse est, vel antecedas potiùs, à famulis protrusus, ac veluti pompam quandam expleas: at ille interim cōplures iam dies ne aspicit quidem te. Quòd si quādo res tibi felicissimè verterit, si te respexerit, si accersiuerit, dixeritq;, quicquid illud fuerit, quod illi fortè in buccam venerit: tum denique, tum plurimus sudor, tum multa oculorum caligo, tum intempestiua trepidatio, tum sannæ eorum qui adsunt, hæsitantiam tuam, ac perplexitatem ridentium. Qua quidem nō rarò accidit, vt quum oportuerit respondere quis fuerit rex Achiuorum, mille naues illis fuisse respondeas. Atque id, si qui sunt modesti, pudorem vocant: immodesti timiditatem nominant: improbi insciciam. Ita fit, vt tu primam hanc diuitis comitatem, tibi periculosissimam expertus, ita discedas, vt tantam animi tui imbecillitatem ipse condemnes. Porrò vbi multas iam noctes insomnes duxeris, vbi plurimos dies cruentos egeris, haud quidem Helenæ gratia, per Iouem, neque ob Priameia Pergama, verùm spe quinq; obolorum, contigerit autem & Deus quispiam tragicus qui tibi sit auxilio: iam illud restat, vt exploreris, excutiarísque num literas noris. Atque ea quidem disceptatio non iniucunda est ipsi diuiti, quippe qui laudatur interim, ac felix esse prædicatur. Cæterùm tibi videtur de vita ipsa, déque omni fortuna tum certamen esse paratum: propterea quòd tibi venit in mentem, idque meritò, fururum vt alius nemo sit admissurus, si priùs ab hoc reiectus ac repudiatus videare. Interim in varias curas distraharis oportet, dū inuides iis qui pariter ex æquo tecum examinantur. Finge enim & alios esse qui eiusdē fortunæ tibi sint cōpetitores: te verò tibi videri cuncta parum absolutè respondisse, metuentem interim simul, & sperantem, ac miserè de illius vultu pendentem, qui si quid parum probet eorū quæ dixeris, peristi. Sin arridens auscultat, hilarescis, & spe bona fultus consistis. Porrò consentaneū est, esse non paucos qui tibi aduersentur, atque alios in tuum locum velint inducere. Horū vnusquisque clanculum velut ex insidiis in te iaculatur. Iam verò illud considera, quale sit, virū promissa barba, cana coma, examinari num quid bonæ rei didicerit, & aliis quidem didicisse videri, aliis secus. Superior interim vita, & omnis anteacta ætas tua curiosiùs disquiritur. Quòd si quis aut ciuis inuidia, aut vicinus leui quapiā de causa prouocatus te deferat, & adulterum dicat, vel pæderastēn: is protinus iuxta vetus illud prouerbium, ex Iouis tabulis testis. Porrò si pariter omnes bene de te prædicent: suspecti, leues, ac largitione redempti videbuntur. Nam admodum omnia tibi constent oportet: nihil prorsus sit, quod tibi queat obsistere: alioqui nunquam obtineris. Age sanè, hoc quoque contigit, ac bona quapiam fortuna cuncta tibi feliciter cesserunt, & probauit ipse doctrinam tuam: & amicorum

præc

præcipui,quibúſque ille huiuſmodi in rebus plurimam habet fidẽ,non dehortantur.Ad hæc vult etiam vxor.Non refragatur domus præfectus, neq; item diſpenſator. Nemo tuam inſimulauit vitam,dextra omnia,& omni ex parte bene promittunt ſacra. Viciſti igitur,ô fortunate, & coronatus es Olympia. Quin Babylonẽ magis cepiſti,aut Sardiûm arcem occupaſti.Habebis copiç cornu:& gallinaceũ lac emulgebis. Iam ſanè par eſt, vt aliquando præmia capias,maxima videlicet,& quæ laboribus tantis reſpondeant, ne corona tua frondea duntaxat ſit, ſimul vt merces haudquaquam contemnenda præſtituatur, eáq; commodè ad vſum citráque negocium perſoluatur,vtque reliquus item honos tibi præter minitrorum vulgus ſuppeditetur.Cæterùm à laboribus illis,à luto, à curſitationibus, à vigiliis, in ocium te recipias,vt id quod vulgò ſolent optare mortales,porrectis pedibus dormias,nihílque iam facias, præter ea ſola quorum gratia primũ receptus es,& in quæ conductus.ita enim cõſentaneum fuerat Timocles,neq; ingens malũ erat futurum,ſi quis ſubdita ceruice ferat iugum, leue nimirum,& portatu facile, quódq; eſt omniũ maximum,auro illitum. Atqui longè ſecus res habet,imò nihil horum reperietur.Siquidem in mediis ipſis id genus conuictibus ſexcentæ res accidunt viro ingenuo neutiquam tolerandæ. Quæ quum audieris, ipſe tecum ordine reputato,num quiſquam ea perpeti queat, cui quidem cum eruditione,vel minimum cõmercii fuerit? Exordiar autẽ,ſi videtur,à primo conuiuiovnde conſentaneum eſt te conſuetudinem illam auſpicaturum.Primùm igitur adeſt tibi quiſpiam qui te iubeat ad conuiuium accedere, famulus non incomis:qui tibi priùs placandus,datis in manũ (ne videaris inciuilis) vt minimũ quinque drachmis. At ille Acciſſans:ſéq; quum maximè cupiat,cupere diſsimulans: Apage, inquit: Egóne quicquã abs te?Addit & illa,abſit,dii prohibeãt. Tandem flectitur atq; obtemperat, ac diſcedit, te latè diducto rictu ſubſannans. Tu porrò nitida ſumpta veſte,mundiſsiméq; cultus,lotus accedis,ſolicitus interim ne prior aliis aduenias: nã inurbanum quemadmodum poſtremum venire, graue.Proinde media inter vtrũq; obſeruata opportunitate ingrederis:téq; ſanè quàm honorifi cè excipiũt. Tum arrepta manu te quiſpiam iubet accumbere,paulò ſupra diuitem, inter duos fermè veteres amicos.At tu perinde atq; in Iouis ædes veneris, nihil non admiraris, & ad omnia quæ geruntur,ſuſpenſus inhias, propterea quòd noua tibi,atque inuiſa ſint cuncta. Interim familia te ſpectat,omnéſque qui præſentes ſunt, quid agas obſeruant.Neque verò ea res curæ nõ eſt ipſi diuiti,quippe qui famulis aliquot præmonitis negocium dederit,vt oculis obſeruẽt, quẽadmodum te geras in pueros, aut in vxorem, nũ ſubinde ex obliquo reſpectes.At reliqui quidem conuiuæ,ſimul atq; te vident propter imperitiã ad ea quæ fiunt,attonitum,ac ſtupefactum, deridentelanculum,cõiectantes te nunquam antea apud alium quẽpiam cœnaſſe,nouúmq; tibi eſſe vt mantile apponatur. Proinde(ſicuti veriſimile eſt)præ hæſitãtia ſudes oportet,ac neq; cũ ſitias, audeas potũ poſcere,ne vinoſus videare: neq; variis appoſitis obſoniis, & in ordinem quendam extructis,ſcire poſſes cui prius,aut poſterius manum admoueas. Quare ad eũ,qui proximus accumbit,reſpectes neceſſe eſt, atq; eũdẽ imitatus, conuiuii rationẽ,& ordinẽ diſcas. Alioqui anceps ſedes,& varians,animóq; penitus perturbato,& ad omnia quæ illic gerũtur, obſtupeſcens. Atq; interim quidem diuitis admiraris felicitatem,propter auri vim,& eboris,tãtáſq; delicias. Interim tuam ipſe deploras infelicitatem, qui quum nullius ſis rei,tamen viuere te credas.Nõnunquam & illud in mentẽ venit,fore vt admirãdam,& expetendam quandam viuas vitam, quippe qui ſis omnibus deliciis illis fruiturus, cũctorúmq; ex æquo futurus particeps. Arbitraris enim te ſemper bacchanalia feſta celebraturum? Quin & adoleſcentuli formoſi præminiſtrantes, ac ſilentio arridentes,ſuauius in poſterũ hoc vitæ genus pollicentur:vt Homericum illud nunquam deſinas in ore habere:

Haud vitio verti debet ſi Troia pubes,
Armatíque ſimul Danai ſub Marte laborum

Pondera tanta ferant: ob tantam videlicet felicitatẽ.Accedũt ad hæc inuitatiunculæ ad bibendum: ac poſtulato per quàm ingenti ſcypho quiſpiã præbibit tibi,Præceptorẽ,aut aliud quidam deniq; te appellans. At tu recepto ſcypho quid viciſsim oporteat reſpondere,propter eiuſmodi morum imperitiã ignoras,iámq; ruſticanus & inelegans eſſe videris.Cæterùm ea propinatio multorum veterum amicorum, inuidiam in te concitauit:è quibus nonnullos iamdudum tuus accubitus clanculum vrebat,quòd modò cũ adueneris,iis anteponare, qui multorũ annorũ ſeruitutem exhauſerint. Protinus itaq; talia quædam de te inter illos dicta feruntur:illud ſcilicet malis noſtris deerat,vt etiam iis qui nuper in familiam cõmigrarũt,poſthabeamur.&,Solis Græculis patet vrbs Romana.&,Quid habent quam ob rem nobis debeant anteponi? Num mirificã quandam vtilitatem adferre videntur,quũ verbula quædam miſera dicũt?Rurſus alius hæc:An non vidiſti quantum biberit? quẽadmodum cibos appoſitos auidè corripiens deuorarit?Homo inelegans,ac fame enectus,qui ne per ſomnium quidem vnquam fuerit albo pane ſaturatus, multo minus alite Numidica,aut Phaſiano,è quibus nobis vix oſſa reliqua fecit.Porrò tertius,Fatui inquit,priuſquã quinq; habeant dies, videbitis hunc nihilo pluris fieri quàm nos.Nam nũc quidem(non ſecus atque calcei noui ſolent)in precio eſt,& habetur charus: verùm vbi crebrò iam fuerit calcatus,lutóque deformatus, tum miſerè ſub lecticam abiicietur,cimicibus, quemadmodum nos,oppletus. Atq; inter illos talia permulta de te iactantur,ex quibus aliquot iam tũ etiã ad calumniandum,inſimulandúmque te incitantur. Omne igitur illud conuiuium tui plenum, ac plerique de te ſermones. Tu verò propter inſolentiam atque inſuetudinem plus quàm ſat eſt hauris vini tenuis,& acris,eóque iamdudum aluo tibi cita diſeruciaris:verùm neque decorum

Inſolentia cõuiuiorũ.

Calcei noui.

tibi ante alios è conuiuio diſcedere, neq; rurſum manere tutum. At producta interim in longum potatione, dum ſermo alius ex alio naſcitur, dũ ſpectacula alia poſt alia proferuntur in conuiuiũ (nam vniuerſum fortunæ ſuæ ſtrepitum tibi cupit oſtentare) non mediocriter diſcruciaris, cui non liceat neq; videre quæ gerũtur, neq; auſcultare ſi quis voce, citharáue canat egregiè dilectus adoleſcentulus. At laudas tamen inuitus: cæterùm animo illud optas, vt aut terræmotus repẽs ortus ea cuncta diſcutiat, aut incendium aliquod renuntietur, quo ſimul conuiuium tandẽ aliquã do dirimatur. Habes amice primum illud ſcilicet & ſuauiſsimum conuiuium, quod mihi quidem haudquaquam ſuauius ſit cepis, candidóq; ſale, liberè quum velim ex his, & quantum velim edẽti. Verùm vt ne tibi cõmemorem ructus acidos, qui deinde ſequuntur, vt ne noctурnos vomitus, manè vobis erit de mercede pacto tranſigendũ, quantum, & qua anni parte te oporteat accipere.

Pactio mercedis.

Ergo præſentibus duobus, aut tribus amicis, accerſito te, & conſidere iuſſo, ſic loqui incipit. Facultates noſtræ cuiuſmodi ſint, iam perſpicere potuiſti, quàm nullus in his faſtus, ſed citra oſtẽtationem moderata, ac popularia omnia, ſed mediocria omnia, ac plebeia. Sic autẽ animum inducas velim, vt exiſtimes omnia nobis fore cõmunia. Nam ridiculum profectò, ſi quum chariſſimam poſſeſsionum mearum partem, puta meã ipſius vitam, aut per Iouem liberorum etiam (ſi fors illi liberi fuerint erudiendi) tibi credã, non aliarum item rerum te mecum ex æquo dominũ ac poſſeſſorem exiſtimem. Cæterùm quando certi quippiam eſt præfiniendum, equidẽ video vitæ tuæ frugalitatem, & animum paucis contentum. Neq; non intelligo haud mercedis adductũ ſpe, te in noſtram veniſſe familiam, verùm aliarum gratia rerum, puta noſtræ in te beneuolẽtiæ cauſa, tum honoris, qui tibi præter omnes continget. Attamen præfiniendum eſt aliquid. Quin ipſe magis quod videbitur ſtatuito, habita ratione, vir amiciſsime, munerum etiam illorũ, quæ quotannis feſtis diebus à nobis acceptурus videris. Neque enim vel iſta nobis fuerint negligendi futura, etiam ſi nunc hæc pactione non complectamur. Scis autem complures per annum eiuſmodi munerum occaſiones incidere. Horum igitur habita ratione, moderatius nimirũ prẽmium nobis præſcribas. Præterea decet etiam vos homines eruditos pecuniã negligere. Hæc ille dicens, totúmq; te varia ſpe labefactans, mitem ſibi, ac tractabilem reddidit. Tu porrò qui dudum talenta, ac multa nummûm millia ſomniaras, ſolidos agros, & familias, ſentis quidẽ tacitus apud te hominis ſordes: ac parſimoniam: nihilominus blanditur tibi pollicitatio tamẽ, atque illud, Cõmunia futura ſunt omnia, ratum & verum fore arbitraris, ignarus eiuſmodi dicta,

Summis è labiis, non imo è corde profecta.

Tandem præ pudore ipſe ſtatuẽdi ius defers. Verùm ille facturum ſeſe negat: cæterùm ex amicis præſentibus quempiam in eo negocio veluti medium intercedere iubet, qui ſalarii modum pronunciet, eum, qui neque ipſum grauet, vt cui plurimas tum alias in res magis his neceſſarias ſumptus ſit faciendus: neque rurſus ei, qui laturus eſt, ſit omnino indignus. Atque hic ſeniculus quiſpiam diuitis æqualis, vnà cum illo à pueris adulando educatus. Eho tu, inquit, num inficias ire potes, quin vnus ſis, qui in hac vrbe viuunt omnium fortunatiſsimus, cui primùm contigerit, quod pluribus miſerè cupientibus vix à fortuna dari poſsit, nempe vt in huius hominis conſuetudinem admittaris? vt communes penates habeas? vt in familiam inter Romanos primariam recipiaris? Id nimirum tum Crœſi talenta, tum Midæ diuitias ſuperat, ſi modò modeſtus eſſe noris. Equidem non paucos noui, magni nominis viros, qui cupiiſſent, etiam ſi quid vltro dãdum fuiſſet, gloriæ duntaxat cauſſa cum iſto viuere, & familiares apud hũc atque amici videri. Quapropter haud inuenio quibus modis tuam prædicem felicitatem, qui quidem ad hanc tam expetendam fortunam etiam præmio addito admitteris. Proinde mihi ſatis eſſe videtur (niſi planè es inſolens) ſi tantum accipias, ſimúlque pronunciat ſanè minimum quiddam, præſertim ad ſpes illas tuas, attamen boni conſulas neceſſe eſt. Neque enim iam poſsis effugere, quum intra retia tenearis. Frenum igitur recipis, muſsitans, ac diſsimulans, ac initiò quidem non magnopere illi reluctans: faciléque ſequeris, vt quod non admodum te torqueat, neque ſtringat, donec illi tãdem paulatim aſſerueris. Tum verò ii, qui foris ſunt mortales, hoc ipſo nomine tuam fortunam admirantur, quòd te conſpiciant intra cancellos verſantem: ac nullo prohibente introeuntẽ prorſus præclaris illis opibus, deliciiſque domeſticũ quendam ac familiarem eſſe factum. At ipſe nõdum videre potes, quam ob rem illi te felicem exiſtiment, niſi quòd gaudes tamẽ, téque ipſe fallis, ſemper futura meliora fore exiſtimans. Cæterùm contrà atque ſperaris euenit, & quemadmodum adagio dicitur, iuxta Mandrabuli morem negocium procedit, in ſingulos (vt ita dixerim) dies deteriùs, ac retro relabens. Vnde paulatim velut in luce dubia, tum demum diſpiciens intelligere incipis, aureas illas ſpes nihil aliud fuiſſe, quàm ampullas quaſdam inauratas, labores autẽ eſſe graues, feros, ineuitabiles, ac perpetuos. Sed quínam iſti ſint? forſitan me rogabis. Neq; enim video, inquies, quid in hac cõſuetudine ſit adeò moleſtum, neque intelligo iſta, quæ commemoras grauia atq; intoleranda. Audi igitur vir egregie, non moleſtiam modò negocii perpendens, verùm fœditatem, humilitatem, prorſúſq; ſeruilitatem, vel præcipuè interim conſiderans. Principiò memineris ex eo tempore te iam neque liberum, neque ingenuum poſſe videri. Noueris enim te hæc omnia, genus, libertatem, progenitores ante limen relinquere, quum in huiuſmodi ſeruitutem temetipſum addicens in ædes ingrederis. Siquidem libertas tibi comes ire recuſarit, ad vitam tam indignam, tam humilem te conferenti. Seruus itaque (tametſi nomine ipſo grauiter offenderis) ſeruus inquam velis nolis, futurus es: neque vnius ſeruus, verùm complurium, operámque ſeruilem præſtare cogẽris obſtipo

Seruitus cõſequens cõditionẽ acceptam.

ſtipo capite, à diluculo in veſperam vſque, ſdq; mercede vili atque indigna. Adde quòd ne placebis quidem admodum, neque domino ſatisfacies, neque ab illo magnifies, vt qui non à puero fueris ad ſeruitiũ inſtitutus, ſed ſerò didiceris, atque ætate multum aliena cœperis ad id erudiri. Excruciat autem te priſtinæ libertatis memoria animo recurſans, facítque vt interdum reſilire conere, reluctérſque, atque ob idipſum ſit, vt ſeruitus tibi moleſtior accidat. Niſi fortè illud tibi ad libertatem ſufficere putas, quòd non fueris Pyrrhia, aut Zopyrione patre prognatus: aut quòd non ſic vti Bithynicum aliquod mancipiũ vociferante præcone diuendaris. Atqui tum, vir egregie, cum inſtante nouilunio Pyrrhiis & Zopyrionibus immixtus, manum itidem vt alii ſeruuli protendis, capíſque quodcunque illud tandem eſt quod datur, hæc videlicet eſt auctio. Nã præcone nihil opus erat homini, qui ipſus ſui fuerit præco, quíque ipſe vltro ſibi multo tempore dominũ ambierit. Age iam ô ſceleſte (cur enim non dicam, præſertim in eum, qui ſe Philoſophum eſſe dicat?) ſi quis te pirata inter nauigandum captum, aut ſi quis prædo in ſeruitutem tradidiſſet, teipſum deplorares, tanquam indignam Fortunæ iniuriam patientem, aut ſi quis manu iniecta te duceret, in ſeruitutem aſſerens, leges inclamares, omnia faceres, acerbè ferres, &, ô terra, ô Dii, magno clamore vociferaris: nunc verò quum ipſe te ob paucos obolos id ætatis in qua etiam ſi ſeruus natus eſſes, tamen tempeſtiuum fuiſſet iam ad libertatem aſpirare, eum ipſa virtute, ac ſapientia vltro addictum vẽ dideris, nihil illa reueritus, quæ per multa ab egregio Platone, Chryſippo, Ariſtotele diſſeruntur, quum libertatem laudant, ſeruitutem damnant. An non te pudet, quum inter homines aſſentatores, & emptitios, ac ſcurras verſans, ex æquo cum illis æſtimaris, quum in tanta Romanorum turba ſolus peregrino in pallio verſaris, quúmq; Romanam linguam perperam, ac barbarè ſonas? præterea quum agitas conuiuia tumultuoſa, magna hominum turba conferta, quorum plerique collectitii, quidam ſunt & improbi atque inter hos laudas odioſè, bibíſque præter modum: deinde manè ad tintinnabulum ex pergefactus, diſcuſſa ab oculis dulciſsima ſomni parte, vnà ſurſum ac deorſum circuncurſas, heſterno luto etiamdum tibiis adhærente? Vſqueadeóne te lupini, aut holerum agreſtium tenuit penuria? Vſqueadeo tibi defuerunt fontes frigida manantes aqua, vt per deſperationem ad iſta deuenires? Haud puto quin potius palàm eſt, te non frigidæ aquæ, neque lupini, ſed bellariorũ atque obſoniorum, vinſque odorati cupiditate captum eòveniſſe: quæ dum Lupi piſcis in morem auidiùs appetis, tuo merito euènit, vt hamus tibi fauces tranſfixerit. Itaque præſtò ſunt huius intemperantiæ gulæque auctoramenta. Ac perinde atque ſimia à trunco reuinctus collo, reliquis quidem omnibus riſui es: at ipſe tibi deliciis affluere videris, cui contigerit affatim expleri carycis. Cæterum libertas, ingenuitas, vnà cũ ipſis gentilibus, ac tribulibus, hæc nimirum euanida cuncta: atque iſtarum rerum ne memoria quidem vlla: quãquam hoc quoque ferendum, ſi vita iſta cum hac turpitudine duntaxat eſſet coniuncta, quòd è libero ſeruum videri facit: non labores etiam accederent, cum illa ſeruorum colluuie communes. Sed vide num quæ tibi imperantur, leuiora ſint his, quæ Dromoni, aut Tibio mandantur. Nam doctrinæ quidem (cuius rei cupiditate ſimularat te in familiam ſuam accerſiſſe ſeſe) perquàm exigua illi cura eſt. Quid enim (vt dici ſolet) commercii aſino cum lyra? An non vides videlicet quàm miſerè macerentur immodico deſiderio vel homericæ ſapiẽtiæ, vel Demoſthenicæ grauitatis, ac vehementiæ, vel Platonicæ ſublimitatis? Quorum meherc le ex animis ſi quis aurum, argentum, atque harum rerum curas tollat, nihil fuerit reliquũ præter faſtum, mollitiem, laſciuiam, luxum, ferocitatem, imperitiam. Atque ad iſta nihil prorſum opus te. Verùm quoniam tibi barba ingens propendet à mento, quoniámque vultu ipſo graue quiddam & venerandum præ te fers, tum quia pallio Græcanico decenter amictus es, norúntque iam omnes te grammaticum eſſe: ſeu rhetorem, ſeu philoſophum: pulchrum ille ſibi putat, vt & eiuſmodi quiſpiam anteambulonum ſuorum pompæ permixtus eſſe videatur. Futurum enim hac re, vt Græcanicarum diſciplinarum ſtudioſus, reliquæque omnis doctrinæ neque negligens, neque rudis eſſe putetur. Vnde fit, vt in periculum vir egregie venias, ne non tam ob admirandas illas artes, quin magis ob barbam palliúmque conductus eſſe videare, proinde vt perpetuus apud illum conſpiciaris oportet, neque abſis vnquam, verùm vt diluculò relictis ſtratis in famulitio temet exhibeas conſpiciendum, neque locum in acie deſeras. Porrò ille iniecta nonnunquam tibi manu, quicquid fortè in mentem inciderit, de hoc tecum nugatur, obuiis oſtentans, quàm ne per viam quidem ingrediens, incurius ſit literarum, quin vt illud ipſum etiam ocium, quod inter inambulandum datur, in re quapiam honeſta collocet. At tu miſer interim, nunc curſim, nunc gradatim, nunc ſcanſim plerumque, nunc deſcenſim (nam ſcis huiuſmodi eſſe vrbem) obambulans, tum ſudas, tum ſpiritum anhelus trahis. Deinde illo intus cum amico quopiã, ad quem acceſsit, confabulãte, quum tibi interim locus deſit vbi vel aſſidere queas, librum videlicet ſtãs in manum ſumis, quóque fallas tædium, legis. Pòſt vbi ieiunum te ſitientémque nox occupauit, incommodè lotus, intempeſtiuè, puta nocte ferme concubia, ad cænam accedis, haud perinde deinceps in precio habitus, neque conſpiciẽdus his qui adſunt. Verùm ſi quis aduenerit recentior, tu poſt tergũ reiiceris. Itaque in angulum aliquem abiectiſsimum retruſus, accumbis, teſtis duntaxat, ac ſpectator eorum quæ apponuntur, canum ritu oſſa circumrodens, ſi fors ad te perueniat, vel aridum maluæ folium, quo reliqua inuoluunt, ſi faſtidiatur ab iis, qui ſupra te accumbunt, præfame libenter arrepturus. Audi iam & aliud cõtumeliæ genus. Quid quòd ne ouum quidem

Quotidianus victus.

ſoli tibi apponitur? Neque enim conuenit, vt tu ſemper eadem requiras, quæ hoſpitibus atque ignotis miniſtrantur, quandoquidem hæc tua ſit inſcitia atque inurbanitas. Neque auis eiuſmodi tibi apponitur, qualis aliis, verùm diuiti illi pinguis & ſucculenta, tibi pullus dimidiatus, aut palumbus aliquis aridus atque inſipidus, non auis videlicet, ſed manifeſta contumelia, ludibriúmque. Neque verò rarò fit, vt ſi quando deſit alibi, miniſter repentè te inſpectante ſubmouens ea quæ tibi erant appoſita, aliis apponat, illud tibi ad aurem immurmurans, Tu profectò noſter es. Quod ſi quando interim diſſecetur, vel porca fœta, vel ceruus: aut ſtructorem tibi modis omnibus propitium habeas oportet, aut certè Promethei partem feres: nempe oſſa adipe circuncta. Nam quòd ei qui ſupra te accumbit, patina ſinitur adſtare quoad ſatiatus repudiet, te contrà tam celeriter prætercurrat, quis tandem iſthuc ferat, qui modò ſit ingenuus, cuíque tantum inſit bilis, quantum vel ceruis adeſt? Atque illud equidem nondum dixi, quòd reliquis ſuauiſsimum, ac vetuſtiſsimum vinum bibentibus, tu ſolus malum quoddam & pingue bibis. Proinde illud ſemper curas, vt auro argentóue bibas, ne colore prodente palàm fiat te vſqueadeo contemptum neglectúmque eſſe conuiuam: quanquam bene tecum ageretur, ſi vel illud ipſum ad ſatietatẽ vſque bibere liceret. At nunc vbi crebriùs popoſceris, miniſter audiſſe diſſimulat. Adde iam multas interim & alias eſſe res, quæ te diſcrucient: imò nihil eſſe ferme, quod non ſit acerbum, maximè quum tibi cinædus aliquis antefertur: quin pluris te ſit is, qui ſaltandi docet artem, qui iocos Ionicos contexit Alexandrinus quiſpiam homũculus. Nam quî tibi ſperes tu, vt in accubitu æqueris iis qui voluptates & amatoria ſubminiſtrant? qui literulas in pectore geſtant? Proinde in obſcuro quopiam conuiuii latibulo tectus, præque pudore abſtruſus, ſuſpiras, vti coniectandum eſt, téque ipſum deploras, ac fortunam incuſas tuam, quæ tibi ne pauxillulum quidem lepôris, ac venuſtatis aſperſerit. Ac prorſus ita videris affectus, vt optes poeta fieri, vt amatorias conſcribas cantiones: aut ſi id non contingit, vel eam aſſequi facultatem, vt poſsis ab aliis cõditas dignè canere. Vides enim quibus in rebus ſitum eſt vt quis efferatur, plurimíque fiat. Quin & illud ferre queas, vt magi quoque aut arioli perſonam (ſi neceſſe ſit) induas ex horum genere, qui amplas hæreditates, qui imperia, qui cumulatas opes pollicentur: quandoquidem hos quoque vides non mediocriter à diuitibus amari, plurimíque fieri: eóque vel vnũ quodlibet horum fieri percupias, vti ne prorſus reiiculus atq; inutilis appareas. Atqui ne ad iſta quidem docilis es, infelix: proinde ſubmittas te oportet, muſsitéſque ac taceitus feras, clàm apud te plorans, ac neglectui habitus. Etenim ſi te famulus aliquis ſuſurro deferat, qui ſolus omnium non laudaris puerum heræ ſaltantem, aut cithara canentem, iſta ſcilicet ex re non leue diſcrimen impendet. Quapropter terreſtris in morem ranæ ſitiens vociferis, neceſſe eſt,

Cõremptus & reiectio poſt Cinædos & ſaltatores.

Adulatio ridiculorũ.

id operam dans, vt in laudantium numero inſignis, ac præcipuus appareas. Quin ſæpicule ſilentibus reliquis tibi ficta quædam laus proferenda, quæq; multam ſapiat aſſentationem. Iam verò magnopere ridiculum eſt, cum eſurias interim ſitiáſque, vnguentis collini, ac vertice geſtare coronam. Siquidem id temporis non diſſimilis videre ſepulchrali columnæ vetuſti cuiuſpiam cadaueris, quæ geſtare ſolet ea, quæ Manibus inferuntur. Nam huic infuſo vnguento, impoſitáque corona, ipſi & bibunt, & edunt apparatas epulas. Porrò ſi etiam zelotypus quiſpiam fuerit, ſintque illi vel pueri formoſi, vel vxor puella, neque tu prorſus à Venere, gratiſſque fueris alienus: profectò non ſatis tuta res neque periculum negligendum, propterea quòd regis plures ſunt oculi, qui quidem non vera ſolùm vident, ſed ſemper veris aliquid addunt ad cumulum, ne conniuere videantur. Quas ob res, vultu demiſſo tibi eſt accumbendum, quemadmodum in Perſicis conuiuiis fieri mos eſt, verito, ne quis eunuchus ſentiat te in cõcubinam aliquam coniicientem oculos, móxque alter eunuchus, cui iamdudum arcus in manu tenſus eſt, quia víderis, quæ videre nephas, inter bibendum malam iaculo transfigat. Iam peracto conuiuio, vbi paululum dormieris, ad galli cantum expergefactus, O me miſerum, inquis, ô infortunatum! Cuiuſmodi quondam cõuinctus, quos amicos reliqui! tum vitam tranquillam, & ocii plenam: ſomnum quem meapte cupiditate meti ri ſoleo: deambulationes liberas: atque ex his in quale barathrum memet præcipitem dedi? &, Deum immortalem, cuius tãdem rei gratia? Aut quódnam iſtud magnificum præmium? At ne fieri quidem potuit, vt mihi vnquam aliàs plures commoditates ſuppeterent, quàm tum ſuppetebant. Tum autem accedebat libertas, atque omnia pro meopte arbitrio faciẽdi facultas. Nũc porrò iuxta id quod prouerbio iactatum eſt, Leo chordula vinctus ſurſum ac deorſum circumferor. Quódque omnium eſt miſerrimum, maximéque deplorandum, neque efficere poſſum, vt placeam, neque gratiam emereri queo, propter ea quòd harum rerum ſum imperitus ac rudis, maximè compoſitus collatúſque cum his, qui hæc velut artem profitentur. Proinde, iniucundus ſum, ac neutiquam aptus conuiuiis, quippe qui ne riſum quidem concitare norim. Quin etiam ſentio me non rarò moleſtum eſſe, & importunum, quum adſum, maximè quum ipſe ſeipſo feſtiuior eſſe conatur. Nam illi tetricus videor. In ſumma, nullam inuenio viam, qua me illi accommodem. Etenim ſi meam ipſius autoritatem, ac ſoueritatem tueri pergo, iniucundus videor, ac propemodum horrendus, ac refugiendus. Contrà, ſi riſero, vultúmque quàm poſſum maximè ad hilaritatem compoſuero, faſtidit illico ille, & auerſatur. Ac prorſus tale quiddam mihi videtur, quale ſit, ſi quis in perſona tragica Comœdiam agere tentet. Poſtremò quam tandem aliam vitam mihi viuam demens, poſteaquam hanc præſentem alteri vixerim? Dum hæc tecum loqueris, iam

Pericula & metus.

Pœnitẽtia.

iam ſonuit tintinnabulum, iámque ad eadem tibi redeundum eſt, obambulandum, ſtandum, ſed ceromate inunctis antè femoribus poplitibúſq; ſi modò velis par eſſe certamini, præmióque tol lendo idoneus. Deinde conuiuium idem, & eadem apparatum hora. Iámque adeò diuerſa viuẽ di ratio, ſuperioríque contraria, tum inſomnia, ſudor, defatigatio, paulatim quaſi ſuffoſsis cuniculis inducunt, vel tabem, vel pulmonis exul ceratione, vel inteſtini tormina, vel egregiam illam podagram. Reluctaris tamen ſedulò: ac frequenter quum valetudo poſcat vti lecto de cumbas, ne hoc quidem licet, eò quòd aſsimu lari morbus, quò munia officiáq; iuſta defugias, exiſtimatur. Hinc præter omneis perpetuò palles, ſempérque iamiam morituro vidère ſimilis. Et hactenus quidem, de his quæ domi ferenda ſunt. Quòd ſi quando fuerit peregrinandum: vt ne interim referam alia incommoda, ſæpe fit, vt pluuio cælo, vbi poſtremus veneris (nam is locus tibi ſorte contigit) vehiculum opperiaris, donec nullo iam reliquo loco vbi diuerſeris, proximè coquum, aut heræ comptorem te reclinãt, ne ſtipulis quidem affatim ſubſtratis. Neque verò tibi referre grauabor, quod mihi Theſmopolis iſte Stoicus narrauit ſibi accidiſſe, rem profectò nimiſquàm ridiculam, quæ tamen eadem poſsit & alii cuiuis accidere. Conuiuebat enim cum opulenta quadam ac delicata muliere ex illuſtribus iſtis & vrbanis. Eam, quum ali quando peregrè proficiſceretur (nam id primùm aiebat ſibi maximopere deridiculum accidiſſe) in curru ſibi viro nimirum philoſopho adiunxiſſe cinædum quempiam picatis cruribus, deraſa barba: quem illa honoris (vt coniicio) gratia ſecum ducebat. Quin nomen quoque cinædi commemorabat. aiebat enim Chelidonium vocari. Iam primùm illud cuiuſmodi fuerit, vide, iuxta virum ſeuerum tetricúmque, tum ſenem, canóque mento (ſcis autem quàm profundam, ac venerabilem barbam habuerit Theſmopolis) aſsidere nihili hominem & effœmina tum, picturatis oculis, lubrico vultu, fracta ceruice, non Chelidonem per Iouem, id eſt hirundinem, ſed vulturem magis, reuulſis barbæ plumis. Quod ni magnopere illum fuiſſet deprecatus ne faceret, futurum fuiſſe vt flammeum etiam in capite geſtans aſsideret. Præterea autem perpetuo hoc itinere moleſtias innumerabiles pertuliſſe ſeſe, illo cantillante garrientéque, demum (niſi idem hominem coercuiſſet) in Rheda etiam ſaltante. Addebat ſecundo loco tale quiddam ſibi fuiſſe mandatum. Accerſito illi mulier, Theſmopoli, inquit, ita tibi dii bene faciant, magnum quoddam officium abste requiram, quod caue recuſes, neque expectes, vt quicquam te ſim rogatura ſtudioſiús. Atque hoc (vt eſt credibile) omnia ſe facturum pollicito, hoc, inquit, te rogo, quandoquidem video te virum probum, diligentem, & amantem caniculam, quam noſti Myrrhinam in vehiculum recipe, eámque mihi ſerua, curans ne quid illi deſit. Nam miſera grauida eſt, atque adeò propemodum iam propinqua partui. At iſti ſceleſti, & immorigeri miniſtri, non dicam huius, ſed ne mei quidem ipſius magnopere rationem habent in peregrinationibus. Quare ne te putes mihi mediocre beneficium facturum, ſi chariſsimam mihi, iucundiſsimámque caniculam ſeruaris. Recepit Theſmopolis, quum illa tantopere rogaret, ac propemodum etiam fleret. Porrò ſpectaculum erat ſupra modum ridiculum, Canicula è pallio prominens proſpectánſque paulò infra barbam, ac ſubinde immeiens, (tametſi hæc quidem Theſmopolis reticuit) ac gracili voce latrans (huiuſmodi enim catellæ iã in delitiis ſunt) neque non philoſophi mentum oblingens, maximè ſi quid pridiani iuris inhæret. Porrò Cinædus aſſeſſor ille, quum non inſulsè ſuper conuiuium dicteria quædam ieciſſet in eos, qui aderant, ac denique & ad Theſmopolim vſque dicacitas peruenisſet: de Theſmopolide, inquit, vnum hoc poſſum dicere, eum è Stoico Cynicum iam nobis eſſe factum. Equidem audiui caniculã etiam peperiſſe in Theſmopolidis pallio. Huiuſmodi deliciis illudunt, vel (vt veriùs dicam) huiuſmodi contumeliis ac ludibriis tractant eos, qui cum ipſis viuunt, paulatim eos cicures, ac manſuetos ad ferendas contumelias reddentes. Præterea autem & Carcharorum oratorem noui, qui iuſſus ſuper cœnam declamabat, neutiquam inerudite per Iouem, imò grauiter & abſolutiſsimè, ac laudabatur interim ab illis bibentibus, quum non ad aquæ modum, ſed ad vini amphoram oraret. Atque eam moleſtiam ob ducentas drachmas perpeti ferebatur. Verùm hæc quidem fortaſsis vtcunque toleranda. Porrò ſi dies ipſe, aut poeticus fuerit, aut hiſtoricus, qui ſua ipſius ſcripta in cõuiuio recitare gaudeat: tum verò maximè futurum eſt, vt diſcrutieris, ac dirũparis, nempe quũ admirari, quum aſſentari, quum nouos quoſdam laudandi modos comminiſci neceſſe habes. Sunt autem qui & formæ nomine ſtudeant admirandi videri. Eos nunc Adonidas, nunc Hyacinthos appelles neceſſe eſt, etiam ſi illis naris nonnunquam cubitali hiet ſpecu. Quòd ni laudaris, protinus in lapidicinas Dionyſiacas aſportaberis, tanquam qui illi tum inuideas, tum inſidieris, maléque velis. Ad hæc & ſapientes, & rhetores ſint neceſſe eſt. Quòd ſi etiam ruſticè quippiam dixerint, tum verò iuxta illud quod dici ſolitum eſt, Atticæ atque Hymetti plenam orationem videri volunt, atque in legem abire, vt deinceps ita loquantur homines. Quanquam quæ viri faciunt, ferri forſitan queant: at verò mulieres (nam mulieribus etiam illud ſtudio eſt, vt doctos aliquot in ſuo conuictu conductitios habeant, quíque ſeſe mercede aſſectentur) quandoquidem hoc quoque ad reliquum cultum elegantiámque pertinere putant, ſi dicantur eruditæ: ſi philoſophæ, ſi carmina componere Sapphicis haud multo inferiora: ob hæc ſanè hæ quoq; conductitios Rhetores, Grammaticos, Philoſophos circumferunt. Hos autem audire ſolent (id quod ipſum eſt ridiculum) tum temporis, quum vel comuntur, aut capillos in orbẽ religant, vel in conuiuio. Nam aliàs non ſuppetit illis ocium.

Adulatio dominorũ, doctos ſe videri volẽtium.

Porrò ſæpenumero fit, vt interim dum philoſophus quippiã diſſerit, interueniens ancilla literulas ab adultero porrigat: ac præclari illi de pudicitia ſermones intermittũtur, opperientes donec illa reſcripſerit adultero, atque ita redeat ad auditionem. Porrò ſi quando poſt multum temporis inſtãtibus. Saturnalibus, aut Panathenæis, miſera quæpiam vmbella tibi mittatur, aut tunicula ſemiputris, ac detrita, tum denique plurima miſsitẽtur oportet. Atque aliquis, qui ſtatim ſub auſcultarit herum id facere deſtinantem, prẽcurrit, ac primus rei index, abiénſque, non exiguũ precium aufert, qui renuntiarit. At manè plus tredecim te adeũt idem apportantes nuntii: quorum quiſque commemorat, quàm multa dixerit, quemadmodum ſubmonuerit, quemadmodum adhortans commodiora ſubiecerit. Omnes itaque donati præmio diſcedunt, at non ſine murmure tamen, qui non plura dederis. Porrò ſalarium ipſum ſex fermè obolorum, ídque ſi tu poſtules, grauis: atque importunus haberis. Proinde quò illud aliquando auferas, primùm ipſi hero aduleris ſuppléxque fias neceſſe eſt: deinde, captãdus & diſpenſatoris fauor. Nã hoc quoq; quoddam eſt ſeruitutis genus. Neque verò negligendus is quem in conſilium adhibet, neque item amicus. Deinde quod acceperis, iamdudum debebatur vel veſtiario, vel medico, vel cerdoni cuipiam. Vnde fit vt ſera atque intempeſtiua, eóque inutilia præmia tibi accedant: cæterùm inuidia ingens. Iámque etiam calumniæ quædam paulatim ſtruuntur in te, apud hominẽ, qui iam non inuitis auribus accipiat, ſi quid aduerſum te dicatur: quippe qui peſpiciat te laboribus aſsiduis iam detritum, & ad obeunda munia famulatus claudicantem, atque obaudientem, ac podagra ſubinde grauari. Proinde poſteaquã id quod erat in te florentiſsimum decerpſit, æuíque partem maximè frugiferam, ac præcipuum corporis vigorem detriuit, iámque te lacerum panniculũ reddiderit, tum modis omnibus circunſpicit in quod ſterquilinium te portatum abiiciat, aque alium perferendis laboribus idoneum, in tuũ ſubſtituat locum. Ibi inſimulatus, vel puſionẽ illius tentaris, vel quòd homo ſenex vxoris ancillam virginem vitiaris, vel alio quouis impoſito crimine, noctu obuolutus, ac præceps datus extruderis, diſcedíſque deſertus ab omnibus, atque omnium inops rerum, optimam podagram, vnà cum ſenecta comitem ducens: cum interim quę quõdam ſciueris, tanto temporis ſpacio dedidiceris, tum ventrem culeo reddideris ampliorẽ, tibíque paraueris inexplebile quoddam & implacabile malum. Etenim gula, ea quibus aſſueuit, flagitat, quæ cũ negantur indignatur. Adde quòd præterea nemo te poſthac recepturus eſt in familiã, vtpote cuius iam præterierit ætas, quíque ſimilis euaſeris equis ſenio affectis, quorum ne pellis quidem perinde vt aliorum animantium eſt vſui. Quin ex hoc ipſo quòd eiectus es, calumnia quàm poteſt proximè ad veriſimilitudinẽ conficta, facit vt aut adulter, aut veneficus, aut aliud quippiam tale videaris. Nam accuſatori vel tacenti fides habetur: tu verò Græculus, moribus leuibus, & ad omne facinus facilis. Siquidem huiuſmodi nos omnes eſſe ducunt, ídque in re optimo. Videor enim mihi cauſam aduertiſſe quamobrem eiuſmodi de nobis obtineant opinionem. Nam pleriq; qui in familias accedunt, propterea quòd alioqui nihil bonæ rei didicerunt, diuinationem, ac maleficia profitentur, conciliationem amorum, abductiones in hoſtes: atq; id quum faciunt, doctos ſeſe affirmant, palliis amicti, barbíſque neutiquam contemnendis onuſti. His rebus fit, vt non iniuria eandem de reliquis omnibus habeant opinionem, quandò eos quos præcipuos eſſe iudicant, videant tales: maximè verò poſteaquam animaduerterint, quàm ſint in conuiuiis reliquóq; conuictu adulantes, quàm ad lucrũ humiles, ac ſeruiles. Deinde eiectos eoſdem iam oderunt: neq; id iniuria: ac modis omnibus adnituntur, vt eos funditus perdãt, ſi quo modo poſsint. Verentur enim, ne cuncta illa vitæ ſuæ myſteria in vulgus efferant, quippe qui nihil non exactè norint, quíq; illos nudos conſpexerint. Ea res igitur illos malè angit. Omnes enim ſimiles ſunt pulcherrimis iſtis libris, quorum aurei quidem vmbilici, purpurea foris pellis: cæterùm intus aut Thyeſtes eſt liberos in conuiuio comedens, aut Oedipus matris maritus, aut Tereus cum duabus pariter ſororibus rem habens. Eiuſmodi ſunt & illi, ſplendidi, cõſpicuíque, porrò intus ſub purpura varias occulunt tragœdias. Quorum vnumquemq; ſi euolueris, explicueríſq;, fabulam non mediocriter lõgam reperies Euripidis cuiuſpiam, aut Sophoclis. Contrà foris nihil, niſi purpura ſplendida, aureíque vmbilici. Harum itaque rerum ſibi cõſcii oderunt illos, atq; inſidias parant, ſi quis penitus ab illis defecerit, qui eos probè cognitos depingat, qualéſq; ſint, euulget. Iã verò libet mihi Cebetis illius exemplo & imaginem quandã huius vitæ tibi depingere, vt eam contemplatus, ſcire queas num ex vſu tuo ſit eam adire. Equidem magnopere cupiam vel Appellem quempiam, vel Parrhaſium, vel Aetionem, vel Euphranorem ad hanc depingẽdam tabulam adhibere. Verùm quoniam fieri potis non eſt, vt aliquem artificem tam egregium atque abſolutum nanciſcamur, in præſentia tenuem quandam pro mea virili imaginem adumbrabo. Ergo pingatur veſtibulum ſublime atque inauratum, neque id humi ſitum in ſolo, verùm procul à terra in edito collis faſtigio: præterea inacceſſum ferme & abruptum, lubricóq; aditu, ita vt plerunq;, qui ſe iam ad ſummum vſq; verticẽ penetraſſe ſperant, lapſo pede præcipitati ceruicem frangant. Intus autem Opulentia ſedeat, tota (ſicuti videtur) aurea, maiorẽ in modum formoſa, atq; amabilis. Porrò Amator vbi vix tandem cõſcendit, iámq; ad fores acceſsit, obſtupeſcat, oculis in aurũ defixis: deinde Spes, quæ & ipſa ſpecioſo vultu eſt, ac verſicoloribus amicta, manu præhenſa introducat, mirè iam ipſo ingreſſu attonitum. Atque ab eo quidem tẽpore Spes vſq; illum antecedat, ducátq;: tum aliæ mulieres illũ excipientes, puta Fallacia, Seruitúſq;, tradãt Labori. At is miſerũ penitus defatigatum tãdem Senectæ tradat iam morbidum

Compẽſatio munerũ

Difficultas exigendæ mercedis.

Exitus ac miſsio igno minioſa.

morbidum, coloréq; commutato. Poſtremò Cõ tumelia arreptum illum ad Deſperationem pertrahat: & hoc quidem tempore Spes auolans euaneſcat. Tum ille non per aureum illud atrium per quod ingreſſus fuerat, ſed per poſticũ quoddam & occultum exitum extrudatur nudus, ventricoſus, pallidus, ſenex, læua quidem pudorem occultans, dextra verò ſeipſum ſtrangulans. Occurrat autem exeunti Pœnitudo fruſtra lacrymans, & miſerum bis etiam conficiens. Atque hîc quidem eſto picturæ finis. Cæterùm tu Timocles optime, ipſe diligenter conſideratis ſingulis expende, num è re tua ſit vt in hanc imaginem per aureas illas fores ingreſſus, per illas longè diſsimiles tam turpiter excutiaris. Quicquid autem feceris, memineris ſapientis illius qui dixit Deum in culpa non eſſe, verùm qui ſua ſpõte delegerit.

Deus, malorum cauſa non eſt.

APOLOGIA
PRO IIS QVI mercede conducti ſeruiunt,
Petro Moſellano interprete.

ARGVMENTVM.

Hæc apologia eſt non in genere omnium eorum qui mercede conducti ſeruiunt, ſed libri ſeu orationis ſuperioris propriè, & autoris ipſius Luciani. Nam poſt ſcriptum illud editum, ſenior iam in aulam atque familiam Cæſaris ſeſe contulerat, & cõditionem procuratoris (vt videtur) principis in Aegypto acceperat, vt infrà ex ipſa quoque oratione patet. Hoc igitur factum ſuum, quia cum ſuperiore ſcripto prorſus pugnare videtur, defendit, primùm à diuiſione ſeu diuerſitate conditionum, quod longè alia res ſit principi operam ſuam locare, quàm apud diuitem aliquem priuatum ſeruire. Deinde quòd non omnes mercenarios miſeros dixerit, ſed ſolùm eos, qui prætextu doctrinæ & literarum ſeruiant: ſe verò alio pacto mercedem accipere, quàm illos, nempe cum præter ſalarium ingens, etiam in magna exiſtimatione viuat, publicíſque rebus procurandis præſtitutus, tam certam quoque ſpem totius alicuius prouinciæ aut regni aliquando adminiſtrandi, propoſitam habet. Denique quòd cum nemo quicquàm ferè gratis faciat, & tamen bonum virum conueniat certo alicui operi intentum eſſe, neque ignauiter feriari, neque ipſe adhucdum eò perfectionis venerit, vt omnem mercedem, aut honorem prorſus contẽnere queat. Atque huic defenſioni præmittit Sabini (eius ad quem ſcribit) accuſationem per proſopopœiam, qua ſeipſum fingit ab illo grauiter accuſari, vt qui ſupra quidẽ de ſeruitute apud diuites, optimè atque vtiliſſimè ſcripſerit: nunc autem cõtrà, quaſi mutata ſententia, idem vitæ genus ingreſſus ſit, perinde quaſi aliud lingua ſonare voluerit, aliud animo ſenſerit, exaggerata hac vitæ ſcriptorúmque diuerſitate ac repugnantia, multis variíſque tum ſimilibus, tum exemplis. Exorditur autem per præoccupationem à ſimulatione admirationis, quam & ipſam à circunſtantiis ætatis & cauſſæ amplificat.

IAmdudum apud me ipſe cogito, præclare Sabine, quæ tibi noſtrũ de iis qui mercede conducti ſeruiunt, libellũ legenti veriſimile eſt in mentẽ veniſſe, quæq; credibile eſt te dixiſſe. Nã quòd in eo legendo riſum nõ tenueris, mihi vel in primis cõſtat. Sed quæ inter legendũ ad ſingula à te ſubinde ſint obiecta, ea nũc noſtris à te iã lectis conor accõmodare. Quare ſi nõ fruſtra diuinandi artẽ didici, audire mihi videor, te ſic tecũ ſubmurmurantẽ: Ecquis hic tandẽ eſt, qui cum hęc ipſe ſcripſerit, & graui adeò accuſatione aulicã vitã inceſſat, poſtea tamen omnium oblitus, velut teſtula, quod aiũt, trãſmutata ſua ſpõte in ſeruitutẽ manifeſtariã adeò & illuſtrẽ ſe ipſe cõiecit? Quot Midæ, quot Crœſi, quot Pactoli vel toti hũc hominẽ à ſententia diducere adeò potuerũt, vt dulciſſimã illã libertatẽ, in qua iam inde à pueris eſt enutritus, repudiet? & tametſi iã nõ procul ab ipſo abeſt Aeaco, imò tantũ nõ alterũ pedẽ in Charontis cymba habet, tamẽ præbeat ſeſe alieno arbitrio huc atque illuc diſtrahendũ, perinde ac ſi collario quopiã aureo foret innexus, non aliter quàm à diuitũ illorũ ac delicatorũ collo amuleta illa & corallia dependẽt? Longè ergo latéq; hoc vitæ genus in quo nũc es, à ſcriptis diſſidet tuis: iámq; hoc ſanè videri poſſet, quod prouerbio dicunt, flumina ſurſum incedere, omniũq; rerũ ordinẽ inuerti, atq; cũcta in deterius recãtari, ídq; non Helenæ placãdæ gratia per Iouẽ, neq; eorũ, quæ apud Iliũ geſta ſunt, nomine, ſed quòd verba quæ antè probè dici ſunt viſa, nunc ipſo autoris opere ſubuertãtur. Hæc ſanè te veriſimile eſt tecum dixiſſe. Nec pigebit forſan te, & ad meipſum eius generis cõſiliũ adferre, ídq; nõ intẽpeſtiuũ, neq; importunũ, ſed amicũ, & quale tibi viro cũ bono, tum erudito cõgruat. Itaq; ſi tuam perſonã, quã induere iã paro, feliciter geſſero, optimè quidẽ nobiſcũ actũ putabo, atq; in hoc eloquẽtiæ præſidi Mercurio ſacrificabo. Si verò quod ſequor parũ aſſequor, tuæ partes erũt, quæ mihi deſunt, explere. Iã ergo fuerit tẽpus, vt qua ſi ſcena tràsformata, & actoribus permutatis, ipſe quidẽ vocẽ teneã, méq; tibi ſalutis gratia ſecandũ, &, ſi & hoc neceſſe fuerit, vrendũ præbeã, tu verò medicinas adornes, ſimúlq; acũ vnà cũ vſtorio habeas in prõptu. Nunc igitur tu ô præclare Sabine, dicendivice à me accepta, ſic mecũ agis. Olim quidẽ, ô amice, hic tuus libellus nõ immeritò erat in precio, & quẽadmodũ qui tũ audiuerunt, nobis narrarũt, cũ vulgo ſeu magnũ quiddã oſtentabatur, tum præcĩpuè eruditorũ manus occupabat, quotquot eiuſmodi rerũ ſtudioſi literas tractare operæpreciũ ducunt. Neq; id admodum eſt mirũ, quãdoquidẽ prẽterquã quòd ipſe dictionis tuæ color culpa caret, & narratio planè eſt

varia,miráq; eſt rerũ experientia:maximã quoq; habet gratiã,quòd omnia à te nõ ſcitè ſolùm, ſed & dilucidè recẽſentur. Super omnia verò eſt, quòd quæ ſcripſiſti,vtilia ſunt cũ omnibus, tum maximè eruditis, videlicet, ne per rerũ inſcitiã in ſeruitutẽ poſthac ſeſe coniiciãt. At cũ iam ſententia planè in diuerſum mutata, aulicam hanc viuendi rationem præſtare ſtatueris, & libertati longum valere dixeris,tum iambicum illud ſeruile nimis,& generoſo animo indignũ ſumpſeris imitatione exprimendum,

Vbi eſt lucrum,natura adacta ſeruies:

videndũ tibi erit,ne quiſpiam te id libelli legẽtem forte auſcultet:imo ſumma ope curandũ,ne cuiquam ex iis qui præſentem vitæ tuæ ſtatum norunt,tua ſcripta legenda exhibeas. Ad hæc ſi feceris operæprecium,ſi à Mercurio illo inferorũ legato,votis impetres,quò is omnium aures qui antè de hoc libello quippiam audiuerũt obliuionis fonte aſpergat. Alioqui ſimile quiddam tibi accidet,quod iuxta fabulam illã Corinthiam Bellerophõti. Vt enim ille literas in ſuam pernicié tulit, ita tu librum aduerſum te ipſe ſcripſiſti. Quod ad me attinet,qua defenſionis facie ſaltẽ æqua aduerſum accuſatores vti poſsis,nõ video, præſertim ſi actionem ſuam nonnihil iocis & ridiculis condiant:nimirum vt ſcripta tua, atque item libertatem,quam præ ſe ferunt, laudent: te verò ſcriptorem ſeruientẽ videant,& ſponte tua collum iugo ſubdentẽ. Itaq; non iniuria ageret, ſi libellum ipſum vel alteri, generoſiori ſcilicet aſſererent,te verò interim velut graculum alienis exultare plumis:vel ſi tuus eſſet,ſimilem quidem tuam eſſe cauſam dicerent Salæthi illius iudicio,qui cùm contra adulteros legem duriſsimam Crotoniatis tuliſſet, & per hoc multis admirationi eſſet,paulò pòſt cũ fratris ſui vxore in adulterio fuit deprehenſus. Quare non ineptè quiſpiã te Salęthum illũ diceret,niſi quòd illius factum non paulò eſt tolerabilius,qui quod fecit (vt & ipſe dum cauſam diceret,fatebatur) amore captus fecit:& volũtarius,nihil reluctans,in ignẽ animo magno inſiliit:tametſi Crotoniatæ hominis miſerebantur:&,ſi luberet,exulandi facultatem permittebant. At tuũ negotium multis partibus eſt abſurdius,qui vitæ quidẽ eiuſmodi ſeruilem conditionẽ accuratè etiam libris editis es perſecutus,& grauiter incuſas, ſi quis in diuitis alicuius famulitium incidat,ſéq; ipſe velut vinculis aſtringi ſuſtineat,interim nihil nõ moleſtũ cum faciens,tum patiens:attamen ipſe in extremo ſenectutis gradu,& certè longè vltra limen illud Homericum progreſſus, ingeneroſum adeò & abiectũ ſeruitutis genus elegiſti,atq; ob id tãtum non ſerió triumphas. Ergo qui tibi malè volunt,quanto magis inſignis,ac conſpicuus appares,tantò te aiunt magis omnium riſui obnoxiũ: vita nimirum tua tantũ ſcriptis ipſis reclamante Et quid attinet nouam accuſandi rationem aduerſum te quærere,poſt celebrem illam & admirandam Tragœdiam, quæ dicit:

Sapientem eum odi,qui ſibi ipſe non ſapit?

Tametſi & alia multa quibus te adoriantur,accuſatoribus tuis ſuppetunt. Nempe alii ſimilem te facient Tragicis actoribus,quorum quiſq; in ſcena quidem eſt vel Agamemnon, vel Creon, vel etiã Hercules ipſe:foris autẽ depoſitis perſonis fiunt Polus aut Ariſtodemus,ſcilicet ad agendas fabulas mercede cõducti:qui,vt viſum fuerit ſpectatori,iam eiiciuntur,iam exibilantur, interim aliqui & flagris cæduntur. Porrò alii idem tibi contigiſſe dicent, quod ſimiæ quam magna illa & celebris Aegypti Regina Cleopatra habuiſſe dicitur. Ea enim ſaltationum genera probè edocta,cum aliquandiu compoſitè modulatéq; non ſine magna ſpectantium admiratione ſaltãtis habitum exhibuiſſet,ac decorum ſeruaſſet,iámque Hymenæum voce ac cythara canentibus reſponditſſet:poſtea quàm carycáſne an nucem neſcio, procul iacentem conſpexiſſet,perſona abiecta, imo prę feſtinatiõe diſcerpta,modulis & ſaltationibus lõgum valere iuſsit, nucẽ verò correptam arrodere cœpit. Non aliter & tu non hiſtrio quiſpiam,ſed ipſe pulcherrimarum rerum author, & velut legum lator:oſtenſo alterius vitæ ſplendore quaſi nuce quadam,teipſe ſimiam eſſe prodidiſti:vt qui ſummis tantùm labiis ſis philoſophus, quíq; nihil quidem veritus inferorũ portas, alia quidem mente occultes, alia verò lingua depromas:vt nõ immeritò quis de te diceret, quæ ſcribas,quibúſque te vendites,ea labra quidem tua rigaſſe,palatum autem interiùs aridum reliquiſſe. Quamobrem ſtatim ante pedes quoque vltricem pœnam ſenſiſti, qui cùm antè audacia procaci humanarum rerum neceſsitatibus inſultaris,ipſe tamen haud ita multò poſt libertatem velut ſub præconibus abiuraris. Atqui apparet Adraſteam iam tum tibi à tergo aſsiſtentem, ea quibus tu partim te ipſe venditabas,partim alios incuſabas, egregiè riſiſse: quippe quæ,dea cùm ſit, non ignorarit futurum, vt & ipſe mutata ſententia in ſimile vitæ genus trãſires. Tum quòd non priùs in tutum ipſius ſinum inſpueris, quàm eos accuſares,qui ob varias Fortunæ viciſsitudines eiuſmodi facere ſuſtinent. Iam ſi quis verbi gratia Aeſchinem poſt grauem illam orationem qua Timarchum accuſauit, fingat ipſum in idem incidiſſe ſcelus,ac per hoc in ſimile crimen vocatum: quatenus quæſo hinc ſpectantium riſus fuerat futurus, quòd Timarchum quidem eius peccati gratia, ad quod hominem ætas tulit, grauiter inceſſuit,ipſe verò iam ſenex eadem in ſeſe commiſit? Denique ſimilis videris illi Pharmacopolæ, qui cum remedium contra tuſim venditaret,& qui eo vterentur,eos ſtatim eo malo liberati polliceretur: miſer tamen ipſe eius morbi vehementia interim concuti cernebatur. Hæc atque id genus alia quiſpiam accuſando tibi obiiceret, præſertim in hac materia adeò copioſa, quæque mille anſas aduerſario præbeat. Cæterùm nunc apud me ipſe cogito, quam viam expurgandi mei apud te inuenire queam. Num ergo optimum fuerit, vt me ad malum hoc mea voluntate coactum confitear, dorſum verberaturo aduertam, improbitatem non negem,ſed ad cõmunem illam excuſandi rationem confugiam,nimirũ fortunæ fatíque ineuitabilem neceſsitatẽ meo facto prætexẽs? Atq; interim

Fortunę ac fativis.

terim ab obiurgantibus veniam deprecer, ob id, ſpero, noſtræ cauſæ æquioribus, quòd non ignorẽt quàm nihil ſit in noſtra ipſorũ manu, quódq; potentioris alicuius numinis, Fortunæ ſcilicet aut Fati, arbitrio, vel cõtra noſtram voluntatem impellimur, adeò vt crimen nullũ in nos hæreat, quautumuis aliquid vel dicamus vel faciamus. Aut hæc via nimis eſt vulgaris, vt ne tu quidem (quaquã amiciſsimus) huiuſmodi excuſationis obtentu me ſinas elabi, etiamſi patronũ habeam Homerum, eiúſq; carmina hæc decantem:

Fatorum nexus fugiſſe, haud dixero quenquam. Tum illud:

Filum Parca dedit naſcenti matris ab aluo.

Itaq; ſi hac ratione tãquam parum proba neque fide digna poſthabita, illud dicerem, neq; pecuniæ cauſa, neq; ſpe aliqua alia ineſcatũ me, præſentem ſeruitutẽ ferre, ſed ipſius principis prudentiam fortitudinẽ & magnanimitatem admiratum, rebus eius intereſſe voluiſſe: hîc vereor ne ad prioris criminis inuidiam, adulationis quoq; nota accedat, videárq;, quod aiunt, clauum clauo pellere, & crimen minus maiori velle obſcurare, quatinus adulatio malorum omnium maximè eſt ſeruile, & ob hoc peſsimũ cenſetur. Quid ergo ſi neq; hæc neq; illa videntur dicenda, nobis reſtat, niſi vt ingenuè fateamur, nihil nobis eſſe ſyncerum ac ſanum, quo deinceps vitiũ noſtrum palliemus? Vna forſan anchora ad hoc nobis ſupereſt, quam in aquam nõdum demiſimus, videlicet ſenectutẽ noſtram ac morbũ in miſerationem vocare, paritéq; paupertatẽ cauſari, quę vt euitari queat, hominẽ nihil non tum facere, tũ pati perſuadet. Quo loco non intempeſtiuũ fuerit Medeam illam quæ eſt apud Euripidẽ, in auxilium aduocare, quę huc progreſſa Iambica illa nonnihil huc detorta, pro me tibi occinat:

Haud neſcio quã ſint mala hæc quæ nũc paro,
Sed mentis imperio reclamat pauperies.

Nã illud Theognidis quis ignorat, tametſi nullus citem, nõ vitio dari, ſi quis ſe ipſe vel in profundum mare demergat, vel è rupe præcipitet, modò paupertatis onus hoc pacto excutiat? Hæc ferè ſunt quæ quis in eiuſmodi cauſa pro ſe dicere poſſet, etiamſi nihil eorum admodum decoram gerat perſonam. Tu verò ô amice, quantum ad me attinet, bono animo es, quandoquidem in mea defenſione id genus auxiliis nullis ſum vſurus. Neq; enim, ſpero, tanta fames vnquam vrgere poterit Argiuos, vt de caua Arabia ſerenda cogitent: neque ipſi nos iuſta adeo excuſatione deſtituemur vnquam, vt ſiquando accuſemur, eiuſmodi latebras quærere cogamur. Quin illud mihi cõſidera, quàm magno hæc inter ſeſe diſcrimine diſtent, videlicet in prædiuitis alicuius familiam adſcriptũ, ſeruire ſeruitutẽ, eáq; omnia perferrè, quę libellus ille meus recẽſet, & publicè rem populi tractantẽ, ac pro virili Remp. adminiſtrantẽ, hoc nomine ab Imperatore ſalariũ accipere. Age cõtemplare hæc, & vtrunq; per ſe ac ſeorſim perpende: reperies certè res ipſas, iuxta illud Muſicorum prouerbium, *Δὶς διὰ πασῶν*, hoc eſt lõgiſsimo interuallo inter ſeſe diſsidere: tum duas has vitæ rationes tantùm inter ſe cõuenire, quantũ eſt affinitatis plumbo cum argẽto, æri cũ auro, anemonæ cũ roſa, homini cũ ſimia. Siquidẽ vt illic, ita & hîc merces accipitur, & accidit vtrobiq; vt alteri ſit parendũ. Cæterùm in ipſa negocii ratione ingẽs eſt diſſonãtia, quãdoquidẽ illic ſeruitus eſt manifeſta, & qui illorũ conditionem accipiunt, emptitiis illis & manuariis ſeruis non admodũ præſtãt. At qui Remp. tractãt, & in vſum ciuitatis nationúmq; totarum ſtrenuam operam collocant, nullo iure, ob ſolã mercedẽ in calumniam vocari poterunt, ſnq; crimen cũ illis commune trahi. Alioqui fieri non poterit, quin hac ratione & præfecturæ omnes exautorentur, vt neq; tot ac tantarũ gentiũ præſides, neq; ciuitatũ rectores, neq; ordinũ militarium ductores, imò nec ipſi totius exercitus imperatores rectè facere videantur, quãdò horum omniũ laboribus propoſita ſunt præmia. Cæterùm vnius mercedis nomine non oportet opinor vel bona omnia euertere, vel mercedẽ accipientibus, æqualẽ conditionis gradũ tribuere. Deniq; mercenarios miſerę vitę obnoxios illic dicebam, nõ omnes, ſed qui doctrinæ prætextu in diuitũ famulitio ſeruiunt, eos tanquã ærumnoſos miſerabar. At noſtrũ negotium, ô amice, modis omnibus eſt diuerſum. Quanquã enim quę ad domeſticam vitam pertinent, nobis cũ illis ſunt cõmunia, publicè tamen ſummi imperii participes ſumus, eiúſq; adminiſtrandi prouinciã cum rege partimur. Ipſe ego, ſi diligenter expendas, Aegyptiaci regni portionẽ nõ minimã ſub manibus habeo, dũ nunc pœnas ſtatuo, nunc iuſta tributa impero, nunc dictorum factorúmq; omniũ rationaria cõſcribo, nunc litigantiũ acta certa lege perpendo. Ad hæc principis ipſius decreta ad certiſsima ſimul & rectiſsima quæq; ſumma fide perduco, eadémq; diligenter adſeruata, ſubditis trado, Reip. cura in omne æuũ conſeruãda. Deinde proponitur merces nõ vulgaris, ſed à principe: nec ea exigua, ſed talẽtis numerata. Poſt hæc, modò recta via res procedat, ſupereſt ſpes, neq; hęc contemnenda videlicet, vt prouinciæ alicui quaſi iam emeritus præficiaris, aut Regiũ aliquod negociũ tibi demandetur. Iã verò geſtit animus in hac loquẽdi libertate paulò magis progredi, & crimẽ ab accuſatoribus ſupra modũ exaggeratũ, itidẽ copioſiùs refellere. Equidẽ apertè pronuncio, neminẽ quicquã facere gratis, ne ſi vel maximarũ rerũ adminiſtratores obieceris: quãdò nec ipſe princeps mercedis eſt expers. Nõ hîc dico tributa, nec vectigalia, quæ per ſingulos annos à ſubditis pendũtur, verũ principi maxima fuerit merces, ſi à laudatis laudetur, ſi nomen eius ab omnibus celebretur, ſi beneficiorũ nomine numinis vice adoretur. Porrò imagines, tẽpla & aræ, & quæcunq; eius generis à ſubditis ſuis habent, mercedis loco ſunt & ipſa, nimirum pro curis, próq; ſolicitudine qua cõmune ciuium bonum procurant, eunctáq; in melius prouehunt. Et, vt magnis parua componam, ſi initio iam inde ab ipſius velut acerui cacumine ſumpto, per ſingula quibus compoſitus aſſurgit, deſcendas, videbis ſanè nos non niſi magnitudine & paruitate à ſummis differre: cætera mercenarii ſimul omnes ſumus. Itaq; ſi hanc

tuliſſem legem, neminem quicquam facere debere, non iniurià iniquitatis reus eſſem. Sin hoc in nullo libelli noſtri angulo à me eſt dictum, &

Bonus vir vbi maximè operam ſuam collocet.

bonum virum operi alicui intentum eſſe decet, quî poſſet operam ſuam collocare quis rectiùs, quàm vt ad optima quæque promoueat amicos, ac in medio omnium lucéque de ſe det periculum, quanta fide, quáve diligentia, qua poſtremò animi beneuolentia, negocia cõmiſſa queat expedire? ne videlicet locum habeat illud Homericum: Telluris inutile pondus.

Atqui meos obiurgatores meminiſſe oportet, quòd cùm me reprehendunt, haudquaquam ſibi res eſt cum ſapiente quopiam (ſi modò eſt aliquis hoc dignus nomine) ſed eo qui ſit vnus è media plebe, ex literarum exercitatione mediocrem nominis celebritatem nactus: attamen qui ad ſupremam illam virtutem, quò non niſi ſummatibus datur aditus, non admodum ſit inſtitutus. Quanquam ne hoc quidem nomine grauiùs dolere debeo per Iouem, cum in nullũ vnquam inciderim, qui omnes ſapientiæ quam profitebatur, numeros expleret. Te verò, quòd hanc viuendi rationem nobis vitio vertis, non poſſum non mirari, qui iam olim eidem crimini obnoxium nõ obiurgaris, cum non ſine ingenti mercede dicendi facultatem publicè agendis cauſis

Lucianus cauſas aliquandiu egit.

locarem. Quo tẽpore tu peragrata ſimul Gallia, ad occidentalis oceani ſpectaculũ profectus, forte fortuna in nos incidiſti cum inter quæſtuoſos Rhetores & nobis erat locus. Hæc ſunt, mi amice, quæ obiicienti tibi, quãquam mille negociis diſtrictus, vtcunq; reſpõdi: nimirũ vt videas quã nõ in poſtremis habeam, ſi tuo ſuffragio cãdido plenóq; noſtra cauſa probetur. Nã quod ad alios pertinet, etiamſi ſimul omnes accuſent, mihi tamen ſuffecerit illud: Haud curat Hippoclides.

PRO EO QVOD INTER ſalutandum verbo lapſus fuerat, Iacobo Mycillo interprete.

ARGVMENTVM.

Reſpondet hac apologia pro errato quod inter ſalutandũ ipſi exciderat, cũ manè & in prima ſalutatione, quãdo χαῖρε, hoc eſt aue ſeu ſalue dicendum fuerat, ipſe ὑγίαινε, hoc eſt vale dixiſſet. Orationis ſtatus eſt iuridicialis aſſumptitius. Fatetur enim & ipſe peccaſſe ſe, quia ordinẽ inuerterit, et quod poſtremũ dici cõueniebat, à principio vſurparit: ſed tamẽ culpã hanc mitigat atq; eleuat, primùm vſu ac poteſtate ipſorum verborũ oſtendens τὸ χαίρειν non in principijs tantùm à veteribus, ſed etiã fine atq; diſceſſu vſurpatũ fuiſſe, ὑγιαίνειν autẽ vtroq; loco frequenter à multis, à quibuſdã etiam in principio ſemper poſitũ fuiſſe: idq; probat multis et poetarũ & aliorũ teſtimonijs, adductis item hiſtoriarum exemplis. Poſt hæc ordinis inuerſioni opponit euentum erroris, quòd tale verbũ pro alio dixerit, cuius vis ſeu poteſtas, hoc eſt valere ſeu ſanũ eſſe, cuius tẽpori, nõ matutino tantùm cõueniat. Deniq; & principes hoc idẽ primũ atq; præcipuũ ſuis mandant, vt ſalutis ſeu valetudinis curam gerãt: & priuati quoq; in reſalutando ſaluos eſſe iubeant. Hinc & cauſam erroris ſiue euentus huius in deũ aliquẽ transfert. Animi autẽ conſtationẽ, quæ cauſam errori dederit, à conſueto & obiecto ſeu caſu defendit. Deinde & voluntatem principis pro ſe interpretatur ficta cõformatione, idq; argumento à conſequẽtibus & exẽplo ducto. Ad finẽ, ficta alia ac noua obiectione, orationẽ in votum ſeu precationem deſinit. Exordium à loco cõmuni ſumitur. Verbũ χαίρειν vbiq; ſaluere expoſuimus, propter cõmodũ verſionis: quanquã non ignorẽ à Martiale atq; alijs frequentius per Auere reddi, quando ſalutãtis eſt. Nã alioqui & gaudere ſignificat, interdum et valere, vt infrà, cum diſcedentiũ mutuo eſt: vt & τὸ ὑγιαίνειν, quod nos vbiq; valere vertimus, & ſaluum ſiue ſanum eſſe interim ſignificat.

DIFFICILE ſanè eſt, homo cũ ſis, alicuius Dei impulſionẽ ac vim euitare. Multò autẽ difficilius, defẽſionẽ inuenire erati eius, quo quis præter rationẽ, & ceu numine quodam impellente lapſus eſt: quod vtrunq; mihi nunc accidit, qui cum ad te veniſſem, quò te ex more primo mane ſalutarem, deberémq; cõſueta iſta voce vti, ac te ſaluere iubere: ego aureus ille, neſcio quo pacto oblitus, valere te iuſſi, verbo & ipſo nõ malo aut ominoſo, ſed intẽpeſtiuo tamẽ, vt quod veſperi, nõ auroræ cõueniat. Ipſe igitur confeſtim ſudaui atq; erubui, variéq; meipſum geſſi, cũ quid agerem, non haberẽ. At cęteri qui tũ aderãt, alii quidẽ lapſum me eſſe lingua, ita vt cõſentaneum erat, alii præ ætate delirare, alii verò ex heſterna crapula repletũ atq; ebrium adhuc eſſe exiſtimabãt: tametſi tu ipſe animo maximè æquo accipiebas id quod tũ acciderat, ne riſu quidẽ modico notando linguę erratũ. Viſus igitur mihi ſum, operę quoddã preciũ facturus eſſe, ſi conſolationẽ aliquã mihi ipſi cõponerẽ, ne nimis ægrè ob lapſum hũc animo afficerer, néve intolerabile putarem, ſi ſenex aliquis præſentibus tot teſtibus, nonnihil ab eo quod decorũ fuerat, aberrãdo deflexiſſem. Nam quãtum quidẽ ad ipſam linguã attinet, defenſione aliqua opus puto nõ erat, præſertim quãdo in tã bonã & auſpicatã precationẽ errãdo prolapſa fuerit. Incipiẽti itaq; mihi, ab initio ſtatim videbar in difficilẽ quæſtionẽ incurſurus eſſe: at verò vbi iam progreſſus aliquantulũ fuiſſem, offerebãt ſe multa quę cõmodè dici poſſe videbãtur. Quę tamẽ nõ antea dicã, quàm de ipſo verbo Saluere, de verbo Bene agere, & de verbo Valere, quę cõſentaneũ atq; æquũ erit, expoſuero. Verbũ igitur χαίρειν (quod ſaluere nos dicimus) antiqua vox eſt, & in ſalutationibus iam olim vſurpata, verũtamen non manè tantùm, neq; in primo ſolùm congreſſu, ſed etiam cũ qui antea ſe mutuò nunquam viderant, alius in alium incideret, ſalutatione hac vti ſolebant, quale illud eſt:

χαίρειν, & eius vſus.

Salue ô ſoli rex iſtius Tirynthii.

Deinde

Deinde & à cœna, cum iam ad mutuas confabulationes ventum eſſet, vt apud Homerum:

Salue Pelide, nil cœnæ æqualis eges nunc.

quo tum Vlyſſes vſus eſt, quando in legatione miſſus, oratorio modo mandata illi exponebat. Præterea & cum à ſe mutuò iam diſcedere vellent, eadem vtebantur, quale eſt illud:

Saluete, atq; deũ me agnoſcite, morte carentẽ.

Sic & apud Virgil. Salue æternũ mihi maxime Palla.

Certum autẽ tempus nullum præfinitum fuit ſalutationi huic, neq; vt nunc, matutino ſolùm tẽpore vſurpabatur, quandoquidẽ & in infauſtis & abominabilibus rebus eadem aliquando vſi quidam reperiuntur: vt apud Euripidem Polynices iam moriturus,

Saluete (inquit) nam totus tenebris iam tegor.

Neq; etiam amicorum inter ſe nota tantùm ſiue indicium erat, ſed & ad eos quibus infenſi erant, adhibebatur, cum ſignificare vellent nihil rei ſibi mutuò cum illis poſthac fore: nam hoc, cum μακρὰν χαίρειν, hoc eſt, longum ſaluere dicunt, intelligunt, nempe nullam amplius curam alterius alterius futurã eſſe. Primus autẽ hoc verbo vſus fertur Philippides, is quivno eodémq; die narratur ex Marathone curſu itinere peracto Athenas victoriam annunciaſſe, & ad magiſtratus quo loco conſederant, atq; anxii de euentu pugnæ cogitabant, dixiſſe: Saluete, vincimus: eóq; dicto ſtatim concidiſſe mortuus, peracto iam nuncio, vnà cũ ipſo illo verbo expirans. In epiſtolæ autẽ initio Cleon ille Athenienſium tribunus, cum ex Sphacteria ſcriberet, primus omniũ hoc verbum præpoſuit, gratulari videlicet illis volens ob victoriã eo loco partam, & quòd Spartanos captos in poteſtatem redegiſſet. Ac prorſus certè poſt illum Nicias dux cum ex Sicilia ſcriberet, antiquã epiſtolarum formam retinuit, ſtatim ab ipſis rebus exordiendo. Quin & admirabilis ille Plato, vir fide dignus, ac legiſlator huiuſcemodi rerũ, verbum hoc ſaluere, planè valere iubet, atq; omnino improbat veluti malum ac prauũ, & quod nihil ſerium, aut dignum præ ſe ferat: contrà autem τὸ εὖ πράττειν, hoc eſt bene agendi verbum, pro eo introducit, tãquam cõmune tam corporis quàm animi bene rectéq; affecti ſymbolum ſiue indicium: ac miſsis ad Dionyſiũ literis, reprehendit ipſum, quòd cum ad Apollinem verſus quoſdam cõpoſuiſſet, deum ipſum ſaluere iuſsiſſet, quippe quod hoc ipſo Pythio indignũ foret, & non modò diis, verùmetiam ne hominibus quidẽ paulò dexterioribus decorum. Diuinus certè quidem Pythagoras ille, tametſi ipſe nihil propriũ ſuorum ſcriptorum nobis relinquere poſt ſe voluerit, quantum tamen ex Oecello, Lucano & Archyta & cæteris ipſius diſcipulis cõiecturam facere licet, nec verbum bene agere, ab initio literis ſuis præmiſit, ſed ab ὑγιαίνειν, quod eſt valere ſeu ſanum eſſe, exordiri iubebat. Cuncti itaq; illi qui profeſsionem atque doctrinam ipſius ſecuti fuere, quoties miſsis inter ſe mutuò literis graue aut ſerium aliquid ſcriberent, valere ſiue ſanos eſſe ſeſe, ſtatim ab exordio iubebant, tanquam & hoc ipſum verbum tam animę quàm corpori accõmodatum maximè foret, ſummatímq; eõprehẽderet vniuerſa hominis bona. Præterea & triplex ipſorum triangulus ille, qui alternatim inter ſe iunctus, quinquelinearem figuram conſtituit, quo ſymbolo ac veluti nota quadam iidem ad eos qui eiuſdẽ profeſsionis erant, eandémq; doctrinam ſectabantur, vti ſolebant, valetudo ſiue ſalus ab ipſis appellatur. Et in ſumma, ipſum quidem valere, putabant eſſe: verùm neque bene agere, neque ſaluere, omnino idem quod valere. Sunt autem & qui quaternionẽ, maximum ipſorum iuſiurãdum, aut perfectiſsimum ipſis numerum perficere * dicant: alii verò etiam ſalutis ſeu valetudinis principium vocarunt, inter quos & Philolaus eſt. Et quid attinet vetuſtiores cõmemorare, quãdò & Epicurus, qui alioqui ὦ χαίρειν, hoc eſt gaudendi verbo, admodum gaudebat, voluptatémq; cęteris rebus omnibus anteponebat, in epiſtolis quas de rebus paulò grauioribus ſcribebat (ſunt autem earum perquàm paucæ, & non niſi ad præcipuos amicorum datæ) ſtatim à principio valere iubebat? Frequens autem & in Tragœdia & Comœdia, veteri illa quidem, reperias idem hoc verbum à principio ferme poſitum: nam illud.

Vale, & multum mihi ſalue:

doctè prudentérque valendi verbum, auere, ſiue ſaluere, illi præpoſitum habet. Alexis autem,

O here, vale (inquit) vt tardè admodum aduenis!

Et Achæus:

Venio peracta re graui: at tu mihi vale.

Philemon quoque,

Primũ (inquit) valere cupio, dein agere bene:
Saluere tertiò, vltimò debere nil.

Nam qui conuiuiale illud carmen compoſuit, cuius & Plato meminit, an non & ille ait,

Equidem hoc iudico primùm,
Valere, dein pulchrum videri,
Pòſt eſſe ditem?

Verbi autem ſaluere ſiue auere, omnino ne meminit quidem. Et vt notiſsimum quoq; illud, & quod omnibus in ore eſt, tibi dicam,

Superũm antiquiſsima diua Salus,
Tecum mihi liceat
Viuere quod ſupereſt.

Quare ſi antiquiſsima ſalus ſeu valetudo eſt, meritò etiam ipſius opus, hoc eſt valere, ſaluúmque ac ſanum eſſe, reliquis omnibus anteponendum eſt. Infinita autem & alia exempla tum ex poetis tum ex hiſtoricis & philoſophis commemorare tibi poſsim, vbi idem hoc verbum valere, antepoſitum reliquis atque prælatum reperitur. Quę tamen omnia in præſentia omittam, ne mihi ſcriptum hoc in loquacitatem quandam ineptam ac puerilem adeò prolabatur, videárque ipſe clauo alio alium trudere velle. Pauca verò veteris hiſtoriæ, quantum adhuc memoria teneo, quantúmque ad hanc præſentem cauſam pertinere propriè videtur, non incommodum huc adſcribi poſſe exiſtimaui. Nam cum Alexãder Magnus pugnam illam ad Iſſum initurus eſſet, quẽadmodum Eumenes Sardianus in epiſtola ad Antipatrum refert, manè in tabernaculum eius ingreſſus Hephæſtio, ſiue tum ita oblitus ſui fuerat, ſiue conſternatus, quemadmodum & ego, ſiue etiam numine aliquo impellẽte, idem tum quod

Et huc forte aſsis pertinet quod in carmine illo Pythagoræ aureo legitur, καὶ μὰ τὸν ἀμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτὺν παγὰν ἀενάου φύσεως &c.

Virgil. Et lõgum formoſe vale, vale inquit Iola.

Quãquam hic τὸ χαίρειν non nihil & ad gaudendi ſignificationem alludit, vt & in ſequẽti exemplo.

Εὖ πράττειν.

Et hìc ad gaudendi ſignificationem Plato alludit, vid. epiſt. 3.

ὑγιαίνειν.

ego

ego dixit, ὑγιαίνε βασιλεῦ, hoc eſt, Vale rex: tempus iam eſt in aciem educi exercitum. Cõturbatis autem cæteris qui tum aderant, ob inopinatam ac nouam ſalutandi formã, ac ipſo Hephæſtione propemodum præ metu emoriente, Alexander reſpondens, Recipio, inquit, omen: nam nos ſaluos atq; integros è pugna reuerſuros eſſe, hoc verbum mihi nunc pollicetur. Antiochus autem cognomento Soter, quando cum Gallis cõſerturus prælium eſſet, per quietem vidit adſtare ſibi Alexandrum, & iubere vt teſſeram hanc ante pugnam militibus daret ὑγιαίνειν videlicet: ac ſub hac teſſera ſeu nota militari præclaram illam victoriam mox conſecutus eſt. Præterea & Ptolemeus Lagi miſsis ad Seleucum literis planè ordinem inuertit, à principio quidem epiſtolæ valere illum iubens, pro eo autem vbi alii vale ſcribunt, in fine τὸ χαίρειν, hoc eſt auere ſubſcribens, quemadmodum Dionyſodorus tradit, is qui epiſtolas illius collegit. Non iniquũ autem fuerit & Pyrrhi Epirotæ illius mentionẽ facere, qui poſt Magnum Alexãdrum ſecundas in re militari tenuit, variáſq; fortunæ mutationes ac vices pertulit. Hic igitur cum deos precando, ſacrificando, donariáq; cõſecrando quotidie veneraretur, nunquam tamen vel victoriam ab illis, vel regni alicuius ampliorem maieſtatem, vel gloriam, vel diuitiarum abundantiam poſtulauit, ſed vnum hoc ὑγιαίνειν, hoc eſt valere ac ſanum eſſe, precari ſolebat: vt qui putaret, quamdiu hoc vno frueretur, & cætera facillimè euentura ſibi eſſe. Ac rectiſsimè, opinor, ſentiebat, illud nimirum ſecum reputans, quòd cæterorum bonorum omnium nullus fructus foret, quandiu vnum τὸ ὑγιαίνειν, hoc eſt ſanitas iſta corporis atq; animi ſola abeſſet. Sed iam ſatis de eo, quo quicq; horum verborum tẽpore propriè dici ſolitum fuerit, à nobis expoſitum eſt. Fortaſsis autem dixerit quiſpiam, Tu verò immutato ordine illo, etiam ſi nihil aliud dixiſſes, tamẽ iure optimo accuſandus ac reprehendendus fores, perinde ac ſiquis galeam tibiæ, aut rurſum ocreas capiti alligatas imponat. Verùm, ô optimè (reſponderẽ & ego illi) meritò ſanè hæc diceres, ſiquod in vniuerſum tempus foret, quod ſanitate ſiue ſalute opus non haberet. Nũc autem & manè, & meridie, & noctu quoq; ſalute ac ſanitate ſemper opus eſt, & maximè principibus vobis, qui multis occupati negociis eſtis, eóque ad plura corpore integro ac ſano neceſſe habetis. Præterea autem ille qui χαῖρε, hoc eſt aue ſeu gaude dicit, auſpicato tantùm principio vtitur, ipſáq; res non aliud quàm precatio ſiue optatio quædam eſt: at qui valere iubet, ille & vtile quiddam facit, & omniũ eorum admonet ſimul, quæ ad ſanitatẽ ſiue ſalutem aliquid conferunt: neq; ſolùm comprecatur, verùm etiam denunciat atq; imperat. Quid autem? an non & in libello mandatorum ſeu negociorum, quod ſemper & à rege quoq; accipitis, hoc primum eſſe ſolet quod vobis præcipitur, quò ſanitatis atq; ſalutis veſtræ curam habeatis? Ac meritò ſané. Neq; enim vlla veſtri vtilitas ad res cæteras obeundas foret, niſi integri ac ſalui eſſetis. Sed & ipſi vos (ſi modò Romanum ſermonem ego quoq; nõnihil intelligo) cum ſalutantes viciſsim verbis accipitis, ſalutis nomine plerunq; reſpõdere illis ſoletis. Atq; hæc omnia dixi, non quòd de induſtria omiſſo verbo χαίρειν, pro eo τὸ ὑγιαίνειν dicere ſtudio quodam affectarim, ſed quia hoc ipſum inuito mihi accidit. Aut quomodo enim non ridiculus forem, ſi & aliena lingua loquerer, & tempora ſalutationum immutarem? Gratiam autem & Diis ago, quòd mihi erratum hoc in aliud longè auſpicatius verbum conuerſum fuit, atq; ipſe in melius, errando prolapſus ſum. Et quid ſi hoc Salutis vt etiam Aeſculapii ipſius prouidẽtia quadam factum eſt, qui tibi per me ſalutem ac ſanitatẽ promittere ita voluerit? Nam quo pacto ipſe equidem, niſi à Deo aliquo impulſus, quicquam eiuſmodi cõmitterem, qui antea per omnem ætatem nullo ſimili pacto turbatus atq; animo perculſus fuerim? Quòd ſi verò & humanam quandã defenſionẽ pro eo quod accidit, afferre conuenit: nihil nouũ aut peregrinum hoc eſt, ſi cum admodum in eo elaborauerim, vt ex optimo atq; potiſsimo tibi notus fierem, deinde ex nimia cupiditate ac feſtinantia in diuerſum animi cõſternatione quadam incido? Iam & à recta cogitatione atq; animi conceptu facilè etiam deturbauerit aliquem, militum multitudo atq; frequentia, quorum alii quidem aduerſos protrudunt & impellunt, alii autem ordinem ſalutantium impediunt & diſturbãt. Tu verò, ſat ſcio, quantumuis alii demẽtiam, aut inſcitiam, aut etiam delirationẽ quandam, factũ hoc interpretantur pro verecundiæ & ſimplicitatis quodam ſymbolo atq; indicio ipſe accepiſti, animíq; nihil forenſe aut vafrum, nihil artis aut calliditatis habẽtis ſignum eſſe exiſtimaſti, quandò certè nimia in his rebus audacitas, non multùm à temeritate atq; impudentia diſtat. At ipſe quidem optarim, vt ne vnquam contingat mihi in hunc modum errare: quòd ſi verò aliquando contingat, vt id in fauſtam & auſpicatam comprecationem aliquam ſemper euadat. Temporibus igitur primi Auguſti etiam tale quiddam accidiſſe dicitur. Nam cum ipſe ſorte quadam iudicio cuidam præſediſſet, ac cauſa rectè atq; legitimè iudicata, hominem quendam iniuſtè calumnioſéq; delatũ, à maximo quodam crimine abſoluiſſet, ille gratiam agere volens, alta voce proclamauit, Gratiam tibi, inquiens, Imperator habeo, quòd malè atq; iniuſtè iudicaſti. Ibi cũ cæteri qui circa Auguſtum erant, grauiter indignarentur, hominémq; diſcerpere ac lacerare vellent: Deſiſtite, inquit ille, ab indignatione. Neque enim linguam ipſius, ſed animũ examinare atq; inſpicere æquum eſt. Ita tum ille. At tu, ſiue animum inſpicere & contẽplari voles, beneuolum reperies: ſiue linguam, neq; ipſa inauſpicatum aut ominoſum aliquid dixit. Cæterùm videor hoc loci iam conſtitutus, non immeritò & aliud quiddam vereri debere, videlicet ne qui me putent ex cõpoſito erraſſe hoc pacto, quò hanc apologiæ ſcribendæ cauſam haberem. Atq; vtinam quidem, ô optime Aeſculapi, eiuſmodi hæc appareat oratio, vt non apologiæ ſpeciem, ſed oſtentationis alicuius captatam occaſionem præ ſe ferat.

Lucianus ſermonis latini non imperitus.

Intelligit, quòd cum ſaluere aliquem Latini iubẽt, illi cõtrà ſaluũ eſſe, quod & ipſum ὑγιαίνειν ſignificat, iubent.

HERM

HERMOTIMVS, SIVE DE Sectis,

Vincentio Obsopœo interprete.

ARGVMENTVM.

Hic dialogus didacticus est. Disputat autem de sectis philosophorum, quænam optima sit, & ad felicitatem, quam omnes promittũt, certissimè ducat. Et quia impossibile apparet, ex tam multis, támq; diuersa sentientibus, quid optimum atq; verissimum sit, eligere: tandem cõcluditur, satius esse nõ philosophari, quàm frustra ætatem ac operã in eo quod assequi nequeas, consumere. Series dialogi ita se habet, Occasio & exordium ab incessu & habitu Hermotimi Stoicæ philosophiæ sectatoris sumitur, qui quoniam viginti iam annos perpetuos philosophos audierat, neque tamen adhuc mediam ad virtutẽ viam superauerat, disputationi occasionem & materiam subministrat. Prima igitur quæstio tractatur, quãto omnino tempore opus sit ad virtutem & felicitatem consequẽdam, Luciano longitudinem illius vt nimiam accusante, Hermotimo autem contrà præmia & mercedem tanti laboris opponente. Atq; hoc disputationis proœmio, & quasi quadã sylua præmissa, mox ad principalem quæstionem venitur, puta quænam philosophorum secta certissima atq; optima sit, et quomodo eadem deprehendi debeat. Ibi Hermotimus Stoicam præferẽs, eiúsq; rei rationes quasdam non satis idoneas adhibens, à Luciano deridetur magis quàm cõfutatur. Idem autem mox totam hanc disputationem quasi deintegro orditur. Ac primò quidem Virtutis icone quadam proposita, ostẽdit, cũ multi adeo sint, qui viam ad illam polliceantur, in tam diuersa turba, támq; graui causa optimum & certissimum ducem quærendum atq; eligẽdum esse. Quem cum alter ex Stoicis sumendũ esse rursum diceret, eiúsq; rei argumentum etiam hîc non satis idoneum afferret, Lucianus per prosopopœiã reliquorum philosophorum, se ipsos immeritò causa indicta damnari, ac Stoicis istis recentioribus præponi querentiũ, apologiam subiungit, Hermotimumq; reprehendit, qui quos nũquam cognorit ac legerit, temere adeò damnet. Et hinc locum ita concludit, vt dicat, quoniã in incerto sit quænam philosophãdi via aliis præferri debeat, omnes æquè relinquẽdas esse. Hinc varijs similitudinibus vtrinq; res agitur, Hermotimo defendente Stoicam viam, et contendente apud vnum aliquẽ deprehensa veritate, non esse opus alios vltrà consulere: contrà autem opponente Luciano, sed apud vnum aliquẽ nondum inuentam ac deprehensam illam esse, & ob id pariter omnes perscrutandos & cognoscendos esse. Quo obtẽto, iam & de tẽpore agitur, quo ad cognoscendos omnes opus sit: quod tam longum præfinitur, vt impossibile videatur vel partẽ illorum etiam per omnem ætatem ab vno aliquo euolui atq; cognosci posse. Rursum igitur quod suprà concluditur, quoniã impossibile sit omnes euoluere, et tamẽ idem necessariũ, si veram viam ad virtutem deprehendere velis, satius esse in totũ ab illis abstinere. Et hinc quoq; ad similitudines deueniũt, Hermotimo cõtra hanc longitudinem temporis contendente, nõ esse necesse, vt omniũ omnia scripta euoluãtur, sed ex parte cognosci ac iudicari totũ posse: Luciano autem cõtrà negante, nisi si totũ idem vniforme sit, & antea aliquando, quale sit, visum ac cognitum fuerit. Nam philosophiam ipsam non vnius generis esse, sed de multis ac diuersis rebus tractare. Post hæc idẽ alijs quoq; argumẽtis ostendit difficultatem eligẽdi & iudicandi tum de ipsis vijs, tum de ducibus et præceptoribus. Deinde vt maximè de via & duce constet, inanem tamen ac vanam spem propositam esse, & hæc multis similitudinibus passim amplificantur. Postremò per fictionem concesso eo, vt Stoicorum optima via sit, testimonio ipsius Hermotimi comprobat, neminem adhuc illorũ inuẽtum fuisse, qui, quod promitteret alijs, ipse præstitisset. Deniq; & mores & vitam illorum cum officio & effectu virtutis pugnare: quod & exẽplo ciuiusdam Stoici præceptoris cõfirmat. Cõcludit igitur philosophandum hoc pacto non esse: id quod mox Hermotimus facit, ex pœnitentia, priore vita atq; habitu reiectis.

LVCIANVS.

QVANTVM cum ex codice, tum properandi studio conie cturam facere licet, Hermotime, ad præceptorem gradũ maturãti similis esse videris. Volũtas verò sedula agitatione inter progrediendum aliquid in animo, cùm ipsa labia cõmouere soleas sensim & tacitè submurmurando. Quinetiam ipsam manũ iam in hanc, iam in alteram partem trãsfers, quasi orationem aliquam apud te digeras. Quæstionem autem, aut alioqui ex obliquis illis captiunculis quiddam componis, aut etiam disceptationem sophisticam cõminiscris, ita vt neq; per viam incedens, ocium agere sustineas, verùm semper in negocio feruens & sedulus, nunquam non quidpiam seriæ rei conficis, adeò vt itineris quoq; laborem ad disciplinarũ exercitium referre soleas. HER. Sanè per Iouem Luciane, tale quiddam est quod dicis. Commodùm enim hesternæ disputationis conuersationem, quæq; ille ad nos disseruerat singula recogitãdo inter eundum in memoriam reuocabã. Aequum verò esse opinor, ne quod tẽpus vacuum laboris temere & negligenter prætereamus, præsertim cùm nobis obscurum non sit, verissimum esse quod medicus dixit Hippocrates, nimirum hãc vitam angustis circunscriptam esse terminis, ipsam verò artem infinitæ prolixitatis. Sedenim hoc ipsum ille de arte Medica protulit, quæ quidem

quidē res multò minore labore perdiſcitur: cæterùm philophia multo tempore haud ita comprehenſu facilis eſt, niſi quis ſumma vigilantia inconniuenter & perpetuò oculos habuerit in eā coniectos. Atqui neq; de paruis rebus aut iudicris in periculum venimus. Aut enim oportet miſeram & ærumnoſam in promiſcua priuatorū multitudine ætatē agere, aut philoſophiæ ſtudiis excultum, vitā felicem degere. Lvc. Enimuero ipſa præmia quæ dixiſti, ô Hermotime, admirationis plena ſunt, & quantiuis precii exiſtimanda. Porrò opinor illa ipſa ferme te cōtigiſſe, neq; ita procul à te eſſe ſepoſita, ſiquo modo fas eſt coniecturā facere ex temporis lōgitudine, quod in philoſophiæ ſtudiis perdiſcendis contriuiſti. Inſuper etiam ex labore, quē mihi non mediocrem iam olim impēdiſſe viſus es. Quippe, ſi rectè cōmemini, hic ferme annus eſt vigeſimus ex quo te nihil aliud rei face e cōſpexi, quàm præceptores frequētantem, & quamplurimùm libris prono & obſtipo capite intentum, ad hæc diſſertationum philoſophicarum cōmentarios deſcribentem, ſemper diutinis curis & cogitationibus pallidum, & exucco corpore prorſus aridū, adeò vt ſomni quoq; parciſſimus mihiviſus ſis: ea tua eſt in ſtudiis vrgendis frequētia & ſedulitas, Hæc itaque cùm mecum memoria repeterem, breui fore ſpero, vt exoptatam felicitatem apprehendas: atque adeò, niſi nobis ignaris impoſueris, iamdudum cum illa conuerſatus es. Her. Vndénam hanc animo ſpem cōcipis ô Luciane, qui ad viam prolato iam primùm capite proſpicere incipio? Ipſa porrò virtus, ſi quid Heſiodo credimus, valde procul ſita eſt, ad quam pertingēdam vt via eſt longa, ita non minus ardua & aſpera, non parū ſudoris & laboris viatoribus exhibens. Lvc. Ergo nondum ſatis tibi ſudatum eſt, neq; ſatis confectum itineris? Her. Mihi quidem non videtur: nihil enim prępedimento mihi eſſe viderem, quò minùs per omnia felix eſſem, ſi vnquam mihi conceſſum fuiſſet in ſummo faſtigio conſiſtere: nunc verò Luciane tantùm adhuc incipio. Lvc. Atqui principiū ille ipſe Heſiodus dimidium totius eſſe dixit. Itaque ſi iuxta medium te ingreſſum eſſe dixerimus, fortaſſe non multum à vero aberrabimus. Her. Nullo modo ne hoc quidem dixeris, quantumuis multum nobis confectum ſit. Lvc. Proinde vbi tandem in itinere te conſtitutum eſſe rectè dixerimus? Her. In ipſo montis radice cōſiſtentem, ô Luciane, modò porrò ire conātem. Eſt verò omnino via lubrica & aſpera, ac planè eo opus eſt, qui manu protenſa aſcendentē ſubleuet. Lvc. Nunquid igitur præceptor tuus ad hoc tibi ſatis idoneus eſt, quemadmodum Iupiter Homericus catenam quandam auream, ex ſummo demittens ſuas ipſius orationes opinor, quibus te videlicet ſubductum, cum ad ſe, tum ad Virtutem ſubleuare queat, præſertim cum ipſe multò antè aſcenderit? Her. Hoc ipſum profectò Luciane quod dixiſti, à præceptore ſedulò factum eſt. Etenim quātum ad illius operam attinet, iam olim ſubductus ſum, & cum illis conuerſationem habui: quantum verò ad me attinet, nondum aſcendi.

Lvc. Atqui bonum animum habere oportet, optima ſpe mente concepta, ad itineris finem & felicitatē in ſummo propoſitam conſpicientem, maximè verò illo animoſis inclamationibus cohortante & inclamante. Veruntamen valde ſcire velim, quænám ſpes ab illo tibi oſtenſa ſit ſuperato iam cacumine: an mox futurum coniectandū ſit, te in ſummo fore poſt myſteria, aut omnino poſt Panathenæa? Her. Perexiguū eſt quod dicis Luciane. Lvc. An poſt quinquennium iam ſubſequens? Her. Et hoc quidem modicum eſt, cum ad virtutem exercendam, tum ad felicitatis poſſeſſionem conſequendam. Lvc. Proinde ad ſummum poſt decennium: niſi extremè pigri & lenti haberi velitis, cùm neque tanto tempore ad virtutis faſtigium aſcendere queatis, quanto vnus aliquis ter à columnis Herculeis ad Indos vſque haud difficulter ire, atque redire poſsit, ſi non rectà aut citra intermiſsionem perpetua profectione iter faceret, verùm apud populos iacentes in medio pauliſper commoratus oberraret. Et quónam modo tandem credibile eſt, petram ſupra quam vobis Virtus habitare creditur, altiorem decliuiorémq; eſſe illa Aorna Indica, quæ paucis in diebus ab Alexandro ſumma vi euerſa eſt funditus? Her. Diſsimile prorſus eſt, quod adfers ô Luciane: neque enim eandem res eſt quam tu confingis, quę tam in exiguo temporis ſpacio cōfici aut capi queat, non ſi infiniti Alexandri ad vnum omnes ſuas vires coniunxerint: quoniam multi qui cōſcendere moliebantur, fuerunt: iam verò non parum multi valde forti aſcendūt animo, & proficiunt, partim quidem non nimium, partim verò altiùs. Cæterùm vbi mediū itineris iam attigerint, multis perplexi difficultatibus, protinus omnia faſtidiunt, & reuertuntur grauiter anhelantes, multóq; ſudore perfluentes, itineris laboribus abſterriti. Quicunq; autem omnibus gnauiter ſuperatis incommodis & diſcriminibus, in finem vſq; animoſè perdurauerint, illi tandem ad faſtigium vſq; conſcendunt, & ex illo felices facti, vitam quandam admirandam per reliquam ætatem exigunt, alios quidem mortalium non ſecus atque formicas è ſublimi contemplantes. Lvc. Papæ ô Hermotime! quātulos homunciones nos eſſe oſtendis, qui neque Pygmæis quidem ipſis nos conferre dignaris, ſed in totū humi repetentes, in cauernis terræ degere confingis? Non iniuriā alta & quæ ſurſum ſunt, ſapis. Nos verò infimæ plebeculæ extrema fęx, & quotquot per humum repentes ſumus, poſt deos etiam vos ſupplicibus votis deueneramur in alto cōſtitutos, animúmq; properandi addentes conſcendentibus. Her. Vtinam ſaltem aſcendendi facultas vnquàm nobis daretur! verùm multum adhuc viæ cōficiendæ ſupereſt. Lvc. At tu nondū expoſuiſti quanto temporis ſpatio opus ſit, vt in complexu virtutis interquieſcas. Hermo. Neque ipſe admodum hoc ipſum exactè calleo ô Luciane: opinor tamen non minus viginti annis peropus eſſe, qúibus exactis omnino me in ſummo faſtigio futurum eſſe confido. Lvc. O Hercules, perlongum eſt quod dicis. Herm. Siquidem de maximis

ximis rebus nobis labor eſt propoſitus. Lvc. Fortaſſe illud verum eſſe non valde negauerim. Quòd autem viginti annos adhuc victurus ſis, quónam modo præceptor tuus certum te reddidit, nedum ſapiẽs exiſtens, verùm etiam fatidico ſpiritu præditus, aut vnus ex illis qui Chaldaica diſciplina ſunt imbuti? Aiunt itaq; & hæc ſciri poſſe: neq; enim veriſimile eſt, adeóq; iniquum eſſet, vt tu vitæ tuæ incertus, num vnquam in humanis agens virtutẽ amplexurus ſis, tantos labores temere ſuſciperes, tot perpeſsis diu noctúque difficultatibus, pręcipuè verò cum prorſus ignores num in propinquo ſummitatis te conſiſtentem, imminens Parca pede correptum, atque ab omni ſpe potiundæ virtutis deiectum, deorſum detractura ſit. Her. Apage iſta, quippe nefas & irreligioſum eſt talia loqui ô Luciane. Atqui abunde ſat eſt ſi vnicam tantum dieculam ſapiens factus, felicitate illa perfruar. Lvc. Ergo pro tantis exantlatis laboribus vnius dieculæ ſpaciũ tibi ſatis eſſe videtur? Her. Mihi equidem breuiſsimũ etiam tempuſculum ſatis eſt. Lvc. Cæterùm illam ſupernè contingendam felicitatem, cuiuſmodínam ſit, cuius gratia dignũ exiſtimas nihil nõ perferendum eſſe, vndénam habes perſpectam & cognitam? neque enim ipſe vnquã in virtutis vſq; cacumen aſcendiſti. Her. At ego præceptori diſſerẽti fidem habere ſoleo, cui hæc ad vnguem explorata eſſe dubium non eſt, cum prę omnibus ſit in ſummo virtutis faſtigio excelſiſsimus. Lvc. Dic verò per Deos, qualiánam illic eſſe, aut cuiuſmodi tandem felicitatem gnauiter aſcendentes manere affirmabat? Nunquid confertas diuitias? an dignitatem & gloriam? aut. voluptates quaſpiã non æſtimandas? Her. Bona verba ô amice: neq; enim hæc quicquam faciunt ad vitam virtuti vacantẽ. Lvc. Quæ igitur ſunt illa bona, ſi ne hæc quidã hi qui ad exercitii finem deuenerunt, habituri ſunt? Her. Sapientiam, animi magnitudinem, ipſiúſq; honeſti & iuſti precium, præterea autem omnium rerum exactam & abſolutam cognitionẽ, certò & conſtanter perſuaſum nihil ſapientem deſideraturũ. Porrò diuitias, dignitates, voluptates, & cætera quæcunq; ſunt corporis, hæc inquam in vniuerſum infrà relinquit: quibus exutis & abiectis, omni euicta difficultate in ſummitatẽ emergit, non ſecus atq; Herculem in Oeta monte combuſtum, ad Deos migraſſe tradũt, & ipſum deum factum. Etenim ille cum à ſe abieciſſet quicquid à matre humani atq; mortalis contractum acceperat, ſeruata pura & incorrupta diuinitate, probè priùs extructæ pyræ incendio purgatus, in cælum ſubuolaſſe creditur. Ad hunc modum illi quoq; philoſophiæ opera & adminiculo tãquam igni quodam perpurgati, omnibus illis reciſis, & à ſe amputatis, quæ vulgi animis digna precio & admiratione videntur, parum recto & ſano vtentis iudicio, conſcenſo cacumine felicem & beatam degunt vitam, diuitiarum, dignitatum & voluptatum ne memores quidẽ ampliùs, è ſublimi deridentes eos potiùs à quibus hæc alicuius momenti eſſe ducuntur. Lvc. Ita ſanè per Herculem Oeteum Hermotime, eſt quædam animi excellentia, magnitudóque & felicitas, quæ penes ipſos eſt. Cæterùm hoc mihi quæſo ediſſere, an nunquam è faſtigio illo Virtutis, vbi velint, regrediantur poſtliminio, rebus quas à tergo reliquerunt, vſuri? An omnino neceſſarium eſt ſemel delatos in verticẽ, ibidem perpetuam vitam agere, eã ipſa Virtute ſuauiter conuerſantes, mediouvngue oſtenſis diuitiis, honoribus & voluptatibus? Her. Non ſolum hoc illis liberum eſſe ſcias ô Luciane, ſed quencunq; virtute conſummatum conſpexeris, eundẽ neq; iracundiæ, neq; timori, neq; vllis concupiſcentiis turpiter deditum eſſe aut ſeruire putato. Nõ, ſi rebus inſigniter dubiis iactetur, aut triſtitia affectus fuerit, vllum animo dolorem concipit. Lvc. Sedenim ſi fas foret me nihil reueritum veritatem proloqui: verùm ſatius eſſe opinor, optabiliora & iucundiora afferre in medium, neque religioſum eſſe accuratiore indagine ea perquirere quæ fiũt à ſapientibus. Her. Nequaquam: imò quicquid habes, audacter dicito. Lvc. Vide mi amice, quàm omnibus modis ad dicẽdum pigrè & cunctanter affectus ſim. Her. Atqui nihil eſt ô generoſe, quod apud me ſolum dicere reformides. Lvc. Enimuero alia omnia quæ dixiſti Hermotime, haud difficulter perſuaſus, ita ſe habere credidi, nimirum ſapientes eſſe philoſophos, & magno animo præditos, neque non æqui ſeruantes. Et mehercule nõ mediocrem tua oratione perſenſi dulcedinẽ. At vbi eoſdem affirmabas & diuitiarum contemptores, atq; etiam dignitatis & voluptatum negligẽtes eſſe, neq; moueri iracundia, neq; triſtitia conturbari: nõ potui (ſoli enim ſumus) non vehemẽter addubitare, cum in mentem ea mihi venirent, quæ nõ multò antè videbam fieri. Atque enim ſi placet, producam quendam, & ſi hoc non parum tibi eſſe videtur, etiam nullo edito nomine. Her. Nunquam facias, verùm nominatim perſtringe eundem, quicunque tandem fuerit. Lvc. Ille ipſe præceptor tuus, vir cum aliàs quidem venerandus, tum ætate penè confecta. Her. Quid igitur ſe indignũ admiſit ſceleris? Lvc. Hoſpitem illum Heracleotẽ, qui multo iam tẽpore in iiſdem philoſophiæ ſtudiis diſcipulus eius fuit, flauicomum & cõtentioſum illum nouiſti? Her. Noui quem dicis: Dioni, ni fallor, illi nomen eſt. Lvc. Illum ipſum dico: proinde cũ fortaſſe non reddidiſſet illi mercedẽ in tẽpore, ad prętorem paulò antè rapuit miſerũ, pallio eius collo iniecto vociferans & excandeſcens admodũ: & niſi è familiaribus quidã è manibus furioſi adoleſcentem eripuiſſent, qui forte fortuna ei rei interfuerãt, periculũ erat ne nares miſero mordicus auulſiſſet ſenex: adeò impotenter debacchabatur incenſus iracũdia. Her. Sem per quidẽ & aliàs durus & implacabilis eſſe conſueuit, ſiquis non in tẽpore pactam mercedẽ Luciane numeret: nunquam tamen aduerſus illos nõ paucos, quibus vſuræ pendendę gratia mutuò dedit vtendam pecuniam, quicquam tale deſignauit: ſiquidem ad præſcriptum tempus præſentaria pecunia ſemper reddunt fœnora. Lvc. Quid? ſuntne ô beate, qui illi pendant fœnora? An dum etiã illi à philoſophia diligẽtiſsimè perpurgato

purgato, earum rerum faciendarum cura eſt, quibus in Oeta relictis nihil opus habet? HERM. Equidem hæc ſui gratia, vt tu fortaſſe falſò ſuſpicaris, non facit, ſed ſunt illi infantes pueri, quorum, ne olim preſsi inopia grauiter egeant, curam habere cogitur. LVC. Atqui conueniebat ô Hermotime, vt & illos ad Virtutem ſubduceret, quò communi cum illo felicitate poſthabitis diuitiis vnà fruerentur. HER. Non eſt mihi ſanè hiſce de rebus tecum diſputandi ocium Luciane: accelero enim vt ipſum iam audiã, ne per omnem ætatem in obſcuro mihi deliteſcendum ſit. LVC. Bono animo eſto ô bone; quippe hodie à philoſophicis commentationibus vacatio promulgata eſt, Itaq; quod reliquum eſt itineris, tecum vnà conficiam. HER. Quomodo dicis? LVC. In præſentia quidem ipſius tibi non dabitur videndi aut audiendi copia, ſiqua fides inſcriptioni habenda eſt. Siquidem tabella quæpiam præ foribus ſuſpenſa literis maiuſculis in hunc loquebatur modum: Hodie philoſophicis diſſertationibus non vacabimus. Porrò tuum præceptorem apud Eucratem filiæ ſuæ natalitia celebrantẽ heſterna nocte cœnitaſſe dicebant: multa præterea in ſympoſio ſuper rebus philoſophicis commentatum eſſe: ad hæc aduerſus Euthydemum Peripateticum nonnihil exaſperatum eſſe, ſuſceptа cum eo ipſo his de rebus contentione, pro quibus nunquam non cum Stoicis digladiari ſolent Peripatetici. Præ nimia verò vociferatione, etiam capitis dolorem, & vehementẽ quidem contraxiſſe, & in multam vſque noctem ſudaſſe, producta in longum diſputatione. Quin etiam iuſto largiùs, vt arbitror, poculis ſemet inuitauerat, cum hi qui aderant, frequentiùs, vt par eſt, præbibentes, eundem philoteſiis prouocaſſent. Inſuper in ipſa cœna immodeſtiori crapula quàm ſeni conuenerat, ſemetipſum onerauit, adeò vt domum reuerſus multa euomere cogeretur. Solas verò carniũ portiunculas, quas puero à tergo aſsiſtenti in cõuiuio adſeruandas dederat, numeratas recepit, ne quẽ intromitteret, magnopere interminans. Hæc itaq; è Mida famulo eius audiui, diſcipulis quibuſdam commemorante, qui & ipſi, cum illorum eſſent non pauci, domum regreſsi ſunt. HER. Vter verò illorum Luciane, obtinuit victoriã, præceptor meus, an Euthydemus? Nunquid etiam tale quippiam Midam commemorantem inaudiſti? LVC. Initiò quidem, Hermotime, aiebat illos penè per omnia fuiſſe pares, ipſum verò finem victoriæ tandem penes vos fuiſſe, ita vt ſenex longè fuerit in pugna ſuperior: Euthydemum porrò incruentum haudquaquam abiiſſe, nempe qui permagnum in capite inflictũ vulnus haberet. Cum enim immodicè eſſet arrogans & contentioſus, nec perſuaderi vellet, neque ſeni ſe præberet facilè redarguendum atq; conuincendum, præceptor tuus ille vir optimus eidem iuxtà accumbenti inuſitata magnitudine & põdere ſcyphum Neſtoreum, quem fortè tenebat in manibus, fortiter incutiendo in caput illiſit: atq; hac quidem ratione victoriæ palmã ſuperato aduerſario obtinuit. HERM. Macte animo præceptor: atqui haud ſanè alio modo æquum erat agere cum his qui recuſant cedere melioribus. LVC. Probabilia quidem admodum ſunt quæ dicis, Hermotime. Quorſum enim attinebat vt Euthydemus hominem ſenem exaſperaret, alienum ab iracundia, animóq; longè præſtantiorem, ſcyphum inſuper tam grandem & grauem tenentem in manibus? Sedenim ocium iam agimus: quid obſtat quò minùs mihi tuo familiari exponis, quónam modo ſub initium philoſophari inceperis, vt & ipſe, ſi fieri poſsit, communem vobiſcum profectionem ſuſcipiã, nunc primùm facto ad eandem exordio? Neque enim temere me excludetis à communi itinere, hominem familiarem. HER. Si modò hæc res tibi cordi eſſet Luciane, breui videbis quantum excellas omnes cæteros. Pueros, ſat ſcio, opinaberis omnes alios præ te tantum ipſe ingenio & intelligentia præpollebis. LVC. Mihi verò abundè ſatis eſſet, ſi poſt viginti annos iam exactos talis euaderem, qualis tu nunc es. HER. Profectò & ego ipſe cùm in tua eſſem ætate, tunc primùm ad philoſophiam animum appuli, iam ferme annos quadraginta natus, à quibus te non multũ abeſſe arbitror. LVC. Rem ipſam putaſti Hermotime: tot enim annos iam habeo. Quare ſi eam iam comprehẽſam tenes, age & me adducito: haud enim iniuſta poſtulo. Et primum quidem hoc mihi reſponde, éſtne philoſophiæ candidatis relicta & conceſſa contradicendi libertas, ſi quid parum rectè dictum illis videbitur, aut non hæc libera eſt natu iunioribus? HER. Haud admodum: tibi tamẽ ſi quid volueris, interea & quærendi & contradicendi facultatem liberam facio: ita enim facilius perdiſces ſingula. LVC. Euge ſanè per Mercurium, ô Hermotime, dic mihi: éſtne vnica via ad philoſophiam adducens, videlicet Stoicorum veſtrorum? Niſi enim falſa audierim, etiam alios complures eſſe certum eſt. HER. Et valde quidem multi ſunt, videlicet Peripatetici, & Epicurei, & qui Platonis titulo philoſophiam profitentur. Sunt item complures quoque Diogenis & Antiſthenis aſſeclæ, tum etiã ipſius Pythagoræ imitatores, & alii his quoque longè numeroſiores. LVC. Vera ſunt hæc: omnino enim illorum magnus eſt numerus. Vtrum autem Hermotime eadem omnes vno ore dicant, an diuerſa? HERM. Diuerſiſsima. LVC. Prorſum tamen vnum alicubi eſſe verum, in quo conſentiant omnes, credibile eſt: ita vt non omnia pugnent quæ ab illis pro vero affirmantur. HERM. Admodum. LVC. Proinde age ô amice hoc mihi expedi, cuínam fidem habuiſti tu ſub initiũ quando ibas philoſophiæ operam daturus, cum multas videres ianuas tibi apertas & patentes, omnibus aliis progrediendo deuitatis, in Stoicorũ potiſsimùm diuertens, tanquam hæc ſola vera fuerit, ac illa quæ compendioſam ad virtutẽ viam ingredientibus exhiberet, aliis omnibus in obliqua & deuia ducentibus? Quibúſnam argumẽtis aut coniecturis hęc tum potuiſti deprehendere? Ac mihi non eam qui nunc es, in animo concipe, ſiue ſemiſapientem, ſiue abſolutæ ſapientiæ Hermotimum, qui nunc præ multis millibus optima diſcernere

Iliad. xi. vide Neſtorei poculi deſcriptionem.

Quænam philoſophãdi via potiſsima ſit, & quæ certiſsimè ad virtutem & felicitatem ducat.

diſcernere & iudicare poſsit: ſed ita reſponde ac quiſpiam homo idiota, qualem tunc agebas, aut ego nũc poſsim. HER. Quid ſibi hæc tua verba velint Luciane, haud intelligo. LVC. Atqui non admodum obliquum eſt quod percontabar, cum multi ſint philoſophiæ principes, videlicet Plato, Ariſtoteles, Antiſthenes, præterea maiores noſtri Chryſippus & Zenon, aliiſq; cõplures quotquot tandẽ ſunt, euínam inquã credidiſti poſthabitis & omiſsis aliis, vt ea ex omnibus deſumẽs, quæ quidem à te ſelecta ſunt, ſuſtineas iuxta illa philoſophiæ ſtudiis incumbere? Nunquid etiam te, vt Chærephontẽ, Apollo Delphicus ad Stoicorum placita delegauit, vbi prædixiſſet oraculo illos ex omnibus longè eſſe optimos? Siquidẽ illi mos erat, alium ad aliam philoſophiæ rationẽ & formam cohortandi, quippe cui probè perſpectũ erat, vt opinor, quæ cuiq; potiſsimùm congrueret. HER. Nihil tale eſt ô Luciane, neque de his vnquã deum cõſului. LVC. Quid? an indignam æſtimabas hanc rẽ diuina conſultatione? aut ipſe ſufficiens tibi videbare, qui quod optimũ erat & præſtantiſsimum, per teipſum poſſes eligere, nõ conſulto Deo monitore? HER. Ita mihi quidẽ videbar LVC. Quin igitur & nos iſthuc ipſum doces, quónam modo ſtatim ab initio queamus noſcere quæ optima ſit & veriſsima philoſophãdi ratio, & quam quiſpiam prætermiſsis aliis rectiſsimè eligeret? HER. Ego haudquaquã iſthuc dicere grauabor. Cum multos viderẽ ad eandem certatim viam affectãtes, facilè æſtimabam Stoicam philoſophandi rationem cæteris eſſe præſtantiorem. LVC. Quorum igitur numeroſior erat turba, Epicureorũ, an Platonicorũ, an Peripateticorum? Proinde illos numeraſti veluti inferendis colligẽdiſq; ſuffragiis vſu venire ſolet. HER. Atqui non numeraui, ſed coniecturis deprehendi. LVC. Vt quid igitur me tãtopere cupientem non doces, ſed vana ſpe lactas ac decipis, affirmans de tantis rebus coniectura & multitudine fretũ iudicaſſe? HER. Non ſolùm hoc quidẽ ô Luciane, ſed omnes quoq; cæteros mortales ſæpenumero affirmantes audiui, Epicureos quidẽ eſſe corruptos deliciis, voluptatumq; extremè amantes. Peripateticos autẽ ad rem attentiores, parandis cumulandiſq; diuitiis inſeruire, & quoſdã ex illis immodicè cõtentioſos. Porrò Platonicos arrogantes, & nimio faſtu turgidos, gloriæq; cupiẽtiſsimos. Cæterùm de Stoicis multorum ſemper idem fuit teſtimonium, videlicet quòd viriles eſſent maſculo animo prẽditi, & nihil illos fugeret, & quòd eam viã ingreſſus ſolus rex, ſolus diues, ſolus ſapiẽs, breuiter in vniuerſum nihil non eſſet. LVC. Videlicet iſta tibi de illis dixerunt alii. Neq; enim veriſimile eſt hæc illis de ſe ipſis prædicantibus, ſuáq; ſuperbè collaudantibus te credidiſſe. HER. Nõ, verùm hæc ab aliis prædicata audiui. LVC. Facilè tamen coniicio hęc diuerſę ſectę & opinionis affirmaſſe neminem. Quare an illi quos tu te audiuiſſe prædicas, è numero philoſophantium fuerint, neſcio. HER. Ne ii quidẽ. LVC. Proinde homines idiotas hæc dixiſſe credibile eſt. HER. Et valde quidem. Vide obſecro vt iterum me deceptum ab omni ſpe deiicere ſoleas: neque verum ſermonem exponis, ſed exiſtimas te cum Margita quopiã inſulſo & ſtupido verba facere, vt planè perſuaſum haberem, Hermotimũ virum ſingulari præditum eùm ingenio tum induſtria, annos nunc natum quadraginta, hominibus tamen idiotis de ſapiẽtiæ ſtudio, déq; viris philoſophiæ candidatis credidiſſe, illorúmq; inductum teſtimonio & prędicatione, rectiore via philoſophãtium electionem feciſſe: neq; enim iſta tibi prædicãti facilè crediderim. HER. At ne hoc quidem te fugiat Luciane, me non ſolùm credidiſſe aliis, verùm mihi quoq; ipſi. Etenim conſpiciebam illos honeſtè & ornatè incedẽtes, ſplendidè & decenter amictos, nunquam non certis cõmentationibus cogitabundo animo intentos, aſpectu tetricos & terribiles, demiſſa barba, & longa coma venerandos, nihil molle aut parum virile, aut citra delectum aliquid admittẽtes, quod quidem aliis ſtuporem induceret, aut planè videretur impudens & Cynicũ, ſed in media & regia via conſtitutos, quæ quidem ab omnibus affirmabatur eſſe optima. LVC. Nunquid igitur & hæc illa quæ paulò antè pręceptorem facientẽ me vidiſſe teſtabar, ipſos deſignãtes vidiſti? videlicet fœnori & vſuræ ſeruientes, amarulenter & contentioſè mercedem à diſcipulis exigentes, in conuiuiis aut colloquiis immodeſtè & pertinaciter digladiantes, aliáq; quæcunq; indecorè plerunq; peccare conſueuerant? Aut fortaſſe harum rerũ nullam curam habẽdam eſſe exiſtimas, modò veſtitus ſit probè mundus, & nitidè cõpoſitus, & barba profunda, prolixáq; in capite cæſaries? Quare in poſterum, vt video, hic nobis certus erit canon & regula rectè philoſophãtes exactè cognoſcendi, quem videlicet proponit Hermotimus: oportétq; omnino ex habitu mundiore, grauioréq; inceſſu, & capillo prolixiore, optimorum cognitionem ſumere. Itaq; cui hæc deeſſe viderimus, neq; ille tetricus fuerit, aut perpetuis intentus cogitationibus obambulauerit, reprobãdus, & nihili æſtimandus eſt. Sed vide Hermotime, ne & hæc illudendi gratia ad me dixeris, periculum faciendo num deceptum me eſſe ſentiam. HER. Quorſum iſtud dicis? LVC. Quòd hæc, ô bone, rectiùs ſtatuarum ſit cognitio atq; indagatio, quam tu ab habitu ſumendam eſſe dixiſti. Omnino enim illæ habitu ferè ſunt elegãtiore, & amictu ornatiore, quas aut Phidias quiſpiam, aut Alcamenes, aut Myron ad pulcherrimum abſolutæ formæ archetypum expreſſerit. Quòd ſi etiã maximè inde coniectura capienda eſt in illis dignoſcendis, quid ille aget, qui viſu captus, philoſophiæ perdiſcendæ deſiderio tenetur? Qui enim fieri poſſet, vt in habendo delectu non tota via aberret, cum neq; habitus neq; inceſſus perſpiciendi facultatem habeat? HER. Ego verò ô Luciane, non ad cæcos verba facio, neq; illorum mihi quicquam curæ eſt. LVC. Atqui conueniebat, ô bone, vt tantarum rerum, adeóq; omnibus neceſſarium cognitu, communis quædam eſſet cognitio. Sedenim quandò ita tibi videtur, à Philoſophiæ commercio cæci excluſi maneant, poſteaquam orbati ſunt oculis: tametſi cùm pri-

mis operę preciũ mihi videbatur, illos prę omnibus aliis Philoſophiæ ſtudio incumbere, ne acceptam amiſsi viſus calamitatem ferrent immoderatiùs. Cæterùm illi qui probè vident, etiamſi fuerint perſpicaciſsima oculorum acie prædíti, quónam pacto ea quæ in animo tecta ſunt, peruidere poſſunt ab illa externa veſtitus munditie? Niſi enim me fallat animus, tale quiddam eſt quod dicturus ſum, nimirum te parandæ & colligendæ ſapientię cupidine cum iſtiuſmodi viris conuerſari, vtque ea in dies aucta, cumulatiùs euadas melior. HER. Et maximè quidẽ. LVC. Quî igitur tibi promptum fuit, atque adeò factu potsibile, vt ab iis ipſis quas dixiſti cognitionibus, philoſophantem aut ſecus perſpiceres? Neque enim iſta perinde ſolent propalam eſſe conſpicua, ſed ſunt abſtruſa valde, atque adeò in obſcuro repoſita, quæ multis vix orationibus & congreſsibus, poſtremùm verò operibus cõſimilibus licet animaduertere. Qualia enim Momus in Vulcano reprehenderit, opinor aliquando inaudiuiſſe te: quòd ſi me fallit opinio, audi iam nũc: ſic enim habet fabula: nimirum Mineruam, Neptunum, & Vulcanum contentionem inter ſe ſuſcepiſſe de artificii principatu & præſtantia: atque ipſum quidem Neptunum taurum effinxiſſe, Mineruam verò domum excogitaſſe: porrò Vulcanus hominem cõpoſuit, fabricauítq;. Cæterùm vbi iam ad Momum ventum eſſet, quem certaminis arbitrum & expenſorem elegerant, & ille ſingulorum opera diligentiſsimè inſpexiſſet: in aliis quidem quæ reprehenderit, ſuperuacaneum fortaſſe foret referre: illud tamen in hominis opificio potiſsimum calumniatus eſt, atq; ipſum quidem architectum Vulcanum non mediocriter perculſit, quòd artifex non in pectore oſtiola quædam addidiſſet, quibus apertis & reclusis perſpicuum fieret omnibus, quid ille velit, aut in animo ſtrueret & cogitaret: num mentiretur, an verum diceret. Atque ille quidem velut cæcutiens ſic de hõminibus ſtatuit: tu verò nobis ipſo etiam Lynceo es perſpicacior, qui, ſicuti videtur, per pectus ipſum quæ intus ſunt cernis, ſuntque tibi aperta omnia, adeò vt non ſolùm certò teneas, quid quiſq; velit aut cogitet: verùm etiã vter ſit melior aut deterior. HER. Tu quidem Luciane ludos ex me facis, ego verò Apollinis ductu & auſpicio delectũ habui, neq; prorſus electionem moror: atque hæc quidem ſatis Hermotimo. LVC. Attamẽ ne ſic quidem mihi dignaris exponere, ô amice, ſed me in ima vulgi fęce verſantem ſuperbè contemnis. HER. Nihil fortaſſe illorum tibi placebit, quæ dixero. LVC. Nequaquam, ô bone, verùm nihil eorum vis dicere, quod me delectaturum eſſet. Et quia tu me celas de induſtria, nobis inuidens, ne fortè tibi pares euadamus, ſi Philoſophiæ indagandæ ſtudio operam nauaremus: periculum faciam, ſi quo modo fieri poſsit, vt per me exactam iudicandi rationem, miniméq; fallibilem delectus habendi viam inueniam. Quocirca tu, ſi volueris, arrectis auribus attento fac ſis animo. HERMO. Prorſus iſtuc volo, ô Luciane: fortaſsis quiddam ſcitu dignum dicturus es. LVC. At vide ne naſo me ſuſpendas, ſi illud omnino ruſticè & ineptè propoſuero. Ita enim facto opus eſſe video, poſteaquàm tu, qui harum rerum es multò peritior, illud manifeſtiùs & diſertiùs explicare grauaris. Itaq; Virtutem vrbis inſtar eſſe fingas volo, quæ ciues habeat honeſtiſsimè & integerrimè Rempub. adminiſtrantes, quemadmodum tuus quoq; præceptor, qui iſthuc aliquando peruẽnit, idem hoc affirmare non dubitat: præterea ſumma ſapientia viros exornatos, magno infractóque animo præditos, iuſtitiæ ſeruantiſsimos, modeſtia admirandos, parum infra Deorũ conditionem conſiſtentes. Cuiuſmodi multa apud nos deſignantur, rapina, violentia, iniuria, habendi cupidine: eorum flagitiorum ne tantillum quidem quenquam audere in ea vrbe conſpicere: ſed pacati & concordes Reipublicæ munia ſimul obeunt, & adminiſtrant. Nec iniuria. Ea enim quæ aliis in vrbibus ſeditionum & factioſarum contentionum concitandarum occaſionem ſuppeditant, quorúmque gratia alter alterum clandeſtinis petit inſidiis, ea inquam omnia è medio illorum ſublata & remota ſunt. Neque enim aut aurum, aut voluptates, aut honores habent in precio, tanquam alicuius momenti iſta apud illos habenda ſint, verùm iam olim hæc in vniuerſum, tãquam parum neceſſaria exiſtimantes ad bene gerendam Remplicam, vrbe eiecerunt. Itaque tranquillam quandam & omnibus modis felicem degunt vitam, bonis legibus, æqualitate, libertate, & omnibus denique bonis inſtitutam. HER. Quid igitur ô Luciane? an non tibi videtur ęquiſsimum eſſe, vt omnes certatim eius vrbis ciues fieri deſiderent, ita vt itineris tam laborioſi moleſtiam pro nihilo reputent, neq; temporis longinquitate victi animum deſpondeant, certò & conſtanter perſuaſum habentes, ſe omni euicta difficultate in ciuium numerum relatum iri, eiúſque politiæ ſe participes futuros? LVC. Sanè per Iouem, ô Hermotime, omnibus omnes neruos in hoc intẽdendos eſſe arbitror, cætera verò negligenda. Nec patriæ tenaciter nobis inhærentis magna cura habenda eſt: neque valde moueri decet, aut frangi animo, parentum aut liberorum nos detinentium complorationibus: ſed & illi pari opera ad eandem profectionem nobiſcum ſuſcipiendam cohortandi ſunt. Quòd ſi aut ſequi nos recuſauerint, aut per ætatem non potuerint: illis relictis & poſthabitis, rectà ad vrbem omniũ feliciſsimam animoſè tendendũ erit, reiectis etiam veſtimentis, ſi eiſdem amicti detineremur, illic haud dubiè conueſtiendi. Neque enim periculum eſt, ne quis te eò nudo corpore delatum excluſurus ſit. Iam enim & aliàs virum multa canicie reuerendũ diſſerentem audiui quínam illic ſe res haberent: méq; magnopere cohortabatur ille, vt me ſibi ad vrbem eunti comitem adiungerem: ſiquidem pollicebatur itineris ducẽ ſe fore, & quòd me ciuitate donare vellet, vnámq; ex tribulibus facere, ſuo adſcriptum ſodalitio, adeò vt nulla non ex parte bene & feliciter agerem. Cæterùm ego id ætatis rectè monenti nõ obtemperabam, ſtultitia & rudibus annis dehortantibus: nondum enim

Virtus, vrbis inſtar optimè inſtitutæ.

enim egreſſus eram annum quintũ & decimum. Fortaſsis ſi ſecutus fuiſſem, iam in ſuburbio aut præportis cõſiſterem. Porrò de ciuitate, ſi rectè commemini, cùm alia multa, tum hæc quoque prædicare ſolebat, quemadmodum omnes eius vrbis incolæ eſſent aduenæ & peregrini, nec vllus eſſet indigena. Quin etiam illud addebat, nõ parum multos in eadem Repub. verſari barbaros, & ſeruilis conditionis homines, informes, modicos, pauperes: breuiter neminem non eius Reipub. fore participem, quem penes modò voluntas eſſet eò tendendi: quandoquidẽ illis morem ciuitate donandi aduenas, affirmabat non ſumi aut ab externa cultus & veſtitus elegantia, aut à corporis proceritate & formoſitate, neq; à generis ſplendore, aut claris maioribus, ſed ea pro nihilo æſtimari apud illos. Oportere tamen eos qui ciuitatis ius indipiſci velint, intelligentia inſtructos eſſe, rerúmque honeſtarum tangi cupidine, labore non frangi, nullis voluptatum illecebris capi, neque effœminari, aut emolleſcere rebus dubiis & difficilibus inter eundem ingruentibus. Quiſquis itaque hæc præſtiterit, expoſuſtque vbi primùm vrbem attigerit, actutum in ciuium communionem aſſumitur, quicunque tandem fuerit, parem experturus honorem. Porrò peior, an melior, an nobilis, an ingeneroſus, an ſeruus, an liber, aut an prorſus infimæ ſortis & conditionis homo ſit, in ea ciuitate ne nominantur quidẽ. HER. Hinc perſpicere potes Luciane, quòd non temere aut pro rebus ficulneis tantos ſudores perferam, cum adeò felicis & exoptatæ Reipub. ciuis fieri concupiſcam. LVC. Et ego quidem harum rerum communi tecum cupiditate teneor: atque haud ſcio, an quicquam ſit, quod perinde præ his mihi votis expetendum putẽ. Iam ſi in propinquo vrbs ſita foret, & omnium proſpectui expoſita: iam olim, vt ſcis, nulla animi ambiguitate præpeditus, eam fuiſſem ingreſſus, ínque ea multum iam temporis verſando cõtriuiſſem. Peſteaquàm verò (quemadmodum vos perhibetis, nimirum tu, & Heſiodus ille rhapſodus) valde procul hinc remota eſt, operæprecium mihi eſſe videtur, vt & viam ipſam quæ rectà nos ad vrbem ducat, inueſtigemus, nec minus operæ & ſtudii in duce quãoptimo deligendo ponamus. An nõ ita quoque tibi faciendum videtur Hermotime? HER. Et quínam alia ratione eò quis peruenire? LVC. Nõne vides igitur immenſam multitudinem promittentium & affirmantium ſe viæ peritos eſſe? Multi enim ad hoc parati circunſtant, quorum nemo non ſe indigenam eſſe perſanctè deierat. Cæterùm non eſſe vnam tantùm viam, illud apparet liquidò, ſed innumeras & valde diuerſas, nec quicquam habentes, in quo inter ſe conueniant. Nam hæc quidẽ ad occidentalem plagam vergit, illa ad ſolem exorientem: mox altera ad Septentrionem viatorem ducit, altera verò rectà ad meridiem. Rurſus hæc quidẽ per florida prata, & molles plantas ſub vmbra amœna & delectabili, nihil habens aſperitatis aut difficultatis: altera autem petricoſa, & omnibus modis aſpera, multum exhibens viatoribus cum ſitis tum ardoris, tum etiam laboris & moleſtiæ. Et tamen omnes illæ cum multæ ſint, ad eandem vrbem, quæ vna eſt, tendere perhibentur, tametſi ſint inter ſe diuerſiſsimæ. Inde incredibilis animum meum habet perplexitas & hæſitantia. Etenim in quacunq; forte fortuna incidero, virũ quempiam circa ingreſſum diuerticuli conſiſtentem offendo, antiqua virtute & fide admirandum, ſtatim in introitu accedenti manus porrigentem, vehementérq; cohortantem, vt ipſius viam ingrediar: vſqueadeò certatim vnuſquiſque illorum ſe cõpendioſæ viæ gnarum eſſe iactat identidem, alios verò tota via aberraſſe, neq; vnquã eò peruenisſe, neque aliorum inſequentium duces eſſe poſſe. Tandem vbi proximum acceſſero, audio & illum de via ſua magnificè pollicentem, alióſq; malitioſè vituperantem. Ad eum quoq; modum facit is qui huic vicinus eſt, & ſic deinceps omnes reliqui. Hinc itaque viarum multitudo & diuerſitas non medioceriter me conturbant, animúmq; meum incertum diuerſè diſtrahunt, maximè verò duces ipſi præter modum vociferantes, dum quiſque ſua immodicis laudibus deprædicat. Neque enim calleo in quam declinans, aut quem potiſsimùm ex ducibus ſecutus, vrbem accedere queam. HER. At ego te Luciane ab omni hæſitatione liberabo. Etenim haud facilè, ſi iis qui ante nos idem itineris confecerunt, fidem habueris, aberrabis. LVC. Quibus tu habendam fidẽ dicis? aut quem ex ducibus ſequuti ſunt? aut per quã viam ingreſsi ſunt? Iterũ enim nobis ſub alia forma eadem apparet animi perplexitas, à rebus ad homines tranſlatis. HER. Quónam modo iſthuc dicis? LVC. Quoniamquidem qui in Platonis viam digreſſus eſt, & illo duce ſe in viam dedit, illam haud dubiè laudaturus eſt: rurſus qui Epicurum ducem ſibi ſequendum elegit, Epicuri: ita omnino alius aliam commendabit: tu verò veſtram omnibus aliis præferes. Aut non ita futurum eſſe Hermotime credendum eſt? HER. Et cur non? LVC. Proinde ab ancipiti animi perplexitate me non liberas, cùm etiamnum ignorem ex viatoribus cuínam potiſsimùm fides adhibenda ſit. Video enim vnumquenque illorum, & ipſum, & ducem eius, vnius tantùm viæ feciſſe periculum, ac illam laudare, affirmantem hanc ſolam eſſe quæ perducat ad vrbem. Ego autẽ num verum dicat, ſcire non poſſum. Quòd enim ad finem aliquem delatus ſit, & ciuitatem quandam conſpexerit, fortaſſe illi haud difficulter conceſſerim: cæterùm num illam viderit quam oportebat, in euius Repub. ego & tu verſari concupiſcimus, in Corinthum delati, ille autem Babylonem profectus, Corinthum ſe vidiſſe putarit: hoc quidem etiamnum mihi incertum eſt. Neque enim ille qui aliquam ciuitatem vidit, ſtatim & Corinthum vidit, ſiquidem non ſola Corinthus eſt ciuitas. Quod autem omniũ maximè me facit animi incertum & ambiguum, illud eſt, quòd ſciam neceſſariò vnam atq; adeò veram eſſe viam: ſiquidem nec plures quàm vna Corinthus eſt, aliæ autem quoquò gẽtium magis viatorẽ quàm in Corinthum perducunt. Niſi quis vſqueadeò delirus eſſet, &

Vrbis virtutis incolæ, aduenæ omnes & peregrini.

Via ad virtutem.

mente captus, vt putaret & eam quæ ad Hyperboreos, & eam quæ ad Indos tendit, in Corinthũ recto tramite perducere. HER. Quónam pacto hoc fieri posset ô Luciane, cùm alia aliò tendat? LVC. Proinde, ô bone Hermotime, nõ mediocri opus est consilio in eligendis cum viis, tum ducibus. Neq; illud vulgò iactati prouerbii cõmittendum est, vt quòcunq; nos pedes duxerint. eò inconsultò abeamus, quo modo ita haud dubiè decepti pro Corintho ad Babylonios aut Batra abiremus. Atqui ne hoc quidem valde mihi consultum factu videtur, vt fortunæ tantam rem cõmittamus, tanquam optimam fortasse apprehendentes, si citra omnem viarum exactam perueſtigationem, in vnam aliquam quamcũq; tandem temere irrueremus. Nihil enim obstat quò minùs & fieri possit, & fortasse iam olim in tanta temporis longinquitate factum est. Haudquaquam verò æquum esse opinor, vt tam inconsideráter de rebus adeò magnis spem abiiciamus, aut ita in augustum coactam constringamus, virgultea scapha (quod aiunt) Aegæum aut Ionium transmittere volentes. Neq; enim rectè aut probabiliter fortunam incusaremus, si sagittando & iaculando non prorsus assecuta sit veram illam viam, vnam nimirum inter tot infinitas falsas & erroneas existentem: quod nec Homerico quidẽ sagittario concessum fuit, qui cùm debuisset columbam arcu fixam deiicere, linea vincula rupit: opinor autem fuisse Teucrũ. Sedenim hoc multo magis rationi consentaneum est, spem habere multa vulnerandi, & iaculo petendi, quàm omnino illud vnum ex omnibus: quoniam periculum non mediocre est, si pro recta & compẽdiosa via in vnam ex erraticis & deuiis imprudentes incideremus, sperantes fortunam meliorem pro nobis electuram esse. Opinor autem in tali re comparatione vtendum, & demonstrandũ esse. Neq; enim promptum & facile est reuocare cursum, saluúmq; & incolumen retro euadere, si quis soluta naui, mari semet cõmiserit: verùm necessarium est, in pelago fluctuũ arbitrio iactari & circumferri, nauseantem vt plurimùm, & metu perculsum, capitéque marinis fluctibus grauatum, Aequum verò fuerat, sub initium priusquã vela ventis permisisset, conscensa specula explorare si mare esset nauigabile, & secundus flaret ventus Corinthum nauigare volentibus. Et per Iouem quidem gubernator quispiam optimus summo cum iudicio illi deligendus fuerat, præterea nauis satis firma conquirenda, quæ tantis fluctibus & cursui par esse potuisset. HER. Est quidẽ Luciane, quod dicis, nõ improbandũ. Verùm enimuero hoc satis certò scio, quòd si etiam per circulum omnes ad vnũ accesseris, non tamen alios inuenies neq; duces meliores, neq; gubernatores maiori peritia præditos, quã Stoicos. Atq; si animus tibi est aliquando Corinthum perueniendi, illos sequẽdos esse putabis, per Chrysippi & Zenonis vestigia incedendo, alioqui frustra hanc viam tentabis. LVC. An non sentis, ô Hermotime, commune quiddam te dixisse? haud dubiè enim hoc ipsum dixerit & quisq; qui cõmunem cum Platone viam ingreditur, & qui Epicurum ducem sequitur, insuper & alii, me videlicet Corinthum nunquam venturum, nisi cum illorum aliquo intineri memet accingam: ita vt necessarium mihi esse videam, aut omnibus sine discrimine credere, quod absurdissimũ est: aut omnibus iuxtà diffidere, quod quidem multò tutissimum esse opinor, donec vera pollicentem inuenerimus. Age verò, si quemadmodum nũc ignarus sum, etiamnum certum non habens quínam ex omnium philosophantium ordine & numero verum diceret, vestræ sectæ me addicerem, habita tibi fide viro amico & familiari, attamẽ Stoicæ saltem philosophiæ perito, tantúmq; vnicam illam viam ingresso: postea verò Deorum aliquis ab inferis in vitam reuocaret Platonem & Aristotelem, præterea etiã alios omnis generis philosophos: illi autem circunsistentes interrrogarent, & per Iouem quoq; in ius pertractum contumeliæ accusarent, dicentes: Quid verò passus es optime Luciane, aut à quo persuasus Chrysippum & Zenonem nobis, qui multò antè fuerimus, proposueris, homines heri & paulò antè natos, cum nos neq; sermonis participes feceris, neq; prorsus quæ loquamur tentaris? Quòd si hæc ab illis dicerentur, quídnam illis responderem? An satis mihi fore existimas, si dixero me ab Hermotimo viro familiari ita persuasum esse? Atqui dicerent, sat scio, Nos verò Luciane, quis ille sit Hermotimus, iuxtà cum imperitis ignoramus, sed neq; ille nos nouit: quare æquum non fuit, omnibus in totum repudiatis, nos indicta caussa condemnare, fidem dantem viro vnicam tãtùm in philosophia viam, sed neq; illam fortasse exactè satis perspectam habẽti. Sedenim legum conditores ô Luciane, ad hunc modum non imperant faciendum iudicibus, nimirum vt altero tantùm audito, alteri facultas pro se loquendi ea quæ ex vsu suo esse intellexerit, non concedatur: verùm vtrunque iuxtà audiendum esse præscribunt, quò facilius diuersis sermonibus inter se examinatis & perpensis, quæ vera, quæ falsa sint, inuenire queant. Quod nisi sic factitatum fuerit, permittit lex appellandi libertatem, vt in aliud iudicium ea transferantur, quæ illos loqui par est. Aut si quispiam fortasse illorum me interrogaret, dic mihi, inquiens, ô Luciane, siquis Aethiops qui nunquam alios homines conspexisset, quales nos sumus, propterea quòd nunquam peregre extra patriam profectus sit, in quadam corona & conuentu Aethiopum pertinaciter affirmaret dicerétque nusquam gentium homines albos aut flauos reperiri, neque vllius alterius coloris quàm nigros: nũquid aliis fidem suis dictis faceret? Diceret autem ad illum quispiam ex senioribus Aethiopibus, Tu verò vnde hæc cognita & explorata affirmas audacissime? neq; enim vnquam à nobis suscepta ad exteros populos profectione peregrinatus es, neq; per Iouem qualia apud exteras nationes sint, vnquam perueſtigasti, aut præsens oculorum testimonio didicisti. An verò hunc senem non rectè & grauiter sentire prædicarem? Aut quid tu consilii in medium adfers Hermotime? HER. Imò verò tuæ sententiæ assentior: iustissimè enim mihi

mihi videtur eius temeritas ita poſſe compeſci. Lvc. Et quidem mihi, ô Hermotime. Cæterùm quod poſthac dicturus ſum, quomodo tibi meeũ conueniat, ſcire non poſſum: mihi quidẽ & illud iam valde perſuaſum eſt. Her. Qualénam illud eſt? Lvc. Nempe vir ille probabili inductione inferet dicturus, Ergo abſurdè propoſitus eſt nobis quiſpiam Luciane, qui ſaltem Stoicorũ placita calluerit, quemadmodum amicus ille tuus Hermotimus, cum nunquam peregre profectus, neque ad Platonis Academiam ſe contulerit, neque apud Epicurum diuerterit, neq; omnino cum alio quoquã familiaritatẽ contraxerit. Itaq; ſi dixerit nihil ita pulchrum aut ita verum inueniri apud omnes reliquos, qualia Stoicorũ ſunt, & quæ ab illis aſſeruntur: an non iure optimo temerarius & audax tibi videri debeat, de omnibus definiendi & pronunciandi autoritatem ſibi ſumens, maximè verò cum tantùm vnius ſectæ peritus ſit, neque vnquã ex Aethiopia vel alterum pedẽ protulerit? Quid verò exiſtimas illi reſpondendum eſſe? Num veriſimum illud, nos videlicet Stoicis addictos, illorum philoſophiã perdiſcere, iuxta quam dignum putemus philoſophari? neque tamen nobis obſcura ſunt ea quæ dicuntur ab aliis: ſiquidem præceptor noſter & illa inter diſſerendum proponit, refellens ſubuerténtque illa ſatis argutè. Num verò exiſtimas hoc reſponſo audito tacituros eſſe Platonicos & Epicureos, tum etiam alios? An non in riſum ſoluti iure optimo ad me dicerent, qualiánam facit familiaris tuus Hermotimus, ô Luciane, qui dignatur aduerſariis de rebus noſtris fidem habere, porſus exiſtimans eiuſmodi eſſe omnia noſtratia, qualia ipſi falſò confingunt & dictitãt, quorum aut ipſi imperiti ſunt, aut ipſam veritatem de induſtria calentes obfuſcãt improbi? Aut igitur ſi viderit aliquem ex athletis exercentem ſe priuſquàm in arenam deſcenderit, calcitrantem in aera, aut pugnis inanem quampiam plagam inferentem, quaſi cæderet aduerſariũ, illum ideo ſtatim proclamabit præfectus certaminis eſſe inuincibilem? Aut non potiùs exiſtimabit perfacile & tutum eſſe, ita pueriliter & iuueniliter Thraſonem gloriarum plenum agere, nullo aduerſario illi repugnante: ipſam autem victoriam tunc primùm decernendam eſſe, quãdo aduerſarium fortiter deuictum proſtrauerit, & ſuperior certando euaſerit, altero laſsitudine confecto, alioqui verò nequaquam? Proinde neque Hermotimus ab his quibus præceptores ſui aduerſum nos abſentes in vmbra dimicant atque digladiantur, illos victores eſſe putet: aut ea quæ à nobis aſſeruntur, tam ſine negocio poſſe refelli aut ſubuerti: quoniam illud perſimile eſſet puerorum ædiculis, quas illi vt infirmas parare ſolent, ita protinus ſubuertunt ac diruunt. Aut per Iouem etiam his qui exercitio ſagittandi ſunt occupati, qui ſtipulis quibuſpiam colligatis, & ſuper contum fixis, nec ita procul poſitis, emiſſo telo iaculantur: ac ſiquando forte fortuna collimantes ſcopum tetigerint, ſtipuláſq; præfixas iaculo penetrauerint, ilico exclamant quaſi re magna peracta, ſi telum per ſarmenta euolarit. Cæterùm nequaquam ad hunc modum Perſæ facere conſueuerunt, ſed neque Scythæ, quotquot illorum arcu & arte iaculandi præcellunt: verùm initiò ipſi equis inſidẽtes, obequitando emittunt iaculum: deinde etiam ea ipſa faciunt mobilia, ad quæ arcu collimant, non ſtabilia, aut ſagittam expectantia donec inciderit, ſed cumplurimùm fugientia, nempe feras, & maximè volucres feriunt. Quòd ſi nonnunquam ſcopus quoque feriẽdus eſt, emiſſi teli firmitate & impetu lignum tranſuerſim obiectum, aut ſcutum bouinis coriis confectum præponẽtes, tranſfigunt: ac tunc quidem bonam ſpem habent fore vt earũ tela etiam per arma, vbi vſus erit, penetrent. Quapropter ô Luciane, dic noſtris verbis Hermotimo, præceptores eius ſarmentorum ſeu ſtipularum faſciculos propoſitos telis petere: deinde ambitioſè gloriari homines armatos ſe deuiciſſe: inſuper aduerſus imagines noſtras depictas pugilum more depugnare: quibus etiam, vt par eſt, ſuperatis, nos proſtratos eſſe exiſtiment. Atqui vnuſquiſq; noſtrum ad illos dicere poſſemus, quod ab Achille dictum eſt de Hectore:

Ille meam haudquaquam galeam, criſtáſque comantes
Aſpicere audebit.

Hæc quidem vno ore dicturi ſunt omnes, ſingulatim autem alius alia. Plato haud dubiè mihi videtur aliquid narraturus eorum quæ facta comperit in Sicilia, quorũ non pauca habet comperta. Siquidem perhibẽt Geloni Syracuſiorum tyranno os fuiſſe putridum, infectúmque graueolentia: id quod permultum tẽporis illum latuit, cum nemo auderet ob hoc ipſum reprehendere, virum præpotentem tyrannide, donec illi mulier peregrina adducta, rem vt ſe haberet, ſumpta audacia expoſuiſſet. Qua re ille inflámatus iracundia, vxorem ſuam acceſsit, grauiter cum ea expoſtulans quòd illi non palàm feciſſet fœtidi oris graueolẽtiam, cùm eius vitioſæ animæ probè fuiſſet cõſcia. Illa verò orauit ſibi habendam eſſe veniam, propterea quòd nunquam antea vllum alium virum ſit experta, neq; eum quoquam tam propè congreſſa, ita vt pro certo putarit in vniuerſum omnes viros non aliam animam ore exhalare. Itaq; Hermotimus, quia cum ſolis Stoicis cõmercium habuit, proculdubio diceret Plato, nõ iniuria neſcius eſt qualiánam aliorum ſint ora. Non diſsimilia fortaſſe & Chryſippus diceret, & his etiam multò plura, ſi illo indemnato & indicta cauſſa relicto ad Platonis Academiam à quodam eius aſſecla perſuaſus me recipere. Iam, vt tãdem pauciſsimis verbis totius rei ſummam complectar, ita ſtatuo, dum quidem in incerto fuerit quænám vera ſit ſecta philoſophandi, nullam eſſe eligendam, propterea quòd non careat cõtumelia, ſi hac electa, aliam neglexerit. Her. Per ſocietatem domeſticam Luciane, age Platonem quidem & Ariſtotelem, quin etiam Epicurum & alios miſſos faciamus. Neq; enim ex dignitate mea eſt, vt aduerſus illos ego conflicter. Cæterùm nos duo, ego inquam & tu, accuratè diſcutiamus, num res philoſophica tale quiddam ſit, cuiuſmodi ego eſſe affirmo. Aethiopas autẽ,

aut Gelonis vxorculam, quorſumnam opus erat ex Syracuſis vſq; ad noſtrum colloquium accerſere? Lvc. Sanè illos quidem miſſos faciamus, quandoquidem tibi ad noſtram diſceptationem parum vtiles & ſuperuacanei viſi ſunt. Tu verò dic modò: appares enim ſimilis quiddam admirandi dicturo. Her. Mihi equidem prorſus videtur Luciane, omnibus modis fieri poſſe, eum qui tantummodo Stoicorum dogmata perdidicerit, ex illis ad vnguem cognitis verum noſſe, tametſi aliorũ decretis poſthabitis, nequaquam ſingula perdiſcendo excuſſerit. Conſidera verò tecum, ad hunc modum ratione inita, ſi quis hoc tãtum ad te dixerit, duabus dyadibus numerum quaternariũ abſolui. Ergo tibi iam circumeundum eſt, & viritim exquirendum ab aliis omnibus, quotquot arithmeticæ non ſunt rudes, ne fortè quiſpiã inter illos ſit qui dicat, bis duobus quinque aut ſeptem conſtitui. An non illico tibi planum ſit eum virum vera dicere? Lvc. Illico quidem, ô Hermotime. Her. Quî igitur tibi fieri poſſe non videtur, eum qui ſolùm in Stoicorum ſcholam inciderit veritatem dicentium, illorúmq; ſermonibus planè perſuaſum, aliorum non ampliùs egere ductu & auſpiciis, cum certus iam factus ſit, nunquam fore vt quatuor quinque fiant, non ſi infiniti Platones aut Pythagoræ diuerſum affirmauerint? Lvc. Nihil aduerſum, quod aiunt, dicis ô Hermotime, cũ ea quę omnibus iamdudum ſunt certa & perſuaſa, rebus dubiis & incertis aſsimulare non dubites, longè latéq; inter ſeſe diſsidentia. Quid autem reſpondes? eſſéne aliquem quócum tu ſermonem ſociaris, contendentem duas dyadas coniunctas, aut ſeptenarium aut vndenarium numerum conſtituere? Her. Haudquaquã ego, niſi fortaſſe per inſaniam deliraret, negans ex his non niſi quatuor excreſcere. Lvc. Quid autem? incidiſtíne aliquando (& per Gratias verum dici volo) in Stoicum aliquem & Epicureum de rerum principiis, & bonorum fine inter ſe non diſsidentes? Her. Nunquam. Lvc. Proinde etiam atque etiam vide ne tuis falſis & euanidis rationibus me fraudulenter decipias, maximè verò amicum tuum exiſtentem. Cum enim nos ſubinde quæramus quínam in Philoſophiæ ſtudiis vera loquantur, tu nihil cunctatus hoc præoccupatum Stoicis attribuiſti, dicens illos eſſe qui bis duo quatuor eſſe ſtatuerint: quod quidem obſcurum eſt, num ita ſe res habeat: fortaſſe enim dicerent Epicurei aut Platonici veſtram hanc eſſe compoſitionem: nos autem quinque aut ſeptem illa eſſe dicimus. An non videntur hoc ipſum tibi egregiè præſtare, cum vobis hoc ſolum quod honeſtum eſt, bonum eſſe putantibus, Epicurei voluptatem ſummum bonum eſſe ſtatuant? Et cum vos pertinaciſsimè contendatis omnia eſſe corporea, Plato tamen eius opinionis eſt, vt cenſeat in rerum natura nonnihil quoque eſſe incorporeum. Et quod primo loco dixi, nimium auidè illud quod in dubio verſatur, tanquam minimè dubitanter proprium illud Stoicis habendũ tradidiſti. Iam cùm alii hoc ſibi vendicent, dicántq; illud eſſe, ſanè ibi tum ſummo iudicio opus eſſe opinor. Porrò autem ſi apud omnes in confeſſo eſſet, ſolos Stoicos verè autumare bis duo eſſe quatuor, aliis mea quidem ſententia, conticeſcẽdum eſt. Quamdiu verò ea de re inter ipſos contentioſè digladiantes anceps eſt controuerſia, omnes ex æquo audiendi ſunt, aut compertum habere, videri nos ad gratiam ferre iudicium. Her. Nõ vidêre mihi Luciane intellexiſſe quid dicere voluerim. Lvc. Ergo craſsiùs & manifeſtiùs explicandum tibi erit aliud quippiam dicturo, tantùm vide, ne tale aliquid dehinc adducas. Her. Scies actutũ cuiuſmodi ſit quod dico. Ponamus enim duos aliquos Aeſculapii aut Dionyſii fanum ingreſſos, deinde phialam quandam è rebus ſacris eſſe ſublatam atq; deperditã: haud dubiè iam ſummopere neceſſarium eſt, vt ambos inueſtigatione habita perſcrutemur, vtérnam illorum phialam in ſinu abditam habeat. Lvc. Maximé. Her. Omnino autem alterum habere neceſſe eſt. Lvc. Et cur non, ſi quidem deperdita eſt? Her. Proinde ſi apud priorem amiſſam phialam inueneris, alterum nequaquam exuendum eſſe putas: iam enim palàm eſt, illam non habere. Lvc. Sanè palàm eſt. Her. Et ſi in prioris ſinu reperta nõ fuerit, alterum habere ſanè cõſentaneum eſt: neq; hîc longa perſcrutatione opus eſt. Lvc. Certè enim habet. Her. Ergo nos quoq; ſi apud Stoicos phialã iam inuentam habemus, alios perſcrutandos eſſe ſuperuacuum & indignũ exiſtimamus, habentes quod dudum tãtopere quærebamus: aut quam ob rem inani labore nos ipſos ampliùs defatigaremus? Lvc. Nullius profectò gratia, ſi reperta phiala penes vos fuerit, illáq; inuenta pro certo compertũ habetis, illud ipſum eſſe quod erat deperditum: aut planè vobis cognitum eſt donarium. Iam verò ô amice, non ſaltem duo ſunt qui templum ingrediuntur, vt neceſſarium ſit alterum habere rem furto ſubtractam, verùm profectò illorum magna eſt copia. Deinde non minus obſcurum, eſt quid illud tandem ſit quod deperditum eſt, num phiala quępiam, num ſcyphus, num corona. Quotquot enim ſacerdotes ſunt, ſubinde alius aliud eſſe affirmat: quippe qui neque de ipſa materia vnanimiter conſentiunt, verùm hi ex ære, alii ex argento factum, partim autem aureum, partim verò argẽteum illud eſſe dictitant. Itaque planè operæprecium eſſe vides, detractis veſtimentis omnes in templum ingreſſos exui, ſi animus eſt rem amiſſam inuenire. Quanquam enim apud primum aurea phiala tibi reperta fuerit, nihilo ſecus tamen & cæteri pari opera ſunt exuendi. Her. Quamobrem, ô Luciane? Lvc. Propterea quòd incertum ſit, num phiala illud ipſum ſit quod erat amiſſum. Tametſi verò & hoc vno ore omnes confeſsi fuerant, haud tamen omnes aureã fuiſſe phialam confirmabunt. Porrò autem vt maximè inter omnes cõſtet auream phialam eſſe amiſſam, tamen ne ſic quidem alios perſcrutandi finem facies: neq; enim tibi cõſtabit num Dei ſit illa ipſa: aut nõ reputas infinitas eſſe phialas aureas? Her. Sanè cenſeo. Lvc. Igitur omnibus modis neceſſarium eſt perſcrutantem omnes accedere, & illis quæ apud quen-

quam

quam inuenerit, in medium depositis, coniicere quinam ex eisdem diuinum donarium potissimum sit existimandum. Etenim quod omnium maximè dubio inuoluit animum, illud est, quòd vnusquisq; exutorum aliquid apud se habeat, hic scyphum, ille phialam, alius coronam, & hic quidem ex ferro fabricatam, alter autẽ auream, tertius argenteam. Nondum verò clarum est & perspicuum, num hæc sit res sacra, quod habetur. Quare magnam tibi impositam esse vides necessitatem dubitandi, quémnam ex tanto numero sacrilegii insimules. Vbi verò omnibus essent paria & similia, iuxtà foret incertum cognitu quinam diuina donaria sustulisset: sunt enim harum rerũ possessiones etiam priuatæ. Cæterùm ignorantiæ causſam vnam esse arbitror, quòd nullo titulo inscripta sit deperdita phiala. Ponamus enim amissam esse phialam, quæ si Dei nomine, aut eius qui illam templo dicatam consecrauit, foret insignita titulo, minori in perscrutando labore defatigaremur, & ea quæ inscriptiuncula notata foret reperta, finem faceremus exeundi, & alios perturbandi. Opinor autem Hermotime, iam te sæpenumero gymnicis certaminibus interfuisse. HER. Et rectè quidem opinaris: iam enim persæpe interfui. LVC. Nunquid igitur etiam aliquando iuxta Athlothetas consedisti? HER. Per Iouem nuper in Olympiis læuum latus iudicum sedendo claudebam, Euãdrida Elei filio inter ciues suos spectaculum mihi præoccupante. Cupiebam enim singula propiùs inspecta cognoscere, quæ fierent circa iudices. LVC. Proinde etiam illud exploratum habes, qua sortiendi ratione vti soleant, cuinam cum quoque luctandum, aut Pancratio decertandũ sit. HER. Planè perspectum habeo. LVC. Longè itaque promptiùs & meliùs tu expedies, qui ista propiùs & curiosiùs sis contemplatus. HER. Apud priscos quidem præsidẽte in certaminibus Hercule, laurea folia. LVC. Ne mihi quæso priscorum instituta percẽseas Hermotime, sed quæ ipse coràm conspexisti, cedo. HER. Initiò quidẽ vrna argentea Deo sacra in medium proponitur, in eam paruæ quædam sortes coniiciuntur, fabacea ferme magnitudine, literis inscriptæ. Inscribuntur autem duæ, vtraque videlicet litera α, deinde in alteras duas scribitur β, mox in alias γ, ac deinceps iuxta eandem rationem inscribũtur & reliquæ pro numero athletarum, si plures fuerint, ita vt semper binæ sortes iisdem sint insignitæ literis. Accedit deinde quisque ex athletis susceptis votis Ioui supplicans: immissáq; in vrnam manu, vnam ex sortibus extrahit, & post illum alius. Quibus singulis assistens flagellifer protensa manu obstat ne legantur literæ quæ à singulis extractæ sunt. Cæterùm vbi iam singuli singulas sortes habuerint, tum demum Alytarches, vt ego opinor, aut vnus ex iudicibus (neq; enim amplius memoria teneo) circumeundo cõtemplatur & explorat sortes in circulo cõsistentium. Atq; ita eum quidem qui α habuerit, cum altero sortem α inscriptam habente, aut lucta aut Pancratio decertaturum cõmittit. Deinde pari ratione etiam eum qui β habet extractum, cum altero eiusdem literæ: qui tenor cõmittendi seruatur etiam in aliis consimilium literarum sortes habentibus. Et hæc est ratio componẽdorum athletarum numero illorum æquali, seu pari existẽte, nimirum si octo, aut quatuor, aut duodecim illorum fuerint. Quòd si dispares accesserint, quinque videlicet, aut septem seu nouem, tum litera quæpiam superuacua sorti inscriptæ, vnà eum aliis in vrnam mittitur, non habens literam sibi respondentem. Quicunque ergo illam extrahendo cõsecutus fuerit, aliis ad vltimum vsq; præsidet, expectans donec alii finitis certaminibus decertauerint: neque enim habet literam suę oppositam. Estq; illa non mediocris athletæ felicitas, quippe qui adhuc viribus integer, cum defessis congressurus sit. LVCIA. Iam quidem pauliſper interquiesce: etenim illud est, cuius egebam maximè: ergo illorum iam nouem sunt; omnésque immissa in vrnam manu sortem extraxerunt: tu verò age iam circumeundo (pro spectatore enim certaminis, iudicis officium tibi deferam) contemplare literas. Haudquaquam enim credo priùs te cognoturũ quis ex illis præses dicendus sit, quàm ad omnes veneris, & illos inter se composueris. HER. Quorsum verò ista dicis Luciane? LVC. Horsum videlicet, quòd nullo modo fieri posse videatur, vt illico reperiatur litera illa declarans præsidẽ: fortasse enim inuenire potes literam, incertus tamen eris, num illa sit: neque enim vlla exceptione prædictum est κ, aut μ, aut ι fore eam literã, quæ præsidem sit constitutura. Atqui vbi in α incideris, alius α habens tibi quærendus est: quo inuento, illos inter se ad congrediendũ cõponis. Deinceps in β prolapsus, alterum β vbi sit studes inuestigare, quod inuento aduersum est. Ac ita quidem agis cum cæteris omnibus, donec ille tibi relictus fuerit, qui solitariam habuerit literam, nullum aduersarium indicãtem. HER. Quid autem si ad illum forte fortuna prima, aut secũda vice delatus fueris? quid tum faciendũ tibi videtur? LVC. Nihil equidem, verùm tu Græcorum iudex scire possim quid facturus sis, an actutum eundẽ pro præside sis proclamaturus, aut potiùs putes omnes in circulo necessariò accedendos & inspiciendos esse, num vspiam consimilis penes aliquem relicta esset litera, ita vt nisi omnium sortes viritim tibi inspectæ fuerint, nunquam cognosces præsidem. HER. Atqui perfacilè scire possum Luciane, nouem illorũ existentibus. Etenim si ϵ primo aut secundo loco inuenero, planè certus sum eum fore præsidem, qui eo sortem inscriptam habuerit. LVC. Quónam pacto ò Hermotime? HER. Ad hunc quidem modum: illorum enim duos α habere certum est: consimiliter etiam alii duo β sibi vendicãt. Iam cum adhuc quatuor sint reliqui, duos illorum γ, alteros δ extraxisse, dubiũ non est. Et iam quatuor literæ in octo athletas distributæ & absumptæ sunt. Pro certo igitur constat, tantummodo superesse ϵ, quod qui extraxerit, præses haud dubiè constituitur. LVC. Vtrum igitur Hermotime, collaudémne ego te ob singularem ingenii tui industriam, an placet, vt ea refellam quibuscunq; tandem probabiliter

contradici poſſe reor? HER. Ita per Ioue, vehementer enim animi pẽdeo, etiam atq; etiam cogitans quídnam his ratione probabili poſsis cõtradicere. LVC. Equidem tu, quemadmodum literæ pinguntur ex ordine, dixiſti, veluti primo loco α ponitur, ſecundo β, ac deinceps aliæ ſecundum illarum ſeriem, vſque ad vnam illam in qua terminatur athletarum numerus. Et ſanè facilè aſſentior tibi ita fieri in Olympicis certaminibus: quid autem ſi non ſeruato literarum ordine, quinque ex omnibus indiſcriminatim eligeremus, videlicet ipſum χ, deinde α, mox ζ, poſtremo κ, & θ? Quatuor itaq; literæ, octo ſortibus inſcribentur, ipſum autem ζ, ſuper nonam ſolùm, quo præſes nobis indicabitur. Quid ergo iam facies ſtatim ſub initium literula ζ inuenta? Quomodo verò cognoſces præſidem exiſtẽtem eum qui illã habuerit, niſi omnes accedens, nihil huius ſimile inueneris? Neq; enim tibi integrum erit, quemadmodum nũc, ex illarum ordine cognoſcendi præſidis coniecturam facere. HER. Rem arduam ex me interrogas, ad quam vt tibi reſpondeam, mihi prõptum non eſt. LVC. Age ſi placet hoc ipſum alia ratione conſiderandum tibi proponã. Quid ſi nullis literarũ figuris, ſed ſignis quibuſdam & characteribus ſortes connotarẽtur, cuiuſmodi permulta literarum loco depingũt Aegyptii, puta homines caninis aut leoninis capitibus? Aut illa quidem, ſi videtur, miſſa faciamus, cũ ſint peregrina & exotica, & à noſtro inſtituto prorſus aliena. Age verò ſimplicia illa & vniformia ſortibus inſcribamus, quemadmodum fieri poteſt aſsimulantes, nimirũ binis ſortibus homines, deinde binos equos alteris binis, mox duos gallos, poſtremò duos canes. Porrò nonæ, tanquam præſtantiſsimæ, leonis imago inſculpta ſit. Proinde ſi mox initiò in ſortem leoninam ferẽtem imaginem incideris, quibúſnam coniecturis perſuaſus dices eam eſſe qua præſes deſignatur, niſi omnes accuratè circunſpiciendo perluſtraueris, num quis etiam alius præter hunc adſit habẽs ſortem leoniferã? HER. Nihil habeo Luciane quod tibi ad hæc reſpondeam. LVC. Non iniuria: neq; enim video quid poſſit aptè reſponderi, adeò vt ſi animum induxerimus, aut eum inuenire penes quẽ ſacra ſit phiala, aut qui inter athletas præſidis loco habendus ſit, aut cuius ductu & auſpicio feliciſsimè in Corinthum vrbem illam florentiſsimam peruenire queamus, omnes neceſſariò accedendos eſſe putem, ſummáque diligentia detractis veſtimentis, omnibus tẽtatis ſolertiſsimè exquirẽdos: etenim vix etiam ſic veritatem indagantes perueſtigabimus. Quòd ſi quis mihi vnquã futurus eſſet conſiliarius fide dignus ſuper rebus philoſophicis, contendens omnino operam eſſe nauandam philoſophiæ ſtudiis, ille demum ſolus erit, quem eorum quę dicuntur ab omnibus, ad vnguem peritum eſſe cognouero. Reliquos autem omnes vt inutiles, & nulla re dignos contemnã, nihil fidei illis habiturus, donec etiam vnius fuerint neſcii, quæ fortaſſe ex illis eſſe poſsit omnium optima. Neq; enim ſi quis adducto homine formoſo dicat hunc ex omnibus hominem eſſe formoſiſsimum, ſtatim ille ſuis verbis mihi fidẽ facturus eſt, vt credam eum vera loqui, niſi certum habuero omnes homines illi viſos eſſe: fieri enim fortaſſe poteſt, vt hic homo nõ ſit contemnendæ elegantiæ: quòd autẽ ſummæ ſit inter omnes formæ & venuſtatis, ſcire haudquaquã poſſum nõdum viſis omnibus. Nos porrò non formoſo tantũ egemus, ſed formoſiſsimo: quem niſi inuenerimus, parum ſudatum, & nihil actum eſſe putabo. Non enim contenti erimus, in qualemcunq; tandem amabilis & honeſtæ formæ hominem incideri-mus, verùm ſummam illam qua maior eſſe non poteſt, formæ elegantiam perueſtigamus, quam neceſſariò vnam eſſe negare non potes. HER. Vera ſunt hæc. LVC. Quando ergo aliquem mihi produces totius in philoſophia itineris peritum, quémq; ea non fugiãt, quæ cum à Pythagora, tum à Platone, præterea quæ ab Ariſtotele, Chryſippo & Epicuro, aliiſq; omnibus dicuntur & affirmantur? Deniq; qui vna via ex omnibus electa experimento edoctus pro certo compertũ habeat, eam ſolam eſſe viam, quæ rectà ducat viatores ad felicitatem tantopere quæſitam. Etenim ſi talem quempiam quærendo conſecuti eſſemus, deſineremus nos moleſtis onerare negociis. HER. Haudquaquam, Luciane, eiuſmodi vir inuentu facilis eſt. LVC. Quid igitur faciemus Hermotime? neque enim animus abiiciendus eſt, propterea quòd eiuſmodi ducis inopia in præſentia laboramus. Ergo illud aggrediamur, quod factu mihi videtur multò conſultiſsimum & tutiſsimum, vt quiſq; ab initio exorſus, omnes ſectas percurrat, eáq; accurata & diligenti indagine conſultando examinet quæ dicta ſunt ab omnibus. HER. Quantum quidem tua verba intelligo, ita facto opus eſſe videtur, niſi quòd illud quod non multò antè à te dictum eſt, cum his mihi pugnare videtur, videlicet arduũ & graue eſſe, eũ qui vni viæ iam ſeſe tradiderit, expanſis denuo velis recurrere. Quomodo enim fieri poteſt, vt is qui in priori iam occupatus detinetur, reliquas omnes percurrat? LVC. Illud equidem paucis tibi expediam: nimirum Theſei inſtitutũ imitabimur, filóq; à tragica illa Ariadne accepto, nullum non Labyrinthũ ingrediemur, nec dubito, quin ſine negocio tantũ ductu fili ita nobis licebit regredi. HER. At vnde tandem nobis illa Ariadne comparebit, aut vnde filum parabimus? LVC. Bonum habe animum ô amice: iam enim videor mihi reperiſſe cuius ductum ſequuti haud dubiè egrediemur. HER. Quódnam igitur illud eſt? LVCIA. Certè meum non eſt quod dicturus ſum, ſed cuiuſdam ex ſapientibus viri ſummi, nempe illud: Sobrius eſto, & memento diffidendum eſſe. Etenim ſi minimè leuiter & facilè perſuaſi, quibúſuis auditis fidem habuerimus, ſed more iudicum, aliis quoq; fandi copiam conceſſerimus, fortaſſe haud difficulter horum Labyrinthorum inextricabiles errores effugiemus. HER. Bene ſanè dicis: illud quoque nobis faciendum intelligo. LVCIA. Videlicet cęterum ad quem illorum omnium primùm nos conferemus? aut non permagni illud intereſſe putas? Ab eo tandẽ quicũq; ſit incipiamus, nempe à

Quo pacto philoſophi legẽdi ſint.

pe à Pythagora, quandoquidẽ ita ceſsit. Quantum verò temporis ſtatuemus omnibus Pythagoricæ philoſophiæ placitis perdiſcendis ſuffecturum? Volo autem annos in quibus ſub initium Pythagoricæ ſectæ candidatis conſileſcendum eſt, excipi. Opinor omnino cum illis quinque ſatis fore triginta, aut ad minimum omnibus modis viginti peropus eſt. HERMOT. Ponamus ita eſſe, deinceps verò totidem alii Platoni concedendi ſunt, ac mox nihilo pauciores Ariſtoteli. LVC. Non pauciores profectó. HERMOT. Chryſippo autem quot impendendi ſint, non eſt quod multis te interrogem. Iam enim certus antea ex te audiui quadraginta vix ſuffecturos eſſe. LVC. Ita ſané. Deinde Epicuro & aliis. Quod autem non nimium illis tribuere videar, hinc perdiſces facillimè, apud animum tuum conſiderando quótnam ſint octogenarii cum Stoici, tum Epicurei, atque etiam Platonici ingenuè fatentes nondum cuncta ſuæ ſectæ ſibi eſſe explorata & cognita, ita vt in diſciplinarum cognitione nihil in ipſis deſiderari queat. Quòd ſi alii in hoc tergiuerſari videntur, non tamen, vt opinor, hoc negabit Chryſippus & Ariſtoteles, & Plato, potiſsimùm autem præ cunctis Socrates, illis certò non poſtponendus, qui omniũ teſtimonio profeſſus eſt, ſe non tantùm omnia, ſed in vniuerſum nihil noſſe, aut hoc tantùm ſe ſcire, quod neſciret. Computemus igitur ſubducta ratione ab initio, viginti Pythagoræ attributi ſunt, deinde totidem alii Platoni, mox nihilo pauciores aliis conceſsimus. Quot ergo in ſumma iſti ſunt anni ſimul comprehenſi, ſi decẽ ſaltem in philoſophia diſciplinarum ſectas conſtituerimus? HERM. Plures quàm ducenti ô Luciane. LVCIA. Ergo ſi tibi conſultum factu videtur, quartam partem annorum auferamus, ſaltem quindecim ſtudiis noſtris ſatisfacere putantes, aut omnino partem dimidiam. HERMOT. Tu quidem multò meliùs hac de re quid faciendũ ſit, ſtatues. Ego hoc probè peſpicio, perquàm paucos ad hunc modum omnes ſectas percuſſuros, tametſi ſtatim ab ineunte pueritia philoſophiæ ſtudium exorſi fuerint. LVC. Quid autem faciendum ſuades Hermotime, cum ita ſe res habeat? An ſubuertenda & refellenda ea exiſtimas, quæ iam antè haud dubitanter confeſsi ſumus, neminem videlicet vnquam electurum id quod ex multis omnium eſt præſtantiſsimum, niſi omnium facto periculo ſingula deguſtauerit? adeò vt qui magiſtra experientia delectum non habuerit, ei oraculo magis aut reſponſo veritatẽ inueſtigandam eſſe. An non iſtiuſmodi inter nos dicta ſunt? HERMOT. Sané. LVC. Proinde ſum mopere neceſſarium eſſe video, tantum temporis nos ætatem agere, ſi vnquam omnibus pertẽtatis rectè eligere conſilium eſt, iámque acto de lectu philoſophiæ incumbere, qua percepta & cognita felicem vitam viuere queamus. Priùs verò quã ita fecerimus in tenebris, quod aiunt, ſaltemus, in quæcunq; inciderimus, illiſo pede impingentes. Et quodcũq; primũ in manus nobis venerit, illud quod quærimus eſſe exiſtimabimus propter veritatis ignorantiã. Quòd ſi etiã maximè bona fortuna ad illud delati fuerimus, cõſtãter tamẽ nunquã ſciemus num id ſit quod tantopere, à nobis quæſitum eſt. Sunt enim nõ parum multa his ipſis ſimilia, ſingulis affirmantibus hoc ipſum eſſe multò omniũ veriſimũ. HER. Haud ſcio ô Luciane, quàm mihi videare argumenta perſuaſionis, bonarúmq; rationum plena inter diſputandum producere: verùm enimuerò non mediocriter me perturbas iſta diſſerẽdo, nimiúmque argutè & anxiè diſquirendo, quod ad rẽ parum attinet. Fortaſſe autẽ videor etiam inauſpicatò hodie pedem domo extuliſſe, cum egreſſus tibi obuiam venerim, qui me prope ſpei portum conſiſtentem, in ineuitabilem animi deſperationem inieciſti. Veritatis inuẽtionem impoſſibilem eſſe oſtendens, tantum videlicet temporis requirentem. LVC. Cur ergo hoc ipſum, ô amice, non multò iuſtiùs cum patre tuo Menecrate, & matre tua, quodcunque tandem illi nomen fuerit (neq; enim teneo) expoſtulas? aut potiùs cum natura omnium noſtrum parẽte, quòd te quoque non vt Tithonum, annoſum & longæuum conſtituerit, ſed præfinito deſtinarit homini vitam etiam longiſsimam centum annorum numerum non excedẽtem? Cæterùm ego tecum conſiderando reperi, quòd è diſputatione noſtra potiſsimùm potuit elici. HERMO. Nequaquam, verùm tu ſemper quidem conuiciator es: atque haud ſcio quínam factum ſit, vt tu extremè odio habeas philoſophiam: eóſq; qui ſapientiæ ſtudiis ſunt addicti, ſalibus & dicteriis deluſos, naſo ſuſpendas. LVC. Cuiuſmodínam res ſit veritas, ô Hermotime, vos longè meliùs & promptiùs, qui ſapientia ornati eſtis, expedietis, nimirum tu, & præceptor tuus. Ego ſaltem hoc me planè ſcire arbitror, hanc non nimium auditu iucundam & dulcem eſſe mortalibus, quoniam longè latéque mendacio eſt inferior & vilior. Eſt enim hoc apud homines multò in ſpeciẽ formoſius & præcellentius, atque hoc nomine quoque auditu iucundius & dulcius. Illa verò quia nihil in ſe habet inſynceritatis, aut adulterini, cuius ſibi eſſet conſcia, magna cum libertate differit inter homines: eámque ob rem pleríſque intolerabilem adfert moleſtiam: quẽadmodum & tu nunc indignaris, nec mea dicta fers humaniter, quibus tecum ſuper hiſce rebus veritatem erui, tibíq; planè indicium feci cuiuſmodi ea ſint, quorum vtrique iuxtà immodico & amore, & deſiderio teneamur, quàm prorſus illa nactu non ſint facilia: veluti ſi ſtatuam aliquam nõ informem infando amore deperires, eáque te poſſe potiri in animum induceres, ſuſpicans eſſe hominem: ego verò intuitus, aut lapideum, aut æreum eſſe ſimulachrum pro mea in te beneuolentia tibi ſignificarem, rerum quarum potiundarum nulla eſſet relicta copia, te amore capi, ac tu iniquum tũc & maleuolentem me tibi cenſeres, quia nolim te decipi, abſurda & monſtroſa, nec ſpei conſentanea ſperantem. HERMOT. Eò igitur hæc tibi dicta ſunt Luciane, quaſi putes nullam operam philoſophiæ ſtudiis nouis nauandam eſſe, ſed oportere nos ſocordiæ, & inertiæ addictos priuatam vitam in terris agere? LVC. Et quando

Quantum temporis ſingulis illorũ ſit impendẽdum.

aut vbi iſta me dicentem audiuiſti? Ego quidem non eò, quaſi non ſit philoſophandum, iſta dico, verùm quandoquidem omnino philoſophiæ ſtudendum eſt, viæ autem ad illam ſint non paucæ, quarum nullum non perhibetur compendioſiſſimum eſſe ad Virtutem diuerticulum, tametſi etiamnum in incerto ſit, quæ ex illis vera ſit: diligentem & exquiſitam diuiſionem faciendam eſſe exiſtimo. Quî enim fieri poſſe ſperem, multis nobis propoſitis, ex illis eligere quod optimũ eſt, niſi quis omnia faciendi periculi gratia acceſſerit? Deinde, num longa adhuc ſuperſit peregrinatio, aut an finis iam inſtareviſus ſit. Cæterùm quid tibi videtur? Iam enim de-integro te interrogabo, num eum qui ſub initium tibi occurrerit, ſequêris? cúmque illo communibus philoſophiæ diſciplinis inuigilabis, atque ille te certum faciet? HERMO. Quid verò tibi ampliùs reſpõdeam, qui neges quemquam rectè diſcernere poſſe, niſi Phœnicis annos vixerit, omnéſq; per orbem periculum faciẽdo acceſſerit? Neque dignũ ducis fidem habere illis qui iam olim harum rerum ſunt expertiſsimi, neque multis illis iſta collaudantibus, ſuóque teſtimonio cõprobantibus? LVCI. Quos tu mihi multos illos narras? num qui harum rerum ſunt probè gnari, & iidem iam omnium facta indagine periti? Quòd ſi quiſpiã talis eſſet, mihi quidem vel vnus ſufficeret, neque multis opus haberem. Porrò ſi imperitos dixeris, nunquam illorum multitudine adduci potero ad credendum, donec de omnibus nullius ignari definiendi facultatẽ ſibi parauerint. HERMOT. Proinde tu ſolus veritatem perſpexiſti, cæteri verò quotquot philoſophantur, in vniuerſum omnes vecordes ſunt, & ſine iudicio? LVCIAN. Tu quidem Hermotime falſò me mendacii coarguis, cũ dicere non verearis quòd me ipſe cæteris omnibus anteponam, aut omnino in numero eruditorum haberi cõtendam: parúmque memor eſſe vidére eorum quæ per me antè dicta ſunt. Neque quidem me præ aliis veritatem dinoſcere contentioſè vociferor, verùm ingenuè fateor me cũ aliis omnibus iuxtà ignarum eſſe. HERMO. Atqui Luciane, quòd ais omnes accedendos eſſe, eorúmque experimentũ ſumendum quæ dicuntur ab aliis, neque aliam rationẽ meliorum eligendorum ſupereſſe, fortaſſe non valde improbarim. Cæterùm cuiq; experiẽtiæ tot annos impendi oportere, perquàm ridiculum mihi videtur, quaſi verò non, & è paucis cuncta perdiſci queant. Mihi equidem iſta perpẽdenti, haudquaquam graue aut operoſum hoc videtur, quódque multo exercitio eget minimé. Siquidem aiunt quidem ex ſtatuariis, opinor autem fuiſſe Phidiam, tantùm ab vngue leonis cõſpecto æſtimaſſe in quantam magnitudinem totus leo exurgeret, ſi iuxta vnguis rationem fuiſſe ſculptus atq; formatus. Neque mihi dubium eſt, quin & tu, ſi quis tãtùm hominis manum tibi cõmonſtraret reliquo corpore obuelato, nihil cunctatus actutum ſcies hominem eſſe quod abſconditum eſt, etſi totum corpus nõ víderis. Ita quoque rerum capita, de quibus multus eſt multorum ſermo, ſine negocio in exiguo etiam puncto diei perdiſces. Accurata autem & exacta harum rerũ cognitio, cui conſequendæ longa perquiſitione opus eſt, nullo modo ad electionem melioris requiritur, verùm etiam ab illis quæ dixi, iudiciũ facere licebit. LVC. Papæ | quàm firma ſunt & fortia quæ dixiſti Hermotime, contẽdens ex partibus totum cognoſci poſſe! Quanquàm ego me tuæ ſentẽtiæ diuerſum audire memini, vt qui totum cognouerit, etiam partẽ perſpectam habeat: porrò qui partem ſaltem, is nõ ſtatim etiam totum habet cognitum. Iam tu hoc mihi quoque reſpõde, quomodo Phidias quondam leonis vngue conſpecto cognoſcere potuit leoninum eſſe vnguem, niſi antè aliàs totum leonem vidiſſet? An verò tu hominis manu ſaltem viſa dicere poſſes hominis eſſe, cũ anteà hominem neq; vidiſſes, neq; cognouiſſes vnquã? Cur autem taces? Nunquid vis vt ego pro te reſpondeam ad quæſtionem tibi propoſitam: videlicet quòd nullo modo poſſes? adeò vt periculum ſit, ne Phidias infecta re abeat, leone nequicquam inceptо & exculto. Nihil enim iſta ad Bacchum, quæ à te proponuntur, faciunt: aut quomodo hæc inter ſe ſunt ſimilia? Neq; enim tibi & Phidiæ alia cognoſcẽdarũ partium cauſa fuit, quàm prior totius cognitio, hominis dico, & leonis. Cæterùm in philoſophia, nempe quam tradunt Stoici, quónam pacto ex aliqua parte cognita, etiam reliqua cognoſces? Aut quomodo illa vt honeſta & pulchra demõſtrabis? Neque enim totum nouiſti, cuius illa ſunt partes. Quod autem dicis, totius philoſophiæ capita auditu facilè poſſe comprehendi, etiam in modica diei portiuncula, nimirum, quæ rerum ſint principia, qui fines, quam opinionem de Diis habeant philoſophi, præterea quid animam eſſe ſentiãt, & quòd nonnulli omnia corporea eſſe affirment, rurſum alii etiam pleraque incorporea eſſe contendant: tum quòd pars illorum voluptatem, pars autem neſcio quod honeſtum, ſummum bonum felicitatémque eſſe ſtatuant, atque id genus ſexcenta alia: hæc inquam auditu facilè diſcerni & definiri poſſe, nihílque in his excutiendis & ſtatuendis eſſe operæ: noſſe autem eum qui vera dicat, vide ne non vnius ſaltem dieculæ particulam requirat, ſed multorum potiùs dierum opus & labor ſit. Aut quid animi illis fuiſſe putas, qui de his ipſis rebus aliquot librorum centurias & chiliades conſcribere non grauati ſunt? nimirum non ob aliam cauſſam, quàm tu perſuaſum facerent omnibus, vera eſſe, vt mea fert opinio, pauca illa & modica, quæ tibi vidẽtur facilia, nullóque labore comprehenſibilia. Iam verò omnino vate tibi opus eſſe opinor, ad meliorum electionem faciendam, niſi, vt dixi, exercitii impigro ſtudio illud conſecutus fueris, vt in deligendo accuratè vniuerſa diſcutias, & vnumquemque totum ad vnguem exploratum cognoueris. Haud enim valdè negauerim, hoc pacto philoſophiam in compendium contrahi poſſe, neque habituram multas variarum rerum comprehenſiones, neque vllam moram, aut cunctationem, ſi conſtitutum vatem omnium rerum capita percenſentem audieris, & inter audiendum

dum ad ſingula mactatis hoſtiis ſacra feceris. Hoc enim pacto infinitis laboribus Deus te ſubleuabit, poſteaquàm ex oblatis extis tibi commonſtrauerit quænám potiſsimum tibi eligenda ſint. Quòd ſi autem volueris, & aliud multò minoris negocii compendium eligendi tibi ſubiiciam, quod ſecuto, neque victimæ tibi offerẽdæ ſunt, neque vllus ex ſacerdotibus magna mercede cõducendis tibi adſciſcendus eſt: verùm conjectis in vrnam literulis, cuiuſque philoſophorum nomina habentibus, iube puerum aliquem impuberem floreſcente ætatula, ad vrnam accedentẽ extrahere eam literam quæcunque primùm illi ſub manum venerit, ac tandem inſpecta literula ducem cognoſces, quem tibi in philoſophia ſequendum exiſtimo. HERMOTIMVS. Iſta quidem Luciane, ſcurrili dicacitate à te, & non ex animo dicta ſunt. Tu verò reſponde mihi, nunquámne ipſe vinum commercatus es? LVCIA. Et perſæpe quidem. HERMOT. Nunquid ergo per orbem circuire ſoles quotquot in vrbe ſunt caupones, deguſtans, licitans, atque expendens vina? LVC. Nequaquam. HERM. Opinor enim illud, cui ſub initium bono & digno incideris, auferendum tibi eſſe. LVCIA. Ita per Iouem. HERM. Proinde à modica illa & tenui deguſtatiuncula pronuntiare iam potes de toto vino cuiuſmodi ſit. LVC. Haud dubiè poſſum. HERMO. Porrò ſi diceres, aſsiſtẽs caponibus, Poſtea quàm vini ſextarium coemere ſtatuerim: agite ô amici, date quæſo vnuſquiſque veſtrum totum dolium mihi ebibendum, vt omnibus exhauſtis certum habeam quínam veſtrum genero ſiora vina venalia habeat, & vnde mihi vinum ſit commercandum: quòd ſi hæc inquam diceres, an non iure optimo pro inſano ab illis deridendus eſſes: atque illos acriter inſtando perturbãdi finem non faceres, fortaſſe etiam aqua ab illis perfunderere? LVC. Sanè opinor, & profectò meritis meis digniſsima paterer. HER. Non ſecus ſe quoq; habent res philoſophicæ. quid enim neceſſarium eſt totum vas exhaurire potando, cum etiam à modica illa deguſtatiuncula nobis promptum ſit noſſe quale ſit futurum? LVCI. Quàm lubricus es ô Hermotime, quámque tergiuerſando laberis è manibus? verùm profectò tua tergiuerſatione parum promouiſti. cum enim ſperaris te effugiſſe, in eaſdem plagas ineidiſti. HER. Quorſum iſta dicis? LVC. Quoniam rei per ſe planæ & indubitatæ, omnibus certæ & cognitæ, nempe vino longè diſsimillima aſsimilando cõparas, & ea quidem, de quibus nemo non incertus animi ambigit, in obſcuro cõſiſtentibus, ita vt ego mehercle dicere nequeam, quatenus tibi vinum & philoſophia ſimilia videantur: niſi fortaſſe in hoc ſolo, quòd & philoſophi in quęſtu habeant diſciplinas venum expoſitas, quemadmodum caupones vinum, quas quidem commiſcentes doloſè & fraudulenter adulterant, & maligna menſura dimenditant. Ad hunc verò modũ quod dicis conſiderabimus. Ais autem vinum in vaſe exceptũ, totum eſſe ſui ſimile. & profectò nihil abſurdi in hoc à te dictum eſt. Atqui ſi quis etiam deguſtauerit illud hauſto ſaltem modico, ſtatim compertum habet, quale totum ſit doliũ: & hoc in confeſſo eſt apud omnes, nec eſt quòd quicquam tibi in his contradicam. Vide verò etiam poſthac, philoſophia, eiúſq; alumni, nempe præceptor tuus, num eadem quotidianis prælectionibus ad vos differit, iiſdémque de rebus nunquàm non verba facere conſueuit, an non ſubinde alio tempore alia vobis ſolet proponere? Eſſe enim non parum multa philoſophiæ abſtruſa myſteria, iam olim amice nemini obſcurum eſt. An non verò tu etiamnum, vt par eſt inſtar Vlyſsis apud illum perduras circumeũdo & oberrando, ſi ſemper ſonat eadem per eadem, at fortaſſe ſatis eſt ſi ſemel quippiam inaudieris? HERMO. Et cur non? LVC. Quínam igitur fieri potuit, vt tu primo guſtu ſtatim noſceres vniuerſa? Neq; enim ſemper eandem cantilenam nobis ſolet occinere, ſed ſubinde noua nouis differendo agglomerat. Nõ ô amice, vt vinum quod ſemper idem eſt, adeò vt niſi totum vas ſtrenuè exhauſeris, nequicquam inebriatus obambulabis. Planè enim in fundo mihi viſus eſt Deus philoſophiæ adyta abſtruſiſſe, ſub ipſam fęcem vſque. Itaque totum dolium poſtremò exhaurias neceſſe eſt, ſi vnquam conſilium tibi fuit nectaream illam potionem inueniendi, quam aridis faucibus iam olim auidiſsimè ſitire mihi viſus es. Porrò autem eam perſuaſionẽ tibi perſuaſiſti, vt putes, tale quippiam eſſe philoſophiam, vt ſi ſaltem leuiter illam primoribus, quod aiunt, labiis deguſtaueris, ſtatim fore vt omnibus ſapientiæ numeris euadas abſolutiſsimus, quemadmodum perhibent de diuinatrice illa in Delphis, quę ſimul atque ſacra fluenta deguſtauerit, actutũ afflata numine, accedentibus reſpondet oracula. Atqui nõ ita ſe habet philoſophiæ ſtudium. Itaque te, quẽ vltra medium iam dolii ebibiſſe conſtat, adhuc incipere perhibeas. Quare vide ne rectiùs huic philoſophia comparari queat. Dolium enim & cauponem adhuc tibi ſinemus, nihil autem inſit vini, ſed potiùs omnium frugũ confuſum quoddam ſeminarium, in ſummo quidem triticũ, cui ſubſint fabæ, quibus deinde ſubiectũ ſit hordeũ, mox lentes, quintò cicera, poſtremò aliæ quæpiã diuerſorum ſeminũ ſpecies & genera. Iam ſi inſtitorem accederes ſeminum mercandorum gratia, illéque à ſummo tritici aliquot grana inſpicienda in manum tibi traderet, poſſéſne igitur conſpectis granis dicere cicer eſſe mundum, & lẽtes probè purgatas, fabas autem inanes? HERM. Nullo modo. LVC. Proinde neque philoſophiã ab vno aliquo eorum quæ quis dixerit, vniuerſam pernoſces cuiuſmodi tota ſit. Neque enim vna aliqua res eſt, quale eſt vinum, cui quidem tu illam tametſi valde inæquali comparatione cõtuliſti, contendẽs ſimilem eſſe totam primo guſtui. Quòd autem diuerſum quiddam viſum eſt, curioſa perſcrutatione non eget. Etenim ſi quis vinum acetoſum, aut alioqui malum emerit, duorum obolorum iacturam facit. Porrò autem in media plebe verſari, ſicut & tu dixiſti ſtatim initiò, non mediocre malum eſt. Alioqui, qui totum vas epotare voluerit, vt vini ſextariũ coemat, damno cauponẽ afficiet, tam inciuiliter

ter & insolenter deguſtando. Nihil autẽ tale philoſophia patitur: verùm tametſi nimis multa biberis, vas tamen non imminuitur, neque vllã iacturam facit cauponam exercens. In diem enim loci fluit exhauſtum negocium, labórque, iuxta prouerbium, & contrà fit atque in Danaidum dolio. Illud enim quicquid infuſum fuerit, non cõtinet, ſed protinus hàc atque illac perfluit. Hinc verò, etiam ſi multa abſtuleris, multò tamen plura relinquuntur. Cæterùm aliud quiddam nõ diſſimile de philoſophiæ guſtu tibi proponã: tu verò caue putes in philoſophiæ contumeliam iſta me dicere, ſi dixero illam ſimilem eſſe exitiali & pernicioſo pharmaco, cuiuſmodi eſt cicuta, aut aconitum, aut aliud tale quippiam. Neque enim illa tametſi ſint lethalia & mortifera, ſtatim mortem inferũt, ſi quis modico quopiam de illis ablato, ſummo vngue deguſtauerit: verùm ſi nõ tãtum, quantum ad conſciſcendam mortem neceſſarium eſt, & qua ratione fieri oporteat, & cum quibus ſumendum ſit, certè non morieris. Tu autem contendis ad totius cognitionem parãdam minimum quodq; ſufficeré. HER. Sint ſanè iſta Luciane quemadmodum ipſe volueris, quorſum igitur centum annos nobis viuendum autumas, & tantorum negociorum molem ſuſtinendam, quaſi verò, alioqui nobis philoſophari non foret integrum? LVC. Non profectò Hermotime: neque hoc tibi graue & arduum auditu videatur. Etenim ſi ſub initium vera dixiſti, vitam videlicet breuem eſſe, artem verò longam: nũc neſcio quî fiat, vt tu grauiter ſuccenſere ſoleas, niſi priùs quàm ſol diurni curſus penſum abſoluerit, nobis Chryſippus, aut Plato, aut Pythagoras euadas. HER. Inſidioſè imponis mihi ô Luciane, méq; in anguſtum cõſtringis, nihil vnquam mali à me paſſus, nimirum præ inuidia, quòd ego quidem in diſciplinis nõnullum operæprecium fecerim, te ipſum verò nihili pendens dare ſoles neglectui, nullis diſciplinis liberalibus animum excolens, tantus ætate exiſtens. LVC. Scis igitur quid faciẽdum tibi putem? Mihi quidem tanquã atrabili percito, & inſanienti, ne dicto audiens eſto, néve mentem adhibeas, ſed ſine nugari me liberè: tu verò vt quidẽ iam facis in præſentia, porrò perge viam tuam, atque ad illa quæ initiò decreuiſti perſequi, alacriter contende. HERM. At qui tu nullam mihi permittis deligendi copiam: tam vehemẽter & violẽter me vrges, niſi omniũ experimentum ſumpſero. LVC. Siquidem planè peritum eſſe oportet, vt nequid interim dicam aliud. Quòd autem me violentum dicis, vidére mihi inſontem & inculpabilẽ iuxta Poetam incuſare, niſi dum altera tibi inuenta fuerit oratio pro te faciés, nunquã quod iam illatum eſt, auferetur à violentia. Ecce his multò etiã vehementiora tibi proponeret oratio, tu verò illa omiſſa me fortaſſe incuſares. HER. Qualiánam? demiror enim ſi quid etiamdũ abſtruſum illi relictum ſit. LVC. Parum eſſe ait, neq; ſufficere omnia perſpexiſſe, illáque obiter perluſtraſſe, vt poſsis iam optimum eligere, verùm adhuc opus eſſe re quapiam maxima. HER. Qua tandem? LVC. Critico quopiam, ô admirande, excuſſóque iudicio, mentéq; acuta & ſolerti, intelligentia inſuper ſumma & acri, qualem eſſe ſummopere neceſſarium eſt de rebus tantis iudicantem. Aut ſemel nequicquam vniuerſa viſa ſunt, quinetiam permultum temporis huic rei tribuendum eſſe confirmat, quod omnibus exactè & diligenter excutiendis, & indagandis ſufficiat, omnibùſq; in medium propoſitis eligere oportere cunctantem & tardantem: nullo modo autem differẽtis annos ſpectandos eſſe, neque habitum ſuſpiciendum, neque opinionem ſapientiæ reuereri oportere, ſed in morem Areopagitarum cuncta eſſe facienda, quibus mos eſt noctu & in tenebris cognoſcendis cauſis dare operam, vt non in dicentes, ſed in ea quæ dicuntur, defigant oculos. Ad hũc quidem modum tibi eligenti prõptum erit philoſophari. HERMO. Iuxta vitæ rationem tu dicis: ex his enim quæ dixiſti, nullius hominis vita ſatis longa eſſe poteſt vt omnia percurrat, & vnumquodque non oſcitanter perſpiciat, perſpectáque iudicet, iámque iudicata eligat, delectúq; habito philoſophetur. Hac enim ſola ratione verum iuueniri poſſe contendis. alioqui nequaquã. LVC. Vereor ad te dicere, ô Hermotime, ne hoc quidem ſatis eſſe, verùm adhuc mihi videmur noſmetipſos fallere exiſtimantes aliquid certi & firmi nobis inuentum eſſe, cum tamen nihil inuenerimus: quemadmodum hoc ipſum non rarò vſu venire ſolet piſcatoribus, qui cùm in capturam retia eiecerint, & aliquid graue ac ponderoſum ſenſerint, attrahunt rete, ſperantes piſcium copioſam multitudinem concluſam eſſe: deinde poſtquàm attrahendo nimium delaſſati fuerint, aut ingens lapis, aut vas aliquod arena refertum, præter ſpem illis apparet. Proinde etiã atque etiam tibi conſiderandum eſt, ne & nos tale quippiam ſubtraxerimus. HERMO. Non intelligo quid ſibi iſta velint retia, planè tamen iiſdem me irretitum inuoluis. LVC. Proinde ego te rurſum extricare conabor. Neque enim mihi dubium eſt peritia natandi te præcellere, ſi quis etiam alius. Etenim ego, etſi ad vniuerſos venerimus experimenti ſumendi gratia, & illud aliquando fecerimus, nondum tamen planũ & certum eſſe exiſtimo, penes quẽ illorum, illud quod quærimus, deliteſcat. Poſsibile enim eſt, vt eius omnes in totum ignari ſint. HER. Quid ais? an opinaris penes nullum illorum eſſe? LVC. Incertum eſt. Numquid nõ videtur tibi fieri poſſe, vt mentiantur omnes, ipſáque veritas alia quæpiam res ſit, quæ penes nullum horum inueniri queat? HER. Quínam fieri poſſe credam? LVCIA. Ad hunc modum: ſit enim nobis certus aliquis numerus ex compoſito conſtitutus, nempe viginti. Iam ſi quis viginti fabas in manũ ſumeret, & ea clauſa decem quoſpiam interrogaret, quótnam fabas in manu ſua concluſas haberet: illi autem ducti coniectura, hic quidem ſeptem, ille triginta, alter verò decem aut quindecim, prorſúſque alius alium numerum diuinaret: poſsibile enim eſt aliquem forte fortunaverum dicere: an non veriſimile tibi videtur. HER. Sanè. LVCIA. Ergo ne hoc quidem factu impoſsibile credendum eſt, vt omnes ex æquo alius aliũ numerum

rum dicat, falſum tamen, & à quo longè latéque abſit certus ille numerus, adeò vt nullus ex illis dicat virum in manu ſua habere viginti fabas. Quid autẽ tu ad iſta reſpondes? HER. Fieri poſſe. LVC. Non alia ratione quotquot philoſophãtur, felicitatem quęrere inſiſtunt, cuiuſmodinam tãdem res ſit, planéque alius aliud quiddam eſſe ſomniando confirmat, hic quidem voluptatem, ille honeſtum: alius alia quæpiam de illa comminiſcitur. Conſentaneũ autem eſt, vnum quiddam ex illis eſſe felicitatem. Contrà veriſimile eſt præter hæc omnia illud quiddã eſſe. Ac nos planè videmur, conuerſo rerum ordine, ſecus quàm oportet, ante inuentum principium ad finem feſtinare. Oportebat autem priùs, vt mea fert opinio, manifeſtum eſſe, veritatem eſſe cognitam, eſſéque ex philoſophantium numero aliquem, qui eandem certò cognorit. Deinde primùm quærere, cui potiſsimùm fides adhibenda ſit. HER. Ergo ea iſta dicis Luciane, quòd etſi omnem philoſophiam excuſſerimus, nunquam tamen facultatem nobis parabimus veritatem inueniendi. LVCI. Quid me interrogas, ô bone? quin potiùs iſtum ſermonem exquiris? & fortaſſe reſpondebit tibi, nũquam hoc fore, quoad incertum fuerit, num vnum quiddam illorum ſit de quibus illi verba faciunt. HER. Proinde nunquam, vt tu contendis, philoſophiæ dabimus operam: ſed neceſſarium omnino eſſe video, ea abdicata, priuatam quandam vitam cũ vulgo nos agere. LVC. Illud quidẽ accidit quod dicis, philoſophari promptum non eſſe, éſtque ei qui quidem homo ſit, ineuitabile. Iubes enim, vt is qui philoſophiæ operam daturus ſit, ſtatim initiò optimam quanque diligat. Ipſius autem delectus habendi ratio in hoc ſolo accuratè tibi videtur conſiſtere, ſi tota philoſophia perluſtrata elegerimus quàm veriſsimam. Deinde numerum quoq; annorum computando, quantus vnicuique perſcrutandæ ſatis eſt, longè latéque excidiſti omni ſpe fruſtratus, ipſum negocium producens, atq; reiiciens in aliud ſeculũ, ita vt ipſa veritas vniuſcuiuſque vitæ vltra præſtitutum tempus vix deprehendi queat. Poſtremò ne hoc quidem vt ambiguum vnquam perpendiſti, cum incertum eſſe dicas, num à philoſophis iam olim inuenta ſit veritas, nécne. Cæterùm tu Hermotime, poſſéſne iureiurando interpoſito confirmare, ab illis inuentam eſſe? Ego quidem nequaquam iurare velim. Non illibenter verò & alia multa tacẽs prætergredior, quæ & ipſa indagatione non indiligenti diſcutienda forent, HER. Qualiánam ſunt illa? LVC. Nónne audis Stoicos aut Epicureos, aut Platonicos dicentes eſſe partim quidem qui teneant omnium rerum rationes: partim verò illarũ prorſus eſſe rudes & imperitos, ex quibus permulti ſunt fide longè ſpectantiſsima? HER. Vera ſunt hæc. LVC. Proinde diſcernere peritos ab imperitis, ſemet tamen peritos perhibentibus, nõne res tibi videtur plena laboris, & negocii? HER. Ita profectó. LVC. Oportebit itaque te, ſi volueris Stoicorum optimum cognoſcere, tametſi non ad omnes, ad plurimos tamen illorum accedere, eorũdémq; periculum facere, meliorémq; præceptorẽ præſtituere, qui priùs multis ſit exercitatus, quíq; cenſoria quadam eligendorum præceptorum facultate animum tuum imbuat, ne videlicet tibi imponat, deterior per electionẽ cæteris præpoſitus. Atqui hoc tibi quoque conſiderandum venit, quãtum hoc requirat temporis, quod ego de induſtria prætermiſi, veritus, ne tu meis verbis commotus ſtomacharere. Et ſanè quòd maximum iuxtà ac ſummopere neceſſarium eſt, in talibus puta rebus hiſce dubiis & ambiguis vnum illud eſſe opinor. Inſuper ſola fides & ſpes non fallax & inconſtans tibi relicta eſt veritatis eiúſque inuentionis conſequendæ: alioqui nihil aliud, quã vt diſcernere queas, & ſeiungere à veris quæ falſa ſunt, vtque poſsis in morem argentariorum diſcernere ea quæ proba ſunt, & non adulterina, à fucatis & factitiis. Hanc inquam facultatem & artem conſequutus, conferre te potes ad ſupradictorum perpẽſionẽ: ſin minùs, planè tibi perſuaſum eſto, nihil obſtaculo eſſe quò minùs ab vnoquoque nare (quod aiunt) traharis, aut prælatum & floreſcentem oliuæ ramum te ſequi, perinde vt oues. Magis autem aquæ cuius in menſa vſus eſt, aſsimilabere: in quamcunque enim partem te quiſpiam traxerit ſummo digito, ducẽris. Aut per Iouem arundini cuipiam fluuiali iuxta litus enatæ, ad quẽcunque flatum ſemet flectenti: & ſi tenuis & permodica quæpiam aura flauerit, illam illico commouere ſolet. Non ſecus tecum quoque agetur præceptore quopiam inuento, qui ſi de demonſtrationibus & rebus dubiis diſcernendis alicuius artis gnarus te docuerit, ceſſabis haud dubiè temetipſum onerare negociis. Siquidem actutũ, quod optimum eſt tibi comparebit, ipſáque veritas arte illa compendiaria & demonſtratiua eruetur, neque non mendacium deprehenſum redarguetur: túque iam certo & conſtanti iudicio delectu habito philoſophiæ perdiſcendæ nauabis operam, atque ter exoptatam felicitatem cõſequutus, conuerſationem cum illa ſociabis iucundiſsimã, vniuerſis bonis in totũ ſemel fruẽs & abundans. HERMO. Euge ô Luciane, quantò iam præſtantiora, & ſpem non mediocrem oſtẽdentia, quàm dudum dixiſti! Eſtque nobis omnino, vt par eſſe videtur, eiuſmodi vir quiſpiã ſtudioſè conquirendus, cuius opera earum rerũ cognitionem & iudiciũ nobis paremus, & quod maximum eſt, infallibilem demonſtrationem. Hoc pacto cõfido fore cætera deinceps comprehenſu facilia, nec nimium operoſa, aut laborioſa futura, quéq; nõ multũ ſint requiſitura exercitii. Atque ego quidẽ magnas tibi iam habeo gratias, propterea quòd nobis tandem compendiariam quandam & optimã viam inueneris. LVC. Atqui iure optimo nullæ mihi abs te habendæ ſunt gratiæ: neque enim quicquã meo labore inuentum tibi demonſtraui, quo ſpem tibi firmiorem, aut ei te viciniorem feciſſem: ſed multò magis ab omni ſpe remoti excidimus, quàm antè fueramus. Ac prorſus iuxta vulgò iactatũ prouerbium nobiſcum agitur: Cum multũ laborauerimus, in eodem loco ſumus. HERMO. Quorſum iſthuc Luciane? Videre quiddam ſupra modum

dum triſte & admirãdum dicere. Lvc. Quoniã ô amice, tametſi inuentus nobis fuerit is, qui polliceatur ſe quandam ſcire demonſtrationem certam & infallibilem, ſéque docturum alium: non ſtatim propterea, vt opinor, illi fidẽ habebimus, ſed alium aliquem quærere conabimur, qui iudicio exactè habito diſcernere valeat, num vir ille vera polliceatur. Iam vbi etiam illum ex ſententia nacti erimus, nihilò ſecus tamen etiamdum incerti erimus, num ille quem ad cognoſcendũ adſciuimus, probè cognoſcere poſsit rectè iudicantem, néene, & ſic iterum deinceps ad priorẽ alio ad cognoſcendum appoſito nobis opus erit. nos enim vndénam tanta præditi intelligentia, ſciremus diſcernere eũ, qui optimorum iudiciũ habere poſsit? Vidéſne quouſque protendatur, & quàm immenſum fiat, anxio & ſuſpenſo animo eſſe eum, qui comprehendere nequeat? Quã doquidem ipſas quoque demõſtrationes, qualeſcunque tãdem inueneris, dubias & incertas eſſe comperies, nihil habentes in ſe firmitudinis. Plurimæ igitur ex ipſis per alias non minus dubias ad perſuadendum nos certæ eſſe per vim adigentur. Aliæ autem rebus omnium confeſſu manifeſtis obſcuriſsima coniungentes, & ne tantillum quidem cum illis participantia, illorum tamẽ demonſtrationes eſſe perhibentur, veluti ſi quis cõtenderet ita demonſtrari poſſe Deos eſſe, quòd in illorum cultum & honorem aræ paſsim conſtructæ cernerentur. Proinde ô Hermotime neſcio quónam modo, quemadmodũ ii qui in circulo currunt, ad ipſius initii carceres, & omniũ rerum deſperationem deuenimus. Her. Quàm inſigni me afficis iniuria Luciane, cùm pro theſauro non niſi carbones mihi exhibeas! Et quem admodum veriſimile eſſe videtur, tot anni quos ſtudiis philoſophiæ impendi, mihi planè ſine fructu periere: inſuper etiam labor ille & ſudor immodicus nequicquam exhauſtus eſt. Lvc. Sedenim ô Hermotime, multò minus animo perturbato diſcruciaberis, ſi cogitaueris te non ſolùm rerum ſperatarum deſiderio fraſſi, & fruſtrari, verùm omnes, vt habet prouerbiũ, de aſini vmbra digladiantur philoſophi. Aut potéſtne quiſpiam per hæc omnia quæ dixi, vagari & diſcurrere, quod quidẽ nullo modo fieri poſſe iam antè ipſe confeſſus es? Nunc autem non abſimile quiddam mihi vidére facere, quàm ſi quis profundendo lacrymas fortunam culparet, quòd illi in cælũ nõ liceret conſcendere, aut quòd nõ perinde vt mõſtra natantia mare ingreſſus, à Sicilia natando apud Cyprum emergeret, aut quòd non in ſublime ſublatus remigio alarum, vno die è Græcia ad Indos vſque extremos peruolaret. Cauſa autẽ eius triſtitiæ ea eſt, quòd ſperauerit, vt opinor, aut viſum aliquando ſomnium eiuſmodi, aut rẽ à ſeipſo ita ſibi confictam, cum parum ſub initiũ expenderit, non ea in optatis habuerit, quæ conſequi poterat, neque eſſent præter hominis naturam. Præcipuè verò te ô amice, multa & admirãda verſantem in ſomniis, cum pupugiſſet ratio, è ſomno te exilire fecit: deinde in illam cõmotus excanduiſti, vixdum aperiens oculos, ſomnúmque non facilè diſcutiens præ voluptate eorum, quæ vidiſti. Patiuntur idem tecum perſæpe, qui inanem quandam voluptatem & euanidam ſibi confingunt, cum interea ſibi videntur ampliter eſſe nummati, effodientes theſauros, regnantes, & dominantes, breuiter, quãtum ad omnia alia attinet, felicem vitam agẽtes: qualia perquàm multa Dea illa ſine negocio operatur, nempe votum exiſtens liberale, & magnificum, nulli rei quàmlibet abſurdæ contradicens, adeò vt ſi quis alatus fieri concupiſcat, aut Coloſſea mole eſſe conſpicuus, aut optet montes prorſus aureos inuenire. Quòd ſi igitur hæc ab illis in animo verſantibus puer accedens poſtularet aliquid rerum neceſſariarum, videlicet vnde panis eſſet coemendus, aut quídnam reſponſi dandum ſit pro locatis ædibus penſionem flagitanti, qui multo iam tempore expectaſſet, adeò inflammantur iracundia: ac ſi ab interrogante, & odioſè interturbante omnibus illis bonis vel cũ puluiſculo ſint exuti atque diſpoliati, ac propemodum pueri interpellantis naſum ſolent mordicus abripere. Veruntamen, ô amice, ne ad hũc modum velis quoque erga me animatus eſſe, ſi te theſauros effodientem, & volantem, cogitationéſque quaſpiam naturæ noſtræ non conſentaneas animo concipientem, eáque ſperantem, quæ nullo modo te conſequi poſſe video, amicus tibi exiſtens non patiar, aut permittam per omnem vitam nequicquam ſomnio iucũdo fortaſſe illo & dulci, ſomnio tamen, congredientem oblectari, cum vehementer cupiam te regreſſum ad ſanitatem agere quiddam quod magis ex vſu tuo eſſet, cúmque te emittere cogitem, vt reliquum ætatis quod ſupereſt, ad communes cum aliis vitæ actiones ſapientiùs inſtitutum componeres. Nam quod hactenus feciſti, & nunc facis, atque etiam tecum verſas in animo, nullo diſcrimine à fabuloſa Hippocentaurorum & Chimærarum Gorgonúmq; narratione diſcerni poteſt. Præterea quæcunque alia cum à ſomniis offerũtur, tum à poetis & pictoribus confingũtur, quæ neque fuerunt vnquam, neq; pòſt vnquam fieri poſſunt, quibus tamen promiſcua vulgi multitudo credit, & non mediocri voluptate iſta videndo aut audiendo afficitur, quia peregrina ſunt, & auditu admiranda, nec paſsim obuia. Et tu fabulatore quopiam audito confirmãte mulierẽ quãdam eſſe ſupra modum formoſam, quippe quæ ipſas Gratias pulchritudine ſuperet, quæque planè cæleſti quadã forma prædita ſit, nõ prùs apud animum tuum expendens num vera diceret, & num vſpiam gentium eſſe putanda ſit eiuſmodi tam amabilis formæ mulier, ſtatim eandẽ miſerè deperires: quemadmodum perhibent Medeam ex ſolo ſomnio exarſiſſe in amorẽ Iaſonis. Hoc autem quod maximè ad amorem te illexit, alióſque quotquot eius ſimulacri deſiderio inflammati ſunt, illud erat, veluti mihi coniecturam facienti res apparet, quòd is qui de muliere memorabat, poſteaquàm ſtatim initio narrationis creditus eſt vera dixiſſe, priori orationi non aliena aut diſsimilia induxiſſe videretur. In hoc enim ſolùm attenti eſtis, & per hoc nare vos trahit, poſteaquàm ſemel illi ſub initium anſam ſuppeditaſtis

peditaſtis, vóſque ad dilectam perduxit, per eam quam prædicebat rectam viam. Nulla enim difficultate cõficiuntur & reliqua, vt ego quidem opinor, neq; quiſquam ex vobis iuxta ingreſſum conuerſus exquirebat num verus ſit, & an oblitione, ſeu errore ductus eam viã ingreſſus eſſet, quam deuitare oportebat. Verùm ille eorum, qui præceſſerunt ſequendo inſiſtit veſtigiis, veluti oues præcedẽtes paſtorem, aut arietem conſequuntur, quum æquum fuerat ſtatim in ingreſſu perpendere nunquid in eam viam diuertendum fuerat. Illud autem quod dicturus ſum, manifeſtiùs fortaſſe & faciliùs intelliges, ſi tale quid dam non abſimile priori perſpexeris. Quòd ſi enim quiſpiam ex poetis Herculea audacia nihil non affirmare audentibus, diceret olim fuiſſe tricipitem quendam, & ſenis manibus inſtructũ hominem: iam ſi ſtatim initiò iſta non grauatim credenda ſuſceperis, neque habita ratione diſcuſſeris, num fide conſentanea dixerit, ſed nihil cũ ſtatus conſtanter credis ita ſe habere: pari ratione & reliqua inferet, videlicet quòd etiam ſenos habuerit oculos: neque non ſenas auriculas, præterea quòd tresvoces ſemel pariter emiſerit, quódque per tria ora cibum ſumpſerit, quòd triginta digitos habuerit, nõ quemadmodum quiſque noſtrum, decem in vtriſque manibus. Tum quoties illi belligerandum erat, tres manus tenebat, vnaquæq; aut peltam, aut parmam Perſicã, aut clypeum. Tres autem aliæ, illa quidem ſecurim ancipitem ferebat, altera haſtam vibrabat, tertia gladio vtens depugnabat. Et quiſnam hęc illi affirmanti fidem habere dedignabitur? valde enim hæc omnia principio ſunt ſimilia & cõſentanea, de quo ſtatim ſub initium conſiderandum fuerat, num iſta omnia citra contradictionem ſuſcipienda & concedenda erant, ita ſe conſtanter & pro certo habere. Porrò autem ſi ſemel illa cõceſſeris, etiam cætera conſequuntur. Nec iam facilè eſt illis fidem denegare, poſteaquã iſta à principio priùs conceſſo non diſcrepat, ſed planè cũ illo conueniunt, cuiuſmodi & vos patimini. Siquidem præ magnitudine amoris, & alacritatis, non expendentes ea que circa quęque ingreſſum vobis obiiciuntur quo pacto cuncta ſe habent, ſubinde porrò progredimini, rerum conſequentiæ ductu protracti, parum aut nunquam in deliberationem ſumentes, num quod priori videtur conſentaneum, etiam falſum eſſe poſſit: velut ſi quis diceret bis quinque ſeptem eſſe, & tu illi ſi de habita perſuaſus, apud te nõ numerares, haud dubiè conſimili quoque ratione inferet ter quinque eſſe quatuordecim, quod quidẽ faciet quouſq; libuerit, aut ſibi viſum fuerit: qualia permulta admiranda illa geometria factitare conſueuit. Etenim illa ab his qui primùm eam artem exordiuntur, cùm poſtulata quæpiam exotica, & abſurda efflagitet, eáque ipſa ſibi concedi contendat, nullo modo ſubſiſtere queuntia ſigna nõnulla indiuiſibilia, literuláſque quaſpiam informes aliáq; eius generis cõſimilia eiuſmodi fundamẽtis putridis ſubſtruit, volens ad demonſtrationẽ faciendam vera adducere, tametſi à falſis, facto initio artem exordiatur. Non ſecus vos quoque vnamquanque ſectam exorſi, cæteris quibuſque deinceps ſequẽtibus fidem habetis, veritatis certam cognitionem illorum conſequentiam, licet falſam eſſe exiſtimantes. Interea partim quidem veſtrum ſpebus nequicquam amplis & magnificis animo conceptis immoriuntur antè aliquantò quàm veritatem conſpexerint, eóſque à quibus illis turpiter impoſitũ eſt, nouerint. Partim verò tametſi ſagaciter ſubodorati fuerint, ſe miſeris modis deceptos eſſe, ſerò tamen, cùm iam penè ſenio ſint confecti: piget illos ab incepto regredi, verentes ne tanti natu cum ſint, contineri cogantur ſe puerilibus negociis hactenus fuiſſe occupatos. Proinde pudore obſtãte in ſtudiis ſemel cœptis perſeuerant, ea immodicè collaudantes & commendantes. Et quoſcunque perſuadere poſſunt, ad ea pertrahunt, vt non ipſi ſoli decepti viuant, ſed conſolationem habeant ex his qui eadem fraude illecti communibus cum illis malis conflictãtur. Etenim & illud acutè perſpexerunt, quòd ſi veritatem ſemel ingenuè fateren tur, fore vt non ampliùs venerandi haberentur, quemadmodum in præſentia, neque ſupra plebeiam ſortem in vllo precio æſtimarentur: ſed ne tantillum quidem, vt priùs, vllo honore habito honeſtè conſalutarentur. Quare haudquaquã libenter iſta fatendo commemorant, cum non ſint neſcii à quibus rebus ſibi excidẽdum foret, & æquali cũ aliis omnibus honore & ſorte fruẽdum. Vix enim fieri poteſt, vt in perquam paucos illorum incidas, qui magnitudine animi præditi, ſe deceptos eſſe confirmare audeant, alióſque ab inauſpicato inſtituto auertere, atque dehortari ſimilia tentare quæ ſtatuiſſent. Quòd ſi in eiuſmodi virum vnquam incideris, illum ſanè veritatis amantem, & virum bonum, & iuſtum, æque etiam, ſi vis, philoſophũ compellato. Hũc enim ſolum huius nominis compellatione dignum exiſtimauerim: cæteri verò aut nihil de vero compertum habent, vtcunque ſibi eius gnari & periti eſſe videantur: aut ſi aliquid explorati habuerint, illud tamen præ paruitate animi, & pudore, & deſiderio, quo præ aliis in præclara hominum opinione & preciis haberi concupiſcũt, occultant ſeduló. Et ſanè per Mineruam quæcũque hactenus à me diſputata ſunt miſſa faciamus hoc ipſo loco abiecta, & ſit ſempiterna quædam omnium illorum obliuio, qualem fuiſſe perhibent earum rerum quæ ſub Euclide duce Athenis peractæ ſunt. Cæterùm ponamus Philoſophiam Stoicam præ omnibus aliis veram & rectam eſſe, diſpiciamúſque num illam vllo modo queant conſequi, aut num hi fruſtra laſſitudine afficiantur malè locata opera, quicunque eius cõ ſequendæ deſiderio capti ſunt. Etenim promiſſiones magnificas, & illas quidem admirandas audio, videlicet per omnia felices & beatos fore, quicunque ad ſummum philoſophiæ faſtigiũ vnquam conſcenderint. Solos enim illos omnibus bonis haud dubiè ſemel potituros perhibẽt. Sedenim quod deinceps dicturus ſum, tu me longè exactiùs ſcire potes, num vnquam cum eiuſmodi Stoico tibi commercium fuerit, atq; inter Stoicos ſummo illo nimirum quẽ nullus affectus

fectus animi vlla triſtitiæ nebula perturbaret, quem nullæ voluptatum illecebræ commouerẽt, qui non inflammatus iracundia aliquãdo in furorem erũperet, qui inuidiæ contagio non eſſet infectus, qui diuitiarum amore, & deſiderio non tangeretur, ſed illas pro nihilo duceret: breuiter, qui per omnia felix eſſet, quã regulã & amuſim certiſsimam eſſe oportet vitæ planè virtuoſæ. Etenim in quo vel minimũ quiddã deſideratur, ille etiamdũ imperfectus habẽdus eſt, tametſi cæteris omnibus abundet, hoc tamẽ cũ conſecutus non ſit, nondum exoptatæ, & tantopere quæſitæ felicitatis particeps dicendus eſt. HER. Nullum quidẽ talem vnquã me vidiſſe, mihi ſum cõſcius, LVC. Euge Hermotime, quandoquidẽ lubẽs mẽ dictum non dixeris: ad quẽ ergo finem intẽtus, philoſophiæ perdiſcendæ impendis operam, cũ neq; præceptorem tuum, neq; illius, neq; vllum alium ex prioribus, neq; ſi ad decẽ retro ſecula deſcenderis, quemquã Stoicorũ perfectè ſapientem videas, & per hoc quoq; fuiſſe felicem? Neq; enim, vt opinor, hoc à te rectè dicetur, ſufficere ſi quis ſaltem felicitati proximus fuerit, poſteaquam nihil inde fructus, & vtilitatis capi poſsit. Nihilo ſecus enim extra viam ſub dio verſatur is qui iuxta oſtium foris ſtat excluſus, quã qui emi nus adhuc labore itineris cõficitur, niſi quòd veriſimile eſt illum nõ mediocri perturbatione diſcruciari, videntem in propinquo ea quibus prius andus eſt. Deinde vt quãproximè etiam felicitatem accedas (illud enim tibi concedã) tanta laborando perfers, temetipſum miſeris modis abſumens & conficiens, atq; ita tantũ ætatis per ſocordiam & ſupremam negligentiã tibi elapſum eſt immẽſo labore & vigiliis multis attenuato, & obſtipo capite in terrã defixo. Quinetiã de-integro, vt ais, vt alios viginti annos ad minimũ laboribus temetipſum exercebis, vt euadas octogenarius. Quis autẽ obſtricta fide ſpõſor tibi factus eſt, te certò tot annos victurũ? Nihilominus tum eorum in numero habeberis, qui felicitatis nõdum ſunt cõpotes: niſi tu ſolus putes illud te cõſtanter cõſecuturum, & inſectãdo capturũ, quod ante te nõ parum multi & boni, multóq; velocitate præſtantiores omnibus viribus conſectãtes cõprehendere nõ potuerunt. Sed eſto, ſi videtur, te cõprehendiſſe, iámq; votis tuis optata omnino contigiſſe, tamen omniũ primũm bonũ illud cuiuſmodinam ſit, nõ poſſum perſpicere, nũ tantis laboribus pro illo conſequẽdo impenſis & exhauſtis dignũ & cõueniens æſtimari debeat. Deinde non videõ quàm illo per reliquã ætatem iucundè & dulciter frui poſsis, tantus natu cũ ſis, quippe iam incuruatus ſenio, & ad omnem voluptatem capiendã parum aptus & accommodus, iam capulo vicinus, & alterũ pedẽ (quod aiunt) loculo inſertum habẽs. Niſi fortaſſe, ô generoſe Hermotime, ad aliam vitam variis laboribus temetipſum exerceas, vt in illã iam delatus viuas molliùs & ſuauiùs, certior iam factus quẽadmodum vita in poſterum inſtituenda ſit. Quod mihi perinde videtur factũ, atq; ſi quis deambulatiũ cula & exercitiis quibuſpiam ſe præpararet atq; inſtrueret, quò maiore cũ voluptate cœnaret, do nec neſcius præ fame necaretur. Cæterũ nec hoc vnquam mihi animaduertiſſe videre, vt opinor, ſolidam virtutẽ in actione cõſiſtere, videlicet in rectè & ſapienter factis, & his quæ fiunt magno animo. Vos autẽ, ſummi nẽpe philoſophi, quos per vos quoties dixero innuere ſoleo, poſteaquã in his inueſtigandis & faciendis parum eſtis occupati, voculas quaſpiam miſeras conſectantes meditamini, connectentes ſyllogiſmos & perplexitates, atq; in his maiorem vitæ partem ſine fructu conteritis. At quicunq; in connectendis prõptior fuerit & dexterior, huic victoriæ palmam vnanimi conſenſu defertis. Quo nomine, vt ego quidem opinor, etiã præceptor tuus tantopere vobis in admiratione & exiſtimatione multa, vir quidem ætatis decrepitæ, quia ſuos affectas vnà ſecũ ſermonem ſociantes, perplexis, & captioſis quæſtiũculis probè calleat inuoluere, tenẽs quid quærendum, & quo quiſq; pacto ſophiſticis nugis ſit circunducendus, optimus nimirum doloſe & callidè agendi, ſinque nõ euitabiles laqueos coniiciendi magiſter exercitatiſsimus. Hoc planè nihil aliud eſſe confirmare auſim, quàm negleto fructu circà corticem occupatos eſſe, adeò vt tantũ folia in diſputationibus veſtris viciſsim decutere videamini. Aut fortaſſe alia quæpiam ſunt Hermotime, quæ vos à ſummo mane ad veſperã vſq; facere credendũ eſt? HER. Non profectò, ſed ea ipſa ſunt, quæ factitare ſolemus. LVC. An non igitur rectè quis dixerit, vos relicto corpore ſolam vmbram venari? aut negleto viui ſerpẽtis tractu, ſaltem exuuium conſectari? Aut potiùs huic perſimiles in agendo, qui infuſam in mortarium aquam ferreo piſtillo magno conatu tunderet, rem quãpiam ſummopere cõducibilẽ ſe facere exiſtimans, ignarus tamen, etiam ſi humeros, vt aiunt, verberando decutiat, tamẽ aquã quamlibet cõtuſam, manere aquam? Permitte verò, vt ego te deinceps liberè interrogem: dic mihi, num in votis habeas, excepta eruditione in cæteris omnibus per omnia præceptori tuo eſſe ſimilis, nempe vt ita ſis ad iracundiam propẽſus, ita moroſus, ita ſordidus, ita contentioſus, denique in tantùm voluptatibus deditus, tametſi per Ioué paucis ità eſſe videatur? HER. Quibus tãdem? LVC. Si placuerit, Hermomite, ea tibi cõmemorabo, quæ virum quempiam multa canicie infectum, ſuper philoſophia diſſerentem audiui, ad quem permulti iuuenes ſapientiæ comparandæ gratia certatim commigrant. Cũ enim à quodam ex diſcipulis mercedem exigeret, vehementer incanduit, affirmans vltra præſcriptum tempus ſolutionem debiti ſibi prorogari, quod ante decimumſextum diem diſſoluendum fuerat. Ita enim pactum eſſe, & ob hoc quidem indignabatur. Cum autem forte fortuna adſtaret ibidem eius iuuenis auunculus, homo ruſticus, & noſtrarum rerum minimè peritus, Deſine, inquit, vir admirande, te magna iniuria affectum eſſe conteſtari, ſi voculas ad te commercantes neſcio quas, mercedem tibi nondum reddiderimus. Ea enim que nobis feciſti, etiamdum ipſe integra habes, & poſſides, neque quicquam tibi imminutum eſt ex diſciplinis tuis: in cæteris au

ris autem quibus ſub initium adoleſcentem tibi offerens, eundem deſiderabam imbui, nihilo melior tua opera factus eſt, quippe qui mei vicini Echecratidis filiæ raptæ per vim vitium intulit: & ſanè pœnam dediſſet damnatus iudicio, niſi ego à vicino paupere talento multam redemiſſem. Porrò autem ipſi matri nuper incuſſit alapas, quòd ipſum in manifeſto furto deprehendiſſet, ſub ſinu cadum efferentem, vt haberet, niſi falſor vnde cum ſodalibus bibens deponeret ſymbolum. Etenim quantum ad iracundiam & furorem, & impudentiam, & audaciam, & proloquenda mendacia, aliáque vitia attinet, ſuperioribus quidem annis longè meliùs ſeſe habebat, quàm nunc, cum his ipſis ſit omnium contaminatiſſimus. Atqui planè mihi perſuaſeram in hiſce vitandis & dediſcendis illum precipuè à te adiutũ & formatum iri, magis quidem, quàm quòd illa perdiſceret, quæ quotidie ille ad nos, quibus illa audire ſuperuacaneum eſt, in menſa conſueuit diſſerere, quemadmodum Crocodilus rapuiſſet puerum, patríque pollicitus eſſet ſe redditurum, ſi reſpondiſſet neſcio quid. Aut quòd cum dies fit, neceſſe eſſet noctem non eſſe. Nonnunquam & cornua nobis affingere ſolet generoſus ille, neſcio quo pacto ſermonem connectens. Nos autẽ his auditis ridere ſolemus, maximè verò quando obſtructis auribus ſedula agitatione ſecũ me ditatur, habitus & diſpoſitiones quaſpiam, præterea catalepſes & imaginationes, multa denique id genus nomina percurrendo. Quinetiam non rarò ipſum dicentem audiuimus, Deum in cælo non eſſe, ſed per omnia certatim penetrare, nimirum per ligna, per lapides, per animantia, vſque ad ea quæ ſunt omnium deſpectiſſima. Cæterùm matrem illum interrogantem, cur ad hunc modum delirans iſta ſecum nugaretur, ſubſannare ſolet. Sed ſi eas nugas, inquit, exactè perdidicero, nihil video obſtare mihi quò minus ſolus dies, ſolus rex ſim, cæteri verò mihi collati, mancipia & hominum purgamenta exiſtimandi ſint. Hæc cum dixiſſet vir ille, vide mi Hermotime, cuiuſmodi reſponſum ille dederit philoſophus, quàm verò maturum & ſenile. Atqui niſi me ille, inquit, acceſſiſſet, nónne putas quòd longè peiora flagitia admiſiſſet, aut per Iouem etiam traditus fuiſſet torquendus carnifici? Nunc autem frẽnum quoddam illi iniecit philoſophia iuxtà ac verecundia, & ob hoc ipſum modeſtior vobis noſtra opera factus eſt, & moribus adhuc tolerabilis. Illud enim pudorem illi incutit, quòd indignus habitu & nomine philoſophiæ appareat. Cæterùm quæ à nobis abſtulit, ea illum in diſciplina continent: ita vt iuſtus eſſe videar, ſi mercedem à vobis accepero, etſi illum haud multò meliorem reddiderim: nam in his quæ nondum admiſit, philoſophiam reueritus eſt, poſteaquàm nutrices quoque talia de pueris dictitare ſoleãt, nempe præceptoris ædes illis adeundas eſſe. Siquidem nuſquam alibi locorum pueris relicta eſt copia bonum quiddam perdiſcendi: ſed neque mali quippiam vnquam in ſe admittunt quamdiu ſub præceptorum cuſtodia militauerint. Ego quidem omnes officii mei partes in excolendo iuuene mihi impleſſe videor. Iam quicunque tibi placuerit noſtrarum rerum non imperitus, illo tecum aſſumpto cras me accedas, & videbis quàm promptè & expeditè interroget, alios, quãque ingenioſè & argutè ad quæſita reſpondeat, tum quantam eruditionem ſibi mea opera pararit, & quos iam libros euoluerit de proloquiis ac ſyllogiſmis, de cõplexionibus & officiis, déque aliis multis & variis. Cæterùm quòd matrem pugnis ceciderit, atque etiam raptas virgines vitiarit, quid ad me attinet? neque enim me illi pro pædagogo conſtituiſtis. Hæc quidem homo ſenex de philoſophia diſſerebat. Tu fortaſſe & ipſe Hermotime diceres abundè ſatis eſſe, ſi ob hoc ipſum philoſopharemur, ne quid eorum quæ mala & vitioſa ſunt, faceremus. An verò non initiò longè ampliori ſpe inducti, philoſophandum nobis eſſe exiſtimabamus, nõ ob hoc ſaltem, quòd paulò quàm priuatus quiſpiam ex vulgo honeſtiores eſſemus? Cur igitur non & ad hoc dignaris dare reſponſum? HERM. Quid verò aliud tibi reſpondeam, quàm quòd propemodum etiã mihi lacrymandum eſſe intelligo? vſque adeò me commouit oratio tua nimiùm vera. Et iam quidem grauiter lugeo, me miſerum tantũ temporis fruſtra inſumpſiſſe & contriuiſſe, ad hæc mercedem tam grandem pro laboribus impendiſſe. Iam enim tanquam ex ebrietate profunda ad ſobrietatem reuerſus, video cuiuſmodi illa ſint, quorum amore capiebar, tum quantas ærumnas pro illis cõſequendis ego miſer exhauſerim. LVC. Fletu quidem & lacrymis haud opus eſt ô bone, longè autem præſtabilius & prudentius eſſe opinor, quod in fabulis Aeſopus commemorat. Ait enim quendam in maris litore conſediſſe conantem ſingulas vndas pernumerare: cúmque vndarum mutuò ſe trudentium multitudine obrueretur, animóque grauiter angeretur quòd eas numero compleẽti nõ poſſet, adueniens callida vulpes, non inidoneo conſilio hominis perturbationẽ ſubleuauit. Quid diſcruciaris, inquit, propter vndas quæ prætergreſſæ ſunt? hinc numerare incipias oportet, illas miſſas facito. Et tu, quãdoquidem ita tibi videtur, poſthac magis ex vſu tuo feceris, ſi communem cum aliis vitã viuere decreueris, ac ita quidem cum multis in Repub. verſaberis, nihil abſurdum aut faſtuoſum animo concipiens aut ſperans. Nec eſt quòd pudore afficiaris, quòd iam primùm decurſo vitæ ſpacio rectè ſapere incipias, aut mutato conſilio ad meliora te recipias. Proinde hæc omnia, ô amice, quæcũque à me dicta ſunt, nolim putes, me de induſtria præmeditatum & inſtructum aduerſus Stoicos, quaſi mihi cum illis eſſent ſuſceptæ inimicitiæ, dixiſſe, ſed communem aduerſus omnes orationem eſſe putato. Neque alia contra te protuliſſem, ſi aut Platonis aut Ariſtotelis te ſectatorem eſſe teſtatus eſſes, cæteris indicta cauſa contemptis & poſthabitis. Nũc autem poſteaquàm Stoicos cæteris omnibus anteferebas, aduerſus Stoicam omnem diſputationem quoque noſtram inſtituimus, nihil alioqui ſimultatis aut diſſidii aduerſus illam ſuſceptũ hãbentes. HER. Bene ſanè dicis. Iam itaque abeo, vt ego me to-

cum vnà cum veſtitu & habitu commutem. Videbis igitur in breui, non veluti nunc, me neque barba tàm denſa & profunda horridum, neq; ita afflictam & aſperam victus rationem, verùm molliora omnia, magíſque libero homine digna ſequentem: fortaſſe neque purpuram induere grauabor, vt omnibus fiat perſpicuum, mihi priores nugas non ampliùs curæ eſſe. Atque vtinam etiã ex intimis cordis penetralibus euomere ea omnia poſſem, quæcunque ab illis vnquam audita deuoraui. Et vt pro certo ſcias, neq; helleborum ebibere formidabo propter hoc ipſum, contrà quàm Chryſippus conſueuit, ne quid eorum vnquam poſthac quæ dixerunt, mihi in mentem veniat. Cæterùm tibi Luciane non mediocrem habeo gratiam, quòd me hactenus iactatum & circumlatum à turbido torrente & aſpero, iuxtáque fluxum vnà cum vndis fluitantem extraxeris, aſſiſtens iuxta Tragœdorum prouerbium, Deus ex improuiſo oſtenſus. Videor autem mihi non abſurdè facturus, ſi & caput raſero, quemadmodum facere ſoliti ſunt, qui è naufragiis enatant incolumes, ita vt ſalutis meæ feſtiuitatem hodie concelebrem, poſteaquàm tantarum nebularum caligo ab oculis meis diſcuſſa eſt. Porrò autẽ conſpectum philoſophi poſthac, & ſi inuitus interundum alicui obuiam venero, non ſecus deuitabo extra viam declinando, quàm rabioſos canes fugere ſoleo.

HERODOtus, vel Aetio,

Vincentio Opſopœo Interprete.

ARGVMENTVM.

Oſtendit hac præfatione Lucianus, ſe exemplo Herodoti, & poſt hunc Aetionis pictoris, adductum, vt in conuentu totius Macedoniæ exhibere ſe, ac ſpecimen aliquod ſui præbere voluerit. Eſſe enim compendioſiorem hanc viam ad laudem & gloriam comparãdam, quàm ſingulas ciuitates circumeundo, magno negocio, multóq; tandem tempore inclareſcere. Exordium à voto incipit, pòſt narratione vtriuſque & Herodoti & Aetionis exemplum exponit: quæ, quia maiorem ſcripti huius partem abſoluit, vtriuſq; nominis titulum quoque dedit. Hinc adaptatio ſequitur, qua ſuum inſtitutum cum ſuperioribus exemplis comparat, amplificata per collationem, præſenti conuentu cum Olympico, à loci & hominum qualitate. Poſtremò petit, vt illorum exemplo, ſe quoque pro aliquo mediocri oratore habeant, non cum optimis ac vetuſtiſſimis illis, ſed cum præſentibus conferendo.

VTinam verò & alias Herodoti virtutes mihi imitari cõceſſum fuiſſet, nõ omnes dico quibus ille præditus præcelluit (maior enim voto hæc res fuerit) verùm vnam ex omnibus, videlicet aut orationũ elegantiſsimarũ munditiem, aut illarum numeroſam cõcinnitatem, aut propriã & naturalem linguæ Ionicæ dictionem, aut ſententiarum grauitatem & præſtantiã, aut quæcunq; alia (quę & infinita ſunt, & elegantia) ille vno quaſi faſciculo comprehẽſa poſsidet, omnẽ imitationis ſpem excedentia. Cæterùm quæ cùm libris à ſe elucubratis fecerit, tum quẽadmodum paſsim in breui temporis ſpatio apud Græcos in notitiam venerit, mihi & tibi & alteri cuicunq; tandem imitari haudquaquam fuerit difficile. Cùm enim relicta patria ſoluiſſet ex Caria, recto curſu in Græciam delatus eſt, vbi de ſeipſo eam cogitationẽ ſuſcepit, quo pacto quàm celerrimè & minimo cum negocio inclareſceret, ac famigerabilis fieret cum ipſe, tum eius quoq; elucubratæ vigilię. At enim obambulantem, nũc quidem Atheniẽſibus, nunc autem Corinthiis recitare hiſtoriarũ monumenta à ſe condita, mox Argiuis aut Lacedæmoniis, partim laborioſum eſſe exiſtimabat & longum: partim cunctationem & moram nõ mediocrem in illo fore proſpiciebat. Voluit ergo negocium omne in cõpendium cõtrahere, neq; ita particulatim innoteſcere, notitiã modicè & & pedetentim congregans & colligens. Callidè verò obſeruabat ſi vſpiã locorũ Græcos vnà congregatos omnes deprehenderet. Cõmodùm itaque inſtabant magna Olympia. Herodotus autẽ hanc ſolam ſibi veniſſe occaſione arbitratus, cuius maximè erat cupidus, frequentiſsimis ludis obſeruatis, iámq; ex omnibus locis collectis Græcorum optimatibus, progreſſus in opiſthodomũ, nõ ſpectatorem, ſed certatorẽ ſe ipſe exhibebat, cãtillans hiſtorias memoriæ à ſe proditas, ac præſentium aures orationis ſuauitate demulcens, donec & Muſarum nominibus eius libri nobilitari & vocari cœpti ſint, & illis nouem exiſtentibus. Próinde iam omnes illum nouerant multò profectò magis quàm Olympicorum certaminum victores: nec quiſquam erat cui Herodoti nomẽ inauditum fuerat, quem nonnulli ipſi audiuerãt in Olympia, alii verò ex iis qui ex ludis regreſſi fuerant, audita & ipſi perceperant. Tum verò vbicunq; in publico ſaltem apparuiſſet, certatim cõmonſtrabatur digitis: Hic ille eſt Herodotus, qui pugnas Perſicas lingua Ionica condidit atq; cõſcripſit, qui victorias noſtras venuſtiſsimè concelebrauit. Talem ipſe laudem hiſtoriarum nomine conſecutus eſt, in vno conuentu ab omni populo totius Græciæ cõmune nactus ſuffragiũ, nõ ab vno per Iouẽ prẽcone ebuccinatus, ſed in omnibus quaquauerſum ciuitatibus, vnde quiſq; erat eorum qui ad ludos publicos confluxerant. Hoc cùm animaduertiſſent poſteà ad parandam cognitionẽ viam eſſe cõpẽdioſiſsimã & Hippias illius gentis Sophiſta, & Prodicus Cius, & Anaximenes Chius, tum Polus Acragantinus, aliíque cõplures, orationes ſemper habuerunt & illi in ludis publicis, vnde breui notitiã ſibi parauerũt. Quorſum verò tibi priſcos illos percẽſeo ſophiſtas, & hiſtoricos, & oratores, cùm hæc inter vetera cõmodè locũ habere poſsint? Etenim perhibent Actionẽ quoq; pictorẽ, Rhoxanes & Alexandri

Aetion pictor.

xandri depictas in tabula nuptias, in Olympiam pertuliſſe, ac imaginẽ ſpectandã oſtentaſſe, adeò vt Proxenides, quẽ tunc certaminũ iudicẽ Græci cõſtituerãt, artis præſtãtia delectatus, Actionẽ generũ ſibi aſciuerit. Sed quæret aliquis, quódnã tantum affuerit picturæ miraculũ, per quod adductus Proxenides Actioni peregrino filiam ſuam nuptũ tradiderit. Eſt equidem imago in Italia, quam egomet vidi, adeò vt tibi quoq; de ea compertam veritatẽ dicere poſsim. Thalamus eſt ſupra modum elegans, & lectus nuptialis veſtimentis inſtratus. Hunc iuxta locata eſt Rhoxane virgo corpore & facie venuſtiſsima, terram modeſtè intuens, Alexandri aſsiſtentis præſentiam honorificè reuerens. Cæterùm Cupidines quidã ridentes, alter quidẽ à tergo ſtans digitis redimiculum aufert à capite, ac Rhoxanen ſponſo commonſtrat: alter nimium ſeruiliter à plãtis aufert ſandalium, vt iam decumberet. Alius Alexandri chlamyde inuolutus, illum ad Rhoxanen pertrahit, valde violenter annixus. Sedenim ipſe rex coronam quandã puellæ porrigit. Adeſt præterea & Parochus ſpoſæ ductor Hephæſtion, ardentem facem tenens in manibus, formoſo admodũ adoleſcenti innixus: hunc ego Hymenæum eſſe opinor: neq; enim nomen adſcriptum fuerat. Ex alia autem parte tabulæ alii Cupidines in armis Alexandri colludebant: duo quidem haſtã illius ferentes, eos imitabantur, qui ferentis oneribus grauari videntur. Alii duo vnum aliquem iacentem ſuper clypeũ penè ipſum vt regem trahunt, ſcuti loris inuoluti. Porrò vnus in thoracẽ ſupinè iacentem ingreſſus, inſidias tendenti ſimilis eſſe videtur, vt illos ex improuiſo perterrefaciat, vbi trahendo ad ſe peruenisſet. Neq; verò hęc ludicra ſunt aut puerilia, & in quibus exprimendis temerè elaboraſſet Aetion, ſed quibus Alexandri ad res bellicas amorem adumbrare voluit, & quòd eadem opera & Rhoxanes amore flagrarit, & armorum curam per obliuionem non abiecerit. Quanquam verò & aliàs ipſa imagine nuptiale quiddam reuera oſtenſum eſt, nempe Proxenidæ natam antè Actioni fuiſſe deſponſam, illáque in matrimonium ducta abiit, luſis ſucciſiua opera Alexandri nuptiis, ſub rege ſponſæ ductore, pro nuptiis colore & penicillo expreſsis veras nuptias præmium reportans. Próinde Herodotus (regredior enim ad illum) ſatis ſupérq; ſufficere Olympiorum ludos exiſtimauit ad faciendam fidem Græcis, eum ſcriptorem eſſe admiratione non indignum, qui Græcorum geſta illis recitaret, quemadmodũ ipſe factitare ſolitus eſt. Ego verò, ac per Iouem Philium vos precor, ne inſanire me ſuſpicemini, neq; mea me cum illius cõferre velle. Propitius ſit mihi vir ille. Verùm hoc mihi cum illo non diſsimile accidiſſe arbitror. Etenim quo tempore primùm in Macedoniam ſuſcepta peregrè profectione veni, apud me ipſe cogitabam, ſtrenuè mihi aduigilandum eſſe, eáq; iã tenebar cupiditate omnibus innoteſcendi, ac quàmplurimis Macedonũ vigilias meas oſtendendi. Porrò autem ſingulas adeuntem ciuitates, interea ingraueſcente ætate conſeneſcere, haudquaquam facilè factu apparebat. Sedenim ſi conuentu veſtro obſeruato, déinde progreſſus in medium, oratione propalàm habuiſſem, ſperabã omnibus ex ſententia ſuccedentibus voti me cõpotem futurum. Vos itaq; conueniſtis, ex ſingulis equidem ciuitatibus quîque præſtantiſsimi, neq; non ipſa ſumma vniuerſorum Macedonum delectiſsima. Excepit verò veſtrum conuentum ciuitas omnium optima, quácum nulla ex parte Piſa conferenda eſt, neq; ea quæ illic eſt loci angustia, neque tabernacula aut tuguria, & ſuffocatio. Iam neq; conuentum celebrantes, vulgaris fęx aut turba eſt, magis cupida ſpectãdi athletas, nempe vulgus Herodoti negligens, ſed profectò eum rhetorum, tum ſcriptorum atq; Sophiſtarũ omnium celeberrimi, adeò vt parum mihi deeſſe videatur, quò minùs & mea actio périnde vt Olympiorum celebris habenda ſit. Cæterùm ſi me cum Polydamante, aut Glauco, aut Milone cõpoſitum contẽplamini, valde audax homo vobis eſſe videbor. Sin verò ab illis memoria lõgè latéq; auocata, in hoc ſolùm intenti fueritis, fortaſſe non admodum vobis flagellandus eſſe videbor, ita vt in tanto ſtadio & hoc mihi ſufficiat.

ZEVXIS, VEL Antiochus,

Vincentio Opſopœo Interprete.

ARGVMENTVM.

Apologia quædam ſcriptorum Luciani eſt, qua ille oſtendit non tantum nouitati ſeu peregrinitati ſtudere ſe, ſed & rerum ſententiarũmque elegantiæ, deinde & aptæ compoſitionis harmoniæ. Cæterùm quòd ſola nouitas illorum in admiratione ſit, fieri communi quadam hominũ natura, qui ſola nouitate plerũq; detineãtur, interim aliorum nulla habita ratione. Idem enim & Zeuxidi olim in picturæ Centauri, in quam præter nouitatẽ argumenti, multam artem impenderat: & Antiocho in pugna contra Galatas accidiſſe, hoſtibus nouitatem, & inſolentiam Elephantorum, non ipſius apparatum pertimeſcentibus. Tractatur autẽ eadem ferme ratione, qua & ſuperior oratio: niſi quòd hîc ipſa cauſa à principio ponitur, exempla autem, eáque amplificata ſequuntur. Etiam tituli eadem ratione, vt ſuprà, impoſiti ſunt.

HAbita nuper in conſeſſu veſtro oratione, domum me conferebam. Permulti autẽ ex iis, qui orationi interfuerant, me acceſſerunt. Nihil enim prohibere opinor, quin & iſta vobis meis iam familiaribus exponam. Itaq; accedentes porrecta dextra me conſalutabant, & admiratione proſequentibus ſimiles eſſe apparebant. Multo autem itinere comitatu ſuo me deducentes, alius aliunde exclamabat, laudabátq;, donec pudore quoq; me ſuffunderent, verentem ne longè latéq; à dignitate laudũ quas in me congerebant, relinquerer. Caput autem & ſumma laudationũ hæc illis fuit, & omnes vno ore vnam eadémq; ſententiã

præ ſe ferebãt, confirmantes orationũ mearum compoſitionem & ſententiam peregrinã eſſe, ac multũ in ſeſe cõplecti nouitatis. Multò verò ſatius eſt, eadem illa verba commemorare, quibus illi tum vſi fuere. O nouitatem, inquiunt! O Herçules dictionem inauditam! Homo prõptus & agilis. Certè nemo dixerit quicquam orationũ tuarum cogitatione périnde eſſe nouũ. Equidẽ illi id genus verba permulta faciebant, prout quiſq; inter audiendũ oratione mea affectus aut commotus fuerat. Aut quam alioqui talia mentiendi & aſſentandi aduerſus me cauſam habuiſſent, hominẽ peregrinum, quem aliàs contemptui habentes, non magnifaciebant? Veruntamẽ ego (neq; enim tacitum diſsimulabo) non mediocriter illorum laude diſcruciabar. Tandẽ verò illis abeuntibus, cùm ad me rediſſem, mente atq; animo ſic mecum agitaui: Ergo tantùm hac gratia & venuſtate ſcripta mea cõdita ſunt, quòd ad conſuetam dicendi rationẽ formata nõ ſint, nec iuxta cõmunem loquendi viam fluant, verborum verò elegantium nihil in illis admixtum eſt, ad veterem ſermonis regulam & canonẽ poſitorum, nulla præterea ſententia argutè dicta exornata ſunt, nulla induſtria, nulla Atticæ linguæ venere perpolita, aut compoſitionis harmonia, aut arte ad amuſsim elaborata, ſed ab his omnibus longè latéq; diſcrepant. Neque enim hæc ipſa à præſentibus laudata ſunt, ſed verborũ noui tas illorum iudicio peregrina & aliena viſa eſt. Ego verò ſtolidus hoc ipſo eos, ſi vnquam ad me collaudandum ſubſilirent, potiſsimùm adductũ iri putabam. Veriſsimum enim illud Homeri eſſe perſuaſum habebam, nouam quamq; cantilenam audientibus eſſe gratiſsimã. Non tamẽ tantum laudis, neq; adeò ſummã, nouitati concedi volebam, verùm hanc non aliter atq; cumuli loco adiici, & nonnihil ſanè ornatus ad gloriã afferre, ſed ita, vt quæ vera laude & auditorum applauſu digna haberentur, illa eſſent. Itaq; nõ mõ dicè comouebar, penè eò adductus, vt illis fidem haberem, vnum atq; adeò ſolùm inter Græcos eſſe confirmantibus. Atq; id genus alia. Theſaurus autem, iuxta prouerbium, nobis carbones erant. Ac propémodum vt præſtigiator quiſpiam ab illis laudor. Volo itaque vobis pictoris inſtitutum denarrare. Zeuxis ille omnium pictorũ præſtantiſsimus, popularia & communia illa nequaquam pingere ſolitus eſt, aut admodum pauca, nempe heroas, aut Deos, aut bella: ſemper autem noui aliquid comminiſcendi illi conſuetudo fuit. Cæterùm inter alia audaciæ ſuæ egregia facinora, & Hippocentaurum fœminã ipſe Zeuxis adumbrauit, alentem adhuc vberibus pueros Hippocentauros geminos nimium infantes. Illius picturæ exemplum nunc Athenis repoſitum conſeruatur, ad verã imaginẽ accuratiſsimè expreſſum: ipſum porrò archetypum Sylla Romanorũ Imperator vnà cum aliis rebus aliquot precioſis in Italiam miſiſſe ferebatur, déinde iuxta Maleam Laconiæ promontorium, vt opinor, facta naui oneraria atque ſubmerſa, periiſſe omnia, atque ipſam etiam picturam. Atenim veræ imaginis imago mihi viſa eſt. Ac ipſe, quoad eius fieri poterit, eandem oratione vobis adumbrabo, non per Iouem quòd pingendi valde peritus ſim, ſed quòd adhuc in recenti mihi hæreat memoria, quippe quam nuper admodũ Athenis in pictoris cuiuſdam ædibus viderim. Ipſa quoque admiratio, qua tunc artem diligenter contemplando proſequebar, non parum nũc mihi afferet adminiculi, ad cuncta manifeſtiùs declaranda. In ceſpite nimium floreſcente & vi ridi Centaurus ipſa facta eſt: ea parte qua equam refert, tota humi poſita pedes poſteriores retro extendit. Qua verò parte mulieris gerit imaginem, ea ſenſim ſubſurgit vſq; ad cubiti longitudinem. Pedes anteriores ne illi quidẽ porrectim extẽſi ſunt, veluti iacentis in latere, verùm alter quidem geniculatim inflexo ſimilis eſt, vngula retrotracta incuruus exiſtens. Alter autem contrà exurgit, & ſolum attingit, quemadmodum ferè ſunt equi ſubſilire molientes. Cæterùm infantes, alterum quidem ante ſe habet in vlnis complexum, quem humano more nutrit, muliebrem mammam in os illi inſerens. Alterum verò ex equino lactat vbere, quemadmodum pulli à matribus lactari ſolent. In ſuperiore parte tabulæ, veluti è ſcopulo Hippocentaurus quiſpiam, videlicet mulieris illius infantes vtrinq; nutricantis maritus, prominenti capite ridens proſpicit, haudquaquã toto apparens corpore, verùm media parte equi, leonis catulum in dextra retinẽs, quem ſuſtollit in hoc, vt pueros re ludicra cum riſu perterrefaceret. At reliquæ picturæ partes, propter quas non vbique accurata artis præſtantia nobis idiotis cõparere ſolebat, nihilo ſecus tamen ſumma induſtria erant elaboratæ, videlicet linearum ductibus atque extenſionibus rectiſsimis, colorum commiſtionibus ſcientiſsimis, neque non tempeſtiuarum adiectionũ circũductionibus. Inſuper decentibus inumbrationibus, neque neglecta magnitudinis ratione, & menſurarum totius operis æqualitate atque harmonia: quæ omnia admirari ſolent pictores quibus ſtudium eſt ea omnia cognoſcendi. Ego verò eam in Zeuxide virtutem & induſtriam præcipua laude extollebam, quòd in vno eodémque argumento habita diuerſitatis ratione, artis diſcrimen egregiè indicarit. Virum quidem per omnia adornauit horridum atque terribilem, ac vehementer agreſtem, horrentem capillitio, cute hirtum & hiſpidum, non per equinam tantùm partem illius, ſed per alteram quoque qua humanam refert ſpeciem. Plurimùm autem ſublimibus illum fecit humeris, vultum ridẽtis præ ſe ferentem, prorſus tamen ferinum & montanum, ac immanſuetum. Tali quidem imagine virum expreſſum extulit. Porrò fœminam ad equæ pulcherrimæ imaginem adumbrauit, quales cumprimis ſunt illæ Theſſalæ indomitæ, necdum ſeſſoris patientes. Dimidiam verò mulieris partẽ ſumma formauit elegantia, extra ambas auriculas, eas ſolas informes reliquit, & horridas. Porrò autem corporũ iunctura, atq; commiſtio, quatenus muliebris pars cum equina coit atque coniungitur, ſenſim & non denſè ſubſurgens, atque ex lento acceſſu deriuata, ſpectant

Ody. lib. 1.

Nouitatis gratia.

Hippocentaurus fœmina gemi nos infantes alens.

ſtantium fallit oculos, ex altero in alterum perducta. Alter autem ex infantibus, non ſecus atq; pater agreſtis eſt, & iam in ætate tenera aſpectu ſæuus, atque terribilis. Neque hoc, vt mihi perpendenti viſum eſt, admiratione ſingulari carebat, tum quòd admodum pueriliter ad leoninum catulum reſpicerent, interea vterq; dependens ab vbere, colore matrem referentes. Hæc ergo cùm ſingulari artificio Zeuxis expreſsiſſet, ipſe quidem in eam veniebat cogitationem, vt putaret ob artis eximiam præſtantiam atque excellentiam, omnes in ſtuporem & admirationem ſpectantes ſe ducturum. Illi autem actutum exclamabant. Aut quid aliud facerent, pulcherrimo incidentes ſpectaculo? Enimuero laudibus certatim extollebant omnes, quemadmodum & nuper me illi, nempe inuentũ peregrinum, neq; non nouum picturæ conſilium ignotum prioribus. Vt verò Zeuxis animaduertit quòd argumenti nouitate tantùm illorũ detinerentur animi, eóſq; ea ipſa ab arte perpendenda abduceret, ita vt neglectui darent exactam rerum expreſſarum diligẽtiam: affatus diſcipulũ, Age, inquit, ô Miccion, inuolutam picturam atq; ſublatam domum aufer: etenim illi nos tantùm ob inſuetam artis materiam collaudant: eorum verò quorum elegãtia exornata eſt, quæq; arte magiſtra abſoluta ſunt, nullũ illi dignantur habere reſpectum: ſed vincit operis diligentiam, argumẽti nouitas. Ad hũc quidẽ modũ Zeuxis, & fortaſſe quã par erat, cõmotiús. Cæterùm Antiocho, cui cognomen erat Soteri, & illi nõ diſsimile quiddã accidiſſe fama eſt in ea pugna quã ipſe aduerſus Galatas habuiſſe dicitur. Si vultis, & hãc vobis hiſtoriã ordine, vt geſta eſt, percẽſebo. Cũ non ignoraret & corporis viribus & audacia Galatas eſſe præditos, inuſitatámq; illorũ multitudinẽ videret, tũ phalangẽ fortiter coniunctã, à tergo verò æneis thoracibus indutos bellantes, præterea in profundũ ſemper armatos vigintiquatuor ordinatos, in vtrũq; autẽ cornu equitatũ qui viginti millibus equitũ cõſtabat, diſpertitũ eſſe, porrò è medio octoginta currus falcatos erupturos, ac cũ illis bigas bis totidẽ. Hęc inquã cũ videret, ſpem valde malignã animo cõcipiebat potiũdæ victoriæ, tanquam illis inuictis exiſtẽtibus. Siquidem ipſe modicè inſtructo exercitu, neque ampliter, neq; pro belli dignitate, & apparatu aut magnitudine, ſanè perquã paucos ducens aduenerat, ac illos quidẽ vt plurimũ ſcutatos & nudos. Sedenim ex iis qui nudi erant, plures quàm dimidia pars exercitus numerabãtur. Itaq; iã de petendo fœdere, ferendíſq; pacis conditionibus, & bello cõuenientiſsimè cõponẽdo ſecũ agitabat. Atqui Theodotas Rhodius, vir excelſi & generoſi animi, inſtruẽdæ aciei nõ imperitus, cũ præſtò eſſet, regẽ perturbato animo eſſe non ſinebat. Et erãt Antiocho vndecim in exercitu elephanti. Hos Theodotas iuſsit interea, quoad eius fieri poſſet, habere quàm occultiſsimè, ne ex acie apparẽtes cõſpicui fierent hoſtibus. Vbi verò tuba ſignum datũ eſſet, ac iã infeſtis ſignis cõcurrendũ, & manus cõſerendæ forẽt, ac hoſtiũ equitatus impreſſionem faceret, & Galatæ aperta phalãge currus immitterẽt, tũc vnà cũ quatuor elephãtis vtrinq; equitibus eſſe occurrendũ docebat: octo autẽ reliquos aurigis & curribus eſſe immittẽdos. Hoc enim facto, inquit, illorũ equi perterrebuntur, ac retro fugientes, in ipſos Galatas illapſi impetum facient. Nec opinionẽ eius rei prædictæ euentus fruſtratus eſt. Cùm enim antea nullũ elephãtum vidiſſent cũ ipſi Galatæ, tũ equi illorũ, adeò nouo & inopinato elephãtorum ſpectaculo animis conſternati ſunt, vt longè adhuc à beluis cõſtituti, poſtea quàm ſolùm rugientes audiſſent, dentéſq; candore relucentes vidiſſent veluti ex toto nigro corpore, tũ etiam proboſcides ad prædam & direptionem faciendã ſublatas: priùs quàm ab arcubus tela extorſiſſent, verſis retro habenis, nullóq; ſeruato ordine aufugerũt. Sedenim pedites aliquantiſper alterna cæde ſemet haſtis cõfodientes, conculcabantur ab equitibus in illorum ordinẽ illapſis: currus autem ſubuerſi, & illi deinceps denuo in ſuos nõ citra ſanguinem ferebantur, ac planè iuxta illud Homeri,

Subuerſi currus paſsim iacuere ſupini.

At verò equi poſteaquàm ſemel à recta via auerſi declinaſſent, elephantorũ impetum non ſuſtinẽtes, ſeſſores dorſo excutiebant. Currus ſtrepebãt proſcindentes per Iouem, atq; diſſecantes acutis falcibus quoſcunq; ex amicis comprehẽdiſſent. Nõ pauci verò, vt in tali tumultu, eiecti proſternebantur. Hos elephanti inſequebantur, pedibus proterentes atq; conculcantes, ſimul atq; in altũ proiicientes proboſcidibus, vnáq; rapientes, ac dentibus correptos tranſuerberantes. Ad extremum illi ſumma ope annitẽtes, Antiocho victoriam pepererunt. Cæterùm Galatæ alii quidem dimicando occiderunt ingenti clade edita, alii autem viui capti in victoris poteſtatem peruenerunt, exceptis perquàm paucis, quotquot præuenientes fuga, in mõtes ſemet abdiderant. Porrò autem Macedones quicunq; cũ Antiocho in prælium deſcenderãt, Pæanna canebant, ac alius aliunde accurrentes, regem coronabãt victorem, & clamantes. At ille profuſis, vt fertur, lacrymis, Pudore afficimur, inquit, ô milites, quibus ſalus in hiſce vndecim ſtetit beluis, adeò vt niſi ſpectaculi nouitas hoſtium animos perculiſſet, quid nos erga illos fuiſſemus? In trophæũ nihil aliud quàm elephãtum iuſsit ſculpere. Itaq; iam hora eſt cõſiderandi ne & mea perinde cenſeantur, vt Antiochi apparatus bellicus. Etenim omnia alia pugna digna æſtimanda non ſunt. Quidam autem elephantes, & peregrina terriculamenta ſpectãtibus metum & trepidationem incutiẽtia, ac plena præſtigii, ea ab omnibus laude extolluntur. Porrò quibus ego cõfidebam, ea non admodum in illorũ ſunt ſermone. Sed quia mulier Cetaurus depicta eſt, hoc ſolum eſt quod mentis ſtuporem & admirationem inducit ſpectantibus, &, quemadmodum eſt, nouum & monſtroſum illis eſſe videtur. Cætera verò nequicquã à Zeuxide facta ſunt. At non fruſtra: etenim vos cum fingendi & pingendi artificii rudes nõ eſtis, ſingula arte magiſtra ſpectantes, expendite num ſolùm iſta digna ſint, vt theatro ſpectanda commonſtrentur.

Antiochi Soteris pugna cũ Galatis.

HARMONIDES,

Vincentio Obſopœo interprete.

ARGVMENTVM.

Cõmendat ſe amico ex principibus cuidam ſuo, adductus, vt ipſe fingit, exemplo Harmonidæ, qui cùm magiſtrum ſuũ de paranda gloria & immortalitate conſuluiſſet, monitus ab eodem fuerit, vt artem quam à ſe didiciſſet, non omnibus Græcis, (nam id impoßibile foret) ſed optimatibus ac præſtantißimis quibúſq; oſtentaret: ſic enim fore, vt cum illi ipſi laudati fuerint, vbicũq; ipſum laudarent, verã ex eo gloriam ac laudem cõſequeretur. Statuiſſe igitur ſe, eodem pacto et huic cõmendari ſe ſuáq; debere, vt qui primùm ea præſtantia, eóq; iudicio ſit, vt quod ipſe ſuo calculo approbaſſet, deinde & cæterorum omnium probaretur, amplificando hãc perſonæ illius excellentiam per collationem. Deinde & ex eadẽ patria ſecum natus ſit, vt vel eo nomine fauere ac patrocinari ſibi debeat. Poſtremò & à ſcriptorum ratione facilitatem ac meritum cauſæ oſtendit. Orditur ſtatim ab expoſitione exempli, cuius occaſione adductũ ac motum ſeſe fingit. Cõcludit autem orationem per comprecationem & votum, à Dijs precando vt cœptam laudem ſuam creſcere, ac perpetuã eſſe velint. Titulus eadẽ ratione qua in ſuperioribus inditus eſt.

HARMONIDES tibicen quodam tẽpore Timotheum magiſtrum ſuũ interrogauit, Dic mihi, inquit, ô Timothee, quomodo mea arte poſſum euadere clarus & nobilis? Aut quid faciendum mihi exiſtimas, ex quo in vniuerſæ Græciæ cognitionem venturus ſim? Nam alia quidem omni me ſtudio & beneuolẽtia iam edocuiſti, nempe exquiſitum tibiæ & accõmodum vſum, mox lingulam tenui & modulãti ſpiritu inſufflare, infrà autẽ digitos aptè adhibitos crebrò ſuſtollere ac deprimere, deinde ad numeros ingredi, & modos facere cõeinnos, choróq; congruos, poſtremò conſeruare ſingulorum cõcentuum proprietates, quiddã in Phrygio attonitum, in Lydio turbulentum, grauitatem in Dorico, in Ionico ſuauitatem. Hæc inquam omnia te magiſtro didici. Atenim quæ maxima ſunt, & quorum gratia tibię cognoſcendæ deſiderio laboraui, nondum video quomodo ab illo mihi parãda ſit gloria, & apud multos celebris opinio, vtq; in multitudine cùm exiſtimatione aliqua clarus & cõſpicuus obambulem, ac prætereuntium digito cõmonſtrer. Tum ſicubi propalàm apparuero, ſtatim omniũ oculi in me conuertantur, ac me nominatim collaudãtes dicant, Hic ille eſt Harmonides tibicen omnium præſtãtiſſimus, quemadmodum quo tempore & tu, ô Timothee, primùm ab ædibus patriis è Bœotia profectus, tibicinẽ agens Pandionidi, victoriam in Aiace furente reportabas, ac melodiam tuo cognomine nobilitaras, nemo fuit qui nomẽ tuum ignoraſſet, ac Thebanum illum Timotheũ. Sed & nunc vbicũq; ſaltem in publico apparueris, certatim ab omnibus ad te curritur, veluti ad Noctuam reliquæ auiculæ ſturnatim & graculatim conuolitant. Et hæc ſunt quorũ nomine aulœdus fieri optauerim, tum quorum gratia tantũ laborem ſtrenuè exhauſerim: quandoquidẽ tibiæ canere per ſe citra famæ & exiſtimationis acceſſionem haud valde concupiſcerem, ſi in obſcuro mihi deliteſcendum foret, tametſi hac arte ad amuſsim exornato, nõ ſi Marſiæ aut Olympo ſimilis euaſurus eſſem deliteſcẽs. Siquidem incelebris & occultæ, quod aiunt, muſices nullus eſt reſpectus aut vtilitas. Atqui tu, inquit, & iſta me doce, quo modo mihi me ipſo rectè vtẽdum ſit, tum etiam arte. Ac tibi duplici nomine habebo gratiam, cum propter tibiæ peritiam qua me excoluiſti, tum (quod maximum eſt) propter gloriã quam ex illa conſecuturus ſum. Ad hæc autẽ illi ita reſpondit Timotheus: Atqui, ô Harmonide, rei, inquit, non vulgaris aut mediocris amore & cupiditate ardes, id quod ſcire potes, nempe laudis & gloriæ, vtq; fama celebris ſis, ac vulgo notus. Hanc autem quanquam tibi ad hũc modum in medium multitudinis progreſſo artem oſtentando, cõſequi in animo eſt, multi ac longi laboris opus aggrederis, tamẽ ne ſic quidem vniuerſi te cognoſcẽt. Etenim vbi gentiũ, aut theatrũ, aut ſtadiũ ita magnũ inueniri poteſt, in quo omnes Græci tibia canẽtem te audiant? Vt autẽ aliquo pacto illis innoteſcas, ac tui voti deſiderio tandẽ potiaris, & hoc ego tibi ſubiiciam. Vtere tu quidem arte tua & in theatris nonnunquam, parum tamen tibi curæ ſit promiſcua vulgi multitudo. Porrò cõpendiaria & facillima ad parãdam gloriã via hæc eſt, ſi collectis Græciæ optimatibus, & paucis illorũ quicunq; dignitate & autoritate præcellunt cæteros, atque indubitanter viri magni ſunt, & admirandi, & aliorum omniũ anteſignani, quorũ fides in vtraq; fortuna ſpectata ſit: iis, inquã, ſi artis tuæ egregium ſpecimẽ exhibueris, illíq; laudis ſuæ teſtimonio te cohoneſtauerint, omnibus Grẹcis in puncto tẽporis te longè latéq; innotuiſſe putato, & paſsim inclaruiſſe. Et vide in quod cõpendium tantã rem tibi contraxerim. Nam ſi ii qui omnibus noti ſunt, & quos nemo non admiratur, tibicinem præclarũ & celebrem te eſſe cognoſcẽt, quorſum tibi vulgi iudicio aut opinione opus eſt, tantũ eos ſequentis, qui meliores ſunt rerũ expenſores & iudices? Siquidẽ popularis iſta multitudo ferè ſemper quæ optima ſunt ignorat, cũ maior illius pars manuarii ſint opifices. Cæterùm quẽcunq; illi laudibus illuſtrauerint, qui reliquos vitæ ſplendore & dignitate anteunt, eundem nequaquã temere laudari planè perſuaſum habent. Itaq; magnorũ virorũ inducti præconio, laudant & illi. Quippe in ipſis quoq; certaminibus multi ſpectatores athletis nonnunquã clarè ſolent applaudere, non rarò etiã ſibilis illudere: penes tamen ſeptẽ, aut quinque, aut quotcunq; tandẽ fuerint, iudicandi poteſtas repoſita eſt. His magiſtri ſui cõſiliis parum obſecutus eſt Harmonides. Etenim inter tibias,

vt

vt fertur, cũ primùm in muſices certamẽ deſcendiſſet, magna cõtentione inſufflans, in ipſam tibiam inſpirando exhalauit animã, & incoronatus atq; exanimis eadem ratione prima & vltima vice tibia canẽdi vſus in ſcena corruit, celebrãte populo Dionyſia. At ſanè Timothei tam prudẽs oratio, non tibicinibus, neq; ſolùm Harmonidæ mihi dicta eſſe videtur, verùm omnibus quicũq; appetentes ſunt gloriæ, ingenii, aut artis ſuæ ſpecimen publicè exhibentes, ac multitudinis laudẽ ſuppliciter ambientes. Quare, quo tẽpore & ipſe nõ diſſimilia do rebus meis agitabã animo, quærerémq; quo pacto quàmocyſsimè apud omnes inclareſcerẽ, prudentiſsimũ Timothei cõſilium ſecutus, cõſiderabã quinam in Rep. omniũ foret præſtãtiſsimus, cuiq; plurimùm fidei apud alios foret repoſitum, tum qui præ omnibus aliis eſſet acceptiſsimus. Proinde talis tu nobis apparere debebas iuſto omnium ſermone, veluti vniuerſæ virtutis caput & ſumma, ac taliũ rerum gnomõ & recta regula. Porrò ſi mea tibi ſpectanda & executiẽda offerrem, túq; ea proſecutus eſſes laudibus, eſſent haud dubiè ita apparitura: egóq; iam votis tãtopere ſperatis potitus eſſem, in vno calculo omnes aſſecutus. Aut quẽ tibi in eligendo præferens, non iure optimo deliquiſſe in habẽdo delectu exiſtimarer? Itaq; iuxta prouerbium, in vno viro iecimus aleam: ſed mehercle non aliter factum eſt, atque ſi omnibus vbique hominibus meam in dicẽdo facultatem oſtendiſſem. Quippe in confeſſo eſt, quòd & ſeparatim ſingulos, & collectim vniuerſos ipſe ſolus morum bonitate atque ingenii gloria exuperaris. Lacedæmoniorum reges aliis omnibus vnicũ tantùm calculum ferentibus, ipſi ſoli præ cæteris duos ferre ſoliti ſunt. Tu verò & Ephoros præterea, & ſenes, in ſumma vniuerſos calculorum multitudine in diſciplinis excedis. Quin etiam in primis tu candidum & ſaluti ferè ſemper ſuffragantem calculum addere conſueuiſti: quod non mediocrẽ in præſentia mihi addit animũ, alioqui propter audacis facti magnitudinẽ iure optimo metuẽti. Sed & illud per Iouẽ non vulgariter me conſolatur, quòd mea nõ prorſus à te ſint aliena, qui & ex ea vrbe ſum oriundus, quã tu perſæpe primùm quidẽ priuatis officiis, tandẽ etiam publicis iuuiſti perbenignè & liberaliter. Itaq; ſi cubi & nunc in peiorẽ mihi partẽ calculi vergerint in oratione, ac paucior erit meliorũ & candidorũ numerus: tu adiecto Mineruæ ſuffragio, ex te ipſe defectũ ſuppleto, tuíq; familiaris cenſorẽ & correctorẽ te egiſſe putato. Atqui ne hoc quidem cõtentus ero, ſi antehac multi me admirati ſint, ſi iam per ora virũm clarus ego & celebris volitẽ, ſi orationes meæ audientiũ laudibus reſpõdeant. Omnia illa ventoſa & euanida, vt eſt in prouerbio, ſunt ſomnia, & verborum vmbræ. Cæterùm ipſa veritas in præſens certiſsimis argumentis declarabitur. Ille exactus erit mearũ lucubrationũ finis & terminus, nec ampliùs ambiguitati locus relinquetur, ne tantũ quidem, quod vel vllius mẽtem aliquo dubio diſtrahat, ſed aut optimũ iuxta diſciplinas æſtimandũ eſt, quod tibi apportet gloriã, aut omniũ. Sed meliora proferẽda, & magis ominatiora, ad tantum certamẽ eunti. Videamur verò, ò ſuperi, hominũ opinione & exiſtimatione nõ indigni: ac eam quæ nobis ab aliis euentura eſt, laudẽ confirmate, vt in poſterum fidenti animo ad amplioré perueniamus. Quippe omne ſtadium minùs reformidandum eſt ei qui magna Olympia deuicerit.

SCYTHA, SEV HOSPES,

Vincentio Obſopœo interprete.

ARGVMMENTVM.

Laudat Macedonicos quoſdã ciues, patronos, vt videtur, ſuos, vt à quibus maximè adiutus atq; apud cæteros promotus fuerit. Facit autẽ hoc collatione quadam Anacharſidis Scythæ, & Solonis Athenienſis, ad quẽ cur alter Athenas profectus, à Toxare populari ſuo adductus fuiſſet, & humaniter acceptus ab illo, breui toti ciuitati notus atq; acceptus factus eſt. Eodem igitur pacto et ſe, cũ in Macedoniam veniſſet, ab omnibus vt ad illos de quibus encomiũ hoc inſtituit, diuerteret, üſdemq; ſeſe commendaret, admonitum fuiſſe ait. Vt enim apud Athenienſes aliquando Periclem, Ariſtotelem, & Solonem, quaſi cæterorum omnium inſtar fuiſſe, ita hos inter Macedonas reliquos excellere. Titulum ex eadem ratione, qua ſuperiores, hæc quoq; oratio habet. Cætera plana ſunt.

NOn fuit primus Anacharſis, qui ex Scythia Athenas vſq; peregre profectus eſt græcanicæ diſciplinæ perdiſcendæ deſiderio, ſed ante illũ & Toxaris, vir & multæ ſapientiæ, & elegantiæ ac rerũ optimarum ſtudioſus admodũ, ſed qui domi non erat de ſanguine regio, neq; ex iis qui tiaras geſtare ſolent, verùm vnus è vulgo Scytharum & populariùm, cuiuſmodi ſunt, qui apud illos vocantur Octipedes, quo ſignificant aliquem duorũ boum & vnius plauſtri eſſe dominum. Hic ergo Toxaris haud iterum poſtliminio ad Scythas regreſſus eſt, ſed Athenis manens, diem ſuum obiit, ac non multò pòſt etiam heros eſſe viſus eſt: atque hunc peregrinum medicum Athenienſes nõ ſecus atq; vnum colunt ex heroum numero. Hoc enim nomen cum heros eſſe declaretur, poſsidere cœpit. Sedenim cauſſam cognominis, & quam ob rem in heroum catalogum relatus ſit, vnúſque ex Aeſculapianis viſus ſit, non alienum fortaſſe eſt percenſere, vt cognoſcatis. Non Scythis tantùm moris eſt immortalitate donare homines, & ad Zamolxim ablegare mortuos, ſed Athenienſibus quoq; licitum eſt in Græcia Scythas Deos facere. Quo tempore ſæua peſtilentia populus Athenienſis infeſtabatur, videre viſa eſt Architelis viri Areopagitici vxor ſibi Scytham adſtitiſſe, dixiſſéque fore vt Athenienſes à peſtifero contagio liberarentur, ſi angiportus vino Peſtilentiæ ſedandę ratio.

conſpergerent. Hoc cùm ſæpius fieret (neque enim Athenienſes mulierculæ verba audita dederunt neglectui) factum eſt, vt non ampliùs peſtis in eos graſſaretur, ſiue vaporibus quibuſdam noxiis vini odore extinctis, ſiue aliud quiddam maioris efficaciæ norit heros Toxaris, quippe qui medicus exiſtens iſta Athenienſibus facienda ſuaſerit. Itaq; curationis merces etiam nunc illi perſoluitur. nam niuei coloris equus ad eius monimentum quotannis immolatur, quo loci monſtrauit Dimænete illum accedentem ea quæ de vino ſpargendo diximus, imperaſſe. Et inuentus eſt eo loco Toxaris eſſe ſepultus, ipſa inſcriptione cognitus, tametſi non integra appareat: in primis verò quòd ſuper columnam vir ornatu Scythico ſculptus fuerat, læua arcum intenſum, dextra verò, vt viſus eſt, librum tenēs. Etenim adhuc plus quàm dimidio corpore conſpicitur, & arcus totus vnà cum codice: reliquas verò partes ſtatuæ vnà cum fronte temporis longinquitas iam deuaſtauit. Eſt autem non procul ab ædibus Dipyli, à læua in Academiam ingredientibus tumulus non magnus, & ſtatua humi ſita, verùm ſubinde recentibus ſertis redimita. Aiúnteq; nonnullos febre laborantes iam ab illo ſubleuatos eſſe: & per Iouem à vero non abhorret, quippe qui totam ciuitatem quondam peſte grauatam liberauerit. Sed regrediamur ad id cuius gratia illius mētionem fecimus. Adhuc quidem in viuis erat Toxaris, Anacharſis autē cum nuper ſoluiſſet è patria, ex Pyræo in vrbem venit, veluti hoſpes & barbarus, non mediocriter animo perturbato, omnia ignorans, ad multa meticuloſus & trepidus, pendēs animi quid ageret. Siquidem nō obſcurè intelligebat à videntibus ſe haberi ludibrio propter habitus peregrini inſolentiā, & eandem linguam ſonare callentem inueniebat neminē. In ſumma, iam illū ſuſceptæ profectionis pœnitebat, conſtitutū habēs in animo, viſis tantū Athenis actutū retro abire in patriā, conſcenſóq; nauigio iterū ſoluere in Boſporum, vnde nō multū itineris illi cōficiendum reſtabat in Scythiā. Ad hunc modū hæc ſecum reputāti Anacharſidi dæmon quiſpiā bonus illi fit obuiā, vt reuera credendū eſt, nempe Toxaris in Ceramico. Ad quod primùm illum pertraxit habitus, quem videbat ſibi eſſe patriū. Deinde haud difficulter cogniturus erat & ipſum Anacharſis, nēpe ex illuſtri ortū genere, quíq; inter Scytharum primates non infimū locum obtineret. Porrò autem Anacharſis vnde cognoſcere potuiſſet populārē ſibi eſſe Toxarim, more Græcorū exornatum, mētum habentem detonſum, incinctum, nullo ferro munitum, iam multa facundia facetum & lepidum, atque ex ipſis Atticis vnum indigenam? Adeò iam tranſformatus erat longinquitate temporis. Verùm Toxaris Scythica lingua affatus illum, Nonne tu, inquit, Anacharſis ille es Dauceto patre prognatus? Lacrymatus eſt præ gaudio Anacharſis, propterea quòd eiuſdem linguæ hominem inueniſſet, planéq; callentem quis eſſet, aut quem apud Scythas dignitatis locum obtineret: & interrogauit: Tu verò vnde me noſti, ô hoſpes? Cui ille: Inde ego ſum, inquit, è vobis oriundus ex Scythia: nomen mihi eſt Toxari, nō ex claris illis ducenti generis originē, vt per hoc tibi notus eſſe queam. Num, inquit ille, tu es Toxaris, de quo ego inaudiui, Toxarim quendam amore viſendæ Græciæ, relictis domi vxore & infantibus filiis, Athenas eſſe profectum, & nunc ibi verſari, inq; magno eſſe precio apud optimates? Ego, inquit, ille ipſe ſum, ſiqua etiam nunc apud vos de me fama ſuperſtes eſt. Proinde, inquit Anacharſis, ſcias me tuum factum eſſe diſcipulum, ac amoris tui æmulum, quò huc perductus es, ſcilicet vt viderem Græciam. Itaque huius negotiationis gratia peregre profectus, venio infinitis malis perfunctus apud gentes in medio ſitas. Et niſi tu mihi factus fuiſſes obuiam, iam decretum erat, priuſquàm ſol occidiſſet, me retro ad nauem voluiſſe referre greſſum, vſqueadeò conſternatus eram animo, peregrina & incognita omnia conſpiciens. Sed age per Acinacem & Zamolxim deos nobis penates, tu me me aſſumptum ô Toxari, vt hoſpitem circunducito, ac mihi pulcherrima quæq; quæ Athenis ſunt, commonſtrato: deinde, ſiqua etiam paſsim in reliqua ſunt Græcia admiranda & viſenda, cum leges optimè conſtitutas, tum viros quoſq; integerrimos, ad hæc mores & ludos publicos, & vitam illorum, & Rempub. quorum indagandorum gratia prior tu, exin ego poſt te tantum itineris exhauſimus. Et ne permittas vt his omnibus nondum viſis, mihi retro pes mouendus ſit. Hoc equidem, inquit Toxaris: minimè amāter dixiſti, vix tactis pede liminibus, mox te rediturum poſtliminio. Atqui bonum habe animum: neque enim, vt tu tecum cogitas, abibis, neque te facilè dimiſſura eſt ciuitas. Neque verò adeò modica habet erga retinendos hoſpites demulcimenta aut illectamenta, verùm multò magis te ſuſceptum ita tractabit, vt neq; vxoris ampliùs, neq; liberorum, ſi quos intereà nobis abſente ſuſcepiſti, admodum memor futurus ſis. Cęterùm vt quàm celerrimè vniuerſam Athenienſium vrbem viſam cognoſcas, aut potiùs omnem Græciam, & ea quæ apud Græcos maximè viſenda ſunt, ego tibi effectum reddam. Agit hîc vir multæ & admirandæ ſapientiæ, & quidem indigena, ſed qui diu multúmque ſuſceptis peregrinationibus & in Aſiam, & in Aegyptum profectus ſit, ac cum optimis quibuſque mortalibus vitæ conſuetudinem habuit: cætera homo non admodum diues, verùm infimæ penè fortunæ mēdicus. Videbis ſenē adeò populariter exornatum: veruntamen cum propter ſapientiæ excellētiam, tum aliarum virtutum quibus præditus eſt, præſtantiam, ab omnibus certatim colitur, adeò vt etiam pro legum autore eo vtantur in conſtituenda Repub. neq; iuxta eius præcepta viuere dedignantur. Hunc ſi amicitia tibi iunctum poſſederis, ac planè cuiuſmodi vir ſit, perdidiceris, vniuerſam Græciam in te habiturum haud dubitāter exiſtima. Et quod caput eſt noſſe, ſic habe, ex omnibus bonis hîc repoſitis, non maiori me tibi gratificari poſſe, aut officio, aut obſequio, quàm ſi huic te quàm cōmendatiſsimū reddidero. Ne igitur cūctemur, ô Toxari, inquit

Anach

Anacharsis, sed assumens quãtocyùs ad illum dicito. Sedenim illud vereor, ne difficilis accessu sit, tuúmque erga me studium tanquam supervacaneum respuat. Bona verba, inquit ille, videor enim illi rem omnium gratissimam facturus, benevolentiæ erga hospitem ostentandæ occasionẽ illi offerens. Tantùm verò me sequere, statímque qua sit erga hospites reverentia, tum quàm à comitate non aversus, tum quæ alia eius bonitas, & ingenii amœnissimi suavitas, cognosces. Quin potiùs bona fortuna duce ille ipse nos accedit: nempe ille, qui cogitabundus secũ loquitur. Et eum dicto Solonem allocutus, Venio, inquit, maximum tibi munus adducens, virum peregrinum egentem amicitiæ. Est autem genere & natione Scytha, vnus apud nostrates ex nobilibus & summo loco natis. Omnibus verò in patria relictis, huc venit nobiscum conversaturus, eáque quæ per Græciam sunt præstantissima, visurus. Porrò ego eius rei compendium illi inventum curavi, quo pacto facillimè simul & expeditissimè vniversa perdisceret, & optimis quibúsque innotesceret. Aliam verò ad hæc consequenda viam compendiosiorem non tenebam, quàm si hunc tibi adductum familiarem feciſſem. Itaque si Solonem ego planè pernovi, sic facies, ac illum in bonorũ notitiam & studiũ perduces, & germanum civem Græciæ esse ostendes. Et quod tibi paulò antè dixi, Anacharsi, omnia iam viso Solone conspexisti. Hoc sunt Athenæ, hoc est ipsa Græcia. Neque ampliùs hospitem te esse puta. Omnes te noverunt, omnes certatim amore te prosequuntur. Tantùm tibi in hoc sene bonorum repositum esse ne dubites. Omnium in Scythia relictorum te capiet obliuio, iuncta cum illo conversatione. Habes peregrinationis tuæ præmia, ac amoris finem tantopere desideratum. Hic tibi Græca est regula, neq; non Atticæ philosophiæ index certissimus. Quare hoc tibi persuade, eum esse multò felicissimum, quicũque cũ Solone versatus fuerit, eóq; amico vtitur. Perlongũ esset referre, quãtum eũ Solon sit delectatus munere, tum quibus verbis respondrit, ita vt in reliquũ tempus dulcissimè simul & coniunctissimè convixerint, alter quidem illorum, nempe Solon, docens & instituens rebus pulcherrimis, & amicum Anacharsin in omniũ familiaritatem aggregans, Græcorúmq; optimatibus adducens, tũ per omnia diligentissimè curam agens quo pacto quàmiucundissimè in Græcia in precio habitus præcelleret. Alter autẽ admirandam illius sapientiam attonito animo admiratus, ne altero quidem pede volens à senis latere discedebat. Itaque quemadmodum illi pollicitus fuerat Toxaris, ex vnico Solone in puncto temporis vniversa cognouit, ac omnibus innotuit, & illius gratia à cunctis familiariter colebatur. Neq; enim mediocri laude Anacharsis virtutes solebat extollere Solon: verùm hominibus & hoc moris erat, vt quemadmodum Soloni legislatori libenter dicto audientes erant, amore quoq; & benevolentia prosequebãtur quoseũq; ille aliquo precio dignos esse existimabat, ac prorsus eosdem in reliquum viros optimos esse credebãt. Solus verò ex Barbaris Anacharsis initiatus est, ac civitate donatus, si Theoxeno fides habenda est, qui præter cætera & hoc de illo literis ac memoriæ prodidit. Sed neque, vt opinor, retro ad Scythas Anacharsis abiit, nisi Solone mortuo. Vultis igitur fabulæ finẽ iam imponã. ne sine capite obambulet? proinde iam tempus est cognoscendi, cives, cuius rei gratia mihi Anacharsis ex Scythia, & Toxaris in præsentia venerunt in Macedoniam, ad quos Solonem quoque adultæ ætatis hominem ab Athenis adduxi. Siquidem aio, & me nõ dissimile quiddam cum Anacharside passum esse. Ac per Gratias vos obsecro, ne indignabundo animo mihi vitio vertatis similitudinem, si viro regio memet ipse cõparavero. Barbarus enim ille fuit: cæterùm nos Syros vlla in re Scythis deteriores non facilè dixeris. Atqui neque res meas cum regia magnificentia componere annitor similitudine, nisi quãtum ad ea quæ diximus. Nam cũ primùm in vestram vrbem hospes immigrassem, statim animo obstupefactus sum, visa eius & amplitudine, & pulchritudine, ac incolarum multitudine, aliáque potentia & splendore omni cognito. Itaque multo tempore animo hærebã attonitus ad hæc, nec poteram cuncta abundè satis admiratione prosequi: cuiusmodi quiddam & insularis ille iuvenis cõspectis Menelai ædibus passus est. Neque verò alium ego obtinebã animum intuitus vrbem tanto vigore vigentem, ac iuxta potentem illum omnibus bonis florentem, quibus civitas felix & beata solet affluere. Hoc iam affectus animo, deinceps de iis quæ agenda forent, mecum deliberabam. Iam enim olim constitutum habebam, oratione vos & laudibus illustrare. Quibus enim aliis ostendi, silentio tam præclaram civitatem præteriens? Quippe quærebã (neque enim veritatem prudens celabo) si qui essent qui reliquos dignitate anteirent, & quos aggressus aliquis, ac historia de illis memoriæ prodita, adiutoribus vteretur ad omnia. Ibi verò mihi non vnus, quemadmodum Anacharsidi, & ille quidem Barbarus Toxaris, sed plures, aut potiùs omnes eadem tantùm non iisdem syllabis respondebant. Multi quidem & alii præclari & industrii viri, ô hospes, in hac vrbe habitant, nec temere alibi eiusmodi viros invenies périn de bonos. Duo tamen cùm primis sunt longè optimi & præstantissimi, generis splendore, & dignitate omnibus longè superiores: cæterùm disciplinarum cognitione ac dicendi facultate Atticæ Musæ eos non absurdè comparaveris. Populi mirus erga illos favor, & studium singulare exstitit, Et hoc quoque quod in civitate optimum & præstantissimum esse cõstat, illorum bonitatem, & obulam erga hospites humanitatem, nullámque in tanta magnitudine invidentiam, ac reverentiam coniunctam cum benevolentia, tum animi mansuetudinem & morum facilitatẽ quibusvis accedentibus expositam, ipse haud dubiè aliis verbis celebrabis, paulò pòst harum rerum facto periculo. Atque vt mireris impensiùs ex vna eadémq; familia sunt pater & filius. Alter quidẽ non alius, quàm si Solonẽ, aut Periclẽ,

aut Aristidē animo conceperis. Alter verò filius te saltem conspectū actutū domū abducturus est. Adeò præstanti corpore visendus est, & mascula quadam forma decorus & amabilis. Quòd si modò ore in vocē soluto loqui inceperit, ducet te reuinctum ab auribus. tantā dicendi venerem, & verborū suauitatem inuenis in lingua sitam possidet. Quinetiā vniuersa ciuitas ad audiendum inhiat, quoties ad populū verba facturus progreditur: cuiusmodi aiunt Athenienſibus quondā accidisse in Cliniæ filio adamando, præterquàm quòd nō multò pòst eos amoris summè pœnituerit, quo Alcibiadē cōplexi fuerant. Porrò hunc non ciuitas solùm arctissimè diligit, verūetiam reuerenter habere non dedignatur. In summa, vnicū hoc nobis populare bonū est hic vir, & ingens cōmoditas omnibus. Hic si te & eius pater susceperint, & tecum amicitiā & societatem fecerint, totam ciuitatē deinctā habebis. Tantùm autem ad illum manus extendenda est, nec amplius res tuæ erunt in ambiguo. Hæc per Iouem ab omnibus dicebantur, etsi iureiurando oratio mea mihi confirmanda sit. Ac mihi iam earū rerum facienti periculū, ne minimā quidē partem dicendo assecutus esse videor. Itaq; neq; desidiæ, neque moræ indulgendæ locus est, vt ait Poeta Ceius, verùm omnes rudentes pariter mouendi sunt, præterea nihil non dicendū & faciendum, quo in amicitiam illorū insinuemur. Quod quidem si ex sententia consecuti fuerimus, trāquilla sunt omnia, & nauigatio nō improspera, ac mare placidum, & portus in propinquo cōstitutus.

QVOMODO HISTORIA scribenda sit:

Iacobo Mycillo interprete.

ARGVMENTVM.

Didascalicus liber est, continens præcepta, ac regulas de historia scribenda. Diuiditur autem in duas partes. In priore exposito fine seu officio Historici, & confutatis iis qui duplicem Historiæ finem faciunt, vtile videlicet & delectabile, mox vitia recenset, quò tum in verbis & compositione, tum in ipsis rebus vitanda sit, & hoc sub exē plis aliorum, quæ quîque modo, aut genere peccarint, ostendendo. In posteriore autem parte primū quæ afferre ad hanc rem, quæque antea quasi domi suæ comparata habere debeat is qui ad scribēdam historiam accedit, exponit. Deinde regulas primùm de rebus, deinde de expositione, & phrasi verborum, postremò & de partibus operis tradit, etiam hîc exemplis aliorum præcepta sua confirmā do. Orditur autem ab occasione, quam collatione Abderitici morbi amplificat.

ABderitis aiunt Lysimacho iam regnā te morbū incidisse, optime Philo, huiuscemodi quendā: Febricitari principiò quidē cœpisse per vrbem vniuersos, primo statim die febri cōtinua ac valida grauiter correptos. Circa septimū autem diem aliis quidem multus è naribus profluēs sanguis, aliis verè exortus sudor, etiā ipse immodicus, febrim dissoluit, ac finiit. Cæterùm ridicula quadā perturbatione mentes illorum idem hic morbus inuoluit. Omnes enim quasi ad Tragœdias agēdas impellebantur, & Iambica personabant, multúmque vociferabantur, Maximè autē Euripidis Andromedam canticis referebant, & Perſei sermonem per vices recitabant. Plenáq; adeò ciuitas erat pallidis & macilentis illis septimanis Tragœdis notum illud,

At ô tyranne hominúmq; diuorūq;, Amor, & cætera quæ sequuntur, magna voce exclamantibus, & hoc in longum vsq;, donec superuenien te iam hyeme, frigus nimium obortū ab insania ac nugis istis cohiberet ipsos. Causſam verò eius rei videtur mihi præbuisse Archelaus Tragicus poeta, qui illis temporibus celebris erat, qui media æstate, multóque æstu, Andromedæ fabulam ipsis egerat, ita vt multi ex theatro redirent febricitantes, & mentibus euersi postea in eandē Tragœdiam delaberentur, obuersante illorum memoriæ Andromeda, ac Perseo vnà cum Medusa singulorum animis & cogitationibus obuolāte. Vt igitur alterum cum altero cōparetur, quēadmodum vulgò dicunt, Abderiticum illud malum etiam hoc tēpore pleroſque doctorum inuasit: non vt ipsi quoque Tragœdias agant, nā in hoc minùs delirarent, alienis Iambicis, iisque haud malis occupati: sed ex quo obuia illa, & velut ante pedes exposita, semel moueri cœpere, puta bellum istud aduersus Barbaros, & vulnus in armenia acceptum, continuæq; victoriæ illæ, nemo vnus iam est: qui nō historiam scribere velit: imò verò Thucidides, & Herodoti, & Xenophontes, cuncti nobis facti sunt: &, vt apparet, verum illud tādem fuit, quod dicit: Bellum, omniū pater est: quandoquidem & historiarum scriptores tā multos procreauit, idq; vna hac plaga. Hęc igitur, ô amice, posteaquàm videre, atq; audire, Sinopensis illius in mentē venit. Quando enim Philippus rex ferebatur cū exercitu iam aduentare, Corinthii omnes trepidi turbari cœperūt, & pro se quisque sedulò facere, alius quidem arma apparando, alius autem saxa comportando, alius muros ciuitatis reficiendo, alius propugnacula & turres suffulciēdo, deniq; alius aliud aliquid quod ad rem pertineret, subministrando. Diogenes autem cum hæc aspiceret, quoniam ipse nihil haberet quod ageret: (nemo enim ipsum ad vllum aliquod ministerium adhibebat) cincto circum se pallio, serió admodū & ipse dolium suum, in quo tum fortè habitabat, sursum, ac deorsum per Cranium volutare cœpit: ac rogante quopiam ex familiaribus, &, quid hoc, inquiente, Diogenes agis? Voluto, respondit ille, etiā ego dolium meum, vt ne solus ociosē feriāri videar inter tot laborātes. Et ego igitur, ô Philo, vt ne solus mutus forē in hoc loquaci, ac strepero seculo, neq; perinde ac comicū aliquod sa tellitiū cū silentio hians præterueherer, non abs re facturum me esse arbitratus sum, si, quoad posſibile mihi esset, etiam ipse dolium volutarem

rem: non hiſtoriam ſcribendo, neq; etiam ipſas res geſtas cõmemorãdo, non ita temerarius equidem ſum, neq; etiã hoc de me timeas licet. Noui enim quantũ periculum hoc ſit, ſi quis per ſaxa ac rupes volutet, & maximè tale, quale meum eſt doliolum, ne validè quidem ſatis etiam fictũ, ac coctum, adeò vt ſi quis exiguum aliquem lapillum ipſi illidat, ſtatim admodum teſtæ colligendæ illi ſint. Quid igitur decretũ mihi eſt? & quo pacto bellum tutò capeſſam, ipſe extra teli iactũ conſtitutus? Dicam equidem tibi. A fumo quidẽ & fluctibus, & curis, quæcunq; hiſtoriam ſcribentem circunſtant, abſtinebo meipſum: admonitionem autem quandam paruam, & præceptiones haſce modicas ſcribẽtibus ſubminiſtrabo, vt exædificationi ſaltem vnà cum illis adſim, etiamſi ab inſcriptione abfuero, ſummo tantùm digito videlicet lutum attingendo. Quanquam neq; admonitione plerique opus eſſe ſibi ad hãc rem putant, non magis quàm arte aliqua ad vadendum, aut videndum, aut edendum, ſed planè facillimũ ac promptum, & cuiuſuis hominis eſſe exiſtimãt hiſtoriam ſcribere: ſi quis modò exponere verbis poſsit, quod vtcunque in mentẽ venit. Cæterùm noſti & ipſe, ô amice, quòd hoc neq; facillimorum quippiam ſit, neque eorum quæ negligenter ac temere componi poſſunt, ſed ſi quid aliud vſquam inter ea quæ oratione traduntur, multa cura opus habet, hoc certè habet, ſi quis, vt Thucydides ait, hiſtoriam quaſi perpetuam poſſeſsionem adornet. Scio igitur paucos fore, quos mea hæc oratio conuertet, imò quibuſdã etiam moleſtus videbor, illis maximè, quibus iam opus ſuum abſolutum eſt, & hiſtoria in publicum emiſſa. Quòd ſi verò etiam laudata eſt ab iis, qui tum audierunt eam, inſania profectò fuerit ſperare illos immutaturos aliquid, aut tranſcripturos eſſe eorũ quæ iam ſemel edita atque autorata, & quaſi in regiam aulã relata ſunt. Sed tamẽ nõ abs refuerit, etiam eos ipſos admonere hîc, vt ſi quãdo bellum aliud exortum fuerit, vel Galatarũ cõtra Getas, vel Indorum contra Bactrianos (neque enim aduerſum nos puto quiſquam aliquid mouere ſuſtinebit, cunctis iam perdomitis & ſub iugũ miſsis) meliùs, ac rectiùs componere tamen poſſint adhibita hac quaſi quadã regula, ſi modò recta eadem ipſis videbitur: ſin minùs, ipſi quidem tamen eodem cubito, quemadmodum & nunc, metiantur negocium, medicus autem non admodum ægrè feret, ſi omnes Abderitæ iſti volentes, ac vltro Andromedæ fabulam agant. Porrò quãdò duplex huius conſilii opus eſt, (alia enim eligere ac ſequi docet, alia verò vitare) principiò age dicamus quænam fugienda ſint ei qui hiſtoriam ſcribet, & à quibus integrum ac purum maximè præbere ſe debeat. Deinde quibus rebus vtendo non aberrauerit à recta via, & eò quò tendit, ducente: nempe quo exordio incipiendum ſit, quo ordine res quæque iungendæ inter ſe & componendæ ſint, quis modus ſingulis adhibendus, quæ ſilentio prætereunda, quibus immorandum, & quæ curſu præteruehi ſatiùs ſit, quomodo exponenda eadem, & coaptanda ſint. Atque hæc quidem & his ſimilia poſteriore loco tractabimus, nunc autem vitia ea commemorabimus, quæ malè ſcribentes, aut componentes ſequi ſolent. Quæ igitur communia ſcriptorum vitia ſunt, in verbis, in ſonoritate, in ſententia, & cæteris malè & inſcitè compoſitis lõgum fuerit perſequi, & à præſenti inſtituto etiã alienum. Nam communia, vt dixi, omnium ſermonum vitia ſunt, quæ in verbis & concinnitate vocum peccantur. Quæ verò in hiſtoria peculiariter quidam peccant, ea facilè deprehendas obſeruando, id quod & mihi ſæpenumero vſu venit, inter auſcultandum, & maximè ſi omnibus illis aures apertas præbueris. Sed nõ intempeſtiuum fuerit, interea etiam exempli cauſa quædam eiuſmodi repetere & commemorare, quæ iam ita compoſita atque edita habentur, Ac primùm quidem illud, quantum peccent, conſideremus. Nam plerique ipſorum neglecto eo vt rem ipſam perinde vt geſta eſt, exponant: in laudibus Imperatorum, & ducum immorantur, ſuos quidem in cælum extollentes, contra autem hoſtes vltra modum deprimentes, ignari videlicet quòd nõ anguſto aliquo Iſthmo diuiſa & interſepta ſint hiſtoria & encomium, ſed magno quodam muro per medium eunte diſtincta, & muſicorum illud, δὶς διὰ πασῶν, hoc eſt bis per omnes chordas, quod dici ſolet, inter ſe diſtant. Siquidem ille qui encomium ſcribit, hoc vnum ſpectat, vt quibuſcunque modis poſsit, eum quem laudandum ſuſcepit, extollat atque oblectet: etiam ſi per mendacium fortè id cõſequatur quò tendit, parum id curat. At contrà hiſtoria nihil falſum inſeri ſibi, ne pauxillum quidem permittit, non magis quàm arteriam dicunt medicorum pueri, eam quæ trachea ſiue aſpera vocatur, quicquam potus, aut cibi in ſe recipere. Rurſum neſcire iidem videntur, quòd & poetice quidem & poemata aliud promittunt, aliud hiſtoriæ, regulaſque diuerſas habent. Nam illic quidem libertas nullius alterius arbitrio ſubiecta eſt, vnáque hæc lex eſt, quicquid poetæ ipſi viſum fuerit. Diuino enim ſpiritu agitur, & à muſis dependet, illarum numine afflatus: & ſiue equos alatos currui iungere voluerit, ſiue alios ſuper aquam, aut in ſummas ariſtas curſuros per illas attollet, nemo vetat: neque etiam quando Iupiter ipſorum ex vna catena alligata in ſublime attraxerit pariter terram & mare, quicquam ex eo ſibi metuunt, ne videlicet dirupta illa conterantur, ac pereant omnia illa deorſum præcipitata. Sed & ſi Agamemnonem laudare volunt, nemo prohibet, quo minùs illum Ioui ſimilem faciant, & quod ad caput, & quod ad oculos pertinet: quod autẽ ad pectus attinet, fratri ipſius Neptuno: & quod ad balteum, Marti: & omnino cõpoſitum quendam ex omnibus diis oportet eſſe filium illum Atrei & Aeropes. Neque enim ſuffi cit Iupiter, neq; Neptunus, neque Mars, vt ſingu li illius pulchritudinem ac formam compleant. At verò hiſtoria ſi quã huiuſcemodi adulationẽ recipiat, quid aliud quàm pedeſtris quædam poetice redditur, grandiloquentia iſta verborum carens, cæterùm reliquas illas præſtigias ac vanitates nudas abſq; verſibus, & ob hoc etiam magis conſpicuas

Vitia hiſtorico fugienda.

Hiſtoriæ proprium.

conſpicuas oſtentans? Magnum igitur hoc, imò magis plus quàm magnum vitium fuerit, ſi quis neſciat ea quæ hiſtoriæ propria ſunt, ab iis quæ ſunt poetices, ſeparare, ſed introducit in hiſtoriam alterius ornamenta & fucum, fabulas videlicet & laudes, & eos qui in his rebus veritatis exceſſus fiunt: non ſecus ac ſi quis athletæ alicui iſtorum validorum & vehementer robuſtorum purpuram induat, ac cæteris ornamentis meretriciis eum exornet, præterea & fuco & ceruſſa faciem eius oblinat. Vt enim, Dii boni, omnino ridiculum redderet, deformando ipſum ornatu illo? atqui non hoc dico, quaſi non & laudandum in hiſtoria interdum ſit, ſed ſuo loco & tempore laudandum, modúmque rebus adhibendum eſſe cenſeo, ne qua moleſtia afficiantur ii qui in poſterum hæc eadem aliquando legent. Et in ſumma, ita hæc omnia moderanda ſunt, quaſi poſteris, non præſentibus ſcribantur, vt & paulò pòſt oſtendemus. Porrò qui putãt rectè diuidi in duo hiſtoriam, puta in iucundum, & vtile: & ob hoc & encomium in eam introducunt, tanquã quod & iucundum ſit, & delectet legentes: vides nimirum quãtum à vero aberrent, Primùm quidem diuiſione mala atque adulterina vtentes. Vnum enim opus eſt hiſtoriæ, & vnus finis, vtilitas, quæ ex ſola veritate conciliatur. Iucundum verò ſi & ipſum ſequatur, melius quidem hoc, périnde vt ſi forma ſeu pulchritudo athletam: ſin minùs, nihil vetat ab Hercule prognatum eſſe Nicoſtratum illum Iſidoti filium, generoſus cùm ſit, & vtroque colluctatore ſuo fortior, etiam ſi ipſe qui dem, quod ad faciem attinet, turpiſsimus videatur, Alcæus autem formoſus ille Mileſius colluctetur cum eo, amaſius quoque, vt aiunt, ipſius Nicoſtrati exiſtens. Quare hiſtoria ſiquidem obiter, & velut auctarii modo, iucunditatem additam habeat, complures amatores ad ſe alliciet: ſed quatenus perfectum atque integrum, ídque ſolũ habet, quod peculiare ac propriũ ipſius eſt, veritatis expoſitionem dico, nõ magnã pulchritudinis rationẽ, aut curam habet. Præterea etiã illud dicere non indignum fuerit, quòd neq; iucundum adeò in hiſtoria, quod valde fabuloſum eſt, & ad laudem maximè inclinat, vtrobique auditoribus eſſe ſolet, dum non de fęce hominum, ac multa, promiſcuáq; plebe hoc intelligamus: ſed de iis qui iudicantium more, atque adeò, per Iouem, ſycophantarum modo auſcultant, quos nihil ſubterfugere facilè poteſt, vtpote ipſo etiã Argo acutiùs, ac toto corpore vndiq; omnia intuentes, menſariorum autem more, ſingula eorũ quæ dicuntur, accuratè ac diligenter explorãtes, ita vt alia quidem velut adulterina reiiciant, ea verò quæ proba ſunt & legitima, & quæ typum ſeu formam accuratè & expreſſè referũt, recipiãt atq; approbent. Ad quæ etiã reſpicere decet eos qui hiſtoriam componunt, aliorum autem nullã aut paruam habere rationem, etiam ſi rumpantur laudatores. Si verò neglectis hiſce, ſtudebis hiſtoriam ſupra modũ delectabilem facere, admixtis fabulis, laudibus, & cæteris huiuſcemodi adulationibus, celerrimè ſimilem illam reddes Herculi in Lydia. Vidiſſe enim alicubi te conſentaneum eſt pictum illum Omphalæ ſeruientẽ, atq; admodũ alieno ornatu ac habitu indutum, illa vi delicet pelle ipſius Leonina veſtita, & clauã manu tenente, eóque Herculem ſcilicet præ ſe ferẽte, ipſo autem in crocoto & purpura lanam trahente, & vapulãte ab Omphale ſandalio, &, quod turpiſsimum ſpectaculum eſt, veſtitu cum corpore non conueniente, neque ad proportionem illius quadrante, atq; ipſo deo virilem illum corporis habitum turpiter adeò effœminante. Ac multi quidem fortaſsis etiam hæc tua laudabũt: pauci vero illi, quos tu contemnis ſuauiter admodum & ad ſacietatem vſque ridebunt, aſpicientes indoctam ac diſſonam, maléque cohærentem rei compoſitionem. Nam quod vniuſcuiuſque rei proprium eſt, id pulchrum eſt. Hoc ſi mutaueris, deforme id ipſum vſu reddetur. Omitto hîc dicere quòd ipſe quoque laudas vni fortaſsis alicui iucundæ ac delectabiles ſunt, ei puta, qui laudatur: cæteris verò moleſtæ, & maximè ſi immodicos veri exceſſus, ſiue hiperbolas habuerint, quales ipſas plerique faciunt, dum benevolentiam eorum quos laudant, venantur, & eo vſque immorantur illis, donec omnibus adulationem hanc manifeſtam reddant. Neq; enim ſecundum artem hoc facere norunt, neque adulationem tegunt, ſed irruentes conferta omnia, & incredibilia & nuda expuunt: quare neque illud conſequuntur, quod maximè intendunt. Nã qui laudantur ab ipſis, oderũt multò magis ipſos & auerſantur vt adulatores, rectè ſanè facientes, & maximè ſi virili, ac generoſo animo prædíti ſunt: quemadmodum Ariſtobulo accidit, qui ſingulare certamen Alexandri & Pori conſcripſit. Eo enim ipſo legente hũc potiſsimum locũ quo pugnã hanc deſcripſerat, (putabat enim ſe maximam apud regẽ gratiam hoc pacto initurum eſſe aſsignatis illi falſò rebus quibuſdam præclariſsimè geſtis, & effictis operibus veritatem exceden tibus) Alexander accepto libro (nam tum fortè in flumine Hydaſpe nauigabant) proiecit præcipitem in aquam, & te, inquiẽs, eodẽ modo decebat Ariſtobule præcipitari, qui talia pro me ſingulari certamine pugnaueris, & elephantos ſagitta interfeceris. Et certè indignaturus ita fuerat Alexander, vt qui nec architecti illius audaciam ferre potuerit, pollicẽtis ſe mõte Atho ad illius imaginem effictũrũ eſſe, montémq; ipſum illius ſimilitudine exornaturum, ſed ſtatim pro adulatore homine illo agnito, non ampliùs neq; ad cæteras res eodem vt anteà vſus eſt. Vbi igitur delectabile illud in hiſce manet? niſi ſi quis vehementer amens adeò foret, vt oblectaretur huiuſcemodi laudibus, quarum vanitas, & confutatio ante pedes & in promptu eſſet, perinde vt homines deformes interdum ſolent, & præcipuè mulierculæ, quæ pictoribus mandant, vt ſe quàm pulcherrimas pingant. Arbitrantur enim meliùs habituram ſibi eſſe faciem, ſi pictor ipſis & plurimum ruborem illinat, & multum candoris intermiſceat pigmento. Tales plerique ſcriptorum hodie ſunt, qui & proprium & vtile quod ex hiſtoria ſperandum fuerat palpando tractant, quos odio habere conueniebat, vt qui in præſenti

ſenti adulatores manifeſti & inertes ſint,& in po
ſterũ ſuſpectũ reddant totũ negociũ propter ni-
mios veritatis exceſſus, & incredibilitatem.
Quòd ſi verò quiſpiam exiſtimat omnino iucun
ditatem per totam hiſtoriam admiſtam eſſe de-
bere,præſtet cætera illa quæ re vera delectabilia
ſunt, inter reliqua ornamenta orationis,quibus
plerique neglectis,ea quę nihil ad rem pertinẽt,
ingerunt atque inuoluunt:ego verò etiam narra
bo,quæ non ita multò antè memini me audire,
cùm in Ionia hiſtoriarum ſcriptores,atque adeò
per Iouem in Achaia quoque nuper quoſdam
auſcultarem, idem hoc bellum exponentes. Ac
per Gratias, ne quis pro dubiis aut incertis ea
habeat quæ dicentur. Nam vel iureiurando af-
firmare auſim, ſi modò vrbanum foret iuſiuran-
dum inſerere commentario,vera illa eſſe. Ac v-
nus quidem ipſorum ſtatim à Muſis exordieba-
tur,inuocando deas, vt ipſæ ad opus hoc deſcri-
bendum adeſſe vellent. Vidéſne quàm ſcitum
principium,& in promptu hiſtoria,& tali oratio
nis figurę conueniens?Déinde paulùm progreſ-
ſus,Achilli quidem noſtrum Imperatorem com
parabat,Therſitæ autem regem Perſarum:ignо-
rans videlicet quòd Achilles multò melior futu
rus ipſi fuerat, ſi Hectorem potiùs quàm Therſi
tem interfeciſſet,& ſi prior quidem bonus quiſ-
piam fugeret,perſequeretur autem ipſum multò
clarior alter. Poſt hæc adducebat & pro ſe ipſo
encomium quoddam, quo dignus eſſe qui con-
ſcriberet res geſtas adeò præclaras ac ſplendidas
videri volebat.Hinc autem deſcendens, etiã pa
triam ſuam Miletũ laudabat,illud addens, quòd
rectiùs faceret ipſe quàm Homerus,quoniam il-
le nuſquam patriæ ſuæ mentionem feciſſet.Po-
ſtremò ad finem procemii pollicebatur nomina-
tim ac planis verbis, ſeſe noſtras res in maius
ſublaturum, Barbaros autem cõtrà etiam ipſum
per ſe debellaturum atque oppreſſurum eſſe. Ac
hiſtoriam quidem in hunc modum incipiebat,
ſimul & cauſſas vnde id bellum cœpiſſet,comme
morando:Nam ſceleſtiſsimus ac peſsimè perdi-
tus iſte Vologeſus,bellum mouere cœpit ob ta-
lem cauſſam.Atque hic quidem in hunc modũ.
Alter verò quidam Thucydidis imitator ſum-
mus quiſpiam,& ad archetypum ſeu primũ ex-
emplar admodum bene comparatus, etiam prin
cipium périnde vt ille, ſuo proprio nomine ap-
poſitum fecit,feſtiuiſsimum illud quidem omniũ
principiorum,& atticum animum planè ſpirãs:
Vide enim: Creperius, inquit, Calpurnianus
Pompeiopolita, conſcripſit bellum Parthorum
ac Romanorum,quo pacto illud inter ſe geſſe-
runt, ſtatim ab eo exorſus, quando illud pri-
mùm moueri cœptum eſt. Quare poſt tale vti-
que principium, quid tibi cætera ampliùs dicã?
quomodo videlicet in Armenia perorauerit,
Coreyrenſem illum oratorem ſe ipſum exhiben
do,aut qualem Niſibenis peſtem immiſerit,quia
partes Romanorũ ſequi noluerant:à Thucydide
mutuatus omnia prorſus,excepto ſolo Pelaſgico
& longis muris,in quibus tum habitarũt illi qui
temporibus illis peſte laborabant. Cætera verò
etiam ab Aethiopibus exorſus eſt:quare & in Ae
gyptum deſcendit,& in terram regis multam,in
illáq; ibi manſit:rectè ſanè faciẽs. Ego itaq; reli
cto illo ſepeliẽte adhuc miſeros Atheniẽſes Ni-
ſibe,abii,ſatis ſciens etiã ea quæ me digreſſo di-
cturus poſtea eſſet. Nam rurſus etiam illud abun
dè multùm nunc eſt, putare hoc eſſe Thucydidi
conſentanea atque ſimilia dicere, ſi parum reue
ritus,ea quæ ſunt ipſius illius, dixerit quiſpiam,
vt μικρὰ κἀκεῖνα,hoc eſt,parua & illa:&, ὡς καὶ αὐ-
τὸς ἂν φάναι,id eſt,vt etiam ipſe dixeris:&, ὃ δι' αὐ-
τὸν γε διὰ,id eſt,non ob eam cauſſam,per Iouem:
&,κἀκεῖνα ὀλίγου δεῖν παρέλιπον, hoc eſt, etiam illa
parum abfuit quin præterirem. Nam idem hic
ſcriptor multa quoque armorum & tormentorũ
genera iiſdem nominibus quibus ea Romani
vocant, perſcripſit, & foſſam itidem vt illi, &
& pontem,& ſimilia dixit. Ac mihi cogita,quan
ta hæc hiſtoriæ dignitas, & quàm Thucydidi
hoc conueniens ſit,inter Attica nomina, Italica
iſta périnde vt purpuram interponi,exornantia,
& decentia, & omnino conſonantia. Alius verò
quiſpiam ipſorum, quaſi quoddam commenta-
rium actorum nudum in ſcripta relatum, valde
pedeſtre ac humi ſerpens, périnde ac ſi miles ali
quis,aut faber,aut caupo, qui vnà cum exercitu
circumuagaretur,ea quę in ſingulos dies acta fu-
iſſent,annotaſſet,compoſuit: niſi quòd priuatus
hic modeſtior certè fuit, quippe qui ipſe quidẽ
ſtatim qualis eſſet,manifeſtè apparuerit:alteri au
tem alicui,maiori gratia prædito, quíq; hiſtoriã
alíquando aggredi poſſet, materiã ſubminiſtra-
rit. Hoc vnum in eo reprehendere ſoleo, quòd
ita tragicè inſcripſit libros ſuos,magis quàm pro
ipſorum ſcriptorũ fortuna,in hunc videlicet mo
dum: Callimorphi, medici haſtatorum legionis
ſextæ,hiſtoriarum Parthicarũ &c. & ſubſcriptus
infrà erat vnicuique libro numerus. Ac per Iouẽ
etiam procemiũ plus quàm frigidum fecerat, ita
colligens,familiare ac proprium Medici eſſe, hi
ſtoriam ſcribere: ſiquidem Aeſculapius Apolli-
nis filius foret,Apollo autem Muſarum dux, &
omnis eruditionis princeps. Déinde quòd & Io
nica lingua exorſus ſcribere,mox neſcio qua ſen
tentia,quóve animo ſtatim admodum ad com-
munem tranſiit,ἰατρέην,hoc eſt medicam artem,
& experientiam,& quæcunque, & morbum,pro
ἰατρικήν,& πεῖραν, & ὁπόσα,& νόσον,ἰητρεύω & πείρω,
& ὁκόσα,& νοῦσον dicens,cætera autem cum multi
tudine cõſueta atq; eadem,ac plurima etiã velut
ex triuio deſumpta. Si verò & ſapientis viri me-
miniſſe me decet, ipſum quidẽ nomen in obſcu-
ro poſitũ ſit,ſententiã autem dicã, & ſcripta pau
lò antè Corinthi edita,omni ſpe potiora. A prin
cipio enim ſtatim,in prima exordii periodo,diſ
putabat cum lectoribus, ſermonẽ omnino erudi
tum ac ſapientẽ exhibere ſtudens,quòd ſoli vide
licet ſapiẽti cõueniret hiſtoriã ſcribere. Déinde
poſt paulũ ſequebatur alius ſyllogiſmus, déinde
item alius: & prorſus per omnes figuras diſpu-
tando ratiocinabatur illi exordium iſtud adula-
torium, videlicet vſque ad ſatietatem, & enco-
mia iſta moleſta ac valde ſcurrilia, ſyllogiſtica
tamen,& diſputatoria, & contracta ſeu conden-
ſata etiã illa. Et ſanè etiam illud perquàm ineptũ

videb

videbatur mihi,& viro philoſopho,& barba cana promiſſaque minimè dignum,quod in proœmio dicebat, principem noſtrum hoc præter cæteros præcipuum & quaſi ſeorſim habiturũ eſſe,quòd eius res geſtas etiã philoſophi iam memoriæ prodere dignarentur. Nam tale, ſi modò fieret, conueniebat cogitandum nobis relinqui potiùs, quàm ipſum dicere. At verò neq; illius fas eſt obliuiſci, qui tali principio exorſus eſt: Venio dicturus de Romanis ac Perſis: & paulò pòſt:Neceſſe enim erat Perſis malè euenire. Et rurſum:Fuit Oſroes,quem Græci Oxyroen nominant:& alia id genus multa. Vides igitur vt ſimilis hic illi fuerit in eo,quòd ille Thucydidẽ hic autem Heſiodum bene admodum aſsimulabat. Iam alius quidam celebris & decantatus ob dicendi virtutem, Thucydidi & ipſe ſimilis, aut etiam melior paulò illo, omnes ciuitates, & omnes montes,campos prætereà & fluuios interpretatus eſt quàm planiſsimè ac validiſsimè, vt ipſi videbatur. Illud autem in inimicorum capita vertat malorum auerruncator Hercules. Tanta enim frigiditas inerat, quæ & Caſpias niues, & glaciem Gallicam ſuperaret. Clypeus igitur Imperatoris vix toto libro ab illo deſcribebatur, & Gorgon in vmbone, & oculi eius ex nigro & albo & cæruleo cõpoſiti: prætereà & balteus arcum cæleſtẽ imitans,& dracones inter ſe implicati,& capillorũ more dependentes. Nam Volo geſi bracca,aut frenũ equi,ò Hercules, quot millia verſuum vnumquodq; horũ abſoluebat! déin de qualis fuerit coma Oſroæ natantis per Tigrim,& in quale antrum effugerit,tectum videlicet ex hedera & myrto & lauro, quæ eodẽ loco creuerant,& quaſi in vnum coaluerant,atque idem illud opacũ & vmbroſum fecerant. Conſidera igitur quàm hæc ad hiſtoriã neceſſaria ſint, & quàm nõ abſq; his,ea quæ illic geſta ſunt, ſcire potueramus. Nam præ imbecillitate (qua inter ea quæ vtilia ſunt cognitu,diſcernenda laborant) aut præ ignorantia (dum quid potiſsimùm dicendum ſit,neſciunt) ad huiuſcemodi locorũ & antrorum deſcriptiones diuertuntur. Ac quoties in multas ac pręclarè geſtas res incidunt,ſimiles eſſe videtur ſeruo recèns locupleti facto, qui domino ſuo nuper in bonis ſucceſsit,qui neque veſtem nouit quo pacto induere debeat,neq; cœnã ex more ac legitimè capere nouit, ſed ſæpenumerò irruens gallinis,& ſuillis & leporinis appoſitis, pro iis pulmẽto aliquo,aut ſalſamẽto oppletur adeò, dũ ingurgitãdo rũpatur. Hic igitur,de quo anteà dixi,etiã vulnera deſcripſit admodũ incredibilia,& mortis genera aliena, puta quo pacto in digitũ pedis maiorẽ vulneratus quidã,cõfeſtim deceſſerit:& quòd inclamãte ſolùm duce exercitus Priſco, ſeptem & octo hoſtium mortui fuerint. Prætereà & in numero occiſorum ab hac parte etiã contrà quàm in Imperatorum epiſtolis ſcriptum continẽtur, mẽtitus eſt. Nam circa Europum hoſtium quidẽ cecidiſſe millia trecẽta ſeptuaginta,& ſex ſupra ducentos ait,Romanorũ autem non ampliùs duobus, ſaucios autẽ factos fuiſſe nouem: quæ haud ſcio an vllus ſanæ mentis ferre queat. Iam & illud dicendũ,quod neq; ipſum paruũ eſt. Nam præ nimio ſtudio Atticæ elegantiæ,& quòd videri cupiebat vocem omnino ad eius linguę proprietatem quàm accuratiſsimè emundaſſe, volebat eodẽ pacto & Romanorũ nomina efferre,eadémq; inter Græca tranſcribere: vt Cronon quidẽ Saturninũ vocabat, Phrontim autem, Frontonem: Titanium, Titianum, & id genus alia multò magis ridicula. Prætereà idem hic de morte Seueriani ſcripſit, quòd cæteri quidem omnes decepti ac falſi ſint,qui putarunt ipſum gladio interfectum eſſe,quando inedia & cibi abſtinentia perierit:nam hanc mortẽ illi facillimã,& minimè grauẽ viſam fuiſſe:neſciens videlicet quòd totũ illud quod ille paſſus eſt,trium opinor dierũ fuit:qui autem inedia moriuntur, etiã in ſeptimũ vſq; diem pleriq; ſufficiunt. Niſi ſi quis hoc credere volet,quòd Oſroes adſtiterit expectans donec Seuerianus fame interiret, & ob hoc ante ſeptimũ diem in aciem non eduxerit. Porrò eos qui & poeticis nominibus,optime Philo, in hiſtoria vtuntur,quónam loco ponamus?eos puta, qui dicunt ἐλέλιξε,hoc eſt,ſtridorem dedit machina impulſa,& murus cadens vehementer ἐδούπησε,id eſt fragorem dedit. Et in altera parte præclaræ huius hiſtoriæ, Edeſſa igitur ita armis περιεσαλπίζετο,hoc eſt, circumcirca perſonabat, & ὄτλοβος erat,hoc eſt fremitus,qualis maris tẽpeſtuoſi eſſe ſolet. Et,omnia illa κόναβος, id eſt, tumultus ac ſtrepitus erãt. Et, ipſe dux ἐμβριμίζων,hoc eſt,animo huc atque illuc verſabat, quo pacto potiſsimùm muros inuaderet. Déinde autem inter hæc,adeò humilia & abiecta nomina, adeò plebeia & mendicis conuenientia multa infarta erant, in quibus velut rimæ aut lacunæ cæteræ obturarẽtur,quale eſt illud ἐπέστελλεν ὁ στρατοπεδάρχης ᾧ κυρίῳ,hoc eſt,ſcripſit caſtrorum præfectus domino. Et,οἱ στρατιῶται ἠγόραζον τὰ ἐγχρίζοντα,id eſt,milites emebant neceſſaria. Et,ἤδη λελύμενοι πρὸς ἀυτὸς ἐγίγνοντο: hoc eſt,iam loti ad ipſos venerunt:& id genus alia. Vt mihi hæc res perſimilis videatur eſſe Tragœdo,qui altero quidem pede calceamento alto & grandi incedat, alterũ autem ſandalio ſubligatum habet. At verò & alios quoſdam reperias, qui proœmia ſplendida tragica, & excellenter longa compoſita habent, vt ſperes ex eo,quæ ſequentur,omnino mirabilia quædam auditurum te eſſe: at mox corpus ipſum hiſtoriæ exiguum quoddam & ingenoroſum ſubtexunt: vt & hoc non diſsimile videatur puero aut infanti alicui, ſicubi fortè vidiſti Cupidinem ludentem, perſonam Herculis amplam & magnam, aut etiam Titani alicuius induentẽ. Statim igitur,qui auſcultant, acclamare ipſis ſolent notũ illud,Parturiũt montes, &c. Decet autẽ non ita,ſed ſimilia inter ſe omnia,& eiuſdem coloris eſſe,& capiti reliquũ corpus reſpondere,vt non aurea quidem ſit galea, thorax autem omnino ridiculus,ex pannis alicunde vetuſtis, aut pellibus putribus conſutus: déinde & clypeus ſalignus, & tibialia conchis incruſtata, aut ex corio porcino facta. Videas enim perquã multos huiuſmodi hiſtoriarũ ſcriptores,qui Rhodii illius Coloſsi caput,nani alicuius, ſeu

pumil

pumilionis corpori imponant. Vt rurſum alios, qui corpora ſine capitibus introducunt, abſque proœmiis,& ſtatim ab ipſis rebus incipiẽtes,qui & Xenophontis ſectatores in hoc videri volũt, quoniam & ipſe ſic exorſus eſt, Darii & Paryſatidis filii naſcuntur duo, &c. & aliorum veterũ ignorantes quòd quædam proœmia vi ſeu poteſtate ſunt,quę pleroſque latent,vt alibi oſtendemus. Quanquam hæc omnia adhuc tolerabilia ſunt, quæcunq; vel circa compoſitionem verborum, vel reliquam diſpoſitionem peccantur: at verò circa ipſorum quoq; locorum deſcriptiones mentiri,ſdq; non ſolùm paraſangas aliquot, ſed & totas manſiones, quantum vnius diei itinere caſtra promoueri ſolẽt,illud quæſo cui honeſto aut pulchro comparabimus? Vnus igitur quidam adeò oſcitãter ac deſidioſè res ipſas collegit,vtpote neque Syro aliquo conſulto,neque notum illud quod vulgò dici ſolet, Epicureorũ fabulis de his ipſis rebus auditis, vt cùm de Europo mentionem faceret,in hunc modũ dixerit: Europus,inquiens, ſita quidem eſt in Meſopotamia, manſionibus duabus ab Euphrate diſtans: deduxerunt autem eam coloniam Edeſſæi. Neque hoc illi ſatis fuit, ſed & patriam meam Samoſata, idem generoſus ille in eodem libro ſublatam vnà cum ipſa arce & muris in Meſopotamiam tranſtulit,ita vt tota ambiretur ac terminaretur vtroque flumine, vtrinq; altero quaſi cutem illius præterlabendo radẽte, & tantùm non ipſos muros alluẽte. Ridiculum autem etiam foret, ſi tibi nunc Philo apologiã aliquam contexã,quòd neq; Parthus,neq; Meſopotamita ſim: inter quos relatum me egregius iſte ſcriptor collocauit. Quin & illud valde ſcilicet credibile idẽ hic de Seueriano dixit,appoſito etiam iureiurando,quòd quæ dicat, ex quodã audierit eorũ qui ex ipſo eo opere effugerunt. Neq; enim gladio illum mori voluiſſe,neq; venenũ bibere,neq; laqueo collum innectere,ſed mortem quandãexcogitaſſe tragicam,&,quod ad audaciam attineret, omnino externam ac peregrinã. Fortè enim habuiſſe ipſum admodũ magna vitrea pocula,ex vitro pulcherrimo facta. Poſtquàm igitur omnino decretum illi fuiſſet mori,fracto ex ſcyphis maximo, vno quodam cruſtorum vſum eſſe ad cædem,inciſo videlicet gutture,vitro. Atq; ita neque gladium,neq; lanceam reperit,quo moreretur, dũmodo virilis ipſi & heroica mors obtingeret. Poſtea autem, quoniam Thucydides funebrem orationem quandã habuit pro iis qui primi tum eo bello occubuerunt, ipſe quoq; Seueriano talem habendam eſſe cenſuit. Omnibus enim ipſis cum Thucydide, eo qui nihil in culpa fuit eorum malorũ quę in Armenia acciderant, æmulatio atq; cõtentio eſt. Sepulto igitur Seueriano magnificè, adducit ad tumulum Afranium quendam Centurionẽ,æmulum Periclis, qui talia ac tanta rhetorico more de illo perorauit, vt ego,per Charites,multũ admodũ lacrymarũ præriſu effunderẽ,& maximè quando rhetor iſte Afranius ad finẽ orationis lacrymans pariter cum miſerabili ploratu,ſumptuoſarũ cœnarũ & propinationũ illarum mentionem faciebat, déinde & Aiacis quendã colophonem imponebat. Nã gladio euaginato,generoſè admodũ, & vt Afranium decebat,aſpicientibus omnibus ſeipſum ad tumulum iugulauit, non indignus per Bellonam, qui multò antè mortuus fuiſſet, ſi talia rhetoricatus eſſet. Atque hoc dixit idem aſpicientes omnes tum qui aderant,admiratos fuiſſe,laudaſſéq; Afranium ſupra modum. Ego verò etiam cætera illius damnabam,vt qui tantùm non offarum & ollarum meminiſſet,& placentarum memoria il lacrymaretur. Hoc tamen præter cætera reprehendi,quòd non ſcriptore ipſo & actore fabulæ huius ante ſe iugulato mortuus fuerat. Multos autem & alios conſimiles his commemorare tibi amice Philo poſſem: veruntamen paucis quibuſdam adhuc additis, ad alteram promiſsionis partem tranſibo,puta ad id conſilium,quo pacto rectiùs ac meliùs hiſtoriam ſcribere quiſpiã debeat. Sunt enim quidam,qui,quæ rerum geſtarũ maximæ,& memoria digniſsimæ ſunt,& prætermittant,aut quaſi in tranſcurſu tantùm attingãt: præ imperitia autem,& ineptitudine, & ignorantia eorum quæ dicenda vel tacenda ſint, ea quæ minima ſunt,admodum prolixè & laborioſè immorando verbis exponunt, non aliter ac ſi quis Iouis Olympici vniuerſam pulchritudinem ac formam,quæ tanta ac talis eſt, non videat, nec laudet,neq; etiam iis qui de ea neſciunt,quicquã narret,ſed ſubſellii rectitudinẽ & expolitionem, & crepidinis cõcinnitatem admiretur,& hęc admodum cum multa diligentia & cura exponat. Equidem audiui quendam,qui pugnam eam quę ad Europum cõmiſſa fuit,ne totis quidẽ ſeptem verſibus prætercurrebat: viginti autem menſuras aut etiam ampliùs aquæ conſumpſerat in frigidam, & nihil ad nos pertinentem narrationem, quo videlicet pacto Mauritanus quidam eques, Mauſacas nomine, præ ſiti errans per montes, deprehenderit Syros quoſdam agreſtes, prandiũ apponentes, & quòd principiò illi metuerint ipſum: déinde verò intellecto quòd ex amicis vnus eſſet, receperint ad ſe hominem, & cibum præbuerint. Nam & illorum fortè quendam aliquando in Mauritaniam profectum fuiſſe, cùm ipſius frater in ea terra militaret. Poſt hæc fabulæ longæ & narrationes quo pacto ipſe in Mauruſia venatus eſſet,& vt vidiſſet elephantos multos in eodem loco paſcentes,& quòd parum abfuerit quin à leone deuoratus fuiſſet: déinde & quãtos piſces emerit Cæſareæ. Atq; ita egregius iſte hiſtoricus relictis tot cædibus circa Europũ factis, tot præliorũ motibus, & fœderibus neceſſariis, & cuſtodiis aliis,aliis oppoſitis,vſque in profundam veſperam ſubſtitit,aſpiciens Malchionem Syrum iſtum Cæſareæ Scaros ingentes videlicet ementem. Et niſi nox occupaſſet ipſum, fortaſſis & ad cœnam cum illo veniſſet,ſcaris iſtis iam apparatis. Quæ niſi ille tam diligenter hiſtoriæ tradidiſſet,magnas nimirum res ignoraturi nos fuiſſemus: & damnum hoc Romanis intolerabile fuiſſet,ſi Mauſacas iſte ſitiens potum nõ inueniſſet,ſed incœnatus ad caſtra reuerſus eſſet. Atqui quàm multa alia longè magis neceſſaria volens ego nunc prætereo! quemadmodum & tibicina

In Anabaſi Xenophontis.

Vitia rerũ.

Mendaciũ.

Id eſt, duorum dierũ itinere.

bicina quædam venit ex propinquo vico ad eos, & vt dona mutuò inter ſe dederunt, Mauritanus videlicet ille Malchioni lanceam, hic autẽ contrà Mauſacæ fibulam: atque alia multa talia, quæ pugnæ illius ad Europũ ipſa adeò capita & ſummaria ſunt. Próinde meritò dixerit quiſpiam, tales ſcriptores roſam quidem ipſam non videre, ſpinas autem quæ iuxta radicem enaſcuntur, diligenter contemplari. Iam alius quidam, ô Philo, admodum & hic ridiculus, qui alterum pedẽ ne extra Corinthum quidem vnquam protulerat, neque ad Cenchreas vſq; peregrè profectus fuerat, nedum Syriam aut Armeniam conſpicatus, in hunc modum exorſus eſt: memini enim: Aures quàm oculi minùs fide digni ſunt. Próinde ſcribo quæ vidi, non quæ audiui: atq; ita diligenter omnia viderat, vt diceret dracones Parthorum (ſignum hoc autẽ multitudinis ipſorum eſt, mille enim dracones vnos draco producit) ingentes eſſe, generariq; in Perſide paulò ſupra Iberiam. Hos autem antea quidem ex haſtis ſiue longuriis ſuſpenſos, illos in altum attollere, eóque terrorem iis qui à longe aduentarent, facere ſolere: in ipſo verò prælio: quando iam congreſſi ſunt, ſolutos illos in medios hoſtes immittere: nimirum multos noſtrorum hoc pacto deuoratos eſſe, alios autem, implicantibus & compungentibus ipſos illis, ſtrangulatos & confractos: adſtitiſſe autem ipſum, atque hæc vidiſſe, in tuto tamen, nempe ab arbore quadam excelſa ſpectando. Et rectè ſanè fecit, quòd propiùs ad feras iſtas non acceſſit: neque enim nos tam egregium ſcriptorem, & qui eminus ipſe præclara ac magna adeò in hoc bello effecerit, nunc haberemus: nam & pericula multa ſubiit, & vulneratus eſt circa ſuram, à Cranio videlicet iter faciens ad Lernam. Atq; hæc Corinthiis audientibus recitabat, ſatis ſcientibus illis quidem quòd ne in pariete pictum quidem bellum vnquam vidiſſet. Sed nec arma ille quidem norat, neque machinas quales eſſent, neq; ordinum aut acierum nomina: prorſus enim ſtudio habuit πλαγίαν, hoc eſt obliquam vocare phalangem, ὑπὸ κέρως autẽ, hoc eſt protentis cornibus, id quod exporrecta fronte educere dicitur. Alius autem ſuauiſsimus quidam cuncta à principio ad finem vſque geſta, quæcunque in Armenia, quæcunque in Syria, quæcunquẽ in Meſopotamia, præterea quæ ad Tigrim, quæq; in Medis acciderant, ne totis quidem quingentis verſibus complexus ſcripto edidit, eóque facto hiſtoriam compoſuiſſe videri volebat: inſcriptionem verò parum abfuit, quin longiorẽ ipſo libro inſcripſerit: videlicet hoc modo: Antiochiani certaminis Apollinis ſacri victor (nam curſus certamine, quod Dolichum vocant, puer olim vicerat) eorum quæ in Armenia, in Meſopotamia, & in Medis à Romanis nunc geſta ſunt, hiſtorica narratio. Iã & quendam ego audiui, qui quæ futura eſſent, hiſtoriæ commendarat, & Vologeſi captiuitatem videlicet, & Oſroæ cædem, quemadmodum leoni obiiciendus eſſet, & poſtremò omnium etiam multoties illum deſideratũ à nobis triumphũ. Adeò omnino vatis in modum ſeſe gerens, properabat iam tum ad finẽ ſcribendi. Quin & ciuitatẽ idem iam in Meſopotamia condidit, magnitudine maximã, & pulchritudine pulcherrimã: adhuc tamen ſpeculatur & deliberat an eam Nicæam à victoria cõueniat nominari, an verò Homonœam, an etiam Ireniam. Et ob hoc quidem adhuc in dubio pendet, & ſine nomine præclara illa ciuitas nobis, nugis multis & faſtu hiſtorico refer ta. Quæ verò in India poſthàc agentur, etiam ea promiſit ſe iam nunc ſcripturum eſſe: præterea & deſcriptionem maris exterioris nauigantibus traditam. Neque promiſsiones modò hæ ſunt, ſed & proœmium Indicæ hiſtoriæ iam compoſitum eſt, & tertium tagma, ſeu tertius liber. Ac Galli quidem, & Maurorum pars quædam modica cum Caſsio, omnes iſti iam Indum fluuium traiecerunt. Cæterùm quid facturi ſint, aut quomodo excipient elephantorum incurſus, non multò pòſt egregius iſte ſcriptor à Muſuride, aut ex Oxydracis ad nos ſcribet. Huiuſcemodi multa, præ inſcitia & imperitia nugantur, ea quæ viſu digniſsima ſunt, neque videntes, neque etiam ſi videant, pro dignitate exponere ſcientes, excogitantes autem & effingentes quicquid temerè in linguam, vt aiunt, venerit. Etiam numero librorum præterea ſuperbiẽtes, & maximè inſcriptionibus. Nam rurſum & hæ omnino ridiculæ ſunt, vt iſtius neſcio cuius Parthicarum victoriarum libri tot, vel tot: & rurſum Parthidos primus, ſecundus, &c. vt Atthidos ſcilicet. Alius etiam vrbaniùs pauló. Nam legi Demetrii cuiuſdam Sagalaſenſis Parthonicica. Non quòd pro riſu habeam, & illudam hiſtoriis adeò præclaris, ſed vtilitatis cauſa hæc cõmemoro, quòd quiſquis hæc atq; huiuſmodi alia euitarit, is bonam partem hiſtoriæ rectè ſcribendæ conſecutus iam ſit, imò pauca adeò illi etiam deſunt, ſi modò verum illud eſt quod Dialectica tradit, quòd eorũ inter quæ medium nullum eſt, altero eleuato, alterum contra deprimitur. At verò area ipſa, dixerit quiſpiam,, purgata probè iam eſt, ac ſpinarum quicquid fuit, & rubi exciſi, reliquorum autẽ ruinæ ac rudera iam exportata ſunt: & ſi quid aſperum ante fuit, id totum ſublatum & complanatũ eſt: quare tempus iam eſt vt ædificiũ aliquod ſuperſtruas etiam ipſe, quo oſtendas nõ modò alio rum euertendis generoſum eſſe te, verùm etiam per teipſum excogitando atque inueniendo tale aliquid præſtare poſſe, quod & dexteritatem quã dam præ ſe ferat, & à nemine ne Momo quidem reprehẽdi ac carpi queat. Aio igitur eum qui optimè conſcribere hiſtoriã volet, duo hæc præcipua domo ſecũ & de ſuo afferre debere: Prudentiam quandam ſiue intellectum ciuilem, & poteſtatem dicendi. Quorum alterum quidem nulla doctrina traditum, naturæ donum quoddam eſt: dicendi autem poteſtas, multa exercitatione, aſsiduóque labore, & imitatione veterum comparãda erit. Atque hæc quidem extra artem ſunt, neque me conſultore opus habent. Neq; enim prudentem ſiue intelligẽtem, & acutũ reddere eum qui nõ natura talis fuerit, libellus hic meus promittit: quoniam magni ſanè æſtimandus, imò omnibus anteferendus foret, ſi transformare, &

quaſi

quaſi nouo quodam ornatu induere huiuſmodi ille poſſet, puta vel ex plumbo aurũ reddere, vel ex ſtanno argentum, vel ex Conone Tiryntium, vel ex Leotrophide Milonem efficere. Verũ artis & cõſilii vtilitas ea eſt, nõ vt ea ſuppeditent, quæ antè adſunt, ſed vt illis rectè ac conuenienter vti doceant. Quo pacto nimirum & Iccus, & Herodizes, & Theon, & ſi quis alius artis palæſtricæ magiſter, atq; exercitor fuerit, pollicerentur tibi Perdiccã hunc acceptũ (ſi modò hic eſt ille, qui nouercam amauit, & ex eo contabuit, & non potiùs Antiochus Seleuci filius, Stratonices illius amore captus) Olympionicen reddere, qui cum Theagene Thaſio illo, aut Polydamante Scotuſſeo, certamine congrederetur, nõ vt naturam, & ingenium ad eam rem ſuppeditarent, ſed vt materiam iam antè à natura datam, & ad hanc palęſtræ exercitationem ſuſcipiendam idoneã, atq; habilem, per artem multò meliorem redderent. Quamobrem abſit & nobis hæc inuidia promiſſionis, vt artem aliquam rei adeò magnæ, ac difficili nos inueniſſe dicamus. Neq; enim quemuis acceptum reddere hiſtoricum nos velle dicimus, ſed ei, qui natura intellectu bono præditus, & ad dicendum quàm optimè exercitatus fuerit, viam quandã oſtendere rectã (ſi modò talis vlla appareret) qua vtendo, citius, atq; aptius ad finem & ſcopum vſq; quò tendit, peruenire poſsit. Nõ enim neq; illud dixeris, eum, qui intelligentia præditus fuerit, arte, ac doctrina earũ rerũ, quas ignorat, opus non habere. Nam ſi abſq; doctrina, & inſtitutione cithara ludere poſſet, etiam tibia canere, ac cætera omnia ſciret. Nunc autẽ, niſi doctus ab aliquo, nihil quicquam eorum manu facilè attingit: at demonſtrante aliquo viam, ac rationem, & diſcit facillimè, & rectè idem adminiſtrat per ſe ipſum. Proinde nobis quoq; nunc talis diſcipulus tradatur, qui & ad intelligẽdas res, & ad dicendum non ſit degener, ſed acutum tueatur, poſsítq; rebus vti, ſi cõmittantur illi, ac animum habeat militarem, ſed tamen cum ciuilitate coniunctum: & experientiam, quam ducis militaris eſſe conuenit. Deniq;, per Iouem, & in caſtris aliquando verſatus ſit, & milites ipſos, ſeu cùm ad prælia exercentur, ſeu cũ re ipſa in aciem educuntur, conſpicatus ſit: præterea & arma norit, & machinas quaſdam, & quid ſit diductis cornibus, & quid exporrecta frõte inſtruere aciem: quomodo cohortes, & quomodo turmæ conſtituantur: vnde, & quid erumpere, & quid item circunducere equitem ſit, ſciat. Et in ſumma, neq; eorum quiſpiã ſit, qui domi deſidentes nuſquam foras ipſi progrediuntur: neque facilè credat iis, quæ ſolùm ab aliis narrari audiet. Maximè autẽ & ante omnia libero animo ſit, vt neque metuat quenquam, neque ab vllo ſperet quicquam: quoniam ſimilis hoc pacto foret malis iudicibus, qui vel ad gratiam, vel ad odium accepta mercede ſententiam ferunt. Quin neq; curet magnopere neque Philippum oculo ab Aſtere Amphipolitano iſto ſagittario priuatum circa Olynthum, ſed talem qualis re ipſa eſt ſpectãdum proponat: neque illi Alexãder grauiter ſe excruciet ob Cliti cædem crudeliter in ipſo conuiuio perpetratam, ſi planè ac manifeſtè coloribus ſuis depingẽdus ſit: neq; item Cleon illum perterrefaciat, eò quòd multum in concione potens ſit, & ſuggeſtum ſiue tribunal, quaſi poſſeſsionem ſuã detineat, quò minus hominẽ exitioſum & inſanũ hunc eſſe dicat: deniq; neq; tota Athenienſium ciuitas abſterreat illum, ne non vbi de cladibus in Sicilia acceptis hiſtoriam cõpoſuerit, omnia iſta commemoret, quo pacto & Demoſthenes captus fuerit, & Nicias mortem obierit, quomodo exercitus ſiti laborarit, & qualem aquã biberint, & vt inter bibendum plerique trucidati fuerint. Exiſtimabitur enim (id, quod iuſtiſsimũ eſt) ab iis, qui ſana mente præditi ſunt, non ipſe in culpa eſſe, ſi ea, quæ infeliciter, aut ſtultè geſta ſunt, ita vt geſta ſunt, narrabit. Nõ enim ipſe talia fingit, ſed verbis tãtùm indicat, atq; exponit. Quare etiam ſiue prælio nauali ſuperati fuerint, non ille tamen is eſt, qui eos ſubmergit: ſiue in fugã conuerſi fuerint, neque idem ille eſt, qui eos perſequitur: niſi ſi cùm optandum fuerat, ne quid tale eueniret, ille hoc intermiſit: quandoquidem ſi tacendo hæc, aut in diuerſum narrando, corrigi, aut emendari poſſent, facillimum fuerat Thucydidi, vno ac tenui calamo inuertere quidem Epipolarum munitiones, ſubmergere autem Hermocratis triremem, & execrabilem iſtum Gylippum confodere interea dum vias obſtruit, & foſſis intercludit. Denique & Syracuſanos in lapicidinas coniicere, Athenienſibus verò copiam facere tum Siciliam, tum Italiam cum prima illa Alcibiadis ſpe circunnauigandi. Verùm enim, opinor, ea quæ ſemel facta ſunt, neque Clotho reuoluet denuò, neque Atropos in diuerſum mutabit. Proinde hiſtorici opus vnum eſt, vt quæq; perinde ac facta ſunt, exponat. Hoc autem facere non poterit, donec vel Artaxerxem metuerit, medicus ipſius exiſtens, vel ſperat Cãdyn purpureum, & torquem aureum, & equum ex Niſæis illis aliquem ſe accepturum eſſe, mercedem videlicet laudum earum, quas ſcriptis inſeruiſſet. At neque Xenophõ illud faciet, iuſtus ſcriptor, neque Thucydides, ſed ſiue priuatim oderit quoſdam, multò magis neceſſarium putabit eſſe id, quod publicum eſt: veritatémque pluris faciet, quàm inimicitiam: ſiue etiam amauerit, tamen non parcet illi, quiſquis peccauerit. Vnum enim hoc, vt dixi, proprium hiſtoriæ eſt, ac ſoli immolandum veritati, ei, qui ad hiſtoriam ſcribẽdam accedet, cætera verò omnia poſtponenda. Et in ſumma, vlna vna & mẽſura certa eſt, aſpicere nõ ad præſentes auditores, ſed ad eos, qui in poſterũ in his ſcriptis legendis verſabuntur. At ſi quis continuò beneuolentiam, & fauorem captat, merito in parte adulatorum recẽſebitur, quos olim hiſtoria ſtatim ab initio auerſata eſt, non minùs quàm comẽdi artem Gymnaſtice. Alexandri igitur hoc quoque dictũ refertur: Libenter, inquit, in vitam pauliſper redirem, ò Thneſicrates, poſt mortem, vt cognoſcerem quo pacto hæc legerent homines, qui tum erunt. Nam ſi nunc ea laudant, & amplectuntur, mirum non eſt. putant enim nõ paruo illectamento, videlicet iſto quiſque ſibi beneuolentiam apud me conciliaturos

Titormus Aetolus quidã fuit corpore procero, & robore incredibili, qui & Milonẽ viribus ſuperauit. vide Cælium li. 23. cap. 36. Leotrophides verò, corpore tenui ac macilẽto fuit, vnde & prouerbium, Macilẽtior Leotrophide. huius & Suidas meminit.

Libertas hiſtorici.

De Epipolis, Hermocrate, & cæteris, Thucydides libro 6. & 7

Niſæi equi velocitate cõmendantur, à loco Perſidis Niſæa vocati. Suidas.

Alludit ad locũ Platonis in Gorgia, qui comendi artẽ Gymnaſticæ opponit inter adu-

latorias artes videlicet.

esse. Homero itaque quanquam fabulosa plurima de Achille scripserit, nonnulli tamen eò adducuntur vt illi iam & fidem adhibeant, vnum hoc argumẽtum ad demonstrationem veritatis magnum existimantes, quòd nõ de viuo illo scripsit. Non enim causam aliquam vident cuius gratia mẽtiretur. Talis igitur mihi sit historicus ille vt & metu careat, & nullis muneribus corrũpatur, & liber sit, & dicendi libertatẽ, ac veritatem amet, &, quemadmodum Comicus ille ait, ficus ficus, ligonem ligonem nominet: non odio, neque amicitiæ quicquam tribuens, non parcens, aut misereſcens, aut erubeſcens, aut exorari ſe facilè patiens: æqualis iudex, ac beneuolus omnibus, eò tamen vsque, dum ne alteri plus æquo aliquid tribuat: hospes in libris, ac peregrinus: suis legibus viuens: nullius imperio subiectus: non quid huic, aut illi placiturum sit, secũ cogitans, sed id, quod actum est, exponẽs. Thucydides igitur bene admodum lege hoc constituit, & virtutes, ac vitia historicorum inter se discreuit, qui cum videret Herodotum in summa admiratione esse, adeò vt & Musæ vocarentur ipsius libri, possessionem tamen ait se scribendo compositurum esse, quæ in perpetuum duret, potiùs quàm quæ ad præsens certamen comparetur: neque se id, quod fabulosum sit, amplexurum, sed veritatem rerum gestarum relicturum posteris esse: deinde & vtilitatem addit, & quem finem is qui recte sapit, historiæ statuere debeat, vt si quando etiam rursus similia quædam incidant, inquiens, ad hæc descripta respicientes, rebus ciuitatis rectè vti possint. Ac animo quidem & sententia tali præditus historicus ille mihi accedat: voce autem, & expositionis vi, vehementi illa quidem & aspera, & circuitionibus continua, deinde & aggressionibus flexa & rotunda. Præterea & reliqua oratoriæ facultatis grauitate non ita valde instructus, & acuminatus scripturam exordiatur, sed sedatior paulò & trãquillior sit. Ac sententiæ quidem inter se iunctæ ac sociatæ & densæ sint: dictio autem plana & ciuilis, quàm significãtissimè manifestans id cui adhibetur. Nam vt mentis scriptoris scopum hunc proponimus, libertatem dicendi videlicet, & veritatem, ita & voci eius vnus hic scopus & primus propositus sit, vt planè indicet, & quàm lucidissimè rem ipsam declaret, verbis neque obscuris, & extra communem vitam positis, neque etiam vulgaribus istis & tabernariis, sed ita vt & à plerisque intelligantur, & ab eruditis laudentur. Iã verò & figuris & exornationibus vtatur minimè molestis, miniméque affectatis: quoniã perinde vt ius aliquod orationem quoque rectè conditam exhibere debet. Ac sententia quidem etiam cum poetice communicet, eiúsque partem aliquam contingat, in quantum grandiloqua & in sublime elata etiam illa est, & maximè quoties aciebus & pugnis, & nauali bus præliis cõcurret. Opus enim tunc erit poetico quopiam vento, qui secundo flatu vela impleat, & sublimem, ac per summos fluctus nauem sublatam prouehat. At dictio tamen humi incedat, cum pulchritudine quidem ac magnitudine eorum, quę dicũtur, simul elata, & iisdem quàm maximè licet, assimilata, cæterùm neque peregrinitatem præ se ferens, neque intempestiuè exultans, quasi quodam furore concitata. Periculum enim est ipsi, ne, quod vel maximum est, prorsus de statu mentis emoueatur, & in Corybãtem istum poetices impingat. Quare maximè tum fidendum fræno est, & ratione vtẽdum: illud scientes, quòd & in verbis non mediocre malũ hippotyphia est. Proinde satius fuerit sententia tunc super equo incedente, expositionem seu dictionem humi iuxtà currere, ephippio adhærentem, vt ne à tergo relinquatur cursu præteruecta. At verò & compositione vocum temperata, ac media quadam vtendum est, ita vt neque nimiùm distrahantur ac dissocientur (nam hoc asperum foret) neque rursum numerosè omnia, id quod plerique student, continuẽtur. Alterum enim vitiosum, alterum autem auditoribus molestũ est. Ipsæ verò res non vt fortè sese offerunt, ita construendæ statim sunt, sed diligenter, ac laboriosè de iisdem sæpius etiam interrogare decet, ac maximè præsentem, & coràm intuentem. Quòd si autem hoc fieri nequeat, tum iis aduertere animum, qui syncerè & incorruptè magis narrare videbuntur, & quos putaueris minimum vel ad gratiam, vel odio detracturos aliquid, aut etiam addituros esse rebus gestis. Iámque etiam hic quispiam sit, qui & coniecturis colligere facilè, & quod probabilius fuerit, constituere possit. Ac posteaquàm iam omnia, aut etiam plurima collecta habuerit, principiò capita rerum, & quasi summarium aliquod contexat, delineétq; corpus quoddam rude & informe, & nullis adhuc articulis expressum. Posteà autem superaddito ordine, & formam inducat, & colorem dictione adhibeat, & singulis explicandis immoretur, & eadem numerositate quadam concinnet: & in summa, similem se tum gerat Homerico Ioui illi, qui nũc quidem equestrium Thracum terram aspicit, nunc autem rursum ad Mysorum terram oculos deflectit. Eodem enim pacto & ipse nunc quidem ad res Romanorum seorsim aspiciat, indicétque nobis quales eæ apparuerint ex alto intuenti sibi: nunc autem rursum ad res Persarum se conuertat: postea etiam vtrosque pariter contempletur, puta cùm inter se pugna congressi fuerint. Etiam in ipsa acie non ad vnam tantùm partem respiciat, neque ad vnũ aliquem equitem, aut peditem, nisi Brasidas quispiam fuerit, qui de naui prosiliat, aut Demosthenes, qui scalas rescindat, & ascensum in terrã prohibeat. Ac duces quidem primùm omnium intueatur, & si quid hortati fuerint, illud quoq; audiat, & quo modo, & qua sententia atque consilio aciem instruxerint, videat. Postquàm autem iam manus conserte fuerint, cõmunis vtriusque partis contemplatio sit, ac tum velut in trutina appendat, & examinet ea, quæ geruntur, simúlque & perse quatur fugientes, & fugiat cum cedentibus. At omnibus hisce modis quispiam adhibeatur, ne ad satietatem vsque, néve ineptè, néve etiam iueniliter progrediatur, sed cum facilitate quadam absoluat sese. Atque his hic alicubi subsistere iussis, ad illa trãsgrediatur, si festinat. Deinde

Hiſtoricus qualis eſſe debet.

Herodoti libri Muſæ inſcripti.

Quæ in verbis & compoſitione ſpectari debent.

Hippotyphiam Græci pro ingẽti faſtu, & nimia gloriæ affectatione accipiunt. Nã ἵππος in cõpoſitiõe auget, τύφος autẽ ſuperbiam & faſtum ſignificat.

Intelligit ea, quæ in oppugnatione Pyli acciderũt, de quibus Thucydides lib. 4.

de rurſum huc redeat, abſolutus atque paratus futurus quandocunque illa reuocauerint. Ac ad omnia feſtinet, & quatenus fieri poteſt, eadẽ tempora omnibus tribuat, tranſuolétque ex Armenia quidem in Medos, hinc autem curriculo vno in Iberiam, inde in Italiam, ita vt nullam occaſionem prætermittat. Præcipuè autem ſpeculo ſimilem animum gerat, liquido videlicet, ac ſplendido, & qui centrum accuratè impreſſum habeat, & qualeſcunque operum formas receperit, tales eaſdem etiam ſpectandas exhibeat: peruerſum autem & obtortum, aut colore diuerſum, aut ſpecie mutatum nihil reddat. Non enim perinde ac oratoribus ſcribunt, ſed ea quidem, quæ dici debent, ſunt, & mox dicentur: facta enim iam ſunt: cæterùm ordinare oportet, & exponere ipſa. Quare non quid dicant, quærendum ipſis eſt, ſed quomodo dicant. Prorſus autem putandum eſt, eum, qui hiſtoriam ſcribit, Phidiæ, aut Praxiteli, aut Alcameni, aut alteri cuipiam illorum ſimilem eſſe oportere. Non enim neque illi aurum, aut argentum, aut ebur, aut aliam materiam faciebant, ſed illa anteà præexiſtebat, & quaſi ad eã rem præparata erat, ſuppeditantes illam Eleis, aut Athenienſibus, aut Argiuis: illi verò fingebant tantùm, & ſecabant ebur, & poliebant, & cõglutinabant, & concinnabant, atq; auro incruſtabãt. Et hoc artis illorum erat, materiam videlicet cõmodè exædificare. Idem ferme igitur & hiſtorici opus eſt, vt videlicet ea quæ facta ſunt, bene ac rectè componat, & quàm fieri poteſt clariſsimè ſpectanda exhibeat. Ac quando is, qui ea ſic ſcripta recitari audiuit, putat ſe poſtea etiam videre, quæ dicta ſunt, atque inde ea laudat: tum demum opus hoc exactum & abſolutum erit, propriámque, ac veram laudem hiſtorico illi Phidiæ ſiue artifici ſuo retulit. Porrò omnibus iam ita adornatis, atque paratis, etiã abſque procœmio interim exordiri licebit, quando videlicet non admodum vrget, ac poſtulat ipſa res præoccupari quædam, & quaſi ad futurum opus præfatione aliqua præparari. Potentia verò, ſeu tacitè etiam tunc procœmio vtetur, indicante videlicet, ac manifeſtum faciente de quibus rebus dicendum ſit. Quando autem etiam apertè procœmio vtetur, à duabus rebus tantùm exordium ſumat, non vt Rhetores à tribus, ſed beneuolentiæ loco prætermiſſo, attentionem, & docilitatem pariat auditoribus. Aduertent enim ipſi animum, ſi oſtenderit quàm de magnis, aut neceſſariis, aut ad ipſos pertinentibus, aut vtilibus denique rebus dicturus ſit. Docilia autem, & plana poſteriora faciet, ſi cauſas præmittet, ac rerũ, quæ geſtæ ſunt, capita ac ſummas quaſdam præſcribet. Atque huiuſmodi procœmiis optimi hiſtoriarum ſcriptores vſi ſunt: vt Herodotus quidem, ne res geſtæ longinquitate temporis interirent, magnæ adoò, & admiratione dignæ, & præterea Græcorũ victorias, & Barbarorum clades declarantes, &c. Thucydides autem, quòd magnum etiam ipſe bellum illud futurum exiſtimaret, & memorabile maximè, & maius, quàm omnia ea, quæ antea geſta fuiſſent. Magnum autem procœmium erit, quando rebus æquale & conſonum erit, ſiue productum fuerit, ſiue abbreuiatum. Trãſitio verò ad narrationem mollis, ac placida ſit. Nam omnino omne reliquum corpus hiſtoriæ, longa quædam narratio eſt: quare & narrationis virtutibus exornari debet, leniter atque æqualiter procedens, atq; ipſa ſui ſimilis, ita vt neque extet alibi, neque hiatus, aut concauitates aliquas habeat. Deinde & perſpicuitas eluceat, dictione (quemadmodũ dixi) & complexione rerum adornata. Abſoluta enim & perfecta omnia faciet: & primo ad finem perducto, mox ſecundum inferet continuatum illi, & in morem catenæ coaptatum, vt neque pertuſum, aut interruptum ſit, neque narrationes plures mutuò ſibi adiacere videantur, ſed ſemper, quod primum eſt, ſecundo non modò vicinum, ac proximum ſit, verùm etiam cum eo communicet, & per extrema commiſceatur. Breuitas in omnibus vtilis eſt, & maximè ſi non inopia quædam fuerit rerum dicendarum. Et hanc ſuppeditari oportet, non tam à nominibus, ac verbis, quàm ex ipſis rebus. Dico autem, ſi præterueharis curſu ea quidem, quæ parua ſunt, & minùs neceſſaria, exponas autem, & explices copioſe ea, quæ ſunt magna. Imò verò & prætermittẽda multa. Neque enim ſi conuiuio accipias amicos, atque omnia apparata fuerint, ob hoc inter media bellaria, & auiculas, & patinas tam multas, & ſues feros, & leporina, & ſumina, velvuluas, ſaperdam quoque appones, & pulmentum, etiam ſi & illud apparatum & coctum habeas: ſed quæ viliora ſunt, miſſa facies. Maximè autem temperantia quædam adhibenda eſt in deſcriptionibus montium, aut murorum, aut fluuiorum, vt ne vim, ac poteſtatem verborum ineptè, ac præter rẽ oſtentare velle videaris, tuúmque ipſius negotium agere hiſtoria omiſſa, ſed modicè adhibitis illis, vtilitatis, & perſpicuitatis tantùm gratia, mox inde digrediaris, viſco ſeu glutino, quod in hac re eſt, atque vniuerſa tali guloſitate euitata: quemadmodũ & Homerus, vtpote magnanimus, fermè, vt vides, facit. Quanquã enim poeta eſt, prætercurrit tamen Tantalũ, & Ixionem, & Tityũ, & reliquos. At ſi Parthenius, aut Euphorion, aut Callimachus eadẽ tractaret, quã multis putas verſibus aquã aduſq; labia Tãtali adduxiſſet? Deinde quã multis idẽ Ixionẽ volutaſſet? Quin & Thucydides ipſe modicè hac orationis figura vſus, vide quàm mox ab eadem iterũ recedat, quoties videlicet aut machinamentum aliquod exponit, aut obſidionis ſpeciem, quæ neceſſaria, atq; vtilis ſit, declarat, aut etiam ciuitatum formas, aut Syracuſanum portũ deſcribit. Nam cùm peſtem illam narratione proſequitur, atque etiam longior eſſe videtur: tum ipſas res conſidera. cognoſces enim hoc pacto breuitatem, & vt fugiẽtem illum res geſtæ tum apprehendant, ac retineant, vt quæ multæ ſint. Quòd ſi quando autem & dicentem aliquem introducere opus erit, curandum eſt, vt maximè perſonæ decora, & rei cõuenientia, ac propria dicat, deinde vt quàm planiſsimè etiam hæc. Niſi quod tibi permittitur tunc rhetoricari quoq;, & oſtentare verborũ, & orationis grauitatem. Nam laudes quidem, aut

Procœmiũ hiſtoricum & cæteræ partes.

Modus in deſcriptionibus adhibendus.

repræhensiones omnino pareæ, & circunspectæ, & calumniis minimè obnoxiæ, præterea & cum demonstratione quadam, & breues, & non intempestiuæ texendæ sunt. Nam extra iudicium ac forum illi sunt, de quibus hæc dicũtur. Alioqui in eandem cum Theopompo culpam incurres, qui inuidiosè nimis accusat plurimos, & eam rem in studium, & exercitationem quandam vertit, vt accusare magis, quàm historiæ tradere res gestas videatur. Iam verò & fabula, si qua fortè incidat, dicenda quidem erit, non tamen credenda omnino, sed in medio relinquenda iis, qui quoquo modo volent, coniecturam de ea facturi sint. Tibi verò extra periculum sit, neque in hanc, vel in illam partem magis inclinet. In vniuersum autem illud memineris (sæpiùs autem idem dico) & non ad præsens solùm tempus respiciens scribas, vt ii, qui nunc sunt, te laudent, & honoribus afficiant, sed in omne æuum intentus illis potiùs, qui in posterum visuri sunt, historiam componas, atque ab illis mercedem scriptionis deposcas, vt dicatur & de te aliquando: Ille verò vir liber fuit, & ad dicendum fiducia plenus, nihil neque adulatorium, neque seruile, sed veritatem in omnibus secutus. Atque hoc, si quis modestè sapiat, ante omnes præsentium spes meritò ponat, breues adeò, ac momentaneas existentes. An non vides Gnidium illum architectum, cuiusmodi fecerit? Cùm enim extruxisset illam in Pharo turrim, maximum, atq; pulcherrimũ operum omnium, vt ex ea faces incensæ nauigantibus viam dirigerent in multum vsque maris, & ne deferrentur illi in Paretonium, locum omnino (vt aiũt) periculosum, & vnde non facilè redire, atque effugere licet, si quis intra angustias, ac septa illius delatus fuerit. Hoc igitur opus postquàm exædificasset, intus quidem in saxis suũ ipsius nomen inscripsit, supernè autem calce illita, atque ita priore inscriptione occultata, nomen eius, qui tũ regnauit, superinscripsit, ratus (id, quod & euênit postea) paruo admodum tempore futurum esse, vt literæ istæ foris inscriptæ, vnà cum calce illita reciderent, & euanescerent, appareret autem interior titulus, hic videlicet: Sostratus Dexiphanis filius, Gnidius, Diis seruatoribus, pro salute nauigantium, &c. Hoc pacto neque hic ad illud tempus, quod tum erat, neque ad vitam suam, quæ modica, ac breuis erat, respiciebat, sed ad hoc præsens, & in perpetuum, donec turris ea superstes futura est, ars quoque illius manebit. Oportet igitur & historiam eodem modo componi, cum veritate magis in futuram spem, quàm cum adulatione ad gratiam, & dulcedinem iis, qui eam in præsentia nunc laudant. Atque hæc tibi regula, & amussis historiæ iustæ. Qua quidem si qui examinando, ac perpendendo vtentur, bene res habet, & commodùm hæc à nobis scripta sunt: sin minùs, vo lutatum est in Cranio dolium.

De hac turri vide Strabonẽ libro 17. Fuit autem Paretonium locus paulò supra Alexandriam, versus Libyã, vt Plinius ait.

HISTORIAE VERAE LIBER PRIMVS.

ARGVMENTVM.

Vt suprà historiæ præcepta & regulas tradidit, ita in his duobus libris exẽplum eiusdem proponit, non quidem rerum verè gestarum, sed fictarum, simul vt formam aliquam operis, ceu videtur, proponeret, simul vt animos à rebus seriis auocatos, paulisper reficeret, & delectaret. Quid autem in his narrationibus potissimùm spectandum sit, nempe qua occasione, quóve consilio argumentum hoc tractarit, ipse in proœmio exponit.

MOS est athletarum, ac eorum qui summa diligentia corpus exercent, nõ modò bonæ habitudinis, ac exercitationis habere rationẽ, verùm etiam (quod magnam exercitationis vim habere arbitrantur) nonnunquam remissioni corporis acquiescere. Idem literarum studiosis fieri oportere censeo, vt cùm grauibus, ac seriis legẽdis defatigati fuerint, ad animi laxamentum aliquantisper declinent, donec ad futurum laborem robustiores, ac vegetiores efficiantur. Maximum verò ex hoc otio atque quiete fructum caperent, si talium rerum lectioni vacarent, quæ non modò tenuem, ac ieiunam, verùm neque rudem, neque inconcinnam speculationem præ se ferẽt, quale quiddam & de his scriptis censuros suspicor. Neque enim solùm materiæ nouitas, atq; festiuitas, neque id, quòd multa, ac varia mendacia verisimiliter, ac probabiliter confinguntur, eos ad legendũ alliciet, verùm id præcipuè, quòd omnis ferme narratio neminẽ ex antiquis, aut poetis, aut historicis, aut philosophis, qui monstrosa quædam, & fabulis similiora, quàm veris, literis mandarunt, sine morsu repræhensionis prætermisit. Quorum quidẽ omnium nomina subiecissem, nisi ea tibi ex ipsa lectione perspicua & manifesta fore intelligerem. Ctesias enim Ctesiochi filius Gnidius mira quædam de Indorum regione conscripsit, atque ea quidem, quæ neque ipse audiuerat, neq; ab alio qui vera narraret, accepe rat. Iambulus quoq; de his, quæ in mari magno sunt, multa præter fidem, ac opinionẽ hominum suis libris inseruit, omnibus quidem apertũ commentus mendacium, non tamen insuauis materiæ cõpositor. Multi præterea hos imitati in eadem ratione scribendi versati sunt, qui errores suos, ac peregrinationes, ac immẽsa belluarũ corpora, & feritates hominum, & inusitatos mores enarrarũt. Huius verò scurrilitatis artifex, & inuentor extitit Homericus ille Vlysses, qui apud Alcinoum ventorum seruitutẽ, & vnoculos cruentáq; vorantes homines, & multorum capitũ animalia, sociósq; meretricum veneficiis permutatos, multáq; monstris similia rudi Phæacum populo est emẽtitus. In quæ quidẽ cùm incidissem, non multùm sanè his ob mendaciũ succensebã, quum

Ctesias historicus.

Iambulus.

Vlysses Homericus.

quum hoc genus ſermonum ab his, qui ſe philoſophos eſſe profitentur, vſurpari viderem: illud verò non parum in eis admiratus ſum, ſi quum falſa dicerent, id alios latere exiſtimarent. Quapropter & ipſe præ rerum nouarũ ſtudio, volens poſteris aliquid relinquere, ne ſolus expers ſim libertatis in fabulis dicendis (nihil enim memoratu dignum, quod verè narrare poſſem, mihi contigerat) ad mendacium me tranſtuli, atq;, vt mea quidem fert opinio, multò tolerabilius, quàm ceteri. Nam quum hoc ipſum, quòd mentior, verè dicam, idcirco me aliorum repræhenſiones iure, ac meritò effugere exiſtimaui, quoniã nihil me veri narraturum polliceor. Ea igitur ſcribo, quæ neque ipſe vidi, neq; paſſus ſum, neq; ab aliis audiui, quæ præterea omnino non ſunt, neq; ab initio eſſe potuerunt. Quare, qui hæc legerit, nullã his fidem adhibeat, oportet.

Narrationis initium

Egreſſus olim ab Herculeis columnis, & in occidentalem Oceanum delatus, ſecundis quidem ventis nauigabam. Cauſa autem peregrinationis & argumentum, animi curioſitas, & nouarum rerum deſiderium, quódq; ſcire cupiebam qui ſit Oceani finis, quíq; homines vltra Oceanũ inhabitent. Huius igitur gratia cõmeatum & ſupellectilem multã impoſui, aquæq; quantũ ſatis erat, ac coætaneos quinquaginta eiuſdẽ animi mecũ adiunxi, & armorum copiam paraui, gubernatorémq; optimum magno pretio conducens, accepi in nauem. Erat autem nauis mediocris, ad magnam, ac violentam nauigationem robuſta. Die igitur & nocte ſecundè nauigãtes, terra adhuc apparente, non adeò multa vi agebamur. Sequenti die ſimul Sole oriente, vẽtus increuit, & fluctus intumuere, caligóq; ſuborta eſt, neq; iam demitti velum poterat. Cum vento igitur conuerſi, & cõmittentes nos ipſos tempeſtati, hyemauimus diebus nouem & ſeptuaginta. Octogeſima verò die, oriente iam ſole repentè cõſpicimus nõ longè inſulam ſublimem, & arboribus conſitã. Circa eam fluctus non aſperi frangebantur. etenim procellæ iam maxima pars quieuerat. Adeuntes igitur, & deſcendentes, vt ex multa maris moleſtia, ſuper terram ſtrati diu iacuimus. Tandẽ exurgentes, ex nobis ipſis quidem ſtatuimus trigin ta cuſtodes, qui naui adſtarẽt: viginti autẽ mecũ, qui aſcenderent, quæ in inſula erant, exploratũ. Progredientes igitur circiter ſtadiis tribus à mari per ſyluam, videmus columnã quandã æream, Græcis literis inſcriptam, caducis tamen, & conſumptis, quæ indicaret eò vſq; Herculẽ & Bacchum deueniſſe. Erant autẽ & propè veſtigia duo in ſaxo, vnum quidem inſtar iugeris magnũ, alterum autem minus: vt mihi quidẽ videretur Bacchi fuiſſe, quod minus erat, Herculis autẽ, quod maius. Venerantes igitur locum, proceſsimus. Nõ iam longè aberamus, quum ecce flumini adſtitimus vino fluenti, ſimillimo profectò illi, quod in Chio inſula naſcitur. Erat & fluxus inundãs, & multus, ita, vt alicubi nauibus eſſet trãſitus. Nobis ergo maior addita eſt fides, vt literis crederemus, quas antea ſculptas in columna videramus, animaduerſis ſignis de Bacchi peregrinatione. Cupiens tamen & fluminis initiũ inueſtigare, aſcendebam cõtra fluctum: & fontẽ quidẽ nullũ, multas tamẽ, ac magnas vites vuis onuſtas inuenimus. Earũ autẽ cuiuſq; è radicibus vinum ſcatebat lucens, quod in vnum cõfluens, flumen efficiebat. Videbamus & in eo piſces, & colore, & guſtu vino ſimiles. Nos igitur cùm cepiſſemus ex illis aliquot, ac voraſſemus, cõtinuò temulenti euaſimus: quos etiam præcidẽtes, fæce plenos inueniebamus. Deniq; re animaduerſa cõmiſcẽtes eos, qui ex aqua naſcũtur piſces, ac comedentes, vinalem vehementiam tẽperauimus. Tunc & flumen traiicientes, quà vadabile fuit, vitium portentoſam rem inuenimus. Nã truncus inferior, qui à terra ſurgebat, ferax erat, & craſſus, ſuperior autẽ mulieres erant, ab vtero ferè ſurſum perfecta omnia habẽtes. Talẽ apud nos Daphnẽ ſcribunt Apolline iam cõpræhendente in arborem verſam. A ſummis autem earũ digitis exoriebantur palmites vuis pleni. Quin & capitibus pro comis inerant clauiculi, & folia, & vuæ. Eæ ergo ad nos accedentes, ſalutabãt, & dextras protendebant, quædam quidem Lyda, quædã Indica, plurimæ Græca lingua loquentes: oréq; nos deoſculabantur: verùm, qui oſculum ſuſceperat, illico ebrius, ac nutabũdus reddebatur. Fructum autem decerpi non ſinebant, ſed eo euulſo, dolebant, & quidem cũ clamore. Gliſcebant autẽ vehementer nobis cõmiſceri, duóq; ex nobis cùm illis coiuiſſent, ab eis non ampliùs ſoluti, ſed ex pudendis connexi ſunt. Traxerunt enim repẽtè ex eadem ſpecie naturam, & conradicati manſere. Iam & ipſis palmites digiti emittebant, & clauiculis circumplexantibus vuæ plenæ erũpebãt. Derelinquẽtes igitur eas, in nauim confugimus, Et cùm conueniſſemus iis, qui ibi remanſerant, cum alia, tum & derelictorum comitũ cõmiſtionem cũ vitibus enarrauimus. Acceptis ergo amphoris aquas hauſimus, itẽ & è flumine vinum: ínque vicino litore noctem duximus. Mane autem ferebamur, & non violentis flatibus. Circa meridiem verò, non iam apparente inſula, repentè turbo factus eſt, qui nauem circunuoluens, & in ſublime eleuans ad ter mille ferè ſtadia, non iam in pelagus depoſuit, ſed ſublatam ſuſpendit, ingruénſq; velis ventus, & ſinu facto, deferebat carbaſum. Septem igitur dies, ac totidem noctes per aera decurrentes, octaua die inſpicimus terram quandam magnã in medio aeris, velut inſulam lucidam, & circularem, multa luce micantẽ. Ad hanc ergo delati, portúmq; ingreſsi deſcendimus. Explorãtes autem regionem, inuenimus eam habitatam, & cultam: & die quidem nihil vidimus, nocte autem apparebant & aliæ non procul inſulæ, quædam, vt videbantur, maiores, minores quædã, igni colore ſimiles. Erat & alia ſubtus terra, vrbes in ſe habens, & flumina, & maria, & ſyluas, & montes, quam hanc, quæ à nobis incolitur, imaginabamur. Volẽtes ergo vlterius procedere, comprænſi fuimus, in Equiuultures (ſic enim illos dicunt) incidentes. Hi autem Hippogypi homines ſunt, equorum loco vulturibus inſidentes. Magni etenim ſunt vultures, & vt plurimum tribus capitibus innixi. Hinc autem diſcat quis illorum magnitudinem. Malo

etenim onerariæ nauis vnaquæque ala maior, & robuſtior eſt. His igitur Equiuulturibus impera tum eſt circunuolantibus terram, ſi qui aduena inueniretur, ad regem agere. qui & nos compræ hendentes, ad regem duxere. Is verò vt inſpexit, ex ipſis, vt opinor, veſtibus coniecturam capiens, Græci certè, inquit, vos aduenæ. Aſſentientibus autem nobis, quomodo, inquit, aduenistis, tantũ aeris ſuperantes? Et nos illi omnem rem retulimus. Tum ille incipiẽs, nobis, quæ ſibi contigerant, narrabat, quòd videlicet homo
Endymion eſſet nomine Endymion, in noſtra ortus terra, raptúſque olim dormiens eò delatus fuerit, vbi & regioni imperaret. Eſſe autem terram illam dixit, quæ infrà à nobis luna videtur. Sed bono animo nos eſſe iuſsit, neque periculum vllum ſuſpicari. etenim, ait, cuncta vobis aderunt neceſſaria. Si autem vicero bellum, inquit, quod nunc ſolem incolentibus infero, omnium feliciſsimè apud me viuetis. Hinc nos interrogauimus, qui eſſent hoſtes, & quæ odiorum cauſæ. Tum ille,
Phaethon. Phaethon, inquit, eorum, qui in ſole ſunt, Rex (etenim ille etiam habitatur, quemadmodum & luna) multo iam aduerſum nos bellum gerit tempore. Cœpit autem ea, quam audietis, ratione. Ego olim pauperrimus quibuſque, qui in meo erant regno, collectis, volui coloniam in Lucifer um deducere, deſertũ tunc, & nullis habitatum: Phaethon autem inuidia ſtimulatus, tranſitum prohibuit, medio in itinere occurrens, Equiformicis aduectus. Tunc quidem victi (nõ enim apparatu æquales eramus) ſeceſsimus. Nunc autem iterum volo bellum inferre, & coloniam emandare. Quòd ſi vultis mecum communicare cum exercitu, ex regiis vulturibus dabo vnum vnicuique, & cæteram armaturam. Cras autem faciemus exitum. Ita, inquam, quandò tua hæc eſt ſententia, fiat. Tunc apud eos conuiuio excepti manſimus. Mane autem exurgentes ſtatuebamur in aciem. nuntiabant enim exploratores, hoſtes appropinquare. Magnitudo quidem exercitus centum millia erant, abſq; peditibus, & externis auxiliis, item abſq; impedimentis, & machinarum fabris. Horum autẽ octoginta millia Equiuultures erant: qui autem ab Lachanopteris ferebantur, viginti millia. Eſt autem ales hæc maxima, oleribus pennarum loco obſita. Qui verò ex his velociores erant, pennas habebant lactucæ foliis maximè ſimiles. Ibi verò & cum his Cenchroboli ordinati ſunt, & Scorodomachi. Aduenerũt & à ſeptẽtrione auxilia Pſyllotoxotæ quidẽ numero triginta millia, Anemodromi autem quinquaginta millia. Horum ſanè Pſyllotoxotæ magnarum pulicum ſeſſores ſunt, vnde & appellationem trahunt. Pulicum verò magnitudo, vt duodecim elephantes. Porrò Anemodromi pedeſtres quidem ſunt, feruntur autem vento abſq; alis per mediũ aera. Modus autem quo ferũtur, talis eſt: Subcingunt ſe talares tunicas, eáſq; vento ſinuantes, velorum in morem, ac velut naues aguntur. Hi in pugna ſcutis armati plurimum valent. Dicebantur autem aduentare ab his, quę ſupra Cappadociã ſunt, ſtellis, Struthobalani quidẽ numero ſeptuaginta millia. Equogrues quinquaginta millia. Hos ego non vidi, non enim venerant, quare neq; eorum naturas ſcribere aufim. Portentoſa quædam ac incredibilia, de his dicebantur. Et is quidem erat Endymionis exercitus. Omnium autem armatura eadem erat. Galea quidem è fabarũ ſpoliis. Magnæ autem apud illos fabæ, & duriſsimæ. Thoraces autẽ ſquamei omnes, & ſquamis quidem lupinis. Etenim lupinorum ſiliquas conſuentes thoracas faciunt. Sũt autem ſiliquæ ipſæ vt cornu duræ: ſcuta & enſes, quales Græcorum. Vbi verò occaſio data eſt, ſic in aciem deducti ſunt. In dextro quidem cornu Equiuultures, & rex optimos quoſq; circa ſe habens, cum quibus & nos eramus: in læuo verò Lachanopteri. Porrò inter vtrunq; auxilia, vt cuique magis placuit. Erat & peditatus myriadum ſex millium. Hunc ſtatuêre in aciem in hũc modum: Araneæ apud illos multæ, ac magnæ ſunt: nã Cycladibus inſulis vnaquæq; multò maior. Has iuſsit intexere medium aeris, quod à Luna in Luciferum diffunditur. Idque vt primùm perfecerunt, campus ſubſtratus apparuit, in quo peditatum ſtatuunt. Ducebat autẽ hunc Nycterion Eudianactis filius. Hoſtium autem læuũ quidem Equiformici, & in his medius Phaethon. Beſtiæ autem magnæ ſunt alatæ, híſque, quæ apud nos ſunt, formicis, præter magnitudinem non diſsimiles. Harum maxima duorum iugerum menſuram implet. Pugnabãt autem, non ſolùm qui deſuper inſidebant, ſed & ipſæ, cornibus maximé. Dicebant eſſe horum numerum penè quinquaginta millium. In eorum autem dextro Aerocurices ferè quinquaginta millia, ſagittarii omnes, magnis in culicibus inſidentes. Poſt hos autem Aerocordaces, expediti quidẽ illi, ac pedeſtres, verùm bellicoſi. Etenim procul raphanos iaculabantur maximos, percuſſũſque neque parum ſub ſiſtere poterat. moriebatur enim confeſtim vulnere quodam fœtore infecto. Nanque ſagittas maluæ veneno delibutas ferebãt. Hos iuxta Caulomycetes poſuerunt armis accinctos, & cõminus pugnantes, numero decem millia. Dicuntur autem Caulomycetes, quoniam ſcutis quidem fungeis vtũtur, haſtilibus verò aſparagorũ virgulis. Steterunt autẽ poſt hos & Cynobalani, quos ii miſerunt, qui Canem ſtellam inhabitant, quinquaginta millia numero: & hi viri non humanis ſed caninis vultibus ſuper alatas glandes pugnabant. Dicebant autem ab ipſis hoſtibus, & alia auxilia defeciſſe à lacteo orbe emittenda, iaculatores ſcilicet ac Nubecenaturi: ſed hi commiſſo iam prælio aduenerũt. quod vtinã nõ feciſſent. Qui verò funda vtebantur, omnino non aduenerunt: quare iratum Phaethonta tradunt omnem illorum regionem igne vaſtaſſe. Et is quidem Phaethontis exercitus erat. Poſtquàm verò ſigna erecta ſunt, & aſelli ruditu vndiq; conſtrepuere (nam his tubarum loco vtuntur) committentes prælium pugnabant: & Solariũm quidem læuum confeſtim fugit (neque enim ſuffere valuit inſtantes Equiuultures, nóſque inſequebamur cædentes) dextrum autem illorum cornu ſuperius euadebat, noſtro, quod in læuo erat, propulſato. Exeuntes autem Aeroculices inſequeban

Maluæ venenum.

quebantur vſque ad peditatum. Hinc auxilianti-
bus illis, defecerunt, è regione declinantes, ídq; maximè vbi ſenſerunt ſuos, qui in læuo fuerant, manifeſtè deuictos. Fuga verò inſigni facta, multi quidem capti, plurimi verò confecti occubue re, in ipſáſque nubes ſanguis multus defluebat, vt inficerentur, ac rubræ apparerent, quales apud nos videntur occidente Sole. Multus & in terrã decidit: vt cogitarem num tale aliquid olim eõ
Iliad. π. tigiſſet, quum Homerus ſuſpicatus fuerit Iouem in Sarpedonis morte ſanguineas guttas pluiſſe. Conuerſi autem à cæde, duo trophæa ſtatuimus, vnum quidẽ in aranearum telis, & pedeſtris pugnæ: alterum autem pugnæ in aere ſupra nubes. His iandudum exactis, nuntiatum eſt ab exploratoribus, Nubecentauros aduentare, & irrumpere, quos Phaethonti antea adueniſſe oportuerat. Iíque vbi aduenere, ſpectaculum præbuere inſolitum & inexpectatũ. homines erant alatis equis commiſti. Magnitudo quidem hominum quanta Rhodiorum Coloſsi à medietate ſurſum, equorum autem ſimilis validæ onerariæ nauis. Equidem eorum numerum non ſcripſi, ne cui incredibile hoc fiat. tantus erat. Ducebantur autem à Sagittario, qui eſt in Zodiaco. Vbi autem amicos deuictos ſenſere, ad Phaethontem quidẽ miſerunt, vt iterum rediret, ipſi autẽ in aciem ſtructi in Lunares turbatos irruunt, inordinatos quidem, ob eam, quam hoſtibus fecerant, fugam, & iam ſpolia diuidentes: omnémque noſtrorũ multitudinem in fugam vertũt. Ipſum autem regem inſequuntur vſque ad ciuitatem, atque ex illius aulibus conficiunt plurimas. Deiecerunt autem & trophæa, ac omnem aranearũ contextũ. Campum decurrerunt, méque ceperunt, & è comitibus duos. Iam autem & Phaethon aderat, & ſub illis alia trophæa ſtatuerunt. Nos autẽ ad Solem ipſo die ducebamur, aranex telæ fragmento manibus poſt tergum ligatis. Hi ciuitatem obſidere omnino noluerunt, conuerſi verò medium aeris vallauerunt, vt de cætero ſplendor à Sole ad Lunam minus perueniret. Vallum autẽ erat duplex nubeũ, vt Lunæ defectio manifeſta fieret, & iam continua nox cuncta teneret. Qua in re preſſus Endymion, mittens orauit, ædificiũ demolirentur, neque ſe paterentur in tenebris verſari. Promiſit autem & tributa perſoluere, ſéque auxiliarem, & amicum fore, neque in poſterum bellaturum. Inſuper & obſides offerebat. Phaethõ verò congregato bis concilio, primò quidem in ira perſtitit, poſtremò mutauit ſententiam, ac pacis conditiones acceptæ ſunt huiuſmodi: Fœdus inierunt Solarii, & horum ſocii cum Lunariis, eorúmq; ſociis, his legibus, vt intermurale deiciant Solarii, neq; poſthac Lunam inuadant: ſtatutóque pretio captiuos reddant: Lunarii autem dimittant ſtellas liberas, armáque poſthac Solaribus non inferant, viciſsim autem auxilientur, ſi quis inuaſerit: vectigalium verò conditionem pendat annuatim rex Lunariorum regi Solariorum amphoras roris decem millia, obſidéſque è ſuis det decies mille. Colonia in Luciferum cõmunis fiat, & ex vtriſque qui volet, participet. Sculpantur autem fœdera in columna electrina, erigantúrque in medio aeris in cõfiniis. Qui verò pepigere, ex Solarium quidẽ parte fuere Pyronides, & Therites, & Phlogius: Lunariũ autem Nyctor, & Menius, & Polylampes. Et talis quidem pax ſequuta eſt. confeſtim autem murus euerſus eſt, & captiuos reſtituère. Vbi autem ad Lunam ipſi regreſsi ſumus, obuiauerunt nobis ſocii, & cum lacrymis ſalutauerunt nos, & Endymion ipſe. Atqui ſuadebat is quidem, nos ibi ſecum maneremus, & in colonia communicaremus: ſe enim daturum filium in vxorem mihi pollicebatur ſuum, quẽ habebat. Nam apud eos mulieres nullæ ſunt. Ego autem haudquaquam parui, ſed petebam dimitti in mare. Qui vt perſuaderi non poſſe animaduertit, ſeptem diebus eõuiuio acceptos, tandem dimiſit. Quæ interea in Luna verſatus viderim, quæve noua, & inaudita cognouerim, dicam. Primùm quidem eos non generari ex mulieribus, ſed maribus. Nam maſculis nuptiis vtuntur: ſed nec quid ſit fœmina, omnino ſciunt. Nam ad quintũ & vigeſimum vſque annum omnes mulierum habentur loco, eo autem ſuprà non habentur, ſed habent. Concipiunt autem non in ventre, ſed in crurium poſteriori parte. Vbi enim fœtus conceptus eſt, tumet crus, & tandem ſuo tempore præcidẽtes educunt mortua: tum eadem ad vẽtum hiantia exponentes mulcent, & ad vitam excitant. Inde & mihi videtur ad Græcos illud gaſtrocnemiæ vocabulum deueniſſe, quòd apud illos ventris loco ſura concipit. Maius quiddam & his enarrabo. Genus hominum apud illos eſt, qui dicuntur arborei: ídque hoc modo naſcitur: Teſticulum hominis præcidentes, in terram plantantium more defodiunt. Inde autem exoritur arbor carnea maxima, vt phallus. Ramos quidẽ habet, & frondes, fructus verò cubitales glandes. Vbi autem eæ maturæ fuerint, decerptas cudunt, atque in homines effingunt. Pudenda autem habent appoſititia, quidam eburnea, pauperes autem lignea, quibus coeãt, & vxoribus miſceãtur. Poſtquàm autem ſenuerit aliquis, non moritur, ſed vt fumus ſolutus euaneſcit in aerem. Cibus eſt omnibus vnus: ſtructo etenim igne ranas aſſant ſuper prunas. Multæ apud illos ſunt ranæ per aera circunuolantes. His autem aſſatis circunfuſi velut ad mẽſam lambunt euaporatum ex illis fumum, ac veſcuntur. Et cibo quidem tali aluntur. Potus autem illis eſt aer expreſſus in calicem, liquorem ex ſe vt rorem reddens. Nõ égerunt autem, neque mingunt, neque perfoſsi ſunt ea parte, qua nos: ſed ne pueri quidem natibus rem obſcœnam præſtant, verùm poplitibus ſupra ſuram: nam illic perfoſsi ſunt. Pulcher apud illos habetur caluus, & ſine coma: comatos autem abominantur. Apud eos verò, qui cometas inhabitant ſtellas, comati contrà formoſi habẽtur. Aduenerunt enim quidam, qui nobis illorum mores narrauerunt. Barbam autem ad genua demittunt, & in pedibus vngues non habent, ſed vnodigiti ſunt omnes. In ſpeciem caudæ braſsica natibus cuiuſq; illorum innaſcitur prolixa, ſemper germinans, quæ & reſupino cadente non frangitur. Emungunt & mel amariſsimũ, qui ſi quando

vel labori inſudant, vel luctãtur, corpus lacte oblinunt, vt & caſeus ex eo coaguletur, melle paululum diſtillante. Oleum autẽ è cepis educunt, maximè pingue, ac redolens vt vnguentum. Vineas habent plurimas, & aquæ feraces: vuarũ autem acini ſunt, velut grando quæpiam: & mihi quidem videtur vbi vẽtus inciderit, vites illas quati, fractíſque vuis grandinem huc ad nos mitti. Ventre vt ſacculo vtuntur, in eum quantum cupiunt mittentes. Apertilis etenim vẽter eſt illis, & iterum clauſilis, neque in illo inteſtinum vllũ, aut hepar apparet, ſolùm autem denſus eſt intus, & pilis obſitus, ita vt & paruuli vbi frigent, in eũ ſubeant. Amictus autem diuitibus quidẽ vitreus & mollis, cęteris æreus cõtextus. Nã ea loca metallorum ſunt fœcũda, iidémque aqua macerata metalla vt lanam exercent. Quales autẽ habeãt oculos, omnino non auſim ſcribere, ne fortè me quis mentiri putet ob ſermonis abſurditatem: tamen & id quidem dicam. Oculos exemptiles habent, vt qui velit ſuos exemptos, ſeruet eos apud ſe donec illis ad viſum egeat: quos cum repoſuit, cernit. Et multi cùm fortè proprios perdiderint, ab aliis mutuantur, & vidẽt. Sunt & locupletes, qui plures habeant, occultos quidem & reconditos. Aures illis ſunt platani folia, præter eos, qui ex glandibus formantur. illi enim ſolùm ligneas habent aures. Cæterùm & miraculũ aliud in regia conſpicatus ſum: Speculum maximum ſupra puteum poſitum eſt, non adeò altum. In puteum ſi quis deſcẽderit, omnia audiet, quæ apud nos in terra dicũtur. Si verò ſpeculum intueris, omnes quidem vrbes, omnéſque gẽtes vides, nõ ſecus, ac ſi omnibus intereſſes. Tũc & ipſe meos vidi, & patriam omnem: an verò & illi me viderint, ſatis exploratum non habeo. Quod ſi fortè quis non credet hæc ita ſe habere, cum eò perueniet, ſciet me vera dixiſſe. Tunc ſalutato rege, & iis, qui circa illum erant, nauem aſcendentes ferebamur. Abeunti autem mihi dona dedit Endymion, veſtes quidem vitreas duas, æreas autem quinque, lupineámq; panopliã: quæ omnia poſtea in ceto amiſi. Miſit & nobiſcum Equiuultures mille, qui nos deducerent ſtadiis quingentis. Nauigãtes autem circa terram illam, prouincias quidem plurimas & alias prẽterlapſi ſumus, appulimus verò ad Luciferũ nuper inhabitatum: vbi deſcendentes, aquas hauſimus. Hinc Zodiacum introeuntes, ad lævam quidem Solem prætergrediebamur, circa illius terræ marginem nauigantes. Neque enim deſcendimus, & quidem ſociis id ſummè cupientibus. Erat enim ventus, qui nos à terra propelleret, quanquã videremus regionem fœcundam, ac pinguem, & irriguam, ac bonorum multorum plenam. Atqui Nubecẽtauri, hi videlicet, qui Phaethonti militabant, ſpeculati nos longè, ac delapſi volauerunt ad nauem: quúmq; ſocios eſſe didiciſſent, abiere: iam enim & Equiuultures diſceſſerãt. Nauigantes autem ſequenti nocte, ac die, circa veſperam peruenimus ad Lucernarum vrbem (ſic enim illam vocant) iam iter noſtrũ ad inferiora ſecantes. Hæc autem ciuitas medio inter Pleiadas, ac Hyadas ſtellas aere ſita eſt, Zodiacóque multò inferior.

Deſcendentes autem neminem quidem inuenimus, lucernas verò multas decurrentes, & in foro & ſecus portum deambulantes, nõnullas quidem paruas, &, vt ita dicam, egenas, ex magnis autem, ac potentibus paucas, & has valde illuſtres, ac nobiles. Domus illis & lychneones ſeorſum vnicuique erant, & hominum more appellabantur, & vocem emittentes audiebamus: neque noceebant, ſed potiùs ad diuertendum inuitabant. Nos tamen formidare, nec noſtrũ vel vnus apud illas cœnare, aut capere ſomnum eſt auſus. Palatium autẽ illis in media ciuitate extructum eſt, vbi per totam noctem earũ ſedet princeps, nomine vnamquanque compellans. Quæcunque verò non paret, condẽnatur ad mortem vt trãſfuga. mors autem eſt extingui. Aſtantes autem nos conſiderabamus quæ fiebant, ſimúlque lucernas reſpondentes audiebamus, cauſáſque quare abfuiſſent dicẽtes. Hîc & lucernam noſtrã agnoui, & allocutus, rogabã quomodo ſe haberent domeſtici noſtri. Ea autem mihi omnia enarrauit. & noctem quidem illam ibi manſimus. Sequenti verò die ſoluẽtes, ſecus nubes nauigabamus. Hic & Nephelococcygiam vidimus vrbem, videntéſque admirati ſumus: neque in eam deſcendimus. non enim permittebat aura. Imperat autem illis Coronus Cottyphionis filius. Tum ego Ariſtophanis poetæ recordatus ſum, hominis quidem ſapientis & veri, ac in his, quæ ſcripſit, fruſtrà non crediti. Tertia autẽ ab illa die, & Oceanum iam manifeſtè videbamus, terrã autem nuſquam, præter aerias illas, quæ iam ipſæ quidem igneæ & micantes mihi videbantur. Quarta autem die circa meridiem molliter aſpirante aura & ſubſidente, in mare deponimur. Vt verò aquã attigimus, mirè, ac ſupra modum læti fuimus, & omnibus prandium ex iis, quæ ſuppetebant, exhibuimus, & deſcendentes natabamus. erat enim tranquillum mare. Sed, vt videtur, ſæpenumero mutatio in melius, maiorum malorum conſueuit eſſe principium. Etenim nobis duos tantùm dies feliciter nauigãtibus, illucente tertia ad orientem Solem repentè belluas videmus, & cete cum multa alia, tum omnium maximum, & quingentorum & mille ſtadiorum magnitudine. adueniebat autem hians, & mare procul turbans, ſpumáque vndique circunfuſum. Dentes exerebat phallis noſtris multò longiores, acutos omnes vt pali, ac ebore candidiores. Nos igitur cùm poſtremum nobis mutuò vale dixiſſemus, & amplexi eſſemus, præſtolabamur: & cùm reſorberet, vnà cum naui ipſa nos deglutiuit. Non autem contigit in dentes offendere, ſed per eorum raritatem nauis delapſa intrò decidit. Vbi autem intus fuimus, primò quidem obſcurum erat, & videbamus prorſus nihil. Tãdem eo hiante, videmus cetum magnum vndequaque altum latúmque, & ciuitatis capacem, quæ vel decem hominum millia capere poſſit. Erant præterea paſsim & parui piſces, & alia quædam animalia conciſa multa, nauiúmque vela, & ancoræ, & hominum oſſa & onera. Circa medium verò & terra & colles erant, vt coniicio ex eo quẽ abſorpſerat limo, accumulati. Igitur & ſylua in his innata

Ariſtophanes in Auibus.

nata erat,& arbores omnigenæ,oleráq; accreuerant,ac cuncta cultis agris ſimilia:circuitus autẽ terræ ſtadia ducenta & quadraginta. Erat autem videre & marinas aues laros & alcyonas in arboribus nidificantes. Tunc verò plurimũ lacrymati ſuimus. Deniq; cũ erexiſſem comites,nauẽ ſulcimus,ipſiq; è ſilicibus excitantes ignẽ & accendentes,cœnam ex his quæ aderãt fecimus. Aderant enim omnigenũm piſcium carnes,aquámq; adhuc ex Lucifero etiã habebamus. Sequenti verò exurgentes die,ſiquãdo hiaſſet cetus,nonnunquam montes videbamus, quandoq; ſolum cælum,quandoq; inſulas:nam ſentiebamus eũ concitè ferri ad omnem pelagi partẽ. Poſtquam autem manſioni iam aſſueti eramus,accipiens è comitibus ſeptẽ, deambulabam per ſyluam,cuncta luſtrare ac explorare volens. Necdũ quinque ſtadiis totis digreſſus,inueni ſacellum quoddã Neptuni,quemamodũ teſtabatur inſcriptio:ac paulò pòſt & ſepulcra multa,& columnas deſuper,iuxtáq; fontem perſpicuæ aquæ: & canis etiam latratum audiuimus: longéq; apparebat fumus: & domum quampiã coniiciebamus. Feſtinãter igitur accedentes, offendimus ſenem & adoleſcentem ſedulè ac diligenter ſulcum quendã facientes,ac per eum aquam de fonte deriuantes. Læti ergo ſimul ac territi conſtitimus: illi verò idem & nobiſcum meritò paſsi,ſine voce ſtetere. Tandem verò aliquãdo,Qui vos eſtis aduenæ,inquit ſenex,num ex marinis eſtis diis,an infelices homines nobis ſimiles? Etenim nos homines,& in terra nutriti,marini nunc ſumus, fluctuamúſque hac bellua circunclusi,neq; quid de nobis ſit,ſatis nouimus. Mori quidẽ videmur,viuere tamen arbitramur. Ad hæc ego,Et nos,inquã,ô pater,adſumus hic homines aliunde profecti,ipſa cũ naui nuper abſorpti. Acceſsimus autem nũc volentes ſcire,quę in ſylua ſint,quomodo ſe habeãt. Multa enim nobis & denſa viſa eſt. Deus autem,vt videtur,nos duxit te vt videremus,ſciremúſq; nos in hac bellua incluſos eſſe non ſolos. Sed narra nobis tuam ipſius fortunam,quiſquis es,& vnde huc introieris. Is autem inquit:Non dicam,neq; quæ apud me ſunt,ſcietis,ni prius hoſpitio recepti,ex præſentibus bonis fruamini. ſimúlq; acceptos nos duxit in domum. Cum autẽ nobis olera & glandes appoſuiſſet,ac piſces,vinúmque infudiſſet,poſtquã ſaturi fuimus,rogabat quid nobis accidiſſet. Cui ego omnia vt ſeſe habebant enarraui,nimirum tempeſtatem illam,& quid in inſula cõtigiſſet,tum nauigationem in aere, atq; bellum,cum reliquis aliis,vſque ad id quod à ceto abſorpti fuerimus. Ille verò ſupra modum admiratus,& ipſe ex parte quid ſibi cõtigiſſet enarrabat,aiebátque: Genere quidem, hoſpites,ſum Cyprius. Egreſſus autem ad mercatum cum filio quem videtis, aliiſq; meis familiaribus multis,nauigabam in Italiam, naui quidem magna, ac variis mercibus onuſta,quam fortè in ore ceti diſſolutam vidiſtis. Igitur in Siciliam vſque feliciter nauigauimus: inde violento flatu ablati,poſt tertiam diem in oceanum delati fuimus, hic in cetum incidentes,& ipſa cum naui ac comitibus abſorpti, cæteris morientibus, duo nos euaſimus. Sepultis autem ſociis templum Neptuno ereximus, & eam,quam videtis,agimus vitã. Olera quidem ex horto legimus, veſcimur verò piſcibus ac glandibus. Multa autem, vt videtis, eſt ſylua,& ſanè vineas habet plures,è quibus nõ bis vinum exoritur dulciſsimum,fontémq; non minus optima quàm frigidiſsima aqua. Lectulũ autem ſubſternimus è frondibus, ignémque ſuccendimus copioſum,aduolantéſque volucres aucupamur, piſcamur & viuos piſces,ad belluę brãchias ſolicitatos, vbi abluimur ſi quando cupimus: etenim ſtagnum ſalſum eſt non procul,viginti ſtadiorum circuitu,quoduis piſcium genus continens,in quo & namus, & nauigamus parua in cymba, quam ipſe compegi. Annos autem à ceti abſorptu ſeptem & viginti numeramus: & alia quidem vtcunque ferre poſſemus:ſed incolæ & vicini moleſti vehementer ſunt & oneroſi, feríq; & agreſtes. Papæ,inquam ego,& alii etiam ſunt in ceto? Multi quidem, inquit, & inhumani, ac viſu deformes. Nam occidentalem & extremam ſyluæ partem Tarichanes inhabitant, gens oculis anguillinis, & facie Carabea, bellatrix, temeraria, ac mordax. Aliam, quæ ad dextrum eſt latus, Tritonomendites tenent, ſuperioribus quidem partibus hominibus ſimiles,inferioribus verò felibus:atqui aliis minus immites ſunt. Ad lævam verò Carcinochires,& Thynocephali,mutua inter ſe amicitia & fœdere iuncti. Mediterraneam deniq; Paguradæ ac Pſittopodes,genus bellicum, ac celerrimum. Quæ ad orientem,ad belluæ videlicet os vergunt,deſerta vt plurimum ſunt,& à mari ſtagnantia: tamen & hæc ego teneo,vectigal pendens Pſittopodibus, oſtrea quingenta. Hæc autem ſic ſe habet regio. Nos autem proſpicere oportet quomodo poſsimus tot cũ gentibus cõgredi,& quo iure viuere. Quot,inquã ego,omneshi? Plures,inquit,mille. Armis autem quibus vtuntur? Nullis,inquit,niſi piſcium oſsibus. Igitur,inquam ego,feliciter dimicabimus, ſi nos his bello cõgrediamur, vtpote nos armati cum inermibus. Si enim eos ſuperabimus, poſthac ſine timore viuemus. Quæ vt probauimus,abeuntes ad nauem accingebamur. Belli autem cauſa futura erat, quòd penſio non perſolueretur,iam pacti tempore imminente. Et illi quidẽ miſère tributa poſtulantes:is verò ſuperbè reſpondens,nuncios perſequutus eſt. Primi igitur Pſittopodes & Paguradæ Scintharo (ſic enim vocabatur) indignati,cum tumultu ingruebant. Nos verò aggreſſum præuidentes, ſtetimus armati,inſidias ſtatuẽtes hominũ quinque & viginti. Præceptum autem erat his qui ex inſidiis erant, vbi prætergreſſos hoſtes vidiſſent, inſurgerent: quod & fecere. Nam inſurgentes à tergo cædebant illos, nos verò & ipſi viginti quinque (ſiquidem Scintharus eiúſq; filius commilitabant) obuiauimus,committentéſque manum ira & viribus decernebamus. Denique conuerſos in fugam, ad ſuas vſq; latebras inſequuti ſumus. Cæſi autem ex hoſtibus ſunt nonaginta, è noſtris verò vnus, & gubernator, tergum triglæ coſta perfoſſus. Die igitur illa & nocte manſimus in prælio, trophæúmque ſtatuimus, arida

Delphini ſpina in ſublime erecta. Sequenti verò die aderant & alii, quæ facta fuerant ſentientes. Dextrum quidem cornu Tarichanes, quos & Pelamus ductitabat, læuũ Thynocephali, medium Carcinochires tenebant: nam Tritonomendetes quieſcebant, neutri parti addicti. Nos verò congreſsi apud Neptuni templum obuiauimus, manúmq; conſeruimus, multo clamore vſi. Reſonabat autem cetus, vt antra ſolent. His item in fugam verſis (erãt enim expediti vndiq;) & in ſyluam fugatis, ex illo terra potiti ſumus, neq; poſt multum præcone miſſo ſuſtulerunt ſuos in bello mortuos, fœdera & amicitias poſtulantes. Nobis verò de amicitia vel fœdere non eſt viſum, ſed poſtera die conuerſi in eos, funditus omnes cecidimus, præter Tritonomendetes. Siquidem hi vt videre quæ contigerant, dilapſi per ceti branchias, deſiliere in mare. Igitur prouinciã ingreſsi iam hoſtibus vacuam de cætero abſque timore habitabamus, palæſtris, aliiſque gymnaſiis plurimùm ac venationibus dediti. Quandoq; vineas exercebamus, aut ex arboribus poma legebamus, omnino his ſimiles, qui in maximo & ineuitabili carcere concluſi deliciis & voluptatibus indulgent. Annum autem & menſes octo ibi exegimus. Nono autem menſe, quinta die menſis, circa ſecundum oris hiatum (tunc enim id ſemel vnoquoq; anni tempore faciebat, ita vt nos coniectura aſſequeremur quatuor ea eſſe anni tempora) Ad ſecundum igitur, vt prædiximus, oris hiatum, confeſtim vocem ac tumultum audiebamus vt nautarum præcipientium ac remigantium. Turbati igitur ad ipſum beſtiæ os prorepſimus, ſtantéſque intra dentes, aſpiciebamus omnia, ſpectaculum, quod quidem viderim, inuſitatiſsimum: homines magnos dimidii ſtadii ſtatura, magnis inſulis non ſecus quàm triremibus nauigantes. Et quanquam ſciam me non veriſimilia narrare, dicam tamen. Inſulæ erant in longum quidem porrectæ, arduæ tamen, ſingulæ centum ſtadiorum ambitu, in quibus nauigabant ex viris illis circiter vigintiocto. Horum aliqui vtrinque inſulæ lateribus inſidentes ordine remigabant cupreſsis magnis ipſis cũ ramis ac frondibus tãquam remis. Ponè autem ad ipſam puppim, vt videbatur, gubernator vt in colle quodam ſublimi ſtabat, æreum regẽs gubernaculum, longitudine ſtadii vnius. Ad proram verò ex his armati circiter quadraginta pugnabant, hominibus, præter comam, omnino ſimiles. Ipſa enim coma ignis erat, & ardebat, vt galearum vſu non ſanè opus eſſet. Pro velis verò ventus in ſyluam incidens, quę plurima cuique inerat, ſinuabat inſulam, & deferebat quò gubernator ipſe cupiebat. Erant & in his præfecti ad remigium incitantes: ac oeyus mouebantur, quemadmodum longæ naues conſueuerunt. Primùm igitur duos videbamus aut tres, poſtremò autem ſexcenti apparuere, ſtantéſque ſeorſum committebant prælium, ac pugnabant. Multæ quidem inter ſe commiſſæ obtritæ ſunt, multæq; diſſolutæ ſubmerſæ ſunt. Aliæ connexæ certabant fortiter, neque facilè ab inuicem ſoluebantur. Qui autem ad proram conſtituti pugnabant, omnem oſtendebant induſtriam, cõſcendentes & cædentes: neminem autem viuum ceperunt: pro ferreis autem roſtris polypos magnos inuicem connexos iaciebant, qui & ſyluis complicati tenebant inſulas. Iaciebant etiam ac cædebant oſtreis, quorum vnum currum impleat: & ſpongiis iugereis. Hos autem ducebat Aeolocentaurus, illos Thalaſſopota. Pugnare autem ipſis, vt videbatur, contigit prædæ gratia. Etenim dicebatur Thalaſſopotes multos Aeolocentauri delphinorũ greges ſurripuiſſe, vt erat audire ex eo quòd ſibi inuicem expobrarẽt, & regum nomina conclamarent. Tandem vicerunt qui ab Aeolocentauro ſtabãt, & inſulas ſubmerſerunt cẽtum circiter & quadraginta, tréſq; ex ipſis vnà cũ hominibus ceperũt: cæteræ verò puppi colliſa fugerũt. Sanè hi paululum illos inſecuti, veſpere facto ad naufragia conuerſi, plurima obtinuere, ſuáq; recepere. etenim inſulæ nõ minus octoginta perierãt. Statuerunt autem trophæum inſularis pugnæ in capite ceti, vnam ex hoſtium inſulis ſuſpendentes. Nocte quidem illa circa beſtiam cõmorati ſunt, retinacula ad illã alligantes, & ancoris non procul iactis. Nam vtebantur ancoris magnis vitreis fortiſſimis. Poſtera autem die ſupra ceti tergum litantes, ſuóſque ibi tumulantes, abiere læti, & vt Pæana canentes. Hæc igitur in inſulari pugna geſta ſunt.

HISTORIAE VERAE

LIBER SECVNDVS.

INTEREA non iam amplius illum ferens in ceto victum, manſioníſque illius tædio affectus, quærebã quánã arte nobis pateret exitus. Et primùm quidem non inutile viſum, ad dextrũ latus fodere, pérque defoſſum foramen tentare fugam. Incipientes igitur pertundebamus. Vbi verò progreſsi ad quinque ſtadia effodimus, nihil profici entes ab opere deſtitimus. Tum ſyluam exurere viſum eſt, vt ſic cetus moreretur. quod ſi fieret facilè liceret egredi. Igitur ab extremitate incipientes comburebamus: & dies quidem ſeptem, ac totidem noctes calorem non ſenſit. Porrò octaua ac nona intelleximus illum ægrotare, quũ hiabat non ſolita cum vehementia, cum neque hiatum ſuſpendebat ac protrahebat, ſed confeſtim comprimebat. Decima autem & vndecima moriebatur, ac malè olebat. At duodecima vix ſenſimus perielitari nos, & in cadauere concludi, ni hiante ceto cuneos ſubmitteremus, quò fauces in poſterum non præcluderentur. Itaque maximis trabibus illius diuulſo ore, nauem parabamus, aquę plurimum inferentes, & ad neceſſitatem cætera: gubernator futurus erat Scintharus. Poſtera autem die iam ille mortuus erat. Nos verò attrahentes nauem, & per raritatem dentium educentes ac explicãtes, leniter in mare demiſimus. Aſcendentes autem in dorſum apud trophæum Neptuno immolauimus, ibíque

tribus

tribus diebus manſimus (erat enim tranquillitas) quarta verò nauigantes abſceſsimus. Hinc nos multis ex nauali pugna cadaueribus obuiauimus, & impegimus, vbi & corpora dimenſi mirabamur. Diebus autẽ quibuſdã nauigauimus multa aeris temperie vſi: tandẽ violento ſpirante Borea frigus magnum ſecutũ eſt, ab eóq; totum glacie adſtrictũ eſt pelagus, nõ modò in ſuperficie, ſed & in profundum & altè ad paſſus trecẽtos, vt deſcendentes ſuper glaciem curreremus. Quum autem ventus perſtaret, neque amplius ferre poſſemus, tale quiddam commenti ſumus. Qui verò in ea re conſilium dederat, erat Scintharus. Igitur in aquam antrum maximum fodientes, in eo latitauimus diebus triginta, ignémque accendebamus, ac veſcebamur piſcibus: ſiquidem fodiendo plurimos inueniebamus. Vbi verò commeatus defecit, egreſsi infixam nauem euulſimus, ac velum expandimus, trahebamúrq; vt nauigantes molliter ac leniter per glaciem delapſi. Quinta autem die tepore glacies ſoluebatur, iterúmque omnia in aquam ſoluta. Iam verò & circiter ſtadia trecenta nauigaueramus, quum ad inſulam delati, nõ adeò magnam, & eam deſertam, aquas hauſimus (iam enim defecerant) tauróſque ſyluestres ibi duos arcu confecimus. Ipſi autem tauri cornua non in fronte, ſed in ipſis habebant oculis, vt Momo placuit. Poſt paulum in pelagus deuenimus, non aqueum, ſed lacteum: & in eo inſula apparebat alba referta vitibus. Erat autem inſula caſeus maximus, vehementer coagulatus, quemadmodum poſtea comedentes didicimus. Eius autem circuitus ſtadiorum viginti quinque: & vites vuis ſcatebant, ex quibus lac, non vinum expreſsimus. Templum autem erat in media inſula Galateæ Nereidi ſacrum, ſicut oſtendebat epigramma. Quandiu igitur in inſula conſedimus, eſcam quidem nobis ac cibum terra ſuppeditauit: lac autem ex vuis expreſſum, potum. Regnare autem in regionibus illis dicebatur Tyro Salmonei filia, cùm è vita diſceſsiſſet, eo à Neptuno honore accepto. Exactis autem in inſula diebus quinque, ſexta egreſsi ſumus portũ, tranquillo quidem mari ab vndis, ac aura quadam impellente. Porrò octaua die nauigantes nõ amplius per lac, ſed in ſalſa ac cærulea aqua, videmus homines multos ſupra mare decurrentes, omnino nobis ſimiles & corporibus & magnitudine, præter ſolos pedes, ſiquidem hos ſuberinos habebant. Quare, vt exiſtimo, & Phellopodes appellati ſunt. Mirabamur autem cum videremus eos non demergi, ſed ſupra fluctus extare, intrepidéque incedere. Qui & accedentes, ſalutarunt nos Græca voce: dicebant autem ſe in Phello patriam ſuam properare. Comitabãtur autem aliquouſque nos præcurrentes, poſtea conuerſi ab itinere ibant, felicem nobis nauigationem comprecati. Poſt paululum verò & inſulæ multæ apparuere. Propè quidem à læua Phello, ad quam illi properabant, quę ciuitas ſuper magno ac rotundo ſubere habitabatur. Longè autem, & ad dextram magis, quinque maximæ inſulæ & altiſſimæ, vbi ignis accendebatur multus. Ad proram autem vna lata & humilis, diſtans ſtadiis non minus quingentis. Iam verò non procul aberamus, cùm mira quædam nos afflauit aura, dulcis, & odorifera, qualem hiſtoricus Herodotus à felice Arabia ſpirare dicit: nam qualis à roſis, narciſsis, hyacinthis, liliis, violis, myrto, vel lauro redolere cõſueuit, talis nobis odor aſpirauit, à quo deliniti, bonſque aliquid longis ex laboribus ſperantes, iam in inſulam propè adueneramus. Hic & portus videmus plurimos tranquillos, & magnos, nitentiáque flumina leniter in mare prorumpere, pratáque & ſyluas, & canoras aues, partim quidem per litora canentes, multas autem ſuper ramis. Aer autem lenis ac placidè ſpirans regioni circunfundebatur. Hinc ſuaues quædam auræ ſpirantes leniter ſyluam mouebant, vt ex motis ramis dulces & perpetui cantus ederentur, ſimiles iis, qui in locis deſertis obliquis fiſtulis reddi ſolent. Atqui audiebatur vox quædam promiſcua, non tumultuoſa, ſed qualis in conuiuio reddi poſſet, cum quidam fiſtula canunt, alii probant, alii ad fiſtulam aut citharam ſaltãt. His illecti deferebamur in portum: egreſſíque nauem, Scintharum in ea & ex ſociis duos dimiſimus. Procedentes autem per florẽs quoddam pratũ, in cuſtodes incidimus, ac miniſtros, qui nos roſeis vinculis vincientes (id enim apud eos maximum eſt vinculum) ad principem adduxere: à quibus & per viam intelleximus eam eſſe beatorum inſulam, regnaréque in ea Creticum Rhadamanthum: ad quem vbi adducti fuimus, ſtetimus in ordine iudicãdorum quarto loco. Erat autem prima cauſa de Aiace Telamonio, an illi in heroum numero eſſe liceat, an nõ. Accuſabatur autem, quòd furiis actus ſeipſum necaſſet. Denique multo priùs habito ſermone viſum eſt Rhadamantho, hauſto elleboro, ac demum reſipiſcentem, tradere eum Hippocrati Coo medico, indéque iam in heroum cõuiuium recipi. Secunda autem cauſa amoris erat, Theſei ſcilicet ac Menelai pro Helena certantium, vtri illa cohabitare debeat. Et Rhadamãthus quidem eam Menelao adiudicauit, qui cõiugii huius gratia tantis olim laboribus ſeſe obiecerit, periculíſque. Etenim Theſeo ipſi alias eſſe mulieres, Amazonẽ, ac Minois filias. Tertia verò de præeminentia inter Alexandrum Philippi filium, & Hannibalem Carthaginiẽſem: viſum eſt Alexandrum præcellere, eíq; ſedes poſita eſt apud Cyrum Perſem primum. In quartam autem cauſam nos adducti ſumus: & is quidem interrogauit, quídnam in cauſa eſſet quòd adhuc viui ad ſacrum illum locum deueniſſemus. Nos autem ex ordine cuncta illi enarrauimus. Tum nobis paululum è loco ſummotis, ſecum diu penſitabat, & de nobis communicabat cum aſſeſſoribus. Conſederant autem ei cùm alii multi, tum & Athenienſis Ariſtides, cognomento Iuſtus, cui vt placuit decreuit, vt daremus pœnas curioſitatis & peregrinationis, poſtquã moreremur. Nũc verò præſcripto tẽpore licere nobis in inſula apud heroas verſari, indéq; abire. Præſcripſit autem receſſus terminum, nõ amplius quàm menſium ſeptẽ. Hinc ſua ſponte defluentibus ſortis à nobis, ſoluebamur, ac in vrbẽ adducebamur, ad beatorum

Momus.

rum conuiuium. Ipſa autem ciuitas tota aurea, murus verò ſmaragdo lapide cingitur. Porrò portæ ſeptem ſunt, omnes ex integro ligno & amomo. Pauimentum verò ciuitatis, & quæ intra mœnia eſt, terra eburnea: omnium autẽ deorum templa, beryllo lapide conſtructa ſunt, & altaria in eis maxima, vno è ſimplici lapide Amethyſto cõſtant, in quibus & diis immolant. Circa ciuitatem verò fluuius defluit vnguẽto optimo: huiúſque latitudo regalium cubitorum centum: altitudo, vt commodè nare poſſes. Porrò ipſius balnea, domus magnæ ſunt vitreæ, cinnamomo ſuccenſæ. Atqui pro aqua ros tepidus in peluibus ſeruatur. Vtuntur autem veſtibus purpureis, tenuiſsimis aranearum telis. Hi corpora non habent, ſed & impalpabiles ſunt, & abſque carne. Formam autẽ & effigiem ſolam habent ac oſtendunt. Incorporei tamen cum ſint, ſtant, mouentur, intelligunt, vocémq; emittunt: omninóque videtur eorum anima nuda quædam circunuagari, corporis ſimilitudine circũdata. Si quis autem non tetigerit, non credet quod videtur non eſſe corpus. Sunt enim vt vmbræ rectæ, non nigræ. Seneſcit nemo, ſed ea ætate, qua ſe eò contulit, permanet. Denique hîc haudquaquam eſt nox, neq; dies admodum clara, ſed quale crepuſculũ eſſe ſolet, iam aurora apparente ante orientem ſolem: talis lux terram habet: quare & vnum ſolum anni tempus nouere. Semper enim apud eos ver eſt, vnúſque ventus ſpirat Zephyrus. At locus cunctis quidem floribus, omnibus manſuetis plantis & vmbroſis viret. Quæ illic ſunt vineæ, duodecies quotannis ferunt, & ſingulis menſibus vuas reddũt: mala verò granata ac malos, cæteráque poma terdecies ferre dicebant. Nam menſe, qui apud eos Minous appellatur, bis ferre fructum: pro frumento verò ſpicæ in ſummitate paratos panes emittunt, vt fungos. Fontes ſunt per ciuitatem, aquæ quidem quinque & ſexaginta ac trecenti: mellis verò alii totidem: vnguenti quingenti: verùm & hi minores ſunt: flumina lactis ſeptem, & vini octo. Conuiuium autem celebratur extra ciuitatem in campo qui Elyſius vocatur. Etenim pratum eſt pulcherrimum, & circa illud nemus omni arborum ſpẽcie conſitum, vmbram diſcumbentibus faciens: ſtratum autem ſubſternunt è floribus. Miniſtrant quidem ac cuncta afferunt venti, præterquam quòd vinum non miſcent: ſiquidem eo non indigent: nam circum conuiuium arbores ſunt vitreæ magnæ, è micante vitro: harum fructus pocula ſunt omni ſpecie operis, ac magnitudinis. Vbi autem quis ad conuiuium acceſſerit, vnum ex illis vel duo decerpta menſis apponit: ea confeſtim vino replentur. Pro ſertis verò, luſciniæ canoræque volucres cæteræ, flores è proximis pratis ore legentes, cum cantu eos ſuperuolant, aſpergúntque. Porrò vnguntur ad hunc modum: Denſæ nubes vnguentũ combibentes è fontibus ac flumine, ſupráque conuiuium ſparſæ, ſenſim exprimẽtibus ventis, tenuiſsimum quiddam velut rorem diſtillant. In cœna autem muſicæ & cantilenis vacant. Canũtur autem in primis Homeri verſus, qui & ipſe adeſt, & cum illis conuiuatur, ſupra Vlyſſem diſcumbens. Choreæ autem ſunt è pueris & virginibus: præſunt verò illis & concinunt Eunomus Locrus, & Arion Lesbius, & Anacreon, & Steſichorus: nam & hunc apud eos vidi, iam ipſi Helena reconciliata. Vbi autem ii quieuerunt, ſecundæ choreæ ſuccedunt è cygnis, philomenis, ac hirundinibus. Poſtquam & illæ canere cœperint, iam tota ſylua reſonat, præſidentibus ventis. Hoc autem maximum ad lætitiam habẽt, fontes duo ſunt circa cõuiuium, vnus quidẽ riſus, alter verò voluptatis. Ex horũ ambobus in initio conuiuii omnes bibunt, deinde de reliquum læti, ac ridentes exigunt. Volo & ex inſignibus viris, quos apud eos vidi, dicere. Omnes quidem ſemideos, & qui ſub Ilio militauere, præter Locrẽſem Aiacem: nam hunc ſolum dicebant in impiorum loco ſupplicio affici. Barbarorum autem vtrunque Cyrum, Scythámque Anacharſim, & Thracem Zamolxim, Numámq; Italicum, nécnon & Lacedæmonium Lycurgum, & Phocionem, & Tellum Athenienſes, & præter Periandrum ſapientes omnes. Vidi & Socratem Sophroniſci filium cum Neſtore & Palamede nugantem: circa quem Hyacinthus Lacedæmonius, & Theſpius Narciſſus, Hylas, aliſque formoſi. Videbatur autem Hyacinthum amare, ídq; multis argumentis. Ferebatur autem illi ſuccenſere Rhadamanthum, & ſæpenumero comminatum, ſi pergeret ineptire, ſe illum ex inſula eiecturum, aut niſi omiſſa ſimulatione conuiuaretur. Solus Plato non aderat, ſed conditam à ſe ciuitatẽ habitare dicebatur, vbi Repub. & legibus, quas tulerat, vteretur. Porrò Ariſtippus & Epicurus primi apud illos habebantur, cum hilares eſſent, & læti, compotoréſque ſuauiſsimi. Aderat & Phryx Aeſopus, quo homine pro morione vtuntur. Atqui Diogenes Sinopenſis tantum à priſtinis moribus degenerauerat, vt Laidem meretricem duceret vxorem, & ſubinde ſurgeret, ac temulentus ſaltaret, debaccharetúrq;. Stoicorum autem aderat nemo: nam adhuc illos rectum virtutis verticem aſcendere aiebant. Quin & id de Chryſippo audiuimus, illi nõ priùs fas eſſe vt inſulam ingrederetur, quàm iam quartò ſe elleboro purgaret. Academicos dicebant velle quidem venire, continere ſe tamen, & adhuc cõſiderare: neq; enim ſatis adhuc capere num vſquam talis inſula ſit, nécne. Verùm, vt coniicio, Rhadamanthi iudicium haud dubiè metuerunt, vtpote qui forum iudiciariũ ſuſtulerint. Quanquam non paucos ex illis excitatos fama erat, vt eos qui illuc præceſſerant, ſubſequerentur, verùm præpigritia defeciſſe, neque potuiſſe aſſequi, ſed è medio itinere rediiſſe. Hi igitur inter eos qui aderãt, erant maximè memorabiles. Enimuero Achillem, & poſt illum Theſeum in primis colunt. Quod verò ad coitum & Venerem pertinet, commiſcentur fœminis ſimul & maribus palàm, & ſpectantibus omnibus, ídque haudquaquam turpe arbitrantur. Solus verò Socrates deierabat ſe innocenter cum iuuenibus verſari, & quidem cum omnes illum peierare ſcirent. Siquidem Hyacinthus & Narciſſus fatebantur, ille autem negabat. Fœminæ ſunt omnibus communes, neque

Minous menſis.

Elyſius campus.

quiſquam

quiſquam vicino inuidet, ſed ſunt certè in hac re maximè Platonici. Pueri quoque volentibus ſe exhibent, nihil reluctantes. Vix autem duos aut tres totos dies veneram, cum accederem Homerum poetam: nam vtriq; otium erat: & cum alia multa, tum illud rogabam, cuias eſſet, dicens illud maximè apud nos ad hunc vſque diem eſſe in controuerſia. At ille ſe neſcire reſpondit. Nam quidam Chium, alii Smyrnæum, alii Colophonium eum arbitrantur, ipſe verò ſe Babylonium eſſe aiebat: ſiquidem à ciuibus ſuis non Homerum, ſed Tigranem vocatum fuiſſe: poſtea verò cùm apud Græcos obſidis officio functus eſſet, priſtinam appellationẽ mutaſſe. Rogabam præterea, num & ii verſus qui vulgò reiiciuntur, ab ſe conſcripti eſſent, nécne. Ille autem omnes ſuos eſſe aſſeuerabat. Ibi ego Zenodoti & Ariſtarchi grammatici frigidas ratiocinationes non potui non damnare. Vbi autem hæc abunde diſſeruit, iterum rogabam quamobrem ab ira, poematis ſui initium ſumpſerit. Sic enim, inquit, mihi in mentem venit, nihil ſtudio agenti. Tum & illud ſcire cupiebam, an, quod multi volunt, Odyſſeam Iliade priorem ſcripſiſſet. Ille verò negabat. Nam quòd cæcus non eſſet, quod & de eo affirmant, mox cognoui, videbam enim: quare non erat opus illum percontari. Quin idem aliàs ſæpe agebam, vbi illi vacare viderem. Cum autem illum adirem, rogarémque, ipſe contrà promptè ad omnia reſpondebat, maximè verò poſt cauſam quam vicit. Nam illum calumniæ Therſites accuſauerat, quòd ſe in poeſi conuiciis agitaſſet. Vicit autem Homerus cauſam, agente Vlyſſe. Aduênit & circa illa tẽpora Pythagoras Samius ſepties mutatus, qui in tot animalibus vixit, & animæ errores conſummauit. Erat autem eius dextra pars aurea: & viſum eſt vt communi cum illis Republica vteretur. Dubitabatur autẽ adhuc, vtrum Pythagoræ, an Euphorbi nomine appellandus eſſet. Empedocles verò (nam & ipſe venit ſemielixus, & toto corpore excoctus) non receptus eſt, quanquam id multis precibus poſtularet. Procedente autem tempore inſtabat certamen, quod apud illos Thanatuſia appellantur. Præfuit Achilles iam quintùm, Theſeus verò ſeptimúm. Porrò quid in totum actum ſit, longum eſſet commemorare: verùm ſummam ac capita rerum perſtringam. Lucta quidem vicit Carus, qui ab Hercule ſtabat, & pro corona cum Vlyſſe decertabat. Pugilum æqualis fuit pugna, Arii Aegyptii, qui Corinthi ſepultus eſt, & Epii, qui ſibi mutuò congreſſi erant. Nam apud eos Pancratii nullum præmium proponitur. Porrò quis curſu vicerit, non ſatis memini. Ex poetis, vt verè dicã, quanquam longè excelleret Homerus, vicit tamen Heſiodus. Præmia autem omnibus erat corona ex pauonum pennis cõtexta. At iam abſoluto certamine nuntiatum eſt, eos qui in impiorum loco plecterentur, ruptis vinculis, & ſuperata cuſtodia, in inſulam irrũpere: eorum duces eſſe Phalaridẽ Agrigentinũ, & Buſyridem Aegyptium, Diomedem Thracem, & Scironem, & Pityocãpten. Vt verò hæc animaduertit Rhadamanthus, ſtatuit heroes in aciem ſuper litus.

Thanatuſia.

Ducebat autem exercitum Theſeus & Achilles, & Aiax Telamonius iamiam ad ſe reuerſus. Commiſti ergo inter ſe pugnabãt, vicerúntq; heroes, Achille vel in primis rem ſtrenuè gerente. Fortiter ſe geſsit & Socrates in dextro cornu conſtitutus, multóque fortiùs, quàm quum adhuc apud Delium pugnaret. Nam ingruentibus hoſtibus haudquaquam fugit, ſed vultu intrepido conſtitit: quamobrem præmio donatus eſt, nimirum luculento & amplo horto, in quem conuocatis aliis differebat: quem locum Necracademiam appellauit. Compræhenſos igitur & colligatos eos qui victi fuerant, remiſerunt multo grauius puniendos. Eam autem pugnam ſcripſit & Homerus, & mihi abeunti libellos dedit ad noſtros homines deferendos. Verùm hos vnà cum reliquis poſtea amiſi. Erat poematis initium ferè in hunc modum: Nũc mihi Muſa refer pugnam heroum extinctorum. Cum igitur fabas coxiſſent, quemadmodum illis mos eſt, vbi bello rem præclarè geſſerint, Epinicia celebrarũt, & feſtum ſolenne egerunt. Solus Pythagoras à conuiuio illo abſtinuit, & ieiunus procul deſidebat, abominatus fabarum eſum. Iam verò menſibus ſex exactis, ſeptimóque ad medium deducto, res nouæ ac inſperatæ exortæ ſunt. Nã Cinyrus Scinthari filius iam grandis & formoſus, Helenam multo iam tempore deperibat: ipſa autem contrà manifeſtè adoleſcentem ad inſaniam vſque redamabat. Siquidem in conuiuio ſubinde alter alteri annuebat, & præbibebat: ſolíque ex cæteris ſurgentes in ſylua deerrabant. Tandem præ amore & impatientia conſilium cepit Cinyrus rapiendi Helenam. Illa verò hoc probabat, vt cederent, aç in vicinam quampiam ex inſulis proficiſcerentur, nimirum in Phello, aut Tyroeſſam. Addiderunt & huic conſilio cõiuratos è meis comitibus tres audaciſsimos. Nam hæc patri non indicauerat: ſciebat enim quòd ab illo acriter increparetur. Itaq; cùm ipſis opportunum viſum eſſet, facinus perpetrarunt. Vbi enim nox aduênit, (nam tum fortè nõ intereram, ſed in cõuiuio diſtertebam) illi clam aliis correpra Helena, maturè ſe proripuerunt. Menelaus autem cùm circa medium noctis excitatus torum vacuum ſenſiſſet, protinus clamore ſublato, & fratre ſecum accepto, ad regiam Rhadamanthi profectus eſt. Porrò illucescente die aiebant exploratores nauem procul diſtantem apparere. Itaque Rhadamanthus, cum quinquaginta heroes in nauem Aſphodelinã, & ex integro & ſolido ligno conſtructã, collocaſſet, iuſsit eos perſequerentur. At illi cùm magna alacritate remis incumberent, tandem circa meridiem eos deprehendũt, cum iam in lacteũ Oceanum ſubirent, haud procul à Tyroeſſa inſula: tantum enim aberant vt elaberentur. Cum igitur nauem roſea catena reuinxiſſent, reuerſi ſunt. Helena itaq; flebat & erubeſcebat, operiebatúrq;. Verùm Rhadamanthus habita priùs cũ Cinyro diligenti quæſtione, num & alii quipiã conſcii fuiſſent: poſtquam vllum fuiſſe negauit, vinctum hominem ex pudendis, & malua priùs bene cæſum, in impiorum locum amandauit. Decreuerunt & nos ante præſcriptum tempus ex inſula ablegare,

data

data vnius proximæ diei mora. Ibi ego grauiter ferre,& lacrymari, vtpote qui eiuſmodi felicitate relicta rurſus erraturus eſſem. At illi contrà conſolabantur me,quòd futurũ dicerent vt propediem ad ſe eſſem rediturus. Iámq; mihi in futurum ſedem & locum optimis quibuſq; vicinũ oſtendebant. Ego verò accedens Rhadamanthũ, obnixè orabam,vt quæ mihi futura eſſent, prædiceret,& de nauigatione certiorem redderet. Is autem me quidem in patriam rediturum reſpondit, verùm multis priùs erroribus & periculis exantlatis. Tempus autem quo eſſem rediturus, addere noluit,ſed oſtenſis vicinis inſulis, (apparebant autem numero quinque,& alia ſexta longius) hæ,inquit, adiacentes ſunt impiorum, in quibus vides ignis plurimum accenſum. Sexta autem illa ſomniorum eſt ciuitas. Poſt hanc & Calypſus eſt inſula, verùm nondum tibi adhuc apparet. Vbi verò has præternauigaueris, tũ deuenies in magnam illam continentem,quæ è regione eſt ei, quæ à nobis incolitur. Illic multa paſſus, multáſque gentes prætergreſſus, & inter Barbaros incultóſq; homines peregrinatus,tandem in alteram terram deuenies. Hæc vbi dixiſſet,euulſam è terra maluæ radicem mihi porrexit, iubens vt hanc adorarem cum in maximis periculis verſarer. Admonuit autem,ſi vnquam in hãc terram incolumis redirem, ignem gladio ne foderem, néve lupinis veſcerer, néve puero ſupra decẽ & octo annos nato congrederer:quorum ſi memor eſſem,bene ſperarem de reditu ad inſulam. Ibi demum quæ ad nauigationem pertinent, paraui: cúmque opportunum eſſet, cum illis cibum cepi: die deinde proxima accedens Homerum orabam vt mihi duorũ verſuum epigramma conderet. Quod vbi fecit,columna berylli lapidis erecta iuxta portum inſcripſi. Erat autem epigramma huiuſmodi:

Lucianus charus diuis hæc cuncta beatis
Vidit,& hinc iterum patrias remeauit ad oras.

Manens autem & diem illam, ſequenti proficiſcebar, deducentibus heroibus. Hic & Vlyſſes accedens neſciente Penelope,mihi literas dat in inſulam Ogygiam ad Calypſo ferendas. Miſit & mecum Rhadamanthus portitorem Nauplium, vt ſi ad inſulas appelleremus, nemo nobis manũ iniiiceret, velut iis qui ad mercatum quempiam alium nauigarent. Vbi verò progreſsi odoratum aerem præteriſſemus, continuò nos teterrimus neſcio quis odor excepit,velut bituminis & ſulphuris, picíſve, cum ſimul ardent. Nidor autem erat grauis,intolerabiliſque,velut ab exuſtis hominibus. Erat & aer obſcurus & caliginoſus, à quo diſtillabat ros quidam piceus. Quin & verberum ſtrepitus exaudiebatur, & multorum hominum eiulatus. Ad alias igitur non applicuimus:illa verò quam aſcendimus,talis erat:Tota in gyrum præceps eſt, & exuſta, cautibus & ſaxis aſpera. Arbor autem aut aqua ne inerat quidem. Irrepſimus tamen per præcipitia, & per ſpinoſam & aculeis plenam ſemitam euaſimus, tranſiuimúſque regionis tetram fœditatem. Procedentes autem ad carceres, & ſupplicii locum, primùm quidem loci naturam admirati ſumus. Siquidem vniuerſum ſolum gladiis & mucronibus efflorebat, circum quod fluuii duo decurrebant,vnus cœno, alter verò ſanguine,& itẽ alius intus igne, & quidem ingens & immenſus: fluebat autem velut aqua, & inſtar maris agitabatur. Habebat etiamnum & piſces permultos, quorum aliquot torribus erant ſimiles,nonnulli verò minuſculi carbonibus ignitis, quos Lychniſcos vocabant. Aditus autem vnus erat, & perquam anguſtus. Ianitor adſtabat Timon Athenienſis. Ingreſsi tamen duce Nauplio, videbamus eos,qui ſupplicio afficiebantur, inter quos reges & priuati erant plurimi,quorum etiã nonnullos agnouimus. Vidimus & Cinyrum fumo enecari, & à pudendis pendêre. Addebant & ductores ſingulorum vitas,& cauſas ob quas ſupplicio afficerẽtur. Maxima verò omnium pœna eis imminebat,qui in vita quippiã ementiti eſſent, neque veritatem literis mandaſſent: inter quos erat Cteſias ille Cnidius,& Herodotus,& alii nõ pauci. Hos ergo cum viderem, bono animo eſſe cœpi:nam nullius mẽdacii mihi conſcius eram. Itaque ad nauem maturè reuerſus, (neque enim tale ſpectaculum ferre amplius poteram) ſalutato Nauplio diſceſsi. Neque ita multum pòſt apparebat non procul ſomniorum inſula, obſcura illa, & vix viſu perſpicua. Habebat autem & ipſa ſomniis aliquid ſimile: cedebat enim accedentibus nobis,& ſubterfugiebat,ac longius ſe ſubducebat. Cum ergo tandem eam comprehendiſſemus,& in portũ,qui Somnus dicitur,delati eſſemus, prope eburneas portas, vbi ædes eſt Gallinaceo ſacra, ſub obſcuram veſperam deſcendimus: cúmque in portam progreſsi fuiſſemus, ſomnia multa variáq; videbamus. Verùm de ipſa ciuitate libet ante omnia cõmemorare,quoniam de ea nemo adhuc conſcripſit:ſolus autẽ Homerus eius meminit, non ita accuratè exactéq; deſcripſit. Circa hanc vndique circumiacet ſylua. Arbores autem ſunt papauera procera, & mandragoræ, in quibus magna vis veſpertilionũ ſedet. Sola enim hæc auis in ea inſula naſcitur. Flumen autem iuxtà præterlabitur,quod ab illis Nyctiporus appellatur. Sunt & fontes duo iuxta portas, quibus & nomen eſt vni quidem Negretus, alteri verò Pannychia. Ipſa autem ciuitatis mœnia alta ſunt, variáque, iridis colore ſimillima. Enimuero portæ ſunt,non duę,vt voluit Homerus, ſed quatuor. Nam duæ Mollitiei campum reſpiciunt,hæc quidem ferrea,illa verò teſta cõſtructa, per quas horrenda & ſæua immitiáque ſomnia emitti aiebant. Duæ verò alterę ad portum & mare,ex quibus quædã corneę erant,quędam,per quas tranſiuimus,eburneę. Ingreſsis autem ciuitatem ad dexteram eſt templum Noctis. Nã illam ex deis in primis colunt,&Gallinaceũ, cui iuxta portum ſacellum dedicatũ eſt. Ad ſiniſtram verò Somni regia. Is enim apud eos regnat, duobus à ſe ſatrapis & præfectis cõſtitutis, Taraxione Matæogenis, & Plutocle Phantaſionis filio. In medio autem foro fons eſt,quem Careotin appellant: delubra duo adiacent, Impoſturæ videlicet,& Veritatis:vbi & illorũ eſt adytum & oraculum, cui præfectus erat Antipho

ille

ille ſomniorum hiſtrio, hunc apud Somnum honorem ſortitus. Somniorum autem neq; natura neque forma eadem eſt. Nam quædam procera erant & formoſa, ſuauiáque: quædam verò breuia & deformia. Nonnulla etiam aurea, vt videbantur: ſordida item & abiecta nonnulla. Erant & inter illa alata aliquot, & monſtroſa, alia velut in pompam inſtructa, nimirum in Reges, aut Deos, aut aliquid eiuſmodi. Quin & ex illis non pauca agnouimus, vtpote ea quæ olim apud nos videramus. Quædam etiam nos accedebãt, ſalutabántq;, velut familiaria iam & domeſtica. Quæ cum nos excepiſſent, ac ſopiuiſſent, ſplendidè planè ac eleganter tractauerunt, apparato magnifico alio diuerſorio, pollicita reges aut ſatrapas ex nobis ſe factura. Nonnulla & in ſuam quemq; patriã abduxere, & domeſticos oſtendère, rurſuſq; eadem die reduxere. Diebus ergo triginta, & totidem noctibus dormiẽtes comeſſantéſq; apud ea manſimus. Hinc tonitru cũ ingenti fragore repentè edito excitati ac conſternati, ſaturi diſceſsimus. Inde poſt tertiam dieminOgygiã delati deſcẽdimus. Hic ego primùm reſignatis literis, quæ ſcripta erant legebã. Erant autem ferè huiuſmodi: VLYSSES CALYPSO S. Nolim te ignorare, quòd vbi primùm abs te diſceſsiſſem rate inſtaurata, poſtquam naufragium feciſſem, & vix à Leucothea in Phæacum regionem ſeruatus fuiſſem, à quibus domum remiſſus fui, me multos vxoris procos deprehendiſſe, qui rebus noſtris abuterẽtur ad voluptates ſuas: quos cum omnes confeciſſem, tandem ipſe à Telegono, quem ex Circe ſuſceperam, è medio ſublatus ſum. Nunc autem in beatorum ſum inſula, vehementer dolens ob relictã, qua apud te vſus ſum, conſuetudinem, & oblatam abs te mihi immortalitatem. Quòd ſi per occaſionem licebit, hinc arrepta fuga ad te veniam. Et hæc quidem quæ per literas ſignificabantur: de nobis præterea, vt hoſpitio exciperemur. Ego autem procedens paruper à mari, inueni antrum tale quale Homerus deſcripſit, ipſámq; lanificio dantem operam. Poſtquã verò literas accepit, admiſitq;, primùm quidem abundè fleuit, tum nos ad hoſpitium inuitauit, ſplendidéque excepit, interim de Vlyſſe multa ſciſcitata, & Penelope cuiuſmodi forma eſſet, num ita caſta eſſet, quemadmodum de ea Vlyſſes iactauerat. Nos autem ea quibus potiſsimùm eam delectari coniiciebamus, reſpõdimus. Digreſsi igitur ad nauem prope litus obdormiuimus. Mane autem ſoluimus vehementiùs vento inſurgente. Tandem poſt bidui tempeſtatem die tertia incidimus in Colocynthopiratas. Homines autem immanes ſunt hi, ferĩq;, qui ex vicinis inſulis nauigantes infeſtant. At verò naues magnas habent cucurbitinas, ſex cubitorum longitudine. Nam vbi exaruerint, excauata vna, & medulla illius egeſta nauigant: ſiquidem malis arundineis vtuntur, & pro velo, cucurbitæ folio. Impetu ergo in nos facto, duabus inſtructis claſſibus oppugnabãt, & è noſtris complures ſauciabant, vice lapidum cucurbitarum grana iaculati: vt plurimum enim comminus depugnabãt. Circa meridiẽ verò à tergo Colocynthopiratarum videmus adnauigare Caryonautas: erãt autẽ inter ſe hoſtes, vt poſtea declaráuerũt. Nam vt eos adeſſe ſenſerunt, nobis neglectis in eos conuerſi, nauibus conflictabantur. At nos interea ſublato velo, illiſque pugnantibus inter ſe relictis, cepimus fugam. Manifeſtò autem videbãtur ſuperiores futuri Caryonautæ, vtpote qui numeroſiores eſſent. Nam illis claſſes erant quinque, pugnabántq; nauibus aliquantò fortioribus. Siquidem naues habebãt corticeas, è putamine nucum per medium ſecto excauatóq;. Magnitudo autem putaminis cuiuſq; in longum decem & octo cubitos protendebatur. Vbi verò ab his ſubducti fuimus, eos, qui ſaucii fuerant, curauimus, & poſtea in armis ferè ſtetimus, ſemper inſidias quaſpiam ſubueriti, neque id quidem immeritó. Nondum enim occiderat ſol, cum ab inſula quadam deſerta circiter viginti viri delphinibus prægrãdibus inſidentes nobis adequitabant. Erant autem hi prædones, quos firmos ac ſtabiles ferebant Delphines, perinde ac equi ſubſultantes, & hinnientes. Cum autem iam propè adſtarent hinc atque hinc diuiſi, nos aridis ſepiis, & cancrorum oculis feriebant. Verùm cum nos ſagittaremus & iacularemur, nõ potuerunt ſubſiſtere, ſed magna parte eorum ſaucia, ad inſulam confugerunt. Circa mediam verò noctem cũ tranquillum eſſet mare, non aduertentes in Alcyonis nidum miræ magnitudinis incidimus. Erat enim eius circuitus ſtadiorum ſexaginta. Inſidebat autem illi Alcyon, fouebátque oua, nido haud multò maior: quæ cum auolaret, parum abfuit quin alarũ vento nauem ſubmergeret: fuga enim ſe proripuit, edita triſti quadam & lamentabili voce. Nos igitur iam die apparente videmus nidum ingenti naui ſimilem ex arboribus congeſtũ. Inerant autem & oua, quorum vnumquodque Chio dolio erat capacius. Atqui & pulli iam intus conſpiciebantur, & crocitabant. Cum igitur vnum ex ouis ſecuribus præcidiſſemus, pullum implumem viginti vulturibus ampliorem eduximus. Vbi verò propè ducentis ſtadiis à nido digreſsi fuimus, mira & inuſitata prodigia nobis obuenere. Nam qui in prora erat cheniſcus, ſubitò alas emiſit, & exclamauit. Porrò gubernator Scintharus cum iam caluus eſſet, capillos produxit, & quod eſt omnium inuſitatiſsimum, ipſe malus nauis germinauit, & ramos propagauit, atq; in vertice fructum edidit. Erant autem eius fructus fici, & vuæ permagnæ, necdũ ſatis maturæ. Hæc poſteaquàm vidimus, non iniuria turbati ſumus, deos precati vt portentoſam viſionem auerterent. Nondum autem quingentis ſtadiis proceſſeramus, cum videremus ſyluam magnã & frondoſam pinis & cupreſsis. Nos autẽ arbitrabamur continentẽ eſſe, verùm erat gurges, cui fundus nõ erat, arboribus quæ radices nõ haberent, totus conſitus. Ipſæ tamen arbores immobiles ſtabant ac erectæ, ac ſi ſupernatarent. Cũ ergo acceſsiſſemus propiùs, & totã rẽ animaduertiſſemus, dubitabamus quidnam fieri conueniret. Nam per arbores nauigare haud facile erat, quòd denſæ ac contiguæ eſſent: neque reuerti facile videbatur. Itaq; aſcendens in altiſsimam arborem, contemplabar quomodo

ſe haberent quæ ſequerentur, atque ſyluam videō ſupra quinquaginta ſtadia aut paulò pauciora porrectam, aliúmque vidi Oceanum ſuccedere. Tum ibi viſum eſt nobis nauem in arborum frondes, (erant enim denſæ) &, ſi fieri poſſet, in aliud mare transferre: quod & fecimus. Nam nauem magno fune colligauimus, ac in arbores conſcendimus, eámq; ægrè in altum eduximus: quam cum ſuper ramis demiſiſſemus, explicatis velis velut in mari vento impellente nauigabamus. Hic & mihi Antimachi poetę verſus in mẽtem venit. Nam & quodam loco ille ait:

Antimachus. Iis qui ſyluoſum tentant per cærula curſum.

Superata tamen aliquando ſylua ad aquam deuenimus, vbi demiſſa naui per puram & limpidam aquam nauigabamus, donec ad hiatum quẽdam magnum, qui aqua hinc atq; hinc diuiſa contigerat, peruenimus, quemadmodum in terra à terræ motu nonnunquam voragines fieri videmus. Nauis autem mox detractis velis facilè conſtitit, quanquam parum abfuit quin in præceps delaberetur. At nos proſpicientes videmus voraginem perquam horrendam & incredibilem, ad mille ferè ſtadia patere. Nam aqua velut vtrinq; diuiſa ſtabat. Circunſpiciẽtes autem ad dextram videmus procul pontem extructum, aqua duo maria iungente, quantum ad ſuperficiem attinet, & ex alio mare in aliud defluente. Incumbentes igitur remis ad illud delati ſumus, ac multo labore præter ſpem traiecimus. Hinc nos ſuſcepit mare placidum ac mite, inſuláq; non magna, ad quam facilis erat acceſſus. Hanc autem incolebant Bucephali homines feri ac agreſtes, cornutíque, cuiuſmodi apud nos Minotaurum fabulantur fuiſſe. Deſcendentes igitur ibamus aquatum, & ſi vſquam fieri poſſet, commeatum comparaturi: iam enim nobis defecerat. Et aquas quidem illic non procul inuenimus, & præterea nihil apparebat, niſi fortaſſe quòd mugitus creber non longè exaudiebatur. Arbitrati igitur boum eſſe gregem, paululum procedentes in homines incidimus. At illi vbi nos viderunt, mox inſectati ſunt, & tres è comitum numero ceperũt, reliqui verò ad mare confugimus. Hinc nos vnà omnes armis inſtructi (neq; enim ſocios inultos negligere cõſilium erat) irruimus in Bucephalos, qui iam interfectorum carnes inter ſe diuidebant. Terrefactos igitur ad vnum perſequuti ſumus, & circiter quinquaginta interfecimus, captis ex illis duobus viuis: ac iterum reuerſi ſumus, captiuos nobiſcum trahẽtes. Porrò commeatus nihil offendimus: quare nonnulli ſuadebant vt captiui iugularentur: at mihi non probabatur, verùm vinctos ſeruaui, donec legati à Bucephalis repeterent, redimerẽntque captiuos. Intelligebamus autem eos ex nutibus, & triſti quodam mugitu quem edebant velut ſupplicãtes. Erat autem redemptionis pretium, multi caſei, & ſicci piſces, & cepe cum ceruis quatuor, quorum vnicuique tres duntaxat eſſent pedes: duo quidem in parte poſteriore: nam qui in anteriore erant, in vnum concreuerant. His conditionibus redditis captiuis, vnum tantùm diem commorati, receſsimus. Iam inde nobis piſces apparebant, & aues præteruolabant: & eiuſmodi alia quæ terræ vicinæ ſigna ſolent eſſe, occurrebant. Neq; verò multò pòſt homines vidimus, qui nouo & inſolito more arte nautica vterentur. Ipſi enim ſimul & nautæ & naues erant. Libet autem nauigationis modum indicare. Reſupinati ſuper aquam iacebãt, erectis in altũ pudendis: nam illa grandia ferunt: ex illis linteum extendebant, & manibus pedem tenebãt, ac incidente vento nauigabant. Poſt hos & alii ſuberibus inſidẽtes, iunctis duobus delphinis remigabant equitabántque, alii præcedentes ſubera trahebant. Hi nulla nos iniuria affecere, neq; fugerunt, ſed intrepidè & pacatè vehebantur, nauis noſtræ figuram admirati, & vndiq; circunſpectãtes. Sub veſperam autem appulimus ad inſulam non admodum magnam, quę, vt arbitrabamur, à mulieribus Græca lingua loquentibus habitabatur. Nam nos acceſſerunt, & exceperũt, ſalutarúntq;, meretriciè admodum comptæ ornatæque, ac formoſę omnes & iuuenculæ, talares tunicas ſecum trahentes. Inſulæ quidem nomen erat Cabaluſa, ciuitatis verò Hydamardia. Suſceperunt itaque nos mulieres, & ſecum quemque ſingulæ abduxerunt, ac hoſpitem fecerunt. Ego verò cunctabũdus ſubſtiti: nihil enim fauſti omi nabar: circunſpiciénſque diligentiùs, video multorum hominum oſſa & caluas paſsim iacere. Vt autem clamorem ſuſcitarem, & ſocios conuocarem, ac ad arma profilirem, non placuit: verùm accepta in manus malua, enixè orabam eam, vt ex præſentibus malis euaderẽ: ac paulò pòſt cum miniſtraret hoſpita, vidi non mulieris crura, ſed vngulas aſini. Ibi mox & eam educto gladio corripio, & vinctam de omnibus interrogo. Illa autem, etſi inuita, faſſa eſt tamẽ ſe mulieres eſſe marinas, quæ Onoſceleæ appellantur, veſcíque peregrinis hoſpitibus. Vbi enim, inquit, eos iam temulentos reddidimus, illis concumbentes, dormientes inuadimus. Hæc poſtquã audiſſem ego, illam quidẽ vinctam reliqui, verùm ſupra tectum aſcendi ipſe, & vociferabar, comitéſq; conuocabam. Qui vbi conueniſſent, illis totam rem indicabam, & oſſa oſtendebam, atq; intrò ad vinctam ducebam. At illa protinus in aquam verſa eſt, & euanuit: ego verò experiri volens, gladium in aquam condidi, illáque mox ſanguis effecta eſt. Ocyus igitur nauem repetentes abnauigauimus. Hinc poſtquàm illuxit dies, conſpecta terra, conieçimus eſſe eam, quæ noſtro orbi oppoſita eſt. Procidentes itaq;, atque precati, quid eſſet futurum diſpiciebamus. Quibuſdam autem placebat aſcendere duntaxat, & rurſum redire: aliis verò illic relicta naui, ad terræ meditullium proficiſci exploratum incolas. Interea cum hæc cogitaremus, oborta vehemens tempeſtas, nauem litori impactam cõminuit. Nos verò ægrè enatauimus, armis, & quod quiſque poterat, ſecum correptis. Hæc autem & huiuſmodi fuere, quę mihi, donec ad alteram terram venirem, contigere: nimirum quæ in mari, & inter nauigandum, in inſulis, & in aere, & quæ poſtea in ceto, & cũ ab illo exiſſemus, quę apud Heroes & Somnia, poſtremò quæ apud Bucephalos, & Onoſceleas: cętera autẽ quę in terra acciderunt, ſequentibus libris enarrabo.

TYRANN

TYRANNICIDA,

Eraſmo Roterod. Interprete.

ARGVMENTVM.

Quod ad argumentum declamationis attinet, infrà ab ipſo authore ponitur. Cæterùm genus orationis iudiciale eſt, ſtatus qualitatis. De eo enim potiſſimùm quæritur, dignúſne ſit præmio Tyrannicidæ, qui filium tyranni occidit, an non. Incidit tamen legalis quoque. Nam & de eo qui tyrannicida vocandus ſit, & de legis ſententia diſputatur. Exordiũ attentione & docilitate comparanda fermè conſumitur, dum & ſummam petitionis & rei magnitudinem pariter ac nouitatem exponit. Niſi quòd interim & beneuolentiam ſibi ex merito facti, & aduerſario ex ſuſpicione inuidiã parat. Narratione grauitatem atque ſæuitiam tyrannidis primùm perſequitur, eiúſq; omnem cauſam in filium tyranni transfert, vt videatur videlicet certo conſilio filium ante patrem aggreſſus eſſe: déinde & modum peractæ cædis & conſiliũ ſuum exponit. Hinc propoſitio ſiue petitio ſequitur: poſt quam confirmatio, in qua principiò petitionem ſuam commendat amplificatione euentus, & bonorũ quæ ex hoc facto ſecuta ſint, cum aduerſarij obiectione comparata. Déinde verbis legis opponit definitionẽ tyrannicidæ, à genere comprobatam, puta quòd nõ ſolùm is qui ſua manu & gladio tyrannum occidit, hoc nomine dicendus ſit, ſed etiam qui per alium, & quocunq; modo illum tollit. Poſtea etiam à fine legis argumentatur contra ſcriptum. Vltimò locum quem Rhetores à ſummo ad imum vocant, ſiue etiam communẽ, tractat: in quo cõſilium, ſiue voluntas, conatus, actio, eáq; per comparationem, aut efficionem amplificata. Poſtremò & euentus conſiderãtur. Peroratio autem locis patheticis conſtat: nam ipſe quidem pro ſe affectus mouet à modo & inſtrumento actionis: à tyranni autem perſona, hypotypoſi quadam ſeu deſcriptione dictorum ac factorũ illius. Ad finem propoſitionem repetit, & ſui beneficij veluti memoriam quandam in auribus auditorum relinquit.

Exordium quo dociles & attentos facit.

QVVM duos eodem die tyrannos occiderim, Iudices, alterum quidẽ ætate iam affecta, alterum æuo florentem, & ad ſcelerũ ſucceſsionem capeſſendã paratum: vnicum tamen pro ambobus præmiũ petitũ venio, qui quidem vnus omnium quotquot vnquam tyrannicidæ fuerunt, vnico vulnere duos maleficos fuerim amolitus, necíq; dederim, filium videlicet enſe, patrem indulgẽti charitate, qua filium adamabat. Itaq; tyrannus pro his quæ commiſit, abundè magnas pœnas nobis dependit: quippe qui & viuus aſpexerit filium priùs morte ſublatum, &, quod eſt omniũ maximè nouum, compulſus ſit deniq; ipſe ſui tyrannicida fieri. At filius illius mea quidẽ manu peremptus eſt, cæterùm occiſus alteram ad cædem operam mihi ſuam cõmodauit, dum qui viuo patri ſcelerum ſocius fuerat, eiuſdem poſt mortẽ (quatenus licuit) extitit parricida. Ego itaq; ſum is qui tyrannidem ſuſtuli, paritérq; mecum gladius, quo cuncta confecta ſunt, meus: tametſi cædis ordinem commutarim, ac morem modúmq; nouarim conficiendi ſceleratos: nempe hũc qui valẽtior erat, ac ſeſe defendere poterat, ipſe perimens, porrò ſenem ſoli gladio reſeruans. His igitur de cauſis & amplius quiddã à vobis me conſequuturum arbitrabar, præmiáq; laturũ, quæ numero æquarẽt eos qui eſſent interempti: vtpote qui nõ præſentibus modò malis vos leuarim, verùm etiã futurorũ formidine: quíq; ſtabilẽ pepererim libertatẽ, nullo relicto qui ſcelerũ capeſſat ſucceſsionẽ. Verùm interim tantis rebus ſtrenuè peractis, in diſcrimen adducor, ne præmio fraudatus à vobis diſcedam, ac ne ſolus non feram mercedẽ, quam leges à me ſeruatę præſtituunt. At qui cõtrà dicit, is mihi videtur nõ Reip. ſtudio (quemadmodum ait) hoc facere, ſed quòd extinctos eſſe illos grauiter ferat, atque eum qui illis mortis author extitit, vlciſci conetur. Vos igitur Iudices mihi pauliſper attendite, dum tyrannidis mala, tametſi ipſi optimè noſtis, cõmemoro. Siquidem hoc pacto futurum eſt vt & beneficii mei magnitudinẽ intelligatis, & ipſi plus capiatis voluptatis, reputantes nimirum quibus ſitis leuati malis. Neq; enim quemadmodum aliis quibuſdã ſæpenumero accidit, itidem & nos ſimplicem tyrannidem, atque vnicam ſeruitutẽ ſuſtinebamus, nec vnius domini violẽtiam tolerabamus: verùm ſoli omniũ, quos ſimilis habuit calamitas, duos pro vno tyrannos habebamus, & in geminas contumelias diſtrahebamur infelices. Porrò ſenex multò erat moderatior, quippe ad iras lentior, ad ſupplicia ſegnior, & ad cupiditates tardior, vtpote cui iam ætas vehementiam impetus cohiberet, voluptatúmq; cupiditates refrænaret. Quin ad ſuſcipienda maleficia filii inſtinctu nolẽs impelli ferebatur, ipſe alioqui non admodum tyrãnicus, niſi quòd illi morem gerebat. Siquidem indulgens in filiũ ſupra quã credi queat, erat: id quod re declarauit, ita vt filius illi eſſet omnia. Illi parebat: per vim facie bat quicquid ille iuſſerat: ſupplicio afficiebat quoſcunq; præceperat, ac prorſus in ómnibus illi obſequundabat. In ſumma, filius in patrem tyrannum quendam agebat, pater filii cupiditatũ ſatelles erat. Tametſi huic propter ætatem honorem cedebat adoleſcens, ſolóq; imperii nomine temperabat, tamen res & caput tyrannidis erat ipſe. Et quanquam tutamentũ præſidiúmq; principatui ab illo mutuaretur, ſcelerũ tamen emolumentis ſolus fruebatur. Ille erat qui ſatellites continebat, qui cuſtodias obtinebat, qui tyrannidem affectantes è medio tollebat, qui inſidias formidabat: ille qui caſtrabat ephebos, qui coniugia violabat: illi virgines producebãtur. Tum ſi quæ cædes, ſi qua exilia, ſi quæ pecuniarum expilationes, delationes, contumeliæ, ea omnia iuuenis temeritate gerebantur: porrò ſenex illi obſequebatur, comitémque ſcelerum ſeſe præbebat, ac comprobabat dúntaxat filii ſui flagitia.

Beneuolentiã captat à ſua perſona.

Aduerſario inuidiã concitat.

Narratio, qua magnitudinẽ tyrãnidis exaggerat, & omnẽ eius cauſam in filiũ tranſfert.

Itaq; quũ ea res nobis erat intolerãda, propterea quòd quũ animi cupiditatibus ex imperio potestas accedit, nullũ flagitiis modũ imponunt: tum illud in primis discruciabat, quòd prospiceremus diuturnã, vel æternã potiùs seruitutẽ eam futuram, & per successionem alii post alium domino tradendam Remp. populúmq; homini scelesto hæreditatis instar obuẽturum. Nam id aliis spem nõ exiguam facit, quod apud sese reputãt, quod inter sese dicunt: At mox coercebitur, at mox demorietur, paulò pòst liberi sumus futuri. Verùm de his nihil eiusmodi sperabatur, quin potius iam intuebamur paratum tyrannidis hæredem. Vnde factum est, vt ne aggredi quidẽ quisquam fortiũ ciuiũ, & qui eadẽ, quæ ego, animo statuissẽt, auderet: sed desperabatur ab vniuersis libertas, atque inexpugnabilis tyrannis videbatur: quippe quum esset cum tam multis confligendũ ac dimicandũ. At me nihil ista deterruerunt, neq; perpensa negotii difficultate refugi, neq; ad suscipiendũ discrimen trepidaui: verùm solus, solus, inquã, aduersus adeò validã variámque tyrannidẽ, vel non solus potiùs, sed gladio comite cõscendi: quippe qui mihi sit auxiliatus, mecúmq; ex parte tyrannum interemerit, quum mors mihi interim ob oculos obuersabatur, at è diuerso perpendenti, quòd publicã libertatem mea cæde redempturus essem. Ergo vbi in primã irruissem custodiam, neq; mediocri negotio satellites submouissem: occidens interim in quem incurrissem, & quicquid obsisteret amoliens, ad ipsum negotii caput ferebar, ad vnicũ tyrãnidis robur, ad nostrarũ calamitatum fontẽ: atq; irrupto areis propugnaculo, quũ viderem illum fortiter tuentẽ sese, multísq; vulneribus resistentẽ, tamen occidi. Et iam tum erat sublata tyrãnis, iam tum mihi confectũ facinus. Ex eo tempore liberi omnes, nisi quòd reliquus adhuc erat senex solus, inermis, nudatus custodiis, iámq; amisso magno illo suo satellite desertus, neq; déinde dignus forti dextra. Ibi nimirũ mecum ipse, Iudices, hæc animo reputabã: Cuncta mihi pulchrè habent, cuncta confecta sunt, cuncta eò, quò destinaram, perducta: at eũ qui reliquus est, quo tandẽ modo pœnas dare cõuenit? Me quidẽ, meáq; dextera nequaquã est dignus, præsertim si post splendidũ facinus iuuenile atq; magnificũ interimatur, priorẽ illam cædẽ dedecoraturus. Carnifex aliquis quærendus est illo dignus, verùm post calamitatẽ, ne vel hãc ipsam luerifaciat. Videat, discrucietur, appositum habeat ensem. huic reliqua mando. Hæc vbi mecum statuissem, ipse quidẽ illinc discedo: at ille peregit id quod ego prædiuinauerã: tyrannũ occidit, summámq; meç impositit fabulæ. Adsum igitur, populare administrationem vobis apportãs, cunctísq; bono iã vt animo sint edicẽs, ac libertatem annuntiãs. Iam meis fruimini factis. Vacua, sicut videtis, sceleratis hominibus arx, imperat nemo. quin & magistratus creare liberum est, & causas agere, & ex legibus contradicere. Atq; hæc omnia vobis mea cõtigerũt opera, meáq; fortitudine, videli cetex vna illa cæde, post quã pater iã viuere nõ quibat. Aequũ itaq; censeo, vt his pro meritis debitũ mihi à vobis præmiũ donetur, non quòd lucri auidus, aut sordidus quispiã sim, nec is qui mercedis gratia de patria bene mereri statuerim: verùm quòd præmio cupiã officia mea cõprobari, neq; repudiari aut inglorios fieri conatus me os, si velut irriti, prẽmióq; indigni iudicẽtur. At hic cõtradicit, negátq; æquũ facere me, qui decorari munere, præmiúmq; ferre cupiã. Neq; enim tyrãnicidã esse me, neq; quicquã à me pro legis sententia cõfectũ esse, verùm facinori meo deesse quiddã ad hoc vt præmiũ postulem. Percontor igitur illum, quid prẽterea requiris à me? nónne volui? nónne ascẽdi? nónne occidi? nónne libertatẽ peperi? num quis imperat? nũ quis iubet? num quis minitatur dominus? num quis nocentium manus effugit meas? Haud quaquã dixeris, sed omnia plena pacis, omnes restitutæ leges, libertas manifesta, democratia stabilis, inuiolata connubia, pueri tuti, virgines absq; periculo: publicámq; felicitatẽ solennibus feriis celebrat ciuitas. Quis igitur horũ omnium author? quis est qui illa sustulit, hæc peperit? Etenim si quisquã præ me dignus honore sit, cedam præmium, desistam à petendo munere. Quòd si solus omnia peregi, audens, periclitans, ascendẽs, interimẽs, excruciãs, alterũ vltus in altero, quid mea calumniaris officia? quur facis vt populus parum erga me gratus existat? Atenim num occidisti tyrannum? Porrò lex tyrannicidæ præmiũ decernit. Verùm dic mihi, nunquid interest verum ipse interimas, an mortis causam ministres? Mea profectò sententia, nihil: verùm hoc solùm spectauit legis conditor, libertatẽ, democratiam, sceleratorũ sublationem. Huic honorẽ decreuit, hoc præmio dignũ iudicauit, quod quidẽ inficiari non potes quin mea contigerit opera. Etenim si occidi eum, quo occiso ille non poterat viuere, nimirũ ipse cædem peregi, ego occidi, sed illius manu. Itaq; ne discepta de cædis modo, neq; illud expende, quemadmodũ interierit, verùm an iam perierit, & an quod periit, id à me sit profectũ: quandoquidẽ & illud excussurus mihi videris, atq; his aduersus bene de Rep. meritos calumniis vsurus, Si quis non gladio, verùm lapide, lignóve, aut alio quouis pacto peremerit. Quid porrò si fame tyrannum obsedissem, ad mortis necessitatem compellẽs, num ibi quoq; requisiturus eras à me cædem mea ipsius manu peractam? aut desiderari adhuc quiddã diceres ad id vt legi factũ à me satis videatur: atque id, quũ sceleatũ acerbiùs etiã atq; atrociore mortis genere trucidassem? Vnum hoc dúntaxat specta, hoc require, hoc excute: Quis nocẽtiũ reliquus? aut quæ metus expectatio? aut quod calamitatũ vestigiũ? Quòd si purgata omnia, si pacata, profectò sycophanticũ est, modũ rei gestæ calumniantem, præmio frustrari velle, quod iis, quç virtute confecta sunt, debeatur. Equidẽ & illud memini dissertũ in legibus, (nisi fortè propter diutinam seruitutem oblitus sum eorum quæ ab illis dicuntur) causam mortis esse duplicem: puta si quis ipse occidat: aut si non ipse quidem occidit, neq; manu facinus peregit, verùm cõpulit, præbuitq; mortis occasionem: ex æquo & hunc quoque

Cõfutatio.

Frequentatio.

Consilium & modus cædis.

I. Argumẽtum à finitione tyrãnicidæ.

Amplificatio à collatione effectus.

Finitionẽ probat ãgenere & causa efficiẽte.

Petitio.

quoq; lex cenſet ſupplicio affici oportere, ſdq; iure optimo. Neq; enim ſtatuit minùs valere oportere audaciã, quàm facinus: ac poſteà ſuperuacaneũ eſt cædis rationẽ viámq; ſpectare. Déinde hunc qui ſic occiderit, tanquã homicidam pœnas oportere dare cenſebis, ac nequaquã abſoluendum eſſe. At me qui per omnia conſimili modo Rempub. iuui, non cenſes ea capere opor tere, quæ iis debentur, qui beneficio iuuerunt.

A voluntate. Neq; enim illud dicere poſsis, me quidẽ impru dentẽ feciſſe, ſed exitum quendã commodũ fortuitò fuiſſe conſequutum præter animi ſententiam. Nam quid prætereà iam formidaſſem, eo qui validior erat, interempto? Cur autem gladiũ in vulnere reliquiſſem, niſi planè quod erat euenturum, id ipſum prædiuinaſſem? Niſi forſan illud dices, hunc, qui extinctus eſt, tyrannũ non eſſe, neq; hanc appellationem in illum competere: neq; vos multũ præmii hoc nomine, ſi ille fuiſſet occiſus, decreturos fuiſſe. Atqui iſtud dicere non queas. An tyranno interempto, ei qui cędis cauſam miniſtrauit, præmiũ negabis? O curioſitatem! de illo laboras quo pacto interierit, quum interim libertate fruaris? Aut ab eo qui

II. Argumentum à fine legis. democratiam reſtituit, neſcio quid ſuperuacaneum prætereà requiris? Atqui lex (vti fateris) caput rei geſtæ ſpectat: quæ verò ad id conducunt, ea omnia miſſa facit, neq; iam vltrà curioſiùs excutit. Quid enim? an ſi tyrannũ exegerit

A minore. quiſpiam, non is iam tyrannicidæ præmiũ cepiſſet? cepiſſet, opinor, ſdq; iure optimo: ſiquidẽ & hic pro ſeruitute libertatẽ peperiſſet. At id quod à me patratum eſt, non exiliũ habet, non in poſterum inſtaurandæ tyrannidis metũ: verùm abſolutã ſublationẽ, totiúſq; generis internicionẽ,

III. Locus à ſummo ad imum. omnéq; malum radicitus exciſum. Et mihi per deos iam ab initio ad finẽ vſq; (ſi videtur) rẽ totam perpendite, nũ quid eorũ quæ ad leges pertinent, ſit prætermiſſum, & num quid in me deſideretur ex his quæ tyrannicidæ oportebat adeſſe. Principiò mentẽ priùs oportet ſuppetere for

I. Voluntas & conſiliũ. tem, & amantẽ Reip. quæq; pro cõmunibus cõmodis periculũ adire non recuſet, quæq; priuato ſuo interitu, multitudinis incolumitatẽ auſit redimere. Num hac parte quicquã mihi defuit? Num frãgebar animo? Num quũm præſcirẽ per quæ pericula mihi perrumpendum eſſet, per ignauiam refugi? Profectò non potes dicere. In hac interim parte tãtùm cõmorare, atq; æſtima, an non vel voluiſſe tantùm iſta, ac ſtatuiſſe, præclarum facinus futurũ fuiſſe videatur. Ac putato me ſolius animi voluntatiſq; argumẽto præmiũ poſtulare, tanquã qui beneficio iuuerit. Tũ ſi voluntati meæ facultas defuiſſet, verùm alius poſt me tyrannũ occidiſſet, dic mihi, num abſurdum aut præter æquũ fuerat dare præmiũ? Minimé. Si dicerem, eiues volui, ſtatui, aggreſſus ſum, voluntatis experimentũ dedi, ſolus dignus ſum qui præmiũ feram: quid tum reſpõſurus fueras?

II. Conatus. Nunc porrò non hoc dico, ſed inſuper, aſcendi, periclitatus ſum, atq; innumerabilia priùs, quàm iuuenẽ occiderem, patrauí. Neq; enim vſque adeò facilem, factúq; procliuem eſſe rem exiſtimetis, cuſtodias perrumpere, ſatellites opprimere, vnúmq; hominẽ tam multos amoliri. Quin iſthuc penè maximũ eſt omnium quæ ſunt in tyrannicidio, totiúſq; negotii caput. Nam ipſe iã tyrannus nõ magna res eſt, neq; expugnatu, neque confectu difficilis: verùm ea quæ tuentur, continéntq; tyrannidẽ: quæ quidem ſi quis ſuperarit, is nimirum cuncta, quæ deſtinauit, peregerit, & perpuſillum eſt id quod ſupereſt: ſed ad tyrannos peruenire nunquã mihi contigiſſet, ni priùs qui illum cingunt cuſtodes oppreſsiſſem, omnéſq; ſatellites antè debellaſſem. Nihil adhuc addo: verùm in his rurſum immoror. Cuſtodiã oppreſsi, ſatellites ſuperaui, tyrãnũ incuſtoditũ, inermem, nudum reddidi. Vtrum his rebus confectis non tibi videor honore dignus? an adhuc cædem ipſam à me requires? Quin etiamſi cædẽ quæris, ne ea quidem deſiderabitur. Nõ ſum incruentus, verùm cædem peregi, magnã ac ſtrenuam, nempe iuuenis ætate ac viribus florentis, atq; omnibus formidandi, per quem ille ab inſidiis erat tutus, cui vni fidebat, qui compluriũ ſatellitũ inſtar erat. An non igitur, quæſo te, præmio dignus videor, ſed tantis rebus geſtis honore fraudabor? Quid enim ſi ſatellitem vnũ, atq;

III. Amplificatio rei per comparationem. adeò quid ſi tyranni miniſtrũ quẽpiã interemiſſem? quid ſi ſeruũ aliquẽ charũ? an nõ hoc quoq; magnum viſum fuiſſet, cõſcendiſſe, mediáq; in arce, mediis in armis, aliquẽ è tyranni familiaribus iugulare? Nũc & hunc ipſum qui occiſus eſt, cuiuſmodi ſit, cõſidera. Filius erat tyrãni, vel tyrannus potiùs crudelior, dominus intolerabilior, ad ſupplicia dirior, ad contumelias violentior, quódq; eſt maximum, hæres ac ſucceſſor omnium, quíq; in longũ noſtras calamitates poſſet prorogare. Vín' hoc ſolùm mihi confectum eſſe, ipſum verò tyrannum viuere adhuc, fuga ereptum? Iam horum nomine præmiũ poſtulo. Quid dicitis? Non dabitis? An non & illum verebamini? An non dominus, an non grauis, an non intolerandus erat? Porrò nunc negotii caput deniq; ipſum perpendite. Etenim quod hic

IIII. Euentus. à me requirit, hoc quàm fieri potuit, pulcherrimè confeci, tyrannúmq; aliena cæde occidi, nõ ſimpliciter, nec vulnere vno, id quod fuerat optatiſsimum illi, videlicet tantorum facinorum ſibi conſcio, ſed poſteaquam illum priùs multo

Amplificatio à modo. dolore excarnificaſſem, tum, quo nihil habebat charius, miſerabiliter proſtratum coram oculis oſtendens, puta filium in ipſo æui flore, tametſi ſceleſtum quidem illum, attamen & ætate vigentem, & patri ſimilem, ſanguine tabóq; oppletũ. Hæc nimirũ ſunt parentum vulnera, ii gladii verorum tyrannicidarum, hæc mors digna crudelibus tyrannis, hæc vltio tantis ſceleribus cõgruit. Cęterùm protinus interire, protinus excidere ſibi, neq; huiuſmodi vllum ſpectare ſpectaculũ, profectò nihil habet tyrannico ſupplicio dignũ. Neq; enim ignorabam vir egregie, non ignorabam, inquam, neq; quenquã alium latuit, quãta ille charitate filium ſit proſequutus, adeò vt illo extincto ne paululũ quidem temporis ſibi in vita morãdũ eſſe fuerit ducturus. Atqui haud ſcio, an omnes patres hunc ad modum affecti ſint erga liberos: verùm hic etiam vltra reliquos habe

bat quiddã,ídq; meritò, quippe qui cõſpiceret illũ vnicum eſſe qui curaret, ſeruarétq; tyranni dem,quíq; ſolus pro patre pericula ſuſciperet,& tutamen imperio adderet. Itaq; ſi non ob chari tatem,certè ob rerũ deſperationẽ ſciebam illum protinus exiturũ è vita:perpenſurũ enim,iam ni hil eſſe quur velit viuere,adẽpto tutamine quod illi filius miniſtrauerat. Nimirũ effeci,vt hæc o mnia illum agminatim circunſiſterent, forma, dolor,deſperatio,formido, quíq; in poſterũ im minebant metus:his aduerſus illum auxiliis ſum vſus,atq; ad id extremũ illum conſilium adegi. Interiit itaq; vobis orbus,excruciatus, plorans, lacrymans. Luxit luctum,nõ illũ quidem diutur num,verùm qui ſatis magnus eſſet patri. Poſtre mò,quod eſt omniũ acerbiſimũ,ipſe ſibi necem conſciuit:quod quidem mortis genus,præ cæte ris miſerrimũ,multóq; atrocius, quàm ſi per a lium inferatur. Vbi mihi gladius? Nũ quis alius eum agnoſcit?Num cuius alterius hoc geſtamen erat?Quis eum in arcem adduxit?Ante tyrannũ quis eo eſt vſus?Quis eum ad illũ miſit?O enſis particeps ſucceſſórq; meorum egregiè factorũ! poſt tanta pericula,poſt tantas cædes contemni mur, & indigni præmio iudicamur. Nam ſi hu ius tantùm nomine præmiũ à vobis poſtularem: ſi ſic dicerem,Iudices:Tyrannũ,quum mori vel let,quũ id temporis inermem ſe deprehendiſſet, meus hic illi gladius inſeruiuit,& ad cõſequen dam libertatem auxilio fuit vniuerſis:hunc quo que laude præmióq; dignum iudicaſſetis. Porrò domino tam popularis rei non gratiam retuliſ ſetis? Nónne inter eos,qui de Republica bene meriti ſunt,ſcripſiſſetis? Nónne gladium inter ſacra monumenta cõſecraſſetis?Non illũ ſecun dùm Deos veneraremini? Nunc mihi conſide rate,quæ veriſimile eſt feciſſe tyrannum,quæ di xiſſe priùs,quàm ſibi mortem cõſciſceret. Quũ iuuenis à me trucidaretur, ac multis etiam vul neribus confoderetur,ídq; in iis corporis parti bus,quæ conſpicuæ magis, magíſque ſint oculis obuiæ, videlicet vt quàm maximè diſcruciaret eum qui genuerat,quóq; primo ſtatim cõſpectu perturbaret,miſerabiliter inclamabat,parentem implorans nõ adiutorẽ,nec opitulatorem: quip pe qui ſenex iam eſſet, atque inualidus: verùm domeſticarum cladium ſpectatorem. Nam ego interim diſceſſeram, author qui fueram totius tragœdiæ,relinquens actori cadauer,ſcenã, gla dium,reliqua quæ ad actum fabulę pertinebant. At ille adſtans vbi filium conſpexit,quem habe bat vnicum,ſemiuiuũ,ſanguinolentũ cæde con ſperſum,tum vulnera perpetua,plurima ac letha lia,hunc ad modum exclamauit:O nate,extincti ſumus,interempti ſumus,tanquã tyranni iugula ti ſumus. Vbi mactator? Cui me ſeruat? Cui me relinquit? qui quidem iandudum propter occi ſum te fili,ſum extinctus,niſi fortè me tanquam ſenem contemnit,ac lento ſupplicio me confi ciat:producíq; mihi mortem,reddíq; mihi cæ dem longiorem. Atq; hæc locutus,enſem quæro bat.Nam ipſe inermis erat, propterea quòd per omnia filio fideret. Verùm ne is quidem deerat, vt qui iandudum fuerit à me paratus,atq; ad fa

Peroratio amplificata affectibus.

Conformatio.

Hypotypoſis & prothopœia patris.

cinus futurum relictus. Euulſo igitur è cæde gla dio,atq; è vulnere exempto,ait:Dudum me occidiſti:nunc finem malis impone gladio. Ades pa tri lugenti ſolamen, ſenilémq; manum & infeli cem adiuua,iugula,Tyrannum occide, luctu libera. Vtinam prior in te incidiſſem,vtinã in cæ de priorem occupaſſem locũ. Occidiſſem quidem,ſed tanquã tyrannus dúntaxat,ſed qui crederem mihi ſupereſſe vltorem:nunc autem tanquam orbus occũbo, nunc tanquã cui deſit etiã mactator. Atq; hæc vbi diceret,gladium adegit, tremens,neq; ſat potens. Cupiebatquidẽ,verùm non ſuppetebant vires ad facinus exigendum. Quot hic ſuplicia? Quot vulnera? Quot mortes?Quot tyrannicidia?Quot præmia? Poſtremò ſpectaſtis omnes iuuenem dudũ proſtratum, nec exiguũ profectò,neq; mediocriũ viriũ opus, ac ſenem huic circunfuſum, atq; amborum ſan guinem cõmiſtum, libertatis illam & victorialẽ victimã, meíq; gladii facinora. At gladius ipſe in medio amborum, declarans quàm non indi gnum ſe domino præſtitit, teſtánſq; quòd mihi fidam nauaſſet operam. Id ſi à me ipſo fuiſſet pa tratum,minùs fuerat futurum:nunc autem illu ſtrius eſt ipſa nouitate. Atq; ego quidẽ ſum is, qui tyrannidem ſuſtuli:cæterùm actio in multos eſt diſtributa,quemadmodũ in fabulis fieri con ſueuit. Ac primas quidem partes egi ipſe, ſecun das autem filius, porrò tertias Tyrannus ipſe. Nam gladius omnibus inſeruiuit.

Concludit repetitione petitionis,& commemoratione meriti ſui.

DECLAMATIO D. ERAſmi Roterodami,non illa quidem verſa,ſed quæ ſuperiori Declamationi è Luciano verſæ reſpondeat.

ARGVMENTVM.

Eiuſdem generis hæc cum ſuperiore, eiuſdémq; ſtatus eſt,ſed aduerſaria. Vt enim illic cõtenditur præmium eſſe dandum tanquam tyrãnicidæ, ei qui filium tyranni interfecerat: ita hic negatur eũ ſatisfeciſſe legi,aut tyrannicidam eſſe, qui nõ ipſum tyrannum,ſed filium tyranni occidiſſet. Exordio beneuolentiam captat à perſona Iudicum: deinde calumniæ aduerſarij,qua in ſuſpicionem adductus fuerat,quaſi ipſe quoq; tyrannidi faueret,quia illi præmium dandum negabat, reſpondet per abſolutionem primùm,deinde & per inficiationem ex locis coniecturalibus,eleuata interim illius perſona, atq; ipſo viciſſim in ſuſpicionem ex modo actionis vocato. Poſt exordium propoſitio ſequitur cũ attentione & admonitione Iudicis, quorſum in hac cauſa maximè ſpectare debeat: atque inde ad confutationem venitur. In qua primùm refelluntur ordine capita illa, quæ alter in argumento ab imo ad ſummum tractarat,puta Voluntas, Conatus, & Effectus. Ac voluntati quidem opponit voluntatem legis, vt quæ non quid quiſque voluerit, ſed quid effecerit, ſpectet: neq; cogitationes, ſed facta præmijs compenſet. Conatũ verò eleuat variis ac multis ſimilibus & exemplis, oſtendẽs in nullo pacto,

aut

aut contractu, aut certamine, aut alijs deniq; id genus rebus ſatis eſſe conari aliquid & cœpiſſe, ſed præſtari oportere. Effectum conditiones ſequi, non conatũ. Et quòd alter etiam conatũ in legibus ſpectari dixerat, id diſtinguit, oſtendens diuerſam eſſe rationem præmiorum & pœnarũ. In maleficijs interim & voluntatem puniri, in beneficijs autem nunquam præmium dari, niſi ei qui quod lex proponit, re ipſa effecerit. Poſtremò et patriæ gratis inſeruire ac officium præſtare ciues debere: & illũ ſatis mercedis pro conatu ſuo retuliſſe, laudem & gloriam. Effectũ autem refellit, quia non ſimpliciter id effecerit quod lex iubet, ſed fortuna ſeu numine ita ferente, cædem filij, mortem patris conſecutam eſſe. Non enim quia ipſius gladio tyrannus poſteà ſe ipſum confecerit, ob id ipſius hoc factum eſſe. Déinde etiam incertum fuiſſe exitũ, & quidnam pater occiſo filio facturus fuerit: & hic conſilium quoq; petituris ſubuertit, primò vt incertũ & periculoſum, neq; certis rationibus firmatum, déinde etiam vt fictum, & poſt euentum rei demũ ſimulatum. Deniq; non idem eſſe occidere, id quod lex iubet, & mortis cauſam qualemcunq; præbere. Idq; iterum multis ſimilibus probat. Atq; hoc loco diſputationem ſuprà cœptam renouat, de eo quatenus volũtas in legibus ſpectatur, & in quibus per ſe ſufficiat, nempe in maleficijs, & non in beneficijs, & ob id neque hic præmium illi deberi, vt qui cœperit, nõ abſoluerit beneficium. Cõfutatis igitur hoc pacto uolũtate, conatu & effectu, quarto loco id aggreditur, quod petitor in narratione potiſſimum amplificat, puta filium fuiſſe caput & cauſam tyrannidis, eóq; ſublato etiam tyrannidem ſublatam fuiſſe. Ac primò quidem filiũ oſtendit non fuiſſe tyrannum, neq; tyrannidis caput, confutatis ſignis & cæteris rationibus, quæ alter ad eam rem probandam adduxerat. Déinde, vt maximè fuerit, legem iubere ipſum tyrannum, non vt quiſq; tyranno ſimilis, aut nocentior etiam eſt, occidere. Et hic multis verbis de authoritate legum diſputat, & quòd non temerè verba legum huc aut illuc deflectenda ſint: alioqui multa pericula & incommoda ex eo ſecutura eſſe. Poſtremò etiam ipſe locum ab imo ad ſummũ tractat: & vt alter voluiſſe, egiſſe, effeciſſe ſe dixerat, ita hîc contrà neq; animum ad rem gerendam habuiſſe illum, neque recta via aggreſſum eſſe, neq; denique id quod lex iubet, perfeciſſe oſtendit. Et ſub hæc orationem concludit breui ἀνακεφαλαίωσει, & conformatione ſeu proſopœia legum, Reip. & deorum quoque expoſtulantium cum petitore, vt iniquè, & præter meritum, præmium petente.

Captat beneuolentiã à perſona Iudicum.

SI mihi cauſa hæc, Iudices, apud concionem populare, quę ſtudiis potius, quàm exacto rerũ iudicio duci conſueuit, eſſet agenda, ac non magis apud Iudices ex honeſtiſsimis ordinibus delectos, nimirum grauiſsimos, ſapientiſsimóſque: nonnihil profectò vererer, ne omniũ animis noua hac & inſperata lætitia geſtientibus, atque (vt ita dixerim) exultantibus, nec ſatis attentos, nec dociles eſſem auditores habiturus: porrò fauentes, beneuolóſque multò minùs: quippe qui frontem modò, qualíq; perſonam huius negotii intuentibus, non faciem ipſam propiùs contemplantibus, videri fortaſſe poſsim in communi totius ciuitatis gaudio, tum autẽ in cauſa tam popularí, velut importunius obſtrepere atque obturbare. Enimuero quum omnis affectus inutilis eſt ad rectè iudicandũ, tum ingens, intemperans, atq; exundans lætitia, non ſolùm iudiciũ omne funditus tollere ſolet, verùm etiam noſtri ſenſus nõ rarò nobis eripere: præſertim ſi (quemadmodum hæc noſtra) poſt graues, diuturnáſq; calamitates, ac veluti tempeſtatem ſæuiſsimã, repentè prætérq; ſpem quaſi portus quidam fuerit obiecta. Quid autem tam acerbum liberæ multitudini, quàm ſeruitus? Quid tam dulce, quid tam exoptatum, quàm libertas? Itaq; non rebus modò ipſis, ſed vel inanibus harũ rerum vocabulis, plebis animus queat ad quidlibet impelli: maximè primis his aliquot diebus, dum gaudiorũ adhuc velut æſtus quidam impotens, omnia ſurſum ac déorſum miſcet, dum lætitiæ temulentia, dum gratulandi dulcis quædam ebrietas pectus occupans, animum ad cogitandum inſtituere non ſinit. Verùm veſtra, Iudices, ſingularis ſapientia, perſpicacitáſq;, non hoc tantùm ſcrupulo me leuat, verùm & hanc mihi fiduciam ſuppeditat, vti ſperem futurum, vt hoc contradicendi munus, quod equidem nec inuidentia nec fauore in tyrannidem (ſicut iſte calumniabatur) ſed ſolita mea, & (vt opinor) nota Reip. charitate ſuſcepi, vobis non modò non inuidioſum, ſed fauorabile, plauſibiléq; videatur. Etenim poſtquam viderem manifeſta quadã deorum beneuolẽtia, poſt diuturnam ac miſerrimã illam ſeruitutem, toties Reipub. votis expetitam libertatem alíquando contigiſſe: nihil priùs curandum nobis eſſe iudicaui, quàm vt gratos nos exhiberemus in eos, à quibus nobis tam egregia felicitas eſſet profecta, quò videlicet munus ſuũ huic vrbi propriũ perpetuúmq; facere vellent, & conſtabilire tueríq; quod largiri non eſſent grauati, meminiſſemúſq; iiſdem in manu eſſe vt eriperent ingratis, quod optantibus dediſſent. Sunt autem vel primæ gratitudinis partes, intelligere videlicet cui beneficium acceptum ferre debeas. Et hac vna ratione mortales diuinæ benficẽtiæ gratiam referre poſſumus, ſi beneficium acceptum agnoſcamus, ſi celebremus, ſi ad illos authores referamus. Neq; mihi committendum putaui, vt dum nimium cãdidi in ciuem eſſe volumus, in deos ingrati impiíque reperiamur. Neque enim iſthoc nomine nunc périnde laboratur, ne hoc præmii pereat ærario, & huius lucris accreſcat (quanquam id quoque longa iam tyrannide exhauſtius eſt, quàm vt inde temerè dari prẽmia conueniat immerentibus) Illud agitur, ne dii immortales, qui huius malè conſulta, nobis verterunt bene, hoc tantum munus à nobis tanquã

Locus cõmunis.

Reſpõdet aduerſarii calumniæ, per abſolutionem.

Amplificatio à loco communi.

ingratis repoſcant,ſi,quod ipſis ſolis debetur honoris,laudis,gratiæ,id illis fraudatis, in homi-
Eleuat per ſonam aduerſarii, & factum ipſum.
nem contulerimus. At quem hominem, obſecro?Nempe qui quum priuatus contra leges iuuenem occiderit,atq; hac temeritate ſua,reſtitutæ libertatis periculoſam occaſionē modò præbuerit,ídque adeò imprudens(vti mox docebimus) non veretur pulcherrimum tyrannicidæ titulum diis eripere,ſibi arrogare, Reipu.diem dicere,ac leges ipſas in ius vocare, ciuitatē ingratitudinis ream agere,niſi ſibi totam hanc felicitatem ferat acceptam.Nullum quidem,Iudices, facinus ſpecioſius tyrannicidio,nullum diis dignius:verùm hoc impudentior, qui ſibi laudem tam eximiam vſurpat immeritus.Nullū præmiū honeſtius,illuſtriúſque,quàm quod tyrannicidæ debetur:ſed hoc impenſiùs accuratiúſq; ſpectandum, ne temerè decernatur indigno. Permulta ſiquidem,permulta ad id requirūtur, vt hoc tam egregio titulo, vt hoc tā diuino præmio dignus quis eſſe videatur:quorum nihil in hunc competere,paulò pòſt euincemus. Próinde quum non tolerandæ improbitatis mihi videatur,qui legibus tum homicidii, tum temeritatis pœnas debeat,eum à legibus præmium omnium maximū petere:petere dixi?imò flagitare:& ita flagitare, vt etiam ſi vnum ex huius arbitrio dependerint, tamen multa inſuper iſti creditori ſint debiturę.
Suſpicionē mouet eidem à modo actionis.
Quæ cuncta quum poſtulare iure potuiſſet, maluit tamen homo verecundus, vnico perſoluto, reliqua ſibi deberi: vt haberet nimirū quod obnoxiæ Reipub.quoties libido ſit, poſſit imperare.Tum illud vtrum riſu potiùs,an odio dignum exiſtimē,quòd in tribunalibus,quòd apud ornatiſsimum ſeueriſsimorum Iudicum conſeſſum,Thraſonem quendam nobis è comœdia retulit?Senſiſtis,Iudices,vt è corona pleriq; riſum tenere nequierint, dum perſonatus iſte Herculeſ tragœdiā illam ſuam nobis recitabat de ſeſe tērque quatērque tyrannicida, de ſapiente illo gladio commilitone ſuo, qui per ſe prudens ſenem interemit:digno videlicet,qui inter ſydera collocetur, domino in deorū numerum relato. Dii boni, quibus phaleris, quibus fucis, quibus ampullis facinus illud nobis ſuum ornauit,iactauit,exaggerauit? quàm militari iactantia, quàm Stentorea voce,quàm faſtuoſo vultu, quàm arrogantibus ſupercilíis,quàm ſtupidis oculis, ſuū
Effictio.
ipſe vobis encomium detonabat? Quæſo,Iudices, vt etiam nunc hominis vultum diligenter attendatis: nónne vobis minitari videtur? nónne dicere,ni mihi præmium decreueritis, haud feretis impune, incolumi diuino illo meo, ac fortiſsimo gladio,qui vel ſine me meas vices vbi lubebit,acturus eſt?Quis tandem iſtam ferat iactantiam vel in eo qui verè tyrannum occidiſſet?Hæc quoque me cauſa,Iudices (neque enim inficiandum eſt)commouit,vt huius obſiſterem petitioni,vel magis vt immoderatam arrogantiam,vt odioſam huius imputationem retunderem, Videbam iam inde ab initio, quum certatim vniuerſa ciuitas diis libertatis authoribus grataretur,vt hic ſeſe ira tumens in medium ingeſſerit, quàm indignè tulerit victimas diis ſeruatoribus immolatas. Sibi hūchonorē eripi,ſeſe vnicū eſſe reſtitutæ libertatis authorē proclamabat:leges,aras,focos,omnia publica priuatáque, ſuæ dextræ, ſuo magnifico gladio deberi. Agite quid futurū deniq;, Iudices,auguramini,ſi ad huius intolerabilē iactātiā,veſtra authoritas,veſtra comprobatio, ſi præmiū quaſi pignus acceſſerit? Quid,niſi vt tyranno ſubmoto alter quidā huic ciuitati paretur,qui ventoſæ linguæ, gloriæque quaſi tyrannidem quandam exerceat?Qui quotidie nobis odioſam iſtam ſuam tragœdiam ingerat,quotidie dextram iſtam Herculanā,& gladium prodigioſum minitetur? Vtrum eſt hoc,Iudices,tyrannide liberari, an mutare tyrannum? Videtis ipſi quàm minaci fronte me iam obtuea tur. Quid mihi ſuccenſes?Quid minitaris oculis?Quid terres ſupercilio?An mihi non licebit
Apoſtrophe,qua calumniæ aduerſarii reſpōdet,iterum ex locis coniecturalibus,
libertate in cōtradicendo (tuo ſcilicet munere) vti,quum tu ſic abutare? qui liberum tibi putaris(id quod etiam in proſcenio leges fieri vetāt) erimen tam atrox, tam capitale in ciuem impingere,tantùm quia libuit, ídq; apud Iudices iratos in tam frequenti ciuium corona, quod nequeas vel leuiſsimo confirmare argumento. Siquidem quàm reliqua glorioſē,tam illud impudenter dicebas, mihi nullam fuiſſe cauſam quare tibi contradicendi partes ſuſciperem,niſi quòd tyrāni necem,quæ me diſcruciaret ſcilicet,vlciſcerer. Quo quidem tuo exemplo ſi viciſsim in te libēret vti, mox intelligeres quàm atrocia, quantò probabiliùs in te poſsint retorqueri.Nā tuum iſtud tam inuidioſum (quemadmodum tu quidem exiſtimabas)conuicium, me longè minùs etiam territabat,quàm(quod vulgò dicunt) ex pelui redditum fulgur. Etenim præterquàm quòd neque affinitas,neq; cognatio, neq; neceſſitudo, neque emolumentum, neq; prorſus alia res vlla mihi cum tyranno interceſsit,quur mea referret illum viuere, ſine quibus rebus nullam in quenquam criminis hærere ſuſpicionem tu quoque ſcires,niſi nunquam tribunalia vidiſſes, ac niſi hodie deuium te lucelli ſpes feciſſet iureconſultum:equidem arbitror meam fidem,integritatem, pietatem, totámque meam vitam ſic huic Reipub.ſpectatam eſſe,vt iſto crimine tibi potiùs improbitatis odium,quàm mihi ſuſpicionem vllam conciliaris. Vides quàm multis adductus ſim cauſis vt tibi obſiſterem?Denique (ſi
Trāſlatio, qua actionem ſuam defendit.
ſcire vis)bona ciuiū pars id à me enixiſsimè flagitauit, vt ſui patrocinium aduerſum te capeſſerem,negantes ſibi videri tyrannide liberos ſeſe, niſi te à tyrannicidæ præmio deiicerem. Non quòd pudeat homini debere hanc felicitatem; tametſi id quoq; durum, eī debere qui ſic imputet. Sed debere arroganti,ſanè quàm moleſtū eſt: at debere cui non debeas, iſthuc verò non grauiſsimum modò,verùm etiam ſtultiſsimū. Equidem ne lenoni quidem vel verbo refrager,ſi modò is promereatur: ſed obnoxium eſſe tam importuno imputatori,tum qui nihil inuerit, id verò bis miſerum eſt,bis ſtultum eſt. Nullus enim inſolentius exprobrat beneficiū,quàm qui quod non dedit,id vult dediſſe videri.Sed finge mihi
Frequentatio cauſarū
nullam eſſe cauſam quur tibi me opponerē, niſi quia ſic

quia ſic animo lubitũ ſit meo: profectò nihil habes quod mihi iure ſucenſeas. Etenim quũ apud Iudices tam ſanctos agatur: ſi verè præmiũ meruiſti, nõ tibi honorem eripio, verùm etiã vehementer illuſtro, quando non paulò magnificentius eſt tyrannicidæ præmium euiciſſe, quàm tuliſſe. Sin minùs, æquus veniam dabis, ſi boni ciuis fungor officio, ſi nullo meo emolumẽto Rẽpub. debiti præmii ream defendo, ſi ſtultitiæ crimen, ſi imprudentiæ infamiam à ciuitate depello, ſi nõ ſino vt noſtro omniũ periculo hæc vrbs in deos exiſtat ingrata. Poſtremò ſi deorum immortalium cauſam ago, quibus honorem debitũ tu conaris interuertere, vt vel hinc ſat liqueat quanta religione reliquã cauſam egeris, qui ſtatim ingrediens tam impudenter ſis calumniatus. Contradicit, igitur contra Rempub. fauet tyranno. Quanquam ego illud quoq; liberæ ciuitatis eſſe iudico, hoc loco vel tyrannorum cauſas citra fraudem agere licere. Neq; tamen à vobis poſtulo, Iudices, vt vel mihi proſit in cauſa hoc meum erga Rempu. ſtudium, vel huic obſit tam inſolens arrogantia: imò non deprecor inuidentiæ ſuſpicionem, non refugio vel atrociſſimã illam, quam iſte mihi conabatur impingere, inuidiam, vt tyranno fauiſſe videar, niſi certioribus, quàm vt à quoquam refelli poſsint, argumentis euinco, niſi demum & aduerſario perſuadeo, modò ne tergiuerſetur, vt quàm maximè ciuiliter quis agat, nullũ ei deberi præmiũ: Sin exactiùs, ſeueriuſq;, pœnã etiam ab ipſo deberi. Quæ quidem dum quàm poteſt, breuiſsimè facio, quæſo, Iudices, vt me attentis animis atq; auribus audiatis. Meminiſtis, Iudices, vt iſte inter dicendum ſubinde nobis conatus ſit ob oculos ponere, id vnũ ſpectare iuſſerit, quantis malis tyrannide ſimus leuati. Hoc paſsim inculcabat, hac re bonã orationis partem occupabat, nihil nos aliud perpendere voluit, niſi quòd grauem ſeruitutem toleraſſemus, nunc optata libertate frueremur. Nimirum id tantùm vos ſpectare voluit, quod ad hoc iudiciũ nihil attinebat. Neq; enim hoc in quæſtionẽ venit, quàm miſera ſit tyrannis, quàm optanda libertas: ſed de illo cognoſcitis, Iudices, quum libertas huic vrbi ſit reſtituta, quanta hinc laudis portio huius virtuti debeatur: & an id quod euentu cum huius facto coniunctum eſt, idem cum eius merito coniunctum videri oporteat. Relegã autem eadẽ veſtigia, quibus ipſe in cauſam ingreſſus eſt: quod equidẽ refellendi genus ſimpliciſsimũ eſſe puto: ſequárque partes illas quibus iſte rem ſecuit, id nimirũ agens, vt quemadmodũ ingenioſi coniuratores iiſdẽ carnibus alio atq; alio modo coquendis condiendiſq; efficiunt vt multa opſoniorũ genera videantur, itidem iſte nobis ex vnico homicidio multa faciat tyrannicidia. Repetam igitur ordine gradus illos, quibus iſte facinus ſuũ ſibi viſus eſt mirificè attollere, & in quibus identidem reſtitabat. Quòd ſi me deturbante vel in vno quolibet conſiſtere poterit, tũ ipſe ſeſe victorẽ pronuntiet licebit. Quot tyrannicidia, inquit, quot præmia? Primùm quòd volui, deinde quòd conatus ſum. Tum autem quòd filium occidi plus, quàm tyrãnũ. Poſtremò, quòd pater ob mortem huius necẽ ſibi cõſciuit. Principiò quòd voluit Iudices, quis non leuius eſſe videat, quàm vt ſit refellendum? niſi quòd iſte tanta voce intonabat, toties inculcabat quòd tyrannũ voluiſſet occidere, atq; id (vt nihil iam ac cideret) tamen præmio dignũ aſſeuerabat. Quid autem tam ridiculũ, quàm nudæ voluntatis præmiũ à lege flagitare? quæ adeò nihil ad ſe pertinere putat quid velint aut in animo ſtatuant homines, vt neq; pœnã irrogẽt ſi quid velis, modò perperàm: neq; præmium oſtendant, ſi quid officioſè velis: verùm id vnũquenq; voluiſſe interpretantur, quòd nulla vi coactus effecerit. Ergó ne, inquies, non magna facti pars eſt voluiſſe, quod quidem arduis in rebus vel ſolum ſufficere ſolet? Rectè ſanè: ſed apud deos modò: quippe quibus ſolis perſpicuũ eſt quid nolis aut velis: ab his præmiũ expectandũ, ſi quid præclarũ animo conceperis. Lex, hominũ vices agit, & quid in obſcuris illis ſinuoſi cordis ſpecubus mortales agitent, adeò ſua referre nihil putat, vt non dicã abdita aut ſuſpicioſa, ſed ne ea quidem admittat quæ populari ſunt opinione famáq; iactata. Poſtremò vt non niſi cõperta recipiat, non audiat niſi quæ ſunt certiſsimis argumentis deprehenſa, probata, euicta. Cedò, quod eſt facinus tam nefarium, cuius ſimplex voluntas in crimen vnquã eſt vocata? Iſta iudicia, Aeaci Rhadamãthíq; tribunalibus ſeruantur. Hic mihi non quid volueris, ſed quid feceris adferto. Quòd ſi nulla lex vlli flagitio ſuppliciũ minatur, quod in animo ſtatueris: quæ tandem eſt impudentia, pro merito quod præſtare volueris dũtaxat, périnde quaſi præſtiteris, à lege quaſi præmiũ poſtulare? Quæ quidem quum ad id vnum ſit comparata, vt maleficia vel deterreat, vel coerceat, multóq; magis ad eius partes pertineat, nocẽtibus irrogare pœnam, quàm bene merentibus largiri præmia (id quod mox copioſiùs demonſtrabimus) poſteaquàm in criminibus non accipit inſimulationẽ meræ voluntatis, quæſo te, in petendis præmiis oſtentationem voluntatis admittet? Quis autẽ eſt ciuium, vel quantumlibet ignauus, qui non velit tyrannum occidere, ſi tutò liceat? Quis non vel leno ſaltem emolumẽti cauſa velit? Denique quis nõ facilè ſimulare poſsit voluiſſe ſe, videlicet quò præmium gratis auferat? Vis itaq; dicam quantum hoc totum habeat momenti, voluiſſe occidere? Nempe périnde eſt, quaſi te ſomniaris occidiſſe. Par pari penſari conuenit. Qui præſtitit beneficium, ei lex beneficium rependit: at qui benè voluit tantùm, ei quid debetur, niſi vt viciſsim bene velit Reſpublica? I nunc, & hoc in gradu nos iube conſiſtere. Rem tam eximiam, inquis, animo verſaui, ſtatui, decreui: an præmium negabitis? Non fraudaberis præmio, ſi iſthoc nomine poſtules, verùm illud interim præmii feres: velut homo nimium perfrictæ frontis, irriſus, exploſus, exibilatus diſcedes, quem nõ puduerit id à lege poſtulare, quod ne leno quidem auſit à quoquã petere, vt rẽ pro voluntate auferat. Nemo tam vecors, qui concedat, vt voluntatem neſcio quam, hoc eſt minus,

I. Volũtatis, cui opponit voluntatẽ legis, quæ facta non cogitationes ſpectet.

Propoſitio cũ admonitione quorſum animus in hac cauſa intendendus ſit.

Diuiſio capitum.

Cõfutatio.

quàm verba pretio redimat. At non volui tantùm, inquis: verùm & periclitatus sum: ascendi, submoui satellites. Primùm isthuc tu quidem consultè facis, quòd de gradu illo desiliſti, in quo nimis profectò incõmodè stabas: quanquam ne in hoc quidem multò cõmodiùs constiteris. Nã etiam si paulò minùs absurdum videatur, haud ita multò minùs impudens tamen est, quum lex palàm præmium decernat ei qui factũ præstiterit: te, quòd conatus modò sis, præmiũ poscere. Ergo ne hoc quidẽ iuris erit apud te legibus, quod per illas est ciui priuato cum ciue priuato? Agè, quid si quis ciuiũ tecũ iniisset contractũ, ita vt ille pecuniam stipulatus, tu conditionẽ pactus esses: mirum ni suo vterq; periculo, atq; is nondũ præstita conditione nummos his verbis abs te petat: Cedo mercedem, conatus sum, tentaui, adnisus sum: an non protinus impudenti homini respondebis: Cedo conditionem? Nam de tuo conatu quid mea refert? quandoquidẽ effectum abs te pactus sum, non conatũ. Puta totidẽ verbis tibi nunc respondere legem: Agnosco contractum, non muto pacta: debeo præmiũ, sed si tu conditionem præstitisti, si tyrannum occidisti. Verbis aut obligantur aut absoluũtur homines. Si conato pollicita sum præmiũ, non grauabor dare: sin ei qui facinus peregisset, quòd tandem ius est te ferre quod es stipulatus, me non ferre quod sum pacta? In priuatis ac minutis cõtractibus nemo tam improbus inuenitur, vt lucrũ cõditione promissum postulet non præstita cõditione: nemo tam stultus vt det, si quis postulet: & tu à Rep. maximũ omniũ præmiũ postulas, quòd conatus modò sis? Nihil mihi nisi nugas adfers, donec illud vnũ audiam, quod te præstare oportebat. Volui, inquis, ascendi, perrupi custodias, submoui satellites: quãtulum iam est illud quod supereſt? Quid adhuc desideras? Nempe nihil in te desidero præter illud, cui soli debebatur præmium. An non intellexisti in istiusmodi contractibus duplex esse periculum: quorũ alterum ad hunc tantùm, alterũ ad illum propriè pertineat: videlicet persoluendæ mercedis, & præstandæ conditionis? Ego meo periculo præmii dependendi onus recipio, neq; tua referre putes, neq; refert, quàm angusta mihi res vnde corradendũ quod debeam pretium. Tu itidem conditionem tuo suscipis periculo, neq; mea quicquã interest quo sudore, quo periculo sit ea tibi præstãda. To tam istam curam, totum hoc negotiũ tibi relinquo. Quòd si ego iam præstita abs te conditione cõmemorem tibi in agris meis malè proueniſſe segetes, merces naufragio periisse, nihil auelli à malis debitoribus, non sine graui dispendio conflari posse pecuniam quã tibi debeam: dic obsecro, nónne nugas agere me dices, negans horum quicquam ad te pertinere? Hoc vno modo posse satisfieri tibi, si pecunia numeretur. Neque quisquam est iudex tam iniquus, quin te tuo vti iure fateatur. Et mihi pulchrè satisfactum existimas, si tu mihi tragœdiam adferas, quantum adieris periculi, quantum sudorum, quantũ vigiliarum exhauseris, dum studes præstare conditionem? Res est (mihi credo) calumnioſior, scrupulosiór-

que, quàm vt legibus tã occupatis conueniat alienam expendere voluntatem, alienos pensiculari conatus: quorũ suos quisq; nimio solet æstimare, non suos difficile est adamusim perpendere. At facti, facilis est æstimatio. Próinde ea in legis cognitionẽ cadit: hinc reliqua omnia consueuit metiri. Tametsi non piget interdũ æqui boniq; rationẽ habere. Verùm in his litibus quæ de vetere illa formula pendent, inter bonos bene agier oportet: at in contractibus, quæ neq; vi, neq; dolo coierunt, quid est quod à præscripto recedatur, nisi quis velit omnino à pactis discedere? Quiduis circunspice, & si potes vsquã inuenire exemplum, non nego præmium. Sæpenumero in pugilũ Olympicis, sæpe in certamine spectator (opinor) sediſti: cedo, num quando vidisti quenquam tam impudẽtem, qui palmam sibi hoc nomine vendicaret, quòd strenuè certasset? Non arbitror, atq; id in re penè ludicra, certè ad voluptatẽ comparata. Et tu in tam serio, omniúmq; splẽdidissimo negotio id tibi postulas, quod in scenicis illis pudeat vel impudentissimum tentare? Age quoties & illud vidisti euenire, vt qui sese fortissimè doctissiméque gessisset in cursu, is à præmio longissimè abesset, & ignauissimo faueret euentus? Habeat ille sanè quod causetur, excidisse habenas, consternatũ equum, fractam rotam, iactet se vel arte vel viribus tantò præcellentiorem, quantò Thersitæ præstitit Achilles: nisi metã prior attigerit, profectò postulandi præmii ius nullũ habebit: fortunã suã incusare licebit. Cæterùm Agonothetæ nõ indignabitur, propterea quòd hoc animo in certamen descenderit, vt eius vteretur conditione, id est, ita demum præmiũ ferret, si virtuti fortuna fauente vicisset. Alioqui si conatui, non tantùm effectui præmiũ deberetur, tot palmis esset opus, quot in Olympicum certamen venissent. Quanquam in huiusmodi ludis qui solennitatis voluptatisq; gratia proponuntur, fit interdum, vt victis quoq; præmia statuantur, non honoris, sed solatii gratia: verùm seriis in rebus, atq; adeò periculosis, quænam obsecro lex vnquã mercedem statuit, nisi si quis facinus peregisset, & ita peregisset, vt omnes numeros implerit? A quo tu quantũ absis, mox audies: nam nunc de conatu tantùm agimus. Lex igitur ciuicã promittit coronam ei qui ciuem in bello seruarit. Quis vnquã ad hunc honorẽ vel aspirauit, quòd se telis obiecerit, quòd nõ sine multis vulneribus discesserit? Profectò nisi ciue seruato nemo ciuicam petit. Quis vnquã his verbis muralem petiit, Acriter contendi, Iudices, vt mœnia superarẽ, omnia feci, sed depulsus sum? Quãtumlibet enisus sit, nisi conscenso muro, nemo tam inuerecundus est vt muralem coronã sibi deberi dicat. Obsidionalẽ nemo flagitat, nisi depulsa obsidione. Postremò nullus honos petitur, nisi ab eo qui id effecerit, ad quod honor inuitat. Qui nauim in tempesta te desertam ad litus perduxerit, huic ex lege vendicatio est earũ rerũ quæ naui vehebãtur. Quor sum attinet hic tuam iactare peritiã, sudores, pericula, conatus? Nihil nõ feceris quo nauẽ in tutum reduceres, sed victus tempestate, deseruisti:

audeb

I I. Conatus cui opponit ius pactorum.

A simili.

Ab exẽplo certantiũ in ludis solennibus.

A minori.

Aliud simile.

Ab exẽplis militarium donorum.

A simili aliud.

audebis quicquã ex his quę ſunt in naui, tibi vendicare? Aut ſi auſis, futurũ ſperas, vt quiſquam te vel pilum ſinat attingere? Non opinor. Si quis vnquam ouationẽ, ſupplicationem, triumphum obtinuit, quòd ad victoriã omnibus neruis eſſet eniſus, quòd gnauiter ſe geſſerit in bello, niſi ſuperior diſceſſerit, niſi præſcriptũ à lege numerũ hoſtiũ fuderit: aude & tu tibi præmiũ promittere, quòd tyrannicidiũ ſis aggreſſus. Quòd ſi nemini hominum memoria cõtigit, deſine tibi nona ſpe blandiri, deſine inaudito exemplo poſtulare, quod ſperare ſit improbiſsimum, dare poſtulanti ſtultiſsimã. Noli nobis cõmemorare quanto capitis periculo murum arcis conſcenderis, qua virtute ſatellitium tyrannicum perruperis, alios depuleris, alios occideris: quorũ maximam partem tibi liberum eſt fingere. Ad obtinendum tyrannicidæ prẽmiũ, duobus dũntaxat verbis eſt opus, tyrannũ occidi. Quantumuis conatũ exaggeres, alleues, attollas, non niſi tyrannicidę debetur præmium. Alioqui quid dices ſi eodem illo die quo tu arcem conſcendiſti, permulti pariter aggreſi, ſua quiſq; virtute freti, quorum nemo tamen tyrannum interemiſſet, vtrum omnes tyrannicidæ præmio potientur ex æquo, nempe quia conati? Agè, quid ſi multis ſtrenuè rem aggreſsis, vni cuipiam, qui ſit omniũ ignauiſsimus (vt non ſemper virtuti reſpondet fortuna) eum contingat interficere, an non prẽteritis reliquis hic vnus honorẽ auferet? Quamobrem tandem? Non quia plus adierit periculi, ſed quoniam id confecit, cui lex honorẽ decreuit. Hic tu fortaſ ſe rurſus incipies deplorare fruſtra ſumptã operam: negabis æquum eſſe virtutis egregios conatus merito fraudari præmio, niſi fortunæ ſuffragio adiuuentur. Sed quæ tandem poteſt eſſe iniqua conditio, quam nemo cõpellitur accipere, niſi cui cordi ſit? Quantumlibet iniqua cõditio proponitur, eam nimirũ facit æquiſsimã, quiſquis ſuapte ſponte recipit. In aleæ ludo (ſi fas eſt hoc exemplum conferre) quid iniquius, quàm vel ſummũ artificem ab imperitiſsimo ſuperari, ſi modò iactus cõmodè cadat? Atq; id adeò nemo tanquã iniquum cauſatur: propterea quòd cui luſus huius lex nõ probatur, ei liberũ erat nõ ſuſcipere. Itaq; lex quid præſtari velit, id palàm atque in medio proponit: quid abs te præſtari poſsit, id tibi relinquit expendendum. Illa nihil mauult, quàm vt res quàm optimè cadat: quòd ſi poſteaquàm nihil iam intentatum reliqueris, quò minùs effeceris, per fortunam ſtetit, intelligis (opinor) nihil habere te quod legi ſuccẽſeas. Fortunam, ſi ita lubet, in ius voca: cum lege nihil tibi rei: quæ vt nihil promittit, ita nihil debet, niſi præſtanti. Neq; verò exiſtimemus, ludices, iſtud à maioribus qui hanc legẽ tulerũt, ſine ſumma ratione fuiſſe factũ, vt conato præmium non eſſe ſtatuendũ putarint: videlicet illud caue runt, non tantùm ne ancipites iſtas, & inexplicabiles huiuſmodi de conatu lites inuitarent, verùm etiã quòd intelligerent tyrãnicidii conatũ non poſſe niſi ſummo ciuitatis periculo ſuſcipi. Vnde futurũ proſpiciebãt, vt ſi conatui præmiũ ſtatuiſſent, temeritate conantiũ Reſp. ſubuertoretur potiùs, quàm reſtitueretur. Etenim tyrannis quid aliud eſt, quàm graue capitaléq; ciuitatis vlcus? huic ſi quis medeatur, ei merces digna propoſita eſt, quã ita demũ ferat, ſi remediũ præſentaneũ attulerit. Verùm huic malo neminem oportet admoliri manũ, niſi certum artificẽ, qui ſua diligentia, peritiáq; fretus, non ſinat hoc licere fortunæ, vt dum ipſe ſalutẽ dare conatur, illa vitam penitus eripiat. Quid? vtrum tu igitur in eiuſmodi diſcrimine conatũ præmio iudicas inuitandũ eſſe: an potiùs pœna deterrendũ, niſi quod conatus eſt quiſpiã, idem præſtiterit? Nec illud te ſubleuat, quod mihi videbare ratiocinando colligere, quũ lex in maleficiis pœnã irroget ſimplici ſceleris molitioni, par eſſe vt multò magis in benefactis conatus habeat rationẽ: nam oportere legem multò propenſiorẽ videri ad compenſandã virtutem, quàm ad retaliandã culpam. Atq; vide quàm hic tota erras via. Principiò nõ animaduertis hoc tyrannicidii facinus toto genere à reliquis diſcedere, propterea quòd aliorũ molitio cũ priuato molitis periculo modò coniuncta eſt, huius cũ publico Reip. diſcrimine copulata: vt temerè moliri tyrãnicidiũ nihil aliud ſit, quàm temeritate priuata rẽ omniũ prodere. Deinde lex nec in quouis crimine, nec qualemeũq; conatũ in quæſtionẽ venire ſinit, verùm in paucis dũntaxat, quæ vel propter inſignẽ atrocitatem hoc odii merentur, vel eiuſmodi ſunt, vt priùs exitiũ adferant, quàm conatus dent ſignificationẽ: quod genus parricidiũ, veneficiũ, prodi tio. Poſtremò non vides nihil eſſe ſimile, totáq; natura rationéque diſcrepare, pœnæ legitimam irrogationem, & honoris largitionem. Nam alterũ quidem propriè legum munus, alterũ quaſi quædam de iure conceſsio, legiſque candor (vt ita dixerim) quidam eſt. Hoc ita habere ſic demum intelliges, ſi reputes quàm multa ſint quæ lex iubeat, addita pœna ni pareas: quàm multa item vetet, niſi obtemperaris, ſupplicium minitans: contrà vix vnum atq; alterum eſſe, ad quæ præmio ſolicitet. Quædã enim eiuſmodi ſunt, vt durũ ac ſeruile videatur ad ea metu mali adigi: quo de genere ſunt, vxorem ducere, operam dare liberis. Hic lex nimirum vrbaniùs ac verecundiùs tecum agit: patris, non magiſtratus ſumit habitum: pretio ad id inuitat, quod alioqui gratuitò te præſtare decebat. Rurſus alia tametſi id genus ſunt, vt à quouis non improbo ciue præſtari velle oporteat, tamen & fortiora videntur, quàm vt à multis præſtari queant: & periculoſiora, quàm vt multi velint ſuſcipere: nam inhumanum videtur cuiquam vitæ ſuæ contemptum imperare. Ad hæc igitur præmio animat, quaſiq; calcar addit virtuti. Proinde non oportet hanc legum indulgentiam longiùs trahere, quàm ad quæ ſemel ipſa adſtringit. Nec mirandum eſt ſi attẽtior, ſi vigilantior, ſi exactior eſt in proprio naturaliq; munere ſuo, quàm in eo in quo pro tẽporis ratione in alienas partes deſcendit. Huic adſtipulatur illud, quòd nouis etiã criminibus exẽplum aut nouũ noua lege ſolet inſtituti, aut à ſimili lege mutuò ſumi. Neq; tamen idem fieri conſueuit, ſi quis quid noui facinoris

Obiectio.

Aequitati opponit de liberãdi poteſtatem.

A conſilio legiſlatoris.

Finitio tyrannidis.

Cõfutatio obiectiõis à diſsimili & periculo

Locus de cõparatione præmiorum & pœnarum.

eum laude patrauit, vt præmiũ à ſimili cõſtitutio ne decernatur. Niſi lex extet, quę nominatim honorẽ ſtatuat eius facto: quod roget, vix habebit: quod poſtulet, haudquaquã. Cur enim legi neceſſe ſit paſsim ciuium ſuorum officiũ mercede redimere? quandoquidem ne ſit impunita improbitas, id publicitus omniũ refert: at probus eſſe nemo gratis poteſt. Quid autem eſt quod non vel gratus patrię debeat ciuis? cui ſi vel animam impenderis, quid mirandum, ſi quod acceperas, id reſtituis? Vt ſupplicio dignus ſis, niſi parenti pietatis officium perſoluas: non præmiũ illico tibi debeatur, ſi perſoluas: itidem ſi quid in leges committas, non potes effugere ſupplicium: at nõ ſtatim illæ tibi præmium debituræ ſint, ſi quid eum officio feceris. Nam ſi ciues omnes ſeſe in officio continerent, ne opus quidem eſſet vllis legibus: quippe quæ non ad bonos mores comparatæ, ſed malis è moribus natæ ſunt, id quod verè vulgò dictitant, ac pharmaci vice fungantur. Finge itaq; nullas eſſe leges, quemadmodũ de aureo Saturni ſeculo fabulantur poetæ: ſuo quenq; ſponte fungi officio: an tu hic clamabis perire benefacta, quòd nulla lex præmiũ decernat? Vti lex non minatur niſi improbis, ita non pollicetur optimis ciuibus. Quorſum enim opus promiſſo, quum virtus abſoluta abundè ſe ipſa contenta ſit? Próinde petere quod illa nõ ſit pollicita, profectò plus quàm impudentiſsimũ eſt: improbè flagitare quod ea candidè ciuilitérque promiſerit, ciuis eſt probitatis nõ ſatis ſpectatæ. Tu quid merueris, paulò pòſt excutietur: interim finge ſanè præcipuam quandam vtilitatem attuliſſe, cui tamen ex lege præmium non debeatur: vtrum protinus clamitabis infrugifetũ fuiſſe officium, ciuitatem in ius vocabis, plebẽ ingratam vociferabere, minitabere iudicibus niſi tibi mercedem ex animi tui ſententia decernant: an potiùs ipſam virtutem abundè magnũ ſui præmiũ iudicabis: oblectabis te conſcientia recti: hunc eſſe maximũ fructũ officii duces, quòd de aliis citra tuum emolumentũ benemerendo, ad deorum benignitatẽ videaris accedere? Nimirũ hæc tibi futura ſunt ſatis, ſi modò ciuis ſis optimus. Quòd ſi non cõtentus iſtis, aliud adhuc ne ſcio quod præmiũ deſideres, certè maximo proximum eſt gloria: hoc tu iam propémodũ tuliſti. Quanto metiris pretio, volitare per ora mortalium, celebrari, laudari, digitis notari mille, oculos omniũ in te conięctos circunferre? Iſta, inquã, vel maxima præmii pars: nam pecunia ſanè quàm exiguũ momentũ adfert. Tu conatus dũtaxat es: permagna portio, vel caput potius ipſum tuo deeſt facinori. At cùm interim his rebus frueris, dũ nõ occiſo tyranno tamen velut tyrãnicida celebraris, quæſo te, quãtula pars abeſt à tuo pręmio quod laturus eras etiã ſi tyrãnũ occidiſſes? Poſtremò iſthuc ipſum pręmiũ, penè dixerim, inuidendũ mihi videtur, quòd iã tibi licuit toties Reip. tyrannicidiũ imputare, quòd in celebri iudicio tibi cõtigit honeſtiſsimũ pręmiũ flagitare, & in tã frequẽti theatro ſpectãte Rep. magnificã iſtam tuam tragœdiã peragere. Mihi videtur, Iudices, beneficii tuliſſe gratiã, quiſquis exprobrare beneficiũ potuit. Tu fortunę, tu deorũ munus imputas ciuitati, & ſunt fortaſsis qui tibi libertatẽ acceptã ferãt: an hæc tãta præmia cõtemnis, quę vel vero tyrannicidæ ſufficere debuerant, niſi lex maluiſſet præmio conatũ ab effectu diſtinguere? Quanquam nullum mehercle præmiũ magis congruit ei qui tyrannũ conatus ſit occidere, nec occiderit, quàm vt illi contingat tyrannicidæ præmiũ ſperare, nec ferre tamẽ. Hiccine erat ille gradus, in quo nos tecũ cõmorari iubebas? Quanquã hoc nomine tuus conatus minus promeretur pręmiũ, quòd aliorũ propoſito fortuna modò defuit, tibi volũtas, vt ais. Effeciſti quod voluiſti: id quod erat neceſſe, nec feciſti, nec voluiſti. Sed iandudum aliũ gradũ (vt video) circunſpectas, in quem te recipias: nã in hoc quàm citra omnẽ præmii ſpẽ cõſiſtas, intelligis. Age, ſequemur te per omnia, & aliũde aliò fugitantẽ perſoquemur, nec vſquã ſinemus conſiſtere. Atqui nõ tantùm aggreſſus ſum, inquis, ve rumetiã occidi, nempe filium, atque id facinus in duo ſęcas tyrannicidia, & quòd filium ſuſtuleris pluſquam tyrannũ, tum tyrãnidis ſucceſſorem, & quòd parenti, necato filio, mortis cauſã miniſtraris. De illo mox, nunc hoc, cuiuſmodi ſit, inſpiciamus. Parentem ais abs te, iugulato filio, eadẽ occiſum opera. negas enim referre qua via peremeris, modò ſuſtuleris: imò ſplendidius iſthuc videri vis, quòd tuo quidem enſe, verùm ipſius dextera ſit interẽptus. Hæc tam honeſta, Iudices, oratio poſsit parum attentũ fallere, præſertim hoc rẽ fucis illis ſuis, & phaleris venditante, dum nobis ob oculos ponit validum illũ, florentémque iuuenem, ſic patri adamatum, crebris vulneribus confoſſum: parentẽ ſenem miſerum illi circunfuſum, eodem exanimatũ enſe, ſanguinẽ vtriuſque inter ſe cõfuſum. Iſta quidẽ dictu ſplendida, ſed quid ad tuã cauſam attinẽt? Nemo tam cęcus qui nõ videat, nemo tã effrons qui neget, ſpectaculũ illud multò omniũ iucũdiſſimum extitiſſe ciuitati, quũ ſenem tyrannũ iuueni videret incumbentem exanimẽ exanimi: & in altero gauderet ſeſe leuatam malis pręteritis, in altero futurorum metu. Hæc quum per ſe maxima, quum Reipub. ſint gratiſsima, quid attinet verbis exaggerare? Illud vnum in hoc iudicio vertitur, vtrum tibi acceptum ferri oporteat quòd pater ſine controuerſia tyrannus occiſus eſt, an fortunæ, ſuperũmq; dexteritati. Quòd enim tuo gladio peremptus eſt, id verò quàm eſt futile, nihilq; ! Quid ſi tuo gladio ab eo qui eum vtendũ abs te rogaſſet, tyrannus eſſet necatus, num tu protinus tyrannicidæ præmiũ petitum venires? Lex occiſori pollicetur honorem: tu eum iugulaſti, de quo certè controuerſum eſſe poterat, tyranni nomine cenſendus eſſet, nécne: eum de quo nihil erat dubitatio, reliquiſti. Si prudens, prudens excidiſti à præmio: ſin metu, multò minus etiam cauſæ eſt poſtulandi muneris. Verùm illud tute vehementer vrgebas, vti prudens volénſque reliquiſſe viderere. Sed quod tandem erat iſtud tuum conſilium, quum tibi ſic in manu eſſet, non toto metu liberare Rempub. ſed vltrorẽ tui facinoris, & verum, certúmque

De officio patriæ gratis præſtando.

Collatio mercedis & gloriæ.

Effectus & cædes filii.

Eleuatio inſtrumẽti.

A ſcripto ſeu verbis legis.

Ab incerto euentus.

túmq; tyrannũ relinquere? Intelligebas (vt ais) omne negotiũ cõfectũ extincto iuuene, propterea quòd modis omnibus futurũ præſcires vt ſenex illico ſibimet eodem gladio necem conſciſceret. Videte, Iudices, in manifeſtiſsimo mẽdacio qua rima conatur elabi: niſi diuinandi ſcientiam cõmentus fuiſſet, non poterat hinc explicare ſeſe. Si quidẽ hæc vel augur, vel haruſpex, vel vates diceres, fortaſſe nonnullos inuenires qui iſta prædicanti fidem eſſent habituri. Nunc quid impudentius, quid vanius, quid veri diſsimilius, quàm aſſeuerare id certum præſciſſe te, quod tale ſit, vt quiuis alius exitus potius fuerit expectandus? An conjecturis es aſſequutus id euenturum quod euẽnit? At quid aliud effici conjecturis poterat, niſi vt vel ſperares, vel ſuſpicarere? Porrò in re tam ancipiti, quæ dementia erat ſpem incertam ſequi, diſcrimen certũ negligere? Sed audiamus obſecro certas illas conjecturas, quibus hic noſter vates præſenſit inopinatum omnibus exitum. Iam ætate feſſus erat, inquis, iam viribus defectus, nec obtineri iã autumabat poſſe tyrannidẽ adẽpto filio. Tum indulgentius amabat, quàm vt filio vellet eſſe ſuperſtes. Nónne ſentis hæc adeò non eſſe naturæ rerum conſentanea, vt iam omnibus videantur eſſe confutata vel priùs, quàm refellantur? Vtrum ſeni mẽtem vllam fuiſſe putas, an non putas? Si non putas, fieri potuit vt illi tutum videretur, quod neutiquam erat tutum: atque ita protinus toto falleris augurio. Sin putas ſapuiſſe, quur erat quod vſqueadeò diffideret? Quaſi verò tyrannis viribus dúntaxat vnius hominis, ac non multò magis ingenio, verſutia, calliditate, largitione, crudelitatéq; cõtineatur: quę omnia ſi magis in ſenem quàm in adoleſcentẽ competunt, quur tu in diuerſum torques augurium? An non illa ætas vſu rerum callentior eſt? an non altiùs diſſimulat? an non cauet diligentius? an non proſpicit oculatius? iraſcitur implacabilius? tenacius iniuriæ meminit? meliúſq; in longinquũ conſulit? His ſolis rebus imperium tyrannicum adminiſtratur. In militiæ duce quantulũ eſt illud momentũ, quod corporis vires afferũt? at in tyrannide profectò multò minus. Cur magis illũ terreret adẽptus filius, quã extinctus ſatelles quiſpiã audacior, quũ arx ſupereſſet approbè munita, ſupereſſent opes, arma, ſatellitũ ingens agmẽ, tot in ciuitate factioſi, potentéſq;, qui nõ ſolùm tyranni partes adiuuabant, verùm etiam tyrannos agebant? quos equidem ſpero nunc nobis non eſſe metuendos (nolim enim infauſta ominari) at ita tamen, ne nimium ſecurè negligantur. Vſqueadeóne ſenem eruda viridíſque (quod omnes norunt) ſenecta, callidum, animoſum, ambitioſum, non ſtultum, vna filii mors conſternauit, vt rebus deſperatis protinus è vita ſibi migrandum duxerit, præſertim quum ille patris dominatum nihilò reddiderit tutiorem, ſed multò inuidioſiorem, ſdq; ob libidinem, atque ætatis inſolentiam, temeritatémq;, adeò vt expedierit propémodũ illi ad ſtabiliendam tyrannidem filium è medio tolli? Etenim quò propiùs ad iuſti regni ſpeciẽ acceſſerit tyrannis, hoc minus eſt inuidiæ obnoxia, magíſq; tuta. Iuuenis ille ſolum hoc augebat, quod maximè tyrannos ſolet euertere: vera illa tyrannidis munimenta in callidi ſenis pectore erant collocata. Sed teneriùs adamabat filium, quàm vt defuncto poſſet ſupereſſe. De matercula quapiã priuata loqueris, an de viro ſene, callido, crudeli, deniq; tyranno? Quid ego, Iudices, in eo ſermone argumentis coarguendo ſumam operã, quem ipſa natura, quem mos, quem cõmunis omnium ſenſus repudiat? Quis vnquã iſthuc audiuit, tyrannũ vſqueadeo pio in liberos fuiſſe animo, vt non dicam cõmori voluerit, ſed conuiuere cõmodè quiuerit? Creditemihi, priua torum iſti ſunt affectus: Tyrannus neq; quid natura, neq; quid pietas, neq; omnino quid ſit officium, nouit. Exuit hæc omnia ſimul atq; tyrannum induit. Omnia commodis, omnia metu, omnia neceſsitate metitur. Solos hos amat (ſi quos tamen ille amat, qui vel deos ipſos odit) quos aut metuit, & tollere nondum expedit, aut quorum opera miniſterióq; ad fulciendum imperium indiget. Quòd ſi vllos ille poſſet amare, ſimiles certè ſui diligeret, impios, violentos, rapaces, ſceleſtos: quando nihil ad conciliandam charitatem efficacius morũ ſimilitudine. Atqui ne improbi quidem illi chari ſunt, niſi quatenus adiuuant: adeò vt præpoſterum vel peruerſum potiùs quendam Stoicum tyrannus exprimat. Neq; enim quiſquam tam Stoicus fuit, vt æquè vacarit omnibus affectibus, atque tyrannus: hoc modò illos diſcernit, quòd philoſophus honeſto metitur ſua conſilia, hic commodo. An ille vllum pietatis igniculum in quenquam mortaliũ ſentire potuit, qui in patriam, vitæ parentem altricémque, qui in cælites omniũ bonorum authores tam ſit impius, vt illam crudeliſsima opprimat ſeruitute, horum phana deſpoliet, iura contemnat? Verùm vt largiamur tibi nonnihil, ſinamúſque te priuatos affectus in tyrannicum pectus, hoc eſt, ignem in flumen transferre: an tandem perſuadebis illud, vſqueadeò indulgenter illum adamaſſe filium, vſqueadeò in eum omnes vitæ ſuæ ſpes, voluptates, opéſque ſemel contuliſſe, vt illo ſublato ne minimã quidem vitæ cauſam ſibi reliquã eſſe putaret? Repete, non dicam ex hac ciuitate, verùm ex vniuerſo mortalium genere, nõ ex hoc ſeculo, ſed ab orbe condito, & ab ipſo (ſi vis) Promethei ſimulacro, quotus quiſq; fuit pater, quota quæque matercula, quæ ob liberorũ necem ſibi fatum acceruerit? Naturalis hic dolor, & quem nemo ferè nõ modeſtè ferat. Priuatis parentibus vel indulgentiſſimis, muliercularum intemperantiſsimis affectibus mediocris luctus ſufficit: tyranni in filium charitati non niſi ſolam mortem ſatisfacturam eſſe tu Lynceus præuidebas? Agè, hoc quoque tibi donamus, vicerit homo tyrannus priuatorum in liberos pietatem, vicerit indulgentia materculas omneis: quî tibi compertum eſſe potuit vtrò ſe dolor paternus inclinaret, in rabiẽ, an in deſperationem? Quò diligebat impotentiùs, hoc erat probabilius, vt ſenex naturâ ferus, ciuibus infenſus, vel maximè vellet eſſe ſuperſtes, vel ob id deniq;, quò veterẽ illam iram, nũc

filii

Contra cõſiliũ aduerſarii vt periculoſum & incertũ.

Eleuat conjecturas & rationes aduerſarii.

I. Abacciden tibus, & iis quibus cõſeruatur tyrannis.

A perſonæ cõditione.

II. A remotione cauſæ.

Locus communis, & deſcriptio tyranni.

Collatio cauſæ & effectus.

filii nece acerrimè exaſperatã, iritatámq;, Reip. ſuppliciis ſaturaret. Quòd ſi aliàs vitæ pertęſum fuiſſet, hæc nimirũ vna cauſa poterat illũ in vita retinere. Quid autem ſenili animo vindictæ cupidius? An neſcis quàm impotentes ætas illa concipiat impetus, quo rapiatur æſtu, quo flagrare ſoleat incendio, ſi quando atroci inſigníque contumelia laceſſatur? Quæ verò potuit eſſe atrocior, quàm filii cædes ſic amati, vt tu quidem ais? Hæc nimirum quicquid in illo fuerit vnquã crudelitatis, quicquid ſæuitiæ, quicquid immanitatis: ſi qua ſanguinis ſitis, ſi qua ſuppliciorum fames, deniq; ſi quid tyrannicũ: id omne ſemel de integro poterat excitare, quaſique renouare. Mitiora etiam animalia, datæ orbitatis iniuria in rabiem ſolet agere: & tu in tyranno (quo nullum animal immitius) nihil tale metuẽdum eſſe certiſsimus augur exiſtimaſti, quod in tigribus videmus euenire? Quòd ſi tibi vni compertum erat, tyranno ſic in deliciis eſſe filium: quid igitur aliud tua fiebat opera, niſi vt ſæuiſsima illa tigris rapto catulo in rabiem verſa, in miſeram hanc ciuitatẽ dilaniandam diſcerpendámq; inſiliret? Id ſi nõ euênit, magna diis gratia, tibi magnum debetur malum: qui quantum ad te pertinet, tam diram belluam in noſtra capita fortunáſque immiſeris. Elige nunc vtrũ malis, an verum fateri, nihil fuiſſe tyranno eum noſtris affectibus cõmune, an cõfingere ſic adamaſſe, vt matercularum quoq; vicerit delicias. Certè neutro modo tua conſtabit diuinatio: quæ niſi conſtiterit, non eſt quod ad eius rei laudem aſpires, quæ fortunæ commoditate te imprudente euenerit. Poſtremò donemus & hoc tibi, vt præſciueris, & certum præſciueris, deo videlicet quopiam te certiorem faciente (nam alioqui fieri nequaquã potuit) périnde eſt ac ſi non præſcieris, quũ præſcientiæ tuæ fidem legi facere non poſsis. Profer quibus prædixeris id euenturũ quod euênit: doce quis deorũ quando iſthuc tibi prænuntiarit. Nihil habes quod dicas. Verùm poſteaquàm rem feliciter eueniſſe videres, tum demum poſt factum vates eſſe cœpiſti, quemadmodum vulgò tum fieri tum dici conſueuit, poſt euentum ſtultos etiam ſapere: & quòd fortunæ beneficium verbis in te tranſmoueres, tragœdiam iſtam nobis comminiſci cœpiſti, cauſas reperiſti, quibus præſciſſe videare. Sed dii boni, quàm non bonũ poetam te præſtitiſti, qui tam incõſiſtentia, tam eum natura pugnantia finxeris, ſæuiſsimũ tyrannum ob pietatem erga filium, vltro vitam fugiſſe: ob vnius capitis necem tutũ ſibi non putaſſe in vita cõmorari, quum omnia ſupereſſent quibus tyrannis & paratur & obtinetur, ſublato eo in quo omne tyrannidis præſidium collocarat, repentè rebus ſuis diffiſum ad inferos abiiſſe! Agè, mitto nunc argumenta: hæc omnia vera, non ficta credemus eſſe, tametſi ne fucum quidẽ vllum habent veri, ſi mihi ex omni hominũ memoria vel vnum tyrannũ potes nominare, qui liberos ſuos ſic adamarit, vt non ſpadones ac pallacas longè prætulerit: qui ſic illis indulſerit, vt non ſuſpectos haberet obſeruarétq;: qui ſic illis ſit fiſus, vt non in barbaris quibuſdam latronibus, ac ſeruis ſtigmaticis plus, quàm in illis, fiducię poſuerit. Ego tibi permultos referre poſsim, qui filios ſic oderint, vt viuos eſſe pati non poſſent: adeò metuerint, vt ne cibũ quidem vnà capere vellent: adeò diffiderent, vt tum demũ ſe tutos eſſe putarent, ſi quis illos è medio ſubmouiſſet. Nullus inutilior tyrãni ſatelles, quàm filius. Ex extrema barbarie cõductitios mauult ille ſicarios, fugitiuos, homicidas, ſacrilegos: his vitã ſuam mauult cõmittere, qui ſua patria frui non poſsint, & alienam euertere gaudeant, qui barbaricis ferinísq; viribus antecellant, & Gigantes illos impios referant, qui propter animi cupiditatem nõ difficilè ad quiduis periculi ſuſcipiendum perducuntur, & propter ingenii feritatem à nullo facinore abhorrent. Hi ſunt idonei tyrannorum miniſtri, hi fiducia, munimentum, præſidiúmq; tyrannidis multò tutiſsimũ: hos ſi quis ademerit, cauſam videatur dediſſe cur rebus tyrannus diffidat. Nam filius qua tandem ratione dominatum ſuſtinebat? Aetate? at vtilior ætas grandior. Robore? vnus erat. Prudentia? magis ſapit ſenecta. Cuſtodiis quas obtinebat? at ſi aduerſus patrem obtinebat, mors illius ſeni etiam optãda. Si patris nomine, quid niſi vnus ſatelles ademptus erat? Nam cuſtodiæ quò deficerent, niſi ad eum cui alebantur? Tutior igitur erat futurus tyrannus amoto filio. Res enim tyranno ſuſpecta, filius violentus, & inſolens, propterea quòd reliqui illi Barbari ſolo lucro cõtenti ſunt: filius illud præmiũ ſpectat, tyrannidis ſucceſsionem. Nec vllus pietati locus, vbi mentem poſsidet dira regnandi libido. Ibi contemptis naturæ legibus & filium horret pater, & patris interitũ optat filius. Sed dicturis iandudum neſcio quid: mane, præſenſi: nihil inexpugnatum omittã: vrges, Niſi præter modum adamauit filiũ, niſi diffiſus eſt, cur ſibi mortẽ conſciuit? Iſthuc verò me ritò demirandum, quippe quod pręter omnium, ac tuam etiam ſpem euênit. Verùm ego nihil ad me pertinere puto, vt tibi rationem reddã, quid illi dii in mentẽ immiſerint vt ſibi vim afferret, hoc tantùm euincere ſat eſt, te nullis cõiecturis hunc exitum certò præſcire potuiſſe, quantumlibet amarit filiũ: tametſi cauſa non admodũ obſcura. Iam deorum ſi qui fuerunt huic infenſi Reipub. iras diuturna noſtra calamitas ſatiauerat. Iam propitios noſtra vota, noſtra ſacra commouerant: aderat illud fatale tempus, quum impius ille ſenex diis atque hominibus dignas admiſſorum pœnas daturus erat. Iam aderãt vltrices Erinnes, aderant Furiæ faſcibus & hydris omnibus armatæ: hæ illi mentem ademerunt, hæ vanam formidinem ineuſſerunt, hæ attonitum ad ſpontaneam ſui cædem impulerunt. Nihil minùs arbitrabatur quàm fugiſſe qui filium peremerat, quàm vna cæde contentum fore. qua quidem vna in re iure potes gloriari, quòd tyrannum vehementer fefelleris. Virum eſſe putabat, qui hoc facinus peregiſſet. Credebat eſſe talem, quales audierat eſſe ſolere tyrannus, qui magno ſuæ vitæ contemptu tyranni caput impeterent: qui non adorirẽtur facinus, niſi ratione probè perſpecta, qua poſſent perficere. Hanc

Amplificatio à periculo rei.

Aliudargumentum à deſcriptione tyrannorum, & eorum ſatellitũ contracauſam.

Aliud à perſona filii.

Obiectio, quã diluit alia cauſa euentus alata.

ſuſpicionem Pan ille, aut ſi quis alius eſt deus, nouis terriculis exagitabat. Arbitrabatur inſtare ſibi carnificem, ſenſit adeſſe neceſsitatẽ illam fatalem, quã nemini nocentiũ vitare licuit. Itaque quod huius vrbis pietati, quod deorum bonitati debetur, cur tu id phaleratis dictis in te transferre conaris? Vbi diſcrimen erat ſubeundum, ibi fugitabas: nunc vbi res præter ſpem pulchrè cecidit, tutúmq; putas, fortunæ laudem in te deriuas. Sed finge diuerſum exitum fuiſſe conſequutum, pone tyrannũ ira percitum, paſsim ciues ad exquiſita ſupplicia rapere, proſcribere, iugulare, in exiliũ agere, poſſeſsionibus exuere: quid hic dices? Non ſines, opinor, eorũ malorum cauſam in te tanquã in authorem referri, & fortunæ argumento culpam deprecaberis. Negabis tibi imputandũ eſſe, ſi quid fortuitò prẽter propoſitum euenerit. At nũc, nónne iniurium eſt, quod boni, fortunæ cõmoditate prẽter ſpem euênit, id totũ in te velut authorẽ velle traducere? Etenim te nihil expectaſſe minùs, quàm id quod euênit, vel ipſa res clamitat. Si hoc animo conſcendiſſes arcem, vt filium non patrẽ occidiſſes, credi poterat te talem quandam ſpem animo concepiſſe: nunc caſu neſcio an metu potiùs in iuuenẽ incidiſti, & tum deniq; diuina iſta mens & futurorũ præſaga, ſed quæ non niſi poſt euentum ſua prodat oracula, te corripuit. Quũ eſſet fugiendum, ibi demum, Iudices, in re tam tumultuoſa, ſecum velut otioſus conſultare cœpit, vtrũ ſenem ſua dextra dignum exiſtimaret: ibi demũ præuidere cœpit, fore vt pater ipſe ſibi manus afferret. Et quò cõmentum tam impudens, Iudices, efficiat paulò probabilius, quæ nec vidit, nec videre potuit, ea périnde deſcripſit, nimirum vt iactat poeta, quaſi ſpectator adſtiterit, quid in mẽtem venerit tyranno, quid dixerit, quid fecerit, quomodo ferrũ ſtrinxerit. Eiuſdem profectò impudentiæ, fingere præſciſſe ſe, quod eſſet euentu conſequuturum: & quod non videris, id ita narrare quaſi videris. Quantò meliùs tuo commento, id eſt fabulæ, ſua fides conſtitiſſet, ſi ita finxiſſes: te quum peremptо iuuene, ſtricto gladio ad ſenem ire deſtinaſſes, repentè à tergo aſſuiſſe Palladem illam Homericam, & iam euntem capillis reuocaſſe te: vetuiſſe ne tam luculentũ facinus ſenili cæde obſcurares: ſeſe citra tuã operam curaturã, vt ille ſuapte manu, ſed tuo gladio peremptus, gloriæ tuæ nihil tenebrarũ offunderet, ſed multum etiam adderet lucis: dehinc abditum te perimã contemplatum, vel (quod eſt te dignius) repentè deam ſepſiſſe te nebula, vt tyrãnicæ necis tutus & otioſus ſpectator aſsiſteres: nec priùs illinc diſceſsiſſe, quàm negotiũ omne confectum vidiſſes. Hæc ſi confinxiſſes, paulò minùs malũ poetam te præſtitiſſes. Sed otium, opinor, non ſuppetebat ad omnes fabulæ parteis cõmodè tractandas, videlicet lucri cupiditate te protinus ad præmiũ poſtulandum rapiente. Nunc vel ipſa te prodit inconſtantia, figmentíq; coarguit. In arcem aſcendiſti, quò tyrannum occideres: neq; tum præuidebas, quod ſole ipſo clarius videri vis. In medio negotio ſubitò neſcio quis deus oculos tibi reſtituit, vt videres futurũ id quod accidit. Porrò ſi veris fidẽ facere voluiſſes, narrare debueras quemadmodum nocturnus explorator furtim arcem conſcenderis, in ædes clanculùm irrepſeris, forte fortuna obuio nemine, nõ dicam vt tolleres aliquid, ſed vt experireris ſi quod tutò facinus poſſes deſignare: hæc molienti, commodùm fauiſſe fortunam: itaque quum adoleſcẽtem ſolum atq; incuſtoditum offendiſſes (vt eſt ea nimirum ætas ſecurior, periculíque minus cogitans: prætereà diuturna tyrãnis iam magnam metus partẽ exuerat) tum haud ſcio (vt mores illius erant) multo vino ſepultum, atque immodica libidine defeſſum, fortiter iugulaſſe ſcilicet, & ſomnũ illi cum morte, id eſt germanũ (vt ait Homerus) cum germano coniunxiſſe: déinde vbi iam cardines procul ſtridere cœpiſſent, exaudito videlicet moriẽtis gemitu, ibi te metu exanimatum ita fugiſſe, vt non vacarit gladiũ è vulnere tollere, quem nec parricidæ, nec ficarii ſolent relinquere, ne deprehendantur. Intereà domi latitaſſe te, iandudum de fuga cogitantem, & longinquas aliquas, ſemotáſq; Mundi latebras animo circunſpectantem, in quibus abditus poſſes iritati patris ſæuitiam fallere. Iámq; te ad ſpontaneum exilium accincto, repentè in vulgus exiiſſe famã, liberam eſſe ciuitatẽ, tyrannum vnà cum filio iugulatum, reliquos metu fugiſſe, authorem ignorari facinoris: ibi repentè ad nouam tuæ fabulæ cataſtrophen immutaſſe te animum, & qui priùs de ſalute fueras ſolicitus, protinus ad præmii ſpem arrectũ fuiſſe, lucríque auiditate, priùs, quàm tibi ſatis eſſet excogitata ratio, qua totã huius inopinati euentus laudẽ in te traduceres, proſiliiſſe in medium, id quod vidimus, clamitaſſe tuum illum eſſe eſſem, tuum facinus, non vnum præmium tuæ virtuti fore ſatis. Hæc nemo non credidiſſet: ſunt enim rerum naturæ conſentanea, vſu comprobata, omnium opinione recepta. At tu dum ſedulò quidem, ſed tamen parum ex arte, tuam nobis præſcientiã nitеris perſuadere, quàm multa comminiſceris, non dicam tota facie à vero diſtantia, verùm etiam cum ſenſu communi, cum more, cum natura penitus pugnantia? primùm tyrannum tam maternè filium adamaſſe, vt ſine eo viuere noluerit: ſic ob vnius mortem metu fuiſſe conſternatum, vt in vita manere non ſit auſus: ſic illi toto pectore fiſum, vt ipſe nullas circum ſe cuſtodias haberet: adeò fractianimi fuiſſe, vt tam chari pignoris truculẽta cæde non potuerit ad vltionem inflammari: tam inualidum, vt tua dextra fuerit indignus: tam inermem, vt ni tu illi gladium reliquiſſes tuum, defuturũ fuiſſet, quo ſe iugularet. Non vides quàm nõ cõpetat tam inſignis in tyrannum pietas, tam ſecura in eam ætatẽ fiducia, tantus metus in hominem excepto filio reliquis omnibus præſidiis munitum, tãta cõſternatio in hominem tot periculis exercitatiſsimum, tanta imbecillitas in iratum? Quid igitur erat, cur tu ſenem illum tantopere contempſeris, vt indignum habueris, qui tua iſta magnifica dextera iugularetur? Túne indignum iudicabas, quem occideres, quum eum Reſpublica non putarit indignum quem formidaret, quem maximo ſuo cum

Contra cõfiliũ petentis vt fictũ, καθ' ὑπόθεσιν.

Aliud argumentum à qualitate fictionis.

Aliud ab incredibili ex circunſtantiis.

cum dolore ferret? Non talem illum, Iudices, nō talem ſenſimus, vt cuiquā contemnēdus videri debuerit. Neq; tu eum vnquā contempſiſti, niſi fortè contemnere eſt, miſerè formidare. Sciebas arcem armis refertam, ſciebas ſupereſſe ſatellites, quorum vel vnus (ſi ſeni vires deerant) ſuffi ciebat iugulando tibi. Non ignorabas (id quod nemo noſtrûm neſcit) quantum viriū illi partim exercitatio, partim ingenii feritas etiam in illa
Perſonæ. ſenecta reliquerat. Tum non te fugiebat, frigidū illud ſenium ſic interdū acri dolore inflammari, vt iuuenibus etiā validiſsimis ſæpenumero fuerit intolerandum, ſiquando ſolitum illud robur quod ætatis gelu velut obtorpuerat, magno aliquo animi motu recanduit. Quis autem tam inualidus eſt, vt non illi pudor, ira, dolor ingens vires ſuppeditet? Hoc erat videlicet cur tu filiū quàm patrem malueris occidere, quòd illum inopinantem, inermem, dormientem fortuna obiecit. Cum hoc pugnandū erat, armato, vallato, irato denique. Hoc erat cur gladium relinqueres, ratus ne tantiſper quidē morari tutum, dum reciperes, metuens videlicet ne tantillum ſarcinæ te redderet in fuga tardiorem. Reliquiſti inuitus, quo tyranno prodi poſſes: ſed prodi maluiſti quàm deprehendi. Neq; ego nunc formidi
Rei. nem tuam accuſo, imò miror magis quòd pedibus cōſiſtere, quòd fugere potueris, quū audires moueri tyrannicā familiā, ſtridere arma: intelligeres tibi non cum puero, ſed cum vigilantibus viris, accinctis, armatis, ſobriis, iratis, deniq; cum rabioſo patre dimicandū eſſe: nō quòd illū vſqueadeò filii mors cōmoueret, ſed quòd arbitraretur, & haud ſcio anverè, ſe petitū fuiſſe, dextera tuā erraſſe tantùm in filio. I nūc, & ſpera, nō dicam hos Iudices viros omnium perſpicientiſsimos, ſed vel è media plebe quenquā eſſe tam muçoſis naribus, cui non ſuboleat, imò qui nō planè odoretur, prçſentiátq; totam hanc fabulā abs te confictam. Et quod poetæ ſolent, quum hærent in explicando tragœdiæ argumento, hāc veluti deā diuinationē arte quadā induxiſti, quò prçſenſionē tuam Iudicibus probares, ſine qua videbas præmiū obtineri non poſſe. Sed occaſionē, inquit, miniſtraui paternæ mortis, qui gladium quo ſe feriret, reliquerim: atque id ſolum non modò ſatis eſſe putat ad petendū præmiū, verùm etiam meritū eſſe vt ipſe enſis inter arma deorum conſecretur, dominus pro deo præſenti colatur. O hominē ſuauem, ſi has ſpes verè concepit: impudentem, ſi quum non ſperet, poſtulat. Itáne tyranno gladius erat defuturus, niſi tuum illum reliquiſſes? Tu in arcem arma, hoc eſt, in ſyluam ligna portanda putaſti? Niſi fortè tuum illud ferrum magicis precaminibus erat imbu-
Inſtrumēti tum, vt vltro ad mortis adegerit neceſsitatē. An verò nihil referre putas quam præbeas occaſionem, quo modo, quo animo? Primùm, gladium reliquiſti, quo nihil minùs deeſt tyranno: nunquam ferrum abeſt, non in cubili, non in triclinio, non in ſacris. Reliquiſti metu trepidus. Tua quidem in re illud interim demiror, qua fronte eum gladium tuum auſis appellare, quem habueris pro dereliçto. Metu, Inquam, exanimatus reliquiſti, quem poſtea receptum optabas. Reliquiſti rem ancipitem. Quid ſi tyrannus illum eundem enſem in ciuium iugulos diſtrinxiſſet? quid ſi eodem lectos aliquot ex huius vrbis iuuentute adoleſcentes filio ſuo inferias mactaſſet? Si tyrannum occidiſti, quia tuo occiſus eſt gladio, & horū omnium indigna cædes ad te pertinebit: quippe cuius enſe peracta eſt. Id ſi non euēnit, nihil ad te pertinet: nam anceps occaſio quam in partem cadat, id diis in manu eſt: ſi bene verterit, nihil gratiæ debetur ei qui dedit imprudens: ſin malè, temeritas imputatur. Neq; enim culpa vacat, qui periculoſam miniſtrat occaſionē: quæ ſi feliciter, mirentur omnes: ſin infeliciter, meritò accidiſſe dicant. At quantò probabilius erat, futurum vt tyrannus tuo enſe alios in vſus abuteretur? Scio me, Iudices, hæc pluribus refellere verbis, quàm neceſſe videatur, quippe tam friuola: verùm id mihi propoſitum eſt, nullum illius argumentum non excuſſum, non exagitatū, non reiçtū prætermittere. Quare, quæſo, ne pigeat ita vt antehac feciſtis, patienter atq; attentè cognoſcere, dum hūc ab gradu firmiſsimo deiicio. Hîc ſibi vehementer fidebat, hunc acriter vrgebat locum. Negabat vitari poſſe, quin præmium deberetur, quòd patri necis cauſam miniſtraſſet, ſi non relicto gladio (nam hoc opinor argumentum iam habet pro dereliçto) certè necato filio. Nam ita in legibus diſſertum aiebat, nihil intereſſe vtrum manu ſua quis occîdat, an mortis cauſam prçbeat. Addebat, æquū eſſe, vt quū in malefiçiis cauſam datā imputarēt leges ad ſuppliciū, multò magis idem obſeruarent in benefactis ad præmium. Hæc aiebat meminiſſe ſeſe in legibus eſſe diſputata, illud addens Thraſonicum, niſi ſibi diuturna ſeruitus, legum memoriam oblitteraſſet. Non tu legum oblitus propter diuturnam deſuetudinem, ſed nunquam quid ſibi velint leges, inquiſiſſe videris. Bis enim hic erras, qui neque cauſæ datæ rationem, neq; dantis animum diſcernas, id quod legibus traditum eſt: nec animaduertis longè diuerſam eſſe rationē maleficii & beneficii imputandi. Quid ais nōue iuris interpres? Itáne ſatis eſſe iudicas vel ad pœnam vel ad præmium, qualemcunque, quomodocunque cauſam dediſſe? Nihil igitur refert, Hector an Aiacem occiderit manu, an gladium illum dederit quo ſe poſteà confodit? Atqui hanc laudem nunquam ille ſibi vendicaſſet: tametſi probabile videri poterat, in eum vſum hoſti ab hoſte datum fuiſſe ferrum. Quin ergo fabros ærarios omnes vel ad pœnam vocamus, vel ad prçmium, quoties armis in eorum officina perfectis aut iugulantur ciues, aut ſeruantur? Poſtremò quur hoc quod tu petis præmium, non enſis iſtius tui opifex petit potiùs? Tyrannus gladium erat habiturus te non porrigente: tu porrigere non poteras, niſi huius induſtria tibi miniſtraſſet. Agè, ſi telo inter venandum temerè miſſo fortè tyrannum vicinum interfeciſſes, clamares tibi tyrannicidæ deberi præmiū, an potius nihil tibi deberetur laudis, quòd imprudēs & inſcius iaculum torſiſſes? Imò in ius potius vocādus eſſes qui miſſi teli temeritate ciuē (quod in te fuit) occid

Anidemſit cauſā mortis præbere atque occidere.

A diſsimili

Amplificat exemplo.

A conſequenti.

Simile.

occideris. Nam quòd in tyrannum incidit, id ni
hil ad re. Quid ſi caupo vinum lene ac ſuaue,
quale Polyphemo dedit Vlyſſes, tyranno vendi
diſſes, atque ille eius dulcedine captus, auidiùs
ſeſe ingurgitaſſet, eáq; re cõcepta febri deceſsiſ
ſet, auderesne caupo, vini titulo, tyrãnicidæ præ
miũ flagitare? At quis nõ te cum tua flagitatione
vt temulentũ, vinóq; madidũ exploderet? Cæte
rùm quantò frigidiore titulo nunc idem poſtu-
las? Vtcunq; conjecturis præcipi poterat vt ætas
vinoſa tã illicibili vino auidiùs, intẽperãtiúſq;
frueretur, crapulã conſequeretur morbus, preſer
tim in ſene, morbũ mors: vulgò hæc eueniunt.
Tu eam tyranno mortis cauſam dediſti, cuius
nullum extat in hominũ memoria exemplum.
Quis enim antehac ob filii necem ſibi manus
intulit? Accedã propiùs. Finge te tyranni coquũ
eſſe: probè callere palatum domini: medicos in-
terdicere cibum, quo tamen ille oppidoquàm lu
bens veſcatur: interminari morbũ capitalem, ni
temperet: id te nõ fugere: eum cibũ tu arte tua,
cupediiſq; & condimẽtis magis ac magis illece
broſum reddis: conſequitur edentẽ morbus, quẽ
prædixerant medici. emoritur tyrannus. libera-
tur ciuitas. Hiccine coquus è culina in forum
proſiliens, & adhuc iure madens, fuligine niger,
tyrannicidæ prẽmiũ poſtulabis? Mortariũ, ton-
ſillum, & ollas oſtentabis, arma ſcilicet, quibus
tyrannidem expugnaris? Non eris (opinor) tam
impudens in ea cauſa, qua tamen iſta tua multò
eſt abſurdior. Nam illi voluntas occidendi non
Aliud. defuit, probabilem præbuit cauſam. Tu nec in
hoc iugulaſti filium, quò pater vltrò vitam relin
queret, & cauſam dediſti ad quiduis potius quàm
ad iſtud idoneam. Accipe exemplũ tuo ſimilius,
quàm ouum ſit ouo (quod aiunt) ſimile. Quid ſi
tyranni amicam, quam ille miſerè ac perditè de
periſſet, occidiſſes: eáq; cognita re tyrannus ſibi
vitam abrumperet, auderes ad præmiũ aſpirare?
auderes dicere, te certum præſciſſe, fore vt tyran
nus ſpontè fugeret è vita? Certè quanquã plures
amicas extinctas ſequuti ſunt quã filios, nemo ta
men tibi crederet, nemo tibi prẽmium decerne-
ret: tuum factum periculoſum & anceps dice-
rent: omnes fortunæ gratias haberent, cuius cõ-
moditate res ea feliciter ceſsiſſet. Tibi abundè
magnũ præmium exiſtimarent, ſi cõmiſsi venia
Noua diſ- donatus diſcederes. Primũ igitur diuerſam im-
putatio, putandi maleficii, & aſſcribendi beneficii ratio-
quatenus nem conueniet diſtinguere, déinde cauſæ æqua-
cauſa & vo litatem, poſtremò animũ: atq; ita demum lique
luntas in le bit quid tibi lex debeat. Nam quòd aiebas legem
gibus ſuffi prolixiorẽ eſſe oportere ad reddendũ præmiũ,
ciãt, & quã quàm ad infligendã pœnã: id in priuilegiis, quæ
doeuentus in exemplum non vocãtur, fortaſſe locũ habet:
ſpectari ſo in iure communi longè ſecus eſt. Siquidem (vti
lent. ſuperiùs demonſtrauimus) nulli nocenti lex nõ
minatur pœnam: paucis benefactis præmium o-
ſtendit. Tum in maleficiis etiam conatũ ſimpli-
cem ſupplicio proſequitur, in benefactis ſemper
exitũ requirit. Nec mirum, nec iniquũ, ſi lex eſt
diligentior in eo negotio, ad quod vnũ eſt nata
atq; inſtituta, quàm in eo, in quo tẽporis ratio-
ne tanquã alienas ſibi ſumit partes. Ergo in v-
troq; cõmuniter ſpectat, vt cauſa ſit idonea: déin
de vt animus adſit, non tantũ caſus. Hoc rurſum
intereſt, quòd in benefactis nec cauſa idonea,
nec animus idoneus ſatisfacit legi, niſi his acceſ
ſerit euentus item idoneus. In malefactis ſi quid
nocendi animo tentes, non expenditur nec e-
uentus, nec cauſa: ſed ex animo factum tuum lex
metitur. Sic enim iudicat, tibi nihil ad ſcelus
defuiſſe præter fortunam: qua te ſubleuari, quod
tandem ius ſit? In euentu ſimul & cauſam datã,
& animum expendit. Si animum vitioſum com
perit, nihil moratur cauſam, quàm ſit idonea: pu
tat animum & euentum ad pœnam commeren
dam ſufficere. Sin animo ſimplici data eſt cauſa
mali idonea, & non conſequitur euentus: lex
quaſi conniuet ad id, & non putat ad ſuã cogni-
tionẽ magnoperè pertinere. Sin euentus eſt con
ſequutus, etiam ſi de animi vitio doceri non po
teſt, tamen temeritatis & negligẽtię nomine pœ
nam irrogat, partim propter ſuſpectã dantis vo
luntatẽ, partim vt hæc latebra peccãtibus eripia
tur, Imprudens feci: diſcántq; homines vel ſuo
periculo cauere, quod alieno faciant periculo. Er-
go qui prudens & ſciens, certam atque euidentem
noxæ cauſam dederit, eum perinde lex cenſet, quaſi
facinus manu peregerit: veluti ſi quis hoſtem opibus
copiiſque iuuerit, perinde eſt ac ſi ipſius arma con-
trà ferat. Siquidem id ſuppeditauit, ſine quo bellum
geri nõ poterat. Aut ſi quis inimicum ſuum per do-
lum nauigio ſolutili imponendum curet, vt naufra-
gio intereat: aut in conclaue penſili teſtudine induc-
at, vt ruina opprimatur: aut iuxta lectulum ægroti,
loco pharmaci venenum ponat, futurum ſperans vt
eo hauſto pereat, tametſi non bibit ægrotus, tamen
veneficii poſtulari poteſt qui poſuit, propter vitio-
ſam animi voluntatem. Nam vehementer erat pro-
babile id euenturum, quod ille moliebatur. Huic ſi
detrahas nocendi voluntatem, nihil illi cum lege rei
futurum eſt. Si detracta nocẽdi voluntate, apponas
euentum, nõ effugiet temeritatis crimen, niſi illum
inculpata ignorantia abſoluerit. Porrò ſi in loco
nõ ad id deſtinato, puta in via publica, aut in fundo
alieno, arcu temet exerceas: lex tecum non agit, niſi
ſi quem occideris, aut vulneraris, aut ſi cui damnum
dederis. Cæterùm quod facis, tuo facis periculo.
Quòd ſi quid horum conſequutũ eſt, cum lege tibi
res eſt. Neque tibi tua patrocinabitur imprudentia:
quippe quæ culpa temeritatis non vacet. Siquidem
in te fuerat præcauere, quod probabiliter poterat
prætimeri. Vides quanto diſcrimine diſsita ſint, in-
ter quę tu nihil intereſſe dicebas? Primùm non ſta-
tim imputatur ad præmium, quod ad pœnam, idque
non à malignitate legumlatoris, ſed partim ex ipſa
rei natura proficiſcitur, partim à legum officio.
Deinde diſcernitur animus: cauſa data diiudica-
tur, ſpectatur euentus. Age nunc, ſi libet, tuam Adaptatio
cauſam, qua tuum facinus æſtimari vis, expen- præſentis
damus. Finge te certam, ineuitabilem mortis cauſæ.
cauſam tyranno dediſſe, ſed imprudentem: nul-
la tibi ſit præmii petitio. Quis enim inſciens be-
nemereri dicitur? Fortibus viris præmia dantur,
non fortunatis tantùm. Nam euicimus iandudum,
opinor, ne poſthac affirmes te in hoc iugulaſſe fi-
lium, vt pater ſibi necem conſciſceret: quod euen-
turum

turum ne vates quidē quiſquam præſcire poterat,tu nec ſuſpicari:imò poſteaquàm rem plenā diſcriminis,fortunæ arbitrio cōmiſiſti,quia bene ſucceſsit,hoc nomine lex te non poſtulat: at idē ſi malè eueniſſet,temeritatis pœnas eras debiturus. Neq; enim tibi ſuccurreret inculpata ignorantia. Quid enim æquè formidandū erat, quàm ne tyrannus ſimul atq; occiſo filio ſe peti inſidiis perſenſiſſet, omnia tyrannidis mala in nos conduplicaret? Iā vt de animo res tibi conſtet, cauſam dediſti non ſolùm non idoneā, verùm etiam periculoſiſsimā Reip. Vín' hoc tibi argumēto euidentiſsimo demonſtrari? Finge te quempiā è ciuibus vitio occidiſſe: tum extincti patrem id facere,quod modò fecit tyrannus. Vtrum tu duplici cædis crimine teneberis,an ſimplici? Simplici, opinor. At vxor & mariti mortē imputabit,qui necato filio, ſeni cauſam mortis dederis: atq; his fermè tuis argumentis vtetur: Indulgentiſsimè filiū adamabat, in illum omnē familię curā reclinauerat,illo ſe oblectabat. Atque hæc de priuato ſene cū fide dicet,quæ tu de tyranno nimis durè(ne dicam ridiculè)dicebas. Addet ea te ſciſſe,præuidiſſe futurū, vt ille vitā fugeret orbatus filio,in quo vno omnia vitę oblectamenta collocarat. Nō tibi defuiſſe iugulādi ſenis voluntatē,ſed hoc tantùm egiſſe, vt miſerabiliùs ſua dextra perimeretur,vt odiū tuū pleniùs miſeri patris malis exaturares. Ideo iuuenē necaſſe,in hunc vſum gladiū in vulnere reliquiſſe. Vides quantò ſunt hæc probabiliora in hoc, quàm in tuo negotio:& tamen negabis paternā necem ad te pertinere,atq; animi ſuſpicionem, cauſæ qualitate purgabis. Negabis cauſam idoneam fuiſſe cur ille ſibimet manus adferret. Te nec præſcire nec timere potuiſſe id quod ſit conſequutū:quòd rarum extet exemplum patris ob filii necē ſponte fugiētis è vita. Alioqui futurū fuiſſe vt & mater ſibi fatū acceſſeret:quippe quā impotentiùs amare ſit cōſentaneū,ac minùs aduerſum dolorē animi viribus valere. Hæc nō dubitares tibi profutura ad alterū crimē depellendum,& prodeſſent dubio procul. Atqui quod in maleficiis valet ne quid imputetur,id multò magis in hac cauſa valet ne quid acceptū feratur. Ibi te liberaret à volūtatis ſuſpicione,quòd cauſas parum idoneas dederis: hic ex cauſis multò minùs idoneis propter perſonā tyranni, videri vis non modò quod euēnit,fuiſſe ſuſpicatus, verùm etiam certū præſciſſe. Ibi temeritatis poſtulari nō poteras, propterea quòd tametſi vitio abs te data eſt cauſa, tamen idonea non ſit ad id quod euēnit:imò ipſi tota res imputabitur, & legibus pœnas dabit,ſepultura prohibitus, quòd ciuitati citra cauſam idoneā ciuem vnum ademerit. Tibi non niſi vnius filii mors imputabitur,etiā ſi mater quoq;,& filiæ,& ſorores, & tota tribus huius necem fuerit imitata. Hic poterat,niſi feliciter eueniſſet: quippe vbi ſummum Reip. periculū & verteretur, & prætimeri probabiliter poſſet. Venio nūc ad quartū illud præſidium, Iudices, quod iſte tutiſsimum, ac penè inexpugnabile iudicabat: vnde ego illum ita deturbabo, vt non ſolùm ſit non habiturus quo tyrannicidii & huius laudis arcem obtineat, verùm vix etiam latebram inuenturus, vbi temeritatis ac maleficii pœnam effugiat: quò nimirum intelligat,quàm non inimicè,non curioſè(vt aiebat)ſecum agam: vt quum poſsim in crimen ac pœnā vocare, ſat habeam ab honore nō promerito ſecludere. Ait ſibi deberi præmium vel hoc vno nomine, quòd iuuenē occiderit iam plus, quàm tyrannū,tum tyrānidis paratum hæredē, etiam ſi hunc euentum dii nō dediſſent, vt ſenex ipſe vitā abrumperet. O deploratam impudentiam! Tu tibi præmiū peteres,ſi tyrannū ſuæ furiæ nō eſſent vltæ? Dii quiduis potiùs dederint, quàm iſthuc quod tu fingis. Sed tamen fingamus interim oratione, quandoquidem id tutò licet: tametſi ad ſolam mentionē inhorreſcit animus. Tūne,inquam,occiſo filio,relicto ſene viuo,tyrannicidæ præmiū peteres? An potiùs nec ipſe ſu pereſſes,qui poſsis petere: nec eſſet Reſp. quæ da re poſſet? Nam tu aut exquiſitis ſuppliciis exani mareris,aut in extremis Orcadis exul deliteſceres: nos pro tyranno iam immaniſsimū carnificem pateremur: & tuū caput,vbicunq; terrarum latitares, diris imprecationibus deououeremus, qui nos tua incogitantia,vel præcipiti magis lucri cupiditate in tantam malorū tempeſtatē conieciſſes. Sed re filius erat tyrannus,inquis: patri præter inane nomē nihil erat reliquū. Quid ego audio? duos igitur hæc ciuitas tyrannos alebat? Nam de patre nemo vnquā dubitauit, quin tyranni vocabulū mereretur. Quādo autē antehac vnquā fando auditū eſt,duos vna in ciuitate ſediſſe tyrannos? id quod magis etiam natura repudiat,quàm eodē in corpore gemina capita. In iiſdem aluearibus duo ſe reges pariter non ferunt. In armentis taurus tauro cedere cogitur. In iiſdem luſtris nō conuenit duobus inter ſe leonibus: & tyrannus(quo nullū animal efferatius) parem in eadē vrbe patitur? Non vides neceſſariò fieri,vt è duobus aut alter alterū oppugnet, aut alter alteri cedat? Vtrū tu fuiſſe mauis in patre, an in filio? Si iuuenis aduerſus ſenem obtinebat tyrannidem,quid à Rep. præmiū poſtulas? Tyranni partes adiuuiſti,nō Reip. Sin patri ceſsit, quid tandē illum vocare potes, niſi tyranni vel præfectum,aut ſatellitem? Quandoquidē ſeniori tyrannicā appellationem ne tu quidem audes detrahere. Verùm vt quoquo modo tyrannidem omnem in adoleſcentem oratione deriuares, quàm multa tu quidem non ex re, ſed pro cauſæ tuę commoditate comminiſcebaris? Cæterùm quàm in his confingendis decori quod in perſonis ſitum eſt, nullam habuiſti rationem? Sic enim(vt memini) inducebas in fabulam ſenem iam ætate mitem,& qui omnem tyrannidis acerbitatem ob ſenectam exuiſſet: non ſecus atque mala,quæ natura acerba,tempore miteſcunt, & in alium abeunt ſuccum: porrò iuuenem ferocē illo incolumi gerentem tyrannidem, iámque patri viuo ſuccedentem. Priuatus paterfamiliās non fert filium ſe viuo ſucceſſorem: & tu vis iſthuc credi in tyranno? Ille non ſinit vllum è liberis rem domeſticam ex animi ſui libidine moderari: & tyrannus ſeſe veluti abdicans imperio,

sum, præmium deberi.

Cōfutatio à cōſequentibus.

A cōditione filii, à quo tyrannidē remouet ab incredibili.

Ab abſurditate fictionis.

IIII. An propter filiū, vt tyrannidis omnis autorem & cauſam, occi-

perio, negotium omne in adoleſcentem reiecerat? Nõ dubito quin & ipſe videris quàm dura ſint iſta, & quàm à cõmuni ſenſu abhorrentia. Verùm quid faceres? niſi tales perſonas induxiſſes, exitum inuenire tragœdia tua nõ poterat. Quæſo te, an vnquã auditum eſt Tyrannũ ætate miteſcere? Quando tu deſines ea, quæ ſunt priuatorũ, quæ bonorum principum, tyrannis tribuere? Vt eodẽ igni cera mollescit, limus dureſcit: ita ætate plerique redduntur miores ac tẽperãtiores, tyrãnus magis exaſperatur. Vt tempus nõnullis pomis amaritudinẽ adimit, vt vinis nonnullis acorem conciliat: itidem tyrannis nõ adimit ſæuitiam ætas, ſed exaggerat. Vis ipſiſsimã tyrannici ingenii tibi demonſtrẽ imaginẽ? Spinã cogita, quæ quò magis ſeneſcit, eò pũgit acriùs. Echinos cogita, qui quò plus habent ætatis, hòc te ſta ſunt aſperiore. Vulgaribus ingeniis fortaſſe nõnulla vitia ſenecta vel detrahit, vel certè mitigat, ẽt ſi plura iritat, nõnulla parit: at tyrãnorũ mentibus ad ſcelus, ad crudelitatẽ natis, ſcelere & immanitate imbutis atq; educatis, præter vitiorum omnium incrementũ adferre ſenecta quid poteſt? Niſi fortè libidinẽ adimit. Quanquam iſta Tyrannidis quantula tandem eſt portio? Sed eſto fuerit ſanè propter ætatẽ ad voluptates ſegnior, verũ erat faſtidioſior: vnde fit vt imbecillior ſit ad coitũ, ad raptũ auidior. Fortaſſe pauciores huic execabantur ephebi, ſed inſigniores. Pauciores producebantur virgines, ſed exquiſitiores. Quur non autem & plures, videlicet quò ſenile faſtidiũ optione & varietate vinceret? Hoc ita eſſe, quot ego tibi teſtes citare poſſem, qui quò nobiliores ſunt, quò fortuna præſtantiores habẽt liberos, hòc magis eis à flagitioſiſsimi ſenis cupiditate metuebãt? An tu putas vnà cum viribus ſe neſcere libidinem? Multò ſecus habet: imò quantũ ætas improborũ hominum facultati detrahit, tantum adiicit cupiditati. Quanquam tyrannicum animũ his in rebus nõ tã voluptatis vſus capit, quàm noſtra delectat cõtumelia. Vt frigeat in ſene tyranno Venus, certè feruet vigetq; malitia, ſæuitia, nocendi libido. Poſtremò totum illud vitiorũ agmẽ, quæ propria tyrannorũ ſunt, cupiditas, rapacitas, improbitas, impudentia, impietas, iracundia, violentia, impotentia, ſuſpicio, fraus, perfidia, crudelitas, implacabilitas, immanitas, periurium (quid autem oportet omnia commemorare nobis omnibus heu nimiũ nota?) horũ, inquã, nullum nõ ætate fit acerbius, propterea quòd iuuenta nonnunquam naturæ bonitate vincitur: præterea quædam mala nondum didicit: at ſenecta, ſi quid pudoris, ſi quid humanitatis, ſi quid melioris ingenii à natura inſitum eſt, id omne multo ac diuturno flagitiorum vſu penitus exuit, & prorſum in immaniſsimã quandam feram abiit. Id ita eueniſſe, Iudices, in execratiſsimo illo ſene, quid ego coner argumentis docere, quum ſua cuique memoria abundè ſatis exemplum ſuppeditet? Quòd ſi iuuenis ſeſe gerebat inſolẽtiùs, videlicet patris abutens imperio: num tu hũc cõtinuò tyranni nomine donabis? Ergo ex eadẽ tyrãnide ſex centos tyrannos facilè reddideris. Nam quis eſt omnino in tyranni familia, vel extremũ mancipiũ, qui nõ ipſe penè tyranno ſit ferocior, violentior, ſceleratior? Filius, inquit, emolumentis imperii potiebatur: patri præter nomen nihil ceſsit. Quaſi verò non ſit iſthuc omni tyrannidi cõmune. Longè minima fructuum pars, qui ſolent ex tyrannide capi, ad ipſum redire tyrannum: quemadmodũ in latrocinio fieri conſueuit: prædæ communiter in omnes diſtribuuntur, vel in eos potius quorum opera capiuntur. Alioqui nõ cohærebit cohors illa ſcelerata: niſi dux ille, quiſquis fuerit, plus etiã permittat ſuis, quàm ſibiipſi. Solum nomẽ ſibi propriè vẽdicat. Et in nullos eſt tyrãnus indulgentior, quàm in ſcelerũ miniſtros: quippe quorum opera ſentiat ſuum imperium contineri. Proinde ſub vnius vmbra ſatelles omnis, omnis miniſter, familiaris, leno, tyrannidem quandam in ciues exercet. Ridiculè fecero, ſi hoc quoque coner argumentatione probare, Iudices. Vidimus, ſenſimus, experti ſumus, niſi fortè tam diutinæ calamitatis memoriam, tam pauculi dies obliterauerunt. Neque enim eſſet res vſqueadeo miſera tyrannis, ſi vnius modò foret toleranda violentia. Quot ferendi latrones, quot ſacrilegi, quot ex extrema barbarie aduenæ, feris quàm hominibus ſimiliores? Neque deſunt qui ſe ſimulẽt apud tyrannum ſceleribus ſuis gratiam promeritos eſſe, quò nimirũ hoc nomine metuantur à ciuibus. Horum igitur vnumquemlibet tyrannum appellabis, & pro quolibet occiſo tyrannicidæ præmiũ petes? Non in tantum omnem exues pudorẽ, opinor. Sed pater ætate feſſus, omnẽ dominatum in filium tranſtulerat: quicquid tyrannicum in vrbe gerebatur, id iuuenis violentia committebatur. Sed iſthuc quantũ abſit ab imagine veri, quis tam cæcus, vt nõ videat? quis tam obliuioſus, vt nõ poſsit experimẽtò refellere? Ego tibi complures nominare ſatellites poſſum filio inſolentiores. Ad hæc, veriſimillimũ eſt nullius inſolentiã minus approbaſſe ſenem, quàm filii, vel quòd odit omnẽ tyrannidis affectatorem omnis tyrannus, vel quòd intelligit ex illius facinoribus longè plus inuidiæ odiiq; ſibi conflari (Callidiſsimi autẽ tyrãni eſt, eatenus legitimũ imitari regnum, quatenus obtineri tyrannis poſsit) vel quòd pater etiam peſsimus, tamen liberorum nõnihil offenditur vitiis, & ad crudelitatis miniſteria alienis quàm ſuis vti mauult. Quòd ſi clã patre rapinas, raptus, atq; id genus facinora deſignabat filius, profectò nõ tyrãnũ agebat, ſed inſolentẽ ſatellitẽ. Sin approbãte patre, quaſiq; per illũ exercẽte tyrannidem, vtri tandem par erat imputari cõmiſſa, huic per quẽ gerebãtur, an ei cuius authoritate arbitrióque fiebant? Nõ arbitror obſcurum, quin huic, cui in manu erat, nutu, ne fierent, vetare. Quid autẽ nõ agunt per alios tyranni? Nam ipſi quidem neque pueros emaſculant, neque virgines abripiunt, neq; proſcribunt, neque bona diripiunt, neq; phana diſpoliant, neque hæreditatibus manum iniiciunt, neque compilant ærariũ, neq; tormentis excruciant, neq; quenquam iugulant, neque armis vicos expugnant, neque incendunt villas. Totum hunc tyrannicum ludum per miniſtros exercent. In vnum tamen tyrannici nominis inuidia competit, in vnum occidendum lex præmium inſtituit, in vnũ ſtringẽdi ferri ius facit, illos ſuæ cognitiõi reſeruat. Quorum vt quiſque ſua opera tyrãno profuit, ita aliud atq; aliud vocabulum imponi poteſt: certè tyranni vocabulum nemini congruit, niſi vni illi, ſub cuius veluti clypeo tota illa pernicioſiſsimorum homi-

Ab ætatis accidentibus ex perſona patris

Libido cũ viribus nõ ſeneſcit.

Cõfutatio ſignorũ à proprio tyrannorum.

num colluuies latitat. Arbitrorvobis, Iudices, ſæpe numero auditũ eſſe id, quod eleganter à doctiſsimis viris eſt ſcriptum, tyrannis nõ longas modò, verumetiã plurimas eſſe manus, plurimos oculos, eósque acerrimos, plurimas aures, eásque longiſsimas. Omnino prodigioſum quoddã eſt animal tyrannus, multóq; Titanibus illis Briareo & Encelado portẽtoſius, centenis capitibus, centenis linguis, cẽtenis manibus, pedibúſq;. Quot enim habet ſcelerũ miniſtros, totidẽ habere mẽbra videtur. Atq; vt ex mẽbris corpus, ita tyrannis ex huiuſmodi cõſtat miniſtris. Verũ vt illud, quod corpus appellatur, nihil eſt aliud, quã quiddã omnibus ex mẽbris aggregatũ, ita in tyrãnide vnũ quippiam eſt, quod neq; pes ſit, neq; manus, neq; vllum aliud membrũ, contineat autem vniuerſa: at ita contineat, vt ab iis poſsit ſeparari: idq; tyrãnus vocatur. Proinde exaggera quantumlibet iuuenis inſolentiã, violentiámque, præfectũ arcis voces licebit, oculũ nomines licebit, aut ſi mauis dextrã: aut ſi ne id quidem ſatis, præcipuum tyranni caput dicas licebit: tyrannũ certè vocare nequaquam potes. Vnum enim illud portentum tyranni nomine cenſet, cuius authoritate tot illóque cuncta hæc membra velut animantur: idq; vnum ſorti ciui permittit occidere. Non vult te in oculum aliquem inuolare: nõ ſinit vt caput aliquod amputes, ne tale quiddam eueniat, quod de Lernæa Hydra fabulãtur poetæ, vt pro vno capite reſecto, duo peſtilentiora ſubnaſcantur: pro vno excuſſo oculo, plures acriores ſuccedãt: pro vna reſciſſa dextera, multæ robuſtiores ſubpullulẽt. Vnius vitæ tedominũ arbitrúmq; conſtituit, qui ſibi ſit auſus tyranni vindicare nomẽ: quo ſublato futurũ ſit vt mẽbra reliqua, quaſi deſtituta ſpiritu, emoriantur, aut certè ſanentur. At quid ego tecum iam accuratis argumentationibus ago? Poſſum illico tuis te verbis reuincere, ac veluti tuo te laqueo capere. Iuuenem paulò antè magnũ patris ſatellitẽ nominabas. non inficiabere. rurſum alio loco dicebas omnẽ tyrannidem occupaſſe filium: ſolius appellationis honorem ceſsiſſe. Qui conuenit eundem & ſatellitem & tyrannum appellari? Tum ſi ceſsit, nõ igitur vſurpauit tyranni nomen. Contractus autẽ verbis aut ratiſunt, aut reſcinduntur. Lex hac tecum formula contraxit, Si quis tyrannum occiderit, præmium ferat. Quid tu mihi iuuenis flagitia commemoras? Id te lex voluit occidere, quodcunq; illud eſſet animal, quod tyrannus diceretur. Magnũ (vt ipſe fateris) ſatellitem occidiſti, nõ tyrannum: quid tibi cum lege rei eſt? At rem, inquis, legis ſequutus ſum, nõ ſyllabas: eum interfeci, qui caput erat tyrannidis, paratus hæres paterni dominatus: libertatem peperi, ſeruitutem ſuſtuli: hoc lex ſenſit: huius rei authori præmium præſtituit. Satellitem, inquam, occidiſti, nihil moror quantũ, quàm grauem, quàm ferocẽ, quàm ſceleſtum: ſatellitem tamẽ occidiſti tyrannidis, non caput: aut ſi caput, vnum è pluribus. Sed hæc omnia tibi ex animi ſententia largiamur: fuerit ſanè res tota tyrannidis filius: pater nihil niſi vocabulũ quoddam inane tyranni: quemadmodum in fabulis habetur, Echo nympham nihil aliud quàm meram quandam fuiſſe vocem ſine corpore. Quî tibi licuit in re tanta à verbis legis diſcedere? præſertim ita dilucidis, vt perſpicuum magis nihil eſſe poſsit, & cõmon titiam interpretationẽ domi tuæ natã in iudicium adferre? Ego Iudices, nullum in Rempub. exẽplum pernicioſius induci poſſe iudico, quam ſi conſuẽſcant homines calumnioſi à præſcripto legum recedere: & interpretamento, quod ad prætexendum facinus quiſque ſuum maximè idoneum cõminiſci queat, id iudicibus obiicere. Quis autem vnquam meminit de legis ſententia quæri ſolere, niſi quum in ſcripto quiddam apparet ambiguè obſcuréve dictum: aut quum ex verbis & euentu abſurditas quæpiam extitit, eáq; manifeſta? In priore nõ cuiuſuis commentum, ſed iuris prudentiũ reſponſa, ſed Iudicum ſententia recipi ſolet. In hoc poſteriore neceſsitas ipſa cõpellit aliquantiſper à legis vocibus deflectere, & æquitatẽ iuris potius quàm verba ſpectare. Duplex itaq; periculum videtis Iudices: alterum, ne ſuperſtitioſa cauillatione literarum legis, ab eo quod lex ſpectauit, abducamur: alterũ, ne paſſim à præſcripto diſcedendo, leges omneis & iudiciorum religionem ſubuertamus. Quorũ illud quidem multo leuius eſt, propterea quòd vix vnquam accidat vt legiſlator obſcurè quid voluerit, explicuerit: aut abſurdũ quiddam exoriatur. Hoc multò periculoſiſsimũ, pernicioſiſsimúmq;. Etenim quæ tandem lex futura eſt, quam verſutus calumniator, quò pœnam effugiat, nõ facilè poſsit aliquo commento ſubuertere? Neque quiſquam nõ elabetur è iudicio veſtro nocẽs, niſi qui ſit vſqueadeo nullius ingenii, vt ne friuolam quidem aliquã cõmentatiunculam queat inuenire. Atque vt cuique cõmodum erit, aut animi libido feret: ita pro ſene iuuenẽ, pro tyranno ſatellitem, pro homicidio tyrãnicidium, & paſsim aliud pro alio interpretabitur. Veſtra interim, Iudices, religio, veſtrũ iuſiurandum, qua tandem ratione ſeruabitur, quibus nihil futurũ eſt certi, quod in cognoſcendo ſequamini: verũ ambiguas diuerſaſq; litigatorũ cõiecturas ſpectare neceſſum erit? Ergo quum in omni cauſa maximopere cauendum eſt, ne ſine grauiſsima ratione à legis præſcripto diſcedatur: tum in hac nõ periculoſum modò, verùm etiam abſurdiſsimũ: quum legis verbis nihil poſsit eſſe dilucidius: ſententia nihil æquius: interpretamento, quod præter legis mentẽ inducitur, nihil peſtilentius. An credimus legis huius authorem vſqueadeò infantem, & verborum inopem fuiſſe, vt dicere nõ potuerit: Qui quouis modo tyrannidem ſuſtulerit, huic præmium eſto, ſi modò iſthuc ſenſiſſet? Neque verò fugit illum, totã tyrannidem per ſatellites & præfectos exerceri ſolere, permultóſque in his eſſe vel tyrannis ipſis ſceleratiores, atq;, vt ita dixerim, tyrannicos magis, & omnino ſupplicio digniores: niſi & omniũ omnia miniſtrorum ſcelera tyranno imputarentur. In vnũ tamen illum, qui hoc nomine cenſetur, tibi ferro graſſandi facultas data eſt. In reliquos nõ tibi permittitur idẽ: nõ quòd illos vita dignos iudicet lex, ſed quòd vnius cæde totam tyrannidem tolli velit, non multorum cæde reddi duriorem. Tuũ erat legi ſimpliciter parêre: neq; eius verba quaſi plumbeã quandam regulã ad tuum facinus accommodare, verùm ad illius præſcriptum factorum tuorum rationem inſtituere, præſertim in hoc exemplo, quo nõ aliud poteſt admitti peſtilentius, vt ex legis arbitraria interpretatione, quem velis, interficiendi tibi pro tua libidine

pro legibus, eas nõ temere à verborum vi deflectẽdas & interpretandas eſſe.

A periculo

A conſilio legislatoris.

Opponit verba legis

Cõceſsio, etiã ſi filius tyrannus maximus fuerit, tamẽ occidẽdũ nõ fuiſſe. Locus

Aliud à periculo.

libidine licentiã ſumas. Nõ illud hic ſpectandum, Iudices, quã inuiſus Reip. ſit qui occiſus eſt, quàm maiore etiam ſupplicio dignus: verùm id etiã atque etiam perpendere oportet, exemplũ præter leges iugulandi homines, ſemel in ciuitatẽ receptum, ſemel veſtris ſententiis approbatum, deniq; præmio compenſatũ, quò tandem licẽtiæ ſit proceſſurum. Quod iſte ſibi in tyranni filium licere voluit, hoc alius ſibi volet in ditiſsimũ quenque ciuiũ licere. Quiſquis pauper à locuplete cõtumelia afficietur, protinus tyrannum eum appellabit, & veneno aut ferro adorietur. Poſtremò ſi cui magiſtratus non placebit, ſi cui iudex erit inuiſus, nõ dubitabit è medio tollere. Porrò ad facinoris defenſionẽ, Sophiſtam quempiã, aut ſycophantam cõſulet (ſi ipſe ingenio ſtupidiore fuerit) & nouam legis interpretationẽ vobis adducet: dicet nihil aliud ſenſiſſe legiſlatorem, quàm vt huiuſmodi ciuiũ genus nõ nomine ſed re tyrannidem agẽtium, ferro, igni, veneno tollatur è medio. Atque ita breui futurum eſt, vt quod in vno factum ſemel & probauimus, & gauiſi ſumus, id in multis ſæpius & doleamus, & improbemus. Credite mihi, nõ mediocre diſcrimẽ neq; conueniẽter accipiendũ, vt titulo reperto priuatus hominem indemnatũ interficiat. Id ita eſſe facilè liquebit, ſi quidẽ animaduertimus nihil omniũ eſſe, quod lex parcius circunſpectiúſque permiſerit. Etenim (ſi memini) tribus dũtaxat temporibus lex indulſit vt quis citra iudicium hominẽ occidat. Primùm adulterũ, ſed in vxore deprehenſum: id quod intẽperanti & inſuperabili mariti dolori donatum eſt: at ita, ſi corpus vtrunque pariter interimat, ſi argumentis idoneis deprehenſum fuiſſe doceat. Deinde in vi depellenda: at ita, ſi demonſtres te mortẽ effugere nequiiſſe, niſi mortẽ intuliſſes. Id lex ita interpretatur, quaſi ſeſe tueri potius ſit iſthuc, quã alium occidere. Vterque tamen facti ſui rationem reddere compellitur, ſtatim ſeſe prodere, nec expectare donec in ius trahatur: atque (vt ita dicã) vltro ſemet reum facere cogitur. Quòd ſi omnia conſtabunt argumenta, ita demum à lege dimittitur, vt venia nõ laude dignus eſſe videatur. Poſtremò in tyrãnicidio, vbi propter periculi ſuſcepti magnitudinẽ lex præmiũ quoque proponit: at ita, ſi eũ, quem tibi lex iſto velut inſigni tyrannici nominis denotauit, fortiter occideris: nõ ſi ſceleſtum alio ſcelere ſuſtuleris: neq; patietur te ius occidẽdi permiſſum, latius quàm ad vnicum tyranni caput trahere, niſi ſi quis obſiſtat, vt per illius necẽ tibi neceſſe ſit ad illum penetrare. Iámque hoc factum tuum ſecũda illa ratione defenditur. Huic tertio generi fortaſſe proxima videatur hoſtem in bello feriẽdi facultas: quam tuæ tamen libidini lex non permiſit. Niſi palàm hoſtis ſit declaratus, niſi in Imperatoris verba iuraris, niſi ille aciem eduxerit, niſi ſigna canere iuſſerit, tibi fraudi futurum eſt hoſtẽ interfeciſſe. Tu dicturus es: Hoſtem occidi, nam plus quàm hoſtilia faciebat: nomen hoſtis tantùm aberat, re hoſtẽ agebat. Lex reſpondebit, ſuarum partiũ fuiſſe, hoſtem declarare: ac tuo fortaſſe ſcelere fruetur: verùm ne ſerpat exemplum, pœnas de te ſumet. Quid autem aliud abs te factũ eſt? Vnũ tibi lex nominatim deſignauerat: tu illius vocabulum tuapte authoritate in alium transfers, quod niſi in vnum non poteſt com

A voluntate & fine legis.

petere, neque traduci debet ab eo, cui lex attribuerit, ne tibi fas ſit aliquando quem voles magiſtratũ, quem voles iudicem, quem voles ciuem, tyrãnum appellare. Neque verò ſine grauiſsimis cauſis lex tot vinculis adſtrinxit hanc in vitã alterius licentiam. Perpendit nihil maius eripi cuiquam poſſe, quàm vitam: vidit in extinctum facilè varias cauſas confingi etiam impunè poſſe, quandoquidem ille non ſit refutaturus, qui iacet. Vidit quàm multis titulis ſuum quiſque dolorẽ poſſet prætexere, ſi poſt occiſum hominem vlla cauſa recipiatur præter eas quæ legibus ſint expreſſæ. Quid quòd gratiatim ſibi quoque lex permiſiſſe videtur vt homini vitam eripiat? quàm comperta, quàm multa requirit argumenta? quàm multa concedit reo? quàm malignè agit cum actore, quẽ non niſi ſuo periculo vult accuſare? quãtũ ſpatii largitur ei qui defertur? quàm liberam Iudicũ reiectionem? Quantũ igitur à mente legis abeſſe putes, vt cuilibet permittat, vel pro ſuo priuato dolore, vel domeſtica iuris interpretatione, hoc eſt, ſubuerſione, in cuiuſquã vitam graſſari? Neque ad rem pertinet, quantum criminũ acerbum exaggeres, quantumuis etiam verorum, addo notorum: dicas, parricidam, ſacrilegum, inceſtum, proditorem, peculatorem, veneficum interfeci: Tyrannum lex iubet occidi. Atqui hic vnus multis tyrãnis erat ſceleratior, peſtilentiórque ciuitati. Ad iſta tam multa crimina lex tibi verbo reſpondebit: Nihil moror quàm fuerit ſceleroſus, qui periit: inuenum tyrannum tibi ius feceram occidendi, in reliquos in ius trahẽdi. Si deuiliſſes, auditus, reuictus, dãnatus à me palàm pœnas dediſſet, omníque Reipublicæ ſalubri exemplo fuiſſes. Nũc tu priuata libidine interficiens, pro ſaluberrimo exẽplo perniciоſiſsimũ in ciuitatẽ induxiſti, & legũ inſtaurationem à legis violatiõe auſpicaris: hoc eſt, malis malo mederi ſtudes. An me clã eſſe putas, quàm multi ſint in hac turba vita indigni, morte digniſsimi? At eos meæ cognitiõi, nõ tuis manibus ſeruo: ſunt fora, ſunt tribunalia, ſunt iudices, ſunt carceres, ſecures, carnifices. Quur tu mihi præire conaris? quur nullo mandante magiſtratum occupas? & dum Tyrannicida videri vis, tyrannum imitaris? Nam quo alio nomine tantopere mihi eſt inuiſus ille, niſi quòd mihi parẽre recuſat, & præire conatur? Ei demum ferrum tractare licebit, cuius manibus ego permiſero. Si iuuenem occidiſſes, quòd nõ alia patuiſſet ad tyrannum via, darem veniam neceſsitati: nunc occidiſti nõ obſiſtentem, non auxilium ferentem patri, ſed patris opem implorantem. Huius vnius cæde contentus diſceſsiſti, tyrannum nec impetiſti, in quem vnum tibi ius feceram. Metum erat expendere, vtrum ex vſu Reipub. fuerit, an iuuenis occideretur: malueram illum exquiſitioribus excruciatum ſuppliciis, exemplum omnibus edere. Neque hęc dico, Iudices, quaſi parum gaudeam pariter cum patre ſublatum filium: vtinam eadem opera ſimul omnes ſint oppreſsi, quibuſcunque tyrannus placet. Sed quis prohibet ſimul & gaudere quòd deorum bonitas nobis hanc rẽ bene verterit, & tamen non committere vt huius temeritas, ſi iudicio comprobetur, in legem atque in exemplum trahatur? Nec de iuuenis iniuria vindicanda nũc agitur, ſed de legis violatæ maieſtate. Non enim par eſt, vt

Amplificatio à rei qualitate.

Epilogus.

Amplificat cõfirmatione.

Præoccupatio.

cuiquã perſonæ præter ius extincti odium in ſcele re ſuffragetur. Neq; tam ſpectandum in quem com miſſum ſit facinus, quàm quo exemplo cõmiſſum.

Redit ad argumẽtũ ſuperius.

Alioqui quur non eadẽ opera fas ſit in tyranni nepotes, pallacas, pueros, vxores, liberos, lenones graſſari? Bonam tyrannidis partem vxor ſæpenumero ſuggerit. Ad ſummã immanitatem nonnunquã libertus aliquis, aut vernula inſtigat: quur non & hos iugulas, ſi tibi ius eſt æſtimatione priuata meritorũ ciuem iugulare? Quid quòd eſt aliquid tyranno nocentius, in quod tamẽ haudquaquam tibi ius ſit occidendi? Finge eſſe qui totam hanc vrbem, templa, domos, curiam conatus ſit incendere, imò qui iam compluribus locis ignẽ ſubiecerit, ſed incendium ſubitò exorto imbri reſtinctum: authorẽ nõ obſcurum, verùm abditũ latitare. Eum forte fortuna repertum, manu tua trucidas. Num lex tuum factum approbabit? Non opinor. Atqui tyranno ille quanto erat nocentior? Tantò nimirum, quantò eſt atrocius ciuitatẽ ſemel funditus euertere, quàm expilare: ciues vniuerſos vno igni finire, quàm in pauca quædam ſæuire capita. Et tamen in vnum tyrannũ ſtringendi ferri poteſtas priuatim permittitur: illũ deferendi modò ius habes. Hic in re tam aperta legis mentem calumniari, & nouo interpretamento tuũ facinus palliare, quid tandem aliud eſt, quàm legum authoritatem euertere, atque id per cuniculos quoſdam agere, quod tyrannus palàm ac vi facere conſueuit? In recipienda lege fas eſt populo cauſam æquitatémq; legis excutere: cæterùm receptæ, & lõgo iam vſu comprobatę, ſimpliciter oportet obtemperare. Neque enim exiſtimãdum eſt maiores illos noſtros, viros ſine cõtrouerſia ſapiẽtiſsimos, ita ſine grauiſsimis ratiõibus inſtituiſſe, vt priuatim interficiendi tyrãni facultas vnico capite finiretur. Primùm ad iugulandi licentiam, feneſtram aperiendam ciuibus non putauerunt: deinde perſpiciebant tyrannidẽ fatale quoddam eſſe Reipublicę malum, quod minore noxa toleraretur, quàm malè exagitaretur: neque poſſe ſemel tolli, niſi tyranni ipſius cæde. Quo ſubmoto, videlicet qui legibus imperabat, non parebat, iam nihil opus eſſe priuata audacia, ni mirũ illis in Reipub. adminiſtrationẽ vindicatis. Quod ſi tyrannus in ius vocari potuiſſet, ne hunc quidẽ tuæ dextræ arbitrio permiſiſſent. Videbãt & illud: tyrannidẽ, nonnullã habere monarchiæ legitimæ ſpeciem: hoc tãtùm intereſſe, quòd in monarchia populus regi paret, rex legibus: in tyrãnide omnia vnius libidini ſubiecta ſunt. Rex publicã ſpectat vtilitatem, tyrannus priuatim ſuam: vnde publicitus expedit vt tyrãno veluti principi legitimo ciuitas pareat, donec idoneus aliquis vindex extiterit, qui legum authoritatem in priſtinum ſtatum reſtituat, atque id vnius (ſi fieri poteſt) capitis iactura. Nam hac moderatione in fatalibus illis peſtibus, quę totũ Reipub. quaſi corpus corripiunt, legũ prudentia conſueuit vti: vt exẽplo magis, quàm admiſſi talione, morbo medeatur: ne dum ciuitatem ſanare ſtudet, magnam ciuitatis partem interimat. Hinc eſt quòd in ſeditionibus publicis non niſi in ipſos authores conſueuit animaduerti, reliquis quos tempeſtas illa commouerat, dari venia: aut vix etiam dari venia, qui in publico Reipubli. tumultu quietem egiſſent. Quæ poteſt autẽ peſtis eſſe fatalior, quàm tyrannis? Quæ ſeſe latius in ciuitatis mẽbra diffundit? Quota quæque vrbis pars ab hoc vitio ſyncera poteſt eſſe? Omitto iam quicquid eſt ambitioſorũ, ære alieno obſtrictorum, ſcelere contaminatorum, barbarorum (nam hæc tota ſentina hominũ tyrannide gaudet, vt in qua nullis maiora quàm ſceleratis ſint præmia) bonos etiam ciues hoc malũ inuoluit, dum vel timent fortunis ſuis, vel rectum iudicant ſeruire tempori. In hoc itaque rerum ſtatu leges nõ extinctæ, ſed oppreſſæ modò, cautim & circunſpiciẽter agunt: intelligũt hoc hulcus citra ſummã ciuitatis pernicię exaſperari nõ poſſe, vnius capitis diſpendio commodè ſanari poſſe. Quare docto cuipiam medico præmiũ ottendunt, digito demõſtrant quod membrum ſecari velint, quibus abſtineri. Caput indicarunt illæ, tu dextram ſecuiſti. Illæ tyrannum, tu tyrãni ſatellitem occidiſti. Quo præmio dignus? Nempe eo, quo qui morbo inſcitè exagitato, totum hominẽ in extremum vitæ diſcrimen adducat, quo qui hominem legibus vetãtibus occidat. Neq; ego nunc te cædis reũ ago, aget alius fortaſsis, cuicunque lubitum erit: verùm illud modò conſilium fuit, oſtendere tibi quàm inſignitæ ſit impudentiæ, in ea cauſa tam eximiam tibi vendicare laudem, tam egregia poſcere præmia, in qua nequeas obtinere, ſi modò tecum exactius ac ſeuerius agatur, vt graueis pœnas effugias. I nũc, & curioſum me voca, qui tã candidè tàmq; ciuiliter tecũ agam, vt quum te poſsim in graue diſcrimen vocare, ſat habeam legis & Reipub. cauſam defendere, ne circunuẽta præmiũ dare cogatur ei, qui nihil boni ſit promeritus. Id quod non iudicibus modò (quibus iſthuc iam dudum liquere puto) verùm tibi etiã ipſi cupio perſuadere: & facturum me confido, ſi modò tantiſper animum poſsis attendere. Vín' igitur, vt quẽadmodũ tu faciebas, itidẽ & nos ſummatim totam cauſam ob oculos reuocemus? diſpiciamúſq; quàm multa tuo in facto deſiderentur ad id, vt legi ſatisfeceris: & quantum tu ſis hallucinatus, quũ multa diceres etiã ſupereſſe? Tria quædã requirit lex, & ita requirit, vt ſi quodlibet horum deſit, aut pœnã te, aut certè nihil gratiæ debere ſe credat. Quorum ego nõ vnum aliquod, ſed vnumquodq; deeſſe docebo. Quod ſi facio, vtrum æquo animo cedes præmio, an impudenter petere perſiſtes? Ergo rem accipe. Niſi tria hæc tibi conſtiterint, non eſt quòd tyrannicidæ præmiũ petas: Animus, via, & effectus.

Redit ad authoritatem legũ.

Correctio.

Locus ab imo ad ſummum.

Animus.

Animus duo quædam complectitur, vel quid ſperaris, vel quid propoſueris. Nam ſi tyrannũ per imprudentiã occidiſſes, ſi præter propoſitum, nõ magis profectò præmium tibi debeatur, quàm ſi quis tyranno amiciſsimus idem feciſſet. nam idẽ potuit accidere. Tu porrò quid propoſiti in arcem attuleris, ipſe videris: ita demũ legi perſuaſum erit te voluiſſe occidere tyrannum, ſi occideris. Non occidiſti, atq; id etiam quum tibi in manu fuerit (vt ais) ſi libuiſſet, interficere. Lex negat ſua referre, vtrũ tyrannicidii propoſitum in arcem non attuleris, an allatum repentè mutaris. Iam quid ſperaris, excutiamus. Quanquam iſthuc leges non ita valde curioſe penſiculantur: ſed tamen in tam abſoluto facinore partes omneis conſtare oportet. Quid enim ſi tyrannum interfeciſſes, quò tyrannidem ipſe occupares, vtrum præmium ſperares, an ſuppliciũ metueres?

res? Quid ſi quò priuatum animi tui dolorẽ vlciſcereris, tyrannũ occidiſſes, atq; id eſſet palàm, num præmium auderes poſcere? Quid ſi latrones tyrannum forte fortuna obuium obtruncaſſent, num ad hunc honorẽ aſpirarent? Quid ſi quis tyranno priuatim infenſus, magna te pecunia conduxiſſet quò ei tyrãno venenum dares, dediſſéſq;, num, quæſo, tyrannicidæ præmiũ poſtulares? Ego hîc tecũ non ago coniecturis: nihil dico in vitam tuam, quæ quidem obſcurior eſt, quàm vt tu, alioqui tã glorioſus, quicquam de ea auſus fueris dicere: illud vnũ affirmare nón dubitem, qui tyrannum quum tutò licuerit, non occidit, planè noluit occidere. Qui eum occiderit, cuius mors extremum exitiũ Reip. videretur allatura, potius quàm vllam cõmoditatem: is aut priuatum dolorem vlciſci voluit, nõ libertatem publicam vindicare: aut emolumẽtum ſuum ſequutus eſt Reipub. periculo, non ſuo periculo Reipub. ſtuduit prodeſſe. Poſtremò nõ poteſt niſi gloriæ ieiunio adductus videri, qui tã inſolenter ſe iactat. Non poteſt nõ videri lucrũ ſequutus, qui tã improbè præmiũ flagitat. An non vides igitur quantopere hac parte à tota legis mente diſſentias? quem illa tuæ vitæ periculo ſua cauſa voluit occidere, eum tu nõ ſolùm volẽs præteriſti, verũetiã periculoſè in Rempub. iritaſti. quẽ ſua cauſa noluit occidi, eũ tu maximo noſtro periculo tui cõpẽdii aut animi fortaſſe gratia iugulaſti. Sed finge te animum tyrãnicida dignũ ad facinus attuliſſe, lucri perinde vt vitæ cõtemptorẽ: magni tamen refert, qua ratione tyranni dem tollere aggrediaris. Iã enim omnia tibi ex animi tui libidine largior, quæ tamen nemo alius tibi
II conceſſurus eſt. Te in filio iugulaſſe patrem, in non
Actio. tyranno tyrannũ. Largior iſthuc Delium aliquem tibi prædixiſſe, vt certum præſcire potueris, quod ipſe etiam vix diuinare Delius potuerit. Licuiſſe tibi patrẽ occidere, ſi libuiſſet, verùm hoc pœnæ genus tibi magis placuiſſe. Suſtuleris ſanè tyrannidẽ, idq; noua quadam & inuſitata ratione. Vides quàm multa tibi dono. Tamen obſiſtam tibi, nec ſinã ferre præmiũ, propterea quòd ea via ſuſtuleris, quæ legi nõ probatur, quæ nõ expediat moribus ciuitatis, quæ nõ ſit forti viro digna. Agè quid ſi tyrãni filiũ infantẽ in cunis iugulaſſes, & rurſum adfuiſſet Delius ille, per quẽ certũ præſcire poſſes, fore vt necato puero pater ſibi mortẽ accerſeret, atq; id eueniſſet, vtrũ te tanquam tyrãnicidã ſuſpiceret Reſpub. an potius tanquam immanem & ferum hominem execraretur, qui in eam ſæuieris ætatem, cui etiã ab hoſte armato parcitur, quæ leonibus etiam miſeranda videatur? Quin ergo? Vtetur tuo malefi cio Reſpub. cæterùm exemplum haudquaquã probabit. Quid ſi tyranni vxorem, quã ille miſerè deamaret, per vim cõſtupraſſes, atq; ille eius impatiens contumeliæ, fugerit è vita, vtrum tyrannicidii laudem flagitabis, an raptus & adulterii ſuppliciũ potius formidabis? Res obſcura non eſt. Conferã tuo facto propiora. Quid ſi tyranni medicus quũ eſſes, veneno ægrotanti dato, illum ſuſtuliſſes, vtrum vt veneficum oderit te Reſp. an vt virum fortẽ admirabitur? Tyrannum ſublatum gaudebit, facti rationem modúmq; deteſtabitur. Quid ſi quũ te tyrannus familiariter vteretur, tu in conuiuio prætextu neceſsitudinis venenũ porrigeres? Denique ſi per magicas imagines ac maleficas quaſdã deuotiones tyranno vitam ademiſſes, vtrum à lege præmiũ, an pœnam expectares? Atqui tyrannidem vtcunq; ſuſtuliſti. Euẽtu gaudet lex: verùm exemplũ tam perniciоſum in Rempub. non recipit, vt conſueſcant ciues ſcelus vlciſci ſcelere, patrẽ in filio iugulare. Vides quantum momenti ſit in modo viáque vt factũ tuũ approbetur? Quod lex permittit vt fiat, nõ ſtatim permittit vt id via qualibet efficias. Adulterum ferro occidere licet, veneno aut incantamentis non licet. Cur ita? Quia peſtilens exemplum omnino tractare venena: nec id vlla cauſa quantumuis honeſta ſinit in ciuitatem irrepere. Quid quòd ne hoſtem quidem veneno aut malis artibus interficere fas eſt? Nam nuſquã nõ improbat maleficia lex; & veneno tincta tela etiam in bellis interdicta ſunt. Quòd ſi modus facti ſpectatur in his, in quibus nullum petitur præmiũ: quantò magis id fiet in his, in quibus ſummum petitur? Lex triumphũ ſtatuit ei, qui certum hoſtium numerum fuderit. Fuderit aliquis non acie, ſed aquis & pabulo veneno tinctis: vtrũ ciues hunc æquis oculis ſpectare poterunt triumphantẽ, an potius ſicuti veneficum oderint, auerſabuntur, execrabuntur? Quid quòd priuatis etiam in rebus via modúſq; perpenditur? quò magis idem oportebit tum in publico, tum in ſplendidiſſimo facinore, vt à quo conueniat omnem ſceleris ſuſpicionem abeſſe? Agè illud tecum reputa, ſi medico mercedem pactus eſſes, quò te morbo leuaret, atque ille nõ pharmacis, ſed maleficiis & incantamentis morbũ exemiſſet, vtrum præmium dabis, an magis hominem in ius trahes? iniuriæ malis artibus datæ reum ages? Clamabit ille, Morbo te leuaui: quavia, quid iſthuc tua refert? Hoc tantùm ſpectabas, vt morbo liber eſſes. ei rei merces eſt promiſſa. Ingratũ te vocabit, qui niſi ſua opera, ne eſſes quidem qui præmium negare poſſes. Tu protinus reſpondebis, opinor, Medico te præmiũ eſſe pollicitum, non mago: neque debere quicquam, niſi rem malam ei qui beneficium malè dederit. Quanquam ne dediſſe quidem videtur, qui malum malo tollit. Id enim mutare eſt incommodũ, non amouere. Dices enim animo nocitum, dum corpori ſubuenitur. Atque iſtam litem vinces etiam iniquo iudice. Atqui eadẽ, aut melior etiã & vincibilior eſt tecũ cauſa legi, quàm quæ tibi futura fuerat cũ medico. Nã ibi de priuata mercedula diſceptaretur, hîc de publico honore. Ibi falſus eſt vnus, hîc legi fraus facta, per quã cautum oportuit ne quiſquam ciuium circunueniatur. Ibi ſalus data, certa quidem & efficaci, ſed ſuſpecta & improbata via: hîc nefario ſcelere (quur enim nõ ſic appellatur, homicidium, quod in ciuem contra legem admiſſum ſit?) non libertas reſtituta, ſed in extremum diſcrimẽ adducta Reſp. quandoquidem tuũ factum perinde habet, ac ſi medicus quiſpiam ad curam mercede conductus, venenum pro remedio miniſtret: quod tamen ægrotanti (ita vt non rarò conſueuit accidere) per occaſionem morbum adimat. Qui reualuit, ſuis fatis acceptum feret quòd viuat: tibi mortem, tamerſi vitarit, imputabit. Neq; ſua referre putabit, vtrum imperitia, an perperam ac ſtudioſè pro pharmaco venenũ porrexeris: propterea quòd tui fuerat officii, aut non ſuſcipere negotium, aut fidem ſimul, & artem,

& induſtriam, ac diligentiam, & quicquid à probato artifice ſolet requiri, ad curam adferre. Sed age, ſinimus adhuc poſsidere te, quod dudum ſumus largiti: vt planè iſta via tyrannum occideris citra vllum Reipub. diſcrimen. Lex non approbabit facinus tuum, niſi non tantùm à crimine, verùm etiam ab omni criminis ſpecie procul abfuerit: ne videlicet ea quæ in hoc potiſsimùm adhibita eſt in ciuitatem, vt maleficiũ omne ſecludat, incolumitatẽ ſuã, quam conueniebat aut Deo cuipiam, aut certè Diis ſimillimo homini acceptam referri, ſceleri debere dicatur. Non approbabit, inquam, niſi tyrannum ipſum, quem nominatim indicauit ipſa, quáque permittit via ſuſtuleris: ne per rimam iſtam periculoſum exemplũ in Rẽpub. irrepat. Poſtremò non niſi ferro, non clancularijs ac maleficis artibus, niſi virtute, niſi manu, niſi vitæ tuæ manifeſto contemptu tyrannũ trucidaris. Neq; enim hoc tantùm ſpectat lex, vt tyrannus in præſens ſubmoueatur: verũ illud multò magis reſpicit, vt omnes mortales intelligant in ea ciuitate viros eſſe fortes, qui nõ vereãtur vitæ ſuæ diſpendio patriæ commodis conſulere: ac præclari exẽplo facinoris, omnes etiam in poſterum ab affectatione tyrannidis deterreantur: cum videant in ea ciuitate nullum eſſe tyrannis ſatis tutũ præſidiũ: quandoquidẽ illud nemo neſcit, qui vitæ ſuæ ſit contemptor, eum eſſe alienæ vitæ dominũ. Nam quod omnino ſatellitium, quæ excubiæ, qui parietes, quæ arx, quæ arma aduerſus huiuſmodi animum tyranni caput defendant, qui patriæ libertatẽ ſua vita bene credat emi? Poſtremò autẽ, vt maximè tibi conſtet animus, vt conſtet via: id quod eſt totius negotii caput, non effeciſti. Tantum enim abeſt vt tyrãnum occideris, vt quantum in te fuit, tyrannidem maiorẽ in modum auxeris, interfecto tyrãni filio. Quid autem refert, malitia an ſtultitia Rempub. in diſcrimen adduxeris? Nam illo quod vulgò dicunt, nihil verius, Intẽpeſtiuam beneuolentiam nihil à ſimultate differre. Tantum abeſt vt occideris tyrannum, vt ne ſuſpicari quidẽ potueris id euenturũ, vt ipſe ſemet occideret. Sed iuuenẽ occidiſti patre inſolentiorem: quid tũ poſtea, ſi patri & huius ſcelera lex imputat? Magnum proinde tyranni ſatellitem, non tyrannum occidiſti. Sed paratũ tyrannidis hæredem occidiſti: in tyrannidem ſuccedit, qui prior, qui potior eſt in occupando. Verùm eſto ſanè, certum hæredem ſuſtuleris, igitur qui tyrannus erat futurus, interemiſti. Atqui quod futurum eſt, id nondum eſt. Porrò lex eum qui iam tyrannus ſit, tolli iubet: non quem aliquando futurum diuines. An qui ſtatuam ex pacto debeat, & rudem truncũ præſtiterit, fidem perſoluiſſe videatur? Nõ arbitrabor. Vbi nũc igitur ſunt illa tam multa, quæ tibi ad præmium poſtulandum ſupererant? Vides quàm ne vnum quidem omniũ tibi cõſtet, quorum nihil oportebat deeſſe. Volui, inquis. Id demum voluiſſe te lex credit, quod effeceris. Poſtea è re nata propoſitũ eſt commutatum. Hoc igitur præmii tibi debetur, quod ei qui in Olympijs medio è curſu, relicta meta, ad carceres reflectit habenas. At periclitatus es. Proinde id laudis auferes, quod is qui ſudauit in Olympijs, necvicit. Sed occidiſti deniq;: verùm eum, quẽ neq; lex permittebat arbitrio tuo, neque ex vſu publico fuerat occidi. At bene vertit ciuitati, quod feciſti. Numini igitur gratia debetur, tali, qualem Palladẽ Atticis fuiſſe ferunt: de qua prouerbium extat, quòd Athenienſium malè conſulta, in bonum exitũ vertere conſueuit. Non tu leges ſeruaſti, ſed ſuſtuliſti: non libertatem reſtituiſti, ſed numen aliquod huic vrbi propitium, quod euentũ tuæ temeritati debitum, ſua commoditate à nobis auertit, quod tuam ſtultitiam nobis vertit in occaſionem reſtituendæ libertatis. Non ego ingratum erga te populum conſtituo, imò tu populum ingratum in Deos reddere laboras: quẽ quum ſemel in periculum vocaris, ne pro ſimplici tyrannide duplicatam pateretur: nunc rurſum in diſcrimen trahere conaris, ne ab iratis ſuperis in priſtinam ſeruitutem aut grauius aliquod infortunium retrudatur. Quid tu te fucis & phaleratis dictis in alienum meritum inſinuas? Quid tibi in eo negotio laudem vniuerſam vendicas, ex quo præter pœnam temeritatis nihil ad te redire meritò poſsit? Si Reipub. ſi Iudicibus probare potes animum tuum tyrannicida dignum, qui nullũ periculum vitæ Reipub. cauſa recuſarit, ſi facinus non ſcelere, non pernicioſo exemplo, ſed legitima via peregiſti, ſi fortuna tuis egregiis conatibus bene expeditum dedit euentum: aude tyrannicidã te vocare: aude pulcherrimũ ac penè diuinum munus à Repub. poſcere: aude nobis ſeruatas leges, reſtitutã ciuitatẽ: aude templa, aras, focos, fortunas omneis, tutos pueros, inuiolatas virgines, impolluta matrimonia, deniq; hoc ipſum quod hîc lege & apud Iudices agimus, exprobrare: aude mihi minari, quòd obſtiterim: aude ciuitatem ingratitudinis inſimulare, niſi laudem promeritam perſoluerit: aude Iudices vel iniquos vel corruptos clamitare, niſi ſuis ſententiis præmium tibi decreuerint. Contrà ſi ſuſpectum quid volueris, ſi periculoſum, ſi contra leges, ſi cum ſcelere coniunctum quod feceris: ſit pudor, ac deſine tãdem improbè præmium flagitare, quod nulla ratione promerueris: pœnã, ſi ſapis, inci pe deprecari. Iſthuc fortaſsis ab æquitate Iudicum, à ciuitate deorum munere læta, queas impetrare. Neq; enim putes vnum me te à præmio deterrere. Imaginare iſthuc in cauſa pariter & leges, & Rempub. & deos tibi aduerſari. Puta leges his tecũ verbis agere: Si nos verè reſtitutas videri vis, ſine noſtram authoritatem primùm in hac tua cauſa valere. Longè plus laudis ex hoc iudicio referes, ſi nobis ceſſeris, ſi parueris, ſi tuam cupiditatẽ noſtro ſubmiſeris arbitrio: ſi primum exemplum in te ciuibus ediderís, reuixiſſe nos: ſi monſtraris ciuitati iam nõ ex ſceleratorum libidine, ſed ex noſtro præſcripto cuique viuẽdum eſſe. Atque altera ex parte Rempub. hac tecum oratione vti puta: Si ciuem bonum mihi præſtare ſtudes, noli hanc ſtultitiæ notam mihi inurere, vt in poſterum re cognita, dicar ebrieta te quadã gaudiorũ ei præmiũ decreuiſſe, cui pœna magis deberetur. Noli mihi deos, quos vix deniq; tam diutinis votis, tot precibus, tot ſacris, tot meis malis placaui, commoui, propitios reddidi, denuò per ingratitudinẽ iratos atq; infenſos reddere. Sine vt mihi per te liceat ſaltem illorum beneficio frui. Quòd ſi te neq; leges, neq; Reſpub. cõmouet, certè deorum orationem vereri debes, quos ita tecum agere putato: Quid tu te in noſtrę laudis poſſeſſionem

III Effectus.

Peroratio.

nẽ ingeris? Quid honori noſtro inuides? Quur nõ ſinis nos in hanc ciuitatẽ perpetuò benignos eſſe? Quur tu ipſe tã ingratus exiſtis? Ciuitas hæc ſemel mihi reſtitutã libertatẽ debet, tu bis debes cõmodi tati noſtræ, & quòd Rẽp. ſeruauimus, cuius tu pars es, & quòd cõmoditate noſtra tuã periculoſam ſtul titiam, vel ſcelus potius, in maximã felicitatem ver terimus. Etenim niſi nos dextri propitiíq; adfuiſſe mus, quid aliud tu quàm perieras, & per te Reſpub? Quod ſi planè contendis, vt præmium aliquod fe ras, abunde magnum præmium à nobis perſolutũ eſt, quòd per nos res à te malè inſtituta, bene verte rit: A legibus meritò maior relata gratia, ſi noſtræ proſperitatis reſpectu, temeritatis ſimul & ſceleris veniam cõdonarint. A ciuitate ſatis amplã laudem feres, ſi ea patiatur, vt in reſtitutæ libertatis hiſtoria tuum quoque nomen admiſceatur. Haç laudis par te cõtenus deſine nobis debitum velle præripere, ciuitati munus noſtrum eripere, legibus authoritatẽ adimere. Sed finẽ facio, nimirũ extillata iã aqua Quod ſupereſt, nũc veſtræ partes ſunt Iudices, ſtatuere, vtrũ ſecũdũ leges, ſecũdũ Deos, ſecũdũ Rẽpub. ſententiã dicere, an ſecundũ hunc glorioſum oſtentatorẽ pronuntiare velitis. Vtrũ hãc vrbis felicitatẽ huius temeritati, huius ſceleri acceptam fer re malitis, ſæpius exprobrandam, & breui fortaſsis à ſuperis iratis (id quod abominor) auferendam: an in Deos, quibus ſine controuerſia tota debetur, referre, eorundem pietate ſeruandam, augendam, benẽq; fortunandã. Vtrum magis ex vſu ſit, vt primo hoc iudicio ſtatim leges circunuẽtæ dicantur, an vt appareat legum reſtitutarum ſeueritatem, & Iudicũ ſapientiam aduerſus vnius iniquam poſtulationem valuiſſe.

ABDICATVS,

ERASMO ROTERODAMO interprete.

ARGVMENTVM.

Quidam abdicatus artem medicinæ didicit. Patrẽ inſania laborantẽ, reliquis medicis deſperãtibus, dato pharmaco cũ ſanaſſet, denuò receptus eſt in familiã. poſt hæc nouercam inſania correptã ſanare iuſſus, abdicatur. Porrò genus orationis Iudiciale eſt, Status qualitatis. Sub hac enim & Abdicationis cauſas Quintilianus ponit, quarum duas ſpecies facit: alteram criminis perfecti, & alteram imperfecti, ad quam & præſens cauſa hæc pertinet. Exordium maxima ex parte querela conſtat. Nam & de iniquitate patris conqueritur, qui ſe nõ ſecundum artem, ſed ad præſcriptum curare iubeat: & de ingratitudine, vt qui pro beneficio reſtitutæ ſanitatis, eam ſibi nũc gratiam referat, vt iterum abdicare cogitet. Hanc querelam, perſonarum, ſuæ & nouercæ videlicet, cõditionibus amplificat, inuidiæ paternæ accuſationis etiã occurrens à conſueto & more patris: id quod ſtatim ab initio facit. Exordium propoſitio ſequitur, cui Narrationem ſubmittit, non tam exponendæ actionis gratia, quàm vt anteactam vitam ſuam, & beneficium in patrem collatum, iudicibus commendet. Cõfirmatio tribus locis conſumitur: primo, quo oſtendit non licere patri, vt in familiam receptum, denuò abdicet, à cauſa legis, & voluntate legislatoris: quod argumentum ſimilitudine & fictionibus, ſeu παϱαβολαῖς amplificat. Secũdo, quo iniquũ eſſe docet, ſe, tã bene meritũ de patre, iterũ abdicari, & propræmio pœna affici. Hic locus varie amplificatur, ex qualitate beneficij, à conditione perſonæ, à difficultate & accidentibus artis, à natura & lege & cæt. Poſtremo, neque cauſas abdicationis ſatis idoneas aut efficaces eſſe probat. Neque enim ſe quicquam peccaſſe, neq; nunc cogi debere vt arte ſua vbius vtatur, idq; exemplo reliquarum artium, & ob artis huius conditionem & præſtantiã, deinde ex ſua perſona, qui illam non impenſis patris, ſed tum cum à familia alienus eſſet, didicerit, alioqui etiam neceſſitatem quandam rei abſurdam conſecuturam eſſe. Deniq; non poſſe curari hunc morbũ: quo loco multa de qualitate corporum, morborum & medicinæ in genere diſputat, oſtenditque etiam ſi aliàs ſanabilis hic morbus eſſet, in nouerca tamen ſuſpitionis periculum ſibi metuendum eſſe, ſi quid ipſum fallat, aut ars deſtituat: atq; ita orationem concludit, admonens patrem periculi ſuperioris, in quod ne iterum per iram & indignationem recidat, cauere ipſum iubet.

HAVD quaquã noua ſunt hæc Iudices, neq; miranda, quæ in præſentia facit pater, neq; nũc primùm ad hunc iraſcitur modum, verùm hæc lex illi facilis eſt, & aſſuetus ad hanc cauſam accedit. Verùm illud mihi nouo calamitatis genere accidit, quòd cum nullũ prorium ſit crimen, quod mihi poſsit imponi, tamen in periculum vocor ne pœnas dem artis nomine, niſi huic iubenti per omnia parêre poſsit. Qua quidẽ re quid fieri poſsit abſurdius? vti curem ex præſcripto, non iam quatenus ars valeat, ſed patris arbitratu. Quare optarim equidẽ vt medicorũ ars eiuſmodi quoque remediũ aliquod haberet, quòd non modò laborantes inſania, verumetiam præter æquum iraſcentes, liberare poſsit, nimirũ quò liceat & patris iracũdiæ mederi. Nunc autem ipſa quidem inſania leuatus eſt, cæterũ iracundia magis etiam exaſperatur. Quódq; eſt omnium grauiſsimũ, erga cæteros omnes ſanus eſt, in mevnũ inſanit, à quo morbo fuit liberatus. Videtis igitur cuiuſmodi mercedem curationis feram, cum rurſum ab illo abdicor, iterum alienor à familia, ceu ob id ipſum ad breue tempus receptus, vt maiore infamia ſæpius eiicerer domo. At ego quidem in his quæ præſtare queã, ne expecto quidem patris iuſſum, vt qui pridem nõ accerſitus ad opitulandum acceſſerim. Verùm vbi res eſt eiuſmodi, vt nulla omnino ſpes ſit, tum nec aggredi velim. Porrò in hac muliere multò etiam minus auſim, neq; id temere. Siquidem reputo quæ in me facturus ſit pater, ſi res nõ ſucceſſerit, cum iam abdicet nondum aggreſſum curationẽ. Quare doleo, Iudices, nouercæ vicẽ, grauiter laborãtis. Erat enim proba. Deinde patris nomine, quẽ huius morbus excruciat. Maximè tamen mei ipſius cauſa, qui videar immorigerus patri, cum nõ poſsim quæ iubeor præſtare, partim ob morbi magnitudinẽ, partim ob artis imbecillitatem. At ſanè non arbitror æquum eſſe vt abdicer, ſi quod efficere nõ queam, id ne recipiã quidem. Itaque quibus de cauſis prius abdicarit me, facile fuerit ex hoc negotio coniicere. Quanquam ad illas, opinor, ſatis reſpondi ipſa pòſt acta vita. Ad hæc autem quæ nunc obiicit, pro virili ſum reſpõſurus, ſi prius de ſtatu meo pauca vobis expoſuero. Ego intractabilis ille, & immorige-

Inuidiã paternæ actionis remouet à conſueto.

Querela de indignitate rei, & ingratitudine patris

Amplificatio à ſua perſona.

A perſona nouercæ & periculo.

Docilitas.

Propoſitio

Narratio.

rus,patrem dedecorans, & indigna genere meo patrans, id quidem temporis multa id genus vociferanti,ac ſine fine occlamanti,paucis contrà dicendum eſſe duxi. Verùm domo cedens, exiſtimaui mihi grauiſsimi iudicii inſtar fore,verúmq; calculum, ita actam deinde vitam, vt appareret me à paternis illis criminibus quàm longiſsimè abeſſe, ſed potius honeſtiſsimis ſtudiis dediſſe operã, cúmq; optimis viris habuiſſe conſuetudinẽ. Iam verò & eiuſmodi quiddã proſpiciebã,ac ſuſpicabar fore, vt aliquando pater,qui non admodum animo conſtaret,mihi ſine cauſa ſuccẽſeret,falſaq; in filiũ crimina ſtrueret. Neque deerant qui iſta morbi initium interpretarentur,minásq; ac tela paulò pòſt irruituri mali, nempe odium abſq; cauſa,mores aſperos,conuicia parata,cenſuram ſeueram,clamorem, iracundiã,in ſumma,omnia plena bilis, vnde vſu venturũ credebam,vt mihi aliquando arte medicinæ foret opus. Proinde foras profectus, ac probatiſsimorũ, quos in peregrinis regionibus nanciſci potui, medicorũ vſus doctrina, plurimo labore, vehementíq; animi ſtudio artẽ perdidici. Porrò domũ reuerſus,offendo patrem manifeſta iam inſania laborantem, & ab huius loci medicis deſperantibus deſtitutũ,qui non altius introſpiciunt, nec admodum exactè morbos diiudicant. At ego ſanè,ſicuti par erat facere frugi filiũ,neque ſuperioris abdicationis iniuriã recordabar,neq; vt accerſerer opperiebar. Neq; enim erat quicquã quod illi propriè imputare poſſem,verùm peccata illa omnia fuerant aliena: nempe,quemadmodum modò dicebam, ipſius morbi. Ergo cũ inuocatus acceſsiſſem,non ſum equidẽ protinus medicatus,neq; enim hic nobis mos eſt, neque id præcipit ars,verùm illud omnium primũ iubemur obſeruare, ſanabiliſne ſit morbus, an inſanabilis, atq; artis terminos prætergreſſus. Ac tũ ſi eiuſmodi fuerit malum,vt commodè poſsimus aggredi, aggredimur,totóq; adnitimur ſtudio vt ægrotũ ſeruemus. Quòd ſi viderimus iam inualuiſſe, ſuperaſſéq;,nec manum admolimur omnino,ſdq; vetuſtam quandã legem eorum qui primi medicinæ prodiderunt artem,ſecuti: qui negant tentandos eſſe morbos,qui iam inualuerũt. Itaque cũ patrem adhuc intra ſpem eſſe perſpicerem,neq; malum ſupra artis vires eſſe, diu obſeruatis ac penſitatis ſingulis:ita demũ aggrediebar,ac pharmacum fidenti animo porrexi. Multi ſanè eorum qui tum aderant, ſuſpectam habebant adminiſtrationẽ pharmaci, calumniantes curationẽ meam:iámq: parabant in ius vocare me. Aderat autem & nouerca pauida atq; diffidens,non id quidẽ odio mei,ſed quòd metueret,vtpote probè ſciens illum grauiter laborare. Nam ſola nouerat omnia, quippe familiaris & aſsiduè conuiuens ægrotanti. Attamẽ ego nihil his rebus deterritus(ſciebã enim futurũ vt mihi ſigna non mentirentur,neq; falleret ars)adhibui curã,obſeruato tẽpore idoneo. Quamquam erant amici nõnulli,qui mihi conſiliũ darent ne fiderem,ne fortè ſi res malè ſucceſsiſſet,maiorẽ aliquam calumniã mihi accerſerẽ,quaſi patrem veneno vltus eſſem,memor iniuriarũ,quibus me affecerat. In ſumma, ille protinus conualuit, priſtinæ redditus ſanitati: cognouítque omnia. Familiares admirabantur:denique laudabat & nouerca, ac palam omnibus vtriuſque nomine gaudebat, tũ mihi laudem aſſecuto,tum illi ad ſanã mentem reuerſo. Atque hic quidem(nam illud de eo teſtari poſſum) neq; contatus,neque quopiam his de rebus in conſilium adhibito, ſimul atq; rẽ omnẽ è familiaribus cognouit,irritã fecit abdicationẽ, ac denuò me filium fecit,ſeruatorẽ ac beneficum appellans, confitens ſeſe certum experimẽtum mei cepiſſe,déq; illis antè factis ſemet excuſans. Id factum compluribus attulit voluptatem, nimirũ quotquot aderant probi. Cæterùm vrebat eos, quibus abdicatio filii iucũdior fuerat reuocatione. Proinde videbã tum non eodem modo ea re gaudentes omnes, ſed erat cuius & colorem illico verti ſenſi,& oculos turbari,& vultum iracundum,quemadmodum ex inuidia odióque ſolet accidere. Nos igitur, vt eſt conſentaneum,in cõplexibus & animi gaudiis verſabamur, vtpote vtroque alteri reddito. Cæterùm nouerca paulò pòſt ægrotare protinus cœpit,morbo, Iudices,graui & impotenti. Nam ſtatim obſeruabam vt naſcebatur malum. Neque enim ſimplex erat aut leuis inſaniæ ſpecies:quin potius vetus quidam morbus,qui iam pridem delituerat in animi domicilio, erupit, victórq; in apertum prodiit. Sunt autem nobis cum alia multa ſigna inſanabili laborantis inſania,tum illud cõmune in hac obſeruaui muliere. In cæteros placatior eſt ac mitis, atque illis præſentibus conquieſcit morbus:quòd ſi quem cõſpexerit medicum,imò ſi vel audierit tantùm de medico, in hunc ſupra modum incenditur. Quod & ipſum argumento eſt,illam graui & inſanabili teneri malo. Hæc cum perſpicerem,equidem acerbè ferebã,miſerebárq; mulieris,vt debui,præter meritum tanto laborantis infortunio. Paterverò ob imperitiã,(neque enim nouit vel originem mali quo tenetur, vel cauſam,vel morbi magnitudinem)iuſsit vti medicarer,ac ſimile pharmacum exhiberem:arbitratus idẽ eſſe inſaniæ genus,eundem morbũ, eándem ægrotationem, quæ ſimilem curandi rationem admitteret. Verùm vbi id, quod erat veriſsimũ, dico fieri nullo pacto poſſe vt mulier ſeruetur, fateórq; me morbo imparẽ eſſe, indignatur ac ſuccenſet, aítq; me ſtudio detrectare,ac mulierem deſtituere, mihi crimini vertẽs artis imbecillitatem. Atq; huic quidem accidit,quod ſolet iis qui dolent. Succenſent enim omnes iis,qui liberè verũ loquuntur. Tamen ego ſanè pro viribus illi reſpondebo, tum meo ipſius nomine, tum artis. Ac primùm quidem à lege ſumam initium,per quam hic me parat abdicare, vt intelligat ſibi non eſſe poſthac eandem abdicandi facultatem,quæ prius fuit. Neq; enim legiſlator omnibus,ô pater, iſtam poteſtatem permittit, neq; vti quoſlibet filios, neq; quoties libuerit,abdicent,neq; quibuſlibet de cauſis. Verùm quemadmodũ patribus conceſsit certis de cauſis iraſci, ita proſpexit & liberis, ne id immerentibus accidat. Eáq; gratia iuſsit ne libera eſſet ac citra iudicium vindicta: ſed ad iudices vocat,æſtimatores conſtituit,qui neq; per iracundiam, neque per calumniã, quod iuſtum ſit iudicent. Nouerat enim frequenter accidere multis,vt ob cauſas iniquas ad iram commouerentur:hic quidem alicui falſæ calumniæ credens:ille famulo fidem habens, aut vxori cuipiam inimicæ. Quare noluit rem iniudicatam agi, neque indefenſa cauſa liberos ſtatim capi, vincíque: verùm

Confirmatio.

Locus cõmunis de cauſa & poteſtate iudiciorum.

verùm & aquam infundit,& ratio redditur,& nihil inexcuſſum relinquitur: quandoquidem ſolum hoc authoritatis datur patri,vt ad iudices vocet: verùm iudicãdi authoritas an meritò accuſet,id penes vos, qui iudicio præſidetis. Ac nondum ſpectate crimen quod mihi imponit, cuiúſque gratia nunc indignatur: verùm illud prius expẽdite,num poſthac illi ius ſit abdicandi,qui ſemel abdicauerit,iamque ſit vſus facultate quam lex concedit,atque hanc paternã potẽſtatem expleuerit,deinde rurſum in familiam receperit, ac ſuperiorem abdicationem irritam fecerit. Nam ego certè iniquiſsimum iſtud eſſe dico, vt liberorum quoq; ſint infinitæ pœnæ,vt multæ condemnationes,ac metus perpetuus: vtque lex nũc irato inſeri nox deinde faciat irritum quod actum eſt: rurſum vt eodem modo valeat. In ſumma,vt ius ſurſum ac deorſum torqueatur, vtcunque patribus pro tempore viſum fuerit. Verùm initiò quidem æquum erat vti concederet,cúmque indignante pariter indignaretur,ac puniendi ius faceret ei qui genuiſſet. Porrò vbi ſemel poteſtatem abſumpſerit, ac lege ſit abuſus, iracundiam expleuerit, poſt hæc rurſum in familiam receperit, & in hãc opinionem diſceſſerit,vt frugi putet: in his perſeueret neceſſum eſt,neque poſtea reſiliendum,aut retractãda ſententia,neque reſcindendum iudicium. Neque enim ſcire poterat, opinor, is qui natus fuerat, frugíne, an cõtrà eſſet euaſurus. Atq; hanc ob cauſam permiſſum eſt vt genere indignos abdicent,quos cum educabant cuiuſmodi eſſent futuri, neſciebant. Cæterùm vbi nõ coactus,ſed ſuapte ſpõte atq; authoritate ex ſeſe comprobatum recipit,qua deinde ratione poſsit mutare factum, aut quis legis vſus ſupereſt? Etenim ipſe legiſlator hunc ad modum tecum egerit: Hic ſi improbus erat,dignúſq; quem abdicares, quid accidit vti reuocares? Cur denuò in familiam reduxiſti? Cur legem irritam feciſti? Nã liber eras, tibíq; in manu erat iſta nõ facere. Neque enim tibi cõcedẽdũ eſt,vt legibus tuo arbitratu abutaris,vtq; iudicia,vtcunq; mutatus ſit animus tuus,eò trahantur. Neque vti nunc irritentur leges, nunc rurſum valeant,iudices interim teſtes ſedeant,vel,vt rectius dicam, miniſtri tuæ volũtatis, modò punientes,modò abſoluentes,quãdocunque tibi viſum fuerit. Semel genuiſti,ſemel educaſti: pro his ſemel item abdicare potes,atque ita potes,ſi iſtud meritò facere videaris: verùm vt hoc fiat ſine fine, vt perpetuò, vt frequenter, vt facilè, id verò ſupra patris ius eſt. Quare per Ioué,iudices,ne permittatis huic,vt qui ſua ſponte receperit, ſuperioris iudicii ſententiam irritarit,iram damnarit, rurſum ad eandẽ prouocet pœnam,& ad patriã recurrat poteſtatem, cuius tempus iam exceſsit,euanuſtq; priuilegiũ, nec huic vni quicquam valens,qui antehac conſumpta. Etenim illud conſiderate, quemadmodũ in reliquis iudiciis,vbi iudices ſortibus ferunt ſentẽtiam, ſi quis perperam pronuntiatũ exiſtimat, permittitur alios adire iudices. Porrò ſi qui ipſi ſuapte ſponte iudices conſtituerint, delectíſque arbitris cauſam commiſerint, poſthac non idem licet. Etenim ſi quis, quorũ ſententiis initio ſtare nõ cogebatur, hos ſpontè delegerit, iam æquum eſt boni conſulere quæ ſtatuerint. Itidem ſanè tu quoque,quem antea liberũ erat non recipere, niſi dignus maioribus videretur, hunc ſi probum arbitratus eſſe,denuò recepiſti, iam deinde non erit abdicandi ius. Siquidem indignum eſſe in quem iſta denuò fiant, ipſe teſtatus es, iam de integro frugi filium eſſe confeſſus. Itaque non conuenit pœnitere receptionis, ſed firma reconciliatio ſit oportet, nimirum poſt toties pronuntiatam ſententiam, ac rem bis iudicatam: primùm cum abdicares: iterum, cum ipſe mutaſti cõſilium, méque in familiam reuocaſti, reſciſsis decretis ſuperioribus cõfirmans illa quæ poſtea ſunt placita. Proinde perſeuera in his quæ proximè ſtatuiſti, tuúmque ipſius iudicium ſerua. Pater ſis oportet, quandoquidẽ id abs te decretum, id probaſti, id ratum feciſti. Ego quidem ſi natura non eſſem filius, ſed adoptatum abdicare velles, ne tum quidem exiſtimarim tibi licere. Quod enim initiò liberum erat nõ facere, id ſemel factum, iniquum eſt reſcindere. Porrò eum qui primùm natura ſit filius, poſtea iudicio ſententiáq; accerſitus, quæſo num par eſt rurſum expellere, & eadem familiaritate priuare ſæpius? Agè quid ſi fortè ſeruus eſſem, ac tu quidem primùm improbum eſſe ratus, in vincula coniecisſes, deinde vbi cognitum eſſet me nihil peccaſſe, manumiſiſſes, num tibi liceret, vtcunque contigerit iraſci, rurſus in eandem reuocare ſeruitutem? Minimè liceret. Iſtiuſmodi igitur acta, leges firma volũt eſſe, ac perpetuò valere. Ego cùm pluribus etiam argumẽtis docere poſsim non eſſe ius huic abdicare denuò, quem ſemel abdicatum, ſpõte ſua receperit, tamen finẽ faciam. Nũc ſpectate cuiuſmodi filium parat abdicare. Atque illud nondum dicam, me tum imperitũ abdicatũ fuiſſe, nunc abdicari medicum (nihil enim mihi in hac cauſa ſuffragetur ars) tum iuuenem, nunc ætate prouectum, vt ætas etiam ipſa fidem faciat me nihil peccaſſe. Nã leue fortaſsis hoc quoq;, verùm tum quidem, etiam ſi nullo cõmiſſo peccato, vt ego quidẽ dixerim, ſed nec benemeritus alienabar à familia. Nunc porrò cũ nuper ſalutem dederim, ac beneficus extiterim, exigor. Qua re quid fieri poteſt ingratius? vt mea ſeruatus opera, tantóq; elapſus à diſcrimine, protinus ſanationẽ illã huiuſmodi factis penſet, nulla meritorum habita ratione, ſed vſque adeo facilè mandarit obliuioni, atque in ſolitudinẽ abigat eum, qui iure ſit obſecutus, cũ præter ius eiiceretur, neq; ſolùm non meminerit iniuriæ, verùm etiam & ſalutem attulerit,& ſanæ menti reſtituerit? Neq; enim exiguo, Iudices, neq; vulgari in hũc collato beneficio, tamen huiuſmodi malis nunc videor dignus. Porrò quanquam hic ignorat quo in ſtatu tunc fuerit, vos tamẽ omnes noſtis quid facientem hunc, ſimul & patientem, & quibus affectũ modis, ego curandũ ſuſceperim, ac medicis reliquis deſperantibus, fugientibus familiaribus, nec propius accedere audentibus, talẽ reddidi, vt etiam accuſare poſſit, vt de legibus diſſerere. Quin magis ſi exemplum quæris pater, cum propemodum talis eſſes, qualis nunc eſt vxor, ad priſtinam ſanitatẽ reuocauiſſare non eſt æquũ, vt pro his officiis, huiuſmodi mihi gratia reponatur, vtque in me vnũ tantummodo ſanus ſis. Etenim te non mediocribus à me beneficiis affectũ eſſe, vel ex his ipſis liquet, quibus me criminaris. Nam quem ob hoc odio perſequeris, quòd vxorem extremo laborantem periculo, grauiſsimémque affectam nõ ſanem, quî fit vt eundẽ non multò

I. Locus, Non licere patri vt ite rũ abdicet.

A cauſa & voluntate legis.

Confirmatio legislatoris.

Amplificatio à ſimili

Epilogus.

A fictione.

Aliud à fictione.

Tranſitio.

II. Locus, Iniquũ eſſe ſe abdicari.

A meritis.

Amplificatio beneficii à morbi difficultate.

potius charissimum habeas, quum simili morbo liberarim? nõ gratias agas, tam acerbis ereptus malis? At tu, quod quidem est ingratissimum, simul atque ad te rediisti, protinus in ius trahis: salute donatus, punis, & ad vetus recurris odiũ, eandem recitas legem. Egregiam igitur mercedẽ persoluis arti, dignámque pro remediis refers gratiam, qui quidem aduersus medicũ tantùm sanus es. Vos autem, Iudices, huic cõceditis, vt de benemerito pœnas sumat? vt salutis authorem expellat? vt eũ qui sanitati restituerit, oderit? vt per quem reuixit, vlciscatur? Haud profectò cõcedetis, si quidem quod æquũ est facietis. Etenim si maximum aliquod flagitiũ in præsentia commisissem, tamen superioris beneficii nomine nõ mediocriter mihi debebat: cuius respectu memoriáque conueniebat hunc præsentem iniuriã negligere, & ob illa priora facilè ignoscere: maximè si tã ingens sit beneficium, vt omnia superet quæ postea possint accidere. Quod equidẽ mihi in hunc competere puto, quem seruaui, qui mihi totius vitæ debitor est: cui præstiti vt sit, vt sapiat, vt intelligat: præsertim cum cæteri omnes iam desperarẽt, seq; morbo impares esse faterentur. Nam & illud opinor ad meriti mei cumulum accedit, quòd cum id temporis filius non essem, cũ nihil esset causæ quæ me cogeret curationem suscipere, verùm eũ liber essem, atque alienus, à naturali causa solutus, tamen haud dissimulaui, sed vltroneus, inuocatus, iniussus adii, succurri, adnisus sum, sanaui, restitui, meũ ipsius patrem seruaui, de abdicatione me purgaui, irã beneuolentia sedaui, legem pietate sustuli, magnóque beneficio reditum in familiam emi, atque in tempore adeò periculoso fidem erga patrẽ demonstraui, méque ipsum artis auxilio insinuaui, ac tristibus in rebus legitimus filius apparui. Quàm multa enim me fuisse passum arbitramini, quantũ & exhausisse laborum, dum assideo, dum obseruio, dum opportunitates capto, nunc cedens patris vehementiæ, nunc artem admouens, ad breue tempus concedente morbo? Est autem hoc omniũ quæ sunt in arte medicorum, periculosissimũ, huiusmodi medicari, ac propius accedere ad hos, qui ad eum sunt affecti modũ. Fit enim nõ rarò, vt exæstuante malo, rabiẽ in proximos exerceant. Me tamen nihil horum piguit, neque grauatus sum, verùm aderã modis omnibus cũ morbo luctans, postremò superaui pharmaco. Ne verò quisquam hoc audito protinus apud se cogitet, Quis, aut quantus labor miscere pharmacũ? Etenim multa prius sunt facienda, præstruẽda via dando pharmaco, præparandum corpus, quò faciliùs recipiat medicationem, déque omni corporis habitu solicitus sit medicus oportet, inaniens, extenuãs, cibis idoneis alens, mouens ad omne quod conducit, somnos accersendi rationes excogitans, solitudines arte reperiens. Quibus in rebus ægroti cæteri facilè pareant: at qui laborant insania, ob animi libe[illegible]m intractabiles sunt, ac gubernatu difficiles, ipsíque medico periculosi, neque qui facilè cura expugnentur. Proinde sæpenumero cum effecerimus vt iam speremus proximè adesse morbi finem, leue aliquod erratũ incidens, renouato malo, cuncta illa superiora facilè subuertit, curationem impedit, artẽ fallit. Eũ igitur qui hæc omnia sustinuerit, qui cum morbo tam graui sit luctatus, qui malum malorum omnium expugnatu difficillimum vicerit, huic vt iterum abdicet, permittetis, vtque leges in benemeritum interpretetur suo arbitratu concedetis, atque eum cum ipsa natura bellum gerere sinetis? Ego naturæ parens, Iudices, patrem mihi ipsi seruo, custodióque, etiã si hic quidem iniuria me afficiat. Quòd si filium benemeritum, leges, vt ait, secutus, perdit, & à familia alienat: hic nimirũ liberorum osor erit: ego pius in patrem. Ego naturam amplector, iste naturam contemnit, fasque & ius violat. O patrem iniustè prosequentem odio. O filium iniustius amantem. Nam mihi ipsi vitio verto, patre compellente, quòd odio habitus, eum præter causam amo, & magis amo quàm oporteat. Atqui natura comparatum est, vt patres liberos ament magis, quàm liberi parentes. Verùm hic studio tum leges contemnit, quę filios nihil commeritos familiæ seruant: tum naturam; quæ parentes ad vehemens natorum desiderium incitat. Non solum enim cum plures habeat in me beneuolentiæ causas, maiorem, vti debebat, beneuolentiam non adiungit atque addit, aut quod est minus, me saltem imitatur, meúmque æmulatur amorem: sed ò calamitatem, quin insuper odit amãtem, charitate prosequentem expellit, benemerentem lædit, complectentem abdicat, legéque liberis fauentes, ceu liberis infensas, in me torquere conatur. O bellum, quod contra naturam legibus moues pater. Non sunt ista, non sunt, inquam, quemaddum tu vis. Leges bene conditas, malè interpretaris pater. Non pugnat natura cum lege, in his quæ ad beneuolentiã pertinent. Hic inter sese cõsentiunt, & altera vtriq; auxilio est ad delendas iniurias. Contumelia afficis benemeritum, offendis naturã. Cur legibus quoque simul cum natura facis iniuriam? Quæ cum honestæ, iustæ, liberorum amãtes esse cupiant, non pateris esse: quippe quas aduersus vnum filum tanquam aduersus multos sæpius tentes. Nec finis in suppliciis quietẽ inuenire, quæ velint in beneuolentia liberorum erga parentes conquiescere: quanquam alioqui ne positas quidem aduersus eos qui nihil peccarint. At sanè leges ingratitudinis actionem concedunt in eos qui benemeritis non retulerint gratiam. At qui non solùm non refert gratiã, verumetiam punire conatur ob ea ipsa quibus adiutus est beneficio, considerate num quicquam facere possit iniquius. Itaque non posse hunc iam abdicare denuò, qui paternam potestatẽ semel expleuerit, ac lege sit vsus: præterea non esse æquum, eũ qui tanta præstiterit beneficia, expellere, familiáq; exigere, satis opinor demonstratum. Nunc autem ad ipsam abdicationis causam veniamus, & crimẽ cuiusmodi sit, expendamus. At rursum ad mentem eius qui legẽ cõdidit, recurramus necesse est. Etenim vt istud tibi donemus ad breue te[illegible]s, licere quotiescunq; velis abdicare, vtque præ[illegible]a potestatem istã tibi largiamur etiam aduersus benemeritum, haud tamẽ simpliciter, opinor, neq; quibuslibet de causis abdicabis. Neq; hoc dicit legis cõditor: Quicquid vtcũque criminatus fuerit pater abdicato, vt satis sit tantùm voluisse queri. Nã si id esset, quid opus erat iudicio? Verũ vos istud expẽdere iubet Iudices, nũ gravibus ac iustis de causis iracatur pater, nécne. Hoc igitur in præsentia cõsiderate. Exordiar autẽ ab iis quæ protinus huius insaniam sunt consecuta. Iam primum

Obiectio ingratitudinis.

A fictione.

Alia amplificatio à sua conditione, & difficultate artis.

Enumerat labores & molestias artis medicæ.

Alia amplificatio à natura & honestate.

Alia à lege

Transitio. III. Locus, Nullo iure se abdicari

Ab antea-ta vita.

primum omnium quod fecit ſanæ menti redditus, illud erat: Reſcidit abdicationem. Ego ſeruator beneficus, breuiter omnia eram. In his (niſi fallor) nihil adhuc eſſe poterat quod cum crimine videretur eſſe cõiunctum. Deinde quid eſt omnium quod accuſat? Quod obſequium, quam curam filio dignam prætermiſi? Quando foris cubui? Quas intempeſtiuas potationes, quas comeſſationes obiicis? Qui luxus? Quis leno pulſatus eſt? Quis accuſauit? Nemo profectó. Atqui hæc ſunt ob quæ præcipuè lex permittit abdicare. Cæterùm cœpit ęgrotare nouerca. Quid iſtud mihi vertis crimini? morbíque pœnam à me repoſcis? Non repoſco, inquit. Sed quid? Quòd eam curare iuſſus recuſas, ob hoc dignus fueris qui abdiceris, quippe inmorigerus patri. Aſt ego quidem cuiuſmodi ſint iſta quæ iubet, in quibus quia non poſsim obſequi, videor immorigerus, pauliſper differam. Sed illud prius in totum dico. Neq; lex huic cõcedit vt quiduis imperet, neque mihi neceſſe eſt in omnibus omnino parêre. Quędam enim mandata ſunt huiuſmodi, vt ſi non parueris, non ſis obnoxius pœnæ. Quædam id genus, vt niſi obtemperaris, ira ſupplicióque ſis dignus: veluti ſi ęgrotes ipſe, & ego non curem. Si quid rerum domeſticarũ curandum ſit, & ego negligam. Si quid rem ruſticam curandam mandes, atque ego recuſem. Hęc omnia, atque id genus alia, probabiles adferunt cauſas paternæ querelæ. Porrò cætera noſtri ſunt arbitrii, nempe quæ ad artes, & artium vſum pertinent: maximè ſi nulla in re fiat iniuria patri. Iam ſi cui pictori præcipiat pater, Hæc pinge fili, illa nequaquam. Rurſum muſico, Hanc pulſa harmoniã, illam ne pulſa. Tum fabro ærario, Iſta cude, illa ne cude: nũ quiſquam hũc patietur abdicare filium propterea quòd non ex ipſius arbitrio artem exerceat? Nemo, opinor. Atqui medendi ars quantò eſt honoratior, vitæque conducibilior, tantò cõuenit eſſe liberiores qui hac vtuntur: ac iuſtum eſt vt ars aliquo gaudeat priuilegio in exercendi facultate, vt neque cogatur vſquam, neque ferat imperium, res ſacra, deorũ doctrina, virorum eruditorum cura: neque in ſeruitutẽ trahatur legis: neque timori pœníſque tribunalium, neque calculis ac patris minis, & indocti hominis irę ſit obnoxia. Proinde ſi tibi palàm ac ſimpliciter ad hunc modum reſpondiſſem, Nolo curare cũ poſſim, ſed artẽ ſoli mihi didici, ac patri, cæteris omnibus imperitus eſſe volo: quis eſt tyrannus vſqueadeo ferox, vt cogat etiam nolentem vti arte? Siquidem iſtiuſmodi officia blanditiis precibúſq;, ni fallor, non legibus, ira, iudiciis conuenit elicere. Perſuadere medico oportet, non iubere, vt velit, nõ vt metuat: neque ad ſanandum adigendus eſt, ſed vltro ac lubens accedat oportet. Immunis à compulſione patris, immunis eſt ars ipſa, quandoquidem ciuitates quoque publicitus honores, prœeminẽtias, immunitates, priuilegia medicis tribuunt. Hæc igitur in genere poterã artis nomine reſpondere, etiã ſi tu me illam docuiſſes, ſi multum ſtudii, multum pecuniarum inſumpſiſſes vt diſcerem, & vnam hanc curationem, etiam ſi eiuſmodi eſſet vt præſtare poſſem, recuſaſſem. Nunc illud cogita, quàm rem modis omnibus ingratam & iniquam facias, qui non ſinas me à meipſo mihi partis liberè vti. Hanc ego artem tum cum non eſſem filius tuus, perdidici, neque tuis ſubiectus legibus. Atque hanc tamen tibi dedici. Huius fructum primus ſenſiſti, quum nihil adiumenti contuleris ad eius cognitionem. Quem præceptorem mercede conduxiſti? Quem pharmacorum apparatum comparaſti? Nullũ omnino. Verùm inops, ac rerum neceſſariarũ indigens, à præceptoribus mei miſertis ſum edoctus. Nam abs te patre huiuſmodi mihi dabatur ad diſcendum viaticum, moleſtia, ſolitudo, egeſtas, familiarium odiũ, cognatorum auerſatio. Pro iſtis itaque factis poſtulas vti arte mea, víſque earum rerum eſſe dominus; quas mihi parauí tũ, cũ mihi non eſſes dominus. Bono conſule, ſi quid antehac vltro, nullo prouocatus officio, bene de te ſum meritus, cùm nullo nomine vllam abs te gratiam poſſem repoſcere. Cæterùm non conuenit ſanè, vt meum beneficium mihi in reliquum tempus pariat neceſsitatem: vt quod volens beneficio iuui, vertatur in occaſionem, vt poſtea no lenti præcipias: iámque in cõſuetudinem trahatur, vt qui ſemel ſanauerit aliquem, ſemper deinde curet omnes quoſcunq; voluerit is qui ſanatus eſt. Etenim ad iſtum modũ fieret, vt quos curaremus, eos dominos nobis creauerimus, nóſquemetipſos illis tradiderimus, mercedis loco ſeruitutem accepturi, & ad omnia, quæ iuſſerint, obtemperaturi. qua re quid eſſe poteſt iniquius? Quoniam te grauiter adeò laborãtem reſtitui, ob id exiſtimas tibi ius eſſe arte vtendi mea? Atque hæc quidem dicere poteram, ſi mihi hic imperaſſet ea quæ meæ ſint facultatis, atque ego non omnino modis omnibus vel inuitus obtemperaſſem. At nunc tandem perpendite cuiuſmodi ſint huius imperata. Quandoquidem, inquit, me laborantem inſania, ſanaſti: inſanit autẽ & vxor, eodémq; tenetur morbo (ſic enim opinatur) & à cæteris medicis ad eundẽ modũ deſtituta eſt, túq; potes omnia, id quod re demonſtraſti: ſanato hanc quoque, ac morbo leuato. Id ſi quis ſimpliciter ad hunc audiat modum, vehementer æquum videatur, præſertim illiterato, artíſque medicinæ imperito. Sinautẽ me auſcultetis artis nomine reſpõdentem, intelligetis nimirum nec omnia eſſe noſtræ facultatis, neq; conſimiles morborum naturas, nec eãdem medendi rationem, nec eadem remedia in omnibus efficacia. Ac tum palàm fiet, quantum interſit, nolis quippiã, an non poſsis. Vos interim patiẽter auſcultate me hiſce de rebus philoſophantem: exiſtimantes nec inelegãtem fore, nec extra cauſam, nec alienam à re, nec intempeſtiuam de his diſputationem. Iam primùm naturę corporũ ac temperaturę, haud quaquam eædem ſunt: tametſi maximè in confeſſo eſt, iiſdem ex elementis conſtare. Verùm alia de his, alia de illis magis aut minus participant: ídque loquor adhuc de corporibus virorum, quę neque ſimilia ſunt omnibus, neque eadem temperatura, neque eadẽ conſtitutione. Vnde neceſſariò cõſequitur, vt morbi quoq; tũ magnitudine tum ſpecie differentes, his accidãt: vtque alia ſanatu ſint facilia, atq; ad curationem ſponte propenſa: alia rurſum prorſus deſperata, vt quæ & facillimè corripiantur, & grauiſsimè à morbis prehendãtur. Proinde ſi quis exiſtimet, quamlibet febrim, aut quãuis tabem, aut peripneumoniam, aut inſaniam, quolíbet in corpore vnã atque eandẽ eſſe genere, is non videatur ponẽdus inter ſobrios, neq; doctos, neq; inter eos qui in re

A qualitate cauſæ.

A ſimili.

A cõditione artis.

A ſua perſona, & inſtrumento artis.

A conſequentibus

A qualitate rei impetratæ.

Locus communis de natura & genere morborũ & medicinarum.

in rebus huiuſmodi exquirendis elaborarunt. Quin idem malum in hoc corpore facilè ſanabitur, in hoc minimè: quemadmodum videlicet triticum, ſi idē in diuerſos eiicias agros, aliter proueniet in plano ſolo, profundo, irriguo, aprico, vētis ſalubribus expoſito, exculto, nimirum vbere, læto, copioſóque fructu: rurſum aliter in montoſa petricoſáq; terra: aliter in opaca, aliter in ſubiecta montibus. In ſumma, pro cuiuſq; loci diuerſa natura, variè proueniet. Itidem & morbi, pro ratione corporū in quæ inciderint, aut maiores & vberiores, aut minores eueniunt. Verùm his omiſsis pater, nec omnino diſcuſſa re, vult quanuis inſaniam in quouis corpore cōſimilem eſſe, ſimilémque deſiderare curationem. Super hæc tam multa, muliebria corpora plurimum differre à virorū corporibus, vel ad morbi corruptionē, vel ad ſanandi ſpem aut deſperationem, faciſe fuerit cognoſcere. Siquidem virorum corpora bene compacta ſunt, neruoſa: laboribus, agitationibus, vita ſub dio acta, exercitata: contrà fœminarū, flaccida, malè compacta, in vmbra alita: candida, ob ſanguinis inopiam, caloríſq; penuriam, & humoris ſuperuacanei abundantiam. Quare facilius corripiuntur, quàm virorum: vtpote morbis expoſita, nec ferētia curationem: præcipuè verò ad inſaniam procliuiora. Nam cum multum habeant iracundiæ ac leuitatis, facilēque cōmoueantur, porrò corporis exiguæ ſint vires, facilè in hoc malum prolabuntur. Proinde non conuenit, in vtriſque eandem à medicis ſanandi rationem requirere: cum intelligatis, hæc ab illis longiſsimo diſtare interuallo, iam ab ipſo protinus ortu diſcreta, tum tota vitæ ratione, tū actionibus omnibus, tum ſtudiis atque exercitiis vniuerſis. Quare cum dicis, Inſania laborat: adde hoc quoque: laborat mulier. Neque confundas hîc omnia, ſub vnam & eandem inſaniæ referens appellationē: verùm diſcretis iis, quemadmodū & natura diſcreuit, quid in quoque præſtari poſsit, conſidera. Nam nos, quemadmodum initio dixiſſe memini, illud in primis ſpectamus, ægroti corporis naturā, ac temperaturam, & cuius qualitatis magis ſit particeps, calidius an frigidius, vigens an ætate deficiens, magnū an puſillum, craſſum an macilentum: reliquáque id genus omnia. Quæ ſi quis penitus expenderit, is demum erit idoneus cui fides habeatur vel deſperāti, vel recipienti: quandoquidē & inſaniæ innumerabilia ſunt genera, & cauſæ complures: nec vocabula quidem eadem. Neque enim idem deſipere ac delirare, rabere & inſanire: verùm hæc omnia nomina ſignificant magis aut minus obnoxium eſſe morbo. Porrò cauſæ aliæ ſunt viris, aliæ fœminis. Rurſum inter ipſos viros aliæ iuuenibus, aliæ ſenibus: puta iuuenibus immodica ferme repletio: ſenibus autem importuna calumnia, ira impotens, quæ ſæpenumero incidit aduerſus domeſticos. Hæc initiò perturbat animum, deinde paulatim vergit in inſaniā. Porrò mulierum corpora & multæ res infeſtant, & facilè in morbum adducunt: præcipuè verò ſi quem oderint vehementius, aut ſi inuideant inimico, ſecundis rerum ſucceſsibus vtenti; aut ſi quid moleſtum ſit, aut ſi cui ſuccenſeant. Hæc paulatim ſubgliſcentia, multóque alita tempore, tandem in inſaniam euadunt. Eiuſmodi rerum aliquid vxori quoque tuæ venit, pater: & haud ſcio an nuper aliquid illi ægritudinem aliquam attulerit. Nihil enim illa oderat, quam quam morbo ſanè tenetur, neque his malis vllius medici cura poterit eripi. Quod ſi quis alius ſe facturum receperit, aut ſi quis eam liberarit, tum me oderis licet velut iniurium. Tametſi ne illud quidē verebor dicere pater: Etiam ſi non prorſus eſſet, vt eſt, deſperādum, ſed adhuc aliqua ſalutis ſpes leuis oſtenderetur, nec ſic quidem facilè manum admouerem, neque ſtatim auderem miniſtrare potionem: videlicet veritus fortunam, ac multorum hominum obtrectationem. Vides vt omnes arbitrantur priuignos inuiſos eſſe nouercis omnibus, etiam ſi probæ fuerint: eáſque hanc ceu communem quandam mulierum inſaniam inſanire. Quare facilè ſuſpicatus fuiſſet aliquis, ſi malum hoc ſecus euenisſet, neque profuiſſent remedia, perfidam ac doloſam fuiſſe curationem. Atque vxoris quidem res pater ad hunc ſeſe habēt modum, ídque loquor, quod prorſus exploratum habeo: nunquam melius eſt habitura, etiā ſi millies biberit pharmacum: eóque non operępretium conari niſi me in hoc ſolum vrges, vt fruſtrer, ídque vis, vt fœdam mihi famam accerſam. Patere vt mihi eiuſdem artis profeſſores inuideant. Quòd ſi me rurſum abdicaris, ego quidē etiam ſi ab omnibus deſerar, tamen tibi nihil imprecabor graue. Sed quid ſi (quod auertat Deus) redeat morbus: (ſolent iſtiuſmodi ferme mala iritata recurrere) quid erit mihi faciundū? Curabo, vt noſti, tū quoque, neq; vnquā defuturus ſum officio quod liberis natura præſcripſit: neque generis, quoad in me fuerit, obliuiſcar. Deinde ſi reſipueris, num credere debeo futurum, vt me denuò recipias, illud vide. Iam iſta quū facis, accerſis morbum, peſtémque refricas. heri ac nudiuſtertius è tantis elapſus malis, contendis, voci feraris: quódque grauiſsimum eſt, iraſceris: ad odiū propēſus es: leges reuocas. Hei mihi pater, iſtiuſmodi fuerant ſuperioris inſaniæ tuæ procœmia.

A periculo euentus, & perſona non uercæ.

Peroratio.

Commonitio.

mdo.

PHALARIS

PRIMVS,

Vincentio Obſopœo interprete.

ARGVMENTVM.

Phalaris Agrigentinorū tyrānus fuit, cui faber quidam Perillus ſiue Perilaus, taurū æreū obtulit, ita factū, vt in eum homines dānati coniecti ſuccenſo igne torrerentur, atque inter cruciandum dum vociferarentur, mugitus boum ederent. Hunc taurum fingitur hic Delphos mittere, vt ibi in templo inter cætera donaria Deo conſecraretur. Et quia apud omnes pro crudeliſsimo atque immaniſsimo idem habebatur, & ob id metuebat ne donum hoc Delphi, vt ab impio & nefario profectum, reijcerent, oratione hac contra famam hanc de ſe ſparſam, per Legatos ſeſe defendit. Oratio generis Iudicialis eſt, ſtatus qualitatis. Nam & tyrannidem occupaſſe, & nocentes quoſdam puniſſe ſe fatetur, ſed id iure ac neceſsitate quadam factum oſtendit. Exordium à voto incipit. Narratione conſilia & cauſas ſuſceptæ tyrannidis, & quomodo eandem geſſerit, poſtremo etiam qua neceſsitate ad ſupplicia ſumenda, & cuſtodiam corporis comparandam compulſus fuerit, exponit, quæ & ipſa confirmandi vicem habent. Poſt hæc autem confirmatio ſequitur, qua ſe à crimine crudelitatis defendit, argumentis à ſimili, à legibus, à cauſa, à ſigno & comparatione

ratione ſumptis, elenando interim etiam tyranni nomen & inuidiam ab exemplis, & exaggerando neceſſitatem puniẽdi, ob multitudinem periculorum in dies in hoc genere ſuccreſcentium. Peracta cauſa, ad commendationem muneris trãſit, quã à cauſis & honeſtate dedicationis trahit. Peroratio ex perſona Legatorum fit, quæ aſſeueratione dictorum, & ipſorum obteſtatione perficitur.

Exordium à voto.

MISIT nos huc Legatos, ô Delphi, princeps noſter Phalaris, taurũ hunc Apollini adducturos, ac vobis pauca quædam aditu non inidonea, cũ ſuper duce noſtro, tũ ſuper oblato munere verba facturos. Itaq; quorum gratia huc profecti venimus, hæc ſunt. Cæterùm hæc vobis exponenda nobis in mãdatis dedit. Ego, inquit, ô Delphi, talẽ de me apud omnes Græcos eſſe exiſtimationem, qualis ſum, at non qualem me odio proſequentiũ, aut inuidorum mẽdax fama apud ignotos traduxit, præ omnibus rebus permutatione facta amplecti velim. Maximè verò omniũ apud vos talem de me opinionẽ eſſe optarim, qui & cęteros vitę ſanctimonia antecellitis, & Pythii aſſeſſores eſtis, ac tantùm nõ Dei familiares atq; domeſtici. Etenim perſuaſiſsimum habeo, ſi me vobis purgauero, atq; oſtendero fruſtrà crudelitatis ſuſpicionem de me incidiſſe, etiã aliis omnibus me per vos purgatũ fore. Porrò autem ipſum Deũ, eorum quæ dicturus ſum, teſtẽ inuoco, quẽ nullo modo poſſum decipere, aut falſo & ficto ſermone circunducere. Fortaſſe enim hominibus imponere haud operoſum eſt: at Deo verba dare, maximè verò huic, id verò nullo modo fieri poteſt. Cæterùm ego inter Acragantinos nõ ex obſcuris ſum maioribus, verùm ſi quiſquã alius, ex illuſtri loco natus, ac liberaliter educatus: tum ingenuis diſciplinis & artibus imbutus, vrbi memet populariter exhibere nõ deſtiti: iis verò qui mecũ in eadem verſabãtur Rep. æquũ & modeſtum me præſtiti. Violẽtię autẽ, aut illatæ iniuriç, aut cõtumeliæ, aut præcipitati iudicii, nemo me vnquam ſub prioribus vitæ annis inſimulauit. Verùm cum argumentis non dubiis perſpicerem eos qui diuerſam à me in adminiſtranda Repub. rationem ſequebãtur, vitæ meę moliri inſidias, ac omnibus modis mei è medio tollendi occaſionẽ captare ac quærere, noſtra verò ciuitas ſeditionibus factioſis diſſecta ferueret, vnicũ illud effugium in tantis rerũ difficultatibus, ſecuritatémque reperi, pariter & ciuitati tuendæ ſalutẽ, ſi occupato per vim principatu, illorum ferociã refrẽnarem, eóſq; à ſtruendarũ inſidiarum ſtudio ſedatos retraherẽ, eadémque opera ciuitatem populariũ factionibus flagrantem ad modeſtum & tranquillũ ſtatum adigerẽ. Et erant ſanè nõ parum multi hoc meum inſtitutũ collaudantes viri & modeſti, & amantes Reipu. quibus & mea ſententia, & inſtituti iam conatus neceſsitas nõ fuit obſcura. Horum itaq; vſus & opera & conſilio, haud difficulter voti compos reddebar. Ex illo itaque illi quidem nõ amplius rebus nouandis, aut turbis cõcitandis ſtudentes, inter ſe diſcordanter diſſidebãt, ſed iuſſis obtemperabant: ego verò imperiũ obtinebã: ipſa autem ciuitas ſua libertate carebat. Cæterũ cædes aut inſectationes aut proſcriptiones ne in eos quidem à quibus ſæpenumero inſidioſe petitus erã, vſurpaui aut exercui. Atqui operæpretium audere eiuſmodi, in tuẽdo principatus imperio potiſsimũ. Etenim humanitate, comitate, & mãſuetudine, præterea ex honoris & dignitatis æqualitate mirificam in ſpem veniebã, fore vt ad obediendũ omnes pertraherentur. Statim igitur omni ſimultate depoſita, cum inimicis in priſtinã & gratiam & concordiam redii, ac illorũ plurimis & in dandis ineundíſq; cõſiliis, & in conuerſatione domeſtica vtebar familiariſsimé. Porrò cum ipſam vrbẽ animaduerterẽ magiſtratuum negligẽtia atq; incuria corruptam, multa furantium, aut potius cõmunes ciuitatis opes rapientium: & aquæductus reparaui, & ædificiorũ ſumptuoſis extructionibus exornaui, ac muro circundato firmaui: prouentúſque, quotquot magiſtratuum cura communes erant, acceſsione non modica cumulaui: iuuentutis rectè educandę impendiò magnã curam habui: ſenes peculiari reuerẽtia proſequebar. Populum verò ſpectaculis ac largitionibus, præterea ſolennitatibus atque epulis publicis mihi deuinctum detinui. Virginũ verò contumelioſas corruptiones, aut epheborum ſtupra abominãda & nefaria, aut iniurioſas ſatellitũ immiſsiones, aut comminationes tyrannicas ita auerſabar, vt ne audire quidem fas putarem. Iam verò de dimittendo quoque imperio, principatúq; deponendo mecum inito conſilio deliberabã, ſi quo modo tranquillè atq; ſecurè à curarum fluctibus liberatus quieſcerẽ. Etenim principem agere, ac res omnes vt rectè fierent adminiſtrare, prouinciã grauem ac odioſam eſſe exiſtimabam, & rem non ſine inuidia laborioſam. Sed enim ne poſthac tali adminiſtratione egeret ciuitas, in ea cogitatione ſuſcepta adhuc verſabar, ac iã olim ea animo cogitabundo quærebam. Porrò autem ciues mei concitata ſeditione iam aduerſus me inſurrexerãt, déque ſtruendarũ inſidiarum ratione, faciendáq; defectione deliberabant. Quin etiã clandeſtinis cõſpirationibus iam coniurauerãt, armáq; collegerant, pecunias priuatis impenſis cõportauerant, ciuitates finitimas ad ferendum miſsis copiis auxiliũ accerſiuerant, iámque in Græciam ad Lacedæmonios atq; Athenienſes legatos petitum ſubſidium miſerant. Quorũ autem criminum reũ me facturi eſſent, iam illis deliberatum erat, tum quemadmodum ad mortẽ memetipſum mihi conſciſcendã adacturi forent, atrociter cõminabantur. Præterea quæ ſupplicia excogitabãt his qui publicè puniendi forent, occultè non tulerunt. Atenim quòd nihil tale, præter illorum ſpem atque ſententiam, perpeſſus ſim, diis immortalibus acceptũ refero, quorum opera mihi detectæ ſunt inſidiæ. Omniũ verò maximè Pythio, cuius beneficio & inſomnia mihi oſtenſa ſunt, illíq; miſsi quorum indicio ſingula cognoui, atque ſagaciter deprẽhendi. Ego verò hoc loco vos ô Delphi, in hoc ipſo metu, quẽ nunc ipſa oratione quàm acerbus fuerit, facilè ſentitis, volo ſuper his, quæ tunc acta ſunt, conſiliũ mihi detis, quo tẽpore nulla munitus cuſtodia ferme captus, rebus difficillimis vrgentibus ſalutẽ quærebã. Proinde pauliſper animo ſaltem ſuſcepta Acragantem verſus peregrinatione ad me, viſiſq; illorum apparatibus, ac minis auditis dicite quídnam faciendũ ſit. Humanitaténe erga illos amplius vtendum eſt, conceſſáq; impunitate, perditorum ciuium malignitati & nefariis conatibus

Ratio.

Atteſtatio, qua fidẽ facit orationi.

Narratio, qua vitã & actiones ſuas exponit

Cauſa & conſiliũ occupatæ tyrannidis.

Modus adminiſtrationis.

Conſilium de ponẽdæ tyrannidis per inſidiatores euerſum.

Communicatio, qua æquitatẽ facti ſui colligit ex caumis, I.

natibus parcendum, & diſsimulanter ferendum ſce
lus illorũ eſt, tametſi mihi actutum extrema perpe-
tienda forent? Magis autẽ conueniebat, vt nudus à
cruentis ciuibus miſerã cædem ſuſtinerem, eóſque
qui mihi fuerunt chariſsimi, coràm crudeliter perẽ
ptos perire cernerem? An verò talia hominis fuiſ-
ſent nimiũ inſenſati, ſed cõſentaneum erat generoſ-
ſiori, viróq; digniore cogitatione animo cõcepta,
hominiſque prudentis, & iniuria affecti, iracũdia ſu
ſcepta illos proſequi: mihi verò ipſe è præſentibus
periculis emerſo, in poſterũ ſecuritatem præpara-
Ex circun- rem? Hæc ſat ſcio mihi faciẽda ſuaſiſſetis. Quid er
ſtantiis. II go ego poſt hæc feci, qui accerſitis reis atq; noxiis,
& conceſſa illis fandi atq; reſpondẽdi copia, & ad-
ductis argumentis, ſingulíſque diligenter & accura
tè exploratis atq; cõuictis, poſteaquã nihil amplius
inficiari poterant, meritũ de illis ſumpſi ſuppliciũ,
vehementer excandeſcens, nõ quòd mihi pernicié
machinati fuerant, ſed quòd in illo propoſito me
permanere non ſiuiſſent, quod ab initio proſequen
Propoſi- dum mihi conſtituerã? Et iam ab illo tempore me
tio. ipſe comitatu ſatellitum ſtipatũ cuſtodire non deſi-
no, atque ex illis quotquot ex occulto inſidioſẽ me
Confirma- petiuerint, ſupplicio afficere pergo. Deinde homi-
tio. nes crudelitatis me accuſant, non valde reputantes
ab vtro noſtrũm primũ huius mali initium ſubin-
troductum ſit: ea quæ in medio euenere, & quam ob
rem de ciuibus nefariis ſumptum ſit ſuppliciũ, ne-
gligenter complectentes. pœnas tamẽ ſceleratis ci
uibus irrogatas, in crimen vocant, eáſque quę ſibi in
illis exeruciandis committi viſæ ſunt crudelitates.
A ſimili. I Non diſsimile factum, ſi quis apud vos ſacrilegum
quendam præcipitio mulctatum vidiſſet, cæterùm
quæ nefariè deſignaſſet, non reputaret, quemadmo
dum noctu in templũ ingreſſus, ſublatis furtim pre
tioſiſsimis quibuſque donariis, fanum religioſiſsi-
mum impiè depeculatus eſſet, ac etiam ſtatuis ma-
nus ſceleratas admouiſſet, magnę tandem crudelita
tis vos accuſaret, quòd cum & Græci & ſancti eſſe
perhibeamini, ſupplicio affeciſſetis hominem Græ
cum prope templũ. Etenim non ita procul ab vrbe
fertur eſſe petra huic deſtinata ſupplicio. At vos,
vt opinor, eiuſmodi hominis ſtoliditatẽ riſu proſe-
quuturi eſſetis, ſi quis hæc aduerſus vos dicere au-
deret: alii autẽ omnes veſtrã aduerſus impios male
Locus pro ficos crudelitatẽ collaudabũt. In ſumma populi nõ
tyranno. perpendentes qualíſnam ille ſit qui rebus imperio
præeſt, ſiue iuſtus, ſiue iniuſtus, ſimpliciter ipſum no
men tyrannidis proſequuntur odio, ipſíq; tyranno
extremè infenſi ſunt: & tametſi Aeacus aut Minos
aut Rhadamanthus principatũ geſſerit, omnes ta-
men ex æquo è medio tollere approperãt, malos il-
lorũ ante oculos ſibi proponentes, bonos verò cõ
muni accuſationi innocenter obnoxios eodẽ odio
Ab exẽplo complectentes. Cæterùm audio apud vos quoq; in
Græcia multos fuiſſe tyrannos ſapientes, qui ſub
hoc vitioſo (vt videtur) nomine cõmodos & man-
ſuetos omnibus ſeſe vtendos præbuerint: è quorũ
numero nonnullorũ orationes quoq; breues & ſuc
II cinctæ in delubro veſtro vnà cum ſtatuis ac mune-
A legibus ribus Pythio repoſitæ continentur. Reſpicite autẽ
& cauſa. ad legum ſcriptores etiam irrogandarum pœnarum
rationi & conſuetudini plurimum tribuentes, quaſi
cæterarum rerum nulla expectanda ſit vtilitas, niſi
metus malefactoribus eſſet propoſitus, ac certa ſpes
conſtituta luendi pro flagitiis ſupplicii. Cæterùm Tyranno-
nobis tyrannis in hoc longè maior impoſita eſt ne rũ pericula
ceſsitas, qui cæteris neceſſariò præſumus, quíq; cõ- amplificat
munem cum nobis odioſe inuidentibus tum necem ſimilitudi-
machinantibus conſuetudinem agimus, vbi ne per- ne.
ſonati quidem vllam ſecuritatis vtilitatem ſenti-
mus, ſed omnis noſtra res perinde vt fabula, quæ de
Hydra fertur, ſe habet. Quantò enim plures præci
derimus, tantò plures nobis puniendi occaſiones
ſuppullulant. Eſt autem operæ pretium vt iſta fe-
ramus, ac capita ſubinde recreſcentia ſemper reci-
damus, & per Iouem iuxta Iolai inſtitutũ igne quo-
que abſumamus, ſi ſalui rerum potiri cupimus. Et-
enim eum, qui neceſsitate coactus ſemel in hæc in-
ciderit, & ipſum materiæ non diſsimilem eſſe neceſ
ſe eſt, aut ſceleratis ciuibus parcentem, perire fundi
tus. In ſumma, quem putatis vſqueadeo mentis eſſe
agreſtis, efferatæque immanitatis hominem, cui vo-
luptati ſit alios flagellis cædere, aut cruciatorum au
dire gemitus, aut cædes & carnificinas ſpectare, niſi
vehementem infligendarum pœnarum cauſam ha- III
beret? Quoties igitur dum alii flagris cæderentur, A ſignis.
lacrymatus ſum? Quoties autem meam ipſius for-
tunam lugere ac deplorare cogor, grauius ego ſup-
plicium & diuturnius ſufferens? Etenim viro natu- γνώμη.
ra bono, neceſsitate autem ſæuo & amarulento, mul
tò durius eſt de aliis ſumere, quàm de ſe ſumi ſup-
pliciũ. Si verò liberè quod ſentio proferẽdum eſt,
ego profectò, ſi mihi daretur optio, vtrum velim nõ
nullos innocentes punire, an me ipſum potius mor
tem oppetere: planè perſuaſum habete, quòd nihil
cunctatus mori potius eligerem, quàm homines ni-
hil mali præter æquum commeritos, ſupplicio affi-
cere. Dixerit verò aliquis, Præoptas potius ô Pha-
lari, ipſe iniuſtè interire, quàm iuſtis ex cauſis pœna
affligere inſidiatores? Velim profectò hoc. Rurſus Communi-
enim vos Delphos in conſilium voco, vtrum præ- catio.
ſtabilius eſſe putatis, iniuſta morte oppetere, an iniu
ſtè ſeruare eum qui exitium machinatus ſit? Nemo,
vt opinor, adeò vecors eſt, & egens animi, qui non
viuere potius præeligat, quàm ſeruatis hoſtibus in-
terire. Et quótnam ego ex iis, qui manus mihi ad- Clementiæ
mouere conati ſunt, ſeruaui, (quorum de numero exempla.
eſt Acanthus ille cum Timocrate & Leogora) veteris, quæ mihi cum illis fuit conſuetudinis & amicitiæ, recordatus? Cæterùm ſi ita veſter fert animus, atque adeò vobis cordi eſt meos mores noſſe propius, eos qui in Acraganta frequenter cõmeant hoſpites interrogate, cuiuſmodi ego me erga illos ge- IIII
rere ſoleã, aut oſtendere, & num humanum & libera A ſignis
lem me præbeã accedentibus, qui exploratores etiã aliud.
in portis conſtitutos habeo, neque non auditores,
quinam & vnde nauigarint, vt certior factus, pro di
gnitate honorem habens dimittam illos. Nonnulli
quoque ſtudioſe & ſua ſponte me viſunt, Græcorũ
quidem ſapientiſsimi, neque noſtrã conuerſationẽ
reſpuunt aut ſubterfugiunt: quemadmodũ nuper ſa-
piens ille Pythagoras ad me venit, cum longè alia
de fama mea inaudiſſet. Poſtea verò quàm omnia
ſecus ſe habere cõperit, diſceſsit collaudans me in-
ſcitiæ, ob crudelitatem verò neceſſariò mihi exer- V
cendam mei miſereſcens. Poſtremò putatiſne eum, A minori.
qui ergà peregrinos tã humano affectus eſt animo,

aduerſus

aduerſus domeſticos tãtam exercere iniuſtitiã, niſi
Epilogus. præter modum iniuria afficeretur? Hæc ferè ſunt,
quibus me vobis abunde purgatum eſſe opinor, ve-
ra profectò & iuſta, ac multo magis laude, vt ego mi
Tranſitio. hi perſuadeo, quàm odio digna. Sedenim de miſſo
donario iam tempus eſt vt audiatis vndénam & qua
ratione taurum hunc poſſederim, ſtatuarii opera nõ
locata. Neque enim tam dementis ſum animi, vt ta-
Cõmenda- les poſſeſsiones mihi deſiderandas eſſe putem. Sed
tio donarii erat quidam Perilaus noſtratis gentis homo, egre-
gius quidẽ & ingenioſus artifex, cæterũ natura ma-
lus & improbus. Ille tota via cum à ſententia mea
aberraſſet, putauit ſe mihi rem admodũ gratam fa-
cturum, ſi nouum quoddam ſupplicii genus excogi
taſſet, quaſi præ omnibus rebus præcipuam in ſu-
mendis ſuppliciis voluptatem cupientiſsimè cape-
perem. Iam verò boue fabricato, ad me venit ferẽs
illum, aſpectu ſanè pulcherrimum, atque accuratiſsi
mè ad veri bouis imaginem expreſſum. Tantùm illi
motus & mugitus deerant, quò minus viuus eſſe pu
taretur. Viſo autem illo, ſtatim exclamabam: Di-
gnum munus Pythio. mittẽdus eſt hic taurus Apol
lini. Porrò Perilaus aſsiſtẽs, Quid ſi, inquit, ſapien
tiam, quæ in illo eſt, perdiſceres, ac vſum cui præ-
bendo formatus eſt? Et cum dicto taurum per dor-
ſum aperuit. Si quem, inquit, cruciatibus torquere
volueris, conecto illo in machinam, ac dorſo iterũ
concluſo, haſce tibias naribus bouis admotas accõ
moda, ignem autem ſuccendere iubeas: ac ille qui-
dem incluſus plorabit, vociferabitúrque inuſitatis
& ineffugibilibus detentus doloribus, cæterùm vo-
ciferatio per tibias cantum tibi abſoluet nimiũ ſtri
dulum & lugubre quiddam modulabitur: quinetiam
inſuper mugitus ciebit triſtiſsimos, ita vt ille inter
modulandum tormentis crucietur, tu verò ſingula-
ri voluptate afficiaris. Porrò ego his auditis crude-
lem machinam extremè auerſatus ſum, & immanem
illam inſtrumenti indolem prorſus reſpui, conue-
niénſque & debitum illi ſupplicium impoſui. Et a-
ge, inquã, ô Perilae, ne vana videatur eſſe tua pro-
miſsio, ipſe nobis in taurum ingreſſus, veram artis
tuæ induſtriam comprobato, ac vociferantes imita-
re, vt certò cognoſcam num ea quæ iactas carmina
per tibias cantata exaudiantur. Perilaus nihil cuncta
tus his dictis promptè obtemperat. Ego autẽ poſt-
quam ingreſſus eſt, concluſo tauro, ignem iuſsi ſuc
cendere. Recipe, dixi, debitũ arti tuæ tam admiran-
dæ præmiũ, vt magiſter muſices ipſe primus omniũ
canas. Ac ille enimuero iuſtiſsima paſſus eſt, ſua i-
pſius excellenti fruens induſtria. Porrò autem ego
viuentem, & adhuc ſemiuiuum ſpirantem iuſsi exi-
mere, ne ſi immoreretur, nece ſua opus contamina-
tum impiaret: illum inhumatum per ſcopulos prœci
pitari imperaui. Taurum verò piaculis mundatum,
Deo dedicandũ legaui, omnémque de illo hiſtoriã
iuſsi adſcribere, dedicantis mei nomen, Perilaũ ar-
tificem, illius immanem ſententiã; meam in punien
dis maleficis æquitatem, conueniens ſuppliciũ, pri-
mos artificis concentus & modulationes, præterea
primam muſices experientiam. Vos autem Delphi
iuſtè facietis, ſi pro me vnà cum legatis ſacra feceri
tis, taurúmque Deo in eleganti delubro dedicaueri
tis, vt omnibus perſpicuum fiat quo ego aduerſus
criminoſos ſim animo, tũ qua acerbitate vlciſci ſo-
leam ſuperuacuas illorum ad perpetrandam malitiã
cupiditates. Itaque hoc ipſo ſolo facto ſatis ſupérq;
quibus moribus prædítus ſim, manifeſtatum eſt, Pe
rilao ſuppliciis affecto, ac tauro dedicato, neque am
plius ad aliorum torquendorum muſicam reſeruа-
to, quem nihil aliud modulatum eſſe pro certo affir
mo, præterquam ſolos mugitus artificis, quódque
in ſolo ipſo artis periculum fecerim, ac ſtatim bar-
baram illam & inhumanam muſicam cõpeſcuerim.
Atque hæc quidem in præſens Deo offerre libuit.
Dedicabo verò illi & alia ſæpenumero, vbi tantum
illius munificentia cõſecutus fuero, vt amplius pœ-
narum acerbitate erga noxios non egeã. Hæc equi- Peroratio
dem, ô Delphi, quemadmodum à Phalaride facta ex perſona
ſunt ſingula quàm veriſimè percenſuimus. Iuſti ve- legatorum
rò vtique habendi ſimus, ſi fidem vobis facientes, ve
ritatis teſtimonium illi præſtiterimus, quippe qui
harum rerum non imprudentes, nullam nunc men-
tiendi occaſionem aut cauſam habeamus. Quòd ſi
quoq; neceſſe eſt pro viro nos eſſe ſupplices, quem
falſo multi ſuſpicantur eſſe improbum, quippe qui
inuitus & coactus in malos animaduertit: ſuppli-
camus vobis nos Acragantini, qui & Græci ſumus, &
ex antiquo Dores, complectamini humanitate vi-
rum amicitiam vobiſcum iungere cupientem, ac eũ
qui multum & publicè & priuatim vnicuique ve-
ſtrûm benefacere & prodeſſe ſtudeat. Aſſumite igi-
tur vos ipſi taurum, Deóque dedicatum offerte, ac
pro Acragãte ipſiúſq; Phalaridis ſalute precãtes, vo
ta facite. Et nolite nos infecta legatione dimittere,
ne & illũ contumelia afficiatis, eadémq; opera Deũ
elegantiſsimo iuxtà ac iuſtiſsimo munere priuetis.

PHALARIS SE
CVNDVS,
Vincentio Obſopœo interprete.

ARGVMENTVM.

*Declamatio breuis, ſed arguta eſt, qua ex Delphicis ſa
cerdotibus quidam ſuadere fingitur, quò donum Phalari
dis, de quo in ſuperiore oratione agitur, in templum reci-
piatur, ac Deo conſecretur. Genus cauſa deliberatiuũ eſt,
Status negotialis. Exordiũ habet denſum, vt in quo vna
ferè periodo & ſuſpicianes eas quibus fauore aliquo addu
ctus aut aliàs corruptus ad ſuadendum acceſsiſſe videri
poterat, à ſe remouet, & ſola beneuolentia, ſtudióque com
munis vtilitatis ad dicendũ ſe progreſſum eſſe docet: de-
inde & dociles & attentos eadem breuitate facit. Poſt
Exordium Propoſitio ſequitur. Hanc confirmat primùm
ex locis honeſtatis, oſtendens impium ac propè ſacrilegum
fore, ſi donum hoc à templo excludatur: neque enim quen
quam poſthac quicquam oblaturum eſſe, & Deum ſuis
ſacris ac debito cultu priuatum iri. Deinde contra vo-
luntatem ipſius Dei eſſe, vt qui certis indiciis ac ſignis
declararit gratam iſtam legationem ſibi eſſe. Hinc quod
de crudelitate tyranni obiiciebatur, diluit, confutatis teſti
moniis à conditione perſonæ, & incertitudine: & con-
trà ab officio admonet, vt ſacra magis procurent, & Deo
operentur potius, quàm iudicijs vacent. Poſt hæc ad locum
vtilitatis tranſit, docétque contra communem vtilita-
tem fore, ſi dona excludantur. Nam ex his omnem prouen
tum eſſe Delphorum, & omnem item famam & gloriã.
Denique nullo veterum exemplo hoc fieri. Et ſi maxi-
mè in deliberationem hanc rem vocare velint, officio eos
vti debere iuſtè ac liberè iudicantium, non ex affectu
aliquo rem eſtimare. Peroratio, repetitione argumento-
rum,*

rum, cum admonitione eorum incommodorum, quæ ex hac re conſecutura ſint, & quòd nihil temere innouandum ſit, perficitur.

Captat beneuolentiã à remotione ſuſpicionis, & voluntate erga rẽpu. ſua.

QVVM antehac nulla mihi, ô viri Delphi, neque cum Acragãtinis ciuibus hoſpitalitas interceſsiſſet, neque cũ ipſo Phalaride priuatim vlla domeſticę familiaritatis cõtracta eſſet ſocietas, neque aliam haberem erga illum aut peculiarem cauſam ſociandæ beneuolentiæ, aut olim iungendę cum illo amicitiæ ſpem, tantùm verò miſſos ab eo legatos audierim æqua & modeſta perorantes, callidéque proſpicerẽ & quid piè à vobis fieri poſsit, & quid publicæ vtilitati cõducibile foret, cum primis verò quid Delphis non indecorum factu futurum eſſet: ſurrexi in medium oratione mea vos cohortaturus, ne & virum principem, & piè agentem, contumelia temere afficeretis, neq; munus ipſum, quod Deo iam deſtinatum eſt, à vobis alienaretis: præſertim trium maximarũ rerum perpetuò monimentum futurum, artis præſtantiſsimæ, cogitationis crudeliſsimæ, & iuſti ſupplicii. Itaq; ego, quòd & in incerto habetis quid hac de re ſtatuendum ſit, quódqne magiſtratus deliberandum vobis propoſuerint, num munus ſuſcipiendum, an iterum retro ablegandum ſit, parũ religioſum eſſe arbitror. Multò autẽ potius impietati nullum modum relinquetis, neque enim aliud hæc res erit, quàm nefarium ſacrilegium, quod turpitudine ſua omnia longè latéq; excedit flagitia. Nec minus impiũ erit factu, Deo donaria dedicare volentibus, ne facultatem quidẽ offerendorũ munerum concedere, quàm ea quæ Deus iam oblata poſsidet, depeculari. Precor autẽ vos, cum & ego vnus ſim è Delphorum numero, ac ex æquo publicæ gloriæ particeps, ſi conſeruata fuerit, tum diuerſæ opinioni obnoxius, ſi quid in præſens aduerſus exiſtimationem noſtrã perperam admiſſum fuerit, ne templũ obſeretis piis & religioſis hominibus, neque ciuitatẽ noſtram omnium mortalium contumeliæ atque calumniis traducendã obiiciatis, quaſi ea quæ Deo offerẽda mittuntur, ſycophantiis illudentẽ, calculíſq; & iudicio donaria dedicãtes rectificantẽ. Siquidẽ nemo quicquam poſthac muneris offerre audebit, certior factus, Deum nulla beneuolentia ſuſcepturum, quod priùs Delphis nõ viſum ſit probabile. Proinde Pythius iam antè nõ iniquã demiſſo denario tulit ſententiam. Si enim aut Phalarim odio haberet, aut eius munus contemptim auerſaretur, facile ac promptũ illi fuerat illud vnà cũ naui oneraria, qua allatum eſt, in mediis Ionii maris fluctibus ſubmergere. Iam verò ille à veſtra ſententia longè latéque diſſentit, cũ & ſereno cælo illis Ioniũ traiicere præſtitit (quemadmodum ipſi teſtificantur) ac ſaluos in Cirram vſq; pertulit: quo facto ſatis manifeſtum eſt monarchæ pietatẽ ſibi non improbari. Oportet autem & vos diuinæ ſententię adiectis calculis, & hũc taurum reliquis tẽpli ornamentis adiungere: quandoquidem haud dubiè res foret omniũ abſurdiſsima, ſi quis adeò magnifico & excellẽti munere huc miſſo, veſtris calculis ab ingreſſu templi arceretur, ac præmium impietatis auferret, videlicet indignus iudicatus qui donũ offerret Apollini. Cæterùm ille, cuius diuerſa eſt à me ſententia, quemadmodum ex Acragante huc delatus nauigio, cædes quaſpiã & iniurias, & rapinas, & deprædationes à tyrãno factas ſuſtinuit, nimiùm tragica vociferatione extulit, dicens propemòdũ omnia ſibi coràm viſa eſſe oculis, quem non ignoramus ne ad portum quidẽ vſq; peregre profectum eſſe. Non autẽ diſſentaneũ eſt talia ne iis quidem omnino credere, qui iſta ſe perpeſſos eſſe cõmemorant. Etenim nobis obſcurum eſt num vera prædicẽt, ne quo modo eos, de quibus nihil certi nobis compertũ eſt, iniuſtè ſceleris accuſemus. Quòd ſi tale quippiã in Sicilia quoque peractum eſt, quid hac de re Delphos ſolicitè curioſos eſſe attinet, niſi pro ſacerdotũ officio, iudicũ partes nobis præpoſterè vendicemus? Et iam nobis ſacrificandum erat, atq; cæteris omnibus Deus colẽdus: ac ſi quis miſiſſet donaria, ea dedicare noſtri fuerat officii. Nũc hic expendentes ſedemus, ſi qui ex illis qui trans Ioniũ continentẽ incolũt, legitimè an ſecus adminiſtrent imperia. Atq; aliorũ quidem res prout ipſi voluerint, ſe habeãt: porrò nobis per neceſſariũ eſſe opinor, ne noſtra ipſorũ nobis ignota ſint, tum qui olim rerũ noſtrarũ ſtatus fuerit, & quo modo nunc in præſens eædẽ ſe habeãt, & quid magis ex vſu noſtro ſit facere. Nã quòd in præcipitiis & arduis cautibus habitemus, ac ſteriles petras colere ſoleamus, Homerus monitor nobis non eſt expectãdus, qui nobis hæc palàm faciat, ſed iſta coràm ipſi oculis intuemur: tum quantum ſemper in terra verſemur, cui portus ſit profundus, haud obſcurè animaduertimus. Cæterùm templum ipſum, & Pythius, & oraculum, tum ſacrificantes, & pietatis operibus ſeruientes, ii ſunt Delphorum campi, ii prouentus, inde abundantia, inde commeatus nobis abundè & affatim offunditur. Par enim eſt, vt apud vos quod verum mihi videtur, tacitum nõ habeam, aut diſſimulanter præteream, & quod à poetis dicitur, citra ſemẽtem, citráque arationem nobis omnia proueniunt, Dei agricolæ operâ: qui nõ ſolùm ea, quæ apud alios bona naſcuntur, nobis ampliter & cumulatè exhibet, ſed ſi quid pretioſi aut rari apud Phryges eſt, aut Lydos, aut Perſas, aut Aſſyrios, aut Phœnices, aut Italos, aut apud ipſos denique Hyperboreos, omnia certatim ad Delphos perferũtur. Ac nos ſecundo loco poſt Deum ab omnibus mirificè colimur, paratáque rerum copia affluentes felicem vitam agimus. Sed hæc iam olim vobis ignota non ſunt. Quod autem ad præſentem deliberationem attinet, danda eſt nobis opera, vt in hoc vitæ ſemel inſtitutæ tuendo propoſito conſtãter perſeueremus. Nullus, vt mea fert opinio, memoria tenet, vllo tempore de quoquam donario apud nos latam eſſe ſententiam, neque quenquam à ſacrificando aut donario dedicando fuiſſe excluſum aut prohibitum: eámque ob cauſam opinor delubrum Apollinis tantopere auctum eſſe, in tantum, vt iam ſupra modum abundet muneribus. Oportet itaque neque in præſens quicquam temere innouare, neque aliquid præter morem patrium conſtituere. Sed nec amoris reſpectu iudicanda ſunt nobis donaria, nec generis ratione ea, quæ mittuntur, æſtimanda, vndénam, aut à quo, aut cuiuſmodi ſint, quæ huc legantur. Suſcepta autem munera nulla curioſitate delubro ſacranda ſunt, ac amb

Attentio.

Propoſitio

Confirmatio.

Apietate & religione.

Amplificatio ex conſequẽtibus

A voluntate Dei, quã ex ſignis probat.

Amplificatio ab abſurdo.

Obiectioni teſtium occurrit à qualitate perſonarũ.

A locorum diſtantia & proprio officio.

Ab inutili, ex circunſtantiis, loco & effectu ſacrorũ templíque.

A nouitate rei, & quòd contra veterum exẽpla fiat.

Ab officio iudicantiũ

ac ambabus manibus per nos inseruiendum est cum deo, tum pietatis gratia huc venientibus. Videmini verò mihi, ô viri Delphi, super rebus, quas in præsentia deliberationi expendendas subiecistis, consultissimè facturi, si primùm omnium eam cogitationem susceperitis, de qualibúsnam ac quantis rebus consilium ineatis. Principiò enim super Deo ipso ac templo, tum sacrificiis atque donariis, superq; ritibus ac moribus antiquis, simul atq; legibus vetustis, ac gloria vaticinii, exinde super vniuersa ciuitate, ac rebus priuatim & publicè omnibus Delphis cõducentibus. Præter hæc omnia consultantes non contemnendum in discrimen venietis apud omnes homines aut fruendæ gloriæ, aut tolerandæ infamiæ. His profectò nihil maius (si quidem rationis cõpotes estis) aut perinde necessarium esse existimabitis. De quibus igitur in præsens consultamus, hæc sunt, non equidem solùm Phalaris, neque taurus ille, neque æs tantùm, sed omnes reges, ac principes, quotquot nunc templi vtuntur opera. Præterea aurum, argentum, & quæcunque alia pretiosa multa ac sæpenumero Deo dedicanda veniunt. Primùm enim iuxta Dei consilium expendere cõuenit. Cuius ergo rei gratia, nõ vt semper nobis moris fuit, neque vt iam olim cõsueuimus, de dedicandis muneribus faciemus? Aut quid in antiquis constitutionibus censoria nota reprehendentes, rebus nouis studemus? Et quod nunquam ex quo hanc vrbem incolimus, ac Pythius interrogatus reddidit oracula, & tripos loqui tur, & ipsa sacerdos diuino afflatur numine, fecimus, nunc faciendum constituemus, iudicantes videlicet ac expendẽtes eos qui huc misitant munera. Quin potius illud apud animum vestrum cogitatis ex prisco illo more & instituto, quo munerum offerendorum facultas intercluſa fuit nemini, quãtis bonis templum auctum & cumulatũ siet, omnibus offerentibus, ac quibusuis pro substantiæ suæ modulo donariis deum cumulantibus. Quòd si nobis ipsi iudicum & censorum prouinciam sumemus missorum huc munerum, vereor ne citò eorum qui nobis probandi, aut expendendi sunt, penuria laboremus, nemine scilicet sufferente semetipsum reum obiectare iudicio, & in hoc ipsum impẽsas & sumptus facientem, vt iudicetur, déq; omnibus in periculum veniat. Aut cui humaniter patiendum existimatis, si donariorum dedicandorum libertate indignus esse iudicabitur?

Peroratio, qua & capita argumẽtorũ repetit, & Delphos admonet, ne quid temere innouẽt, sed potius cõmunẽ vtilitatẽ cõsiderent.

ALEXANDER SEV PSEVDOMANTIS,

Eras. Roterod. interprete.

ARGVMENTVM.

Historica narratio est, vitam & res Alexandri cuiusdam impostoris, qui se Podalirij filium faciebat, & pro vate venditabat, exponens, lectu iucundissima, non per se modo, verumetiam quòd sub huius præstigiatoris exemplo, aliorum atque similium, quorum nonnullos superior atas quoque tulit, scelera atque impostura deprehendi coarguíque possunt. Proœmio difficultatem susceptiperis collatione quadam amplificat, institutúmque suum exẽplo defendit. Hinc ad narrationẽ descendens, à descriptione personæ orditur. Cætera plana sunt.

IV quidem charissime Celse, leuem fortè quãdam ac facilem prouinciam tibi mandare videris, cum iniungis vt Alexandri Abonotichitæ impostoris vitam, commenta, neque non audaciã præstigiásque libro cõplexus, volumen ad te transmittam. Verùm si quis ea conetur omnia ad plenum enarrare, id profectò non minoris sit negotii, quàm Alexandri eius, cui Philippus fuit pater, res gestas literis prodere: tantus fuit scelere, quantus ille virtute. Attamẽ si candidè ignoscentérque legere voles, & quod narrationi deerit, id ex te imputare atq; addere, conatum hunc te authore capessam, & Augiæ bubile, si non omne, at certè pro mea virili repurgare nitar, paucis aliquot elatis cophinis: nimirum vt ex his coniecturam facias, quantus quámq; immensus fuerit fimus vniuersus, quem ter mille boues multis annis reddere potuerint. Sed amborum interim nomine calumniam vereor, tuo pariter ac meo: tuo, qui iubeas memoriæ literarúmque monumentis tradi virum longè sceleratissimum: meo, qui sumam operã in huiusmodi narratione, rebúsque gestis hominis, quem nequaquam oportebat ab eruditis legi, sed in frequentissimo quopiam & ampliſsimo theatro spectari à simiis aut vulpibus discerptum: quãquam si quis hoc crimen nobis impegerit, poterimus & ipsi nos exemplo quodam simili tueri. Etenim Arrianus ille discipulus Epicteti, vir inter Romanos cum primis laudatus, ac per omnem vitam in literarum studio versatus, cùm simile quiddam fecerit, pro nobis quoque respondurus est. Nam is quidem Tillibori latronis vitam describere non est grauatus. Nos verò multò crudeliorem latronem memoriæ prodemus, quippe qui non in syluis ac montibus, sed ipsis in vrbibus sit latrocinatus: neq; qui Minyam tantùm aut Idam sit pergrassatus, neq; paucas quasdam Asiæ partes, videlicet desertiores depopulatus, sed qui vniuersam (vt ita dixerim) Romanorum ditionem suo complerit latrocinio. Ac primùm tibi depingam hominem, effigiem eius quoad potero proximè verbis adumbrans: tametsi non sum admodum pingendi peritus. Corpore igitur, vt interim & hoc tibi repræsentem, procerus erat, & aspectu decorus, planéq; specie diuina quadam, ac maiestatis plena, colore candido, barba non admodum hirsuta, coma partim natiua tectus, partim appositicia: sed hac adeò scienter efficta, vt vulgus ferè non sentisceret imitatam ascititiámq; esse. Oculi vehementer acres ac versatiles, tum diuinum quiddam relucentes. Vox dulcissima, paritérque clarissima. In summa, quo ad has res nulla ex parte poterat improbari. Ac figura quidem hominis erat huiusmodi: cæterũ mens atque animus, ô malorum depulsor Hercules, & auersor tristiũ Iupiter, seruatoréque Dioscuri, in hostes potius contingat incidere, quàm cum eiusmodi quopiam habere cõmercium. Siquidẽ ingenio, solertia, acumine longè præstabat cæteris mortalibus. Tum curiositas, docilitas, memoria, & ad disciplinas ingenii felicitas, horum vnumquodque supra quàm dici possit, illi suppetebat, quibus tamen pessimam in partem est vsus. Et quum haberet arma tã egregia

ſibi ſuppeditata, illico nimirum omnium qui eſſent ſceleribus nobilitati, facilè ſummus euaſit, vel ſuperior, Cercopibus, Eurybato, Phrynonda, Ariſtodemo, Soſtrato. Nam ipſe cum aliquando Rutiliano ſcriberet genero, modeſtiſſiméque de ſe loqueretur, Pythagoræ ſemet aſsimilabat. Atqui veniã mihi dabit Pythagoras, vir ille quidem ſapiens, ac mente diuina: cæterùm ſi huius ætate vixiſſet, puer (ſat ſcio) præ hoc viſus fuiſſet. Sed heus tu per Gratias, caue putes hæc in Pythagoræ contumeliã me dicere, quaſi velim eos ſimilitudine rerũ geſtarum committere. Verùm ſi quis deterrima quæque & probroſiſsima quæ de Pythagora per calũniam feruntur (quibus equidem haudquaquã fidem perinde vt veris habuerim) ſi quis tamen conferat in vnum, ea nimirum omnia vix etiam minimam particulam adæquẽt Alexandrinæ verſutiæ. Prorſum enim imaginare mihi, & cogitatione finge, quàm maximè variam ingenii temperaturã, indolémque ex mendacio, dolis, periuriis, maleficiis confuſam, promptam, audacem, verſatilem, & ad efficiendum quę cogitaſſet, nullum refugientem laborem, appoſitam ad perſuadendum, cuíq; facilè fides habenda videretur, tum quæ mirè ſimularet optima quæque: ea quæ à mente eſſent diuerſiſsima, præ ſe ferret. Primùm igitur nemo cum illo congreſſus eſt, qui non hac cum opinione diſceſſerit, vt eum mortalium omnium optimum æquiſsimúmque, præterea ſimpliciſsimum, minimèque fallacẽ iudicaret. Accedebat ad hæc omnia grandiũ rerũ conatus, quum nihil puſillum cogitaret, ſed ad maxima ſemper appelleret animum. Ita quum eſſet adoleſcentulus adhuc formoſus admodum, ætate videlicet tenera, ac velut herbeſcente, id quod licebat partim è ſtipula coniicere, partim audire ex his qui ita prædicabant, paſsim ſeſe proſtituebat, ac mercede ſui copiam faciebat iis, quibus lubitum fuiſſet. Inter multos autem incidit in hunc amans quidam præſtigiator, ex eorum numero, qui magiam & diuinas incantationes profitentur, tum illectamenta ad conciliandam in amoribus gratiam, malorũ immiſsiones in hoſtes, rationem eruendi reperiendíque theſauros, hæreditatum ſucceſsiones. Hic vbi conſpiceret bene ingeniatum puerum, atque ad ſubminiſtrandum arti negotióque ſuo propenſiſsimum, vt pote qui nõ minus illius adamaret maleficiũ, quàm ipſe huius formã, erudiit eum, ſempérque deinceps pro adiutore miniſtróque eſt vſus. At is publicitus quidem & apud vulgus medicũ ſcilicet agebat: didicerat autem apud Thoonis Aegyptii coniugem

Pharmaca miſta, ſalubria multa, at noxia multa. Quorum omnium ſucceſſor hic atque hæres factus eſt. Porrò doctor ille & idem amator natione Tyaneus erat, videlicet ex eorum numero, qui cum egregio Apollonio Tyaneo illo erant verſati, totámque illius tragœdiam pernouerant. Vides quánam è ſchola tibi hominẽ refero? Verùm vbi iam barba plenus eſſet Alexander, Tyaneo illo vita defuncto, in egeſtatem redactus, defloreſcẽte ſimul & forma vnde victum parare licuiſſet, nihil poſtea paruum agitabat animo: ſed inito commercio cum Byzantino quopiam, annalium ſcriptore, viro, qui in certamina deſcendunt, omnium, ingenii longè ſceleratiſsimi: (Cocconas, opinor, erat cognomẽ) circumibant impoſturis ludificantes, ac pingues homines (ſic enim illi peculiari Magorum lingua vulgus appellant) detondẽtes. In his Macetin mulierem opulentam nacti ſunt, natu quidem grauiorem illam, quàm vt amoribus eſſet idonea, ſed quæ ſtuderet etiamdum amabilis haberi. Ab hac victus copia ſuppeditabatur, atque hanc ex Bithynia in Macedoniam vſque ſunt conſequuti. Nam illi patria erat Pella, qui locus olim floruit ſub Macedonicis regibus: nunc à paucis, iisq; obſcuris & humilibus incolitur. Ibi quum cõſpicerent immani magnitudine dracones, placidos admodum ac manſuetos, adeò vt à mulieribus alerentur, & cum pueris vnà cubarent, & calcantes ferrent, neque commouerẽtur ſi quis ſtringeret premerétque: deniq; perinde atque infantes lac è papilla ſugerent (nam ſunt id genus apud illos permulti: vnde veriſimile eſt olim illam de Olympiade fabulã increbruiſſe, quum Alexandrum conciperet, huiuſmodi dracone quopiam, opinor, cum ea concũbente) mercati ſunt ex his ſerpentibus vnum, qui eſſet pulcherrimus, obolis ſanè paucis. Atque (vt Thucydidis vtar verbis) hinc iam bellum oritur: nimirum quum duo facinoroſiſsimi, & immani audacia præditi, neque non ad maleficia promptiſsimi, ſocietatẽ iniiſſent, facilè perpenderunt, hæc duo potiſsimùm in homi num vita tyrãnidem obtinere, ſpem, ac metũ: quorum vtroque ſi quis ad commoditatẽ vteretur, fore vt is illico diteſceret. Siquidem vtriq; iuxtà, vel ei qui metu laboraret, vel huic qui ſpe teneretur, videbant præſcientiam quàm maximè neceſſariam eſſe, ſummèque deſiderari: atque hac via Delphos olim fuiſſe ditatos, factóſque celebres: præterea Delum, Clarum, & Brãchidas: nimirum hominibus per hos, quos modò dixi, tyrannos, nempe ſpem ac metum, ad ſacra confluentibus, ac futura prædiſcere cupientibus, atque huius rei gratia hecatombas immolantibus, aureóſq; dedicantibus lateres. Hæc vbi inter ſeſe verſaſſent, vltróque ac citro agitaſſent, viſum eſt vaticinium oraculúmque conſtituere. etenim ſi res ea proceſsiſſet, ſperabant ſe protinus diuites atque felices fore. Quod quidem negotium magnificentius etiam illis ſucceſsit, quàm expectauerant initiò, & vel ſpe melius euênit. Hinc iam ſpectare cœperunt, primùm quidem de loco, deinde quonam exordio, quáve ratione negotium oporteret auſpicari. Cocconas igitur Chalcedonem opportunam eſſe cenſuit, vtpote regionem à negotiatoribus frequentatam, tum Thracię Bithyniæq; confinem, neque longè diſsitam ab Aſia Galatiáque, cunctis item imminentibus populis. At è diuerſo patriam ſuam prætulit Alexander: nam aiebat (id quod erat res) ad huiuſmodi negotiorum auſpicationẽ aggreſsionémq; hominibus opus eſſe craſsis & ſtolidis, & qui viderentur admiſſuri: cuiuſmodi Paphlagones affirmabat eſſe hos qui ſupra Aboni murum incolunt, nempe ſuperſtitioſos pleroſque ac ſtolidos: qui ſi quis tantùm apparuiſſet tibicinem aut tympaniſtam, aut qui cymbala pulſaret, ſecum adducens, cribro (quod aiunt) vaticinans, illico vehementer omnes illum inhient, & perinde vt cælitum quempiam intueantur. Hac de re quum controuerſiæ nonnihil inter illos fuiſſet, tandem ceſsit Alexander. Itaque profecti Chalcedonem

donem(nam id oppidum visum est hac parte habere nonnihil ipsis conducibile) in Apollinis tẽplo, quod est apud Chalcedonios vetustissimum,æreas defodiunt tabellulas,quę dicerent,breui admodum Aesculapium vnà cum patre Apolline in Pontum aduenturum, atque Aboni murum inhabitaturum. Eæ tabellæ quum essent de industria repertæ, facilè effecerunt vt hic rumor in omnem vsque Bithyniam ac Pontum dimanaret,multò autẽ ante alios in Aboni murum. nam hi protinus statuerãt etiam templum erigere,iámque fundamentis locum effoderant. Hic igi ur in Chalcedone relictus Coccona, ancipitia quædam atque ambigua obliquáque conscripsit responsa. Deinde paulò pòst diẽ obit,à vipera(sicut opinor) ictus. In huius demortui locum accersitur Alexander, ac succedit iam comatus, cæsariéque promissa, tunicam indutus purpuream albo intermistã, supra eam veste amictus candida, falcem tenens exemplo Persei, à quo se maternum genus ducere prædicabat. At perditissimi illi Paphlagones quum ambos illius nossent parentes obscuros atque humiles, tamen oraculo crediderunt ita canenti:

Persides genere gratus Phœbo iste videtur:
Diuus Alexander,Podaliri sanguine cretus.

Hic nimirum Podalirius libidinosus erat, ac natura mulierosus, adeò vt à Tricca ad Paphlagoniam vsque in Alexãdri matrem sit incitatus illectúsque. Repertum est aliud oraculum quasi Sibyllæ prædiuinantis:

Ad maris Euxini littus,iuxtáque Sinopam
Tyrside erit quidã Ausonia de gente sacerdos:
Qui prima ex monade,tribus ac decadis,referabit
Quinque alias monades,vicenáq; ter repetita
Quadrorbem numerũ,referentem nomina diui,
Qui veniet laturus opem mortalibus ægris.

Idque propter A.A. E.Ξ.cũ quibus literis ἀνὴρ cõpositum, Alexandrũ cõstituit. Significat autem A. 1. A 30. E 5. Ξ 60.qui numeri additi 96. constituũt, numerum in quatuor & vigĩti quater diuisibilem.

Alexander itaque multò pòst in patriam irruens cum eiusmodi Tragœdia,conspicuus erat ac splendidus: quum interim furore afflatum sese nonnunquam adsimulabat,ore spuma cõpleto: id quod ille facilè efficiebat,radiculæ (ea est herba lauandis lanis idonea) radice commanducata. Cæterùm illis diuinum quiddam ac formidandum spuma videbatur. At multò antea sibi finxerant parauerántque è linteis confectum draconis caput, quod speciem quandam humanam præ se ferret; colorum fucis mirè adsimulatum,quódque pilis equinis os & aperiret,& clauderet. Tum lingua(sicut est draconum) bisulca atra prominebat,quæ & ipsa pilis agebatur. Porrò Pellæus ille draco iam pridem erat in promptu,domíque alebatur:quum res postularet, tum ab illis proferendus, vnáque in partem tragœdiam acturus, vel princeps potius huius futurus fabulæ. Iam verò vt erat maturum aggredi, tale quiddam machinatur: noctu veniens ad templi fundamenta nuper effossa(constiterat autẽ in eis aqua,siue quòd ea indidẽ alicunde destillauerat,siue quòd ex æthere deciderat) illic ouum antea excauatum deponit, quod quidem intus occultabat fœtum recèns editum serpentis. Id quum altè demersissẽt in abditas luti cauernas, rursum illinc discessit. At mane quũ in forum prosiliissẽt nudus, nisi quòd subligari circum pudenda tectus erat,eóque inaurato: tum falcem illam gestans, simúlque solutam ventilans iactánsque comam, eorum more,qui à Cybele deorum matre afflati conueniunt,ac numine rapiuntur: conscensa sublimi quapiam ara concionabatur, cui tatem eam beatam esse prædicans,quæ mox Deum propalàm esset ostẽsura mortalibus. Porrò qui aderant (nam concurrerat vniuersa propè ciuitas) vnà cum mulieribus, senibus,pueris, admirabantur, ac vota facientes adorabant. At ille voces quasdam sonans incognitas,nihílque significãtes,cuiusmodi sint Hebræorum aut Phœnicum,attonitos eos reddebat,vt qui nihil intelligerent eorum quę dicebat, nisi solum hoc,quòd Apollinem Aesculapiúmque passim admiscebat. Sub hęc ad institutum templum curriculo fugiebat, accedénsque ad fossam ac fontem illum quem iam ante conditum oraculum præstruxerant, ingressus aquam, magna voce canebat laudes Apollinis & Aesculapii, inuitabátq; Deum, vti dexter ac felix in ciuitatem aduenirẽt. Deinde phialam postulat:eam porrectam à quopiam, facilè immergens, vnà cum aqua lutóque haurit & ouum illud,in quo nimirum ille Deum concluserat, candida cera, cerussaque commissuram operculi ferruminans. Id quum manu cepisset, affirmabat iam Aesculapium tenere sese. Interim illi stupidis defixísque intuebantur oculis, expectantes quídnam esset futurum postea, iandudum admirantes ouum in aqua repertũ. Porrò postea quàm fregisset idem caua vola compressum,ac serpentis illius fœtũ exclusum excepisset,simul atque mouentem hunc sese conspicerent ii qui aderãt, ac digitis circunuoluentem,protinus vocem tollebant,deúmque cõsalutabant,ac ciuitatem eam fortunatam esse dictitabant: singulíque affatim votis implebantur, thesauros, opes, prosperam valetudinem, aliáque id genus ab illo flagitantes bona. Hic ille rursus cursim sese domum abripuit,vnà secum asportans modò editum in lucem Aesculapium,bis natũ scilicet,cum semel duntaxat nascantur homines: atque non ex Coronide per Iouem,id est cornicula(nam id matris nomen fertur)neque ex cornice verùm ex ansere progenitum. Populus autem vniuersus consequebatur, omnes aflati Deo,atque ob spes animo conceptas furore correpti. Interdiu igitur se domi continebat,sperans fore,id quod & euẽnit,vt fama permoti Paphlagonum pars maxima concurreret. Ergo posteaquã vrbs ita esset hominibus referta, vt iam redundaret, sed quibus omnibus iam tũ cerebrum, tum cor esset exemptum, nec vlla parte similes viderentur viris pane victitantibus(vt loquuntur poetæ)verùm qui prẽter solam figuram nihil à pecudibus distarent: in ædiculis quibusdam in lecto residens, eo videlicet ornatu qui vatem mirè deceret, imponit in sinum Pellęum illum Aesculapium,qui quidem erat,vt dictum est,maximus pulcherrimúsque. Hunc totum vbi collo circundedisset,caudam foras prominere sinens(Erat autem ingens adeò,vt cum per pectus illius effunderetur,pars tamẽ humi traheretur)solum autem caput sub alis abditum teneret,illo nimirum omnia ferẽte:linteaceum illud draconis caput, altera in amictus parte contextum ostendebat,quod prorsum illius esse draconis videretur,qui à pectore prominebat scilicet. Iam verò mihi cogita ædiculas nõ admodum illustres,nec ad

ſatietatem vſque luminis capaces: tum turbam hominum conuenarum, quíque aliis ex locis alii concurriſſent, tumultuãtes, ac prius etiam quàm iſta viderent, mente attoniti, ſtupefactíque deniq; ſpebus illis ſublati: quibus ingreſsis non mirum ſi res viſa eſt portentoſa, videlicet ex modò puſillo ſerpente intra pauculos dies tam immanem extitiſſe draconem humana ſpecie, atque eum inſuper manſuetum tractabilémque. Protinus autem ad exitum properabant, & priuſquam exactiùs eſſent contemplati, protrudebantur ab iis qui noui ſemper ingrediebantur. Porrò è regione ianuæ, per quam intrabatur, patefactum erat & aliud oſtium, per quod exiretur: cuiuſmodi quiddam & Macedonas in Babylone feciſſe ferunt in Alexãdri morbo, quum ille grauiter iam ægrotaret: illi obſeſſa regia deſiderarent eum intueri, ac ſupremũ alloqui. Atque hoc ſpectaculi ſceleſtus hic non ſemel, verùm crebrius exhibuiſſe dicitur, maximè ſi qui diuites aduenirent recentiores ac nouitii. Hoc loco, mi chariſsime Celſe, ſi vera fateri volumus, æquum eſt veniam dare Paphlagonibus ac Põticis illis, hominibus nimirũ craſsis & ineruditis, ſi deluſi ſunt, quum draconem manu contingerent, (nam hoc quoque largiebatur Alexander iis qui voluiſſent) quúmque conſpicerent in dubia malignáque luce imitatum illud illius caput, os ſcilicet nunc aperiens, nunc claudens, tanto artificio, vt res planè Democritũ aliquem requireret, aut certè Epicurum, Metrodorúmve, aut alium huiuſmodi quempiam, qui prorſus adamantinã aduerſus hæc, atque id genus alia mentem obtineret: qui nullo pacto crederet: quíque vel quid eſſet rei, coniecturis colligeret: vel ſi viam etiã modúmque præueſtigare non quiret, illud tamen antea ſibi perſuaſum haberet, fugere quidẽ ſeſe modum rationémq; præſtigiaturę: cæterùm quicquid eſſet negotii, prorſus ſimulatum fucatúmque eſſe, ac ne fieri quidem vlla ratione potuiſſe. Paucis ergo diebus confluxit tum Bithynia, tum Galatia, Thraciáque: eorum qui renuntiabant, vnoquoque, vt fit, affirmãte ſeſe primùm naſcentem vidiſſe Deum, deinde paulò pòſt eundem contrectaſſe iam grandem admodum factum, vultu etiam homini adſimilem. Accedebant ad hæc picturæ, imagines, ſigna Deum referentia, partim ex ære, partim argẽto efficta. Poſtremò nomen etiam inditum: nam Glycon appellatus eſt, idque iuſſu diuino carmine prodito. Ad hunc enim modum eloquutus eſt Alexander:

Sum ille Glycon, hominum lux, ex Ioue tertia proles.

Aſt vbi iam maturum eſſet, vt (cuius rei gratia hactenus omnia fuerant excogitata) reſponſa quoque redderet iis qui requiſiuiſſent, diuinarétque, accepta videlicet anſa ab Antilocho, qui apud Cilices vatem egerat (nam is quoque poſt patris Amphiarei interitum, poſteáque quàm ille inter Thebanos extare deſiiſſet, patria pulſus, atq; in Ciliciam profectus, haud incõmodè rem geſsit, quum Cilicibus euentura prædiceret, binos obolos pro ſingulis accipiens reſponſis) ab hoc, inquam, arrepta anſa, prędicit Alexander omnibus qui aduenerant, fore vt Deus ipſe reſponſa daret: eiúſque rei diem quẽdam certum prælocutus eſt. Iuſsit autem vt quiſq; quod videretur, quódque maximè diſcere vellet, id in libello conſcriberet, eúmque funiculis obuinctum, cera, argillâve, aut ſimili re quapiam obſignaret. Se verò receptis libellis, cum ſubiſſet adyta (iam enim oraculum erat extructum, & apparatæ cortinæ) ordine per præconem ac theologum euocaturum eos qui tradidiſſent: dehinc vbi de ſingulis eſſet edoctus à Deo, libellos redditurum, ita vt traditi fuerant obſignatos, ſubſcripto illis reſpõſo pro cuiuſque argumento, Deo nimirũ reſpondente, quacunque de re quis eſſet ſciſcitatus. Erat autem hic dolus, homini cuiuſmodi tu es, aut etiam (ſi modò dictu non eſt inuidioſum) cuiuſmodi ſum ego, manifeſtarius, neque difficilis animaduerſu, verùm idiotis, quibúſque nares eſſent muco obſitæ, miniméque emunctæ, prodigioſum, planéque incredibile quiddam eſſe videbatur. Etenim quum varias eſſet commentus artes, quibus ſigna tollerentur, quę quiſque ſciſcitabatur, ea legebat: atque ita quæ viderentur, ad interrogata reſpondebat. Deinde rurſum obuincta, obſignatáque reddebat, non ſine ſumma admiratione eorum qui recipiebant. Plurimus enim hic inter illos erat ſermo, quî tandem ſcire potuiſſet iſte quæ ego illi tradidi, ſanè quàm diligenter obſignata ſignis imitatu neutiquam facilibus, niſi re vera Deus eſſet quiſpiam, cui cuncta ſint perſpicua. Sed iam quibus artibus effecerit, forſitã à me requires. Accipe, quò videlicet impoſturas eiuſmodi deprehendere queas, & coarguere. Prima ratio ſic habebat, Celſe chariſsime. Eam ceræ partem, quæ poſt ſignum hærebat, acu candefacta liquefactam diducebat: tum vbi legiſſet, rurſum calefactã acu ceram, eam quæ à tergo funiculi fuerat, ſigno eodem manente facilè coagmẽtabat. Porrò ſecundus modus conſtat per id quod collyrium vocant. Id conficitur ex pice Berytia, bitumine, ac lapide perſpicuo trito, cum cera, & maſtiche. Confectũ igitur ex his omnibus collyrium igni calfactum, inuncto prius ſuillo pingui, ſigno applicabat, ac ſymboli figuram excipiebat. Id ſimul atque ſiccum eſſet factum (ſiccabatur autem protinus) commodè reſignabat libellos: quibus perlectis, impoſito ceræ denuò, perinde atque è lapide ſignum idem imprimebat, ad archetypi ſimilitudinem mirè effictum. Poſt hæc iam tertiam accipe rationẽ: Calce in gluten iniecta, quo vulgò codicillos agglutinant, atque ex his confecta ceu cera, mollem adhuc eam admouebat ſigno, ſtatímque detrahebat. Nam illico ſicceſcit, adeò vt cornu vel ferro potius reddatur ſolidius. Hac ad imprimendum ſignum vti conſueuerat. Sunt prẽter has & aliæ cõplures viæ, quas omnes referre nihil neceſſe eſt, ne parũ videar modeſtus, maximè quum tu in his, quos de Magorum artibus conſcripſiſti, commentariis, tum pulcherrimis, tum vtiliſsimis, quíque modeſtos reddere queant, ſi quis in eis euoluendis verſetur, abundè multa retuleris, longéque his noſtris copioſiora. Reddebat igitur oracula, diuinábátque, non mediocri ad eam rem vtens ingenio, artéque negotium reddens probabilius, dum aliis obliqua quædam & ambigua reſpondet ad ea quæ proponebantur, aliis penitus obſcura: quandoquidem & hoc oraculis ille conuenire iudicabat. Alios item deterrebat, alios adhortabatur, prout ſibi magis conducere coniectaſſet. Nonnullis remedia morborum, vitęque rationes prędcribebat, cùm

sciret (vt initiò diximus) complura atque efficacia pharmaca. Maiorem autem in modũ Cynnides ab illo probabantur, id est nomen confictum emplastri vrsino adipe confecti. Porrò spes, rerúmq; successus & incrementa, neque non hæreditatum obuentus, semper in aliud tempus reiiciebat, illud interim addens: Cuncta hæc tum obtingent, cũ ipse volam, quúmque vates meus Alexander me rogabit, próq; vobis vota faciet. Denique merces erat vnicuique responso præstituta, nempe drachma cum obolis duobus. Ne verò pusillum aut exiguum fuisse putes amice hũc quæstum, quum in annos singulos ad septuaginta aut octoginta millia redierit, vsqueadeo auidis & insatiabilibus hominibus, vt singuli supra decem aut quindecim rogationes traderent. Cæterùm ea quæ capiebat, non ipse solus solitus est insumere, nec rursum ad congerendas opes in thesaurum reponere, verùm complureis & alios habebat secum adiutores & ministros, tum qui scitarentur, qui versibus oracula conderẽt, qui responsa seruarent, qui subscriberent, qui obsignarent, qui interpretarentur: quorum vnicuique pro dignitate meritóq; lucrum impartiebat. Ad hæc nonnullos foras & in longinquas regiones emãdarat, qui famam eius oraculi inter gentes disiparent, affirmantes ipsum etiam prædicere reuocaréque fugitiuos, fures ac prædones indicare, thesauros effodiendos ostendere, morbo laborantibus mederi, quosdam etiam vita defunctos in vitam reuocare. Concurrebatur igitur vndequaque, magnóque tumultu concitati approperabãt, sacrificabatur, dicabantur munera, eáque duplicata, prophetæ discipulóque Dei. Iam enim & tale quoddam oracullum exierat:

Muneribus decorare meum vatem atq; ministrũ
Præcipio: nec opum mihi cura, at maxima uatis.

Verùm vbi iam plerique, quibus mentis pluſculum inerat, non secus atque ex alta ebrietate respiscentes, conspirassent in illum, præsertim ex his qui studebant Epicuro: iámque paulatim in oppidis deprehenderetur vniuersa præstigiatura, fictúsque fabulę apparatus: horrendum quiddam in eos edidit, dicẽs impiis & Christianis impleri Pontum, qui non vererentur in sese turpissimè maledicere: eos iussit lapidibus pellerent, si modò vellent propitium habere Deum. Porrò super Epicuro huiusmodi quoddam oracullum prodidit: Scisciranti cuipiam quid ageret apud inferos Epicurus: plũbeis, inquit, compedibus vinctus in cœno desidet. Et adhuc miraris si magnopere creuit eius celebritas oraculi, cum videas interrogationes adeuntium, quàm sint pruden tes, quámque eruditæ? Modis autem omnibus bellum erat illi cum Epicuro sęuum & irreconciliabile: idque iure optimo. Nam cum quo tandem iustius bellum gerat homo præstigiator, & monstris ac portẽtis amicus, veri inimicissimus, quàm cũ Epicuro, viro videlicet qui rerum naturam perspectam haberet, quíq; vnus quid in his esset verũ, videret? Nam Platoni, Chrysippo aut Pythagorę erat amicus, atque alta cum illis pax intercedebat: at intractabilis ille Epicurus (sic enim appellat eum) erat illi plurimum inuisus: atq; id meritò: quippe qui hæc omnia ridicula ac ludicra duceret. Quam ob causam inter vrbes Ponticas Amastrim in primis habebat exosam, eò quòd acceperat eos qui cum Lepido erant, alios item horum consimiles quàm plurimos ea in ciuitate versari. Neq; vnquam Amastrino cuiquam oraculum reddidit: quin vbi conaretur etiam fratri Procõsulis respondere, deridiculè profectò discessit, cùm nec ipse quẽadmodum idoneum oraculum fingeret, inueniret, nec haberet qui sibi in tempore pollet cõponere. Nam cum illi de stomachi dolore conquerenti, vellet præscribere vti suillum pedem cum malua præparatum ederet, hũc in modum ait:

Maluaca porcorum sacra cuminato Sipydno.

Crebrius autem (vt iam diximus) draconem ostendebat iis qui vellent, haud totum tamen, sed caudam potissimùm ac reliquum corpus oculis exponens: caput verò, ne videri posset, abditum in sinu seruabat. Verùm quò magis etiã redderet attonitã multitudinem, pollicitus est sese exhibiturum ipsum, Deum loquentem, citráque interpretem edentem oracula. Deinde non magno negotio, gruum arteriis contextis, ac per lineum illud draconis caput, quod erat arte adsimulatum, insertis, alio quopiam per has foris insonãte, responsitabat ad ea quæ proponebantur, voce nimirum per linteaceum illum Aesculapium ad aures promanante. Huiusmodi responsa ἀντόφωνα dicebantur, id est ipsius voce reddita: neque quibuslibet, neque passim dabantur, verùm splendidis modò atque opulentis, & qui grandia largirentur. Itaque quod Seueriano redditũ est super expeditione in Armeniam suscipienda, ex autophonis erat. Adhortans enim illum ad incursum eius regionis, sic ait:

Parthis Armeniisque citato Marte subactis,
Romã vrbem repetes, & claras Tybridis vndas:
Vertice serta gerens radiis distincta serenis.

Deinde posteaquã vecors ille Gallus persuasus incursionem feciſſet, eueniſſetque vt vnà cum exercitu cæderetur ab Othryade, hoc oraculum à monumentis sustulit, atq; aliud in eius locum substituit, huiusmodi:

Agmen in Armenios ne duc: neque enim expedit isthuc:
Ne tibi fœmineis vir amictus vestibus, arcu
Exitium immittat, vitáque ac lumine priuet.

Siquidẽ & hoc interim callidissimè fuerat cõmentus, vt posterioribus substituticiisque responsis, ea quæ perperam maléque euenissent, sarciret ac mederetur. Sępius enim ægrotis priusquam morerentur, prædixerat fore vt reualescerẽt: quibus morientibus, alterum oraculum illico paratum erat, quod superiori diuersa caneret:

Posthac desine opem morbo petere exitiali:
Mors etenim manifesta, nec euitare licebit.

Porrò cum non ignoraret, qui in Claro ac Didymis Mallóque responsa ferebant, ipsos quoque huiusmodi quadam arte diuinãdi celebres haberi, eos sibi reddebat amicos, pleroſque consultores ad illos remittens, his verbis:

Nunc Claron ito, mei vocem patris auditurus.

Et rursus:

Branchidica accedas adyta, atq; oracula quæras.

Et iterum:

Mallon abi, Amphilochi quærens oracula vatis.

Et hactenus quidẽ de iis quæ intra patriæ fines vsq; ad Ioniam, Ciliciam, Paphlagoniam, Galatiámque designauit. Vt verò & in Italiam oraculi fama per-

manauit, ſinque ipſam Romanorum vrbem: iam nemo omnium erat qui non alius alium anteuertere ſtuderet, dum hi quidem eò proficiſcuntur ipſi, illi verò mittunt, potiſsimùm ii qui potentia atque authoritate plurimũ in Repub. pollebant: quibus prin
Rutilianus Romanus. ceps quaſique ſignifer extitit Rutilianus, vir aliàs quidem honeſtus ac probus, tum cõpluribus in præliis Romanorum ſpectatę virtutis: ſed qui in iis quę ad Deos pertinent, parum ſanè ſaperet, vt cui prodigioſa quædam de illis eſſent perſuaſa, adeò vt ſicubi lapidem vel inunctum vel coronatum conſpexiſſet, continuò procideret atque adoraret, ac diutius aduolutus vota faceret, bonáque ac læta ab illo poſtularet. Hic igitur ſimul atque de oraculo inaudiſſet, parum aberat quin omiſſo quem tenebat excitu, in Aboni mutum auolarit: alios autem poſt alios eò legabat. Porrò qui mittebãtur, ſeruuli nimirum idiotæ quidam, facilè decepti domum redibant, referẽtes partim quę viderãt, partim tanquam vidiſſent audiſſentq;, permulta inſuper accumulantes illis, quò domino fierent commendatiores. Inflammarunt itaque ſenem infelicem, & in vehementem inſaniam impulerunt. At ille paſsim ad omnes amicos accedẽs, quos habebat cùm plurimos, tum potentiſsimos, enarrabat partim ea quæ ab iis quos miſerat, accepiſſet, partim quæ ex ſeſe effinxerat. Et ad eum modum iſte compleuit vrbem, concitauſtq;, quàm plurimis item aulicis expauefactis atque attonitis: qui protinus & ipſi cupiditate flagrare cœperũt vt aliquid ſuis de rebus audirent. Porrò Alexander aduenientes comiter excipiebat, ac xeniis aliiſque magnificis donatos muneribus, ad eum remittebat: hoc agens, vti nõ ſolùm renũtiarent oracula, verumetiã Dei laudes canerent, ac portentoſa quædam de oraculo, déque ipſo mentirentur. Excogitarat autẽ ter ſceleſtus ille quiddam neutiquam inſcitum, & ingenioſius quàm vt in vulgarem competat latronem. Etenim reſignatis libellis ac perlectis, ſi quid offendiſſet in iis quę proponebantur, ita ſcriptum, vt cũ periculo ac diſcrimine eius qui ſcripſiſſet, ſi proferretur, cõiunctum videretur, apud ſe detinebat, neq; remittebat, quò videlicet obnoxios ac propemodum ſeruos ob metũ ſibi redderet eos qui miſerant, quum in mentem illis veniret, cuiuſmodi de rebus cõſuluiſſent. Intelligebat autem eſſe conſentaneum, vt qui opibus ac potentia pręcellerẽt, eiuſmodi rogationes eſſent propoſituri. Ab his munera quàm plurima ferebat: quippe qui nõ ignorarent ſeſe intra caſſes eius teneri. Libet autem aliquot ex his reſponſis cõmemorare, quæ Rutiliano reddidit. Huic ſciſcitanti de filio ex vxore priore ſuſcepto, qui iam per ætatem maturus eſſet vt diſciplinis erudiretur, quẽ inſtituendo in literis illi prę-ceptorem deberet adhibere, ita reſpondit:

Pythagoram, egregiéque canentẽ prælia vatem.

Deinde paucis pòſt diebus extincto puero, ipſe quidem hærebat, nec habebat quod incuſantibus reſponderet, oraculo videlicet ita re præſenti confutato. At Rutilianus optimus vltro occupans, defendebat oraculum, affirmans hoc ipſum portendiſſe Deum, qui iuſſiſſet neminem quidem è viuis adoleſcentulo deligi pręceptorem, ſed Pythagoram potius atque Homerum, iam olim defunctos, quibúſnam credibile eſſet eum iam verſari. Quid igitur Alexandro vitio vertere conuenit, ſi iſtiuſmodi homunculos dignos habuit, quibus fucum faceret? Rurſum eidem percontanti cuius tandem animam eſſet ſortitus, ait:

Principiò fueras Pelides, deinde Menander,
Deinde is qui nũc es: pòſt fax Phœbea futurus:
Octoginta æuum ac centum produxeris annos.

At hic ſeptuagenarius interiit, in inſaniam verſus, haud expectato Dei promiſſo: quanquam hoc quoque oraculum ex autophonis erat. Eidem item de vxore ducenda percontanti, aliquando incunctanter ac palàm reſpondit:

Ducito Alexandro natam Lunáque puellam.

Siquidem iam olim rumorem diſiparat, filiã quam habebat, è Luna ſibi ſuſceptam fuiſſe. Lunam enim ipſius amore cáptam fuiſſe, quum dormientem aliquando conſpexiſſet. nam id illi familiare eſt, & formoſos ſomno ſopitos adamare. Porrò Rutilianus vir prudẽtiſsimus, nihil cunctatus, protinus accerſit virginem, nuptias conficit, ſponſus iam ſexagenarius, concumbítque, ſocrum ſuam Lunam ſolidis Hecatombis placans. Iámque ſibi vnus è cælitum numero videbatur. At hic vbi ſemel in Italia rem eſſet aggreſſus, maiora in dies ad hæc excogitabat, & in omnes Romanæ ditionis partes, qui perferrẽt oracula, dimittebat, prędicẽs ciuitatibus cauendam eſſe peſtilentiam, incendia, terræmotus, ſe certa remedia traditurum ne quid horum accideret, pollicebatur. Iámque quum peſtilẽtia increbuiſſet, vnum quoddam tale oraculum, autophonon & hoc, quoquouerſum gentiũ prodiderat, vnico carmine compræhenſum:

Intonſus nubem peſtis depellit Apollo.

Atque hunc verſiculum videre erat paſsim pro foribus deſcriptum, tanquam aduerſus peſtilentiã remedio futurum. Verùm ea res plurimis diuerſam in partem euẽnit, propterea quòd fortuna quadam ſic accidit, vt eæ domus quibus hic verſus eſſet inſcriptus, potiſsimùm deſolarentur. Neque verò me putes illud dicere, carmẽ in cauſa fuiſſe vt interirent, verùm caſu quodam ad hunc modum accidit. Et haud ſcio an plerique freti carmine, negligẽtius ac ſecurius vixerint, nihil aduerſum peſtem præter oraculum adhibentes: perinde quaſi ſyllabas pro ſeſe pugnantes haberent, & intonſum Apollinem telis peſtem propellentẽ. Exploratores item ex ſua conſuratione quàm plurimos Romæ conſtituerat, qui ſibi qua quiſque mẽte eſſet, indicarẽt: ac priuſquam oraculum adiiſſent, illi ſignificarent quídnam eſſent percontaturi, quídque potiſsimum cupere viderentur: vt etiam priuſquam aduenirent ii qui mittebantur, ille iam ad reſpondendum inſtructus ac paratus eſſet. Atque hæc quidem & id genus alia machinamenta aduerſus Italicas vrbes præſtruxerat. Nam præter hæc & initiationes quaſdam inſtituerat, tædarum per manus tradẽdarum geſtationes, & ſacrorum ceremonias, quæ quidem tribus ex ordine diebus continenter peragerentur. Ac primo quidem die Athenienſium ritu denuntiatio fiebat huiuſmodi: Si quis impius, aut Chriſtianus, aut Epicureus myſteriorum explorator acceſsit, diſcedat. Cæterùm qui Deo credunt & parent, ſacris feliciter initientur. Sub hæc protinus exigebantur illo præeunte, dicentéq;: Foras pellantur Chriſtiani. Tum multitudo

titudo acclamabat vniuersa: Foras pellantur Epicurei. Dehinc Latonæ puerperium agebatur, & Apollinis natiuitas: tum Coronidis nuptiæ: demum nascebatur Aesculapius. Altero die Glycon in lucem emergens, deíque exortus. Porrò tertio die Podalirii cum Alexãdri matre coniugium agebatur. Dadis autẽ is appellabatur, ídq; ex re, propterea quòd faces quædam incenderẽtur. Postremo loco, Lunæ atque Alexandri amores, ac nascens Rutiliani coniunx. At verò facem gestabat, mysteriáque agebat Endymion Alexãder, cùm hic dormiẽs scilicet in medio iaceret: descenderet autẽ in eum è tecti fastigio, tanquam è cælo, Lunæ vicẽ agens Rutilia quædam formosissima, cuiusdã è Cæsareæ domus præfectis vxor, quæ nimirum vt amabat Alexandrum, ita vicissim ab illo amabatur. Ac sub oculis perditissimi illius mariti, tum complexus agebãtur, tum oscula, ídque in propatulo. Quòd nisi complures fuissent tædæ, forsan nonnihil & eorum quæ fieri solent, infra sinum, patratum fuisset. Paulopost rursum introibat ornatu sacerdotali, multo cum silentio. Deinde ipse primus clara voce sonabat, Io Glycon. Assonabant autem bene canori scilicet homines, nempe præcones aliquot Paphlagones, carbatinis calceati, plurimum allii nidorem ructantes, Io Alexander. Porrò subinde inter gestandas tædas, atque inter mysticas saltationes, femur illius de industria renudatum, aureum apparebat: pelle, sicuti coniicio, inaurata circũdata, atque hac ad tædarum fulgorem relucente. Itaque quum duobus quibusdam ex eorũ numero qui deſipiẽter sapientes sunt, super hac re verteretur altercatio, vtrum Pythagoræ animum posideret, videlicet ob femur aureum, an alium Pythagorico illi consimilem, atque eam controuersiam ad ipsum Alexandrũ retulissent: rex Glycon oraculo litem dissoluit:

Pythagoræ mens emoritúrque oritúrque vicissim,
Vatis at est animus diuina è mente profectus:
Hunc pater auxilio misit iustísque piísque.

Et rursum:

Tecta Iouis repetet, Iouiali fulmine tactus.

Porrò cùm cũctis aliis denũtiaret vt à puerili concubitu temperarent, ceu re nefaria, vir ille egregius tale quiddam ipse machinatus est. Ponticis ac Paphlagonicis vrbibus imperabat, vt tertio quoque anno mitterent qui Deo dicarentur, eiúsque laudes apud se canerent. Verùm mitti oportere spectatos ac selectos, nempe nobilissimos, & ætate florentissimos, formáque eximios. Quibus inclusis perinde vt emptitiis ad libidinẽ abutebatur, modis omnibus in eos debacchari solitus. Præterea legem quoque cõdiderat, ne quis maior annis octodecim sese admoto ore cõplecteretur, néve cum basio salutaret: sed reliquis manum duntaxat obsculandam porrigens, solis ætate formáque floridis osculum dabat: atque his quidem inde cognomen inditum, vt intra osculum constituti dicerentur. Atque in hunc modum vecordibus ac stupidis mortalibus illudẽs, perpetuò deinceps suas nequitias exercebat, passim cõfluprans vxores, passum liberis abutens. Quin magnum quiddam, cunctísque optandum videbatur, si cuius vxorem vel aspexisset modó. Porrò si quam etiam osculo dignatus fuisset, nemo non ita putabat, quicquid esset bonarum felicitatum, id omne semel in eam domum influxurum esse. Erant insuper, atque eæ non paucæ, quæ sese etiam peperisse ex illo iactarẽt: quod ita esse mariti suo testimonio confirmabant. Lubet etiam dialogum tibi referre Glyconis & Sacerdotis, viri cuiusdã Tianei, cuius sapientiam ex his, quę scíscitatus est, coniicias licebit. Hunc equidem legi pridem aureis descriptum literis Tii, in ipsis Sacerdotis ædibus. Dic, inquit, mihi rex Glycon, quísnam es? Sum ille, inquit, minor Aesculapius. Nũ alius ab illo priore? quid ais? Haud fas est vt isthuc audias. Sed quot annos apud nos permansurus, atq; oracula redditurus? Ad millesimum tertium. Deinde quò demigraturus? Ad Bactra, atque in eas regiones. Siquidem oportet & barbaros meo conuictu meáque præsentia frui. At reliquæ sortes, puta quæ in Didymis, Claro, Delphísque redduntur, vtrum ab authore proficíscuntur Apolline, an vana sunt quę illic eduntur oracula? Ne isthuc quidem scire quæsieris. nefas enim. Cæterùm ego quis tandem post hãc vitam futurus sum? Camelus, deinde equus, post hæc vir sapiẽs, ac vates non inferior Alexandro. Atque hęc Glyconis cum Sacerdote confabulatio. Postremò & oraculum carmine compræhensum edidit, quum non ignoraret illum amicum esse Lepido:

Ne pare Lepido, nanq; huic fatũ instat acerbum.

Mirum etenim in modum metuebat Epicurũ, sicuti superius dictum est, nimirum vt artificem ac sapientem, suis artibus atque impostoris hostem atque infensum. Itaque ex Epicureis quempiam ausum se multis præsentibus coarguere, propemodum in vitæ discrimen adduxerat. Siquidem adiẽs ille, clara voce dicebat: Tu nimirum Alexander Paphlagoni cuidam persuasisti vt seruos suos apud Galatiæ præfectum capitis accerseret hoc nomine, quasi filium ipsius qui tum Alexãdriæ erudiebatur, occidissent: atqui viuit adolescens, incolumísque reuersus est, famulis iam supplicio affectis, qui tua opera bestiis traditi perierunt. Porrò huiusmodi quiddam acciderat. Cum adolescentulus amne aduerso in Aegyptum nauigasset, ad inundationem vsque subducto nauigio, persuasus est vti pariter in Indiam nauigaret. Itaq; dum diutius abesset, infelices illi eius ministri rati videlicet vel in Nilo nauigãtem interisse puerum, vel à latronibus (nam id tẽporis permulti grassabantur) esse peremptum, reuersi sunt domum, renuntiantes quemadmodũ è medio sublatus esset. Deinde proditum oraculum, damnati serui. sub hęc adest adolescentulus, peregrinationem suam enarrans. Atque hæc quidem ille: at Alexander indignatione percitus, quòd coargueretur, neque ferẽs opprobratam sibi vanitatem, iussit vt qui adessent, lapidibus illum impeterent: alioqui & ipsos impios futuros, atque Epicureos appellãdos. Dúmq; illi iam lapidare cœpissent, Demostratus quidam, qui diuersabatur in ponte, primus hominem sui corporis obtegens obiectu, morti subduxit, alioqui lapidibus obruẽdum, ídque iure optimo. Quid enim oportebat vnum inter tam multos insanientes sanum esse, atque à Paphlagonum stultitia malum sibi accersere? Et illi quidem hæc euenerunt. Cæterùm aduocatis iuxta oraculorum ordinem iis qui proposuerant (nam id fiebat pridie quàm responsa redderet)

præcone rogante an vaticinari vellet, ſi cuipiã illorum ex adyto reſpondiſſet, in malã rem: huiuſmodi hominem neque tecto quiſpiam excipiebat, neque igni aquáve impertiebat: verùm erat illi ſolũ aliud alio vertendum, tanquam impio, deorúmque contemptori, atque Epicureo: quod quidem probrum omnium erat grauiſsimum. Quapropter vnũ etiam Alexander quiddam deſignauit ridiculum. Nactus peculiares Epicuri ſententias, librum (vt ſcis) longè pulcherrimum, ſummatim Epicureæ diſciplinæ decreta complectẽtem, medium in forum deportauit, ac lignis ficulnis exuſsit, tanquam authorem ipſum exureret ſcilicet: ac cinerẽ abiecit in mare, oraculo inſuper eam in rem edito:

Edico decreta ſenis comburere cæci.

Haud perpendit ſceleſtus ille quantum adferret is liber cõmoditatum iis qui in eo legendo verſarentur, quantámque illis quietem, tranquillitatem, libertatémque pareret, propterea quòd à pauoribus, ſpectris, ac prodigiis liberaret: tum ſpes inanes atq; immodicas adimeret cupiditates, mẽtem ſanam ac veritatem inſereret, planè luſtraret animũ, nõ tæda quidem, aut ſquilla, aut aliis id genus nugamentis: imò recta ratione, vero, ac libertate. Accipe iam facinus quoddam hominis ſceleratiſsimi, vnum inter omnia multò impudentiſsimum. Quum iam non mediocrem in Regiam aditum ſibi patefeciſſet, ínque aulam Cæſaream, præſertim Rutiliano rem adiuuante, atque approbante: quum bellum quod in Germania gerebatur, maximè flagraret, diuo Marco cũ Marcomãnis & Quadis cõferente, oraculum diuulgauit, quo iubebat vti duos leones viuos in Danubium immitterent, variis cum odoribus, ac ſacris quibuſdam magnificis. ſed præſtat ipſum oraculum referre:

Gurgitibus fluuii turgentis ab imbribus Iſtri
Immiſiſſe, duos Cybeles edico miniſtros,
Monte feras alitas: tum quãtum alit Indicus aër
Florũ atq; herbarũ bene olẽtũ: móxq; futura eſt
Et victoria, pax & amabilis, & decus ingens.

Ea quum eſſent facta quemadmodum ille præſcripſerat, leones quidem ſimul atq; in hoſtium regionem enataſſent, Barbari canes quoſpiam aut lupos eſſe rati, fuſtibus arcebant. At noſtrorum protinus maxima ſtrages eſt conſequuta, viginti fermè millibus ſimul extinctis. His conſimilia ſunt ea quæ in Aquileia contigerunt, quũ parũ abfuerat vt vrbs ea caperetur. At is ad id quod euenerat, Delphicã illã reſponſionem, Crœſóque redditum oraculum, frigidè ſanè detorſit, dicẽs Deum quidem prædixiſſe victoriam, haud tamen explicuiſſe vtrum Romanorum eſſet futura, an hoſtium. Tandẽ quum plurimi iam eam in vrbem cõfluerent, premeretúrq; Abonotichitarum ciuitas multitudine eorum qui ad oraculum ventitabant, neque ſufficeret ſuppeditandis iis quæ ad victum erant neceſſaria, comminiſcitur oraculorum genus quoddam id quod nocturnũ appellabatur. Siquidem libellis indormire ſolebat, vt aiebat ipſe, deinde tãquã in ſomnio diuinitus edoctus reſpondebat: nihil certi tamẽ, ſed ambiguè plerunq;, ac cõfuſim: maximè ſi quos libellos conſpexiſſet accuratius atque obſeruantius obſignatos. Ad hunc enim modum citra vllum reſignandi periculum, quicquid temerè in mentem veniſſet, ſubſcribebat: ratus & hoc ipſum oraculis conuenire. Erant autẽ ad id nonnulli conſtituti interpretes, qui mercedem non exiguam colligebant ab iis qui eiuſmodi capiebant oracula, vt enarrarent ea, explicarẽntque: atque hoc illorum munus conductitium erat. Nam interpretum quiſque talentum Atticum pendebat Alexandro. Nonnunquam, quum neque conſuleret quiſquam, neque miſſus eſſet aliquis, imò quum ne eſſet quidem huiuſmodi quippiam: tamen oraculum edebat, vti ſtultos mortales redderet attonitos: quod genus illud erat:

Hunc age quære, tuam qui tectus in ẽdibus, ac te
Clam prorſum, vxorẽ vultúq; oculíſq; decoram
Stuprat adulterio, ſeruorum ex agmine primus,
Ipſe cui ſolus ſuaſiſti hæc omnia demens.
Eius enim florem libaſti. hoc dedecus ille
Nunc tibi compenſans, cũ cõiuge dormit herili.
Quin iidem tibi iam pridem lethale venenum
(Vt neq; quæ faciãt, poſsis audire, nec vnquam
Cernere luminibus) tectè furtímque pararunt.
Inueníeſque tuo ſub lecto pharmaca, iuxta
Parietem, ſub ceruicali condita. porrò
Iſtis conſcia criminibus tua ſerua Calypſo eſt.

Quis Democritus principiò non commoueretur, vbi nominatim & authores & loca palàm audiſſet deſignari? Verùm illico deſpuiſſet, ſimul atque cognouiſſet quo hæc artificio gererentur. Inſuper & Barbaris non rarò reſpondit, ſi quis patria lingua ſciſcitaretur, puta Syriacè aut Gallicè, quoties difficile erat inuenire conterraneos eorum qui rogationem propoſuiſſent: proinde receptis libellis, multum intercedere ſolebat interualli priuſquam oraculum redderet, quò videlicet interim per otium poſſet & ſoluere tutò libellos, & nanciſci qui cũcta poſſent interpretari. quod genus erat & illud Scythæ cuiuſdam redditum oraculum:

Morphi ebargulis in vmbram chnenchicranc,
relinquet lucem.

Aliàs rurſum quum nec adeſſet item quiſpiam, neque tale quicquam omnino contigiſſet, citra carmẽ eloquutus eſt: Redito vnde veniſti. ſiquidem is qui te miſit, hodie periit, interemptus à Diocle vicino, accedentibus latronibus, Mango, Celere, ac Bubalo, qui nunc etiam compræhenſi tenentur in vinculis. Cæterùm pauca nunc accipe ex his quæ mihi ipſi reſpondit. Sciſcitato an caluus eſſet Alexãder: quum libellos palàm atque accuratè obſignaſſem, reſponſum nocturnum ſubſcribitur: Sabar Dalachi Malach Attis alter erat. Rurſum quũ diuerſis libellis eandem rogationem propoſuiſſem, puta cuiatis eſſet vates Homerus, ídque alio atque alio nomine: alteri ſubſcripſit, videlicet deceptus à puero, qui rogatus qua gratia venit, vt remedium, inquit, peterem aduerſus laterum dolorem:

Cytmide te iubeo, ac Latonæ rore perungi.

Alteri verò vbi ſciſcitanti ei dictum eſſet, vtrum mihi ſatius eſſet in Italiam nauigio, an pedeſtri itinere proficiſci, reſpondit, nihil quidem quod ad Homerum attineret:

Carpe viam pedibus, rate ne ſulcaueris vndas.

Multa id genus aduerſus illũ ſum machinatus, quorum de numero fuit & illud, vnica rogatione propoſita libello pro more inſcripto, talis cuiuſdam rogationes octo, nomen aliquod ementitus, miſsis drachmis

Nocturna oracula.

ehmis item octo: præterea quod fieri solitum esset, adiungens. At ille persuasus partim missa mercede, partim inscriptione libelli, ad vnicam rogationem (ea erat huiusmodi; quando deprehendendus esset impostor Alexander) octo misit oracula, sed quæ neque cælũ (quod aiunt) neque terram attingerent, verũ absurda, & intellectu difficilia omnia. Quod ille vbi in posterum persensisset, præterea quòd Rutilianũ à matrimonio conatus essem auertere, suasissémque ne prorsus in diuinatione spes reponeret suas, oderat me videlicet, ita vti par erat, sibíque acerrimum hostem iudicabat. Quodam itaque tempore percontanti de me Rutiliano ita respondit:

Noctiuagis gaudet scortis, spurcóque cubili.

In summa, iure optimo me inuisissimum habebat. Proinde quum me in oppidum aduenisse sensisset, méque Lucianum esse illum cognouisset: (adduxeram autem milites duos, alterum lancea, alterum conto armatum, quos quidem à Cappadociæ præside mihi tum amico acceperam, quò me ad mare vsque deducerent) accersit illico, sanè quàm comiter, multáque cum humanitate. Ego quum aduenissem, complures apud illum reperio: porrò bona quadam fortuna & milites vnà mecum adduxeram. Tum ille manum mihi porrigit osculandam, quemadmodum vulgò facere cõsueuerat. Ego admotus perinde atque osculum daturus, acri morsu corripio, ita vt parum abfuerit quò minus illi manum mancam reddiderim. Itaque qui præsentes erant, præfocare me accedere conati sunt, tanquam hominem sacrilegum: quippe qui iam inde ab initio grauiter tulerant, quòd Alexandrum illum, non autem prophetam compellassem. At ille oppidoquàm generosè obnitens compescuit illos, pollicitúsque est se facilè me placidum redditurum, declaraturúmque quantum posset Glycon, qui nimirum & hos qui maximè sæuirent ferociréntque, sibi redderet amicos. Móxque ablegatis omnibus, mecum expostulauit, negans sẽ clam esse quæ suasissem Rutiliano: Ecquid me læsisset vt ista in sese facerem, quum possem illius opera apud illum magnas ad res promoueri? Equidem hanc hominis humanitatem commoditatémque libenter accipio, perpendens nimirum quo forem in periculo constitutus. paulóque pòst prodibã iam illi factus amicus. Ea res profectò iis qui videbant, vehementer erat stupenda, quòd tam facilè fuissem commutatus. Post hæc quum iam nauigare statuissem, missis xeniis ac muneribus permultis (eram autem fortè solus cum Xenophonte, patre cum reliquis meis in Amastrim præmisso) pollicetur & nauim præbiturum sese, & remiges qui nos aueherent. Etenim arbitrabar hæc animo simplici, atque officioſè fieri: verùm vbi iam in medio essemus mari, viderémque gubernatorem lacrymantem, & nescio quid reliquis nautis contradicentem, non optimæ de euentu spes me ceperunt. Erat autem illis ab Alexandro mandatum, vt tollentes nos in mare præcipites darent. Quod si contigisset, facilè quod mecum gerebat bellum, illi debellatum fuisset: sed is, qui lacrymabatur, effecit ne quid in nos grauius patrarent. Ac mihi quidem ita loquutus est: Annos natus, vti vides, sexaginta, quum antehac piè atque inculpatè vixerim, haudquaquam velim in hac tam grandi ætate, præsertim quum vxorem & liberos habeam, homicidio manus impiare, indicans videlicet, cuius rei gratia nos suscepisset, quæque sibi mandasset Alexander. Expositis autem nobis in Aegialos, quorum etiam egregius meminit Homerus, retrò legit cursum. ibi fortè nactus præternauigãtes legatos quosdam Bosporanos, Eupatoris regis nomine in Bithyniã proficiscentes, deportandi vectigalis gratia, quod in singulos pendebatur annos: cum exposuissem illis, quod me periculum circumuallaret, atque illi se mihi commodos facilésque præberent, receptus in nauigium, incolumis in Amastrim perueni. tantillum abfuerat vt perierim. Ex hoc nimirum tempore & ipse aduersus illum arma capiebam, omnémq; (quod aiunt) mouebam funem, quò hominem vlciscerer, quẽ iam tum ante mihi structas insidias oderam, próque summo ducebam hoste, propter morum impietatem. Iámque ad accusationem intenderam animum, non paucis mecum facientibus, maximéque qui erant ex Timocratis Heracleotæ schola philosophi. Verùm qui tum Bithyniæ Pontóque præsidebat, nos cohibuit, penè supplicans & obsecrans vti desisteremus. Etenim ob necessitudinem quæ sibi cum Rutiliano intercederet, nequaquam posse supplicio afficere, nec si manifesto in crimine deprehendisset. Atque ita quidem ab iracundia destiti, méque repressi, non in tempore rem aggressurus, cum iudicem haberẽ ad eum modum affectum. Sed quid? an non & hoc inter alia facinus audax Alexandri, à principe Romano postulare vt Aboni murus, commutato vocabulo, Ionopolis appellaretur? vtque nomisma nouum signaret, altera quidem parte Glyconis obtinens imaginem, altera verò Alexandri, qui insignia aui Aesculapii, ac falcem illam Persei, vnde maternum ducebat genus, teneret? Porrò cum esset de sese vaticinatus, oraculo prodito fatis decretum esse, vt annos viueret centum & quinquaginta, dehinc fulmine ictum, interitu maximè miserando periturum: nondum septuaginta natus annos interiit, videlicet (vti conueniebat Podalirii filio) pede ad inguen vsque putrefacto, & vermibus scatens. Quo tẽpore simul & illud deprehensum est, quòd caluus esset, quum medicis caput humectandum præberet ad mitigandum cruciatum: id quod haudquaquam facere potuissent, nisi detracto galericulo. Hunc habuit exitum Alexandri tragœdia, atque hæc fuit totius fabulæ catastrophe: vt res videri possit prouidentia quadam esse gesta, quum casu nimirum ad hunc modum euenerit. Restabat illud, vt & epitaphium vita acta dignum ei constitueretur: neque non certamina quædam agerentur ab iis qui in vaticinium coniurauerant, videlicet impostoribus insignibus ac præcipuis ad Rutilianum arbitrum sese conferentibus, vt is pronuntiaret quem ex ipsis oporteret in oraculi successionem capessendam eligi, atque sacerdotali propheticáque corona redimiri. Erat autem in hoc numero simul & Pætus, qui artis professione medicus, tum canus quum esset, ista faciebat, neque medico, neque homini cano decora. At Rutilianus certaminis arbiter, incoronatos eos remittebat, ipsi sibi diuinandi authoritatem seruans, posteaquam inde iam demigrauerat. Hæc & amice ex plurimis pauca, quò degustamentũ homi-

Mors Alexandri.

Conclusio & dedicatio operis.

nis præberem, ſcribenda putaui, cum vti tibi gratificarer, homini familiari atque amico, quémq; ego vnum omnium maximè ſuſpicio, ſdq; pluribus nominibus, vel propter ſapientiam ſingularem, vel ob amorem veri, vel ob morum manſuetudinẽ ac moderationem, vel ob vitæ tranquillitatem, poſtremò comitatem atq; humanitatem erga hos quibúſcum viuis: tum verò (quod quidem tibi fuerit etiam iucundius) vt Epicurum vlciſcerer, virum verè ſacrũ, ingenióque diuino, quíque ſolus quæ verè ſunt honeſta, & nouerit & tradiderit, quíque ſolus extiterit qui liberos reddere ſolitus ſit eos qui ſecum haberent conſuetudinem. Denique arbitror fore, vt iis qui in hanc lectionem inciderint, liber hic nonnihil vtilitatis afferre videatur, dum quædam redarguit, quædam in opinionibus horũ qui & rectè ſentiunt, confirmat ac ſtabilit.

DE SALTATIONE,

Vincentio Obſopœo interprete.

ARGVMENTVM.

Defendit hac oratione ſaltandi artem Lucianus contra Cratonem quendam, à quo ſtudium eius rei reprehendebatur vt effœminatum ac molle, ac viro præſertim philoſopho indignum. Colligit autẽ honeſtatem ac dignitatem artis primùm ab antiquitate, multis ac variis exemplis oſtendens quantum in vſu ſaltandi ſtudium veteribus fuerit, & quantopere eo omnes propè gentes tam inde ab initio delectatæ ſint, quibus item laudibus eam artem cum poetæ tum alij quidé celebrarint, confutata interim tragœdiæ comœdiæq; præſtantia, quarum certamina atque actiones Crato ſaltationibus ante poſuerat. Deinde & præſtantiã artis à difficultate commendat, docens multarum ac variarũ rerum peritum, multiſque tum ingenij tum corporis dotibus ſaltatorem præditũ eſſe oportere. Inter quæ & effectũ ac vim artis proſequitur, docens nõ oblectare tantùm eam, verùm & corporis agilitatem quandam decentem atque vtilé inde comparari, robúrque & vires augeri. Deinde & animi quandam ſapietiam ac mores hominum formari. Idque exemplis tum philoſophorũ tum barbarorũ quorundam amplificat. Poſtremò & vitia ſaltatorum aliquot recenſet, & præcipuè quantũ noceat, aut alias, iſta vel in primis in hac arte Cacozelia, ſeu nimia affectatio, exẽplis docet, quæ res & ipſa ad difficultatem artis confirmandam pertinet. Exordiũ ab occaſione ſumitur: à quo mox Cratonis reprehẽſio ſequitur, qui ſtudiũ huius rei in Luciano reprehendit, à perſonæ qualitate, & modo rei, addita etiã amplificatione quadam à collatione, quam antequam ad rem accedit, Lucianus ab inæqualitate refutat, ipſúmque Cratoné indignè & abſurdè facere oſtendit, qui rem nec viſam, nec cognitam, temerè reprehendat. Atque ita ad argumentum, illo auſcultandi operam pollicente, deſcendit.

LVCIANVS.

POSTEAQVAM tu Craton iam olim acerba quadã accuſatione adornata, ac diu multúmque meditata, in ius vocaſti cũ ſaltationes, tũ ipſum ſaltãdi artificium, inſuper autẽ & nos reos feciſti tali gaudentes ſpectaculo, quaſi in re friuola & muliebri multum po-

namus operæ, audi obſecro quantum à recto aberraris, tum quemadmodum deceptus per imprudentiam, rem omnium in mortalium vita optimam innocenter accuſaris. Et equidem venia tibi habenda eſt, ſi ſtatim ſub initium aſperæ vitæ temet aſſueſcens, & tantùm quod durum fuerat, bonum exiſtimans, rerum ductus imperitia, iſta accuſatione digna cenſueris. CRA. Cùm vir ſies, ô optime, & maximè diſciplinis liberalibus innutritus, necnõ in Philoſophiæ ſtudiis mediocriter verſatus, poſthabeas autem ô Luciane rerum optimarum exercitium, & priſcorum illorum conuictum, cæterùm ſedere ſuſtineas in theatro omnium poſticas ſannas excipiens, & hominem effœminatum ſpectans mollibus veſtimẽtis indutũ, ac cantilenis laſciuis & turpibus perſtrepẽtem, tũ priſci ſeculi mulierculas amatorias imitantem, nempe libidinoſiſsimas Phædras & Parthenopas, & Rhodopas, & hæc omnia cum pulſationibus, & laſciuis & obſcœnis carminibus, & pedum ſtrepitu: hæc inquam res eſt perquam ridicula, & quæ hominem ingenuum, qualem te eſſe conſpicio, minimè deceat. Quare ego cum certior factus eſſem huic tam turpi te incumbere ſpectaculo, non tantùm me tui puduit, ſed vehementer etiam diſcruciatus ſum animo, ſi Platonis & Chryſippi & Ariſtotelis oblitus, ſederes nõ diſſimilia cum iis paſſus, quorum aures penna leuiter perfricantur, maximè verò aliis innumeris diſciplinis exiſtentibus & ſpectaculis grauibus & ſeriis, ſi quis omnino choraules exigat, ac citharœdos artificioſè canentes requirat. Cum primis verò cum grauem aliquam ſpectando tragœdiam, aut plenam hilaritatis comœdiam, non minorem voluptatem capere poſsis, de quarum palmario certamina quoque poëtis proponi ſolent. Multa itaque & accurata, ô generoſe, defenſione apud eruditos tibi opus erit, ſi nolis per omnia videri excidiſſe, & è bonorum grege exactus eſſe. Atque iſtud mihi optimum factu videtur, vt his omnibus conſtanti negatione medearis, neque ſub initium fatearis aliquid tale te flagitioſe deliquiſſe. In reliquum verò caue, ne nobis ignorantibus ex viro quẽ olim egiſti, in Lyden quampiam aut Baccham amiſſa priſtina facie tranſmuteris. Qua in re noñ tibi ſolùm, ſed & nobis culpa imputanda foret, ſi non Vlyſsis in morem à Loto deguſtata abſtractum, ad conſueta literarum & Philoſophiæ commercia & ſtudia te reduceremus, priuſquam omnino deceptus à Sirenibus in theatro excubantibus occuperis. Iam illæ ſolis inſidiantur auribus, eámque ob rem haſce naui gio prætereuntibus cera opus eſt. Cæterùm tu & ab oculis videre prorſus illarum pręſtigiis eſſe ſubactus. LVC. Papa ô Craton! quàm verò robuſtũ in nos canem ſolutis loris concitaſti! Niſi quòd exemplum ſumptum à Lotophagis, & comparationem tractam à Sirenibus, parum ſcitè, atque adeò ineptiſsimè mihi induxiſſe videris ad ea quæ mihi acciderunt. Etenim iis qui Lotum deguſtauerant, ac Sirenas cantillantes audierant, exitio fuit manducationis & audi ionis prolubium. Mihi verò præterquam quòd voluptatem ſpectando cepi mirificam & iucundiſsimam, etiam finis peruenuſtè cecidit. Neque enim in obliuionem rerum domeſticarum, aut negotiorum præ-

ſentium

ſentium incognitionē delapſus ſum, ſed ſi mihi ingenuè veritas fatenda eſt, longè ſapiētia excultior, ac in rebus humanis multò ſolertior atq; prouidentior ex theatro regreſſus ſum. Magis autem illud Homeri in præſentia adducere perpulchrum eſſe exiſtimo, quòd is cui illud viſum ſit ſpectaculum, Multorum gnarus ſimul oblectatus abiuit. CRAT. O Dii immortales, Luciane, qualia pateris, quem iſtorum ne pudeat quidem, ſed iactanter etiam laudi tibi ducere videris? Igitur quod hac in re grauiſſimum eſt, nullam ſpem curationis aut remedii nobis oſtendiſti, qui laudibus efferre audeas tam execranda & turpia. LVC. Agè hoc mihi reſponde Craton: iſtud de ſaltatione, tum ea quæ fieri in theatro conſueuerunt, corámne tibi viſa ſunt, vt ea ita crebrò probroſis dictis inſecteris: aut an potius ſpectaculi prorſus expers atque ignarus, nihilo ſecus tamen illud vt turpe atque execrandum (vt ais) exiſtimas? Quòd ſi enim aliquando ea præſens vidiſti, iam nobis & tu hac ſtulta ſpectandi curioſitate paria feciſti. Sin non, vide ne parum modeſta & nimis temeraria tua videatur eſſe inſectatio, ea in crimen vocans, de quibus nihil habes comperti. CRA. Ergo hoc mihi adhuc ſupererat, vt in tam profunda barba & cano capite ſederem inter mulierculas, & inſanientes illos ſpectatores, applaudens & prœconiis ineptiſsimis acclamans homuncioni cuipiam perdito, nulla neceſsitate lacrymas profundenti? LVC. Eſt equidem hoc tibi ignoſcendum ò Craton: illud tamen pro certo exploratū habeo, ſi meis monitis morem gerens, tantum tempuſculi ſpectandis ſaltationibus impertires, quantum vel periculo faciēdo ſufficeret, nihil tibi poſthac rebus omnibus fore prius aut antiquius, quàm vt loco commodo occupato, ſeruire queas ſpectaculis, vnde exactè & videre, & clarè audire poſsis omnia. CRAT. Nunquam ego forma fiam amabilis, ſi quid tale vnquam prudens ac ſciens fecero, ſemper autem membris hirſutis, & barba incōpta atque horrida, vt me nunc tui ex animo miſeret, omnibus modis inſanientis. LVC. Vis ergo, ò amice, omiſsis blaſphemiis atque conuiciis, arrectis auribus attētè mihi dare operam nonnihil ſuper ſaltatione, eiúſque virtutibus differenti, tum quemadmodum non ſolùm oblectamento ſit ſpectantibus, verumetiam emolumento, tum quantis de rebus hominum animos commodè admoneat & erudiat: præterea quēadmodum ſpectantium mentes aptè componat, pulcherrimis exercēs ſpectaculis, ac optimis præceptis imbuens: ad hæc communem quandam corporis & animę pulchritudinem oſtendens? Etenim quæ illi accedunt à Muſica & modulationibus, hæc inquā omnia facere, non dedecori aut vituperio, ſed illi potius laudi tribuenda ſunt. CRAT. Quanquam mihi in præſentia otium non eſt inſanientem hominem auſcultandi, ſuum ipſius morbum laudibus efferentem, attamen ſi nugis & inanibus fabularum cōmentis me oppletum tibi cōſultum factu viſum eſt, paratus ſum in hoc tibi officiosè inſeruire, & aures præbere, vel ſine cera, inutilia verba obaudire valēs. Quare compreſſa voce hanc tibi operam dabo. Dic verò quodcūque animo tuo libitum fuerit, quaſi nemine auſcultante. LVC. Euge ò Craton, iſthuc ipſum omnium maximè mihi egēti in optatis fuit. Paulò enim pòſt ipſa re comperies num nugæ tibi cenſendæ ſint quæ in medium productus ſum. Ac principiò quidem illud planiſsimè ignorare videre, quàm nō nouitium inuentum ſit ſaltatio, neque heri aut nuper natum & inceptum, puta apud maiores noſtros, aut illorum: ſed qui ſuper ſaltationis ortu quàm veriſsima perſcrutati ſunt, affirmant illam vnà cum mundi ac omnium rerum generatione natam eſſe, & cū Amore Deo illo vetuſtiſsimo in lucem prodiiſſe. Etenim ipſa ſyderum chorea, & errantium cum non errantibus coniunctio, eorundémque modulata atq; cōcinna participatio, & illa bella, tum pulchrè inſtituta harmonia, primogeniæ ſaltationis argumēta fuere, & indicia certiſsima. Ea verò tēporis progreſſu ſubinde incrementis aucta maioribus, neque non additiones melioris inuenti ſortita non modicas, ſummo nūc abſoluta videtur eſſe faſtigio, ac res eſſe omnifariā varia, & omnibus modis cōcinna & congruens, tum bonum multiplicis ornatus & ſcientiæ. Hoc verò ſaltandi artificio aiunt Rheam potiſsimùm oblectatam, in Phrygia quidem Corybantas, in Creta autem Curetas ſaltare iuſsiſſe. Neque verò modicum cepit ex illorum arte compendium. Quippe circunſaltantes Iouem illi ſeruarunt incolumē, ita vt Iupiter nō grauatè fateatur ſalutis contributę præmia ſe illis debere, per illorum ſaltationem patrios dentes effugiens. Porrò autem hæc ſaltatio ab armatis deſaltabatur, gladios ad ſcuta collidentibus, ac bellicum quiddam & attonitum ſaltantibus. Mox verò inter Cretēſes vt quiſque maximè nobilitate præcellebat, ſummo ſtudio hanc rem exercentes, præſtantiſsimi ſaltatores reddebātur, non tantùm homines priuati, & humili loco orti, ſed nobiliores quoq;, & regii ſanguinis, & primates in populo. Homerus quoque Merionem non ſugillare, verùm pulcherrimo laudis teſtimonio ornare volens, ſaltatorem nominauit. Itaque in tantum claritudinis & notitiæ ob ſaltādi peritiam apud omnes venerat, vt hæc non Græci ſolum de illo comperta tenerent, ſed & Troianis hoſtibus non ignota forent. Videbant enim, vt mea eſt opinio, eius in bellando agilitatem, & concinnum membrorum motum, quæ ex ſaltatione in vſum conuerſa peculiariter poſsidebat. Verſiculi Homeri ad hunc loquuntur modum:

Te citò Merione, quanuis ſaltare peritum Iliad. ν.
Strauiſſem in dura confoſſum cuſpide pugna.

Tametſi eundem non ſtrauerat: vt enim in ſaltando ſemet magno ſtudio exercuerat, ſic facilè, vt opinor, effugiebat iacula in eum contorta atq; emiſſa. Iam quanquā & alios complures ex heroibus enumerare poſsim eo ipſo ſaltandi ſtudio diligentiſsimè exercitatos, quiq; ex hac ipſa re artem fecerint: ſufficere tamen ſuſpicor vno à me producto Neoptolemo Achillis filio, qui vſqueadeò hoc præcelluit artificio, vt cum ſpeciē quoq; ſaltandi pulcherrimam ſibi adieciſſet, Pyrrhichii nomen ab illo acceperit. Achilles quoq; ipſe his de filio ſuo inauditis, maiori gaudio ſuffuſus eſt, vt ego exiſtimo, quā propter eius formæ præſtātiā, & membrorū robur inſuperabile. Atqui interea ſemper Ilion fuit inexpugnabile, donec illius ſaltatione captum concideret, & direptum ſolo ęquaretur. Lacedæmonii quoque, qui Græcorū præſtantiſsimi eſſe cenſebantur, cum

Neoptolemus.

cum à Caſtore & Polluce Caryatiſſare perdidiciſſent, quę ſaltationis ſpecies à Caryis vrbe Laconię ducta erat, omnia cũ carminibus facere ſoliti ſunt, adeò vt ad tibiarum quoque modulos & rhythmũ, & moderatum pedis ingreſſum, præliũ committere illi genti moris fuerit. Ac primùm quidem conſerendarum manuum ſignũ Lacedæmoniis tibia dari ſolitum eſt: próinde de omnibus quoque reportant victoriam, muſica & modulorum concinnitate illos ducente. Videres itaque illorum ephebos nihilo minore cura ſaltationi, quàm armis exercendis dare operam. Vbi enim iam ſummis colluctati ſunt digitis, ac mutuis ictibus ſemet ceciderũt, quieſcũt parumper, & omne illorum certamẽ in ſaltationem ſolutum conuertitur. Quorum in medio tibicen locatus eſt, tibiam incinens, ac pedibus inſtrepens. Cæterùm illi per ordinem alter alterum ſequentes, omnigenas figuras corporis agilitate exprimunt ad rhythmum ingrediẽtes, alias quidem bellicas, alias verò ſaltatorias, quę Baccho & Veneri gratæ ſunt. Quinetiam cantus quẽ inter ſaltandũ modulãtur, Veneris & Cupidinum cognomẽto nobilitatus eſt, quaſi vnà cũ Venere & Cupidinibus cõmuni choreæ ſaltationi indulgerent. Et altera quidem cantilena (duæ enim canuntur) rationem quoque & præcepta ſaltandi in ſe complectitur. Procul, aiunt, ô pueri, promouete pedem, & ſaltate perfectius. Non diſparia faciunt quibus Hormum ſaltare curæ eſt. Hormus autem genus ſaltationis eſt adoleſcentibus virginibúſque cõmune, alternatim ad choream diſpoſitis, vt planè hormum, hoc eſt ſegmentum referant. Solet autem adoleſcens chorum ducere more iuuenili ſaltans, quo poſtea in adoriendis hoſtibus vſurus ſit. Sequebatur hunc puella modeſtia quadam cõſpicua, quæ fœmineum ſaltum decenter admodum peragebat: vt hormũ ex temperantia & fortitudine compoſitum rectè dicere poſsimus. Cæterùm quæ Homerus ſuper Ariadne in clypeo memoriæ prodidit, déq; choro quem illi Dædalus inſtituerat, ea, vt iam olim tibi lecta, præteribo ſilentio. Præterea duos illos ſaltatores, quos eodem in loco Poëta Cybeſteteras vocat chorum ducentes. Rurſus quę in clypeo memorat, In medióque duos iuuenes agitare choreas Cernere erat, tanquam rem omnium pulcherrimam ſaltationem Vulcanus clypeo addidiſſet. Etenim Phæacas ſaltatione, vt par erat, vehementer fuiſſe oblectatos, mirũ videri non debet, cùm tantis affluerent deliciis, ac in omni rerum abundantia & fortunæ indulgentia victitarent. Quare Homerus Vlyſſem ex omnibus quæ viſenda apud Phæacas conſpexerat, hoc cum primis admirantem teſtatur, agiléſque pedum motiones ſpectantem. Iam in Theſſalia eoúſque progreſſum eſt ſaltationis exercitium, vt populi præſides, & anteſignanos illorum, præſaltatores vocare non dubitarint. Cui rei etiamnum ſtatuarum inſcriptiones & tituli ſuo ſuffragantur teſtimonio, quas iis qui in bello optimam nauaſſent operam, erexerunt. Prætulit, inquit, præſaltatorem ciuitas. Et iterum, Eilationi poſuit hãc imaginẽ populus, propterea quòd pugnam probè deſaltarit. Mitto illud, apud veteres nullas vnquam fuiſſe celebratas feſtiuitates aut ceremonias citra ſaltationẽ, quippe quas ab Orpheo & Muſæo optimis tũc ſaltatoribus cõſtitutas fuiſſe ſatis certè conſtat, qui & hoc, vt cætera omnia, vt honeſtiſsimum quiddam legibus ſanxiſſe videntur, initiari cũ rhythmo & ſaltatione. Quòd autẽ hoc ita ſe habeat, reticenda erant orgia, propter profanos nondum initiatos. Illud autem omnes audiunt, quòd ii qui linguæ vitio atque incontinẽtia myſteria prodidiſſent, plerique eos deſaltaſſe dictitarent. Porrò autem in Delo nulla ſacra peragebãtur, quibus ſaltatio non fuiſſet adhibita, ſed & cum illa & cum muſica cuncta perſoluebantur. Ingreſſi verò puerorum chori, tibia & cithara præcinentibus ſaltabant, quos ſubſecuti optimi facto delectu choreis excipiebant. Itaque & cantilenas illiuſmodi choris cõſcriptas hyporchemata nominare conſueuerũt, talibúſque lyra impleta fuerat. Quid verò Græcorum gentes tibi commemorem, cum Indi quoque poſteaquam mane è ſtrato ſurrexerint, Solem precibus venerati fuerint, non quemadmodũ nos deoſculata manu perfectam precationẽ eſſe arbitramur, verùm illi ad orientem conuerſi, ſaltatione Solem conſalutant, ſed cum ſilentio ſeipſos conformãtes, Dei choream imitari atque effingere conantur? Et hæc Indorum eſt precatio, & chori, & ſacrificium. Duabus verò vicibus ad hunc modum Deum placare ſolent, nẽpe mane, & veſperi. Atenim Aethiopes non alia quàm ſaltandi ratione illatis iam ſignis bellum ingrediuntur, nec quiſquã Aethiopum vel ſagittam excuſſam emitteret aut ulſam à capite (hoc enim vice pharetræ vtuntur, radiorum inſtar tela capiti circumponentes) niſi prius ſaltauerit, & ſaltatione hoſti terrorem incuſſerit. Conſentaneũ verò eſſe opinor, poſteaquam totam Indiam & Aethiopiam peragrauimus, vt in vicinam Aegyptum oratione diuertamus. Etenim vetus illa fabula Proteũ Aegyptium nihil aliud quàm ſaltatorem fuiſſe eximium, mihi planè confirmare videtur, hominem effingendi imitandíque peritum, quíque ſemet in varias rerum facies demutare & transformare potuerit, vt modò in aquas tenues dilapſus abiret imitando, modò ignis celeritatem & vehementiam agilitate corporis, mox leonis immanitatem, ac pardalis impetum, deinde arboris motũ flexibilẽ, poſtremò in ſumma quicquid collibuiſſet, exprimeret. Cæterùm fabula eas Protei proprietates ad inuſitatiorem opinionem detorquens, eam eius naturam fuiſſe commenta eſt, quaſi ea ipſa quoq; fieret, quęcunque ſaltandi artificio imitaretur. Qua facultate & eos qui hodie ſaltationibus nauant operam, præditos eſſe animaduertimus, videáſque illos eodem tempore diuerſiſsimis modis immutari, ac planè ipſius Protei eſſe æmulos. Et ſi quid coniectura aſſequendum eſt, & Empuſam ſuſpicor (quæ & ipſa in varias rerum facies ſemet transfundere dicta eſt) non aliam quàm ſaltatricem fuiſſe, fabularum inuolucro ſignificare voluiſſe homines. Ad hæc iuſtum eſſe opinor, ne Romanorum quidem ſaltationem præterire tacitam, quam nobiliſsimi quique illorum, quos vocant Salios (eſt autem nomen ſacerdotii) Marti Deo bellicoſiſsimo ſaltant graniſsimè, & religioſiſsimé. Neque verò Bithynicæ fabulæ commentum ab Italorum inſtituto abhorret admodum, perhibentium Priapum Deum bellicoſum, vnum, vt opinor, ex Titanibus aut Idęis Dactylis, illud opus factum, rebus militaribus inſtituend

Laconũ ſaltatio.

Hormus quid.

Hyporchemata.

Indorũ ſaltatio.

Aethiopũ.

Aegyptiorum.

Empuſæ.

Saliorum apud Ro. ſaltatio.

Priapi.

inſtituendum fuiſſe, quem Mars à Iunone offerente acceptum adhuc puerũ, durum porrò, & rudem, & ſupra modum virilem, non prius amorum peritum reddidit, quàm perfectum eundem ſaltatorem effeciſſet. Quamobrẽ & merces illi à Iunone deſtinata eſt, vt ab illo ſemper decimam partem ſpoliorum in bello partorum reciperet. Vt autem Dionyſiaca & Bacchica tibi expediam, opinor te nõ expectaturum vt audias, cuius tota actio nihil aliud quàm ſaltationem complectitur. Cum itaque tria ſint celeberrimarum ſaltationum genera, Cordacis & Sicinnidis & Emmeliæ, Bacchi miniſtri Satyri his à ſe ipſis inuentis, de ſe cuique nomen indiderunt: & hac ſaltandi arte vtens Bacchus, Tyrrhenos & Indos & Lydos deuictos ſubiugauit, ac gentes adeò bellicoſas ipſis ſaltem thyrſis deſaltauit. Quocirca, ô admirande, vide ne parum pium aut religioſum ſit, in crimen vocare exercitium adeò diuinum & myſticum, & cui colẽdo tanti Dii nauarint operã, quódque in illorum honorẽ & cultum toties peragitur, inſuper quod tantum oblectamentum ſimul atque inſtitutionem adeò vtilem exhibere ſolet. Illud ego demiror, non ignorans Homeri atque Heſiodi te amatorem eſſe maximum (iterum enim ad poetas me conferam) qua fronte illis contradicere audeas, præ omnibus ſaltationem ſummè laudantibus. Siquidem Homerus cum res mortalium longè iucundiſſimas iuxtà ac elegantiſſimas vno quaſi faſce cõiunctim efferret, nempe ſomnum, amorem, cantum, atque ſaltationem: hanc tamen ſolam præclaro nobilitauit encomio, inculpata eadẽ nominata, aſſcribens per Iouem cantui dulcedinem, quæ vtraq; ſaltandi artificio adeſſe videmus, & dulces modulos, & ſaltationem inculpatam, quam vituperare cogitas. Rurſus alia in parte ſuæ poëſeos ita inquit:

Iuppiter hunc belli reddit virtute potentem,
At leuibus membris alium ſaltare peritum:
Eſt quem dulciſona ſuſtollit voce canendi.

Suauis profectò eſt vocum modulatio, quæ ſaltationi adiuncta eſt, ac munus quod à diis immortalibus præſtari potuit longè pulcherrimum. Ac mihi apparet Homerus omnes res mortalium in duo tantùm diuiſiſſe, nempe in bellum, & pacem: cæterùm rebus bellicis tantùm hæc tanquam præſtantiſsima ſtudia pacis oppoſuiſſe. At verò Heſiodus, qui non ab alio percenſente hoc auditu percepit, ſed ipſe ſtatim ſub auroræ exortum Muſas ſaltantes viderit, in carminis ſui initio de illis hoc ſummum & elegantiſsimum referre non eſt veritus encomium, nimirum eas circa fontem floridũ mollibus ſaltare pedibus, iuxta patris aram agentes tripudium. At tu, ô generoſe, tantùm non cum Diis ipſis pugnans, ſaltationem conſcindis contumelioſis conuiciis. Cæterùm ipſe Socrates, vir omnium ſapientiſsimus, ſi Pythio hoc illum teſtimonio cohoneſtãti fides habenda eſt, nõ tantùm ſaltationem laudibus extulit, ſed illam quoq; diſcere nõ erubuit, aut grauatus eſt, plurimum tribuens venuſtæ concinnitati & elegantiæ, tum apto motui, neque non mouentis afformationi. Nec veritus eſt iam natu grãdior ſaltationem inter ſerias habere diſciplinas: videbatúrque non parũ huic rei perdiſcendę impenſurus operæ, quem leuiora ac viliora perdiſcere nõ piguit: ſed tibicinarum quoq; ſcholas frequentare ſolebat, neq; à meretrice muliere Aſpaſia quiddã audire dedignatus eſt. Atqui ille artem non ita pridẽ natam vidit, necdum tanta elegantia & pulchritudinis acceſsione auctam & elatam. Qui ſi nunc eos, quorũ opera in ſummum vſque faſtigiũ euecta eſt, ſpectaret, fat ſcio illũ omnibus reliquis poſthabitis, hiſce tantùm ſpectaculis operã daturũ, neq; pueros quicquã perinde atq; ſaltationem doctũrũ. Videris autẽ mihi laudans Comœdiam atq; Tragœdiam, oblitus eſſe, in vtraq; illarum propriũ quoddam ſaltationis genus exerceri, ac tragicã quidẽ eſſe Emmeliã, comicam verò eſſe Cordaca. Nonnunquã vſurpari & tertiã, nempe Sicinnidem. Poſtea verò quàm in principio ſaltationi tragœdiam & comœdiam, tibicinãſq; & citharã anteferre non dubitaris, tanquã iſta in certamen veniant, atq; per hoc grauia dicenda ſint, agè viciſsim iſta ſingulatim excutiamus, tibias autem & citharam relinquamus. Etenim & iſtæ ſaltationis partes ſunt ducẽdis choreis ſubſeruiẽtes. Porrò autem ipſam tragœdiam primùm ab habitu contẽplemur, cuiuſmodi ſit, quàm turpe & minimè iucũdum ſpectaculũ, homo longitudine deformi atq; incõpoſita exornatus, altis calceamentis ingrediens, caput larua minaci obductũ habens, tũ peráplo ore hiãte, quaſi ſpectatores eſſet deuoraturus. Mitto adſcititia pectora, & vẽtres factitios, adiunctam & arte cõpoſitã corporis craſsitudinẽ, ne lõgitudine diſcors cõpoſitio in tenui corpuſculo magis repræhẽdẽda veniat. Deinde indecora hiſtrionis vociferatio, iam ſe ipſum inclamãtis, iam verberãtis, aliquando etiã iambicos verſiculos cantillantis, &, quod turpiſsimum eſt, grauiſsimas calamitates modulãtis, ac ſolæ voce ſemetipſum repræhendendum exhibentis. Quippe alia priſcorum poetarum induſtria inuenta ſunt. Et quãdiu quis Andromachen agit, aut Hecubã, tolerabilis eſt cõcio: vbi verò ipſe Hercules carmine lugubri in ſcenã ingreſſus eſt, ſui oblitus, neq; leoninam, neq; clauam, quæ præponitur, veneratur, adeò vt ſanæ mẽtis homo quiſpiã iure optimo talẽ actionem ſolœciſmũ vitioſum poſsit repræhẽdere. Iam quod cũ primis quoq; in ſaltatione damnaſti, viros hiſtriones mulierũ mores imitari, hoc equidẽ cõmune quoq; eſt & tragœdiæ & comœdiæ vitiũ. Etenim in vtraque plures introducuntur mulieres quàm viri. Quinetiam Comœdia partẽ perſonarũ omniũ maximè ridiculam, & oblectationis plenam huic tribuit, videlicet lampadum & tibicinarum & coquorũ perſonas. Sedenim ſaltatiõis habitus quã decens ſit & modeſtus, quorſum attinet dicere, cùm cæcis quoq; iſta ſint perſpicua? Larua ipſa pulcherrima, & ſubiectæ fabulæ reſpõdẽs, nõ immane hiat, vt illæ, ſed ſaltationi per omnia conuenit. Habet enim permultos ſub illa vociferantes. Olim verò ipſi quoq; ſaltatores canebãt, & vnà ſaltabãt. Deinde animaduertẽtes cõtinuo motu grauari anhelitũ, & per hunc turbari cantilenã, viſum eſt factu longè conſultius, vt alii ſaltantibus ſuccinerent. Porrò autem argumenta vtriſq; cõmunia ſunt, neque vlla in re à tragicis diſtinctim ſeparata ſunt ſaltatoria, quàm quòd multipliciori varietate exornata ſunt illa, maiorſque ſtudio perdiſcenda, atque infinitas mutationes habentia. Quòd autẽ ſaltationum nulla ſunt certamina, hanc ego cauſam eſſe, opinor quòd certaminũ authoribus res maior & grauior viſa ſit

eſſe

Saltationũ genera tria.

Tragici habitus deformitas.

eſſe ſaltatio, quàm vt de ea exactè pronuntiari poſſit. Vt pręteream ciuitatem in Italia Chalcidici generis præſtantiſsimam, & hanc quemadmodum ornamentum aliquod certamini, quod apud ipſos decertandum præponitur, adiecisse. Iam verò ſuper iis reſpondere tibi ſtat ſentẽtia, quæ oratione mihi omiſſa ſunt, quę non pauca eſſe video, ne quã ignorantiæ aut imperitiæ opinionẽ apud te incurrã. Neque mihi obſcurum eſt, complures ante nos de ſaltatione libellos conſcripſiſſe, ac omnẽ ſuam in ſcribendo operam & induſtriam in hoc poſuiſſe, vt omnia ſaltationis genera atq; ſpecies numero compræhenderent, earundémq; nomina percenſerent: tum cuiuſmodi vnaquæque illarum, aut quo authore foret inuenta, quo inſtituto magnam multiplicis ſcientiæ opinionem ſibi adiuncturos exiſtimabant. Ego verò hanc ambitioſam ſuper hiſce rebus contentionem, & ineptam, & ferè cognitionis, & mihi ipſi in pręſens minimè tempeſtiuã & accommodam eſſe arbitror, eámque ob rẽ illa ſuperſedeo. Deinde & hoc te cogitare velim, ac tenere memoria, quod neque in præſentia ſtatuerim omnem ſaltationem à prima ſtirpe repetitam velle indagare, neque hunc orationis meæ ſcopum eſſe propoſitũ, ſaltationum nomina numero cõplecti velle, præter paucas illas quarum initiò memini, tanquã generoſioribus propoſitis. Verùm hoc orationis meæ caput & ſumma futura eſt, vt eam ſaltandi rationem, quæ nunc conſtituta in vſu verſatur, laudibus illuſtrem, planúmque faciam, quantum cum voluptatis tum fructus in ſe complectatur, & quàm nõ nuper primùm incœpta, ad tantum venuſtatis & elegantiæ culmen & faſtigium perũnerit, nec minus de ſe exhibens reuerentiæ. Quippe priores illæ perinde vt radices & ſaltationis fundamenta fuerunt. Eius autẽ floridam venuſtatem, & fructum abſolutiſsimum, qui nunc omnium perfectiſsimè cunctis augmẽtis ematuruit, illũ nunc in præſens oratione noſtra explicabimus, poſthabita Thermayſtride, & gruum ſaltatione, & aliis pręſenti parum conuenientibus. Sed ne Phrygiam quidem illam ſaltandi ſpeciem aptam conuiuiis & compotationibus, & quæ tantum ebrietate duce exerceri ſolet, hominibus ruſticis ſæpenumero ad tibiam muliebriter ſaltãtibus ſaltus duros & laborioſos, & quos etiamnum agreſtium ſtudio relictos videmus, præ ignorantia obticui, ſed quia à præſenti ſaltatione omnibus modis aliena eſt, nec quicquam cum illo cõmune habet: quandoquidem ipſe quoque Plato in legibus, nonnullas illius ſpecies commendat, nonnullas verò in totum reprobat, diuidens eas iuxta voluptatem & vtilitatem, exigens ex illis quæ ſunt indecentiores, anteponẽs autem & admirans reliquas. Et de ipſa quidẽ ſaltandi ratione hæc dicta ſufficiant. Etenim ſingulis perſequendis orationem extẽdere, abſurdum mihi videtur, & ineptum. Iam verò ea quę ſaltatorẽ eximium habere oportet, tum qua ratione iis quę perdidicit, rectè vti, quibúſque rebus artem poſsit aſſequi, tibi expediam, vt cognoſcas quàm non iſta ars omnino ſit compræhenſu facilis, & cuiuſuis ingenio obuia expoſita, ſed omnium diſciplinarũ exactiſsimè cognitarum adminiculo excolenda ſit, non muſices tantùm, verùm etiam rhythmices & geometrices, cum primis verò Philoſophiæ tuę naturalis & moralis. Solum verò dialecticam illi tanquam ſuperfluam & parum commodã exiſtimatum eſt. Neque verò abhorret à Rhetorica, ſed & illius eſt particeps, quatenus mores atque affectus demonſtrat, quorum indicãdorum cupidi ſunt etiam Rhetores. Sed nec à graphica excluſa eſt, & plaſtice, verùm harum in membris exprimendis concinnitatẽ magnopere imitari videtur, adeò vt ne Phidias quidẽ in tantum, aut Apelles in ea videtur præcellere. Ante omnia verò præſens & ſingularis in ſaltatore requiritur memoria, eiúſque filia Polymnia, vt omnium rerũ callentiſsimè memor ſit. Etenim iuxta Calchantem Homericum ſaltatorem ſcire neceſſe eſt, quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox vẽtura trahãtur. Ne quid rerum prorſus ignoret, ſed memoriam habeat promptam & expeditam. Caput autem argumenti eſt imitationis atque demonſtrationis ſcientia, ac rerum mente conceptarum explicatio, neque non obſcurorum perſpicua declaratio. Et quod de Pericle literis ac memoriæ prodidit Thucydides, eum virum collaudans, hanc ſummam & clariſsimam eſſe ſaltatoris laudem, noſſe quid deceat, & id ipſum explicare poſſe. Explicationẽ autẽ, habituum perſpicuitatẽ ego dico. Cæterùm ad hanc rem potiſsimùm facere videtur omnis illa rerũ priſcarũ hiſtoria, vt à me prædictũ eſt, cùm prompta memoria, tum decenti geſticulationi cõiuncta demonſtratio. Statim enim à Chao & prima terræ generatione facto exordio, cuncta illi ad vnguem cognita eſſe neceſſe eſt, vſq; ad Cleopatræ Aegyptiæ tẽpora. Hoc enim ſeculorũ interuallo circunſcripta eſt nobis multiplex illa ſaltatori paranda cognitio. Media omnia perfectiſsimè calleat, Cæli ſectionem, Veneris partus, Titanum pugnam, Iouis incunabula & natiuitatem, Rheæ fraudulentam impoſturam, lapidis ſuppoſitionẽ, Saturni vincula, trium fratrũ regna per ſortem diuiſa. Déinde Gigantum ſeditioſam rebellionem, ignem furto Promethei ſubtractum, Hominũ formationẽ, Promethei ſuppliciũ, Amoris vtriuſq; robur & violentiã. Poſt hæc Deli errationem, & Latonæ ex partu dolores, & Pythonis cædem, & Tityi inſidias, ac mox quemadmodum mediũ terræ aquilarũ volatu inuentum ſit. Ad hæc Deucalionẽ, ac magnũ illud id ætatis naufragiũ, tum vnicã illam arcã humani generis reliquias conſeruantẽ. Prætereà quemadmodũ denuò ex lapidibus homines prognati ſunt. Mox Iachi dilaniationẽ, & Iunonis dolum, & Semeles conflagrationẽ, & Bacchi vtrãq; ſtirpẽ. Tũ quæcunq; de Minerua referuntur in fabulis, quęcũq; de Vulcano, atq; Erichthonio, ac diſceptationẽ illam de Attica, & primũ in Areopago iudiciũ. In ſumma, totũ illum ſermonem Atticum fabuloſis narrationibus refertiſsimũ. Præcipuè tamẽ memoria teneat Cereris errorem, atque inuentã Proſerpinam, & Celei hoſpitalitatem, & Triptolemi agriculturam, & vitium plantationem factam ab Icaro, & Erigones ærumnas: prætereà quæcunque de Borea, quæcunq; de Orithyia, & Theſeo & Aegeo memoriæ prodita ſunt. Adde his Medeæ ſuſceptionem, eiúſq; denuò in Perſas fugam, ac regis Erechthei filias, & natas Pandionis, tum quæcunque in Thracia perpeſſæ

ſunt

ſunt & fecerunt. Deinde non ignorandus eſt illi Acamas, non Phyllis, non primus raptus Helenæ, tum Caſtoris atq; Pollucis aduerſus vrbem expeditio, neque non mors Hippolyti, & Heraclidarum reditus. Iure enim & iſta in fabulis Atticis cenſebuntur. Et hæc quidem ex rebus geſtis Athenienſium ſanè quàm pauca exempli gratia ex multis à me prætermiſsis percucurri. Deinceps verò memoria quoque tenenda eſt Megara, & Niſus, & Scylla, & crines purpurei, & Minois regis Cretenſium diſceſſus, ac erga bene de ſe meritã ingratitudo. Quibus poſtea annectenda ſunt cum Cithærone quæcunque Thebanis ciuibus acta ſunt, & Labdacidarum ærumnę, & Cadmi peregrinatio, & bouis procubitus, & dentes ſerpentini, & Spartanorum retributio. Et rurſus Cadmi in ſerpentem tranſmutatio, & ad lyram præcinentem murorum ſubſtructio, & murorũ inſtauratoris inſania, & vxoris eius nempe Niobes ſibi ac ſuis exitioſa iactantia, & in luctu ſilentium: tum quæcunque de Pentheo, quæcunque de Actæone, quæcunq; de Oedipode, quæcunque de Hercule cum omnibus illius certaminibus literis prodita ſunt, eiúſque liberorum per inſaniam facta internecio. Deinde Corinthus, & ipſa plena fabulis, Glaucam & Creonta habens, & ante illos Bellerophontem, & Sthenebœam, Soliſque & Neptuni pugnam. Poſt hæc autem Athamantis furentem inſaniam, ac Nubis liberorum in ariete fugam aeriam. Inus & Melicertæ ſuſceptionem. Ad hæc neque Pelopidarum facta ſaltatori negligenda ſunt, neque Mycenæ, & quæcunque in illis memorabiliter geſta ſunt. Et ante illos Inachus & Io, & ipſius cuſtos Argus, & Atreus, & Thyeſtes, & Aërope, & vellus aureum, & Pelopiæ nuptiæ, & Agamemnonis interfectio, & Clytæmneſtræ ſuppliciũ. Iã adhuc ante illos ſeptem principum aduerſus Thebas expeditio, & generorum exulum Adraſti ſuſceptio, & oraculum de illis proditũ, præterea ducum in bello cæſorum interdicta ſepultura, & propter hanc Antigones & Mœnecei miſerabilis interitus. Inſuper quæcunque feruntur in Nemea Hypſipyle & Archemorus ſaltatori monimẽta cum primis neceſſaria. At etiam quæ ante illa tempora acciderũt, exactè callebit, Danaes virginitatem, Perſei natiuitatem, certamẽ quod aduerſus Gorgonas ſuſcepit. Adde illis & Aethiopicam narrationem, Caſsiopéam, & Andromedã, & Cepheum: quos inter aſtra annumerauit quoq; hominum id ætatis credulitas. Quin etiam illa nõ ignorabit priſca facta Aegypti & Danai, & inſidias quibus petitæ ſunt nuptiæ. Nõ pauca verò eius generis ſuppeditabit & Lacedæmon, videlicet Hyacinthum, & Apollinis riualem Zephyrum, & pueri exitium à diſco illatum, enatúmque ex illius ſanguine floſculum, & gementem in eodem inſcriptionem, αι, αι, & Tyndarũ à morte reducem, & Iouis ob hoc ipſum aduerſus Aeſculapium excandeſcentiam. Præterea Paridis apud Menelaum hoſpitium, & Helenæ raptum poſt factum propter pomum iudicium. Planè enim exiſtimet Spartanę hiſtorię & Iliacam eſſe adiunctam, copioſam profectò & multiplicem. Itaque iuxta vnumquenq; apud Troiam occiſorum fabula agẽda ſcenæ præponitur. Conſentaneum verò eſt, vt horum ſubinde memor ſit, cum primis verò eorũ quę mox à raptu vſque ad Græcorum procerum in patriam reditum peracta ſunt. Neque Aeneæ erroris obliuiſcatur, neque Didonis amoris. Inter quæ locum quoque habebunt quæ de Oreſte circunferuntur fabulæ, tum qualia ſatis fidẽter auſus eſt in Scythia. Sed nec illa quæ antehac geſta ſunt, inepta putabit, Achillis in Scyro cum virginibus conuerſationem, Vlyſsis inſaniam, Philoctetæ à Græcis derelictionem. In ſumma, totam Vlyſseam errationẽ, & Circen, & Telegonum, & Aeoli in ventos imperium, aliáque vſque ad procorum ſupplicia. Ante hęc verò quibus ſycophantiis Palamedi pernicię machinatus eſt, & ira Nauplii, & Aiacis furentis inſania, & alterius ad petras naufragium facientis exitium. Quin etiam Elis multas occaſiones præbebit ſaltare conantibus, Oenomaum, Myrtilum, Saturnum, Iouem, primos Olympiarum athletas. Atqui nec Arcadia fabularum expers eſt, Daphnes fugam, Calliſtus ferinam vitam, Centaurorũ temulentiam, Panos parentes, Alphei amorem, & Hyphali peregrinationem exhibens. Iam ſi oratione in Cretam deſcenderit, permulta inde ſumet ſaltatio, Europã, Paſiphaën, tauros vtroſq;, Labyrinthum, Ariadnẽ, Phædram, Androgeum, Dædalum, Icarum, Glaucum, Polyidi vaticinium, Talo, æneum Cretę cuſtodem. At ſi in Aetoliã diuerteris, habet & illic non pauca quæ mutuò ſumet ſaltatio, Althæam, Meleagrum, Atalanten, * Dalum, fluminis cum Hercule luctam, Sirenum procreationem, Echinadum retributionem, & poſt inſaniam, Alcmæonis habitationem, deinde Neſſum, & Deianiræ zelotypiam, cui applicanda eſt Herculis in Oeta monte pyra & conflagratio. Habet etiam Thracia non parum multa ſaltãti neceſſaria, nempe Orpheum, & illius factam à mulierculis dilaniationem, eiúſque caput loquẽs, idémque vnà cum lyra natans. Præterea Hæmum & Rhodopen, tum Lycurgi ſupplicium. Porrò Theſſalia adhuc plura his ſubminiſtrabit, Pelium, Iaſonẽ, Alceſtin, claſſem quinquaginta nauibus congregatam, Argo, & loquacem eius carinam. Inſuper res in Lemno geſtas, Aeëtam, Medeæ ſomnium, Abſyrti dilacerationem, tum omnia illa, quæ inter nauigandum acciderunt. Poſt hæc autem Proteſilaum & Laodamiam. Rurſus ſi in Aſiã poſtliminiò te cõtuleris, multã ibi inuenies fabularũ copiã. Statim enim tibi occurret Samus, mox Polycratis calamitas, atq; filiæ eius vſq; ad Perſas erratio. Quin etiam his adhuc antiquiora, nimirũ Tantali loquax incontinentia, tum deorũ apud eundem cõuiuium, & Pelopis carnea depaſtio, eiúſque elephantinus humerus. In Italia verò Eridanus & Phaëthon, & Populi lugentes ſorores, & electrum lacrymantes. Sciet eiuſmodi quoq; Heſperidas, & cuſtodẽ aurei fructus Draconem, & Atlantis laborem, & Geryonem, tum boum ex Erythia abactionẽ. Neque ignorabit omnes fabuloſas formarum transformationes, quæcunque in arbores aut animantes aut aues tranſmutatæ ſunt, & quot ex mulieribus viri facti ſunt. dico autẽ Cænea, & vatem Tireſiã. Super hæc in Phœnicia Myrrham, & luctum illum Aſſyrium, qui geminus eſt. Et hæc habebit cognita, & adhuc recentiora, quęcunque poſt Macedonum imperium auſus eſt Antipater, & Seleucus ob amorem Stratonices. Aegyptiorum quæ magis erunt arcana,

* titionem ſeu torrẽ.

na, cognoſcet quidem, ea autem ſaltando repræſentabit ſignificantius, Epaphum dico & Oſirim, præterea Deorum in animalia tranſmutationes. Ante omnia verò ea quæ circa amores illorum variè & mirificè contigerunt, quæq; de Ioue ipſo feruntur fabulæ, tum in quaſcunq; facies ſemet transfigurarit. Omnem verò inferorum tragœdiam tanquam digitos vnguéſque ſuos tenebit, tum ſuppliciorum genera, & quæ cuiuſque cauſa extiterit, & Pirithoi & Theſei indiuulſam vſque ad inferos amicitiam. Vt autem vno quaſi faſce ſummatim perſtringam omnia, nihil quod ab Homero & Heſiodo, tum ab reliquis poetis eximiis & excellẽtibus maximè tragicis dictum eſt, ignorabit. Hæc admodum pauca ex multis, aut potius ex innumeris iſtam ſyluam, rerúmque ſaltationi neceſſariarum ſaltem capita aliquot percenſui. Reliqua verò cùm poetis, tum ipſis ſaltatoribus demonſtranda reliqui, ac tibi quoque iuxta dictorum ſimilitudinem indaganda. Quæ omnia in numerato parata ſaltatori reponenda ſunt, vt cùm tempus exegerit, nullo negotio poſsit expromere. Quoniam verò imitatrix eſt ſaltatio, motibúſque & geſticulatione ea quæ cantantur, ſemet expreſſurã pollicetur, ſummopere illi neceſſarium eſt, (quod & rhetores factitare conſueuerunt) vt perſpicuitatem exerceat; vt vnumquodque quod ab illa demonſtratum fuerit, ita clarè, ita perſpicuè ob oculos poſitum repræſentetur, vt nullius enarratoris egeat opera. Sed, quod Pythico oraculo proditum eſt, oportet ſaltationis ſpectatorem & mutum ſaltatorem intelligere, & nihil loquentem audire. Id quod Demetrio Cynico quoque accidiſſe fama eſt: quandoquidem & ipſe non ſecus atq; tu in iudicium vocare ſolebat Orcheſticen, dicens tibiæ & fiſtularum & ſtrepituum ſuperuacuũ quoddam eſſe ſaltatorem, quippe qui argumento conficiendæ fabulæ parum afferret, motum modò inſulſum & vanum adhiberet, ab omni ratione atque intelligentia ſeiunctum. Cæterùm homines qui hac in re præſtigiis illuderentur, veſtitu ſerico, perſonatúque aptè accommodato, tibiáque & laſciuis cantilenis, & canentium modulata concinnitate, quibus exornaretur, nequaquam ſaltatoris eſſe officium. Saltator ergo Neronis tempeſtate eximius & celebris, nec, vt ferebatur, imprudens, ſed ſi quis etiam alius, hiſtoriarum memoria & mouendi eleganti artificio præcellens plurimum, precatus eſt Demetrium ſapientiſsimis, vt mihi videtur, precibus, vt eũ ſaltantem ſpectare velit, deinde ſi videretur, reprehenderet, ac ſaltationem acerbiſsimè accuſatam exibilaret atque exploderet. Pollicebatur adhæc ſe nullis tibiis & cantilenis adhibitis ſaltaturum, quẽadmodum & fecit. Etenim ſtrepitibus & tibiis & choro impoſito ſilẽtio, ipſe per ſe ſaltauit Veneris & Martis adulterium, Solem furtiui concubitus proditorem, Vulcanum mœchantibus inſidias machinantẽ, ac vinculis vtroſque & Martem & Venerem illaqueantem, Deos ſpectaculo aſsiſtentes, Venerem ſuffuſo rubore pudefactam, ſubuerentem, & meticuloſius Martem ſupplicantem: præterea quaſcunque alias hæc fabula partes complectitur: adeò vt Demetrius ipſa artificioſa ſaltatione iam exhilaratus, maxima laude ſaltatorem extulerit. Exclamabat enim voce quàm potuit acutiſsima in hæc verba prorumpens, Audio ô homo cuiuſmodi facias: neque enim tantùm video, ſed mihi videre ipſis loqui manibus. Quoniam verò circa Neronis tẽpora noſtra verſatur oratio, animus eſt viri barbari ſuper eodem ſaltatore tibi referre teſtimonium, quò laudem præclariſsimam ſaltandi artificio attributam eſſe cognoſcas. Quippe è barbaris quidam homo regius è Ponto, cum ex negotio ad Neronem Romam veniſſet, vnáque cum aliis hunc ſpectaſſet ſaltatorem, adeò ſaltantem perſpicuè, vt quanquam nihil eorum, quæ canebantur, audire poterat (erat enim lingua ſemigræcus quiſpiam) omnia tamen callidè intelligeret. Iam verò cum iterum ad ſuos regreſſurus eſſet barbarus, eúmque Nero benignius atque amantius inuitaret, & ſi quid vellet poſtulare, liberaliter iuberet, ſeq; promptè daturum polliceretur: Da mihi, inquit, hunc ſaltatorem, & me hoc munere plurimum exhilarabis. Percontante verò Nerone, cui rei domi tuæ vtilis tibi futurus eſt? Sunt mihi, inquit, vicini barbari lingua diſpares: ad illos intelligendos interpretum parare copiã haud mihi promptum & facile eſt. Itaque ſi alicuius egẽs ero, ille innuens ſingula quæq; mihi interpretabitur. Tantum conſecuta erat agilis ſaltationis imitatio, cum clara & manifeſta apparuiſſet. Cæterùm exercitium iuxta quod immorãdum eſt, & ſaltationis ſcopus eſt repræſentatio, vt dixi, eadem opera & rhetoribus exercẽda, maximè verò iis qui declamationibus, quas vocant, vacant. At hæc quoque in ſaltatoribus præcipuè laudi datur, vt perſonis in ſcenam introductis ſaltator per omnia geſtu reſpondeat, neque ea quæ dicuntur, ab introductis optimatibus, aut tyrannicidis, aut mendicis, aut agricolis diſcrepent, ſed in vnoquoque illorum demonſtretur proprietas & excellentia. Volo itaque & alterius tibi barbari orationẽ ea ipſa de re percenſere. Etenim cũ quinque perſonas vidiſſet ſaltatori apparatas (tot enim partibus ſeu actibus conſtabat fabula) vnum videns ſaltatorem, quærebat quinam reliqui eſſent futuri qui alias perſonas ſaltãdo repræſentarent. Poſtea verò quàm certior factus eſt illum omnia ſaltatione ſua repræſentaturum, Fefelliſti nos, inquit, ô optime, quòd cum corpus vnũ tibi ſit, animas plures habeas. Et hæc quidem barbarus. Non iniuriâ verò & Itali ſaltatorem Pantomimi nomine cohoneſtarunt, ab ipſo penè facto ad hoc introducti. Nec inelegans habẽda eſt illa poetica cohortatio, O fili, Polypi mentem obtinẽs in omnibus verſare vrbibus. ſaltatori equidem perneceſſaria, quem rebus adhærentem oportet ſemet ipſum quibuſque factis applicare. Præcipuè verò mores & affectus ſe demonſtraturam & ſimulaturam pollicetur ſaltatio, nunc quidem amantem, deinde iraſcentem introducens, mox alium inſanientem, alium animo perturbatũ, ac omnia talia valde concinnè & modeſtè. Et quod omnium maximè mirandum eſt, vna eadémque die nũc quidẽ Athamanta furentem, nunc Ino metuentem exprimit. Et aliàs ipſe ille Atreus eſt, aliàs Thyeſtes, poſt puſillum Aegiſthus, deinde Aërope. Et omnia hæc vnius hominis artificioſè refert induſtria. Alia quidem ſpectacula & diſciplinę vnam quampiam rem oſtendunt, aut enim tibia eſt, aut cithara, aut vocis modulatio, aut fabula tragica, aut plauſibilis aliqua comœdia:

Pãtomimi.

comœdia: cæterùm ſaltator hęc omnia ſimul cõpręhenſa in ſe complectitur, & eſt varium quendam & miſtum ex omnibus illius videre apparatum, tibiam, fiſtulam, pedum ſtrepitum, clágorem cymbali, repræſentatoris vocẽ concinnam, canentium cõcentum conſonum & vnanimem. Præterea alia quidem alterutrius in homine partis ſunt opera: alia enim ſunt mentis, alia corporis: cęterùm in ſaltatione iſta miſta ſunt. Etenim mentis demõſtrationẽ, corporei exercitii actione, ipſis rebus quæ fiunt, ineſſe videmus. Maximi verò omnium ducenda eſt rerum, quæ geruntur, ſapientia, & quòd nihil citra rationem cõmittitur. Quocirca Lesbonax Mitylenæus planè vir honeſtus ac bonus ſaltatores Chiriſophos, id eſt manu ſapientes nominare ſolitus eſt, ibátque frequenter ad illorũ ſpectacula, quaſi melior à theatro ſubinde eſſet reuerſurus. Timocrates autem eius præceptor, viſo quondam ſemel, non de induſtria aſsiſtens, ſaltatore ſuis rebus indulgente, Quali me, inquit, ſpectaculo priuauit verecundia, quam è philoſophia hauſeram? Quòd ſi vera ſunt quæ de anima Platonem diſſeruiſſe conſtat, tres eius partes pulcherrimè oſtendit ſaltator: vim iraſcendi, quoties iratum exprimit: deſiderandi, quoties amantem repręſentat: ratiocinandi, quando ſingulos affectus quaſi frænis quibuſdam coercitos explicat. Et hoc in omnes ſaltationis partes, quemadmodum tactus inter ſenſus corporeos, diſſeminatum eſt. Porrò autem cùm pulchritudinis tãtam rationẽ habere ſoleat, atq; inter ſaltandum decentis & concinnæ formoſitatis, quid aliud quàm Ariſtotelis pulchritudinem confirmare videtur eandem collaudantis, atq; inter bona tertio loco conſtituentis? Audiui verò alium ſuper ſaltãtium perſonarum ſilentio longè iuueniliùs diſſerentem, quòd eo Pythagoricæ diſciplinæ dogma ſubobſcurè ſignificari videatur. Præterea cum aliæ vitæ actiones illæ quidem oblectationem, aliæ verò vtilitatem exercentibus ſuppeditent, ſoli ſaltationi vtraq; hæc iuxtà adeſſe videmus, ac vtilitatem longè præſtantiorem, quatenus cum voluptate illa exhibetur. Quantò enim hoc ſpectatu iucundius, quàm videre pugnis decertantes iuuenes, ac ſanguine diffluentes, alióſque luctantes in puluere, quos non rarò ſaltatio & longè tutius ſimul atq; decentius & maiori cum voluptate demonſtrat? Quocirca apti decentéſq; in ſaltando motus, ac corporis inuerſiones & circunductiones, inſuper ſaltus & reſupinationes quibus vtitur, aliis equidem ſæpenumero fuere oblectamento ſpectantibus, ipſis autem hæc eadem exercẽtibus ſaluberrima. Etenim illud ego gymnaſiis pulcherrimũ, & maximè omnium conducibile haud dudiè dixero, quòd corpus emolliant, & membra flexibiliora iuxtà ac leuiora efficiant, & ad omnem mutationem promptiora inſtituant, neque mediocri robore corpora ſolidius cõfirment. Quî ergo ſaltatio res erit non omnium elegantiſsima, quæ & mentẽ acuat, & corpus exerceat, ſpectantes oblectet, multas res priſcas homines doceat, tibiis, cymbalis, numeroſo carminum concentu animum quantum ad oculos & aures attinet, ex æquo demulcens? Itaq; ſi perfectam vocum modulationem requiris, vbi alibi inuenies aut chorum pleniorem aut cõcinniorem? Quòd ſi tibiæ aut fiſtulæ ſono dulciſsimo caperis, ſufficiens in ſaltatione quoque fruendi tibi parata eſt copia. Mitto dicere quòd moribus quoque emendatis multò euades melior, crebrò hiſce vtens ſpectaculis, quoties videris theatrũ abominari & odio proſequi malefacta, contrà lacrymis deflere innocenter affectos iniuria: in ſumma, totam ſpectantium vitam emendari. Quod autem præcipua in ſaltatoribus laude extollendum eſt, illud iam dicturus ſum, membrorum robur atq; mollitiem rectè exercere, vtrunq; iuxtà mihi admirandum videtur, vt ſi quis in eodem argumento iam robur Herculeum, mox Venetis teneram & delicatam oſtentaret mollitiem. Iam verò oratione tibi oſtenſurus ſum qualem & corpore & animo optimum ſaltatorem eſſe oporteat. Et ſanè mentis dotes iam magna ex parte executus ſum. Quippe memoria præcellere, ac præcipua ingenii indole clarum, ad hæc ſolerti & acuta intelligentia præditum eſſe illum oportere aio, & qui potiſsimùm temporis rationem habere poterit: præterea autem vt poematum ingenioſus cenſor ſit, tum cantuum atq; carminum præſtantiſsimorum peritus expenſor, vitioſè verò factorum repręhẽſor argutus. Cæterùm corporis modum iuxta Polycleti canonem adumbrabo, vt neq; impenſè altus ſit, neq; præter modum craſſus, neq; breuis nimiùm aut humilis, neq; natura depreſſus, nanus aut pomilio, ſed moderatæ ſtaturæ per omnia: neque carnoſus admodum & obeſus, (abſurdum enim eſt) neq; rurſus corpore impenſe tenui. Hoc enim aridi cadaueris præ ſe fert imaginem. Memorabo verò tibi populi cuiuſdam ad huiuſmodi notanda non inertis exclamationes. Antiochia ciues habet ingenioſiſſimos, quibus ſtudio eſt ſaltationẽ omnibus aliis anteponere exercitiis: adeóq; dictorum & factorum obſeruãtes ſunt, vt nihil omnino earum rerum, illorum ſubterfugere poſsit iudicium. Ergo cum corpuſculo admodum modiculo ſaltator in ſcenam ingreſſus ſaltaret Hectorem, vno ore omnes exclamauerũt, Aſtyanactem videmus: vbi autem Hectorem manſiſſe dicemus? Rurſus alio tempore quopiam præter modum longo Capanea ſaltare conante, idémq; Thebanorum muros adiecturus eſſet: Tranſcende, inquiunt, muros, nihil tibi ſcalis opus eſt. Quin etiam impendiò corpulentum & obeſum ſaltatorem falſe ſubſannarunt, qui cùm ingentem ſaltum facere adniteretur, Theatrum nobis, inquiunt, ſuffulciendum fuerat. Contrà nimiùm arido & tenui, tanquam malè habenti, bene valere certatim precati ſunt. Horũ profectò non concitandi riſus gratia mentionem adduxi, ſed vt cognoſceres multas quoq; gentes magno ſtudio ſaltãdi coluiſſe artificium, adeò vt & vitia & virtutes in illo potuerint ſagaciter deprehendere. Sit ergo ſaltator corpore per omnia mobili & ſoluto ſimul, atq; firmo, vt flecti poſtulante tempore, & firmiter conſiſtere, ſi opus ſit, poſsit. Quòd autẽ ſaltatio à manuum geſticulatione in certaminibus proponi ſolita

aliena non ſit, ſed particeps ſit & Mercurii & Pollucis & Herculis editarũ in certamine virtutum, deprehendere poteris haud obſcurè, ſingularum imitationum periculum faciendo. Herodoto auctori grauiſsimo, ea quæ oculis apparent, certiora videntur, quàm quę percipiuntur auribus. Saltationi & oculorum & aurium iudicium præſtò eſt. Vſqueadeò verò mouet ſaltatio, vt quidã miſerè & perditè puellam quandam deperiens, in theatrum ingreſſus, cõſpectis, quorũ cauſa amor eſſet, malis, mentis ſanitatẽ receperit, ac nuncupatis votis theatro egreditur fronte iam ſerenata hilariore, quaſi pharmacum quoddam priorũ malorum obliuionem inducẽs, & iuxta poetam dolorem & acerbitatem omnem abſtergens, hauſiſſet. Quòd autem iſta populo fuerint familiaria, ac quiſque ſpectantium ea, quæ inter ſaltandum demõſtrantur, callidè cognoſcat, argumẽto ſunt ſpectatorum profuſæ non rarò lacrymæ, quoties caſus aliquis acerbus & miſerabilis productus fuerit. Bacchica ſaltatio in Ionia pręcipuè & Põto tanto certè ſtudio celebris, quam & ſatyram vocant, vſqueadeò hominibus ea detentis voluptati eſſe conſueuit, vt ſtatutis temporibus cæterarum rerum obliti omnium, perpetuos dies deſideant ſpectantes Titanas & Corybantas, & Satyros & bubulcos. Saltabántq; id genus ſaltationes nobiliſsimi quiq;, ex ſingulis ciuitatibus primores atq; principes, non reuerentiæ gratia, ſed potius ob hoc ipſum magnos ſeſe ferebãt magis, quàm ob generis claritudinẽ, & obſequia, & dignitates quæ debebantur nobilibus. Poſtea verò quàm virtutes ſaltatorias percucurri, audi iã nũc deinceps & ſaltatorũ vitia. Sed enim quæ corpus plerunq; comitantur, iam oſtendi: mentis autem vitia ad hũc ferè modum, vt opinor, obſeruabis. Permulti enim illorum propter inſcitiam (fieri enim nõ poteſt vt omnes ſapiẽtia exornati ſint) turpibus inter ſaltãdum ſolœciſmis delinquunt. Illi quidẽ dum citra rationẽ mouentur, ac nihil, vt aiunt, ad chordã. Alia quippe pes, alia rhythmus loquitur. Cæterũ alii quidẽ ſaltãdo à rhythmo nõ diſcrepant, res autem parum aptè & tempeſtiuè ſaltationi accõmodant: quorum ego permulta videns memini. Quidã enim Iouis parentes ſaltans, neque non Saturnum deuorantem liberos, Thyeſtæ calamitates adſaltabat. Rurſus alius Semelen percuſſam fulmine repræſentaturus, Glaucen illi aſsimulabat, tempore longè poſteriorem. Atqui nequaquam eiuſmodi ſaltatorum gratia, ſaltationem reſpuendam eſſe cenſeo, neq; ipſum odio proſequendum exercitium, ſed illi potius, vt ſunt, imperiti habendi ſunt. Laudãdos autẽ eos qui legitimè ac iuxta rhythmum ſatis artificioſè cuncta obeunt. In ſumma, oportet ſaltatorem omnibus numeris eſſe abſolutiſsimum, vt totum quod agit, ſit concinnum, ſit aptè accommodatum, ac intra menſuram cohibitum, ſibi ipſi nõ diuerſum, à ſycophantiæ morſu alienum, reprehẽſioni minimè obnoxium, & in quo nihil deſiderari poſsit. Eſt præterea ſummopere neceſſarium, vt ſaltator optimis cogitationibus temperanter inſtructus ſit, acuto ingenii acumine docilis, mente ad deliberandum profunda.

Quæ oculis apparẽt, certiora, quàm quæ auribus.

Vitia ſaltatorum.

Summa verò in illo requiritur humanitas. Statim enim ſolidam à ſpectatoribus laudem conſequitur, quoties quiſq; videntium ſua ipſius acta illo repræſentante cognouerit. Magis verò velut in ſpeculo, in ſaltatore ſe ipſe conſpexerit, tum qualia paſſus ſit, quęq; quondam factitare illi ſtudio fuerit. Neq; enim tunc præ voluptate homines ſe cohibere queunt, ſed certatim ad effundendas laudes proruunt, quiſq; ſuæ ipſius animæ ſimulacra cõſpiciens, ac ſemetipſum cognoſcens. Planè enim Delphicum illud verbum, Noſce te ipſum, ex eiuſmodi reportant ſpectaculo, atque è theatro diſcedunt, poſteaquam quæ expetenda, quæq; fugienda ſint, perdidicerint, & eorum quę prius ignorabant, periti euaſerint. Accidit verò quemadmodum in orationibus, ſic pari quoque ratione in ſaltationibus, ea quæ multis vitio datur Cacozelia, hoc eſt mala affectatio, imitationis modum tranſgredientibus, ac prout quàm par fuerat, actione excedentibus, & ſi magnum quiddam demonſtrandum eſt, illud præter modum demonſtrantibus: rurſus ſi quid molle ac tenerum repræſentandum eſt, illud plus ſatis effœminantibus: porrò actiones graues atq; viriles ad immanitatem vſq; ferinam euehentibus. Quod ego quondam ſaltatorem facientem videns, memoria teneo, antea quidem mirum, necnon celebrem ſaltandi artificẽ, cætera ſanè prudentem, nec hominum opinione indignum, verùm haud ſcio quo caſu tunc in ita deformem repræſentationem immoderata affectatione delapſus ſit. Quippe cùm illi Aiax deſaltandus eſſet mox furens poſt victoriam, tantum à ſaltationis decoro excidit, vt nullo modo Aiacis furentis inſaniam repræſentare, ſed ipſe omnium iudicio planè furere atq; debacchari videretur. Vnius enim ferreis calceamentis inſtrepentium veſtimentum violenter diſcidit: alterius è Muſicorum numero correptam tibiam, Vlyſsis iuxtà ſtantis ob potitam armorum victoriam geſtientis capiti illidẽs incuſsit: & niſi tiara obſtitiſſet, & plagæ violentiam excepiſſet, infelix ille Vlyſſes periiſſet, ad verberãtis ſaltatoris pedes prolapſus. Atqui vniuerſa ſpectantium corona ſimili morbo veſaniæ correpta, vnà cum Aiace pariter inſaniebat, & exilientes vociferabãtur, ac veſtes à ſe proiiciebant. Itaq; vulgus, neq; non idiotæ, decori non admodum obſeruantes, neque quod bene, neque quod ſecus ſit, diſcernere queuntes, hæc omnia ad ſummam doloris exprimendi affectationem pertinere arbitrabantur. Ciuiliores verò tametſi rem probè callebant, ac non parum ob factum pudore ſuffunderentur, neq; tamen illud repræhendebant ſilentio: ipſa porrò laude, ſaltatoris amentiam honeſtè cõtegebant, planè perſpiciẽtes hæc nõ Aiacis, ſed ſaltatoris veſania eſſe perpetrata. Neq; verò generoſus ille hiſce contentus quietem egit, ſed aliud quiddam multò magis admiſit ridiculum. Progreſſus enim in medium ſenatorum, inter duos Conſules conſedit medius, admodum metuentes ne vnum ex illis correptum flagellis quemadmodũ arietem cæderet. Quam audaciã partim ex illis admirabantur, partim ridebant, nonnulli verò ſuſpicabãtur ne ex immo-

Nimia affectatio arguitur.

dica

dica inſaniç affectatione vero furoris morbo implicatus eſſet. Et ſanè perhibebãt illum, poſtquã à tanta veſaniæ temulentia ſobrius eſſet factus, in tantum ob hæc, quæ turpiter admiſerat, affectum eſſe pœnitentia, vt præ nimia mentis mœſtitia ægrotus decumberet, revera ita propter immodicè affectatam inſaniam perturbatus. Atqui ne ipſe quidem hoc occultè aut diſsimulanter habuit, ſed ſatis manifeſtè declarauit. Siquidẽ poſtulantibus iterum æqualibus vt Aiacem in illorum gratiam deſaltaret adhibito repreſentatore, inquit ad theatrum ſatis ſupérq; eſſe ſemel inſaniuiſſe. Maximè verò omnium eius animum diſcruciauit æmulus. Cum enim idem Aiax illi ex cõpoſito deſaltandus eſſet, adeò modeſtè & temperãter eius repræſentauit inſaniam, vt magnam inde laudẽ reportaret, ſaltationis fines nuſquam egreſſus, neq; repræſentando furenter in quenquam debacchatus. Hæc tibi ô amice pauca ſanè ex perquam multis decerpta oſtendi ſaltationis ſtudia atq; exercitia, ne prorſus indignè aut dolenter patiaris ſi iſta libenter & magna cum voluptate ſpectare ſoleam. Cæterùm ſi animus eſt tecum eiuſmodi participem eſſe ſpectaculi, ſat ſcio illius illecebris te captum iri, inſuper etiam tripudiaturum. Itaq; nihil opus eſt vt illud Circes dictum tibi occinam,

Obſtupui quòd te nil pharmaca noſtra bibentẽ
Demulxere.

Haud dubiè enim demulceberis, & per Iouem neq; aſini caput, neq; porci cor habebis, verùm mẽs tibi firmior erit & cultior. Tu verò præ voluptate, quam ſpectando mirificam capies, non multum Cyceoni potando tribues. Nam quod Homerus de Mercurii virga aurea affirmat, quòd illius adminiculo quorum oculos voluerit in ſomnum ſoluat, rurſus alios dormientes excitet: hoc planè efficit ſaltatio, & oculos demulcens, & excubare faciens, & mentem ad ſingula humanæ vitæ acta accuratius diſcutienda excitans. CRA. Atqui iã tuis me Luciane dictis perſuaſiſti, iámq; mihi patent & aures, & oculi. Et vide ô amice vt memoria teneas, vt ſi quando poſthac in theatrũ iueris, me tecum vnà pariter ſpectatum abducas, ne tu ſolus inde nobis ſapientior regrediaris.

LEXIPHANES,

Iacobo Micyllo interprete.

ARGVMENTVM.

Deridet hoc dialogo Lucianus Cacozelos iſtos, & affectatores obſcuri atque inuſitati ſermonis, qui dum verbis plerunque obſoletis, & ab vltima vetuſtate repetitis, interdum etiam nouis, & à ſe confictis, omnia obſcurant, & quaſi quibuſdam tenebris inuoluunt, egregiè eloquentes ac docti perhiberi cupiunt: ficto ad hoc exemplo Lexiphanis cuiuſdam, quem, dialogum quendam ad imitationem (ut ipſe quidem videri vult) ſympoſii Platonis compoſitum, recitantem introducit, adeò ineptum atque ridiculum, vt propter verborum obſcuritatem, quæ tamen eiuſmodi ſunt, vt vix ab ipſis illis antiquæ comœdiæ ſcriptoribus, ex quibus pleraque ea deſumpta ſunt, ſi rideant, intelligi ſatis poſſe videantur: res quoq; & ipſum argumentum eiuſmodi ſint, ut non facilè quicquam frigidius excogitari queat. Quo illud nimirum indicare voluit, affectatores iſtos, dum non res quas dicant, ſed verba ad quæ res accommodent, quærunt, in vtroque pariter ridiculè ac ſtultè ſeſe dare ſolere. Subiicit tamen ad finem paræneſes quaſdam, quibus eundem hunc Lexiphanem, rectam eloquentiæ, ac ſtudiorum bonorum rationem edocet: quale quiddam infrà quoque in Rhetorum didaſcalo facit. Vbi duplicem ad eloquentiam comparandam viam proponit: alteram aſperam quidem, ſed veram ac rectam, alteram autem compendioſam ac facilem, ſed ad nouum atque affectatum iſtud genus, cuius exemplum hic proponit, ducentem. Semper autem hoc hominum genus apud omnes odio habitum fuit. Quid enim deteſtabilius, quàm id quod omnium præſtantiſſimum à natura accepimus, & quo ſolo à cæteris animantibus differimus, ita corrumpere ac deformare, vt iam neq; effectum amplius ſuum habeat (quem enim moueant aut doceant non intellecta?) neque ad id adhiberi queat, ad quod ab initio comparatum eſt. Proinde & olim legimus Auguſtum Cæſarem ob hoc vitium Mecœnatem & item Caium nepotem reprehendere ſolitũ: & apud Athenæum irridentur cũ alij quidam, tum Dioniſius, qui virginem μέναν δρον, & boue γαρόταρ, & porcum ἴαχχον, & alia id genus nouis atq; affectatis verbis dixiſſet. Noſtra quoque ætate Dialogus Oſcorum atque Volſcorum ille, indicio eſt quantum ab hoc dicendi genere, doctorum ingenia ſemper abhorruerint. Porrò quod ad verſionem attinet, equidem veniam à lectoribus precor audaciæ huius meæ, qui ſcriptum adeo tenebricoſum, & alicubi (vt videtur) nan ſatis integrum quoque, vertendum mihi ſumpſerim, præſertim in tanta veterum authorum paucitate atque penuria, ſine quibus pleraq; intelligi hic rectè non poſſunt. Quod ſanè haud vnquam facturus fuiſſem, niſi inſtituti operis, & amici eius cui hanc operam locaui, maiorem quàm famæ rationem habendam putaſſem. Nam illud ingenuè fateor, me non pauca planè adhuc aſſecutũ non eſſe, & pleraque per coniecturas & modica quædam veſtigia incedendo, leuiter, & quaſi per quandam transennam, vt dicitur, magis aſpexiſſe quàm deprehendiſſe. Ob quæ etiam ſi reprehendendus fuero, illud tamen non omnino contemnendũ effeciſſe me puto, quòd per hoc alijs ac doctioribus quibuſdam anſam inueſtigandi atq; vltrà contendendi præbuiſſe videor. Neque verò illud me latet, quòd hoc argumentum nõ ſimplicibus verbis vertendum atq; tractandum fuerat, & quòd ſimili aliquo dictionis genere ludendum, & Græcis reſpondendũ erat, propterea quòd hic nihil aliud quàm verba, & eorum ſiue antiquitas ſiue obſcuritas ſpectanda veniant, rebus ipſis ne tantillum quidem eos qui hæc Latinè legant, iuuantibus. ſed tamen cum in eo genere ipſe mihi nihil tribuam, neq; me dignum aliquid præſtare poſſe videam, malui equidem quibuſcunque verbis ac modis reddere hæc: cætera autem quæ ad ludum & feſtiuitatem pertinent, illis relinquere, qui & ingenio plus valent, & in eo genere aliquando periculum fecerunt.

LVCIANVS.

LEXIPHANES, formoſus ille, cum libro ſcilicet. L. Per Iouem Luciane, ſcriptum eſt hornum quoddam meorũ, calidum adhuc. LVC. Iam enim quippiam de ſquallor ibus nobis ſcribis? LEX. Haud equidem. Neq; verò ſquallorem dixi, ſed venuſtas quędam eſt ſcriptum adhuc recens ita appellare. Tu autem videris aures ſordibus oppletas habere. LVC. Ignoſce amice: nam multum affinitatis inter ſe habent calor & ſquallor. Sed dic mihi, quodnam argumentum ſcripti iſtius eſt?

LEX. Conuiuium in eo viciſsim inſtituo contra Ariſtonis illud. LVC. Multi quidem Ariſtones ſunt, ſed tu, quantũ ex Sympoſio colligere licet, Platonem videris mihi dicere. LEX. Rectè ſentis: cæterùm quod dicitur, vt facile cuiuis alteri inexplicabile fuiſſet. LVC. Proinde mihi pauca ipſius libri recita, vt ne omnino expers ſim epuli iſtius. Nectar enim quoddã pocillaturus ex ipſo nobis eſſe videre. LEX. Cauillatorẽ igitur hunc abs te in humum proiice. Ipſe verò auribus factis permeabilibus, auſculta iam, abſit autem obturatrix iſta Cypſelis. LVC. Dic audacter. Nam mihi quidem neque Cypſelus neque Periander in auribus reſidet. LEX. Aduerte itaque interea quo pacto peragam, Lycine, orationem, an ea principium commodum vtique habeat, ac multum eloquentię præ ſe ferat, ſtylo haudquaquam trito atque obuio compoſita, præterea autem & verbis bonis ornata. LVC. Apparet huiuſcemodi eſſe, præſertim tua cum ſit: ſed incipe tandem. LEX. Proinde cœnabimus poſtea, inquit Callicles. Exin veſpertinum illud (quod ſolet) in Lycéo obambulabimus. Iam nunc autem tempus eſt vngendi, pro meridiano atque æſtiuo more, & ad Solis ſplendorem apricandi, ac poſtquam lauerimus, panem eſitandi. Atq; adeò abeundum iam eſt. Tu verò puer ſtrigilem mihi, ac veſtem pelliceam, linteáque, & ſaponem, vt mittas in balneum, atque ablutoriam vt afferas. Habes autem humi iuxta armariolum duos obolos. Sed & tu quid ages Lexiphanes? Veniéſne, an amplius hic demoraberis? Tum ego, iam olim, inquam, lauaturio. Nam & ægrè incedo, & ex iis quæ circa anum ſunt, malè habeo, mula clitellaria vectus videlicet. Approperabat enim mulio, tametſi claudicaret ipſe. Sed & in ipſo agro abſq; labore non fui. Deprehendi enim operarios cantillantes æſtiuam cantionem, eos nimirum qui patri meo ſepulcrum extruebant. Poſtquam igitur cum illis vnà fodiſſem, & cum iis quoque qui ripam aggerebant, ipſe parumper manum operi admouiſſem: illos quidem reliqui & frigoris cauſa, & quia vredo quædam erat. Scis autem quòd in frigore vehementi vredines generentur. Ego verò obambulans culta agrorum, etiam alia reperi inter ipſa enata. Ac terræ clauis aliquot effoſsis, Scanariiſque herbis & Bracanis eſui collectis, præterea & hordeo coempto (nondum autem prata floreſcentibus vitibus fragrabant, vt pedibus incedere liberet) ſublatus in mulam, attriui ſummum podicem. Et nunc ex eo ægrè & cum dolore incedo, & ſudo frequenter, & corpore langueſco, opúſque habeo quàm plurimum in aqua pernatare. Iuuat autem poſt laborem ablui. Proin & ipſe puerum curriculo ablegabo, quem veriſimile eſt aut apud Lecithopolidem, aut certè apud eum qui ſacculos diſtrahit, me expectare. Atqui edictum illi fuerat, vt ad Selga obuiam veniret. Sed in tempore eccum ipſum, adeſt, mercatus panem coloſtratum, & alios ſubcinericios, & cepas vireſcentes, & Fucas, & œbum iſtum, & leporinam, & bouis inteſtinum illud multiplex & rugoſum, & Phoctas. Euge ô Atticion, rectè abs te factum, quòd magna itineris peragendi parte me ſubleuaſti. Ego verò, inquit ille, Sillus propemodum here factus ſum, dum te circunſpicio. Cæterùm vbi tu heri cœnaſti? Num apud Onomacritum? Haudquaquam per Iouem, inquam ego, ſed rus ibam, vbi ripæ aggerem protendi. Scis autem quàm ſtudioſus agrorum ſim. Vos autem fortaſſe putabatis Cottaborum ſtrepitus exercuiſſe me. Sed ingreſſus, hæc atque alia ſuauiter condito, ac mactram emunda, vt Thridacinas nobis pinſatis. Ego autem abiens, in ſicco & ad ſolem vngar. Et nos, inquit Philinus, ego videlicet & Onomarchus, & Hellanicus hic ſequemur. Nam & gnomon medium iam horologium vmbra deſignat, & periculum eſt ne in aqua iſta impura, & aliorum eluuie coinquinata, lauandum nobis ſit à tergo Carimantum inter fęcem vulgi, cõfertis illis vndique nos trudentibus. Ibi tum Hellanicus, Ego verò, inquit, etiã ægrè intueor, & mihi pupillæ oculorum quaſi quodam atramento offuſcatæ ſunt, & nicto frequenter, & lacrymas ſubinde emitto: atque ipſi mihi oculi medicinam geſtiunt, ac opus habeo Aeſculapii filio aliquo, medicinæ ocularis probè perito, qui miſcendo atque infundendo medicamentum aliquod, rutilare mihi faciat oculos, & non amplius lippitudine laborare, aut humidum & aquoſum videre. Atque huiuſcemodi quædam inter nos verbis proſecuti, omnes qui tum aderamus, abiuimus. Et poſtquàm venimus ad gymnaſium, exuti veſtibus, alius quidem pancratio, alius autem lucta & palæſtra recta exercebatur, alius pinguiter perunctus membra variè diſtorquebat, alius iaculo cõtendebat, alius plumbeos quoſdam lapides obnixè atque vibratim tenens manu iaciebat. Deinde vbi mutuò exercuiſſemus nos, atque alter alterum poſtergaſſemus, gymnaſióque ſatis illuſiſſemus: ego quidem & Philinus poſtquàm in labro calido ablauiſſemus nos, abiuimus. Reliqui verò, vbi caput frigida tinctum, Delphinum more immerſiſſent, mirabili quodam modo inter aquas iuxtà adnatabant. Reuerſi autem iterum, diuerſis locis diuerſa agitabamus. Ego quidem ſubligatis crepidis, caput fricabã dentato ſtrigile. Non enim in Cepii, ſed in Scaphii modum tonſus eram, vt qui non multò antè mentum ac verticem detondiſſem. Alius autem calida glutiebat, alius ventrem reiectabat, alius raphanis in tenues partes conciſis, abſorbebat ſalſas ac piſculẽtas illas offellas, alius agreſtes oliuas commanducabat, alius etiam hordeum ingurgitabat. Atque vbi iam tempus erat, in cubitos inclinati cœnabamus. Poſitæ autem erant & ſellæ & grabatula quædam. Proin cœna quidem collatitia erat. Apparata autem erant multa, & varia, bifida videlicet ſuilla, & laterum pulpamenta, & ſuminis quædam, & ſuis nuper enixæ inteſtinum illud quo fœtus recipit, & hepar è ſartagine, & alliatum, & Abyrtace, & ſimilia quædam condimenta opipara, deinde & Thrymmatides, & frictilæ ficulnis foliis inuolutæ, & ex melle dulciaria. Ex natatilibus autem & marinis cartilaginea multa, & quæcunq; oſtraceis teguntur, & offæ Ponticæ, eorum quæ ſportulis ſiue naſsis excipiũtur, & anguillæ copaides, & gallina altilis,

altilis, & gallus qui canere desiit. Etiam piscis erat parasitus, & ouem totam in furno assatam habebamus, bouisque iam grandioris atque æuo cõfecti pernam anteriorem. At verò panes aderant siliginei, non mali, & alii nouilunares, post festum ceu præterito vadimonio dilati, & holera tum subterranea, tum in altum exerescentia. Vinum autem erat non vetus, sed ex iis quæ in vtribus offeruntur, quod iam mustum quidem desierat esse, nondum tamen ad plenum coctum erat. Pocula verò posita erant omnis generis in Delphinide mensa, puta crater ille occultator frontis, & clauatus, Mentoreum opus, habens ansam præhensu facilem, & Bombylius, & Dirocypelum, & fictilia multa, qualia Thericles coquebat, multicapaciáq;, atque alia lati oris, quorum quædam ex Phocæa, alia verò è Gnido aduecta fuerunt. Omnia verò tenuia, fragiliáque, ac teneras testas habentia. Erant autem ibi & cymbia, & paruæ phialæ quædam, & pocula quædam grammatica, ita vt plenus esset abacus. At verò lebes furnarius ebulliens, in caput nobis euertit carbones. Bibimus autem continuis haustibus, & iam inebriati eramus, atque exinde vngebamur cancharide, & introduxit nobis quispiam podoctypam, & trigonistriam, atque exinde alius quidam in tabulatum assultans, irrumpendi locum quærebat, alius autem crepitu ac plausu digitorum ludebat, alius porrò cum risu lumbos lasciuiter agitabat. Atque interea vbi iam lauissemus, comessantes ad nos intrò irruperunt, vltro, non accersiti, Megalonymus causarum ac litium sectator ille, & Chærea aurifex, is qui tergum variegatum habet, & Eudemus Ocataxis. Ego verò interrogabam eos, quisdnam accidisset eis cur tã serò venirent. Chærea igitur, Segmentum quoddam, inquit, & inaures & pedicas filiæ meæ apparabam, & ob hoc ad repotia vobis veni. At ego, inquit Megalonymus, aliis rebus occupatus fui. Dies enim fuit haudquaquam iudicialis, vt scitis, & nefastus: proinde, vtpote silentio in foro existente, neque perorare licuit, neq; per diem dicendo, aquam & clepsydram dispensare. Cum audissem autem quòd Imperator conspiciendum sese præberet acceptis vestibus inusitatis, & bono stamine textis, subligatísque calceis antea non gestatis, proripui me ipsum foras: atque exinde statim incidi in Daduchum & Hierophantem, ac cæteros arcanis ac turpibus operantes, qui Diniam obtorto collo ad magistratum rapiebant, reum facientes, quòd ipsos nominasset, idq; cum sciret quòd ex eo tempore quando initiati fuissent, & sine nomine forent, & innominabiles, vtpote sacrinomines iam facti. At nescio, inquam, quémnam hunc Diniam dicas. Vocabat igitur me nomine. Est, inquit, in tabernis aleatoriis homo perditus, ex egenis ac vilibus istis, semper comatus ac squallidus, endromidum aut baucidarum calceamento subligatus, ac veste manicata indutus. Quid igitur, inquam, dedítne pœnas aliquo modo? an calcibus insultans aufugit? At verò ille, inquit Megalonymus, qui antea inter tibias & cantores perstrepebat, iam immobilis ac tacitus est. Nam imperator segregatum, & à reliquo grege seorsim amotum, circundatis illi manicis, & intento vinculo collari, in pedicis ac tibialibus tormentis degere hominem fecit. Quare in vinculis existens, pendebat nonnihil miser ille præ timore, & crepabundus erat, pecuniámque pro redimenda vita dare volebat. At me, inquit Eudemus, summo diluculo accersiri ad se fecit Damasias, is qui olim quidem athleta fuit, multásq; victorias retulit, nunc autem præ senectute iam à certaminibus abstinet. Nosti æream statuam in foro positam. Ac alia quidem picando, alia inflammando peregi. Domum enim deducturus hodie fuerat filiam suam ad nouum maritum, iámque adeò exornabat illam, cum interea anxiũ quoddam malum interueniens, diremit festum. Nam filius ipsius Dion nescio qua causa mœrore affectus, imò deorum odio aliquo agitatus, strangularat se ipsum. Ac satis scitote, periisset ille, nisi ego superueniens ablaqueassem ipsum, & à resti soluissem, diu geniculatim assidens, & compungens hominem, huc illuc ceu infantem in cunis versans, & vndequaque explorans ac tentans sicubi cõcretum adhuc guttur haberet. Quod autem potissimùm profuit, illud erat, quòd ambabus manibus comprehendens illius latera vi compressi. Tum ego, num illum, inquam, Diona dicis, cinædum, & scrotum propendens habentem, mulierosum, & lentiscum subinde rodentem, adolescentem mastrupantem & obscœna tractantem, si quem probè mutoniatum senserit, ipsum admittentem? At ille, certè etiam delicatus & gulosus. At deam, inquit Eudemus, admiratus. Diana enim ipsis est in media aula posita, Scopadéum opus. Ad hanc procidentes & Damasias, & vxor eius vetula iam, & capite admodum cano, supplicabant ei vt misereretur sui. Illa autem statim annuit. Et nunc Theodorum, seu potius Artemidorum adolescentem hunc habent. Consecrarunt autem illi cùm alia quædam, tum sagittas & arcus, quoniam his delectatur. Sagittaria enim & iaculatrix & bellatrix Diana est. Bibimus igitur, inquit Megalonymus. Etenim & lagenam hanc vini vetustioris venio vobis afferens, & recentis casei massas, & oliuas humi collectas. Custodio autem ipsas sub sigillis carioßissimis, & oliuas alias natatiles, & lutea hæc pocula, ac vti testacea ac destillantia, vt ex ipsis bibamus, præterea & placentã ex intestinis concinnatam, & quibusdã quasi Crobylis intextam. Tu verò puer plus aquæ infunde mihi, ne capite grauari incipiam, & exinde ob id mangonem seu castigatorem contra te accersam. Scitis enim quàm grauiter concitari soleam dolore, & caput habeo densum, nec facilè vaporibus peruium. Post potum autem nugabimur mutuò, qualia & quæ consueuimus. Non enim intempestiuum sci licet hoc, temulenter agere. Tum ego, Laudo, inquam, isthuc. Emolumentum enim quodcunque etiam sumus Atticæ proprietatis haud postremum. Rectè dicis, inquit Callicles: nam nugis mutuò prouocare nos, voluptatem quandam affert. Ego verò, inquit Eudemus, frigus enim est, meraciori vino malim intus stipari. Nam

frigoris impatiens ſum, & tepefactus libentius audiuero digitis geſticulantes iſtos, tibicinem puto & Barbitœdum. Quid hæc ais Eudeme, inquam, an tu ſilentium nobis imperas, tanquam ore carentibus, & lingua ſpoliatis? Mihi verò & lingua iampridem dicturit, adeóque iam animo prouehebar quaſi antiqua vobis narraturus quædam, & ablaturus omnes vos lingua. Sed tu ſimile quiddam feciſti mihi, ac ſi quis nauem onerariam tribus inſtructam velis, ſecundo vento nauigantem, implentibus lintea Notis, proſperè labentem, & per ſummos fluctus euntem, retinaculis quibuſdam ancipitibus, ancoris ferreis, naualibúſque pedicis demiſsis retineat, & curſus impetum inhibeat, inuidens videlicet tranquillitati. Proinde, inquit ille, tu quidem, ſi placet, nauiga, & nata, & curre per vndas intempeſtas: ego autem interea bibens, de terra, vt Homericus ille Iupiter de rupibus alicunde, aut de ſummo cæli vertice, ſpectabo & te iactari fluctibus, & nauem ipſam de puppi à vento aquis immerſari. Lvc. Satis ô Lexiphanes & potus & lectionis iſtius. Ego enim tibi ebrius iam ſum, & nauſeo: & niſi quàm primùm euomuero iſta omnia quæcunque recitando perſecutus es, ſat ſcias, videor mihi mox inſanus ac furioſus fore, obſtrepentibus mihi vndique verbis iſtis, quæ mihi modò offudiſti. Quanquam à principio ridere in mentem veniebat mihi illorum gratia. Verùm poſtquàm ea multa atque omninó ſimilia erant, miſerebar tui ob miſeriam & infelicitatem iſtam, cum viderem in labyrinthum quendam irremeabilem incidiſſe te, morbúmq; ægrotare maximum, imò verò atra bile percitum. Cogito itaque apud me ipſum, vnde tam multa mala collegeris, & quàm longo tempore, & vbi denique cõcluſum habueris tantum examen abſurdarum ac diſtortarum vocum, quarum alias quidem ipſe finxiſti, alias autem defoſſas alicunde eruens, iuxta Iambicum illud,

Pereas, miſerias qui eligis mortalium.

tantum cœnum vndequaque cogens, in me exhauſiſti. Porrò videris mihi neminem amicum, aut familiarem, aut beneuolum habere, neque etiam in virum liberum, & qui loquendi libertate vteretur, incidiſſe vnquam, qui vera monendo, liberaret te à morbo iſto intercutaneo, quo quidem correptus es, & præ malo illius, periculum ne diſrumparis, ſuſtines, tibi ipſi autem bene habito corpore eſſe videris, & calamitatem iſtam pro bona valetudine ducis, ac ab iis quidem qui nihil intelligunt, laudaris, quandò illi quid tu patiaris, ignorant: à doctis autem miſeratione dignus putaris. Sed commodùm Soſipolim hunc medicum accedere video: age huic tradendo te, & ſuper morbo diſſerendo, remedium aliquod inueniamus tibi. Intelligens enim vir eſt, ac multos iam ad ſe receptos, itidem vt te, ſemiſanos & infatuatos à morbo infuſo pharmaco liberauit. Salue Soſipoli, atque hunc Lexiphanem quæſo ad te receptum, ſodalem, vt ſcis, noſtrum, nugis autem in præſentia quibuſdam, & peregrino circa ſermonẽ morbo correptum, periculúmq; ſuſtinentem ne prorſus pereat, ſerua, quocunq; tandem modo. Lex. Nequaquam Soſipoli me, ſed hunc Lycinum, qui manifeſtè deſipit, & homines mente præditos parum ſapere exiſtimat, ac iuxta Mneſarchi filium, Samium illum, ſilentium ac linguæ ignauiam nobis intendit. Sed per Mineruam haud vnquam erubeſcentem, aut trepidam, & per magnum ferarum debellatorem Herculem, ne tanti ipſum quantum Gry vel Phuy faciamus. Moneo autẽ omnino ne obuiam quidem veniendum ipſi eſſe. Videor mihi verò etiam ringi, cum talia increpantem audio. Ac iam vtique abeo ad ſodalem Cliniam, quoniam audio vxorem eius iandiu menſibus non laboraſſe, & ex eo ægrotare illam, quia non fluit: quare non amplius ne inſcẽditur quidem, ſed inacceſſa & inarabilis eſt. Sostr. Quid autem? an ægrotat, Lycine, Lexiphanes? Lycin. Ipſa hæc, Soſipoli, an non audis qualia loquitur, ac nobis, qui nunc cum eo conuerſamur, relictis, quaſi ante mille annos nobiſcum ſermocinatur, diſtorquens linguam, ac aliena atque externa hæc componens, omnémq; operam in illis ſumens? perinde ac ſi magnum quiddam foret, ſi peregrinis verbis vtatur, & conſuetam atque receptam monetam ſermonis adulteret. Sostr. Per Iouem haud paruum quendam morbum narras Lycine. Subueniendum itaque homini eſt quauis arte. Atque adeò diuino quodam inſtinctu inſanorum ac bile percitorum alicui pharmacum hoc miſturus, domo abii, vt epoto hoc vomeret. Age primus ipſe bibe Lexiphanes, vt ſanus nobis & mundus fias, tali verborum abſurditate euacuatus. Verùm obedi mihi, ac bibe, & minus difficilis eris. Lexiph. Neſcio quidnam etiam facietis mihi, Soſipoli, tu & Lycinus hic, obtrudentes mihi pharmacum hoc epotandum. Metuo itaque ne ruina quædam mihi ſit ſermonum potio hæc. Lycin. Bibe, & ne cunctare, vt humana deinceps ſapias ac loquaris. Lexiph. Ecce obedio, & bibo. Pheû! Quid hoc rei eſt? Quantus tumultus ventris? Equidem diuinatorem quendam dæmonem videor mihi imbibiſſe. Sost. Incipe igitur vomere. Papæ! Primùm hoc μᾶμ. deinde poſt illud exiuit κᾶτα iſtud. Poſtea & ἀὸὶ ὅς, & ἀμηχέπη, & λῶϛε, & ἀὐωσθεν, & cõtinuum illud ἄτ]α. At coge tamen & inſere in fauces digitos. Nondum verò ἰκλαρ iſtud euomuiſti, neq; σκορδινᾶσθαι illud, aut τευτάζεσθαι, aut σκύλλεσθαι. multa adhuc intus abdita latent. Satius autẽ fuerit, ſi per inferiora quoq; ſecernantur nonnulla. συλλητοφόια ſiquidem iſta magnum ſtrepitum faciet, vnà cum ſpiritu erumpens. At iam quidem mundus hic eſt, niſi ſi quid remanſit reliquum in inferioribus inteſtinis. Tu verò poſthac acceptum eum Lycine dedoce, atq; inſtitue quæ decet loqui. Lycin. Ita faciemus Soſipoli, poſtquam nobis via iam ad eam rem abs te patefacta eſt. Ac tecum deinceps, Lexiphanes, conſultatio mihi eſt. Quòd ſi igitur cupis verè ob dicendi poteſtatem laudari, ac in multitudine hominum celebrari, huiuſcemodi quidem omnia fuge atque auerſare. Vbi autem exorſus fueris ab optimis poetis, & ſub præceptoribus eos legeris,

tranſi

transi inde ad oratores. Cùm iam cum illorum sermone quasi educatus vnà fueris, ad Thucydidis & Platonis scripta in tempore accede, multum adeò & in pulchra comœdia, & in graui tragœdia te ipsum exercitando. Ex his enim vbi pulcherrima quæque decerpseris, eris aliquis dicendo. Nam nunc certè, non animaduertens, similem te præbuisti iis quæ à luti figulis ad forum fingũtur, foris quidem illitus minio ac cæruleo, intus autem & luteus & fragilis existens. Hæc si feceris, & non recusaueris aliquandiu ob insciti am refelli, neque etiam dedisce erubueris, bono animo esto, versaberis in multitudine: & non quemadmodum nunc irrideberis, neque etiam in ore peiore conditione melioribus eris, Græcum atque Atticum vocitantibus te, qui ne cum barbaris quidem inter manifestissimos recenseri dignus sis. Ante omnia verò illud memineris mihi, ne imiteris Sophistarum eorum qui paulò ante nostram ætatẽ fuere, vilissima quæq; néve etiam depascas illa, perinde vt nunc, sed talia quidem proculca pedibus: imitare autem vetera exempla. Neq; verò demulceant te anemonæ verborum, sed iuxta legem athletarum, solidus tibi cultus, consuetus ac familiaris sit. Præcipuè autem Gratiis & Perspicuitati sacrifica: à quibus plus quàm nimis nũc à tergo relictus es. Et fastus autem, & iactantia, & mala ista scribendi cupiditas, præterea & tumidum istud, atq; insolentem te gerere, verbáq; plus æquo dilatare, procul absit, & acerbum illud, irridere aliorum scripta, & putare quòd tum demum primus ipse futurus sis, vbi aliorum omnium verba & orationes calumniosè reprehenderis. Iam verò neque illud paruum, imò verò maximum vitium commitis, quòd non antea sententias ac res, quàm verba, paratas habes, ac postea verbis eas exornas, sed sicubi verbũ alienum ac perigrinum reperisti, aut ipse fingens, pulchrum putasti esse, huic postea quæris sententiam accommodare: ac damnum quoddam existimas, si illud non alicubi intruseris, etiam si ad id quod dicitur, minimè eo opus sit: quemadmodum paulò antè ἐμαλώπα illum, nescieus quidem quid significaret, proiecisti, cum ille eum argumento nihil conueniret. Atqui idiotæ & indocti quidem omnes obstupuerant, præ peregrinitate perculsis atque attonitis illorum auribus: at qui docti erant, amborum causa, & tui, & eorum qui te laudabant, ridebant. Illud verò omnium maximè ridiculum est, quòd eum plus quàm Atticus videri cupias, & sermonem ad vetustissimam dicendi formam diligenter exercuisse, talia quædam, imò verò plurima intermisces verba, quæ ne puer quidem qui nuper discere cœpit, ignorare queat, qualia sunt illa, πῶς ὄιει, καὶ δὲ γὴς δῦναι νυχόμην, ἀκέων σε ἐπόδακνυμένε. Cùm χιτώνιον quidem etiam virilem vestem dici putabas, δουλάρια autem masculos pedisequos appellabas. Quæ quis non nouit? quòd videlicet χιτώνιον quidem muliebris vestitus, δουλάρια verò de fœminis tantùm dicantur? Atque alia multa longè his clariora, quale est ἴσπατο, & ἀπαντώμενος, & καθαρὸς illud, quæ ne inquilina quidem Attici sermonis sunt. Nos autem ne poetas quidem laudamus qui verbis obscurioribus & minus vsitatis poemata scribunt. Tua verò, vt pedestrem orationem cum carmine conferamus, perinde vt Dosiadæ ara, & Lycophronis Alexandra sese habent, & si quid istis sermone etiam miseriore scriptum est. Quòd si igitur hæc imitatus fueris, & dedidiceris, optimè de te ipso statueris. Sin autem nihil animaduertens, iterum in auiditatem istam prolapsus fueris: ego quidem admonitioni atque officio meo satisfeciisse videbor, tu verò te ipsum accusabis, si vtique etiam intellexeris deteriorem esse te factum.

SCHOLIA IN PRAECEDENTEM ORATIONEM.

Νεοχμὸν *calidum* vertì *propter consonantiam vocum* caloris *&* squaloris, *nam* ἀυχμὸς *eum squallorẽ significat, qui ex nimia siccitate prouenire solet: vnde & pro* Fo. 422. ver su 56

pesse *quæ ex nimio æstu contrahitur, positum reperitur.* νεοχμὸν *autem, id quod nuper factum est. Videtur autem & prauam pronuntiationẽ affectatoris istius notare.* κυψέλης *aurium sordes significat. Cypselus autem & Periander Corinthiorũ reges vetustissimi fuere, quorum & Pausanias meminit.* 423. 12

ψιλὸ haudquaquam trito, ψυλέξις, *quam vocem ipse infra in Rhetorum didascalo exponit* τὸ λειτὸν ἑρμηνεῦσαι. 17

obambulabimus, περιδιπνοήσωμεν, *quod volutabimur propriè magis significat.* 22

Vestem pelliceã, βύρσαν *Græcè.* 30. 34

ablutoriam, τὸ ἐπίλουτρον.

armariolum, ἐγγυθήκην *Græcè, & notat Hesychius* ἐγγύθεν *etiam* ὁλοσχερῶς *significare.*

mula clitellaria. *In Græco est* ἀγρεάδη *&* ἀγραυλάτης: *quorum alterũ nonnulli pro mulo seu iumẽto, alterum pro ephippio seu sella, nõ pro mulione accipiunt. Vide Suidam.*

Vredo *quædam,* κεῦμα, *cuius vocis & Athenæus in hac significatione* 43

meminit *Lib. 3. vbi & ipse de affectatoribus huiusmodi tractat.*

terræ clauis, γηωκέντηλον *Græcè. apparet autem bulbi genus esse. Bracanu* vero agrestia holera *sunt,* 46

vt *apud Suidam.*

lecithopolidem, *hoc est, quæ pisa vel etiam ova* vendit. *qui sacculos distrahit. Nam Suidas* 56

γρυμᾶια ἢ σκευοθήκη *ait, & Pollux à quibusdam peram dici affirmat.* 57

Vt ad Selga. Vtrum *corruptum hic aliquid sit nescio: certè quid velit, nõ puto facilè à quoquam* 58

intelligi posse. panem colostratum. *Sic interpretari placuit* πυριάτην, *quem tamen alij pro ipso πύον, hoc est colostra accipiunt. Idem & πυέτφον dicitur. Commenta. in Aristoph. Vespas. Athen. Lib. 14. & Pollux Lib. 2. cap. 12. Et fucas. Gaza interim fucas, interim squillas* 60

vertit *apud Aristotelẽ. Athenæus Lib. 7.* φυκίδας vocat. *& œbũ. Neq; de Oebo, neq; de Phocis reperio quicquam. pro* λωγάνιον *autem* λαγώνιον *lego, quod & apud* 61

Hesychium *legam, quanquam neq; de hoc adeò contendo.*

Sillus propemodum, *hoc est strabus, à* σιλλαίνειν. *quod* 424. 1

propriè *significat subsannandi causa oculos recutere, seu retorquere, vnde & Silli versus. Pollux.* ripas aggerem, φύτλον, *id est* πρόχυμα, *quod contra aquæ impetum opponitur. Suprà* ἄνδηρα *idem dixit. Vide Hesychiũ. Cottaborum strepitus. De Cottaborũ ludo Athen. Lib. 10. 11.* 5

& 15. *Pollux Lib. 6. cap. 19. & Suid. meminit: et Plaut.* 7

Vide ne crebri in te Cottabi crepent. Vt thridacinas. *Hoc nomine* μάζης *quoddam genus Attici vocant. ad* 9

solem vngar, ξηραλοιφοῦσθαι. *Inde* ξηραλοιφεῖον *locus Constantinopoli fuit, cuius alibi mentio fit. in aqua ista impura,* ἐν λεπρίῳ. *Vide Hesychium. à tergo Carimantũ.* 11

Carimãtes *quos dicat, nõ satis intelligo, nisi si accipiamus sordidos quæstum & mercenarios, qui caput obligatum habeant, aut onera gestent, quales ab Hesychio & καριμοῖροι dicuntur. alius iaculo contendebat, τῷ κωρύκῳ* 16. 43

ἀνʼ ἑβδόμης. Vide Hesychiũ. Nõ enim in cepy, & c. κύκλος & σκαφίον tonsuræ species erant. Scaphium quando tota coma ad cutem usq; detonsa erat. Cepium autẽ seu cepus quando ad frontis ornamentum capilli resecti erant, vt Cõment. Aristoph. in Aues tradit. calida glutiebat, ἐθερμοπότα, fortassẽ id quod Plautus dixit thermopotare. Ventrem reiectabat, τὴν νῆστιν ἔμεσιν. significat autem νῆστις ieiunium, & item intestinum ieiunum inter stomachum & ventrem. agrestes olivas, φαυλίας. Ita Suidas exponit, quanquam Hesychius genus maliꝰ grandioris esse dicat. bifida vide Scilla. Intelligo pedes, eò quòd bifidi sunt. hepar è sartagine, id est frixũ. Propriè tamẽ λοβὸν extremam partem hepatis vocant. abyrtace, Intritum quoddam barbaricũ est. Vide Suid. thrymmatides. Pollux inter placẽtas recensẽt θρυμματίδες. De Thrys autẽ Commentator Aristophanis in Equitibus copiosè. quæ strortulis siue nassis, τῶν ἐκ σαργάνης, de cuius significatione Hesychius. qui canere desiit. Capũ intelligo. piscis erat parasitus. Ipsa quidẽ vox parasiti quid significet, notum est, sed quorsum spectet piscis parasitus, puto obscurũ esse. panes aderant siliginei, σιφῶνοι scilicet pro τιφῶνοι Atticè. Est autẽ τίφοι, vt Hesych. exponit, ὄλυρα, quæ à Latinis quoq; olyra, quibusdam autẽ siligo dicitur. Vnde τιφῶνοι panes, quorũ & Athenæus meminit Lib. 3. tum subterraneæ, ὑπόγειά τε καὶ ὑπερφυῆ. nisi quis malit parua ac magna accipere. delphinide mẽsa. Obscurum quã intelligat, nisi si tripodẽ, qualis ἡ δελφικὴ fuit. Bombylius, Poculũ est angusti oris, inter bibẽdum sonũ edens. Athenæus & Pollux. dirocypellũ, Vt apud Homerũ ἀμφικύπελλον. de cuius etymologia Athenæus Lib. 11. qualia Thericles coquebat. De Thericleo poculo vide item Athenæum. tenuia fragiliaq;, ἀνεμοφόρητα, hoc est quæ vento ferri queant. pocula quædã Grãmatica, hoc est, literis inscripta, quorũ ipsorum quoq; meminit Athenæus eodem lib. 11. abacus, τὸ κυλίκειον, sic enim malim, nisi quis κυλίκιον pro ora seu labro poculi accipiat, & τὸ μεσὸν ad γράμματα referat. lebes furnarius ἰπνολέβης, quod Athen. lib. 3. à Romanis miliariũ dici ait, vas ad calefaciendam aquam comparatum. Vngebatur cancharide. Quodnam vnguentũ hoc sit, obscurũ. Podoctypa autẽ & Trigonistria, nomina psaltriarũ videntur esse. Nam Trigonis & Hesychius et Pollux meminere. plausu digitorũ ludebat λικνίζεται, à λικνᾶν videlicet, cuius verbi Athenæus meminit lib. 1. lumbos lasciuiter agitabat. Pollucẽ vide lib. 4. cap. 14. Ocataxis, Suidas propriũ hoc esse tradit, quanquã apud illum ὀκτάταξις legitur. ego tamẽ cognomẽtum magis esse puto ab ouis vel frangendis, vel deuorandis, vel simili aliquo factũ. Segmentum quoddam λῆρόν τινα. Pollux tamen λῆρον per η habet. Vestib. inusitatus ἄφρηκα & ἀφρήνα, tametsi eæ voces propriè inutiles & gestu inhabiles significent. in daduchũ, eum qui gestat lãpada, vt sacerdotes Promethei, Vulcani, & c. Ex egenis, ἐγκαψικίδαλος, quod si ab ἐγκάπτειν & κιδάλη deriuetur, ceparum helluonẽ significabit. Sed tamẽ apud Hesychium καλυπτικίδαλος per ω legitur, pro eo, vt ipse ait, ὃς μετὰ τῶν τὰ ἄλφιτα μὴ διδόντων τυγχάνει ἁλόμενος. quod neque ipsum quale sit satis planum est. ἀνολολύκους autem & ἀνολοκάβδαλος ab Hesychio exponuntur. Endromidũ. Endromides cursorum sunt, & propriè Dianæ. Baucides autẽ croceæ muliebres. Pollux. Domũ enim. Nescio corruptúsne sit locus, an mutilatus. Anxium quoddam malum μέριμνον. sed haud scio an περιμέλον potius legendũ, de quo etiã in prouerbijs Eras. illius latera. τὰ ἄκρα, latera vertì, propterea quòd & in acie latera, τὰ ἄκρα dicuntur, vt ait Pollux. muliebrosum, μύρσωνα, ἀπὸ μυρτίας, scilicet genitali muliebri. lentiscum subinde rodentem, σχινοκόλοπον, quo nomine notabantur qui elegantiæ & cultui muliebriter studebãt. delicatus & gulosus, λιχανὸς, ἀπὸ λιχνοῦ, seu λίκνου, quod patinam significat, vt Pollux. coniecturaliter tamẽ: quanquam haud scio an corruptus locus sit. Videntur enim deesse quoq; nonnulla. Theodorum, seu potius Artemidorum, vt à dea seu Diana restitutum, & vita donatum. Curiosissimis, pro antiquissimis accipio. oliuas alias natatiles. Fortassẽ eas quæ & hodie ex vino vel aqua assatis carnibus pro salsamento adhibentur. testacea ac destillantia, ἐμπωλάκωλα, à πίλαξ videlicet. Crobylis intextam. Fuerũt autẽ Crobyli certæ quædam texturæ capillorũ in acutum desinentes, antiquorum Athenienſiũ gestamen, vt Cõment. Thucydidis in lib. 1. mangonem seu castigatorem, παιδοβοσμὸν, quo nomine & mangonem & puerorum moderatorem intelligi posse puto. Voluptatem quandam affert. fortassis à λαλᾶν & γάννυσθαι. digitis gesticulantes, χειροσόφους, quos ipse infra in Rheto. didas. exponit ὀρχήστας, id est saltatores. etiam ringi, ῥινασχῆσαι. mensibus non laborasse, ἀκάθαρτον εἶναι, cuius verbi etiam Athenæus meminit lib. 3. diuinatorem quendam dæmonem, ἐγγαστρίμυθόν τινα, quos & Euryclen Graci vocãt. Suidas. μῶν, id est nũ. κατα, atq; exinde. ἀλλ' ὅς, Inquit. ἀμηχέτως, aliquo modo. λῶστε, optimè. δικαιοσύνην, videlicet. ἄττα, quædam. ἴκταρ, propè. σκορδινᾶσθαι, protendere membra cum oscitatione. τευτάζεσθαι, curiosè agere. σπλεῖσθαι, vnguibus rapere, & infestum esse, vnde & Scyllæ nomẽ videtur factũ. σπλαγχνολία, id est petulantia & lasciuia. Quod si igitur. Paræneſis de recta dicendi ratione. ἁμαλώτατα, Hesychius meminit ἁμαλακικὰ cuiusdã, aitq; paræmiam esse qua τὸ μηδὲν significetur. πῶς ὄιει, id est quomodo putas. κατὰ γῆς δύναι ἀνυχόμην & c. Id est sub terrã ire optabam quando audiebam te recitantẽ. χιτώνιον, id est tunicula. δελάσεια, seruulas. ἴσθι, Volauit. ἀπαντῶμεν, Obuiam veniens. καθεζόμενος, Sedens. qui verbis obscurioribus & minus vsitatis, καὶ γλώττῃ, vt etiam Quintilianus lib. 1. cap. 14.

EVNVCHVS, SEV PAMPHILVS,

Erasmo Roterodamo interprete.

ARGVMENTVM.

Historica quædam narratio est, qua Dioclis & Bagoæ Peripateticorum philosophorum inter se cõtentionem exponit. Eunuchus autem inscribitur, quòd potissima cõtentionis pars in eo versetur, vtrum Eunuchus debeat aut possit philosophum agere: cum alter ab indignitate rei, & ab accidẽtibus philosophicæ professionis hoc negaret, alter autem exemplis, & fine seu officio philosophi, item à consequentibus sese tueretur. Vbi interim tacitè illud quoq; indicat Lucianus, quòd ea tum ætate philosophi ex vitijs & sceleribus magis quàm ex doctrina & vitæ integritate censebantur. Exordium ab admiratione trahitur, qua attentos facit, amplificando conditionem & professionem personarum, & rei qualitatem.

PAMPHILVS.

NONDE nobis aduenis Luciane, seu quidnam rides? Semper tu quidem & aliàs cõsueuisti nobis hilaris ac festiuus occurrere: verũ isthuc maius aliquid solito videtur esse, de quo risum nec cõpescere queas. LVC. E foro tibi adsum ô Pamphile: porrò mox efficiam vt tu quoq; mecũ rideas, simul atque audieris cuiusmodi litis adfuerim actioni, duobus philosophis inter sese contendentibus.

PAMPH.

PAMP. Iam iſthuc ipſum profectò ridiculũ eſt, quòd ais, philoſophos inuicem lites agitare. Nã etiam ſi quid magni fuiſſet negotii, inter ipſos modeſtè, citráque pugnam controuerſiam compoſitam oportuit. LVCIA. Quid ais? tranquillè componant illi, qui quidem ſolida plauſtra conuiciis onuſta alter in alterum effuderint, vociferantes, miráque peruicacia contendentes? PAM. Videlicet de diſciplinis atq; opinionibus Luciane, ita, vt aſſolent, diſſentiebãt, quòd erant diuerſæ factionis? LVCIA. Nequaquam, imò aliud quiddam erat hoc de quo diſsidebant: nam eiuſdem ſectæ erant ambo, eiuſdémque ſcholæ, & tamen orta inter eos lis erat. Porrò iudices qui cognoſcebant, primates erant huius Reipu. natúque maximi, ac ſapientiſsimi, breuiter, apud quos pudeſcat aliquis etiam parũ aptè quippiam eloquutus, nedum ad tantam prouectus inuerecundiam. PAM. Quin tu igitur litis argumẽtum exponis, quo videlicet ipſe etiam cognoſcã, quæ res tibi tantum riſum concitarit? LVCIA. Scis Pamphile, ſalarium, ídque neutiquam exiguum ab Imperatore fuiſſe conſtitutum ſingulis philoſophorum generibus, puta Stoicis, Platonicis, Epicureis, cúmq; his etiam Peripateticis: ita, vt vnicuique ſectæ præmiũ eſſet æquale. Cæterùm demortuo ex his quopiam, alius aliquis in eius locum ſubrogandus eſt, qui ſit optimatum calculis probatus. Porrò præmium illud, neque bubula pellis erat quæpiam, quemadmodum ait poeta, nec porcellus: verùm ſingulos in annos decies mille nummûm, quos accipiunt, vti doceant iuuentutem. PAMPH. Memini quidem iſta. Quin aiunt nuper ex illis diem obiiſſe quempiam, alterum (ni fallor) è Peripateticis. LVCIA. Hæc ipſa Pamphile Helena, propter quam illi inter ſeſe ſingulari certamine conflictabant. Et hactenus quidem nihil etiã ridendũ erat in illis præter hoc, quòd quum philoſophos eſſe ſe profiterentur, ac pecunias pro nihilo ducere: tamen earum gratia perinde atque pro patria in diſcrimen adducta, pro religione maiorum, pro monumentis progenitorum, decertarent. PAMP. Atqui peripateticorum iſtud eſt decretum, non admodum eſſe negligendas pecunias, verùm eas in tertio quodam bonorum ordine eſſe ponendas. LVCI. Rectè dicis. Nã iſta quidem aiunt. Proinde bellum hoc ex maiorum iudicio ſententiáque illis extitit: verùm quæ poſtea conſequuta ſint, iam auſculta. Primùm complures quidem alii in defuncti illius funebribus ludis decertabant: ſed inter hos præcipuè duo viribus pares: puta Diocles ille ſenex: noſti quem dicam, contentioſum illum, inquam: præterea Bagoas, qui quidem ea ſpecie eſt, vt Eunuchus eſſe videatur. Inter hos initiò de doctrina, déque philoſophię decretis atq; opinionibus eſt decertatum. vterq; ſui ſpecimẽ ac documẽtũ dedit, quòd eſſet Ariſtotelicæ factionis, quódq; eius placita ſequeretur, oſtendit. At per Iouem in hoc certamine neuter altero ſuperior erat. Lis igitur huc deflexit denique. Diocles deſinens iam eruditionis ſuæ periculum ac ſpecimen oſtẽdere, ad Bagoam deſcendit, ac vitã illius in primis carpere eſt aggreſſus: Bagoas itidẽ huius vitam viciſsim taxabat. PAMPH. Idque meritò Luciane. Siquidem eius rei magis erat habẽda ratio. Proinde ſi ego fortè iudex cauſæ ſediſſem, magis in hoc, vt mihi videtur, futurus eram occupatus, potiúſq; ſpectaſſem vter moribus eſſet præſtãtior, quàm vter ad diſputandum, ac dicendum promptior: atque illi potius quàm huic victoriam adiudicaſſem. LVCI. Rectè dicis. Equidem iſti tuæ ſententiæ meum & ipſe calculum addo. Verùm vbi iam cõuiciis, vbi maledictis eſſent ſatiati, tandem Diocles illud aiebat, nefas eſſe, vel conari, aut proponere Bagoam, vti cum philoſophiæ ſtudio, cúmque pulcherrimis illius præmiis commercium haberet, qui quidem Eunuchus eſſet: imò hoc homini num genus non ſolùm ab eiuſmodi cõtubernio ſecludi oportere, verùm ab ipſis etiam ſacris, ac vaſis puris, breuiter ab omnibus publicis cœtibus eiici: oſtendẽs inauſpicatum quoddam, & ocurſu infauſtum ſpectaculum fore, ſi quis mane domo egreſſus, vel videat iſtiuſmodi quippiam. Atque hac de re multis verbis diſſerebat, affirmans Eunuchum neque virum eſſe, neq; mulierem, ſed quiddam vtrinq; compoſitum & conflatum, planéque monſtrum ab hominum natura, ſpeciéque alienum. PAMPH. Nouam accuſandi rationem nobis narras Luciane. Iámque & ipſe ridere compellor, crimẽ audiens tam inauditũ. Sed alter ille quid? Num obticebat? an viciſsim & ipſe quiddam auſus eſt ad iſta reſpondere? LVCIA. Initiò quidem pudore, ac metu (nam id eſt iſtis familiare) diutius obticebat, erubeſcens interim, palámque præ ſe ferens id quod erat. Tandem autem tenuem quãdam, ac muliebrem edẽs vocem, negabat æquum facere Dioclem, qui ſe quòd Eunuchus eſſet, ob id à Philoſophia ſecluderet, cum qua fœminis etiam eſſet cõmercium. Allegabantur Aſpaſia, Diotima, Thargelia, quæ cauſam illius adiuuabant. Præterea Academicus quidã Eunuchus, natione Gallus, qui paulò ante noſtram ætatem maximi nominis apud Græcos floruiſſet. Porrò Diocles etiam illum ipſum, ſi quidem extaret, ac ſimili negotio ſeſe miſceret, prohibiturum ſeſe reſpõdit, nihil expauefactum opinione quam apud vulgus obtinebat. Ad hæc cùm ipſe quędam dicteria in illum iaciebat, tum referebat in eum, quæ à Stoicis, maximéque Cynicis dicta ad riſum concitandum erant idonea, de corpore mutilo atque imperfecto. Hac in re iudicum cognitio verſabatur. Deniq; totius cauſæ iã illud caput eſſe cœpit, num Eunuchus idoneus eſſet cẽſendus, qui ad philoſophiam admitteretur, quíq; iuuenibus præfici poſtularet, quũ alter interim formam etiam ac corporis integritatem in philoſopho requirendam eſſe diceret. Maximè verò vti barbam altã ac promiſſam gerat, quò videlicet iis, qui diſcẽdi cupidi aduenirẽt, vir grauis appareat, & is cui fides haberi debeat, neq; indignus videatur decẽ illis drachmarũ millibus, quę forent ab Imperatore capienda. Cæterùm Eunuchorũ cõditionẽ etiã quàm Spadonum eſſe villorem. Nam illos aliquãdo virile

Vtrum Eunuchus debeat, aut poſsit philoſophum agere.

quiddam expertos fuiſſe, at hunc ab ipſo ſtatim ortu fuiſſe exectũ, planéq; animal eſſe quoddam varium atq; anceps, non aliter, quàm cornices, quæ neq; inter columbas, neque inter coruos numerari queant. Alter cõtrà reſponderet, eo iudicio non de corporis agi figura, verùm de animi virtute, proinde mentis qualitatem expẽdi oportere, déq; dogmatum cognitione quærendũ eſſe. Eius rei teſtis citatus Ariſtoteles, qui quidẽ Hermeam Eunuchum Atarne oriundũ tyrannũ ſupra modum ſit admiratus, adeò vt illi perinde atque Diis ſacra fecerit. Auſus eſt & illud addere Bagoas, multò magis idoneum eſſe Eunuchum, cui adoleſcentes erudiendi credantur, quòd ab hoc nulla in illos calumnia poſsit hærere, neque Socraticum illud crimen in hunc cõpetat, quòd adoleſcentulos corrumpat. Deinde quæ ille potiſsimùm in mentum imberbe fuerat cauillatus, ea hic facetè, vt ipſi quidẽ videbatur, reiecit. Etenim ſi è barbæ prolixitate, inquit, philoſophos æſtimare conuenit, nimirum hircus ante omneis primas tenebit. Hic tertius quidam aſsiſtens (no mẽ hominis ſilebitur) Atqui iudices, inquit, hic malis lęuibus, ac fœminea voce, reliquóque corporis habitu Eunucho adſimilis, ſi quis veſtes detrahat, egregiè vir eſſe videbitur. Alioqui mentiuntur, qui ferunt eum aliquando in adulterio depræhenſum, membra in membris, vt legum tabulæ loquuntur, habentem: atq; id quidem temporis ad Eunuchum confugiſſe, eáque reperta latebra abſolutum fuiſſe, quum iudicibus crimen perſuaderi non poſſet, vt qui è ſpecie hominem iudicarent Eunuchum. At nũc mihi palinodiam canturus videtur, ſdque propter oſtentatum prę mium. Hæc quum dicerentur, omnibus, vt parerat, riſus eſt obortus. Porrò Bagoas magis etiã perturbabatur, omnem in ſpeciem ſeſe varians, atq; in innumerabiles verſus colores, tum frigido ſudore fluens: ac neq; decorum ſibi exiſtimabat adulterii crimẽ agnoſcere, neq; rurſum eam accuſationem inutilem ad præſens certamen arbitrabatur. PAM. Profectò deridicula ſunt iſta Luciane, neque vulgarem vobis, vti cõiectãdum eſt, voluptatem præbuerunt. Verùm quò tãdem res euaſit, & quid ſuper his pronuntiarunt iudices? LVCIA. Non erat eadem omnium ſententia: verùm aliis quidem viſum eſt, vti nudato illo, quemadmodum in emptitiis ſeruis fieri conſueuit, inſpicerent, num in iis, quæ ad penẽ pertinent, philoſophari poſſet. Alii verò ſentẽtiam dixere multò magis etiam hac ridiculam, nempe vt accerſitis è luſtro mulieribus aliquot, iuberent illum cum illis congredi, ac viri officio fungi, aſtante interim è iudicibus quopiam, qui quidem eſſet natu maximus, fidéque ſpectatiſsima, qui inſpiceret num philoſophum præſtaret. Hęc vbi omniũ riſu fuiſſent excepta, neq; quiſquam omnino adeſſet, cui non doleret aluus riſu conculſa, viſum eſt, vt integra cauſa in Italiam reiiceretur. Et nunc alter, vt aiunt, ad eloquentiæ oſtentationẽ ſemet exerceat, atq; inſtruit, & accuſationem quàm elaboratiſsimam meditatur, adulterii crimẽ aggrediens, id, quod ipſi maximè aduerſatur. Quod quidem & hic facit iuxta malorum rhetorum morẽ, quum ex ipſo crimine aduerſarium inter viros recenſet. Contrà Bagoas diuerſa cura, quemadmodum audio, & aſsiduè virum agit, negotiúmque præ manibus habet. Poſtremò victurum ſeſe ſperat, ſi modò docere poſſit, ſe nihilo deteriorem eſſe equas ineũtibus aſinis. Id enim amice viſum eſt optimum philoſophiæ documentum, atq; vna demonſtratio, quæ refelli non queat. Proinde optarim, vt filius, quẽ mihi eſt adhuc admodũ adoleſcens, nõ animum & linguam, ſed penem haberet ad philoſophiam idoneum.

Amarum in philoſophos.

DE ASTROLOGIA,

D. Eraſmo Roteroda. interprete.

ARGVMENTVM.

Aſtrologiæ defenſio quadã eſt, à dignitate videlicet, quã ab antiquitate & præſtantia eorũ, qui illã ab initio coluere, trahit, & à certitudine, quam ex ſimilibus, & ſignis ratiocinatione quadam colligit. Recenſet autem principio varias gentes & populos, à quibus illa inuenta, tractata, ac locupletata fuerit. Deinde & homines, & quid quiſque in illa ſingulatim vel obſeruarit, vel tractarit: quo loco & fabulas pleraſque Græcorũ poetarum de Orpheo, Tireſia, Atreo, Thyeſte, Bellerophonte, Phryxo, Dedalo, Endymione, Phaethonte, ac cæteris quibuſdam explicat. Poſtremò & vtilitatem artis tradit, quò futuris rebus per hanc obſeruatis, & mala facilius tolerare, vtpote præuidentes illa, poſſimus: & bonorũ ſpe nos ipſos confirmare. Exordio dociles facit, ſtatim propoſito, de quo, & qualiter dicturus ſit. & obiurgat eos, qui artem ob imperitiam vtentium, ac profitentium reprehendunt.

DE cælo, déque aſtris eſt nobis inſtitutus ſermo: non de ipſis quidem aſtris, neque ipſo de cælo, verùm de diuinatione ac veritate, quæ ab illis in hominum vitam proficiſcitur. Neque rurſum mihi libellus hic ſe traditurum, aut doctum profitetur, quo pacto diuinationem hãc aſſequi liceat: ſed illud queror, doctos omneis cum in cæteris omnibus exerceant ſeſe, ſuiſque omnibus tradant, ſolam Aſtrologiam nec habere in pretio, nec exercere. Atqui hoc doctrinæ genus vetuſtum eſt, neque nuper ad nos peruẽnit, ſed inuẽtum eſt priſcorum regum, quos Dii amabãt. At huius ætatis mortales non ſolùm inſcitia, ſocordiáque, verùm etiam odio laboris diuerſa ab illis ſentiunt. Cúmq; fortè inciderint in eos, qui falſa prædicunt, tum & aſtra culpant, & ipſam Aſtrologiã habẽt exoſam, neq; ſalutarẽ eã, neq; veridicã arbitrantes, ſed autẽ magis falſam atq; inanẽ, haud rectè, ſicuti mihi quidẽ videtur, ſentiẽtes. Neq; enim ob imperitiã fabri, ars ipſa culpatur, neq; ob cantoris inſcitiã, ipſa muſica parũ eſt erudita: quin illi potius artium ſunt ignari: cæterũ ars vnaquæq; ſuapte natura ſcita eſt. Primùm

Aethiopes. mùm igitur Aethiopes hanc rationem mortalibus tradiderunt. In causa fuit partim gentis eius sapientia (nã cæteris quoq; in rebus Aethiopes reliquos homines antecellunt sapientia) partim regionis, quam incolũt, opportunitas, propterea quòd apud eos perpetua sit cæli serenitas, tranquillitásq;, neq; patiuntur anni mutationes, sed eadem temperie viuunt. Itaq; cũ primùm vident Lunam non semper eodem vultu apparentem, sed varia subinde specie, & in aliam atque aliam verti formã, visa est illis ea res admiratione, atq; disquisitione digna. Deinde cùm inquisissent, reperunt hanc esse earum rerũ causam, quòd Lunæ non esset lumen proprium, sed à Sole mutuatum. Inuenerunt autem & reliquarum stellarum motus, harũ quas nos errones appellamus: (nam stellarũ hæ solæ mouentur) naturámque earum, ac potestatem, & effectus quos vnaquæque præstet, nominibus quoque inditis, nõ illis quidem vtcunq; visum est, confictis, sed quà notæ rerum essent. Hæc igitur in cælo perspexerunt Aethiopes, mox Aegyptiis finitimis artẽ imperfectam tradiderunt.

Aegyptii. Porrò Aegyptii diuinandi rationem, quam ab illis dimidiatam acceperãt, in maius prouexerunt: quippe qui mensuram etiam ad quam vnaquæq; stella moueretur, indicarint. Ad hæc annorum, mensium, horarúmque numerum instituerunt. Ac menses quidem illi Luna metiuntur, atque eius recursu finiunt: annum verò Sole, & huius circuitu metiuntur. Quin his etiam maiora ostenderunt. Nam ex vniuerso cælo, reliquísque stellis, & errantibus, & fixis, neq; simul cum cæteris sese mouentibus, duodecim partes effecerunt in his, quę mouentur, & vnamquanque suis animantibus repræsentarunt, partim marinis, partim homine, partim feris, partim volatilibus, partim pecudibus. Vnde & sacra Aegyptiorum variè fiunt. Neq; enim omnes Aegyptii, ex omnibus duodecim partibus diuinabant, sed alii aliis vtebantur partibus. Itaque Arietem colunt, qui ad Arietem spectabant: piscibus non vescuntur, qui pisces annotarãt. Nec hireum mactant, qui Capricornum viderant: atque alii item alia venerabantur, quæ quisque inuenerat. Quin Taurum etiam in honorem cælestis Tauri colunt. Nam Apis apud illos res in primis sacra, regionem sortitus est: & qui eam incolunt partem, oraculum quoque dicarunt, signum videlicet diuinationis, quam à cælesti Tauro petunt.

Libyes. Ac non multò pòst Libyes quoque artem hanc sunt aggressi. Siquidem & oraculum quod est apud illos Ammonis, ad cælum, & huius sententiam refertur, iuxta Ammonẽ, quem illi arietis specie fingunt. Calluerunt autem hæc omnia

Babylonii. & Babylonii: atque hi quidem affirmant se primos omniũ fuisse. Verùm, vt ego existimo, multò posterius ad hos scientia peruenit. At verò

Græci. Græci, nec ab Aethiopibus, nec Aegyptiis de Astrologia quicquam audierunt: verùm illis Orpheus Oeagro Calliopéque prognatus, primus ista monstrauit. Non ille quidem admodum dilucidè, neque rem clarè docuit, sed præstigiis ac mysticis inuolucris obtexit. Sic enim illi visum est. Nam concinnata lyra Orgia instituit, sacráque cantiones decãtabat. Porrò lyra cum septem haberet chordas, concentum mobilium stellarum repræsentabat. Hæc conquirens atque hæc agitans Orpheus, omnia delenibat, omniáque vincebat. Neque enim illam hominis lyram spectabant, neque illi alterius musices studium erat, verùm hæc magna illa Orphei lyra. Orphei lyra, quæ sit intelligẽda

Hisce rebus cum Græci honorem habere vellent, locum illi in ipso cælo designarunt, & complusculæ stellæ vocantur Orphei lyra. Quòd si quando Orpheum videris vel saxo expressum, vel coloribus effictum, sedet in medio, canenti similis, manibus tenens lyram. Circum hunc animantium innumera multitudo, inter quæ & homo, & Taurus, & Leo. Cúmque horum singula víderis, fac horum mihi memineris cuius modi sit illius cantus, cuiusmodi lyra, cuiusmodi Taurus, & cuiusmodi Leo Orpheum audiãt. Quòd si eorum, quæ dico, causas intelligas, tum & in cælo horum vnumquodque contemplator.

Tiresias. Fertur autem & Tiresia genere Bœotius, diuinandi gloria multum celebris fuisse. Hunc Tiresiam ex Græcis aiunt dixisse, stellarum erraticarum alias esse fœminas, alias mares, non tamen eadem efficere. Vnde eúndem ancipiti quoque sexu fuisse fabulantur, aliquando fœminam, aliquando marem.

Atreus, & Thyestes. Porrò Atreo & Thyeste de regno paterno decertantibus, iam tum maximã Astrologiæ, cælestíssque doctrinæ curam fuisse Græcis, palam est. Ac publico consensu statuerunt Argiui, vt vter scientia præcelleret, is imperio potiretur. Ibi Thyestes Arietem illis in cælo demonstrauit, atque hinc aureum arietem Thyestæ fuisse, proditum est fabulis. At Atreus de Sole, déque vario illius exortu locutus est, ostendens non eodem modo ferri Solem & mũdum, sed contrario inter se cursu rapi: & qui nũc videtur occasus, cum sit occasus mundi, Solis ex ortum esse. Hæc locutum Argiui regem crearunt, magnámque doctrinæ laudem est assequutus.

Bellerophon. Equidem & de Bellerophõte similia sentio. Nam alatum equum illi fuisse, non admodum credo: verùm arbitror illum hanc disciplinam sectantem, sublimiáque cogitantem, & inter astra versantem, in cælum non equo ascendisse, sed animo.

Phryxus. Eadem de Phryxo Athamantis filio dixerim, quem aureo ariete per aerem vectum fabulantur.

Dædalus. Quin & ipsum sanè Dædalum Athenienſem, etiã si res est noua auditu, tamẽ haud existimo eũ ab Astrologia fuisse alienum, sed cũ ipse ea maximè est vsus, tum filium suũ eandem perdocuit. Ast Icarus cum iuuentutis calore & insciitia, non ea disquireret quæ cõueniebant, sed ad ipsum vsq; polũ animo tolleretur, delapsus est à vero, totáq; aberrauit arte, & in mare præceps decidit, rerũ immẽsæ profunditatis: de quo Græci secus fabulãtur, qui ex huius nomine sinum eius maris Icariũ frustra vocant.

Pasiphae. Fieri potest, vt Pasiphae quoq; cũ ex Dędalo de Tauro audisset inter stellas apparẽte, déq; ipsa Astrologia, in artis amorẽ inciderit: ob id existimãt factum, vt Dædalus illã tauro copularit.

Quæ quis in singulis partibus elaborarint. Sunt autẽ, qui scientiam in portiones partiti, in singulis partibus singuli sigillatim elaborarint, alii in iis, quæ ad Lunam, alii, quæ ad

ad Iouem,alii quæ ad Solem pertinent,cõgeren tes,neq; non curſum ac motum & vim illorum.

Endymion Phaethon. Atq; Endymion Lunæ rationẽ tradidit, Phaethon Solis curſum deprehendit,nõ ille quidem verè,ſed moriens imperfectã artẽ reliquit. Hæc qui ignorãt,Phaethontẽ Solis filiũ credũt,fabulámq; de illo haudquaquã veram narrãt, adiiſſe Solẽ patrem,ac poſtulaſſe ab eo,vt ſibi liceret lucis currũ moderari:illum id cõceſsiſſe, monuiſſeq; qua ratione foret aurigandũ, Phaethontem verò conſcenſo curru partim ob ætatem,partim ob imperitiam ita egiſſe, vt aliquando eſſet vicinus terræ,aliquando longo ſemotus ſpatio à terra:interim mortales frigus atq; æſtus intolerabilis conficiebat. Ob hæc indignatum Iouem ingenti fulminis telo percuſsiſſe Phaethontẽ.eum deiectum ſorores circunſtantes magno luctu proſequebantur,donec immutarẽt formas,quæ nũc ſunt Populi,ac lacrymarum vice,quibus fratrem deplorabant,electrum deſtillant. Haudquaquam hæc ita geſta ſunt,neque pium eſt his habere fidem, neque Soli fuit filius, neque illi filius interiit.Sed narrant Græci, & alia permulta fabuloſa, quibus ego non admodum credo.Nam quî conſentaneum eſt,credere Aeneam Veneris fuiſſe filium,aut Minoa Iouis,aut Aſcalaphum Martis, aut Autolycum Mercurii? Verùm hi homines pii,diiſq; grati fuerunt,eóſq; naſcentes, hũc Venus,illum Iupiter,aliũ reſpiciebat Mars. Etenim qui patresfamiliâs ſunt mortalibus in hoc progignendi genere,ii veluti parentes ſibi ſimilia producunt omnia,& colorem,& formam, & facta,& animum. At rex quidem Minos Iouis auſpiciis, Aeneas formoſus Veneris fauore natus eſt,fur Autolycus,aut ea furacitas illi ex Mercurio contigit.Iam verò nec Saturnũ Iupiter coniecit in vincula, nec in tartara præcipitẽ dedit, neq; cætera machinatus eſt,quæ putãt homines: verùm Saturnus extremus mouetur,procúlque à nobis ſemotus eſt.Segnis illi motus,neque facilis animaduerſu mortalibus: atq; hãc ob cauſam illum ſtare dicunt,ceu vinculis alligatum.Cæterùm ingẽs aeris altitudo tartarus appellatur.Sed potiſsimùm ex Homeri poetæ Heſiodíq; carminibus liceat intelligere priſcorum fabulas cum Aſtrologia conſentire. Siquidem vbi Iouis catenam narrat,ac Solis iacula,(quæ quidem ego radiorũ ictus eſſe coniicio) tum vrbes,quas in elypeo finxerat Vulcanus,præterea choreã,&vineã ad hæc quæcunq; de Veneris ac Martis adulterio dixit,déq; detectione haud aliunde,quàm ex hac ſcientia ſunt conficta:quandoquidem Veneris & Martis concurſus,Homericæ cãtilenæ præbet argumẽtum,in aliis autem verſibus vtriuſq; diuerſum effectum deſcripſit: Veneris,cũ ait illi:

Aeneas. Minos. Aſcalaphus. Autolycus

Saturnus, & cur ligatus dicatur

Quis ſit tartarus.

Cõcubitus Veneris, & Martis.

Tute Venus iucunda magis connubia cura.

Porrò de belli negotiis,

Cuncta citò hæc curæ fuerint Marti, atq; Mineruæ.

Hæc cum intelligerent veteres illi,maximè diuinationibus vtebantur,nec eam otioſam eſſe putabant,adeò vt nec vrbes conderent, neque mœnia circũducerent, neque quenquam occiderẽt, neque ducerent vxores,priuſquàm de ſingulis à vate reſponſum accepiſſent. Denique nec ipſa deorum oracula ab arte aſtrologica erant aliena: verùm apud Delphos virgo prædicendi munus adminiſtrat,quæ cæleſtem illam virginem repræſentat:ac Draco ſub tripode vocẽ edit, quoniã & inter ſtellas Draco cõſpicitur: in Didymis verò templum eſt Apollinis, & hoc, ſicuti mihi videtur,ex his Didymis, id eſt geminis, qui in cælo ſunt, appellatum. Vſqueadeò verò diuinatio viſa eſt illis res ſacra,vt Vlyſſes etiã cum errando feſſus vellet certò de rebus ſuis cognoſcere, ad inferos penetrarit, non quòd videret vmbras, & locum inamœnum,ſed quòd cuperet cum Tireſia colloqui. Qui ſimul atque in locum perue nerat,quem Circe monſtrarat,foueam fodit, oues mactauit,cúmque complures eſſent vmbræ, atque inter has matris quoque,ſanguinem bibere cupientes: non priùs permiſit vlli, ne matri quidem,quam Tireſia guſtaſſet, coactúſque eſſet ſibi vaticinium edere: potuítque interim matris vmbram videre ſitientem. Ad hæc Lycurgus Lacedæmoniis omnem Reipublicæ adminiſtrationem è cælo temperabat,ac legem illis dedit,ne quando in bellum prodirent ante plenilunium.Non enim exiſtimabat eandem eſſe ciuitatis adminiſtrationem creſcente Luna, & euaneſcente,propterea quòd omnia ab illa regerẽtur. Porrò Arcades ſoli hæc non receperunt, nec in pretio habuerunt Aſtrologiam,ſed iidem ob imperitiam,& ſtultitiam aiunt ſe Luna antiquiores eſſe. Proinde cùm noſtri maiores vſqueadeo fuerint Aſtrologiæ ſtudioſi, huius ætatis homines partim aiunt,fieri non poſſe, vt homines finem inueniant diuinandi ſcientiæ, propterea quòd neq; certa ſit,neq; vera,neque Martẽ,aut Iouem noſtra cauſa moueri in cælo, verùm illis humanarum rerum nullam eſſe curam,neq; quicquam eſſe eis cum his negotiis commercii, verùm ſecundum hos neceſsitate circumaguntur: partim dicunt Aſtrologiam non eſſe quidem mendacem,at inutilem.Non enim mutari vaticinio quæcunq; fatis decreta inſtant. At ego ſanè vtiſque reſpondere poſſum, ſtellas in cælo ſuo quidem motu volui,cæterùm obiter eius motus effectũ ad nos peruenire.An vis equo currente, & gallinis,aut hominibus tumultuantibus lapides ſubſilire,ſtipuláſque moueri ventis curſu concitatis,ſyderum verò vertigine nihil præterea effici?tum ab igni exiguo calor ad nos permanat, neq; noſtra tamẽ cauſa quicquã erit ignis, neq; illi curæ eſt æſtus noſter,ab aſtris autem nihil ad nos defluit?At ſanè fieri non poteſt,vt per Aſtrologiam ex malis bona faciamus, neque mutare quicquam earum rerum, quæ ab illis ad nos demanant: ſed hanc vtilitatem ars adfert vtentibus: Bona multò antè delectant eos, qui ventura præſcierint: mala verò facilè cum non imprudentibus venerint,accipiuntur. Neque enim in illos irruunt,ſed quia meditata, expectatáque ſunt,leuia, mitiáque videntur. Hæc mea eſt de Aſtrologia ſententia.

Etiam oracula ad Aſtrologiæ rationẽ relata fuiſſe.

Lycurgi leges.

Deiectio ac poteſtate Aſtrorum.

Aſtrologiæ vtilitas

DEMON

DEMONACTIS VITA,

Vincentio Obſopœo interprete.

ARGVMENTVM.

Oratio demonſtratiui generis eſt, quæ hiſtoricæ, ac didaſcalicæ tamen dictioni propior, quàm encomiaſticæ. Deſcribit autem genus, vitam, ſtudia, eruditionem, & profeſſionem Demonactis philoſophi, quæq; idem & priuatim & publicè fecerit, & ab alijs paſſus fuerit. Præterea & apomnemoneumata, ſeu dicta illius memorabilia, aut aliàs argutè, ac ſalſè reſponſa, in quibus recenſendis potiſſimam orationis partem conſumit. Poſtremò etiam, quæ circa mortem & ſepulturam illius acta, quibuſque officijs, & honoribus illum Athenienſes, & reliqui Graci proſecuti ſint. Exordio attentos potiſſimùm facit, laudando ſuam ætatem, quòd ea quoque viros memoria, ac laude dignos, & veteribus illis Herculi, & Socrati ſimillimos procrearit, cuiuſmodi ſint Demonax hic, & Bœotius ille Soſtratus, de quo alibi ipſe fecerit mentionem.

EQuidem cõſentaneum erat, & noſtram ætatem non in totum expertem fore virorum laude & memoria dignorum, ſed iis quoque qui & eximiis corporis virtutibus, & mente ſapientiæ ſtudio excultiſsima præcelluerunt, florere. Dico autem cum in Bœoticum Soſtratum iſta referens, quem Græci Herculem vocare ſoliti ſunt, & eſſe exiſtimabãt: tum maximè in Demonactem philoſophũ, quos ego & ipſe vidi, & viſos magna admiratione ſuſpexi. Cum altero quoque, nempe Demonacte, aliquandiu coniunctam conuerſationem habui. Sedenim vitam Soſtrati in alio quopiam libello diligenter perſcriptam executus ſum, declarata eius & animi magnitudine, & excellenti fortitudine. Inſuper quæ eius fuerit in monte Parnaſſo ſub ipſo dio viuendi ratio, quod ſtratum laborioſum, quæ alimenta in montibus conquiſita, quæ opera à nominis celebritate non abhorrẽtia. Ad hæc quanta in tollendis è medio latronibus pericula exhauſerit, tum quanta per inuia faciendis itineribus, aut per traiectu difficilia præbendo tranſitu, pertulerit. Iam verò æquum mihi videtur de Demonacte nonnihil in lucem edere, duarum rerum gratia, vt & illius memores ſint viri noſtræ ætatis præſtantiſsimi, & iuuenes quiq; generoſiſsimi animum ad philoſophiam applicantes, non neceſſe habeant ad vetera tantùm exempla ſemetipſos componere, ſed ex noſtra quoque vita habeant quem ſibi pro viuẽdi regula imitandum proponant, facti illius æmuli, quem ego omniũ optimũ ex philoſophis eſſe cognoui. Erat itaque Demonax genere Cyprius, non ex obſcuris ortus parentibus, quantum ad dignitatem, & poſſeſſionẽ ciuilẽ attinebat: cæterũ his omnibus ille lõgè erat excelſior atq; ſuperior: & cũ rebus pulcherrimis, atq; præſtantiſsimis ſe ipſe dignũ iudicaſſet, ad philoſophiæ ſtudiũ ſemet cõtulit, nõ per Ioué ab Agathobulo tãtùm, & Demetrio, qui ante illũ fuerant, neq; ab Epicteto excitatus, ſed cũ illis cõuerſabatur, præcipuè verò cum Timocrate Heracleote, viro cũ primis ſapiẽte, neque nõ eloquentia, & induſtria plurimũ ornato. At Demonax nequaquã ab aliquo illorũ, vt dixi, perſuaſus, ſed peculiari quo rapiebatur ad res præclaras impetu, & inſito quodã ad philoſophiam amore, ſtatim à puero permotus, omnia humana bona in vniuerſum cõtempſit. Ac ſe cum totũ libertati tradidiſſet, dicẽdíq; fiduciæ, in ea cõſtanter perſtitit, cùm & ipſe rectã ac ſanam, & inculpatam vitã viueret, ac videntibus, & audiẽtibus ſuam ipſius mentẽ exemplum exhiberet, veritatémq;, quã in philoſophando perpetuam obtinebat. Cæterùm nequaquã illotis, quod aiunt, pedibus, hoc eſt, à dicendi facultate alienus, ad philoſophiæ ſtudia acceſsit, ſed in poetarũ lectionibus enutritus, multos tenebat memoria, dicendíque artes non mediocri ſtudio exercuerat. Ea verò, quæ in philoſophia tractari ſolẽt, haud modicè, neq;, vt eſt in prouerbio, ſummo tantũ digito attigerat, ſed exactè cõperta habebat. Corpus præterea exercuerat, & ad tolerantiam variis laboribus aſſuefecerat. Breuiter, in hoc ſũmo ſtudio & cura elaborauit, ne alicuius alterius egens eſſet. Quare poſtquã ſenſit ſe quoq; ipſe ſibi amplius non ſufficere, voluntaria morte è vita diſceſsit, multo ſuper hoc ipſo Græcorũ optimatibus ſermone relicto. Philoſophiæ verò haudquaquam vnã tantũ ſpeciẽ ab aliis ſeiunctam colebat, ſed multis in idem cõmiſtis, non admodum apertè ferebat, qua potiſsimùm illarũ oblectaretur. Apparebat quidẽ Socrati ſe magis addixiſſe, tametſi habitu & vitæ frugalitate Diogenem æmulari videretur. Non tamen ambitioſè adulterabat ea, quæ ad victum pertinebant, admirationis popularis emerendæ gratia, vtq; ii quibuſcum cõuerſaretur, in eum coniectos haberent oculos: verùm cõmuni cum aliis viuẽdi ratione vtebatur, ne tantillum quidẽ philoſophico faſtu infectus: & cum aliis iunctam conſuetudinem exercebat, & communibus Reip. legibus non grauatim parebat. Porrò Socraticam ironiam nulla ex parte accedebat: gratia verò Attica plenas ſemper diſputationes ſermonibus haud obſcuris in mediũ afferebat, ita vt eius diſcipuli abeuntes neq; contemnerent eum tanquam parum generoſum, neque eius inhumanam in obiurgando ſeueritatẽ atque acerbitatem fugientes pertimeſcerent, ſed omnimodi orationis amabili lætitia reddebantur, ac ſubinde multò modeſtiores, de futuris præcipiendis optimam ſpem concipiebant animo. Itaque nunquam viſus eſt vociferari, aut mira peruicacitate contendere, aut indignari: & ſi aliquis illi eſſet increpandus, ipſa quidẽ peccata reprehendebat, cæterũ peccãtibus benignè ignoſcebat, exemplũ illud à medicis petitũ vſurpans, qui morbos adhibitis pharmacis propulſare ſolent, iracundia verò erga ægrotantes vtũtur minimé. Exiſtimabat enim hominis eſſe peccare: Dei verò, aut viri diis proximi, errata emẽdare. Ad hunc ergo modũ cum vitã inſtituiſſet ſapientiſsimè, nullius in rebus ſuis egebat auxilio, ipſe verò amicis in iis quæ par erat, perſæpe fidelem nauabat operã: ac nonnullos ex illis ſi qui ſecundiore fortuna vti videbantur, ſubmone facere ſolebat,

Peccata reprehendẽda, peccantibus ignoſcendum.

lebat,quòd bonis ad breue tẽpus duraturis, & planè caducis ac tranſitoriis efferri, atq; geſtire animo viderentur. Nonnullos quoq; inuiſum paupertatis onus lugẽtes, aut exilium grauiter molestéq; ferentes,aut ſenectutem,aut morbum ineuſantes,cum riſu conſolabatur, non videntes breui futurum vt omnia quæ dolorem & moleſtiam in præſens illis adferrent,ceſſarent:bonorum verò, ac malorum obliuio vnà cum longa libertate omnes eſſet in exiguo temporis ſpatio complexura. Ad hæc curæ illi erat, fratres quoq; inter ſe diſſidentes,atq; diſcordes,ad priſtinã concordiam reducere, ac mulieribus cũ maritis reconciliatis illorum animis pacem componere. Ac ſanè aliquãdo populum ſeditionibus exulceratum,ſcitè & vtiliter diſſerendo cõpeſcuit,multóſq; illorum perſuaſit,vt patriæ trãquillè & modeſtè ſubſeruirent. Talem quempiam in philoſophia exercẽda morem obtinebat, mitem & manſuetum,ac hilarem. Solùm verò amici, aut morbo,aut morte diſcruciabatur, ita vt rem omniũ maximam & præſtantiſsimam in rebus humanis amicitiam & voluntatum coniunctionẽ eſſe existimaret. Quocirca amicus erat omnibus , nec fuit quiſquã, quem non familiarem cõpellaſſet, qui quidem homo erat. Maiorem verò, aut minorem animi alacritatem vultu præ ſe ferebat, conuerſatione nonnullorum ex illis vtens,eóſq; coarguẽs, quotquot illi videbãtur propter ſpem exhibiti obſequii delinquere. Et hæc omnia cũ tanta gratia,eáque verborum venere faciebat,dicebátq;,vt ſemper iuxta Comicum ſuadelam labiis ſuis inſediſſe credibile ſit. Itaque & Atheniẽſium vniuerſus populus,& ii, qui in dignitatibus erant conſtituti,ſumma cum reuerẽtia illum admirabantur,eáque in ſentẽtia permãſerunt,vt vnum ex optimatibus ſuſpiciẽtes. Cæterùm cum in Reip. procurationibus obeundis verſaretur, multorum prauis , & nefariis conatibus reſtitit: vnde odium & inuidiam non mediocrem multitudinis ſibi cõflauit,tum propter dicẽdi interritam fiduciam , & monendi libertatem. Vnde factum eſt vt nonnulli quoq; aduerſus illum inſurgerẽt Anyti & Meliti,ea ipſa in Demonacte accuſantes,quæ priùs per illos in aceuſando Socrate in crimen vocata fuerant , nempe quòd nunquam viſus ſit ſacrificans,quódq; ſolus omnium nunquã ſit Eleuſiniis initiatus. Ad quæ magno animo,& corona redimitus, & nitida veſte amictus,inq; concionem progreſſus , partim ſcitè & dexteriter, partim verò aſperiùs quàm philoſophica requirebat profeſsio,reſpõdit. Etenim ad hoc quòd nunquam ſacra feciſſet Mineruæ,Nulla vos capiat admiratio,inquit, viri Atheniẽſes, ſi priùs illi nunquam ſacrificauerim. nequaquam enim illam ſacris per me oblatis egere exiſtimabam. Ad ſecundam verò accuſationis partẽ,nempe myſteriorum,eam dixit ſubeſſe cauſam , quòminùs cum illis feſtiuitatis particeps fuiſſet hactenus, quòd ſi myſteria , inquit,praua & friuola comperiſſet , apud nondum initiatos non tacuiſſet , ſed ipſos ab Orgiis celebrandis auerſos feciſſet. Sin bona, rurſus humanitate adductus, omnibus expoſiturus erat. Ita Athenienſes , qui iam aduerſus illum lapides ſuſtulerant , actutum mitem erga eũdem,& placidum animum induerunt,atque ex illo eum cœperunt habitis honoribus,reuereri quoque & colere , poſtremùm verò admiratione etiã proſequi. Ille autem ſtatim initio orationis ad illos habitæ, aſperiore procemio vſus eſt. Viri enim,inquit, Atheniẽſes cùm me ſertis coronatum videatis,quin me iam ſacrificatis? etenim antehac nunquam litaſtis. Quædam verò quæ ab illo acutè pariter & vrbanè dicta animaduerti,volo deinceps ſubiũgere. Optimum autem factu videtur,vt à Phauorino, & iis quæ ad illum dixit,exordium faciam. Poſtquam enim Phauorinus à quodã audiſſet ſuas diſſertationes à Demonacte haberi ludibrio,maximè verò membrorum in illis nimiùm fractas delicias, ingeneroſam & muliebrem mollitiem,ac philoſophiæ minimè congruentem: acceſsit Demonactem, interrogauítq; quiſnam eſſet à quo ſubſannaretur:Homo,inquit,cui aures ſunt deceptu difficiles. Occurrente verò quodam Sophiſta, atq; interrogante,Quibúſnã viaticis inſtructus ô Demonax à puero ad philoſophiã acceſsiſti ? reſpõdit,Teſticulis. Alio tempore cum ſemel idẽ ille acceſsiſſet,quęſiuit ex Demonacte,quam philoſophiæ ſectã præ aliis ſtudioſiùs amplecteretur. Quis verò, inquit, te certum fecit me philoſophari? Et cũ dicto abiẽs,riſit apud ſe valde ſuauiter. Illo verò interrogante quid eſſet quòd rideret,Demonax,Perridiculum,inquit,hoc mihiviſum eſt,ſi tu à barba philoſophantes iudicandos eſſe exiſtimas,ipſe barbam non habẽs. Sidonius autem rhetor cum Athenis celebris & clarus haberetur, ac aliquando de ſe eiuſmodi publica oratione decãtaret encomium,quòd totius philoſophiæ peritus eſſet, nec minus dicendi facultate ea poſsit exequi quæ diceret: Etenim , inquit, ſi Ariſtoteles ad Licẽũ me vocarit,ſequar:ſi Plato ad Academiam,veniam: ſi à Zenone ad porticum Variam prouocabor , nihil cunctatus præſtò ero:ſi Pythagoras m[illegible]erſiuerit,ſilebo. Surgens itaque è medio aud[illegible] Demonax,Heus tu, inquit , vocat te Pyt[illegible]agoras. Cæterùm Pythone quodam eorum qui fuerant è Macedonia ſplendidè & nitidè culti,iuuene formoſo ſubſanante illum, ac quæſtionem ſophiſticam proponente, iubentéque vt ſyllogiſmi ſolutionem diceret: Vnũ,inquit,fili,noui,quòd ſubigéris. Cùm ergo ille ſtomachanti animo indignaretur propter ſcommatis amphiboliam,illíque eommina retur,Statim tibi virũ oſtendam: ille in multum riſum effuſus,interrogauit adoleſcentem , Ergo virum habes? Quodam tẽpore cùm quidã etiam athleta ab eo fuiſſet deriſus propterea , quòd cũ victor extitiſſet in Olympia,veſtitu molli,& floride amictus conſpiceretur: vulnus illi lapide in caput incuſsit, adeò vt ſanguis efflueret. Itaque qui aderãt,indignantes factum grauiter,& molestè ferebant , quaſi vnus ex illis fuiſſet percuſſus: cúmq; exclamarent vt ad Procõſulem iret: Nequaquã,inquit, viri ad Procõſulem,quin multò magis eamus ad medicum. Dũ aliquando obambulans annulum aureum in itinere forte fortuna reperiſſet:propoſita in foro ſchedula,voluit eum qui

Apomnemoneumata.

qui amiſsi annuli dominus extitiſſet, venire, atque ſi illius pondus & gemmam, & typum rectè indicaſſet, recipere. Venit ergo adoleſcens quidã forma honeſta, & amabili, qui ſe amiſiſſe perhibebat. Cæterùm cũ nihil ſani diceret, Abi, inquit, ô puer, ac tuũ ipſius annulũ diligenter obſerua. etenim hunc nõ amiſiſti. Quiſpiã verò è Romanis ſenatoribus cùm Athenis illi filiũ ſuũ iuuenem ſupra modum formoſum cõmonſtraſſet, effœminatũ verò, & corruptum deliciis, dixiſſétque: Salutat te Demonax hic meus filius: Pulcher eſt, inquit, & te dignus: & matri non abſimilis. Porrò Cynicũ in pelle vrſi philoſophãtem, non Onocratũ, quod illi nomẽ erat, ſed Arceſilaum vocare dignatus eſt. Cum quidã ex eo quæſiſſet, quinã illi felicitatis finis eſſe videretur, reſpondit ſolum eũ eſſe felicem, qui liber eſſet. Illo autem ſubiiciente multos eſſe liberos: Atqui hunc ego ſolum, inquit, liberũ eſſe exiſtimo, qui neq; ſperat aliquid, neq; pertimeſcit. Ille verò, Et quomodo, inquit, hoc fieri poteſt? omnes enim plurimũ his ſeruiẽtes ſubiecti ſumus. Atqui, inquit, ſi recto iudicio res humanas excuſſeris, haud dubiè eaſdem reperies, neq; ſpe, neq; metu dignas, propterea quòd, & quæ doleant, & iucunda ſint, iuxtà finem capiant, & euaneſcãt. Peregrino autẽ, cui & Proteo cognomen fuit, obiurgante eum, quòd pleraq; omnia naſo ſuſpenderet, hominibúſq; illuderet, dicentéq;, Demonax, nõ viuis Cynicũ: reſpondit, Peregrine, nõ viuis hominem. Phyſicum quoq; ſuper Antipodibus diſſerentem, ſurgens deduxit ad puteũ, illíq; vmbra in aqua cõmonſtrata, quæſiuit, Nũquid tales confirmas eſſe Antipodas? Præterea quopiã magum ſe eſſe profitẽte, haberéq; carmina efficaciſsima quibus omnes homines impellere poſsit, ac perſuadere, vt ſibi quæcunque vellet exhiberent: Ne hoc tibi mirum videatur, inquit. eandem enim tecũ artem exerceo: & ſi placet, ad piſtricem me ſequere, videbíſq; me vnica tantùm incantatiuncula, ac modico veneficio perſuaſurum ipſam, vt mihi panem det. ſubobſcurè monetam innuens, æqualem cum incantationibus vim obtinẽtem. Cùm verò Herodes grauiter, & peracerbè Pollucis immatura morte ſublati obitum lugeret, vellétq; currum illi iungere, ac equos præſtare tanquam aſcẽſuro, & cœnã adornare: aggreſſus hũc Demonax, A Polluce, inquit, epiſtolam tibi adfero. Cæterũ cum ille gauiſus eſſet, putarétq; illum quoq; aliis eſſe dolori, dixit, Quid igitur ô Demonax, ſibi vult Pollux? Accuſat te, inquit, quòd ad illum abire cunctaris. Idẽ quendã aliũ filii ſui mortem incõſolabiliter lugentem, ac tenebris ſemet occultantem, acceſsit, ſéq; magum profeſſus eſt, ac filii ſimulacrũ ab inferis poſſe reducere, ſi tres tantũ homines illi nominauerit, quos nunquã vllius obitũ luxiſſe certò cõpertũ haberet. Cum ergo diu, multúmq; ſecum hæſitaret, nec vnum quidem, vt opinor, talẽ poſſet producere, ait tandẽ Demonax, O ridicule, an te ſolũ intoleranda mala perferre exiſtimas, cũ luctus expertem videas neminem? Atqui & illos falſe deridere ſolitus eſt, qui in ſermonibus nimiùm veteſtis & peregrinis vocabulis vti conſueuerãt.

Itaq; cum vnũ aliquãdo ſuper oratione quadam interrogaſſet, illéq; plus quàm Atticè reſpõdiſſet: Ego quidem, inquit, amice, nunc te rogaui, tu verò mihi quaſi Agamemnone regnãte reſpõdiſti. Dicente quopiam ex amicis, Abeamus Demonax in fanũ Aeſculapii pro filii ſalute oraturi: Vehemẽter, inquit, ſurdũ exiſtimas Aeſculapiũ, ſi nequeat nos niſi iſthic orãtes exaudire. Cũ aliquando vidiſſet duos philoſophos egregiè rudes & indoctos ſuper quæſtione quapiã ſatis ridiculè altercantes, ac alterũ abſurda quærentẽ, alterum verò ad rem nihil ſanè reſpõdentẽ: Nónne videatur vobis, inquit, ô amici, alter illorũ hircum mulgere, alter autem illi cribrum ſupponere? Agathocles verò Peripateticus cũ ſuperbè & inſolenter ſe ferret, & arroganter iactitaret diale&icorũ ſe ſolũ & primum eſſe: Atqui, inquit, ô Agathocles, ſi primus, non ſolus, ſin verò ſolus, non primus. Porrò autẽ Cethego viro cõſulari dignitate prædito, quo tẽpore per Græciam legatus abiret in Aſiã, patri ſuo multa turpia & ridicula dicente, & faciẽte, poſtea quàm ex amicis quiſpiam eadẽ vidiſſet, dixiſſétq; Cethegum magnum ſcelus eſſe: Per Iouem, inquit Demonax, neq; magnũ. Idem cum aliquando conſpexiſſet Apollonium philoſophũ multis cum diſcipulis diſcedentẽ, commodùm verò abibat, accerſitus quaſi diſciplinarũ nomine Regi eſſet conuerſaturus: Accedit, inquit, Apollonius, & eius Argonautæ. Alio autẽ quodã ex eo quærẽte, num anima illi immortalis eſſe videretur: Sanè immortalis, inquit, ſed vt omnia reliqua. De Herode dicebat verum dixiſſe Platonem, affirmantẽ nobis haud vnam ſaltem eſſe animam. Neq; enim eſſe eiuſdẽ animæ Regilaũ & Polluce, vt tãquã viuẽtes epulis ſuſcipiat, taliáq; illi curæ ſint. Auſus eſt quoq; aliquãdo Atheniẽſes publicè interrogare, audita ſacrorum præfatione, quam ob cauſam excluderent Barbaros, præſertim cũ eam myſterii feſtiuitatem cõſtituiſſet illis Eumolpus, quem Thracem & Barbarũ fuiſſe non ignorabat. Poſtea verò quàm illi ſemel nauigandum erat negotii gratia exiſtẽte hyeme, & iam nauem erat inſcenſurus, dixit amicorum quiſpiam, An nõ pertimeſcis Demonax, ne naui fracta atque ſubuerſa à piſcibus deuoreris? Atqui, inquit, perabſurdum foret metuere à piſcibus depaſci, cùm tot ipſe piſces deuorauerim. Cuidam rhetori vitioſiſsimè declamanti conſuluit, vt frequenti exercitio ineũberet. Cæterùm cùm ille dixiſſet, Nũquàm nõ apud me ipſum declamo: Ergo iure optimo, inquit, tam ineptè dicis, qui ſemper ſtulto auditore vti ſoleas. Augure quoque ſemel publicitus mercedis gratia vaticinante conſpecto, Non video, inquit, quam ob rem mercedem exigas. Etenim ſi hoc nomine exigis, quaſi queas ea, quæ à Parcis immobili conſilio decreta ſunt, depellere, modicum poſtulas, quantumcunque tandem poſtulaueris. Sin omnia quẽadmodum Deo viſum eſt euentura ſunt, quid tua præſtare poteſt vaticinatio? Sanè verò quopiam Romano bene corpulento, armatam illi pugnam aduerſus ligneum palum ſuſceptam commonſtrante, interrogantéq;, Quanto tibi feruore, ô

Demonax

Demonax pugnaſſe viſus ſum? magno, inquit: ſiquidem hũc ligneum habuiſti aduerſariũ. Atqui ad intricatas, & captioſas quæſtiũculas acutè inſtructus erat. Interrogante enim quopiam ludibrii gratia, Si mille minis ligna combuſſero Demonax, quot minæ fumo ceſſuræ ſunt? Põdera, inquit, cinerem, & reliqua omnia fumus erunt. Polybio autem homine omniũ ferme literarum rudi, elati tamen animi, arrogantiùs iactante, rex Romanorum ciuitate me donauit. Vtinã, inquit, te magis Græcũ, quàm Romanũ feciſſet. Rurſus conſpecto quopiã ex molliter, & delicatè conueſtitis, propter purpuræ latitudinẽ ſuperbiẽte, inſolentiúſq; incedente, admoto ad illius aurẽ capite, apprehenſáq; veſte, & commonſtrata: Heus tu, inquit, hoc ante te ouis ferre ſolebat, & ouis fuit. Cum ſemel in balneis lauans in aquam feruentem inſcendere recuſaret, ac quiſpiã eundem meticuloſum, & parum audacẽ accuſaret, Dic mihi, inquit, nũ hoc ipſum pro patria paſſurus erã? Quærente ex eo quopiã, Qualiãnã ô Demonax in orco eſſe exiſtimas? Præſtolare, inquit, & inde literis miſsis tibi reſcribam. Admeto verò cuidam inepto poetæ dicenti ſe ſcripſiſſe Epigramma monoſtichon, quod teſtamento quoque ſuæ ſtatuæ inſcribendum mãdarit, neque malum eſſe illud perhibenti:

Corpus humo tegitur, Admetus ad aſtra volauit: ſolutus in cachinnos inquit, Adeò elegans eſt, ô Admete, Epigramma, vt magno emerim illud iam inſcriptũ eſſe. Cũ vidiſſet quiſpiã crura eius tarda & turgida, qualia fere ſenibus fieri conſueuerunt, quæſiuit ex eo, Quid hoc ſibi vult Demonax? Ille ſubridẽs, Charon me momordit, inquit. Intuitus ſemel Lacedæmoniũ ſeruũ ſuũ flagris cędentem. Deſine, inquit, ſeruo tuo ſimilem te oſtendere. Puella quædam, cui nomen erat Danae, fratri in iudicio litẽ intendẽte, Fratrem, inquit, in foro reum facies: neq; enim es Danae Acriſii filia. Magno verò atq; implacabili odio ſemper aduerſus eos pugnabat, quos non iuxta veritatis ductum, ſed ad oſtentationem philoſophari animaduerteret. Itaq; cùm vidiſſet Cynicum, palliũ quidem, & peram habẽtem, cæterùm pro baculo ſupra modum faſtuoſè, & arroganter vociferantem, dicentémq;, Antiſthenis, & Cratetis, ac Diogenis ſum æmulus: Caue impudenter mentiaris, inquit, ſiquidem tu Hyperidæ diſcipulus exiſtis. Cũ non paucos ſemel videret athletas, malè, & ignauiter pugnantes, prætérq; legem eiſdem conſtitutam, pro eo quod Pancratio decertandũ fuerat, mordicus ſe proſcindẽtes: Non iniuria, inquit, noſtri temporis athletas cõcomitantes ſocii leones vocant. Neq; illud dictum ſale vrbano caret, ac mordacitatis expers eſt, quo erga Proconſulem vſus eſſe fertur. Etenim vnus ex his erat, qui crura, totúmq; corpus vnguento ſolebãt perungere. Porrò autem quidã Cynicus cum in lapidem aſcendiſſet, hoc ipſum in eo turpibus verbis accuſauit, & tanquam obſcœnum & fœdè factũ probroſe calũniatus eſt, adeò vt Proconſul inflammatus iracundia, Cynicũ captum abripi iuberet, quẽ aut fuſtibus contuſurus, aut exilio mulctaturus erat. Verùm cùm forte fortuna interueniſſet Demonax, deprecatus eſt Proconſulem, vt illi delicti gratiam conceſſa venia faceret, cum hoc peculiari quadam dicẽdi libertate Cynicorum auſus eſſet. Ad quæ ille reſpondit: In præſens quidem hunc tibi impune dimitam: cæterùm ſi poſthac tale quippiam animi temeritate, ac linguæ intemperantia inductus deſignauerit, qua pœna afficiẽdus erit? Ad quem Demonax, Sanè tunc illum inungi, ſeu dropace velli iubebis. Alteri cui rex & caſtra, & magnũ exercitum vnà cum imperio crediderat, quærẽti qua ratione quiſpiã imperium quàm optimè adminiſtrare poſsit: ſi ira, inquit, vacauerit, & quã minimum loquens, plurima audierit. Seiſcitãti cuidam num & ipſe placentis veſceretur: An tu igitur, inquit, apes exiſtimas fatuis ſuos fauos concinnare? Apud porticum multa pictura & arte variam conſpecta ſtatua manibus mutila, Serò tandem, inquit, Athenienſes ænea imagine Cynicorum honeſtarunt. Atqui Rufinum quoque Cyprium, claudum illum dico ex ſchola Peripatetica, cùm multo tempore vidiſſet conuerſantem cum peripateticis, Claudo Peripatetico, inquit, nihil eſt turpius atq; impudẽtius. Cæterùm cum Epictetus quoq; aliquando obiurgans ei conſuleret, vt vxore domum adducta, liberis procreandis daret operam, affirmans & hoc viro philoſopho non indecorũ eſſe, alterum videlicet ſui loco naturæ relinquere: feſtiuiſsimè illi redarguto reſpondit, Da mihi igitur, ô Epictete, vnam filiarum tuarum. Sed nec hoc quidem indignum memoratu eſſe videtur, quo Herminum Ariſtotelicum acerbè notauit. Etenim cùm non ignoraret illum extremè malum eſſe, innumeráq; flagitia deſignantem, Ariſtotelem verò, eiúſq; decem categorias, quas prædicamenta vocant Dialectici, nunquã non in ore habentem: Sanè verò, inquit, Hermine, decem categoriis te haudquaquam indignum eſſe opinor. Atheniẽſibus quondam conſultantibus quadã æmulatione erga Corinthios de ſingulari certamine congrediẽtium conſtituendo ſpectaculo, accedẽs dixit, Ne prius hæc Athenienſes decernatis, quàm miſericordiæ aram ſubuertatis. Cùm in Olympiam ſemel profectus veniſſet, illíq; Helei æream ſtatuã erigendam decreuiſſent, Nequaquam hoc facietis, inquit, viri Helei, ne maiores noſtros probro afficere videamini, cùm neque Socrati, neque Diogeni ſtatuam poni curarunt. Quin ipſe præſens hæc illum ad iuriſperitum dicentem audiui, periculum eſſe, ne leges omnes ſint inutiles atq; ſuperuacuæ, quódq; nec bonis, nec malis rogẽtur. Etenim illi nõ egent legibus, ii verò per eaſdem nihilò fiunt meliores. Ex Homericis verſiculis vnum exactiſsimè calluit:

Strenuus vt ſegnis fato potiuntur eodem. Iliad. 9.

Laude proſequi ſolitus eſt Therſiten, vt Cynicũ quendam liberæ linguæ concionatorem. Interrogatus, quis illi potiſsimũ ex philoſophis probaretur, inquit: Omnes equidem admiratione digni ſunt: cæterùm ego quidẽm Socratem colo, Diogenem admiror, Ariſtippum autem amore complector. Vixit annos ferme centum, nullo vnquam morbo implicitus, nulla affectus animi

ægritud

ægritudine, neminem vnquam faceſſendis negotiis moleſtauit, aut in ius productum accuſauit. Amicis vtilem ſe præbuit, ac officioſum. Qui inimico in illum fuiſſet animo, nullum vnquam habuit, ipſe hoſtis nemini. Tanto verò amore cum ipſi Athenienſes, tum vniuerſa Græcia eũdem proſequebatur, vt prætereunti, honoris gratia etiam ii, qui magiſtratus officiis fungebantur, aſſurgerent, magnúmque illo præſente omnes agerent ſilentium. Poſtremùm vbi iam ætate ſupra modũ ingraueſcente conſenuiſſet, inuocatus in quamcũque domum fortuitò inciderat, in ea cibum ſumebat, ac dormiebat. Quo nomine earundem ædium familia plurimum ſibi gratulabatur, Demonacte viſo Deum ſibi oſtẽſum eſſe exiſtimans, aut aliquem bonum Genium ſeu dæmonem in domum intrauiſſe. Prætereuntẽ verò piſtrices certatim ad ſeſe trahebant, vnaquæque cupiens vt à ſe panem acceptaret: ac magnam felicitatem ſibi datam eſſe interpretabatur illa, à qua panem acceperat. Quin etiam pueri poma illi afferre ſolebant, patrem honorificè cõpellantes. Gliſcente aliquando inter Athenienſes diſcordia, per ſeditionem diſſociatis ciuium animis, in concionem ingreſſus eſt: cúmque tantùm comparuiſſet, facto ſilentio diſcordantes compeſcuit. Verùm cum pœnitentia ductos eoſdem reſipuiſſe animaduertit, nullo adiecto verbo & ipſe abiit. Cæterùm cum iam haud obſcurè perſentiſceret ſe ſibi amplius auxilio eſſe non poſſe, dicta ad præſentes qua in certamine præcones vti ſolent clauſula,

Iam finis eſt pulcherrimorum munerum
Certaminis, non differendum eſſe amplius
Tempus monet.

ac diſcedens ab omnibus, hilaro vultu diem ſuum obiit, quali ſemper obuiam venientibus conſpectus eſt. Aliquanto antè verò quàm moriebatur, interrogante quopiam, de ſepultura verò quid imperas? Ne vos hæc cura remordeat, inquit, ſolicitos. Etenim fœtor me ſepeliet. Reſpondente autem illo, an non turpe foret & nefarium, ſi tanti viri corpus volucribus & canibus dilaniandum obiiceretur: Atqui nihil abſurdum eſt, inquit, ſi mortuus quoque nonnullis animalibus vtilitatem aliquam allaturus ſim. Cæterùm Athenienſes magnifico funere elatum illum ſepelierunt, multóque tempore eius obitum luxerunt, ac ſedem illam lapideam ſuper qua, ſi quando correptus laſſitudine quieſcere ſolebat, adorabant, ſertis ornantes in honorem viri, exiſtimantéſque ſacrum eſſe lapidem in quo ſediſſet. Circa funeris verò efferendi procurationem, nemo erat qui non accurriſſet, maximè verò ex Philoſophis. Illi ſubiectis humeris pheretro, vſque ad ſepulcrum efferebant mortuum. Hæc nimium pauca ex multis ſuper Demonactis vita percenſere libuit, ex quibus haud difficulter coniecturam facere licet legentibus cuiuſmodínam ille vir fuerit.

AMORES,

Incerto interprete.

ARGVMENTVM.

Hoc dialogo de amoribus & eorum voluptate diſputatur, introductis Charicle & Callicratida perſonis, quorum alter amorem mulierum vt antiquiorem, & naturæ magis conſentaneũ, deinde & diuturniorẽ, magíſque mutuum & vtrinque oblectantem, defendit: alter antè turpem iſtum in pueros affectũ, ſed honeſto tamen & philoſophico nomine palliatum, cõmendat, confutato eo quod alter de naturæ ductu oppoſuerat, & propoſita muliebriũ vitiorum inſolentia ac fœditate. Occaſio dialogi ex repetitione & memoria antehabiti ſermonis ſumitur, inuitante ad hoc etiam temporis opportunitate. Exordium autem & præparatio diſputationis ab attentione, & reimaginatione, quam longa deinde narratio ſequitur, continẽs cauſam & quaſi fundamentum totius negotij: in qua illa quoque nõ indigna lectu ſunt, deſcriptio templi Gnidiæ Veneris, & exemplũ impotentis amoris, quo quidã ipſam deæ ſtatuam noctu aggreſſus eſt: cuius commemoratio contentioni ac diſputationi principium & ingreſſum facit. Cæterum haud ſcio an & hic philoſophos tacitè perſtringat Lucianus, dum pæderaſtas eſſe, ſolis illis permittit.

LVCIANVS.

AMATORIO quodam luſu, amice Theomneſte, ſummo ſtatim mane impleuiſti nobis aures, cõtinuo ſerióque ſtudio iam defeſſas. Ac mihi vehemẽter ſitienti talem aliquam relaxationem, in tempore adeò incundorum iſtorum ſermonum tuorum gratia affluxit. Infirmior enim animus eſt, quàm vt ſtudia cõtinua ſuſtinere queat. Deſiderant autem labores paulò contentiores, vt curis grauioribus atq; moleſtis pauliſper relaxatis, in voluptates remittantur. Admodum igitur me ſub auroram hodie laſciuorum iſtorum verborum blanda ac dulcis ſuadela exhilarauit. Quare parum abfuit quin Ariſtides ille viderer mihi eſſe, Mileſiis ſermonibus ſuprà quam delinitus. Doleóque per amores equidem tuos, quibus latus adeò ſcopus inuẽtus eſt, quòd narrare deſiiſti: ac te per ipſam obſecramus Venerem, ſi abunde mihi dicere videris ſiue maſculum aliquod, ſiue etiam per Iouem muliebre te inceſſit deſideriũ, vt id paulatim memoria repetẽdo excitare velis. Nam alioqui feſtum & ſolennem celebramus diem, Herculi ſacra peragentes. Cæterùm haud ignoras ſcilicet Deum hunc, quàm acer & procliuis erga Venerem fuerit. proinde lubentiſsimè videtur mihi ſermonũ hæc ſacrificia admiſſurus eſſe. THEO. Citius verò mihi, Luciane, maris fluctus, & denſas è cælo delabentes niues numeraueris, quàm meos amores. Ego itaque totam ipſorum vanam reddidiſſe pharetram me puto: ac ſi quando ad alium aliquem auolare volent, inermis ipſorũ dextera ridebitur. Propemodum enim ex eo cum à prima pubertatis ętate egreſſus, inter adoleſcentes receptus ſum, aliis atq; aliis ſubinde concupiſcentiis deluſus pereo, aliíque amores aliis ſuccedunt: ac priuſquam deſinant priores, incipiunt ſequentes, capita prorſus Lernæę rediuiuæ iſtius Hydræ longè magis multiplicia, neq; etiam Iolaum aliquem auxiliatorem recipere ſuſtinentia. Neque enim igne ignis extingui ſolet. Adeò humidus quidam oculis inhabitat meis *aſilus, qui omnem formam ad ſeſe rapiens, nulla ſatietate expletur. Ac aſſiduè dubitare in mentem venit mihi, quænam hæc Veneris ira ſit. Non enim ex *Heliadis quiſpiam ego ſum, neque Lemniadum contentio, neque etiam Hippolyteum agreſte ac durum illud ſupercilium induitus, vt ob id iritare Deæ in-

*μύωψ, qui & ſtimulus vt in Epigrammate, Λυσιδίκην τοι κύων ἐρίζει ἐπ' ἀγορᾷ μύωπα χρύσεον ἐυκνήμου κέντρον ἔθηκε θεοῦ.

*Hoc eſt

ex progenie Solis, cui ſemper infeſta Venus fuit ob proditum Vulcano adulteriũ.

explebilem hanc iram in me debeam. LVC. Omitte fictitiam hanc Theomneſte & difficilem reſponſionem. An tu enim grauiter fers quòd per fortunam talem vitam ſortitus es, & acerbum eſſe putas, ſi cũ mulieribus formoſis, & cum pueris ſuauiter efflorescentibus ſubinde conuerſaris? An tibi etiam purgationibus forſan opus erit contra difficilẽ adeò hũc morbum? Graue enim malum hoc ſcilicet eſt. Quin tu potius multa hac dementia abs te proiecta, beatũ eſſe te ipſum exiſtima, quòd tibi Deus nõ ſquallidã agriculturam exercendã ſortitò aſsignauit, aut mercatorum errores ac peregrinationes, aut etiam militarem in armis degendam vitam, ſed tibi pingues ac nitidæ palæſtræ curæ ſunt, ac ſplendida quidem veſtis vſque ad pedes delicatè demiſſa, compoſitio autem comę diſcriminatim exercita & apparata. Amatoriarum verò oblectationum etiã ipſa tentatio iuuat, ac dulcis deſiderii dens mordet. Nam interim dum periculum facis, ſperas: vbi verò voti compos factus es, frueris eo quod optaſti. Aequali autem voluptate afficiunt, & quod adeſt iam, & quod futurum ſperatur. Paulò antè igitur cum narrares longum iſtum, perinde vt & apud Heſiodum eſt, catalogum eorum quos ab initio inde amaſti, ſuaues quidẽ oculorum tuorum ictus molliter ſubinde liqueſcebant. Vocem autem ad modum Lycambæ illius filiæ tenuem ac dulcem emittens, ex ipſo ſtatim habitu prę te ferebas quòd non illos ſolùm, verùm etiã ipſam illorum memoriã amares. Sed ſi quid tibi ex ea quã ſecundum Venerem nauigationem perfeciſti, reliquum relictum eſt, nihil quæſo illius nos cela, Herculi autem ſacrificium hoc abſolutum atque perfectum præbe. THEO. Tauriuorus quidem Luciane Deus iſte eſt, & ſacrificiis illis quæ ſine nidore perficiuntur, vt aiunt, minimè delectatur. Sed poſtquã annuam ipſius feſtiuitatẽ ſermone celebramus, meę quidem narrationes à ſummo ſtatim mane in medium allatæ, ad ſatietatem iam peruenere. Tua verò Muſa à conſueto reſoluta atque dimiſſa ſtudio, hilarem cum Deo diem hunc totum peragat. Ac mihi quæſo æquus iudex eſſe velis, quoniam in neutram adeò partem huius cupiditatis inclinatũ aut pronũte video, vtrum melius habere putes eos qui maſculos amant, an qui fœminis delectantur. Nã ego quidem, qui vtrinque æquè ictus ſum, perinde atq; accurata ac proba aliqua trutina, ambabus ex vtraque parte lancibus æqualiter huc atque illuc inclinor. Tu verò, qui extra hanc ſortem es, incorrupto iudice ratione videlicet, quod melius fuerit, dignoſces ac ſecernes. Proinde omni recuſandi prętextu ac ſimulatione depoſita, ô amice, calculum quem tibi cõmendauit ac credidit illud de meis amoribus conuocatum iudicium, iam tandem feras. LVCIA. Ludum, Theomneſte, aut riſum putas narrationẽ hãc. Ea verò etiam ſerium quoddã promittit. Ego itaq; nuper adeò eius rei periculum facere cœpi, ſat ſcio, nimium, & non olim, ex quo duos quoſdã viros audiui de hac re contentioſè admodum quaſi dimicantes, memoriam adhuc recentem & paulò antè facta repetentem habeo. Diuiſi autem eorum erant cum orationibus etiam ipſi affectus, & nõ perinde ac tu, qui facilitate quadam animi peruigil & inſomnis duplicem capis mercedem,

Hãc, armenta regẽs, pecora illã candida paſcẽs.

βυφάγος, id eſt vorax, & inſatiabilis. Alluſio autẽ fit ad id quòd Herculem cũ Lepreo voracitate contendiſſe tradunt, ac totũ bouem ſimul vna menſa deuoraſſe.

Sed alter quidem puerorum amore ſupra modum oblectabatur, muliebrẽ venerem tanquam barathrũ quoddam ducens: alter autem à maſculo amore purum ſe gerens, in fœminas quaſi attonitus ferebatur. Duobus igitur inter ſe pugnantibus affectibus, inſtituto certamine, haud facilè dixero quantum voluptatis ex ea re cepi. At mihi verborum illorum tamen veſtigia propemodũ auribus impreſſa hærent, vtpote quæ nuper adeò dicta ſunt. Omnem igitur obiurgationis prętextum & cauſam è medio ſubmouendo, illa quæ tum ambos audiui dicere, quàm accuratè fieri poteſt, tibi commemorabo. THEO. Atqui ego quidem hinc ſurgens, exaduerſum tibi ſedebo, Aeacidum expectans dum carmina finiat ille. Tu verò nobis veterem gloriam amatoriæ perage differentiæ canendo. LVCIA. Inſtituenti mihi in Italiam nauigare, velox atque citatum nauigium apparatum erat, ex biremibus iſtis quoddam, quibus maximè Liburni, quæ gens ad Ionium ſinum habitat, videntur vti. Poſtquam autẽ iam nauigandi tempus erat, vniuerſos Deos patrios cõprecatus, ac Ioue hoſpitali, vt propitius expeditionem peregrè ſuſceptam coadiuuare vellet, inuocato ab vrbe vehiculo iumentario ad mare deſcendi. Deinde valere iuſsis iis qui nos deduxerant, (ſequebatur autem eruditorum turba ſedula ac frequens: qui cum aſsiduè nobiſcum verſati fuiſſent, ægrè atque inuitò à nobis ſegregari ſe patiebantur) conſcenſa puppi, iuxta gubernatorem aſſedi. Atque impetu remigum paulatim à terra in altum proiecti, poſtquam admodum & à tergo excitando fluctus proſequebantur nos auræ, malo ex medio nauis erecto, ſummo carcheſio antennam adſtrinximus. Deinde conferta per funes vela effundẽtes, ſenſim impletis vento linteis, nihilo minore curſu, opinor, quàm ſagitta peruolauimus, fluctibus grauiter frementibus infra circa proſcindentes ipſos proram. At verò quæ inter nauigandum feria vel etiam iocoſa contulerimus, longius hic perſequi tempus nõ ſinit. Poſtquam autem maritimam Cilicię oram præterueĉti, Pamphylium ſinum contigimus, vltra Chelidoneas felices illos veteris Græciæ terminos haud citra laborem curſu elati, ad ſingulas Lyciæ ciuitates hoſpitio diuertimus, ſermonibus ac fabulis vt plurimum nos oblectantes (neque enim vllum in ipſis mauifeſtum prioris felicitatis cernitur veſtigium reliquũ) donec ad Solis ſacram delati Rhodum, continuum nauigandi laborem, quo huc vſque vſi fueramus, interpellare aliquantiſper decreuimus. Remiges itaque nauigio è mari in terram ſubducto, prope litus tentoria fixerunt. Ego verò, parato mihi hoſpitio è regione templi Dionyſii, otioſe per vrbem incedebam, immenſa adeò voluptate interim fruens. Eſt enim re ipſa ciuitas hæc Solis, conuenientem huic Deo pulchritudinem præ ſe ferens. Obambulans autem in Dionyſii porticibus, vnamquanque picturam contemplabar, vnà cum voluptate ea quam videndo capiebam, Heroicas quoq; fabulas memoria repetẽs. Statim enim mihi duo vel etiam tres propemodum præcipui ſuperuenere, qui mihi omnem hiſtoriam enarrabant. Pleraque autem & ipſe coniectura prępicipiebam: cæterùm cum iam contemplatione iſta ſatiatus eſſem, ac domum ire cogitarem, dulciſsimum peregrè obtigit mihi lucrum, viri longo iam olim tempore

Narratio.

Chelidoniæ inſulæ ſunt ad caput Paphyliæ oræ. Strabo lib. 11.

tempore mihi noti ac familiares, quos neque ipſum ignorare te puto, cum ſæpe ad nos itantes hic videris, nempe Chariclem illum Corinthiũ, adoleſcentem haudquaquam deformem, deditũ nonnihil comendi & fucãdi corporis ſtudio, vt qui mulieribus, opinor, forma atque elegantia iſta commendari affectaret. Vnà autem cum ipſo & Callicratidem iſtum Athenienſem, moribus ac habitu ſimpliciorem. Nãſe veluti ducem atque anteſignanũ in ciuilibus orationibus & in hoc forenſi dicendi genere gerebat. Erat autem & corporis exercitationibus deditus, ob nihil aliud, vt mihi videtur, palæſtras tontopere amans, quàm ob puerorum amores: prorſus enim in hoc quaſi attonitus ferebatur. Ob odium autẽ quo fœminas omnes proſequebatur, etiam Prometheo malè imprecari ſolebat. Cum igitur álonge vterq; me conſpicatus eſſet, gaudio atque lætitia pleni accurrunt. Deinde, quemadmodum fieri conſueuit, ſalutato atque excepto me, vterque vt ad ſe venirẽ, rogabant. Atque ego cum viderem ipſos de hac re inter ſe cõtendendo linguis procedere, Hodie quidem, reſpõdens inquam, Callicratida & Charicles, ambos vos decet apud me frequẽtes eſſe, vt ne contentionem maiorem inter vos excitetis. Sequentibus autem diebus (nam tres aut quatuor etiam hic commorari conſtitui) per vices accipietis me mutuò, ſorte inter vos miſſa vter id priore loco faciat. Hæc ita tum placuere. Atque illa quidem die conuiuii præfectus ego fui: ſequenti autem Callicratidas, & poſt ipſum Charicles. Porrò animaduertebam etiam inter ipſos conuiuiorum apparatus, manifeſta vtriuſque affectionis indicia. Nam Athenienſis quidem ille pueris perquam formoſis inſtructus erat & propemodum omnes illius ſerui imberbes erant, non amplius ab illo retineri ſoliti, quàm dum prima lanugine inficerentur: poſtquam autem barba frequentiore genæ illorũ addenſabantur, diſpenſatores, & fundorũ quos ille Athenis habebat, procuratores amandabantur. At verò Chariclem magnus ſaltatricum & pſaltriarum chorus ſequebatur, ac tota illius domuncula, perinde vt in Cereris ſacris, mulieribus referta erat, viro aliquo ne puncto temporis ibi apparente, niſi ſicubi infans aliquis, aut ſenex decrepitus, coquus videlicet conſpiceretur, in quem propter ætatẽ zelotypiæ ſuſpicio amplius vlla cadere non poſſet. Erant igitur & hæc, vt dixi, ſatis multa atque aperta vtriuſque animi documenta. Verũtamen aliquoties etiam breues quædã quaſi futuri certaminis coitiones inter ipſos inceptabantur, tanquam finem aliquem quæſtio hæc haudquaquam haberet. At poſtquam iam tempus erat vt iterum in altũ proueheremur, ſocios nauigationis, volentes alioqui ipſos, abducere mecum ſtudebam. conſtituebant enim in Italiam nauigare, æquè atque ego. Et cũ nobis viſum eſſet in Gnidũ, appulſa ibi naue, ſpectandi cauſa aſcendere, & Veneris templũ videndi deſiderium nos inceſsiſſet (celebratur autẽ ibi Praxitelis facilitatis ac promptitudinis illud verè Venereum & amabile) paulatim ad terram ſubuecti ſumus, ipſa opinor dea pulchra tranquillitatem auigium deducente. Cæteris igitur ſolitæ res atque arma curæ fuere: ego verò amatoriũ iſtud per vtrinque ſuſpenſum habens, Gnidum circumeirca obambulabam, non ſine riſu* figulinæ iſtius procunitatis participem me præbendo, vt in Veneris ciuitate. Porticus autem Soſtrati, ac cætera quæ nos oblectare poterant, principiò circumeundo viſentes, mox ad templum Veneris imus, nos quidem duo, ego videlicet & Charicles admodum alacriter, Callicratidas autem vt ad ſpectaculũ muliebre inuitus, libentius, vt opinor, pro Venere Gnidia Theſpienſem illum Cupidinem permutatione facta habiturus. Ac ſtatim quodam modo ab ingreſſu luci Venereæ aſpirarunt auræ. Serenitas enim, ac lumen illud ſupernum, non in ſolum ſterile maximè, & lapideis tabulis conſtratum, excipiebatur, ſed erat illud, vtpote in Veneris templo, fœcundum mitibus ac frugiferis arboribus, quæ frondibus virentibus in longum vſque promanantibus, aerem circũcirca quaſi concamerabant. Abũde verò illa frugibus denſa myrtus, apud dominam ſuam copioſa naſcens, efflorueràt, deinde & aliarum arborum ſingulæ, quæcunque pulchritudine præſtant, neque ipſæ quanquã longa exacta iam ætate canæ, areſcentes, ſed præ vigore quaſi iuueneſcentes, nouis ſubinde ramis formoſæ atque integræ erant. His autem intermiſta erant etiam illa fruticum genera, quæ alioqui fructuũ quidem feracia nõ ſunt, cæterùm pro fructu pulchritudinem habent, Cypariſſorum videlicet & Platanorum aeriæ proceritates, & inter ipſas transfuga Veneris, deæ ipſius olim fugitiua facta, Laurus. Cuiuis verò arbori circumuoluta ſtudioſa illa amoris Hedera obſerpebat, & vites fœcũdæ crebris racemis dependebant. Eſt enim iucundior Venus cum Baccho, & temperatũ illud dulce quod ab vtriſq; venit. Quod ſi autem à ſe mutuò diſiungantur, minus exhilarãt. Erant autẽ ſub vmbris iſtis opacis & obſcuris, amœnæ quædam cellæ, eorum vſui qui intus conuiuia agitare vellent, comparatæ: in quas vrbanorum quidem rari commeabant vlli, ſed populi frequentes turbæ ſolenniter conueniebant, re ipſa Veneri indulgentes. Poſtquam autem abunde plantis iſtis oblectati fuimus, intrò in templum ingreſsi ſumus. Ipſa igitur dea in medio poſita eſt, ex Pario marmore, opus ſanè pulcherrimum atque præclarum, & riſu quodam ſimulato parum ſubridens. Tota autem pulchritudo eius detecta, nulla veſte ipſam tegente, nuda conſpicitur, niſi quatenus altera manu pudenda, quaſi oblita ſui, abſcondit. Tantum verò artifex illa ars valuit, vt ſolida adeò ac dura marmoris natura ſingula etiam membra deceret. Charicles igitur inſanum quiddam & furibundum exclamans, O fortunatiſsime, inquit, deorum, Mars, qui propter hanc vinctus fuiſti. Et ſimul accurrens plenis labiis, quoad fieri potuit extento collo, deoſculabatur illam. Tacitè autem adſtans Callicratides, ſecum in animo admirabatur. Eſt autem biforis ipſius ædes, vt poſſint, qui volunt deam ipſam diligentius inſpicere, etiam à tergo contemplari, & vt nihil ipſius cum admiratione non ſpectes. Facilè itaque licet per alteram portam accedentibus, poſteriorem quoque formoſitatem contueri. Proinde cum viſum nobis eſſet totam ipſam deam videre, in poſteriorem templi partem circumiuimus, ac recluſa ianua ab ædituo, qui & ipſe creditur mulier eſſe, repentè obſtupuimus ad pulchritudinem illam. Athenienſis itaque iſte, qui tacitè paulò antè videbat, poſtquam eas quæ in pueris appetuntur partes aſpexit, continuò

per figulinæ, meretricia accipias? quoniã & Athenis in Ceramico meretrices habitarunt, aut quòd hoc genus in fornicibus plerunque habitat.

Signũ Veneris Gnidiæ.

*Quid ſi

longè quàm Charicles inſaniore modo exclamauit, Hercules, inquiens, quanta ſcapularum concinnitas? Vt autem extuberantes nitent lumbi, amplexantis manus implentes? Quàm ſcitè circunductæ clunium pulpæ, in ſe rotundantur, neque tenues nimis ipſis oſsibus adſtrictæ, neque rurſum in immenſam effuſæ pinguedinem? Formarum autem quæ vtrinque natibus infrà coeũtibus velut impreſſæ reddũtur, dici non poteſt quàm ſuauis riſus. Femoriſque & tibiæ in rectum ad pedem vſque protentæ, accuratè ſeruata modulatio. Talis igitur & Ganymedes in cælo Ioui nectar dulcius infundit. Nam ab Hebe equidem ſubminiſtrante potum haudquaquam acceperim. Cum autem hęc quaſi quodam numine correptus Callicratidas exclamaret, Charicles præ nimio ac vehementi ſtupore parum abfuit quin diriguiſſet, humidum quendam & manantem in oculis dolorem colliquans. Cæterùm poſtquam ab admiratione ſatietas nos auertit, in altero femore maculam conſpicimus, perinde vt in veſte aſpergi nem luti aliquam. Arguebat autem deformitatem ipſius, reliquus totius marmoris nitor. Ego itaque veriſimili coniectura veritatem colligẽdo, naturam lapidis, id quod apparebat, eſſe putabam. Nam neque huiuſcemodi rerum caſus alieni ſunt. Multis autem quibus extremè & velut ad vnguem pulchris eſſe licebat, fortuna interim aliquid quod in mora ſit, obiicit. Proinde nigram quandam maculam naturaſperſam marmori eſſe exiſtimans, etiam hac parte Praxitelem admirabar, quòd eam lapidis deformitatem in illis potiſsimum partibus abſcondiſſet, quæ minus coargui ac deprehẽdi poſſent. At ea quę nobis propè ſtabat templi miniſtra, incredibilis cuiuſdam orationis nouam hiſtoriam narrauit. Nam adoleſcentem quendam inquit haudquaquam ignobili genere natum (nomen autem ipſa res geſta taceri fecit) crebrò ad delubrum hoc ventitantem, infelici quodam genio impulſum, deam ipſam amare cœpiſſe, & quia totos plerunque dies in templo commorabatur, à principio ſanctimoniæ cuiuſdam religioſioris ſpeciem de ſe præbuiſſe. Nam ſtatim à lecto matutino, multò auroram præuertentem, huc venire ſolitum fuiſſe, ac poſt oceaſum Solis inuitum ægrè domum rediſſe, atque totum diem ex aduerſo deæ ſedendo, rectos in ipſam perpetuò oculorum ictus direxiſſe. Obſcurè autẽ, inquit, interim ſecum ipſe neſcio quæ ſuſurrabat, & ſuffurante quodam ſermone amatorias peragebat querelas. Cæterùm vbi iam pauliſper affectus illius moleſtiã à ſe remouere volebat, affatus deam, in menſam autem quatuor talis Libycæ capreæ dinumeratis, ludendo ſpem experiebatur. Ac quoties id quod intendebat, iecerat, maximéque ſi quãdo deam ipſam iactu feliciore ſortitus erat, nullo videlicet talo eadem figura cum alio aliquo cadẽte, adorabat illam, ſperans ſe id quod expetebat, conſecuturum eſſe. Sin autem (quemadmodum ſolet) ſimplicius paulò per menſam ieciſſet, ac tali id quod abominabilius erat, ſurgendo reddidiſſent, toti Gnido malè impreeabatur, velut ob cladem aliquam immedicabilem, & mœrore plenus erat: & paulò pòſt correptis illis, alio iactu, quod male antea ceciderat, emendabat. Iam verò vbi affectus atque animus illius magis accendebatur, omnis paries inſculpebatur, & vt

Hiſtoria imporẽtis cuiuſdam amatoris.

quæque arbor mollis erat, ita cortex illius formoſam Venerem prædicabat: eodem autem in pretio cum Ioue Praxiteles erat: & quicquid pretioſum ac pulchrum illi domi repoſitum inter ornamenta fuerat, id omne donarium deæ offerebatur. Poſtremò nimia in eo deſideriorum vehementia, in inſaniam verſa eſt. Inuenta autem eſt concupiſcentiæ illius miſtrupatrix quædam audacia. Cum enim iam ad occaſum Sol inclinaret, ſenſim ac tacitè, ita vt qui aderant, non animaduerterent, poſt ianuam clàm irrepſit, & ſtans ita vt cerni non poſſet, in interiore parte, adeò ſe tacitus cõtinebat, vt propè ne anhelitum quidem emitteret. Aedituis autem perinde vt conſueuerant, foris ianuam attrahentibus, intus nouus iſte Anchiſes concludebatur. At quid ego arcanæ noctis audaciam accuratius vobis exprimam, aut etiam alius quiſpiam? Amatoriorum amplexuum veſtigia hæc poſtridie conſpecta ſunt, & maculam hanc habebat dea, indicem videlicet eorum quæ paſſa fuerat. Ipſum verò adoleſcentem, vt vulgò fama refert, vel de petris alicubi aiunt, vel in fluctus marinos præcipitem datum omnino euanuiſſe. Atque hæc cum miniſtra templi ita narraret, interea exclamans Charicles, Proinde fœmininum genus, inquit, etiam ſi ſaxeum fuerit, amatur. Quid autẽ ſi quis animatam videret huiuſmodi formam, an nõ vna nox ipſis Iouis ſceptris æquiparetur? Subridens autem Callicratidas, Nondum, inquit, ſcimus, Charicles, an multas audituri ſimus huiuſmodi narrationes ſi quando Theſpiis quoque eſſemus. Et nunc ſanè tuæ iſtius Veneris, cuius tanta æmulatione teneris, manifeſtum adeò hoc indicium eſt. Hic, quo pacto, interrogante Charicle, admodum veriſimiliter dicere Callicratidas viſus mihi eſt. Dixit enim quòd cum adoleſcens ille amator otium ac ſpatium totius noctis conſecutus fuiſſet, vt facilè totam affectus iſtius exatiandi facultatem haberet, quaſi cum puero tamen, marmori cohæſiſſet, illud nimirum volens, neque anteriore parte fœminam valere. Multis itaque abſque delectu ac temere vtrinque verbis effutitis, ego promiſcuo eorum tumultu ac turba compoſitis, Viri, inquam, amici, modeſtam atque ordinatam inſtituite diſputationem, quoniam decora ac decens lex eruditionis atque doctrinæ eſt. Sublata igitur incompoſita hac, & nullum finem habẽte cõtentione, viciſsim pro ſua vterque ſententia iuſtam ac ſolidam orationem inſtituite. Neque enim etiandum tempus eſt vt ad nauem redeamus. Ac otio hoc vtendum eſt ad hilaritatem, & ad ea ſtudia quæ cum delectatione prodeſſe poſsint. Proinde abſcedentes hinc è templo (multa enim religionis gratia turba huc ventitat) in vnã aliquod iſtorum conuiuiorum accumbamus, vt per otium & cum ſilentio & audire & dicere quæ cuique libet, liceat. Illud autem memineritis, quòd qui hodie victus fuerit, is in poſterum nobis de iiſdem rebus amplius moleſtus futurus non ſit. Rectè viſus ſum hæc dicere. Et eòdem cohortantibus etiam illis, exiuimus, ego quidem lætus, nulla me premente cura: illi verò cogitabundi, magnam apud ſeſe in animi diſputationem ſurſum ac deorſum verſantes, perinde ac ſi de principatu ac ductu apud Platæas certaturi eſſent. Poſtquam autem venimus in denſum quoddam atque vmbroſum pro æſtatis tem-

Alludit ad contentio-

pore

nem & ambitionē Athenienſiū & Lacedæmoniorū, qua de principatu inter ſe ante pugnā Platæenſem cōtenderunt. Vide Herodotum.

*Forū Athenienſe: vnde & Heliaſtæ iudices vocabātur.

pore receptaculum, vbi commodè requieſcere licebat: Suauis hic locus, inquiens ego, (nā & ſupra verticem canorum quoddam reſonant cicadæ) in medio admodum iudiciali more conſidebam, ipſam illam ſuperciliis præ me ferens *Eliæam. Propoſita autem vtriſque ſorte ſuper eo, vtrum priore loco dicere oporteret, poſteaquam Charicles priorem locum ſortitus eſt, continuò vt auſpicaretur orationem, hortatus ſum. Ille verò cum dextera faciem paulum attriuiſſet cum ſilentio, & parumper ſuſtinuiſſet ſeſe, mox ad hunc fermè modum orditur: Te domina orationi meæ, Venus, te auxiliatricem preces meæ vocant. Nam cum omne opus, ſi vel exiguum propriæ ſuadelæ inſtillaueris illi, abſolutiſsimum eſſe ſolet, tum verò amatorii ſermones pręter cætera te indigent. Tu enim eorum germana adeò mater. Ades itaque mulieribus patrona, fœmina nimirum ipſa. Largire autem & viris vt maneant mares, perinde atque generati ſunt. Ego igitur ſtatim ab initio orationis primam omnium matrem, & totius generationis radicem ac ſeminarium, eorū quę propono teſtem aduoco. Dico autem ſacram illam vniuerſorum naturam, quæ primis illis inter ſe conglutinatis elementis mundi, terra videlicet, aere, igne & aqua, mutua illorum & temperata commiſtione omne procreauit animatum. Sciens deinde quòd omnes mortalis ſumus materiæ opificium, & quòd breue adeò tempus viuendi vnicuique fato præſtitutum eſt: alterius interitum, vt alterius ortus eſſet, excogitauit: ac morienti, id quod naſcitur, è diuerſo appendit, vt mutuis ſucceſsionibus in perpetuum tempus viueremus. Poſtquam autem impoſsibile propè erat ex ſingulis ſeorſim aliquid procreari, duplicem in vnoquoque genere naturam effinxit. Nam maribus quidem propria ſeminum quaſi quædam fundamenta largita eſt, fœminam autem perinde vt receptaculum quoddam genitalis ſeminis eſſe fecit. Communi igitur vtrique ſexui deſiderio indito, coniunxit inter ſe mutuò illos, lege neceſsitatis ſancta quadam præſcriptos, vt manerent propria vterque natura contenti, & neque fœmina pręter naturam in marem trāſiret, neq; mas indecorè ac turpiter emolleſceret. Atque hoc pacto virorum cum mulieribus conuerſationes, in hoc vſque tempus hominum vitam immortalibus quibuſdam ſucceſsionibus conſeruant: neque quiſpiam vir ex viro ſe natum eſſe gloriatur. Intra duo autem nomina venerabilia omnis honor manet eorum qui ex æquo matrem ac patrem adorant. Ab initio igitur cum adhuc Heroica ſeparet vita, & vicinam deorū coleret virtutē, legibus à natura conſtitutis obtemperabat: ac ſecundum ætatis menſuram cum mulieribus coniuncti, generoſorum patres fiebant liberorum. Paulò autem poſt tempus à magnitudine illa ad voluptatis deſcendēdo voragines, nouas & commutatas fruendi vias aperuit. Deinde, quæ nihil nō audet, voluptas, naturam ipſam contempta lege violauit. Atque aliquis igitur primus oculis aſpexit marem perinde vt fœminam, ex alterutra videlicet horum cauſa, aut quòd vi tyrannica eò illum compulerit, aut quòd verbis doloſè ac fraudulēter induxit. Conuenit autem in vnum lectum vna eadémque natura: ac ſeipſos inter ſe mutuò aſpicientes, neq; eorum quæ faciunt, neque quæ patiuntur, pudore affi-

ciuntur. Per rupes autem, vt dici ſolet, ſteriles proiecto ſemine, permutatione facta, pro modica voluptate magnā accipiunt infamiam. Dixeris verò eouſque tyrannicæ violentiæ audaciā ipſam progreſſam eſſe, vt iam & ferro naturam ſacrilego quodam modo deprædētur, ac marium virilitate exhauſta & exinanita, inuenerunt voluptatis ſuperuacaneos & appoſititios modos. Miſeri autem illi & infelices, vt eò magis pueri ſint, iam ne viri quidem amplius manent, ambiguū naturæ duplicis obſcuramentum, cum neque ad quod nati ſunt, conſeruentur: neque id ad quod tranſiere, habeant: flos autem ille qui in iuuentute adeſt ac manet, in ſenium præmaturum marceſcere ipſos facit. Simul enim inter pueros numerantur, & iam conſenuere nullum virilitatis interuallum habentes. Ita ſceleſta illa, & omnis mali magiſtra, mollities, voluptates impudicas aliam ex alia excogitando, in eum morbum qui ne dici quidem amplius decorè poteſt, prolapſa eſt, vt nullam videlicet partem petulantiæ & obſcœnitatis ignoraret. Quòd ſi verò in iis, de quibus ipſa Prouidentia legem ſanciuit, vnuſquiſque noſtrūm ſeſe firmaret ac perſiſteret, conuerſationibus iis quę cum mulieribus fiunt, contenti eſſemus, & ab omni conuicio ac probro vita noſtra pura atque integra foret. Certè inter ea animantia quæ nihil ex mala atque peruerſa affectatione deprauare poſſunt, illibata naturæ legiſlatura illa cuſtoditur. Leones non inſaniunt in leones: ſed quæ tempore ſuo accedit venus, in fœmineum ſexum concupiſcentiam illorum excitat. Taurus armenti dux cum bobus miſcetur, & aries totum gregem maſculo implet ſemine. Quid autem? An non ſuum bubilia ſectantur apri? Lupas autem ineunt lupi? Et vt in ſumma dicam, neque quæ aerem volatu perſtrepunt aues, neque quæ humidam aquæ ſortita ſunt manſionem*, neque etiam aliquod in terris animal congreſſum maris appetit, ſed manent inter ea immota Prouidentiæ decreta. Vos autem, ô fruſtra ſapientiæ nomine iactati, animal, vt verè dicam, vile ac malum, homines, quónam nouo morbo delinquentes, in mutuam inter vos contumeliam accenſi eſtis? Quónam animi cæco ſtupore effuſo, adeò ab vtraque aberratis via, fugientes videlicet ea quæ ſectari vos decebat, & contrà ſectantes illa à quibus refugere oportebat? Ac ſingula talia æmulari omnibus volentibus, ne vnus quidem poſtremò reliquus erit. Atenim hîc Socraticis iſtis etiam præclara illa oratio renaſcitur, qua puerorum quidem anditus, perfectis ratiocinandi viribus adhuc carentes, decipiuntur: illud autem quod iam per prudentiam ad ſummum euaſit, ſubduci facilè nequit. Animi enim amorē quendam comminiſcuntur: & cum corporis pulchritudinem vereantur amare, virtutis vocant ſeſe amatores. Ob quæ ſæpenumero riſu diffluere, in mentem mihi venit. Nam quid vobis accidit, ô nimium graues philoſophi, quòd id quod longo iam tempore ſui experimentum de ſe quale ſit, præbuit, cui canities accedens & ſenectus, virtutis teſtimonium dat, per negligentiam adeò dimittitis, omnis autem ille præclarus amor in iuuenem concitatur, cum tamen in eo ratio & vis colligendi nondum habeant ad quæ iudiciū conuertant? An hæc veluti lex quædam eſt, vt omnis quidem deformitas, malitiæ da-

*Haud ſcio an hic pro λικμῷ, νικμῷ legendum ſit, quod Latine forer nationem.

mnata ſit: pulchrũ autem quod eſt, id recta via vt bonum & honeſtum laudetur? At verò iuxta magnum veritatis interpretem Homerum,

Alius pulchro minus enitet ore,
At formam deus exornat virtute loquendi,
Quíque vident illum, verbis mulcentur, at ípſe
Intrepidus fatur ſuauis commiſta pudore,
Et medios inter vultu ſupereminet omnes,
Pérq; vrbem aſpiciunt venientẽ numinis inſtar.

Et rurſum alibi dicens inquit:

At tibi formoſo ſub corpore nulla fuit mens.

Certè formoſo illo Nireo cordatus Vlyſſes magis laudatur. Quo pacto igitur ſapientiæ quidem, aut iuſtitiæ, ac cæterarum virtutum, quæ cum perfectis viris conſortem & quaſi hæreditarium nactæ ſunt ordinem, nullus amor conueniens vobis eſt, pulchritudo autem in pueris illa, vehementiſsimos affectuum impetus excitat? Prorſus enim amari oportebat Phędrum propter Lyſiam, ô Plato, quem prodidit? Aut virtutem Alcibiadis amari probabile fuit, quandò ille deorũ ſtatuas amputãdo violabat, & ſacris Eleuſiniis illæ inter potandum iactatæ voces inſultabãt? Quis igitur amatorem illius fuiſſe ſe perhibet, cum Athenæ proderentur, & Decelía munitionibus obfirmaretur, ac tota vita ad tyrannidem ſpectaret? At donec quidem barba nondũ (iuxta ſacrum illũ Platonem) obſitus erat, omnibus amabilis fuit: poſtquã autem tranſiit à puero in virum, qua ætate intellectus (qui tamen imperfectus erat) totã ac plenam ratiocinandi vim conſequebatur, ab omnibus odio habebatur. Quid igitur affectibus turpibus verborum prætendentes verecundiam, animi virtutẽ appellãt, corporis elegantiam, iuuenum iſti amatores magis, quàm ſapientiæ? Atque hæc quidẽ à nobis dicta ſufficiant, ne videamur clarorum virorũ inuidioſè nimis mentionẽ facere. Parumper autem à vehementiori ſtudio ad veſtram Callicratida voluptatem deſcendendo, oſtendam puerorum conſuetudine muliebrem multò potiorem eſſe. Ac principiò quidem omnem ego delectationẽ cenſeo iucundiorem eſſe, quæ diuturnior eſt. Acuta ſiquidẽ voluptas, quæ celeriter præteruolat, priuſquam ſatis percipiatur cognitione ac ſenſu, deſinit. Illud autem quod lætitiã affert, quò magis abundat, eò potius eſt. Quare vtinam & vitæ longiores terminos parca ac tenax illa nobis præfiniiſſet Parca, & totum hoc ſpatium perpetua ſanitas gubernaret, nulla mentis perturbatione atque moleſtia interueniẽte. Feſtum enim diem, & quaſi quendã ſolennẽ conuentum, totũ hoc tempus perageremus. Verùm poſtquam maioribus bonis malignus deus inuidit, in præſentibus vtique rebus dulciſsima illa ſunt, quæ quã longiſsimè extenduntur. Mulier itaq; ab eo quando virgo fuit, vſque ad mediam vitæ ætatem, priuſquam omnino poſtrema illa ſenectutis ruga ſupéruenit, ad amplexandum apta ac digna viris cõuerſatio eſt: atque etiam ſi illa quæ formæ atq; ætatis tenerioris ſunt, effluxere, habet tamen aliquid experientia dictu ſapientius ac doctius quàm iuniores. At verò ſi quis puerum viginti annorũ aggrediatur, ille mihi certè videtur pathica affectione laborare, ambiguam videlicet venerẽ ſectando. Nam & duri ſunt membrorum tori iam adulti & viriles, & aſperum quidem, pro eo quod dudum molle ac tenerum fuit, denſatum crebra lanugine mentum: femora autem idonea ac commoda illa, ſetis quaſi quodam ſquallore obducta. Quę verò ſunt his occultiora, vobis, qui periculum eius rei feciſtis, cognoſcenda relinquo. In muliere autem ſemper omni & coloris reſplendet gratia, & largæ capillorum capitis texturæ, perinde ac ſuauiter floreſcentes hyacinthi nigricantes, aliæ quidem per tergum effunduntur ſcapularum nimirum decus, aliæ verò ſecundum aures & tempora, multò quàm in pratis apium eſt, criſpiores. Reliquum verò corpus ne minimo quidem crinis veſtigio ipſis ſubnaſcente, electro, vt aiunt, aut vitro Sidonio perſpicuum magis effulget. Cur autem non & voluptatum mutuos atq; alternos affectus perſequar, quãdoquidem ex æquo cum iis qui agendo afficiuntur, patientes quoque lætitiam capiunt? Propemodum enim non eodem modo vt bruta animantia, ſolitarias cõuerſationes amamus, ſed amica quodam modo ſocietate coniuncti, & ſuauiora quæ bona ſunt inter nos mutuò, exiſtimamus: & aduerſa itidem inter nos mutuò, leuiora. Vnde & inuenta eſt menſa communis, & amicitiæ mediatrice illa in medio poſita, debitam ventri adnumeramus voluptatem, non ſoli Thaliũ, ſi id fortè contingat, bibentes vinũ: neq; ſinguli per ſe pretioſis ac caris implentes nos obſoniis, ſed illud ſuaue ac delectabile putantes, quod quiſque cum alio capit: ac voluptates inter nos communicantes, maiori lætitia afficimur. Illi igitur cum mulieribus congreſſus, delectationis permutationem ac viciſſitudinem parem habent. Nam inter ſe mutuò vtrinque ex æquo afficientes, cũ maiori voluptate diſſoluuntur. Niſi verò Tireſię iudici accedendũ fuerit, quòd videlicet mulieris delectatio toto gradu virilẽ præcedit. Honeſtum autem eſſe arbitror, non ambitioſè, ac ſibi tantùm frui volendo, quo pacto priuatim aliquid commodi auferant, ſpectare, totã ab aliquo accipientes voluptatem: ſed illo quod percipiunt, diuiſo, paria facere, & ſimilia recompenſare. Atqui hoc de pueris dicere nemo adeò inſanus eſt qui poſſit: ſed alter quidem affectus, quocunque tandẽ modo hæc exiſtimat, voluptate velut exempta, ac propria quadã percepta, abit: illi verò qui cõtumeliam hanc paſſus eſt, principiò quidem dolores ac lacrymæ oboriuntur: Paulò verò poſt vbi per tempus dolor aliquid remiſit, magis, vt aiunt, nihil quicquam moleſtè feceris, voluptas autẽ ne vlla quidẽ aliqua. Quòd ſi autem & curioſius quiddam adſcitũ addere decet (decet autẽ in Veneris luco, opinor) muliere licet, Callicratida, etiã puerorũ modo aliquantulum vtendo, voluptatẽ capere, duplici fruendę illius via aperta: maſculũ autẽ quod eſt, nullo modo præbet delectationem atque vſum muliebrem. Quare etiã ſi vobis quidem placere poteſt, nos certè mutuò inter nos veluti quodam ſepto diſcludamur. Iam verò ſi maribus honeſtum adeò eſt cum maribus conſuetudinem habere, ament ſeſe mutuò de cætero etiam mulieres. Age nũc ô iunior ætas, & nouarum voluptatum inuentrix, poſteaquam nouas maſculæ mollitiei vias excogitaſti, largire & mulieribus parem poteſtatem. Congrediantur & illæ inter ſe mutuò, quemadmodum viri: laſciuorum autem inſtrumentorum iungentes inter ſe machinamentum, obſcurum atque monſtroſum, ex ſterilibus compoſitum, concumbat mulier perinde ac vir cũ muliere:

De his in Sympoſio & Phædro Platonis.

Vide Plutarchum in vita Alcibiadis, & Thucydidem.

illud

illud autem quod rarò auditum eſt nomen, & pudet
*τριβακῆς. ſanè dicere, *Tribadum obſcœnitatis iſtius, paſsim ac liberè vagetur: omne autem Gynæceum noſtrũ Philęnis, ſit ſemimares quoſdã amores turpiter agitans, & quantò melius eſt in maſculam libidinem cogi mulierem, quàm generoſum illud virorum in mulierem effœminari? Talia cum magna contentione, atque inter dicendum grauiter affectus poſtquam Charicles dixiſſet, conticuit, vehemens quiddam atque ferinum ex oculis intuens. Videbatur autem mihi & expiatione vti cõtra maſculos amores. Ego verò tacitè ſubridens, & ad Athenienſem oculos ſenſim conuertens: Luſus, inquam, & riſus, Calli cratida, iudicẽ conſediſſe me arbitratus, neſcio quo pacto, Chariclis vehementia ad ſerias atque ſeueras cogitationes abreptus ſum. Propemodũ enim quaſi in vico Martio de cæde atq; incendio, aut per Ioue etiã de veneficio certaretur, ſupra modum grauiter affectus fuit. Tempus igitur ſi vnquam antea fuit,
*Fortè le- nunc maximè eſt, vt Athenas ipſe repetas. * Pericli
dendũ, περὶ autem pare, ac decem illorum Rhetorũ linguas con
κλέους δεῶ tra Macedonas armatas, vnica tua oratione exer-
βῶ. i. Peri- ceas, actionum earũ quę in *Pnyce haberi conſueue
clis ſuade- runt, vnam aliquã ob oculos ponẽdo. Poſtquã igi-
lam. tur paululũ ſuſtinuiſſet Callicratidas, videbatur au-
*Locus A- tẽ (quantũ de facie coniecturã mihi facere licebat)
thenis fuit cõtẽtionis atq; timoris, miniſq; plenus eſſe, oratio-
vbi concio- nẽ ſuperiori aduerſariã orditur. Si mulieribus, in-
nes haberi quit, concionũ & fori cæterarúmque ciuilium rerũ
ſolebant. tractandarum facultas aliqua foret, dux nimirũ aut
præſes illarum ſuffragiis iampridem creatus eſſes: ac te ſtatuis ęreis per fora paſsim poſitis, Charicles, venerarentur. Ferme enim ne ipſę quidẽ de ſe ipſis, quæcunque aliquando ſapientia atque doctrina excellere exiſtimatæ ſunt, ſi quis ipſis dicendi poteſtatem permitteret, cum tanto ſtudio tantáque contentione dicerent: non illa quæ cõtra Spartanos armata proceſsit *Teleſilla, propter quam Argis inter
*De hac vi- Deos numeratur Mars muliebris. Non melliita illa,
de Pauſa- qua ſe Lesbus iactat, Sappho: & Pythagoricę doctri
niam in Ar- næ filia Theano. Fortaſsis autem neque Pericles ita
golicis. Aſpaſiæ ſuæ patrocinatus eſt. Verùm enim quandò honeſtum adeò eſt mares pro mulieribus dicere, dicamus ſanè & viri pro viris. Tu verò propitia nobis ſis Venus: nam & nos amorem tuum veneramur. Ego itaque exiſtimabam non vltra ludum ac iocum hilarem hanc contentionem nobis proceſſuram eſſe: quia verò verba ab hoc profecta, etiam philoſophari pro mulieribus in animum induxerunt, libenter occaſionem hanc arripui. Solus enim maſculus amor, commune virtutis ac voluptatis opus eſt. Optarim autem, ſi quo pacto fieri poſſet, & platanum illam quæ Socraticos olim ſermones auſcultauit, arborem Academia & Lycéo feliciorem, propè alicubi nobis adſtare, eo loco tamen natam, vbi Phædri
*Plato vi- accubitus fuit, quemadmodum *ſacer ille vir dixit,
delicet in gratia prædita plurima. Fortaſsis ipſa quoque, vt
Phædro. fagus illa Dodonæa, ex ramis ſacram erumpens vocem, puerorum amores prædicaſſet, memor adhuc formoſi illius Phædri. Verùm quia hoc fieri nullo pacto poteſt:

Nam quàm multi medii inter vtroſque
Montes vmbroſi, & reſonantes æquoris vndæ:

hoſpitéſque in terra aliena relicti ſumus, & quaſi quædam prærogatiua Chariclis Gnidus eſt: veritatem tamen haudquaquã prodemus. Tu modò nobis ætherie Deus in tẽpore aſsiſte, amicitiæ fautor, & arcanorum ſacerdos Cupido, haudquaquam prauus infans, qualem ludendo fingunt pictorũ manus, ſed quem prima rerum omnium primordia procrearunt, perfectum & conſummatum iam inde ab initio genitum. Tu enim ex obſcura atque confuſa deformitate vniuerſum hoc effigiaſti: proinde tanquã ſepulcro aliquo communi totius Mundi ſublato, circunfuſo chao videlicet, illud quidem in vltimi Tartari ſeceſſus fuga præcipitaſti, vbi verè ſtant

Ferrati poſtes, atque ærea limina portis:

vt ibi dura atque inſuperabili detentum cuſtodia, à reditu & via ad ſuperos repetenda prohiberetur, ſplendida autẽ luce obſcuræ nocti prætenta, omniũ & inanimatorum, & animam habentium, opifex extitiſti. Propriam autem ac ſingularem infundendo hominibus concordiam, graues illos amicitiæ affectus conglutinaſti: vt videlicet ex anima adhuc malitiæ omnis experte & tenera, beneuolentia illa ſimul enutrita, in perfectionem & quaſi quandam virilem ætatem conſummaretur. Nam nuptiæ quidem, ſucceſsionis neceſſariæ inuentæ ſunt remedia: ſolus autem maſculus amor, animi philoſophici quaſi quoddam imperatum eſt. Omnia verò ea quæ ex integro ac liberè ad decorem exercitatione prouehuntur, plus honoris conſequuntur, quàm illa quæ præſenti neceſsitate opus habent. Et omnino melius eſt honeſtũ, quàm quod fit neceſſariò. Proinde quàm diu quidem vita hęc hominum rudis & indocta fuit, neque adhuc dum quotidianam rerum experientiã, ad id quod melius eſt, per otium conuertere licebat, demiſſa atque abiecta, præſentibus tum neceſſariis rebus contenta erat: vrgens autem tempus, melioris viuendi rationis inuentionem non prębebat. At poſtquam neceſſarii quidem vſus, ac feſtinatio illa finem iam capiebat, ac poſterorum cogitationes à neceſsitate liberatæ, melioribus ſubinde occaſionibus ad inueniendum aliquid potius vtebãtur, paulatim ſcientiæ accreuerunt. Atque huius rei argumenta capere etiam ex vulgaribus atque inferioribus iſtis artibus licet. Nam ſtatim ſimul atque primi quidam homines creati fuere, contra famem diurnam remedium quærere cœperunt: atque ita circunuenti atque compulſi præſenti neceſsitate, cum inopia eligendi quod melius eſſet, facultatem non permitteret, fortuita qualibet herba victitabant, & radices molliores effodientes, & vt plurimum quercũ fructus comedentes. At poſterior ætas, hæc brutis animantibus edenda abiecit: ſationem autem frumenti & hordei, agricolarum diligentia ac ſtudium inuenerunt, reperta ratione qua illa quotannis renaſcerentur. Ac nemo adeò inſanus fuerit, puto, qui dicat quòd quercus quàm ſpicæ meliores ſint. Quid autem? an non ſtatim quidem à principio vitæ homines cùm tegumento corporum indigerent, vellera excoriatis feris induerũt, & ſpeluncas montium, quas contra frigus ſubirent, excogitarunt? aut rurſus truncorum aut arborum aridas cõcauitates? Facta autem deinde ex his imitatione, eáque in melius ſemper promota, veſtes quidem ſibi ipſis texere cœperũt, ac domos ædificarunt, atque ita interim dũ non animaduertũt, artes quæ circa hæc ver-

ſantur, accepto tempore quaſi quodã magiſtro, pro tenui ac vili quidem panno veſtem meliorem facere ac variegare cœperunt: pro contemptis autem & humilibus domunculis, alta tectorũ faſtigia, & marmorum ſumptuoſa ædificia excogitarunt, ac nudam parietum deformitatẽ floridis colorũ tincturis depinxerunt. Niſi quòd ſingulæ iſtæ artes atque ſcientiæ, mutæ cum ſint, & profundæ obliuioni ſubiectæ, tanquam à paruo fomite paulatim ad proprios effloreſcendo peruenerunt radios. Vnuſquiſque enim à ſe aliquid repertum, poſteriori tradidit, atque ita ſucceſſu iſta accipientiũ, ſemper aliquid iis quæ antea didicerat, apponẽdo, quod defuit expleuit. Ne quis igitur amores maſculos ab antiquis temporibus depoſcat. Nã tum mulieribus conuerſari neceſſe erat, ne prorſus abſque ſemine nobis genus noſtrum interiret. Variæ autẽ doctrinæ, elegantioris huius vitutis concupiſcentiæ, vix tandem per tempus (quod nihil intentatum aut imperueſtigatum relinquit) in lucem venturę erant, vt cum diuina Philoſophia & puerorum amores vnà adoleſcerent. Quare Charicles ne quod antea inuentum non fuit, id poſtea excogitatum, iterum tanquam vile ac malum argue, néve ob id quòd puerorum amoribus muliebres cõgreſſus antiquioribus inſcribuntur temporibus, minores alteros putes. Sed vetera quidem exercitia, neceſſaria exiſtimamus: quæ verò poſtea per otium cogitationibus incumbens vita adinuenit, ea vt illis meliora in pretio habenda atque colẽda ſunt. Nam mihi quidem parum abfuit quin etiam ridere paulò antè in mentem veniret, Charicle videlicet bruta animantia, & Scytharum ſolitudinem laudante. Propè autem præ nimia contentione etiam pœnitentia ducebatur quòd Græcus eſſet. Neq; enim veluti qui contraria loqueretur, quæ dicere aggrediebatur, eorum verba ſubmiſſo ac timido vocis tono furtim efferebat, ſed elata voce proclamans, Haud amant, inquit, ſe mutuò leones, neq; vrſi, aut ſues, ſed illorum ea concupiſcentia ſolùm dominatur, qua erga fœminas accenduntur. Et quid hoc adeò mirum? Quæ enim ex ratiocinatione meritò aliquis capit, ea illis qui ratiocinari nequeunt, conſe qui non licet: quoniam certè Prometheus, aut alius deorum quiſpiam, ſi mentem cuilibet humanam indidiſſet, haudquaquam ſolitudo & vita montana paſceret illos, neque mutua atque promiſcua pabula haberent, ſed ex æquo nobiſcum ſacra verentes, & medias ædes priuatorum quiſque habitans, communibus regerentur legibus. Quid igitur mirũ aut alienum, ſi animalia naturæ damnata, quæ nihil eorum quę ratio ſuppeditat, à prouidentia accipere per fortunam vnquam potuere, cum cæteris rebus etiam concupiſcentia in mares, priuata ſunt? Non amant ſeſe leones. neque enim philoſophantur. Non amãt vrſi. non enim honeſtum ac pulchrum illud quod in amicitia eſt, norunt. At hominum illa cum ſcientia coniuncta prudentia, ex eo quod ſæpius periculum fecerat, optimum quod erat eligens, firmiſſimorum amorum iudicauit eſſe maſculos. Nequaquam igitur, Charicles, proteruæ & intemperantis vitæ collectis meretriciis narrationibus grauitatem noſtram ſermone nudo inſecteris, néve cęleſtem illum Amorẽ infanti huic connumeres, ſed vel nunc tandem apud te conſidera, quoniam id nunquam antea feciſſe videris, quòd duplex deus Amor eſt, haudquaquã vna uia ventitans, neq; vno ſpiritu animos noſtros accendens, ſed alter quidem (quantum equidem arbitror) valde puerilia ac ſtulta ſapiens, nulla ipſius mentem ratione gubernante, frequens in animis inſipientium congregatur, præcipuè autem ipſi muliebria deſideria curæ ſunt. Et hic eſt quotidianę iſtius contumeliæ ſocius, abſque diſcrimine cuicunque volenti ſeſe celeriter applicans. Alter autem

Amor parens veterrimorum temporum,
Spectaculum viſu graue, & prorſus ſacrum,
Cuſtóſque temperatiorum affectuum,

blandum quiddam mentibus vniuſcuiuſq; inſpirat: ac propitium hunc Deum ſortiti, voluptatem virtute immiſtam amplectimur. Geminos enim re vera iuxta tragicum ſpiritus efflat amor. Vnum autem & commune nomen affectus diſſimiles habent. Nam & verecundia vtilitatis pariter & damni ambigua atque anceps dea eſt, Quæ ſimul & fructus homini, & mala plurima confert. Iam verò neq; contentionum genus vnum eſt, Terræque per orbem

Verſantur geminæ: quarũ hãc cũ laude ſequũtur
Prudentes, illam damnant ceu fraudis amantem.

Nihil igitur nouum aut mirum, ſi affectus peior virtuti communem appellationem fortè nactus ſit, ita vt amor vocetur & intemperans illa voluptas, & modeſta hæc beneuolentia. Nuptias igitur, inquit, pro nihilo putas, & fœmineum genus è vita expellis: deinde quo pacto homines conſeruabimur? Beatum ſanè quiddam fuerat, iuxta ſapientiſsimum Euripidem, ſi abſque illo cum mulieribus cõgreſſu ad ſacra & templa Deorum ventitantes, argento atque auro liberos à ſucceſsione mercari poſſemus. Neceſsitas enim graui ceruicibus noſtris iugo impoſito, imperatis parère nos cogit. Quod pulchrum igitur eſt, id ratione eligimus: neceſsitati autem cedat vtilitas. Quantum igitur ad liberos procreãdos attinet, mulieres in numero aliquo ſint: in cæteris verò rebus apage ne mihi vlla fuerit. Quis enim ſanæ mentis ſuſtinere queat, à ſummo ſtatim mane mulierem comentem atque exornantem ſeſe alienis atque adſcititiis impoſturis? Cuius vera ac natiua facies, turpis eſt: peregrina autem ornamenta, naturæ deformitatem tegunt, atque aſpicientibus imponunt. Quòd ſi igitur ad auroram contempletur aliquis mulieres à nocturno lecto ſurgentes, turpiores putabit eſſe beſtiis, quæ intra vnam horam nominari aut excitari ſe difficillimè patiuntur. Vnde diligenter domi concludunt ſeſe, vt ne ab vllo viro conſpiciãtur. Aniculæ autem & ancillæ, conſimilis formæ turba, circunſtant, variis medicaminibus infelices illas facies inficiendo ac medicando reſtituentes:

Neque enim latice meri
Aquæ profundam vbi abluêre crapulam,

protinus ad ſerium aliquod ſtudióque dignum accedũt negotium, ſed crebræ medicamentorum compoſitiones fœdam faciei cutem expoliunt. Perinde autem vt in publica pompa, alia ſubinde aliæ ancillarum inſtrumenta manibus exhibent, pelues videlicet aureas, & gutturnia, ſpeculáque, & quemadmodum in pharmacopolio, pyxidum turbam, & vaſcula plena multæ infelicitatis, in quibus dentium vis abſterſiua, aut palpebris denigrandis ars comparata veluti theſaurus quiſpiam ſeruatur. Plurimam autem

Quatenus] mulierum cõſuetudine vtendũ.

tem partem consumit textura capillorum. Nã aliæ quidem medicamentis rubefaciendi vim habentibus ad Solis meridiẽ capillos perinde vt lanarum coloribus flauo inficiũt fulgore, propriam damnantes naturam. Aliæ verò quibus sufficere ad formã nigra coma videtur, omnem maritorum opulentiã in hanc expendunt, totam propè Arabiam ex capillis redolentes, ferreáque instrumenta ignis obtusa ac modica flãma calefacta, vi quadam cincinnorũ flexus inter se implicant. Ac curiosius quidem compositæ illæ, & ad supercilia vsq; attractæ comæ, breue interstitium fronti relinquunt. Post tergum autem in scapulas vsque demissi capilli, insolẽti quodam modo succutiuntur. Huc accedũt & variis coloribus tincta sandalia intra carnem pedes ipsos adstringentia, & tenuis atq; pellucida, prætextu tantũ assumpta, vestis, ne corpus ipsum nudatum esse videatur. Omnia autem quæ intra ipsam sunt cognitu faciliora quàm facies, vsque ad turpiter propendentes istas mamillas, quas semper circunferũt obligatas ac vinctas. Quid autem opus est opulentiora illis mala recensere? lapillos videlicet Erythræos ab extremis auriculis numeroso põdere suspensos, aut illos circũ manus & brachia euntes dracones? qui vtinam verè pro auro dracones sint. Etiam corona caput circumcirca ambit, lapillis Indicis stellata: pretiosa autem de ceruicibus monilia dependent, & vsque ad extremos pedes miserũ illud descendit aurum, omne quicquid tali vbique nudum est, reuinciens & adstringens. Dignũ autem fuerat, ferro potius religata crura ista vinciri. Iã verò vbi totum corpus adulterinæ istius formositatis fallaci elegantia quasi quibusdam præstigiis efformatũ fuerit, impudentes etiam genas rubefaciũt illitis fucis, vt videlicet nimium ipsarum & pinguem colorem, purpureus ille nitor insuper additus rubere faciat.

* Colias & Genetyllis Veneris cognomenta sunt apud Aristophanẽ. Comus autẽ saltationis species pastoralis, & itẽ Phrygia, quibus etiã inter cõuiuia vtebantur. Apparet ergo mulierum mores & insolentiã in publicis cõuentibus, spectaculis & saltationibus notari.

Quæ igitur vita porrò tantum apparatum consequitur? Nempe statim è domo egressiões, & omnis spectator atterens atque enecans maritos. *Quorũ nonnullorum infelices viri, ne ipsa quidem nomina norunt, Coliadas, si foras ita ferat, & Genetyllidas, * aut Phrygiam illam deam, & Comũ amore perditum in pastore. Sacrificia autẽ arcana, & absq; viris suspecta mysteria. Quid enim attinet & animorum corruptelas cõplecti? Postquã autem his peractis iterum discesserũt, domi statim prolixa balnea, ac sumptuosa quidem & lauta mensa, erga viros autem multa ac simulata recusatio. Postquam enim nimisquàm repletæ fuerint sua ipsarum gulositate, cum amplius neque guttur ipsarum cibi quicquam recipere potest, summis digitis velut inscribentes, appositorum vnũquodque degustant, noctes ad hæc narrantes, & diuersorum corporum somnos, & mulierbritate lectum refertum, ex quo surgens quisque statim lauacro opus habet. Atq; hęc cõstãtis vitę argumẽta sunt. At verò quæ acerbiora sunt, si quis veritatẽ ex parte modò diligẽtius persequivelit, verè execrari Prometheũ posset, in Menãdri illã erũpẽdo vocẽ:

Ergo immerentẽ dictitãt Promethea
Pendêre fixum Caucasi de rupibus?
Et geritur illi lampas, at aliud nihil
Boni. quod omnes autumo odisse superos,
Fecit mulieres, proh supreme Iuppiter
Genus scelestum. ducit aliquis coniugem?
Clàm ducit, & quodam modo oblitus sui.
Nam cupiditates mox sequuntur plurimæ,
Toróq; adulter nuptiali subsidens
Illudit. hinc nascuntur insidiæ & metus,
Et temperata toxico mala pocula,
Morbíq; varii, atque omnium grauissima
Inuidia, cum qua mulier omne æuum exigit.

Quis hæc bona videlicet sectatur? aut cui vita adeò infelix ac misera animum demulceat? Aequum igitur fuerit mulieribus istis malis opponere masculã puerorum viuendi rationem. Nam mane surgẽs ex lecto haudquaquam coniugali, postquã residentem in oculis somnum reliquum aqua simplici absterfit, sacra chlamyde humeralibus fibulis adstricta, à paternis ædibus egreditur demisso in terram vultu, ac neminem ex omnibus ex aduerso intuens. Comites autem & pædagogi, turba ipsum decens, sequuntur, venerabilia virtutis instrumenta manibus tenentes, non fecti pectinis incisuras, quibus coma demulceri queat, neque specula, repercussarum formarũ absque penicillo expressas effigies, sed vel multiplices pugillares à tergo sequuntur, vel veterum virtutes operum custodientes libelli. quòd si etiam in ludum Musici itare illum oporteat, apta atque sonora lyra. Omnibus autem philosophicis animi disciplinis abundanter exercitatus, vbi iam mens cyclicis illis bonis satiata fuerit, corpus quoque liberis exercitationibus exercet. Nam Thessali equi curæ illi sunt: ac breuiter iuuentutẽ domãs ac subiugans, in pace meditatur res bellicas, emittẽdo spicula, & euibrando iacula, perita ac certa feriendi dextera. Deinde & nitidæ palæstrę, & ad Solis meridianum calorem oppletur puluere corpus densatum, destillantésque contentioforum laborum sudores, post quos lauacra breuia, & mensa sobria, rebus paulò pòst gerendis non aduersa. Rursum enim ipsi tum præceptores, & veterum operum exempla repetentes, atque in his cum cura versantes recordationes, nẽpe quis heros virilis ac fortis fuerit, aut quis obprudentiã publico testimonio laudatus, aut qui iustitiam ac temperantiam amplexati fuerint. At talibus virtutibus tenerũ adhuc animũ imbuens, quando iam vesperarebus gerendis finem imponit, tributo quod ventri ex necessitate debetur depenso, suauiores somnos dormit, post diurnos istos labores ad tẽpus conquiescẽs. Quis igitur amator ephebi talis nõ fieret? Aut cui ita hebes oculorũ quidẽ fuerit acies, cæcæ verò atque offuscatæ mentis rationes? Quomodo verò nõ amaret illum in palæstris quidem Mercuriũ, inter lyras autẽ Apollinẽ, equitatorẽ verò Castorẽ, diuinas autẽ virtutes mortali prosequentem corpore? At mihi quidẽ, ô Dii cælestes, vtinã vita sit hęc perpetua, ex aduerso amici sedere, & suaue loquentẽ propè audire: cũ exeunte autem pariter exire: & in summa, omne cum eo opus commune habere. Optarit igitur amator quispiã per illęsam & incõcussam vitã amasiũ suũ absq; omni molestia ad senectutem peruenire posse, nullius fortunæ inuida impressiõe labefactatũ. Quòd si verò etiã, qualis humanæ naturæ cõditio est, morbus quispiã inuaserit ipsum, cum laborante pariter ægrotabo: & si per intempestum mare in altum tollatur, cum eo simul nauigabo. Quòd si etiam tyrannica vis vincula illi innectat, par ferrum mihi ipsi

quoque circundabo. Et quicũque illum oderit, idẽ mihi inimicus quoque erit. Si verò prædones aut hoſtes videam in ipſum graſſantes, etiã vltrà quàm potero armabor: & ſi moriatur, viuere neq; ipſe ſuſtinebo. Poſtrema autem mãdata iis quos proximè poſt illum amaui, iſta dabo, vt commune ambobus ſepulcrum accumulent: oſsibus autem permiſcendo oſſa, ne mutuũ quidem puluerem à ſe mutuò ſe gregari ſinant. Atque hæc non primi ita effingunt mei erga dignos amores, ſed illa Diis proxima heroum prudentia velut quadam lege ſanciuit, in quibus amicitiæ amor ille ad mortem vſque durauit, & vnà cum vita tandem expirauit. Phocis ab infantilibus adhuc annis Oreſtẽ Pyladi coniunxit: Deum autem cum mutuorũ affectuum velut mediatorem quendã accepiſſent, perinde atque in vno eodémq; vitæ nauigio ſimul nauigarunt. Ambo Clytæmneſtram interemerunt, vti Agamemnonis filii: ab ambobus Aegiſthus occidebatur: & furiis, quibus Oreſtes exagitabatur, Pylades magis, quàm ille, infeſtabatur: idémque cum illo, cum iudicaretur, periculum ſuſtinebat. Amatoriam autem amicitiam non Græciæ modò terminis metiebantur, ſed ad extremos Scytharum fines nauigarũt, alter quidem morbo laborans, alter autem curã adhibens. Tauricam quippe terram aſcendentes, ſtatim occiſæ matris vltrix Erinnys perinde atq; hoſpitio ipſos excepit. Ac barbaris vndique circũſtantibus, alter quidem ex conſueta inſania collapſus iacebat, Pylades autem

Ex Iphigenia Tauri-ca Euripidis.

Spumam oris abſtergebat, atque corporis
Curam gerens, tegebat illud veſtibus,

non amatoris modò, ſed & patris affectum præ ſe ferens. Quando igitur iudicio lata ſententia fuerat, vt altero ad ſupplicium & cædẽ manente, alter Mycenas proficiſceretur ad afferẽdas literas: ambo manere alter pro altero volunt, vterq; in altero viuente ſe ipſum viuere exiſtimans. Reiicit autem & epiſtolas à ſe Oreſtes, tanquam Pylade digniore qui illas acciperet, tãtũ nõ amator pro amato redditus.

Nanque hunc perire occiſum (inquit) onus mihi graue:
Ego enim ille ſum, qui hoc cõcilio nobis malũ.

Et paulò pòſt ait:

Huic quidem da literas,
Argos enim mittam, tibi vt res bene habeat:
Occidat autem nos, cui opus.

Nam vniuerſum negotiũ ita ſe habet. Quãdo enim à puero dignus ac ſerius ille amor ſimul enutritus, in eam ætatẽ quæ iam ratione vti, aliàq; ex aliis colligere poteſt, confirmatus fuerit: id quod olim amatum eſt, mutuos atque alternos amores viciſſim redit: adeóq; difficile eſt ſentire vter alterius amator exiſtat, perinde vt è ſpeculo, ſimili amantis beneuolentiæ, in amatum recidente imagine. Quid igitur ceu peregrinam voluptatẽ nobis exprobras, id quod vitæ noſtræ proprium eſt, diuinis legibus definitũ, & per ſucceſsionem ad nos tranſmiſſum? Libenter verò ipſum recipientes cum pura mente, veluti ſacram quandam rem tractamus. Nam verè beatus ille eſt iuxta ſapientum ſententiam,

Cui pueri molles, & equi ſolidã vngulã habẽtes:
Atque ſenecta viro minus intolerabilis illi eſt,
Si quem adamant pueri.

Socraticæ verò doctrinæ, & ſplendidũ illud virtutis examinandæ iudicium, etiã Delphicis oraculis approbatum eſt. Oraculum enim veritatis Pythius ille ex adyto dedit, Virorum omniũ Socrates (inquiens) ſapientiſsimus: qui pariter cum cæteris diſciplinis, quibus vitam hominum promouit, & puerorum amorem ceu rẽ præcipuè vtilem adinuènit. Conuenit autem iuuenes amare, perinde vt Alcibiadem Socrates, qui ſub vna atque eadem chlamyde patris ſomnos dormiuit. Atque equidem Callimachi illud præconium ad finem orationis libentiſsimè cunctis apponerem:

Defenſio Socratis.

Nanque, vtinã, cupido ſectantes lumine amatos
Hercius vt pueros iuſsit amare ſenex,
Sic & ametis eos, fortíq; habitetis in vrbe.

His cognitis, adoleſcẽtes modeſtè pueris bonis cõuerſamini, neque modicæ delectationis gratia, longa effuſa beneuolentia, vſque ad vigorẽ modò ætatis fictos ac ſimulatos amandi affectus protendite, ſed cæleſtem amorem adorantes, à pueris vſque ad ſenectutem ſtabiles animorum motus conſeruate. Nam hoc pacto amantibus, ſuauiſsimum quidem vitæ tempus eſt, nulla inhoneſta conſcientia cohabitante. Celebris autẽ & multa poſt mortem illorum fama ad omnes paſsim promanat. Quòd ſiverò cõuenit philoſophorum pueris fidem adhibere, etiam æther poſt terram excipit eos qui hæc ſectantur. Illi autem meliori fato morientes, virtutis præmium hoc incorruptibile conſequuntur. Atque hæc cum Callicratidas valde iuueniliter iactando amplificaſſet, Chariclem quidem denuò dicere conantem repreſsi. Tempus enim erat vt ad nauem deſcenderemus. Rogantibus autem vt de eo quod mihi ſapere viderentur, ſententiam ferrem, pauliſper vtriuſque verbis connumeratis & perpenſis, Haudquaquam ſubitò, inquã, ac temere videntur, amici, orationes iſtæ à vobis effutiæ, aut citra præmeditationem compoſitæ eſſe, ſed continuæ, longæq;, & per Ioue etiã ſolidæ cuiuſdam curæ manifeſta hæc veſtigia ſunt. Propemodum enim nihil eſt quod abvtroque dici potuerit, quod prætermiſſum ſit. Ac multa quidem rerum experientia, maior autem orationis grauitas: vt ego quidem optarim, ſi modò poſsibile foret, vel Theramenes ille cothurnus fieri: vt ambouiatores ex æquo hinc diſcederetis. Veruntamẽ quoniam ipſi nihil remiſſuri videmini, & ego inter nauigandum de iiſdem rebus haudquaquam admittere turbam aliquam iterum conſtituit: id quod mihi maximè videtur iuſtum eſſe, pronũtiabo. Nuptiæ quidem ad vitam hominum promouendam res in primis vtilis & beata, quoties ex ſententia cõtingunt: puerorum autem amores quotquot amicitiæ puram & caſtam iura conciliant, ſolius philoſophiæ opus exiſtimo. Quare ſanè coniugio quidem vacandum omnibus eſt: pueros autẽ amare, ſolis philoſophis relinquatur. Minimè enim mulieribus perfecta ac ſolida virtus innaſcitur. Tu verò Charicles nequaquam ægrè feras ſi Athenis Corinthus hic cederet. Atque ego quidem præ verecundia breui oratione iudicio ita tum approperato ſurrexi. Animaduertebam enim Chariclem ſuprà quàm triſtem eſſe, propemodum non aliter ac ſi morte damnatus eſſet: Athenienſis autem alter læto quodam modo alacer exiliens, incedebat valde inſolenter. Putaſſes

Sententia Luciani de amore maſculo.

taſſes ipſum circa Salaminẽ nauali prælio Perſas ſuperaſſe. Etiam illud ex iudicio hoc cõſecutus ſum, quòd ſplendidiore cõuiuio nos idem accepit, dum victoriæ epulũ nobis præbet. Erat enim aliàs quoque, quod ad vitam attinet, magnificentior. Tacitè autem & Chariclem conſolatus ſum ob grauitatem verborũ, aſsiduè admirando quòd difficiliori parti tam potente oratione patrocinatus eſſet. Cæterùm ea tum in Gnido commoratio, quæq; apud ipſam Deam verbis vltro citroq; iactata ſunt, habentia pariter & ſerium hilare, & eruditionẽ à Muſis nõ alienam, ad hunc ferè modum dirempta ſunt. Tu verò Theomneſte, qui antiquarum adeò rerum harũ mamoriam nobis excitaſti, ſi tum iudex fuiſſes, quo pacto ſententiam tuliſſes? THE. Melitidem aut Coræbũ me putas eſſe, per deos, vt ego iis quæ abs te iuſtè adeò iudicata ſunt, contrariam ſententiam ferrem? qui quidem præ ſumma eorum quæ modò dicebantur, voluptate, in Gnido commorari me putabam, propemodũ paruam hanc domũculam ipſum illud templũ eſſe exiſtimans. Sed tamẽ (nihil enim, puto, in hac diei feſtiuitate indecorè dicetur, & omnis riſus, etiam ſi nimius & affectatus fuerit, ſolennis eſſe, & ad feſtum pertinere videtur) orationem illam ab amatore puerorum cum nimio ſupercilio prolatã, admirabar quidem ob grauitatem, verùm non admodum ad demulcendum animum facere arbitrabar, cum puero nondum pubeſcente conſuetudinem quotidianam habere, & interim Tantali pœnas ſuſtinere, ac pulchritudine in oculis tantùm nõ exundante, cum haurire ac bibere liceat, ſitim malle pati. Neq; enim ſatis eſt aſpicere eũ quem amas, neque ex aduerſo ſedentem atque loquentem audire, ſed perinde atque ſcalis quibuſdam voluptatis compactis, amor primum gradũ viſus habet, vt aſpiciat videlicet amatũ: deinde vbi aſpexerit, cupit adductum ad ſe propius etiã contingere. Summis itaque digitis tametſi ſolùm attigerit, fruitionis iſtius delectatio totum mox corpus percurrit. Poſtquam autem etiam hoc potius facilè eſt, tertium experimentum addit, nempe baſiationis, nõ ſtatim curioſum illud & affectarũ, ſed paulatim labia admouendo labiis: quæ priuſquam planè contingat, rurſum abſiſtit, nullo ſuſpicionis veſtigio relicto. Deinde verò ad id quod porrigitur, applicando ſeſe, exquiſitioribus ſemper quidem amplexibus illiqueſcit, interdum etiam ipſum os tacitè diducens: manuũ autem nullam admittit ſegnitiem. Nam manifeſtæ ac mutuæ eorum quæ ſenſu percipiuntur amplexationes, voluptatem cõglutinãt. Aut clàm dextra molliter per ſinum ſubingreſſa, mamillas pro ſua natura modicè extantes premit, & adſtricti ſolidíque ventris plenum atque exuberans illud digitis cõtrectat æqualiter. Poſt hæc & primam ſuccreſcentis pubis lanuginem. Ac quid attinet me occultiora iſta longius perſequi? Tantã igitur nactus poteſtatẽ amor, calidioris cuiuſdam rei opus attingit, atque ita à ſe moribus quaſi quodam exordio facto, iuxta Comicum, ipſum percutit. Mihi quidẽ ita amare pueros cõtingat. Illi verò de ſublimibus diſputãtes, & quicunque philoſophiæ ſupercilium vltra ipſa tempora adductum habent, tumidorũ verborum inſolentia rudes & imperitos paſcãt. Amori enim deditus fuit, vt quiſquã alius, Socrates: & ſub vno eodemq; cum ipſo pallio accũbens Alcibiades, haudquaquã intactus inde ſurrexit. Ac ne mireris. non enim neque Patroclus ab Achille amabatur eouſq; modò, vt ex aduerſo illi ſederet

Aeacidem expectans, dum cantus finiat ille:
ſed erat & illorum amicitiæ mediatrix voluptas. Cũ igitur gemeret Achilles Patrocli mortem, parum cuſtodito affectu in veritatem erupit,

Femorum & tuorum ſancta cõuerſatio Melior, inquiens.

Illos verò qui apud Græcos Comaſtæ ſeu Comeſſatores appellantur, nihil aliud quàm certos ac manifeſtos amatores puto. Fortaſsis autẽ dixerit quiſpiam turpia hæc dictu eſſe: vera certè tamẽ ſunt, per ipſam Gnidiam Venerem. LVCIA. Haudquaquã feram te, chare Theomneſte, aliud principium tertii ſermonis ſerentem, quod audire ſolenni ac feſto die ſolùm par eſt. Cætera verò ab auribus meis procul hinc ablegare decet. Sed omittentes plus temporis commorando hic accumulare, in forum hinc exeamus. Iam enim probabile eſt accẽdi deo rogũ. Eſt autem non iniucundũ ſpectaculum, eorum quæ ille in Oeta paſſus eſt, memoriam in animum reuocans præſentibus & ſpectantibus.

IMAGINES,

Vincentio Obſopœo interprete.

ARGVMENTVM.

Effigiat hoc dialogo Lucianus typum ſiue exemplar formoſiſſimæ atque honeſtiſſimæ mulieris, quæ non tantùm pulchritudine corporis perfecta & numeris omnibus abſoluta ſit, verùm etiam eas animi dotes, eámque morum venuſtatem ac gratiam habeat, quæ fœminarũ propriiſſimæ ſint, & pro perſonæ qualitate quamque maximè commendent. Ac priorem quidem deſcriptionem, corporis ac formæ videlicet, ex ſua perſona effingit, collatione facta omnium earum & ſtatuarum & imaginũ quæ vnquam à clariſſimis artificibus factæ præcipuè celebrantur, ſumendo ex vnaquaque quod in ea potiſſimũ fuit, ac plurima laude nobilitatum. Alteram autem, quæ ſermonis ac vocis ſuauitatem, eloquentiam, ſtudia, cognitionémque liberalium ſcientiarum, praterea ſapientiam quoque ac prudentiam, modeſtiã, pudicitiam, & (quam in hac cum primis commendat) animi æquabilitatem ac moderationem deſcribit: ſub Polyſtrati cuiuſdam perſona, cum quo dialogum hunc inſtituit, proponit, etiam ipſam collationibus exemplorum cum poeticorum tum hiſtoricorum eodem modo illuſtratam. Vtrum autem Imperatoris alicuius eorum ſub quibus ipſe vixit, an externi regis cuiuſpiam vxorem, aut etiam concubinam, hoc tam exquiſito ac ſingulari encomio celebret, dubitari poteſt. Nam Traiani quidem atque Adriani vxoribus, ſub quorum imperio pleraque ſcripſit, & nomen & patria repugnare videntur, cum altera Plotina, altera Sabina dicta fuerit: hanc autem ipſe, vt illam apud Xenophontem Abradatæ vxorem, Pantheam vocari dicat, & ex Smyrna Ionica ciuitate natam fuiſſe. Et tamen appellatione regis Magni, qua veteres Græci ſolum Perſarum regẽ nominabant, idem infra etiam Imperatorẽ Romanum deſignat: cum in Toxari ait Diniam à præfecto Aſiæ ad regem Magnum (quanquam ibi regem Perſarum,

Perſarũ, qui tum nullus fuit, Eraſmus quoque verterit) in Italiam miſſum, & ab eo damnatum in Gyarum inſulam relegatum fuiſſe.

LVCIANVS, POLYSTRATVS.

AT profectò tali quopiam illi abſumpti ſunt exitio, quibus Gorgonis facies cõſpecta eſt, quali ego paulò antè penè interiiſſem, ô Polyſtrate, viſa ſumma forma muliere: & quod in ea fertur fabula, parum abe rat quo minus ego ſaxum ex homine factus ſim, ſpectaculi admiratione rigore attracto. POL. O Hercules, inuſitatum quoddam & nouum dicis ſpectaculum, nimiſque violentum, ſi Luciano quoque ſtuporem induxerit meliercula. Hoc equidem formoſis cõſpectis iuuenibus facilè tibi ſolet accidere, ita vt quiſpiam citius totum Sypilum loco dimoueret ſuo, quàm te à formoſis queat abſtrahere: qui nõ ſolùm hianti ore illis aſſiſtere conſueuiſti, ſed lacrymas quoq; nõ rarò profundere tibi moris eſt, quẽadmodum illam perhibent Tantali filiam. Verunta men reſponde mihi, quæ illa tandem eſt Meduſa ſaxifica, & vnde generis ortum ducit, vt & nos illam videamus? Neq; enim, vt mea eſt opinio, nobis inuidebis ſpectaculum, neque zelotypiæ morbo laborabis, ſi & nos illa conſpecta rigore concreuerimus. LVCIA. Atqui hoc planè tibi compertũ eſſe oportet, quòd ſi ex ſola ſpecula illam intuitus fueris, mutum illico ac ipſis ſtatuis immobiliorem te faciet. Et fortaſſe quod dixi, leue eſt præ hoc quod dicturus ſum. Vulnere quoque non admodum tempeſtiuo te conſauciabit, ſi coràm ipſe illam intueberis. At ſi illa conuerſis oculis temet inſpexerit, quæ facultas tibi relinquetur te ab illa auellendi? Abducet te alligatum quocunq; collibuerit, quemadmodum lapidem Heracleũ ferrũ ad ſe attrahere perhibẽt. POL. Deſine verò ô Luciane prodigioſam quãdã & monſtrificã effingere pulchritudinẽ. Sed hoc mihi expedi, quænam illa fuerit mulier. LVC. An tu me oratione eius formam immodicè attollere exiſtimas, qui vereor ne eã tibi iam viſam, ingenii culpa atq; infirmitate nimis ieiunè laudarim? Tãtò tibi eius facies oratione mea amplior videbitur atq; excellentior. Cæterùm quænam ſit, mihi non promptum eſt dicere. Magnus circa illam cernebatur cultus, & apparatus ſplendidus. Eunuchorum numero ſo ſatellitio ſtipata, multis præterea aliis & illis teneris puellis comitata incedebat. In ſumma, omnia erant ampliora, quàm quæ priuatæ fortunæ medio critas ſuſtentare poſsit. POL. Ergo ne nomẽ quidem inaudiſti tu, quænam vocaretur? LVC. Ne nomen quidem teneo, niſi hoc ſolum, illam eſſe oriundam ex Ionia. Siquidẽ ſpectatorum quiſpiam, conuerſis in proximum oculis quando præteribat, Tales, inquit, Smyrnææ ſunt pulchritudines. Nihil autem mirandum eſt ſi ex Ionicis vrbibus pulcherrima, mulierem produxerit pulcherrimam. Viſus verò eſt & ille mihi Smyrnæus eſſe, qui iſta dixerat. adeò inſolenter de illa iactabat. POL. Proinde hoc re vera vt lapis feciſti, qui neque illam conſecutus es, neque Smyrnæum illũ quæ fuerit interrogaris. Atqui ſaltem ſpeciem, quoad eius fieri poteſt, oratione mihi adumbrato, ſi queam fortaſſe iſta ratione illam cognoſcere. LVCIA. Vide quantam rem à me exigas. Neque enim tanta præſtò eſt facultas orationibus, præcipuè verò meis, adeò admirandã imaginem in lucem producendi, ad quam delineandam vix Apelles, aut Zeuxis, aut Parrhaſius ſufficerent, aut ſi quis fuit vſpiam Phidias, aut Alcamenes. Ego verò artis imbecillitate non mediocriter læſam deformabo archetypum. POL. Age tamen, effare obſecro quali fuerit vultu prædita. Neque enim periculoſa erit audacia, ſi familiari tuo oſtenderis imaginẽ, quibus lineamentis adumbrata fuerit. LVCIA. Atenim longè tutius ipſe mihi facturus videor, ſi quos priſcorum illorum artificum ad præſens opus abſoluendum adſciuero, vt mulieris formã mihi depingant. POL. Quorſum iſta dicis? Aut quónam pacto illi tibi adſciti venient, qui tot retro ſeculis fato functi ſunt? LVC. Perfacilè, dummodo te mihi non pigeat ad quæſita reſpondere. POL. Roga quæcũq; fert animus. LVC. Nunquàm ne Polyſtrate ad Cnidios peregrè profectus es? POL. Imò maximé. LVC. Proinde ante omnia Venerem quoque illorũ vidiſti? POL. Sanè per Iouẽ, Praxitelis monimentum pulcherrimum. LVC. Sed nunquid etiam fabulam memorantibus de illa incolis inaudiſti, quomodo vnus aliquis eius imaginis infando amore correptus fuerit, tum quemadmodum latenter in templo derelictus, noctu cum imagine, quantum fieri potuit, rem habuerit? Sed hæc alio tempore inquirito, quippe hæc (vt ais) tibi planè viſa eſt. Age verò & hoc mihi reſpõde, nunquid etiam illam Athenis quæ in hortis eſt, videlicet Alcamenis, conſpexiſti? POL. Sanè omnium inertiſſimus, ô Luciane, meritò cẽſendus eſſem, ſi pulcherrimum Alcamenis figmentum negligenter contempſiſſem. LVC. Illud quidem Polyſtrate te nõ interrogabo, num ſæpe in arcem conſcenderis, ac Calamidis Soſandram ſpectaris. POL. Et hanc vidi ſæpenumero. LVC. Iam & iſta abunde ſufficiunt. At ex operibus Phidiæ quódnam maximè collaudaſti? POL. Quódnam aliud, quàm illam Lemniam, quã hoc quoque titulo nobilitare non dubitauit Phidias? Inſuper illam quoque Amazonem, quæ haſtæ innititur. LVCIA. Pulcherrima ſunt iſta, ô amice: itaque aliis non amplius egebis artificibus. Age verò iam ex omnibus [illegible] quoad eius fieri poterit, vnicam imaginem compoſitam tibi oſtenſurus ſum, ab vnaquaque præcipuum ſpecimen habentem. POL. Et quo pacto hoc fieri poteſt? LVCIA. Haud difficili, ô Polyſtrate, ſi nunc in præſens traditis oratio ni imaginibus, illi permiſerimus exornandi copiã, tum componendi & coaptandi facultatem, quantũ fieri poterit luculentiſsimè, eãdem opera temperaturam obſeruanti, & iucundam varietatem. POL. Rectè dicis. Proinde aſſumptis illis demonſtret. Perlibenter verò videre geſtio quínam illis vſura ſit, aut quomodo ex iis omnibus vnam compoſitam, nec vlla in parte diſcrepantem abſolutura ſit. LVCIA. Atqui iam tibi videndi facultas præſtabit naſcentem imaginẽ ita componens. Veneris è Cnido adductæ ſi tantùm caput ſumpſerit, reliquis nudi corporis partibus opus nõ habebit. Porrò quod ad comam & vultũ attinet, ac decentem ſuperciliorum ambitum, illi habendum cõcedes quẽadmodũ à Praxitele abſoluta eſt. Quinetiã oculorũ mobilẽ agili

agilitatem amabili hilaritate & gratia temperatã retinebit, ſicut viſum eſt Praxiteli. Cæterùm vbera, & quæcũq; vultus ſunt partes priores, ab Alcamenis Venere quæ in hortis ſita eſt, mutuò accipiet. Ad hæc manus teretes, earundémque concinnam iunctũram, digitorúmq; tenellorum ductum non difficilem, in extremis in orbiculatam exilitatem deſinentium, ab ea quæ in hortis eſt, & illa vtenda recipiet. At verò totius faciei deſcriptionem & lineamenta, genarúmq; teneram mollitiem, & naſum intra rectum modum cohibitum, præſtabit Lemnia & Phidias. Idem quoq; dabit oris conformẽ compoſitionem: ceruicem verò lacteam ſumet ab Amazone. Porrò autem Soſandra & Calamis eandẽ ornabunt verecundia. Riſu præterea tenui fallente intuentis oculos, animi oríſq; hilaritatem oſtendet, quáiis & illius eſſe ſolet. Veſtitus frugalem munditiem à Soſandra conceſſam habebit, præterquam quòd illa nudo & aperto erit capite. Aetatis autem menſura, quantacunque illi fuerit, iuxta Cnidorum Venerem metienda eſt. Etenim & hãc Praxitelem diligenter emẽſum eſſe video. Ecquid tibi videtur Polyſtrate? eríſne imago ſatis ornata & elegans, & maximè poſteaquam exactiſsimè abſoluta fuerit? POL. Adhuc, ô generoſiſsime, nonnulla formoſitatis pars in excolenda imagine tibi intermiſſa eſt, adeò omnes exornandi rationes in vnum contuliſti. LVC. Illud enimuero amice quod dixiſti, maximum eſt, niſi tuo iudicio minimũ momenti ad ſummam formæ præſtantiam colores addere poſſe videantur, & cuius in quaque corporis parte maximè ratio habenda eſt, decorum: vt exactè, vt perfectè nigra ſint, quæcunque nigra: & alba, quæcunque alba eſſe conuenit: vtq; apto decentíque rubore floreſcant omnia. Ac iam de his periclitamur, cũ adhuc quod maximum eſt, deſideramus. Vnde ergo eius rei copiam nobis parabimus aut accerſemus, videlicet pictores, cum primis verò illos, quos hoc artificio præ cæteris longè præcelluiſſe cognouimus, vt colores nobis aptè commiſtos temperent, eoſdémq; pro decoro luculentè & artificioſe accommodent? Sanè verò accerſatur Polygnotus, & Euphranor ille, atque etiã Apelles, Aetione vnà comitante. Illi diuiſo inter ſe opere, Euphranor comam pinget, qualem Iunonis depinxit. At Polygnotus ſupercilíorum decoram diſtantiam, & malarum decentem rubedinẽ, cuiuſmodi Caſſandram apud Delphos fecit in conuenticulis, exprimat. Amictum verò ille quoq; præparet, quàm poterit tenuiſsimè elaboratum, vt quæcunque pars eſt corpori decenter applicet, multa verò ventis diffundenda relinquat. Porrò reliquum corpus ipſe Apelles abſoluat, ſecundum Pacatæ ſimulacrum, ita tamen, ne nimium addat albedinis, ſed planè temperanter rubeſcat. Labia autem nõ ſint alia atque Rhoxanæ Aetion addidit. Quin potius præſtantiſsimum inter omnes pictores Homerũ, Euphranore & Apelle poſthabito, in partem operis ſuſcipimus? Siquidem cuiuſmodi ille colorem Menelai adiecit femoribus, ebori purpureo oſtro infecto aſsimilatis, tali vniuerſum corpus colore niteat. Cæterùm ille ipſe pingat & oculos, bouinis, hoc eſt pulchris & nitentibus oculis præditam exprimens. In partem laboris veniat illi opem ferens & poeta ille Thebanus, vt venuſtate ſua exornet palpebras. Homerus quoque illam riſus amantem & ſtudioſam faciat, & candidis humeris, atque lacertis decoram, & roſeos habentem digitos. In ſumma, totã aureæ Veneris formoſitati longè iuſtius illam comparet, quàm Briſei filiam. Hæc inquam fictores atque pictores & poetæ elaborabunt. Quòd autem per omnia amabili quadam elegantia niteat, hoc Gratiæ erit officium, aut potius omnium quotquot vſpiam ſunt Gratiæ atque Cupidines chorum ducentes. Quis talẽ imitatione aſſequi poſsit imaginem? POL. Diuinum quoddam opus producis ô Luciane, & profectò ab ipſo Ioue demiſſum cælitus, & cuiuſmodi apud ſuperos abſolutum eſſe credibile eſt. Quid autem rei ipſam facientem vidiſti? LVC. Codicillos habebat in manibus, duabus partibus complicatos: videbatúrque alteram iam perlegiſſe, alteram verò etiandum legendo perluſtrare. Porrò autem inter progrediendum neſcio quæ verba cũ quadam ex pediſequis faciebat. neq; enim tã clarè vt exaudiri poſſet, loquebatur: verũtamẽ tenuiter ridẽdo, ô Polyſtrate, dẽtes oſtendebat, Dii boni quã albos, quàm mediocres, quàm aptè inter ſe conſtitutos. Sicubi ſegmentum aut monile vidiſti pulcherrimum nitidiſsimis & æquali magnitudine pollentibus margaritis confectum, tam concinna decentíque ſerie erant enati. Plurimum verò decoris & ornatus illis accedebat ex labiis perpulchre rubentibus. Eluebant itaque ipſi Homerico ebori recenter ſecto ſimiles. Neq; verò alii alios deformi latitudine excedebant, aut alii cæteris altius eminebant, aut præcedendo extabánt, cuiuſmodi in multis eſt cernere, ſed erat vna omnibus æqualitas, idémque color, & magnitudo eadem, eâdem ſerie connexis. In ſumma, magnæ admirationis ſpectaculum de ſe præbebat, omnem humanæ formoſitatis venuſtatem exuperans. POL. Quieſce parumper. Iam enim planè intelligo quam tu mulierẽ dicas. his omnibus quæ dixiſti, atque adeò ex ipſa patria coniecturã facienti mihi cognita eſt, tum quòd eunuchos quoque illam comitatos eſſe confirmaſti, & per Iouem etiam milites. Regis vxorem ô beate, illam videlicet multis nominibus memorabilem tu memoras. LVC. Et quod illi nomen eſt? POL. Planè & illud nimis dulce & delicatum ô Luciane, & omnibus modis amabile. Etenim cognominis eſt formoſæ illi Abradatæ coniugi. Haud dubiè enim nouiſti, ſæpenumero audito Xenophonte modeſtã quampiam & formoſam admodum mulierem collaudante. LVC. Sanè per Iouem quaſi illã oculis coràm intuerer, ita animo affectus ſum quotieſcunque eum Xenophontis locum perlego: ac tantùm non illam loquentẽ audio, dum quæ facta ſint, commemorat, & quemadmodum maritum armis induat, tum qualis erat eundem in pugnam emandans. POL. Atqui tu, ô optime, illam tanquam fulgur prætercurrens ſaltem ſemel conſpexiſti: videríſque facilia & prompta illa, nimirum corpus & formam, illuſtrare laudibus: cæterùm dotes animi, quibus prædita eſt, intuentium oculis non ſunt obuiæ: neque compertum habes quanto præcellat iſta pulchritudine, qua mens illius exornata eſt, quæque corporis forma longè præſtantior, deabúſque conformior eſſe ſolet. At ego, qui & familiaritate illi iunctus ſum,

Pãthea ſcilicet. Vide lib. 6. & 7. pædias Cyri.

sum, & sæpe in colloquium veni, nimirum conterraneus illi existens, plane earum rerum certus sum. Quippe, quod nec tibi obscurum esse opinor, mihi moris est morum suauitatem, humanitatem, animi magnitudinem, modestiam & pudicitiam formositati anteponere. Digna enim sunt quæ modis omnibus corporis dotibus anteferantur: quoniã plane absurdum foret, atque factu ridiculum, si quis vestitus cultum atque munditiem præ corpore admiraretur. Porrò autem ea mihi demum omnibus numeris absoluta pulchritudo esse videtur, quoties in idem concurrunt anima exculta virtutibus, & corpus amabili forma exornatum. Omnino enim non paucas tibi commostrare possum corporis equidẽ & formæ elegãtia visendas, & scitulas & nitidas, cæterùm formæ præstantiam morum fœditate deturpantes, adeò vt id quod solum in tam speciosò corpore laudandũ fuerat, ferè emoriatur atque flaccescat, reprehensioni & turpitudini obnoxium, ac plane præter dignitatem, heræ tam prauæ, vitiosæ nimirũ animæ, conuersans. Et sanè tales templis Aegyptiis iudicio meo videntur esse persimiles. Illic enim ipsum quidem delubrum forinsecus pulcherrimum est, simul atque maximum, sumptuosis lapidibus extructum atque compositum: cæterùm si intus Deum requisieris, aut simiam inuenies, aut ciconiam, aut hircum, aut felem. Eius generis mulieres non parum multas passim est cernere. Proinde corporis nitor & venustas non sufficit, nisi veris & iustis ornamentis decorata & exculta sit. Non autem dico vt vestimentis purpureis & aureis, aut gẽmeis monilibus exornata sit, sed iis quæ prædixi, nempe morum elegantia, virtute, temperantia, æquitate humanitate, ac aliis, quocunque tandem fine comprehenduntur. LVCIA. Proinde ô Polystrate sermonem pensabis ipsa mensura (quod aiunt) aut etiam cumulatius (potes enim) ac quandam animi imaginem adumbratam nobis ostendes, ne tantũ ex dimidio illã admiremur. POL. Duram & difficilem mihi iniungis prouinciã ô amice. neque enim perinde facile atque promptũ est, ea quę obscura sunt, oratione retegere, quàm id quod manifestum est omnibus, laude extollere. Videor verò & ipse ad hãc imaginem exprimendam multorum egens esse operæ, nõ fictorum saltem & pictorum, sed philosophorum etiam, vt ad illorum canonem & regulam hoc simulacrum rectè absoluatur, & in lucẽ ad antiquam plasticen formatum producatur. Sed ad rem accingamur. Sit ergo primùm fandi facultate prædita, ac dulcivoce instructa, vt orationem mellè dulciorẽ de illius fluxisse verius quàm de senis illius Pylii concionatoris lingua Homerus dixisse videatur. Omnis autem verborum & loquelæ tonus, cuiusmodi delicatissimus esse solet, neque nimiũ graui & aspero tinnitu insonet, quasi ad virilem vocem informatus sit: neque rursus nimium tenui, quasi impensè effœminatus aut fermè fractus sit, sed qualis esse solet pueri nondum pubescentis, dulcis & blandus, comiter & mansuetè in auditũ semet inserens; vt etiam illa loqui desinente, verba audita iucundo murmure tinniant, ac quædam dulcissimæ vocis reliquiæ aliquãdiu per durent, auréq; blando susurro circunsonent. Tum quandam Echo alterna vocis imitatione auditum prorogantem imitetur, mellitissima quædam verborum vestigia, neque nõ persuasionis plenissima, in animo audientium relinquens. Cæterùm quando voce illa tinnula canere adorta fuerit, præcipuè verò ad citharam, tum verò tẽpus est ex æquo tacendi & halcyonibus & cicadis & canoris oloribus. Aliena enim à Musis hæc sunt omnia, si ad hãc collata fuerint. Et si Pandionis natam dixeris, rudis & inepta est, quanquã vocẽ multisonam edere soleat. Orpheus autem & Amphion (à quibus maximè motos auditorũ animos esse cõstat, quíq; syluas & saxa sequentia cantus dulcedine ad se pertraxerũt) illi, vt ego opinor, si hanc audissent, posthabitis citharis adstitissent auscultãtes cũ silentio. Quippe omnes harmoniæ rationes accuratissimè obseruare, vt ne quid rhythmus deliret, sed tempestiua decentíq; eleuatione atque depressione modulari ac emensurare concentum, præterea voce per omnia respondere citharæ, vtq; plectrum à lingua non discrepet, aptíq; digitorum tactus, & agilis membrorũ flexibilitas, vnde nam hæc suppetissent huic Thraci, ac illi in Cithærone boues pascenti? Itaque Luciane, si quando illam cantantẽ audieris, non amplius illatam à Gorgonibus monstrificã vllam immutationẽ patieris, lapis factus ex homine, sed Sirenum modulantium virtutem qualisnam sit cognosces. Ita enim sat scio adductus demulceberis, vt patriæ ac familiarium tibi obreptura sit obliuio. Atque etiã auribus cera obstructis, per ceram quoq; oppositã penetrabit iucũdissimæ vocis modulatio, tantã cantando voluptatẽ audientibus exhibet. Terpsichores aut Melpomenes aut Calliopes vocem dixeris infinita & omnifaria aurium animorúmq; demulcimenta in se complectentem. Vt vno verbo dicam, optarim cum primis talẽ mihi & tam concinnam modulandi rationem auditã, cuiusmodi par est per talia labia & dentes illos emissam erũpere. Visa verò est & tibi hæc eadem quã dico: itaque & auditã esse existima. Sedenim exacta & perfecta linguę eloquẽtia, ac vocis Ionicæ puritas, tum illa in familiari colloquio extemporalis dicendi facultas atque suauitas, quæ gratiis Atticis vbique cõsperſa est & condita, ne admiranda quidem est. Habet enim hoc à maioribus quasi hæreditario iure patrium, neque alia ratione conueniebat illam in hac peregrinatione Athenienſium esse participem. Atqui ne illud quidem admiratione mihi prosequendum videtur, poeticis lectionibus illam voluptuose oblectari & gaudere, eandémque multo iam tempore studiosè in illis versari, quandò vnà cum Homero eiusdem vrbis ciuis sit & incola. Vnam equidem Luciane illius iucundæ & amœnæ vocis ac modulationis imaginem expressam esse vides, si quis tenuiter admodũ exprimere studuerit. Iam verò & alias non oscitanter considera. Neque enim vnam saltem, sicut tu, ex multis compositã consilium est absoluere, (nam hoc esset perexile & ieiunũ, tum more graphico absolutum, ex tot formis tamq; multiplicibus speciebus hinc inde collectam vnã corporis pulchritudinem componere, sibi ipsi discrepantem) sed omnibus animi virtutibus vna imago depingatur, imitata formam archetypi. LVCIA. Diem festum & epulas publicas omnifariàm instructas mihi annuntias, ô Polystrate. Videris itaque multò cumulatius mensuram mihi remetiri. Proinde per

Pulchritudo absoluta.

Aegyptiorũ templa ridicula.

Vocis suauitas & sermonis.

de perge admetiendo. Nulla enim nunc res est qua perinde mihi possis gratificari. POL. Ego quoniam omnium honestarum liberaliúmq; disciplinarũ cognitio necessaria esse putatur, maximè verò earum quæ vsu ac meditatione constant, age & illam iam constituemus multifariam quandã, ac multiplici vẽ nustate conspicuam, ne qua in parte fingendi artificio te inferiores appareamus. Et sanè ita pingatur, vt omnia bona cõprẽhensim possideat, quibuscunque Helicon affatim atque abundanter affluit: nequaquam verò vt Clio aut Polymnia, aut etiam vt Calliope, utq; omnes aliæ, quarũ vnaquæq; vnius tantùm rei perita excellenter præcellit: verùm nostra omnium ex æquo gnara & prudẽs sit: præterea nec minus Mercurii atque Apollinis dotibus prædita sit. Quæcunque enim poetæ lepidissimis celebrata versiculis in lucẽ dederũt, quęcũq; à scriptoribus classicis literis ac memoriæ prodita sunt, quæcunque philosophi extulerunt laudibus, hisce simul omnibus imago præclarissimè exornata sit. Neq; verò tãtùm penicillo obiter colorata, sed pigmentis penitus imbuta, & ad satietatem vsq; tincta sit. Et ignoscendum est, si nullum huius picturæ archetypum queam ostendere. neque enim vspiam in veteribus de eiusmodi absoluta disciplinarũ cognitione facta extat mentio. Veruntamen, si videtur, & hæc sacra superis dedicetur: neque enim, vt mea fert ratio, vspiam culpari potest. LVC. Elegantissima profectò, ô Polystrate, ac omnibus cũ numeris tum lineis absoluta. POL. Iam deinceps post hanc ipsius quoque sapientiæ & intelligentiæ imago depingenda est. Opus autem nobis erit ad hanc absoluendã exemplis quàm plurimis, præcipuè verò multis veteribus, ac vno quidem, & illo Ionico. Cæterùm pictores & artifices illius erunt Aeschines familiaris Socratis, atque ipse etiam Socrates, imitandi dexteritate omnes longo interuallo post se relinquentes, qui aliqua cum gratia & venere vnquam pinxerunt aliquid. Aspasiam porrò illam Milesiam, quacum & Olympius ipse maximè admirandus conuersatus est, exemplũ intelligentiæ non malum proponentes, quanta rerum peritia, quanto in officiis ciuilibus acumine, quãta denique industria atque solertia perpolita fuerit, hoc omne ad nostrã hanc imaginem translatum accurata amussi applicabimus, præterquã quòd illa modica in tabula depicta fuerat, hæc verò Colossæa pollet magnitudine. LVC. Quorsum ista dicis? POL. Quoniã ego Luciane, nequaquã æqualiter magnas imagines esse opinor similes existentes. Nequaquam enim similis est vetus Athenienſium Resp. ac præsens Romanorum potentia. Itaq; etsi similitudine illa respõdeat, hæc tamen potior est magnitudine veluti in latissimã depicta tabulã. Deinde secundũ & tertiũ exemplum, si lubet, producamus, nimirũ illam Theano, ac versificatricem Lesbiam, vnà cũ Diotima. Theano quidẽ animi magnitudinẽ ad picturã conferet: Sappho autem institutæ vitæ iucũditatem adferet. Porrò Diotimæ non tantùm vt illam laudauit Socrates, similis erit, verùm illi omnibus ingenii ornatissimi dotibus comparata respondebit. Itaque & hanc Luciane imaginem dedicatam suspende. LVCIA. Per Iouem Polystrate nimium admirãdam. Sedenim tu ô amice alias quoq; benignitatis ac humanitatis imagines p[illegible]e depingere, quæ morum mansuetudinem, tum placidam erga egentes comitatem consueuit ostendere. POL. Proinde & illa Theani comparetur illi, nempe Antenoris coniugi, neque nõ Aretæ, & filiæ eius Nausicaæ: præterea si qua alia in fortunæ indulgentis affluẽtia animi modestiam obtinuit. Deinceps verò post hanc modestiæ imago depingatur, ac ostensæ erga conuersantem beneuolentiæ, vt iuxta illã Icari filiam maximè modesta & pudica sit, quemadmodum ab Homero adumbrata est. Talem enim Penelopes effinxit imaginem, atque etiam per Iouem propter nominis affinitatem, etiam Abradatæ coniugis, cuius paulò antè mentionem fecimus. LVCIA. Omnibus profectò modis & hãc præclarè absoluisti imaginem, ô Polystrate: iamq; ferme exprimendarũ imaginum finem attigisti. nullas enim animi ac laudum partes prætermisisti. POL. Nondum omnes. summũ enim & maximæ laudis caput omissum est. Dico verò, cum in tantã rerum magnitudinem euecta sit, vt neque fastu ob blandiẽtis fortunæ prosperitatẽ intumescat, neque vltra humanæ sortis mensuram efferatur, temere fortunæ confidens, sed seruata æquabilitate animi, se ipsam cohibeat, nihil procacius aut insolẽtius, quod aliis foret molestiæ, animo concipiens, sed vt erga accedentes populariter affecta sit, ac dextris copulatis eosdem benignè arq; amanter suscipiat. Tantò enim his quibúscum sermonem conferunt, sunt acceptiores, quantò al[illegible]tiori fortuna euectæ, nihil superbi fastidii, aut co[illegible]temptus tragici præ se ferunt: veluti omnes illi qu[illegible] sua potentia non in hoc vtuntur, vt procaciter contemnant alios, sed potius vt benignè aliorum sublenient inopiam, illi soli acceptis à fortuna bonis maximè digni habendi sunt: ac soli illi inuidentiæ malum possunt effugere. Nemo enim facilè ei fortuna to inuidebit, quẽ prosperis rebus affluentibus moderato vtentẽ animo cõspexerit, neque iuxta Aten Homericam illam super hominum capita inceden tem, ac inferiorem calcantem. Quod plerunq; eue nire solet iis qui humili atque abiecto sunt animo, fortunæ arridentis procacitate intemperanter effe rati. Postea enim quàm à fortuna nil tale sperãtes, ex improuiso sublimes in currum quendam volatilem euecti sunt, intra fortunæ mediocritatem consistere nequeunt, neque deorsum elatos torquẽt oculos, sed semper nituntur in arduum. Quare non rarò veluti Icarus liquefacta illis quàm celerrimè cera, ac alis defluentibus, per præceps in marinos fluctus deuoluuntur, spectatoribus risum exhibentes. Quotquot autem instar Dædali, alarum vtuntur remigio, neque admodum in sublime elati volãt, certè quòd alæ ex cera illis conglutinatæ sunt, rerum autem abundantiam ad humanæ vitæ societatem subleuandam expromunt, neque non contenti sunt saltem ab vndis paulò altiores inferri, adeò vt crebrò etiam alas volãdo humefaciant, nec Solis æstui & feruoribus easdem liquefaciendas exhibent, illi tutò iuxtà ac moderatè volatu vtuntur: quem cursum quispiã & in hac maximis efferre laudibus iure optimo possit. Quocirca dignissimũ etiã ab omnibus fructũ percipit, optãtibus vt hæ alæ quã diutissimè illi permaneãt, bonis subinde affatim affluẽtibus. LV. Sic quidẽ fiat, ô Polystrate, neq; enim corporis

Iliad. 7.

poris venuſtate ſolùm cō[illegible]cua eſt, vt Helenā admiranda forma fuiſſe conſtat, ſed animo quoq; lepido & amabili talibus expolita dotibus ſpectātes ad ſe allicit. Digna verò magno illo rege, māſueto exiſtente & affabili habenda eſt, vt hac quoque præcipua felicitatis parte cū aliis bonis innumeris quibuſcunque ampliſsimè inſtructus eſt, fruatur: vt ſub illius imperio ea quoq; forma & virtute mulier nata ſit, & quæ cum illo conuerſans arctiſsimo deſiderio eum complectatur. Quippe haud quaquam mediocris felicitatis mulier exiſtimāda eſt, de qua aliquis Homericum illud commodiſsimè dicere poſſit, quod cum aurea Venere de formoſitatis palmario contendere poſsit, ingenioſis autē operibus Minerua æquiparare. Neque facilè quiſpiam ex omni mulierum numero aliquē illi comparabit neque corporis neque ingenii gloria, vt idem ait Homerus, neque item mente, & artificioſis operibus.

POL. Vera ſunt quæ dicis ô Luciane. Quare ſi cōſultum factu tibi videtur, commiſtis iam in vnum imaginibus, & ea quam tu corporis effinxiſti, & iis quibus ego mentis ingeniiq; dotes adumbraui, vnā ex omnibus compoſitam collecto libello omnibus contemplandam admirandámq; exhibeamus, & iis qui hoc ætatis degunt apud ſuperos, tum etiam illis qui paulò pòſt futuri ſunt. Itaque lōgè, vt mea fert opinio, hæc erit ſtabilior & diuturnior, quàm vlla fuit aut Apellis imago, aut Parrhaſii, aut Polygnoti. Eáque ipſa multo plus gratiæ ſpectantibus exhibuit, quatenus non ex ligno aut cera aut coloribus formata, ſed ſolertia atq; induſtria à Muſis ad hoc adſcitis expreſſa eſt: quæ haud dubiè imago omniū accuratiſsimè abſoluta futura eſt, & corporis elegātiā, & virtutes animi iuxtà contēplādas oſtendens.

PRO IMAGINIBUS, Vincentio Obſopœo interprete.

ARGVMENTVM.

Apologia hæc eſt eorum quæ ſuperiore dialogo, nimio extollendi ſtudio, vltrà quàm decet, ac piū eſt, de Pāthea dicta videri poterant. Priore igitur loco Polyſtratus accuſationem ac reprehenſionem Panthea receſſet, qua hiſce duobus capitibus potiſsimùm cōtinetur. Primo, quòd immodicè ac nimiū illam laudarit Lucianus. Deinde quòd etiam cum Diis illam comparārit: quorum primū contra modum atque officium vere laudantium ſit, & adulatoris ſpeciem præ ſe ferat, alterum verò etiam impiū, & periculoſum, & ab illius natura & ingenio alienū: adeóq; contraria ſibi ipſi facere Lucianum, qui cum tantū illius modeſtiam prædicet, interim vltra Deos eandē eſſerat. Hanc accuſationem poſtea etiam ex ſua perſona confirmat Polyſtratus, hortatúrq; vt ſcriptum ſiue encomiū hoc mutet. Ad quæ Lucianus ita reſpondet, primum, vt dicat ſe neq; adhucdū ſatis laudaſſe illā, nedū nimium: & quicquid huius fecerit, ex libertate atq; officio laudatorum feciſſe: neq; hoc adulatorum eſſe: nam alia ratione alióq; fine adulatores laudare, atq; vere laudantes, eáq; omnia exemplis ac rationibus oſtendit. Alterum autē, quòd illam cum diis contulerit, ita defendit, non eſſe in eo aliquam impietatē, aut inſolentiam. Neq; enim illam cum Diis ipſis, ſed cum eorum imaginibus ac ſtatuis comparaſſe. Deinde etiam ſi hoc feciſſet, aliorum tamē exempla extare, quibus factum hoc ſuum tueatur, qui nō modò homines cum Diis contulerint, ſed & Deorum nomina ſibi vſurparint. Ideóq; non eſſe periculū hinc aliquod metuendum, cum idem antea tam multi etiam philoſophi fecerint.

POLYSTRATVS.

EGO, Luciane, inquit mulier, aliâs quidem magnam tuā erga me beneuolentiam euidenter perſpexi: tum etiam honorem ex libello edito per te mihi habitum, non obſcurè animaduerti. Neq; enim ita effuſe quiſpiam me laudaret, niſi beneuolentia adductus talia ſcriberet. At vt neſcius nō ſis quo ego ſim animata animo, ſic de me planè perſuaſum habe. Neq; aliàs quidem hominibus ad aſſentandum eruditis gaudere ſoleo, ſed qui ſunt eiuſmodi, ſubdoli præſtigiatores mihi eſſe videntur, ac minimè natura liberi. Cæterùm in laudibus quoties quiſpiam præter modum me extulerit, moleſtis ac immoderatis amplificationibus attollens atq; exaggerās omnia, pudore quodam afficior, nec parum abeſt quo minus ferè ſemper aures obſtruere ſoleam. Eáq; res ſubſannatione magis & riſu quàm laude mihi digna videtur. Eatenus enim laudes tolerabiles atq; ferendæ ſunt, quatenus ille qui laudatur, ſibi cōſcius eſt, ab his quæ dicuntur, ſe nō diſcrepare, ſed parē eſſe encomio. Quodcunque ſuper hoc additum fuerit, alienum eſt, & apertæ aſſentationis ſuſpicione non carebit. Atqui ego permultos noui, inquit, quibus voluptati eſt ſi quis eos laudibus cohoneſtans, etiā ea orationi adiecerit, à quibus longè latéq; alieni ſunt: veluti ſi quis confectæ ætatis vetulos ob iuuenilium annorum vigorem felices pronuntiauerit: aut illis qui informi ſunt corpore, Nirei aut Phaonis adiungat pulchritudinem. Si quidem arbitrātur immodicis laudum teſtimoniis ſuas formas immutatū iri, & ſenem denuò repubeſcere. qua in opinione Peliam quoque fuiſſe non ſum ignara. Hoc verò longè ſecus ſe habet. nam laus res eſſet quantiuis pretii, ſi illa quoq; re perinde frui poſſemus ex eiuſmodi dementiēte ſuperiectione. Iā verò tale quiddam mihi pati videntur, inquit, ita falſò laudati, ac ſi quis cuipiam turpi facie atq; deformi, laruam admodum venuſtam afferens apponat, porrò ille ob pulchritudinē ſibi vehementer placeret, præſertim cum hæc ab illo auferri poſsit, & ab occurrente cōminui: vnde maiori quoq; riſu ſubſannandus foret, natiuæ faciei deformitate detecta, quam adſcititia forma occultauerat. Aut per Iouem, ſi quis puſilla ſtatura exiſtens, indutis cothurnis ſuper magnitudine contendat cum iis qui toto cubito ex æquo illi collati eum excederent. Mentionem faciebat & huiuſmodi cuiuſpiam. Aiebat mulierem quandam ex matronis primariis, aliàs quidem pulchram & lepidam, corpore autem puſillam, & cui multum de iuſtæ ſtaturæ menſura deeſſet, à quodam poeta carminibus celebratam, cum ob alias quidem virtutes quàm plurimas, tum quòd forma eſſet ſcitula, & corpore magno & prægrandi: cuius ſtaturam & longitudinis rectitudinem aſſentator ille Populo conferre non dubitabat. Cæterùm illam laudum illecebris vehementer lætatam eſſe, quaſi mendaci carminis aſſentatiuncula aliquid exigui corpuſculi modulo acceſsiſſet, manúmque geſtiendo cōcuſsiſſet.

Porrò

Porrò autem poetam hoc illi crebriùs occinuiſ
ſe, cum videret mulierem laudibus vehementer
delectari: donec quiſpiam ex præſentibus admo
to ad aurẽ eius capite, dixiſſet illi, Deſine ô ami-
ce, ne mulierem etiam exurgere facias. Non diſ-
ſimile quiddam huic, multò tamen magis ridicu
lum affirmabat feciſſe Seleuci vxorem Stratoni
cen, quæ poetis oblato talento certamen propo
ſuit, quicunque maiori arte atq; ingenio eius co
mam laudibus illuſtraſſet. Atqui caput habebat
Stratonices caluitiũ turpi deformatum caluitio, cui ne pauci quidem
capilli inerant. Sedenim cum deformiter calua
eſſet, omnibus exploratum habẽtibus, ex diutur
no morbo ægrotanti capillos defluxiſſe, nihilo
ſecius tamẽ audiebat à poetis execrandis illis aſ-
ſentatoribus, hyacinthinos illius crines dicenti
bus, & molles quoſpiã capillorum globos nectẽ-
tibus, ac apiis nuſquã exiſtentem cæſariem com-
parantibus. Itaq; hæc omnia deridebat, vnde adu
landi materia aſſentatoribus ſuppetit. Addebat
præterea illud non in laudibus tantùm vſuueni-
re ſolere, ſed in picturis quoque eaſdem aſſentan
di, & decipiẽdi occaſiones homines ſtudioſè quę
rere. Gaudent enim, inquit, mortales pictoribus,
cum primis verò illis, à quibus paulò formoſio-
res depicti ſunt. Eſſe autem nonnullos, qui eiuſ-
modi artificibus iniungerent etiã, vt aut aliquid
deformitatis, aut magnitudinis naſo detraherẽt,
aut oculorum nigritiem atriorem depingerent,
aut aliud quiddam, quod ſuæ formæ adiectũ con
cupiuerint. Deinde fraudulenter imponunt alie
nas imagines coronantibus, quæ nullo modo il-
lis reſpondent ſimilitudine. Hæc atque eiuſmo-
di dicere ſolebat, alia quidem in libello tuo col
laudans, hoc vnum autem minimè ſufferẽs, quòd
illam deabus Iunoni, atque Veneri cõparaueris.
Longè enim iſta me, ait, vt potius omnem huma
nam naturam excedunt. Cæterùm ego ne illud
quidem vnquam in votis habui, vt priſcis heroi
dibus, nimirùm Penelopæ, & Aretæ, & Theani
meam formam conferret: tantum abſit, vt Dea-
bus omnium maximis, & præſtantiſsimis compa
rari poſtularim. Etenim vehementer, inquit, res
diuinas horreo, atque ſuperſtitioſo animo reue-
reor. Itaque periculum eſt, ne vt Caſsiopéa eam
laudem cupidè, ac deſideranter affectaſſe videar.
Atqui Nereidibus hæc tantùm formæ præſtãtia
opponebatur Iunonem, & Venerem religioſè co
luit. Quocirca, Luciane, iſta te facta recantatio-
ne iuſsit trãſſcribere, aut ipſas Deas teſtatura eſt
hæc ipſa ſe inuita per te ſcripta eſſe. Te autẽ ſci-
re voluit, quòd libello non mediocriter diſcru-
cietur, ita propalam obambulante, vt nunc is à te
informatus eſt, non nimium piè neq; ſanctè ad-
modum Deorum cultum perdocens. Exiſtima-
bat verò ab omnibus ſe viſum iri, nõ vulgari pec
cato obnoxiam, ſi ſuſtineret Veneri Gnidiæ, aut
Hortenſi ſe dici ſimilem. Quare te eorum quæ li
belli tui in extremis à te de illa prolata ſunt, iuſ
ſit vt ſubmonefacerem, quibus eius animi mode
rationem omnis faſtus neſciam teſtatus es, quip-
pe, quæ ſuper humanam menſuram ſemet nõ ef-
ferret, ſed terræ vicina ſeruata mediocritate vo-
laret. His ille dictis, nũc ſui oblitus ſuper ipſum
cælum mulierem extollit, Deabus illam aſsimi
lans. Poſtulat verò à te ne ſemet Alexandro in-
cogitantiorem eſſe putes, qui architecto quopiã
pollicente ſe Atho totum transformaturum, &
ad eius ſimulacrum accommodaturum, vt to-
tius montis vaſtiſsima moles regis effigiem ob-
tineret, duas in manibus vrbes habentem: tam
prodigioſis pollicitationibus non acceſsit ani-
mo, ſed opus architecti viribus maius eſſe opina
tus, hominis temerariam audaciam compeſcuit,
non admodum credibiliter Coloſſorum magni
tudinem effingendo aſſequentem. Iuſsit itaque,
vt ſuo loco Atho intactũ relinqueret, neq; mon
tem ita magnum ad tam parui corpuſculi ſimili
tudinem imminueret. Laudabat autem Alexan-
drum animi magnitudinis, dicens illum ſibi hoc
facto maiorem ſtatuam, quàm Atho erexiſſe in
hominum animis, apud quos eius rei memoria
nunquam eſſet intermoritura. Neque enim par-
ui, aut abiecti erat animi honorẽ adeò amplum,
atque inuſitatum contemnere. Quin ſe quoque
tuum figmentum laudare aiebat, neq; non ima-
ginum induſtriam admirari: cæterùm ſimilitudi-
nem non agnoſcere. Quippe nequaquã dignam
eſſe tantis, ac talibus, & minimè harum eſſe affi-
nem, ſed ne aliam quidem mulierem vllam ad
eas poſſe aſpirare. Itaque libenter tuos admiran
dos honores ei habitos tibi remittit, téque orat,
vt natiuo, ac proprio Archetypo ſuam faciem
adumbres, vtque humano more illam laudibus
illuſtres, neq; pedis modum excedat calceus: ne
os quoq; mihi, inquit, fortè illi occurrenti obtu
ret. Illud quoq; vt tibi exponerem, mihi in man
datis dedit. Audio, inquit, multis cõfirmantibus
(num autem verum ſit, vobis viris explorare cõ-
pertũ) neq; victoribus Olympicis maiores cor-
pore ſtatuas erigi conceſſum eſſe, ſed curæ eſſe
Hellanodicis, vt ve vnus quidem veritatem ex-
cedat temere, atque exactiſsimè ſtatua expenda
tur ad athletæ certamen, & corporis quantita-
tem. Quocirca tibi videndum eſt, inquit, necun-
de mentiendi cauſam ſumamus in menſura, ac
deinde Hellanodicæ veſtram ſubuertant imagi-
nem. Hæc profectò ab ipſa dicta ſunt. Cæterùm
tu Luciane eam cogitationem ſuſcipe, vt diligẽ-
ter cõſideres, quo pacto libellũ mutatum aliter
exornes, eáque auferas, ne impietate adductus in
Deos flagitioſè pecces, veluti ipſa omnium grau-
iſsimè iſta tulit, ac planè inter legendum inhor
reſcebat animo, ac Deas vt ſibi eſſent propitiæ,
ſuppliciter precabatur. Et ſanè ignoſcendum eſt,
ſi muliebre quiddã paſſa eſt. Atqui ſi veritas non
diffitenda eſt, ego mihi ipſe tale quiddam dixiſ-
ſe viſus ſum. Quippe initio audiens delictum nõ
animaduerti, oculos in ſcripta defixos habens.
Poſtea verò quàm illa mihi fecit indicium, inci
pio & ipſe ſentire de illis non diſsimilia. Ac pro
pemodum conſimile quiddam paſſus ſum, quòd
in iis quæ intuemur, ſæpenumero nobis euenit.
Contemplantes enim quippiam in propinquo
ſub ipſis oculis conſtitutum, nequaquam accura
tè peruidere poſſumus: at ſi iuſto interuallo diſ-
iuncti illud intuemur, omnia liquidiùs compa-
rent obtutui, & quæ bene, & quæ ſecus ſe habue-

rint. Iam hãc hominem exiſtentem Iunoni conferre ac Veneri, quid aliud eſt quàm præfractè eleuare tantarum Dearum exiſtimationem? Siquidem in eiuſmodi cõparationibus nõ tam quod modicũ eſt, collatione creſcit, & maius fit, quàm quod maius eſt imminuitur, dum ad id, quod vilius fuerat, pertrahitur. Exempli gratia, ſi duo pariter incederent, alter quidem corpore prægrandi, alter verò per ætatem admodum exiguo, penè humi repens, tandem ſi æquandi eſſent, ne alter alterum longitudine excederet: illud nunquam breuiore quantumuis ſemet extendente fiet, etiam ſi ſummis pedibus ipſe ſemet arrexerit. At ſi eadem ipſis longitudinis obtinenda eſt æqualitas, maior ille demittat caput neceſſe eſt, ac ſe humiliorem oſtendat, oportet. Non ſecus in eiuſmodi accidit imaginibus. neque enim per inde tantis incrementis hominis virtus augetur Deo comparati, quàm Dei magnitudo imminuitur, ad id, quod vilius eſt, inæqualiter deriuata. Atque ſi quis terreſtrium imperitus ad cæleſtia oratione temere raperetur, minorẽ ille ſuſpicandi cauſam præſtaret hominibus, hoc à ſe impietatis impulſu factũ eſſe. Sedenim tibi nulla fuit neceſsitas tot mulierum ſpecioſiſsimarũ pulchritudinibus extantibus, hanc tam audacter cũ Venere, atq; Iunone comparandi. Itaque vide Luciane, quo pacto hac tã graui inuidia te & illam exoneres. Neq; enim valde hoc moribus tuis familiare eſt, qui ne aliàs quidem ad laudãdum facilis, ac propenſus eſſe conſueuiſti: at nũc neſcio quo fato impulſus tã ſubitò mores mutaris tuos, omnem laudum mediocritatem excedendo. Et qui hactenus laudum eras parciſsimus, nunc in eiſdem effundendis omnium appares intemperantiſsimus. Sed ne hoc quidẽ dedecori tibi fore putato, ſi orationem iam editam adhibita lima retractes, quandoquidem hoc Phidiam quoque feciſſe perhibent, quo tempore apud Eléos Iouem iam abſoluerat. Stetiſſe enim illũ poſt ianuam, vbi primũ opus in lucem productũ hominibus viſendũ oſtendiſſet, ſubauſcultaſſéq; quid quiſq; ſpectantium laudaret, aut repræhenderet. Cæterùm hic quidẽ naſum repræhendebat, quaſi plus æquo craſsiorem: aliusverò faciem tãquam oblongam: tertius aliud quiddam pictori vertebat vitio. Deinde digreſsis ſpectatoribus, rurſus Phidiam ſemet concludentem correxiſſe, atque ad multorum opinionem, & iudiciũ imaginem emendaſſe. Neq; enim mediocre aut cõtemnendum eſſe exiſtimabat populi tam numeroſi conſilium, ſed hoc ſibi perſuaſerat neceſſariò fore, vt multi ſemper plus quàm vnus peruiderẽt: tametſi ipſe ſemet Phidiam eſſe non ignorabat. Hæc tibi ab illa venio adferens, quæ & ipſe non poſſum non probare, ac tibi ſuadere, vt facias, qui & ſingulari familiaritate & beneuolentia tibi coniunctus ſim. L v c. Hactenus quidem ignoraui Polyſtrate, te tãtum eſſe rhetorem. Itaque orationem ita prolixam, accuſationem ita verboſam aduerſus libellum meum effuditti, vt nullam parandæ apologiæ ſpem mihi feceris reliquam. Verùm enimuero in hoc forẽſis iudicii rationem & morem egreſsi eſtis, cum primis verò tu, quòd lucubrationem meam indicta cauſa condemnaueris, non aſsiſtente illi patrono. Facillimum autem, vt opinor, illud eſt, iuxta parœmiam, ſolum currentem vincere. Itaque nihil mirandum eſt ſi nos compræhenſi ſimus, neque aqua nobis effuſa, neque reſpondendi facultate conceſſa. Quin potius illud omnium eſt abſurdiſsimum, ſi vos & accuſatoris, & iudicis officio iuxtà functi eſtis. Vtrum ergo vis, vt rebus iam ſenatuſconſulto decretis contentus quieſcam, an potius iuxta Himeræum poetam, palinodiam quandam conſeribam? Aut dabitis mihi prouocandi copiam ad aliud iudicium? P o l. Sanè per Iouem, dummodo habeas quod probabiliter & iuſtè ad obiecta reſpondere poſsis. Neque aduerſariis præſidentibus, vt tu ais, ſed amicis cognoſcẽtibus cauſam perorabis tuam. Ego verò vnà tecum iudicium perpẽdere quoque paratus ſum. L v c. At hoc me non mediocriter conturbat Polyſtrate, quòd illa non præſente cauſa mihi dicenda ſit. Etenim hoc longè fuerat præſtabilius. Nunc verò mihi iuſſo velim, nolim, neceſſarium eſt defenſionem aggredi. At ſi pollicitus fueris te talem mihi fore apud illam internuntium, qualem illius apud me egiſti, audebo iactare aleam. P o l. Enimuero illius rei gratia bonum habe animum Luciane, quòd me non malum habiturus ſis in defendendo reſponſorem, aut interpretem, ſi quàm paucis ſimis dicere conatus fueris, quò faciliùs memoria complectar ſingula. L v c i. Atqui admodum mihi opus fuerat oratione longiſsima ad tam vehementem & acerbam accuſationẽ refellẽdam. In tuam tamen gratiam quantum potero defenſionem decurtabo. Itaq; illi hæc à me annũtianda curabis. P o l. Nullo modo Luciane, ſed tanquam illa præſente orationem habebis. Deinde ego te apud illam imitabor. L v c. Proinde quando ita tibi videtur Polyſtrate, illa præſtò eſt, eáque prædixit videlicet, quæcunque tu ab illa mihi annuntiaſti. Nobis autem ſecunda oratio exordienda eſt. Et ſanè nõ verebor hoc tibi palàm facere, quod mihi accidit. Neſcio quam mihi trepidationẽ incuſſeris, vt planè meticuloſo ſim animo: &, quemadmodum vides, iam totus ſudo, & horreo, ac tantùm non illã videre videor, ipſáque res magnam mihi iniecit perturbationẽ. Attamen incipiam. neque enim illa iam præſente, mihi patet locus effugii. P o l. Verùm per Iouem magnam vultu præ ſe fert beneuolentiam. Vidén' vt læta ſit, atque alacris, & manſueta animo? quare ſumpta audacia animo præſenti orationem aggredere. L v c. Ego te fœminarũ præſtantiſsima, mirificè, vt ais, & præter modum laudata, non video quo tanto præconio tuas virtutes extulerim, quanto te ipſa nobilitaris encomio, eum deorum cultum ita in magnis ponere ſoleas. Hoc enim ferme omnibus, quæ à me dicta ſunt, maius eſt atque excellentius. Et precor, vt benignè mihi des veniam, quòd neq; hac adſcripta imagine te honeſtarim, quę obſtãte ignorantia nunquam mihi in mentem venit. Neque enim aliam ante hanc depinxiſſem citius, nõ vt hæc adiuncta aliquo modo reliquas excelleret, ſed mihi multò minus dixiſſe videor, quàm rei

dignit

dignitas exigebat. Igitur conſidera quãtum à me ſolidæ laudis teſtimoniũ prætermiſſum ſit, quanta ſignificatio ad faciendum indicium vitæ optimæ & mentis probatiſsimæ neglecta. Nam quibuſcunque moris eſt deorum immortalium numina non negligenter colere, illi quoque in humanis actionibus optimi cenſendi ſunt. Itaque ſi omnis oratio retexta deintegro mihi exornanda foret, & imago emendanda, nihil eſſet quod perperam adimere auderem: illud verò eſſem additurus, tanquam totius corporis caput, atq; faſtigiũ. Magnas ergo me tibi gratias debere hoc nomine non diffitebor. Siquidem ego cum animi tui moderationem laudaſſem, & quòd nihil procacitatis, aut inſolentiæ, aut faſtus tanta tibi conciliaſſet rerũ magnitudo: his tu in oratione mea reprehenſis, veram laudandi rationem compleuiſti. Quippe tales laudationes non auidè arripere, ſed hiſce auditis rubore affici, eáſque maiores eſſe teſtari, quàm vt tuæ mediocritati conueniant: moderati & popularis animi eſt indicium. At tu quantò impenſius hoc erga laudes affecta es animo, tantò te digniorem eſſe oſtendis, quæ immodicis laudibus certatim celebreris. Ac penè tibi res iuxta Diogenis cecidit ſententiã, qui interrogante quopiam, quo pacto quis gloriam potiſsimùm conſequi poſſet, ſi gloriam, inquit, contempſerit. Dicerem nimirum & ipſe interrogante me quopiam, quínam laude digni eſſent, maximè quotquot laudari grauatè ferunt. At hęc aliena ſunt, & præſenti inſtituto parum reſpondentia. Cæterùm de quo mihi reſpondendi cura incumbit, illud eſt, quòd Veneri Cnidiæ, atq; ei, quæ in hortis eſt, ad hæc Iunoni, & Mineruæ formam tuam effingens cõparauerim. Hæc inquam tibi omnem modum excedere, & vltra pedem viſa ſunt. Ad hæc iam mea delabetur oratio. Et ſanè vetus verbum eſt, poetas atque pictores eſſe liberos. Ego verò laudantes maiori libertate dignos eſſe cenſeo, tametſi humi aut greſsim incedant, quemadmodum nos, nec vlla verſiculorum inferãtur magniloquẽtia. Eſt enim laus res quędam libera, cuius licentia nullis mẽſuræ, aut magnitudinis, aut breuitatis legibus adſtricta eſt, ſed in hoc ſolo præ omnibus elaborat, vt admirandum, vt omnium amore dignũ declaret eum, quem laudauerit. At ego hac via non incedã, ne imprudens ductu imperitiæ hoc tibi facere videar. Illud autem puto tibi non obſcurum eſſe, eiuſmodi nobis eſſe laudatoriarum orationum occaſiones, quemadmodum oporteat laudantem vti ad demonſtrandum comparationibus, imaginibus, atq; ſimilitudinibus. Et ferme ſumma in hoc ſita eſt rectè aliquid adumbrandi, & effingendi, quòd ita optimè iudicari poteſt, non ſi quis quiddam cum ſimilibus cõpoſuerit, neque ſi eum eo, quod vilius eſt, illud comparauerit, ſed ſi id, quod effertur laudibus, quàm poterit effuſiſsimè ad excellentioris archetypum extulerit. Exẽpli gratia, ſi quis canem laudaturus, eundem dixerit vulpe maiorem eſſe, aut fele, nunquid ille laudandi rationem tibi callere videbitur? non vtique dixeris. Sed neque quanquam lupo illũ æqualem eſſe dixerit, admodum laudauit magnificé. Sed ibi tandem vera laus abſoluitur, ſi canis leoni ſimilis eſſe perhibetur, & magnitudine, & membrorum robore: veluti Orionis canem laudans poeta, leonicidam illum eſſe affirmauit. Et hæc perfecta laus canis eſt. Rurſus ſi cui Milonẽ Crotoniaten, aut Glaucum illum ex Caryſto, aut Polydamantem laudare foret animus, ac tandem vnumquẽque illorum muliere robuſtiorem fuiſſe perhiberet, nónne iure optimo ob laudis vecordem ſtultitiam deridendus eſſet, quem ſi vnius viri fortitudinem exceſsiſſe diciſſet, neque tamen hoc ad cumulatam laudem ſuffeciſſet? At quibus laudibus ille eminentis ingenii poeta Glaucum extulit, neque Pollucem robuſtiſsimũ cum eo ex aduerſo manus auſurũ conferere, neque ferreum, & animoſum Alcmenæ filium: vides cuiuſmodi illum Diis comparauit, quin potius ipſis imaginibus illum quàm veriſimè expreſsit? Et neque Glaucus ipſe indignanter tulit Deis inter athletas primariis collatus celebrari, neque illi vlti ſunt, aut Glaucum, aut poetã, qua ſi impiè, & cõtumelioſè in Deos circa laudes agentem, ſed vtrique in magna fuerunt gloria, & apud Græcos honore, & gratia floruerunt, alter quidem ob præcipuum inuſitati roboris ſpecimen, nempe Glaucus: poeta verò cum propter alia, tum in primis propter doctiſsimi carminis editionem. Itaque ne mirandum tibi veniat, ſi & ego aſsimilare volens, quod laudanti perneceſſarium eſt, exemplo altiori vſus ſim, oratione illud ſubiiciẽte. Poſteà verò quàm & in aſſentationis mentionem incidiſti, confirmans te homines aſſentatione gratiam eblandientes habere odio, laudo te equidem, nec aliter fieri conueniebat: ſedenim ego tibi & laudantis opus, & adulatoris dementientem ſuperiectionem diſcernere, & diſſinire volo. Itaque aſſentator quæcunque ſui cõpendii gratia laudat, nulla veritatis ratione habita, ea omnia immodicis laudibus extollenda eſſe exiſtimat. Impudenter autem mentiendo, plura addit de ſuo, adeò vt nõvereatur Therſiten quoque forma turpiſsimum, ipſo Achille pulchriorem eſſe oſtendere, ac Neſtorẽ inter omnes eos quotquot ad Ilium pugnaturi venerant, natu eſſe minimum. Perſanctè quoque deieraret Crœſi filium acutiori auditu eſſe prædituм Melampode, præterea Iphnea acutius cernere, quàm Lyncea, dummodo ſpes aliqua conſequẽdi lucri ob mendacium appareat. Porrò autem laudator nequaquam mẽtitur, aut addere ſolet aliquid quod in totum in laudato non compareat: ſed ea quibus natura prædituſ eſt bonis, tametſi nõ admodum magna ſint, extollit, ac maiora, cumulatióráque eſſe oſtendit. Nec dubitaret dicere, equum laudare volẽs natura leuem (vt ea ſcimus eſſe animantia) & curſu valentem:

Ille per intactæ ſegetis vel ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas.

Rurſus non formidaret dicere velocipedum curſus equorum. Præterea ſi domus elegans & ſumptuoſiſsimè exornata illi laudibus illuſtranda foret, nihil hæſitabundus diceret:

Talis & intus erat magni Iouis aula ſuprema.

At hũc verſiculum aſſentator etiam ſubulci ſcro

phipaſci ſordidiſsimo tugurio accommodare au deret, ſi qua modò muneris à ſybota recipiendi ſpes reluceret, veluti Cynæthus ille Demetrii Poliorcetæ aſſentator, cùm iam omnes aſſentandi rationes, & vias ſua paraſitatione conſumptas cerneret, laudare ſolitus eſt Demetriũ, quẽ frequẽs tuſsis moleſtiſsimè infeſtabat, quòd dulciter atque modulatè tuſsiendo ſonaret. Non ſolùm autem hoc diſcrimine vterque ab altero internoſci poteſt, quòd hi, qui ad aſſentationem eruditi ſunt, non vereantur ad gratiam laudatorum inuerecundè mentiri: laudatores verò, corporis, animíque dotes plus iuſto extollere: ſed & in hoc non mediocri interuallo inter ſe diſcrepant, quòd aſſentatores vbicunque potuerint, immodicis vtuntur hyperbolis: porrò autem encomiaſtæ in hiſce vtendis moderationem magiſtram ſequuntur, ac intra certos fines ſe cohibẽt. Hæc ſanè perpauca ex infinitis adduxi adulatoris, & veri laudatoris ſigna atque diſcrimina, ne omnes quotquot aliorum concinnandis ſtudent præconiis, innocenter in ſuſpicionem à te rapiantur, ſed diligenter diſcernas, atque vtrũque proprio pede, ac modulo metiaris. Age itaque, ſi videtur, & ea, quæ à me dicta ſunt, ad vtriuſque canonem expende, vt cognoſcas, num rectiùs huic, an illi ſim cõferendus. Siquidem ego ſi inamabilis, atque odioſæ formæ caſcam quandam Cnidio ſimulacro comparaſſem, meritò præſtigiatoris vituperationem apud te incurrerem, ipſóque Cynætho adulantior eſſe iuſtiſsimè exiſtimarer. Sin verò eam, quam omnes eiuſmodi eſſe non ignoramus, non erit mihi vehementer vitio vertenda iſta audacia. At dices fortaſſe, aut potius iam dixiſti, Quod ad pulchritudinẽ laudandam attinet, tibi conceſſum ſit: ſedenim cõueniebat laudem nulli inuidiæ obnoxiam facere, neque deabus immortalibus hominẽ me exiſtentem comparare. Ego verò (eò enim adducor, vt verum reticere non poſsim) te ô præſtans animi mulier, nequaquam Deabus comparaui, ſed eximiorum artificum monumentis, atque operibus ex lapide, aut ære, aut ebore confectis. Iam ea, quæ hominum elaborantur induſtria, hominibus aſsimilare, impium eſſe non arbitror. Niſi fortè tu Mineruam eſſe ſuſpicata ſis ſimulacrum illud, cuius author atq; opifex extitit Phidias, aut hoc cæleſtem Venerem, quod in Cnido non ita pridem penicillo, & coloribus adumbratum fabricauit Praxiteles. At vide ne abſurdum ſit talem de Deabus opinionẽ animo concipere, quarum veras imagines nulla (vt ego arbitror) humana induſtria, aut imitatio poteſt aſſequi. Quòd ſi etiã maximè illis te aſsimilaſſem, non meum hoc erat inuẽtum, neque ego primus hanc laudandi viam inueni, aut aperui, ſed Poetæ ſanè multi, & eximii, cum primis verò Homerus coeiuis tuus, quem etiam nunc ab inferis excitabo, vt ſuo me tueatur patrocinio: neq; periculum eſt, ne & ipſe vnà mecum capiatur. Itaque ipſum interrogabo, aut potius te illius loco (etenim crebra lectione monimenta ab illo multis vigiliis elaborata, percurris, quod præclarè facis) quid tibi illud videtur, vbi de captiua Briſeide ſic loquitur, quòd aureæ Veneri ſimilis Patroclum occiſum defleuerit? Deinde paulò pòſt, quaſi parum eſſet illam Veneri formoſitatis elegantia parem eſſe, addit ita inquiens, Iliad. τ.

Sic itaq; eſt mulier lacrymans effata Deabus
Conſimilis.

Hæc ergo quoties dixerit, num propterea illum odio proſequeris, ac librum è manibus proiicis, an potius illi eam in laudãdo libertatem permittis? Atqui etſi tu illi eandem non permiſeris, tamen tanta ſeculorum ſeries atque vetuſtas illi conceſsit, neque vnquam inuentus eſt, qui hoc in eo malitioſè reprehenderit, neque ille, qui eius imaginem flagellare auſus eſt, neq; qui verſiculos nothos atque ſuppoſititios cenſoria virgula, aut obeliſcis notare aggreſſus eſt. Iam ſi illi permiſſum eſt mulierem barbaram inſuper & plorantem aureæ Veneri comparare, ego vt pulchritudinem taceam, propterea quòd non ſuffers coràm laudari, non comparem Dearum imaginibus mulierem lætam, & hilarem, & cumplurimũ ridentem ſuauiſsimè, quod homines cum Diis commune habent? In Agamemnone verò laudando vide quantum Deorum exiſtimationi parſerit, & quàm vndique ad cõcinnitatem imagines ſumptas à Diis exprompſerit, quem & oculis & capite Ioui ſimilẽ eſſe perhibet, porrò Marti cinctura, pectore autem Neptuno, diuidens hominem penè membratim, ad tantorum Deorum imagines collatum. Et rurſus hunc homicidæ Marti ſimilem eſſe ait, ac alium alio Deo cõferens, deiformem Phryga illum Priami filium quoties eſſe oſtendit! Sæpenumero Deo ſimilem Pelidã pronuntiat. At rurſus ad muliebria exempla regrediar. haud dubiè enim illum alicubi dicentem audiſti, Iliad. β.

Hæc pulchræ eſt ſimilis Veneri ſimul, atque Dianæ. *

*In Græco codice hic additur καὶ ὅση ἄρτεμις εἶσι κατ' ὄυρεα.

Non ſolùm autem ipſos homines Diis componit, verùm Euphorbi quoque comam aſsimilauit Gratiis, & hanc ſanguine madentem, & puluere deturpatam. In ſumma, earum rerum tanta eſt apud Homerum copia, vt nulla ſit pars poeſeos, quæ non diuinis comparationibus exornata ſit. Itaque aut hęc veluti perperam ſcripta expungantur, aut mihi ſimilia audendi libertas nõ intercludatur. Tanta verò eſt in ſimilitudinibus & comparationibus adducendis licentia, vt Homerus etiam Deas ipſas non dubitarit laudare ab inferioribus. Nam Iunonis oculos bouinis comparauit: alius autem quiſpiam Veneris palpebras compoſuit violis. Nam Auroram rhododactylum quis ignorat, vel ex iis, qui minimum operæ in euoluendo Homero ponunt? Atqui, quod ad formam attinet, planè temperanter, & moderatè mihi factũ videtur, ſi quis Deo ſimilis eſſe perhibetur. Verùm quo numero illi comprehendendi ſunt, qui Deorum compellationes imitati ſunt, ac Dionyſii, & Ephæſtiones, & Zenones, & Neptunii, & Mercuriales nominati ſunt? Fuit quædam Latona Euagoræ Cypriorum regis vxor, nec tamen Dea indignata eſt, quanuis illam in lapidem, quemadmodum Nioben potuiſſet conuertere: Vt ſilẽtio præteream,

Aegyp

Aegyptios, qui tametſi ex omnibus gentibus Deos habeant infeliciſsimos, diuinis tamen no minibus ad ſatietatem vſque vtuntur. Penè itaque plurima pars è cælo illis pertracta eſt. Quare nihil eſt quod ob laudem hanc vlla animi con ſternatione perturbata ſies, vltionem, aut ſuppli cium à ſuperis metuens. Nam ſi quid in eo libel lo aduerſus Deos peccatum eſt, tu extra noxiam es, niſi putes & in auditione culpam quandam eſſe: de me verò Deorum vltio ſumptura eſt ſup plicium, poſtea quàm ante me Homerum, & a lios poetas irati ſuperi vlti fuerunt. At nondum philoſophorum omnium principem punierunt, qui hominem Dei ſimulacrum eſſe teſtatus eſt. Multa adhuc ad te dicenda ſuperſunt, attamẽ hu ius Polyſtrati gratia dicendi finem faciam, vt di cta noſtra facilius memoria repetita tibi referre poſsit. POL. Haud ſcio Luciane, num hoc mihi amplius promptum factu ſit. tam enim verboſẽ iſta proloquutus es, ac vltra effuſæ aquæ ſpatium. Attamen quoquo modo meminiſſe conabor: & quẽadmodũ vides, iam iſta ad illã deferre ſtudeo obſtructis auribus, ne qua pars elapſa, orationis ſeriem mihi confundat, ac ego deinde à ſpectatoribus exploſus, ronchis & ſibilis illudar. LVCIA. Iſtud ſanè tibi curæ erit Polyſtrate, vt quàm optimè reſpondeas. Cæterùm ego quoniam ſemel tibi fabulam deſaltandam tradidi, in præſens quidem excedam è medio: procla matis autem iudicum calculis, iterum præſtò ero, viſurus quémnam finem hoc certamen habiturum ſit.

TOXARIS,
SIVE AMICITIA,
D. Eraſmo Rotęr. interprete.

ARGVMENTVM.

Videtur hoc dialogo Lucianus amicitiæ dignitatem, atque effectum commendare voluiſſe, dum Toxarim & Mneſippum introducit, alterum Scytharum, alterum Græcorum in amicitijs colendis fidem, prædicantem, vtrunque autem pro patria ſua contendentem, connumera tis aliquot ſuæ ætatis hominum exemplis, qui mutua inter ſe amicitia deuincti, extrema etiam pericula interim alij pro alijs obiere. Occaſio contentionis à ſolenni ſacrificio & cultu Pyladis, & Oreſtis, quibus illos Scythæ venerantur, ſumpta eſt, altero videlicet mirante, & cauſam ſciſcitante, ob quam homines externos, & etiam hoſtes ſuos, diuinis honoribus Scythæ proſequeren tur: altero autem fidem, & amicitiam illorum exponente, ob quam tantos honores conſequuti eſſent. Neq; enim quicquam ſanctius, aut religioſius à Scythis obſeruari, & cuſtodiri, quàm amicitiam, eáque magis illos iactare ſeſe, quàm vllis alijs operibus ac rebus. Interim tamen & illa memorabilia ſunt, quæ de ritu iungendi fœderis, & amicitiæ, cuius etiam Herodotus meminit in Melpomene, & de conſuetudine contrahendi auxilia, atque exercitus, obiter addit.

INTERLOCVTORES,

MNESIPPVS Græcus, TOXARIS Scytha.

MNESIPPVS.

QVID ais Toxaris? Sacrificatis Oreſti, ac Pyladi vos Scythæ, deóſque eſſe illos creditis? TOX. Sacrificamus Mneſippe, ſacrificamus, inquam, haud tamen deos eſſe arbitrati, ſed viros bonos. MNE. An verò mos apud vos, etiã bonis viris poſteaquàm vita defuncti ſint, perinde vt diis ſacra facere? TOX. Non iſthuc modò, verùm eoſdẽ feſtis diebus, ac celebribus cõuentibus honoramus. MNE. Quid captantes, aut ſperantes ab illis? Neque enim quò beneuolentiam illorum cõcilietis, ob id rem diuinam illis facitis, quum iam ſint mortui. TOX. Nihil officiat fortaſsis, ſi & eos, qui mortui ſunt, propitios haberemus. Quanquam non ob id tantùm hæc facimus: quin magis exiſtimamus nos rem vehementer conducibilem & his, qui in vita ſunt, eſſe facturos, ſi præſtantium virorum memoriam celebremus, honorémq; habeamus iis, qui vita defuncti ſunt. Siquidem hac ratione futurum arbitramur, vt multi apud nos illorum ſimiles euadere cupiant. MNE. Iſta quidem rectè iudicatis: at Pyladem atque Oreſtem quo nomine potiſsimum ſuſpexiſtis, vt diis eos æquaueritis, ſdque adeò quum hoſpites vobis eſſent, vel, quod grauius, hoſtes? Quippe poſteaquam naufragio eiecti, ab iis, qui tum Scythiam incolebant, eſſent comprehenſi, abductíque vt Dianæ immolarẽtur: adorti carcerarios, neque non oppreſsis excubiis, & regem trucidarunt, & aſſumpta ſacerdote, quin ipſa quoq; Diana ſublata, nauigio ſeſe proripuerunt, irriſa publica Scytharum lege. Quòd ſi ob iſtiuſmodi facta honorem habetis viris: facilè aſſecuti fueritis, vt multos illorum ſimiles reddatis. Iámque ipſi ab hoc die vſq; ad priſca illa reſpicite, num vobis expedierit multos in Scythiam Oreſtes, ac Pylades appellere. Nam mihi quidem iſto pacto mox futurum videtur, vt religionis ac deorum expertes reddamini: diis qui reliqui ſunt, ad eundem modum è regione veſtra in exilium ablegatis: poſtea, opinor, deorum omnium vice, viros qui illos eiectum venerant diuinitate donabitis: & qui ſacrilegi in vos fuerunt, iis tanquam diis ſacrificabitis. Quòd ſi nequaquam horum gratia Oreſtem ac Pyladem colitis, ſed aliud quippiam Toxaris in vos beneficii contulerunt: qua gratia quum olim non eſſe deos iudicaueritis, nunc è regione ſacra illis facientes, deos eſſe decreuiſtis, & qui tum parum aberant, vt victimæ fierent, iis nunc victimas offertis? Enimuero ridicula videantur iſta, & cum his, quæ quondam ſtatueratis, pugnantia. TOXAR. Et iſta quidem Mneſippe præclara ſunt virorum illorum facinora, quæ commemoraſti: videlicet, duo cum eſſent, tam ingentem auſum audere, vt tam procul à ſua patria profecti, mare trãſ-

mitterent, Græcis ad id vſque temporis intactum, niſi ſolis his qui Argo in Colchidem traiecerunt exercitum, nihil expauefacti, neque fabulas, quæ de illo ferũtur, neque appellationem veriti, quòd inhoſpitũ vocaretur, videlicet (opinor) quòd feræ vndique gentes accolerent: deinde cum iam capti eſſent, vſqueadeò ſtrenue ſeſe geſſerint: neque ſat habuerint, ſi tantùm incolumes euaderent, niſi & à Rege acceptam contumeliã vlti, & Diana ſublata abnauigaſſent. Quid? an non admiranda hæc, & quæ diuino quodã honore digna iudicent, quicquid eſt hominum qui virtutem ſuſpiciunt? Quanquam nõ iſta ſpectantes in Oreſte ac Pylade, pro heroibus illos habemus. MNE. Atqui iam dices quidnã præter iſta ſuſpiciendum patrarint, atque diuinum. Nam quantum ad nauigationem & peregrinationem attinet, nõ paucos profectò diuiniores iſtis oſtẽdero negotiatores, atque inter hos præcipuos Phœnices, qui non in Pontum, neque ad Mæotidem vſque, aut Boſporum tantùm enauigant, verùm quaquauerſus Græcum, ac Barbarum mare permetiuntur. Hi ſiquidem omnem oram, & omne litus (vt ita dixerim) perſcrutati in annos ſingulos, extremo demum autumno in ſuam patriam reuertuntur: quos ſcilicet ad eandem rationem pro diis habeto, ídque etiam ſi complures illorum caupones, ac ſalſamentarios eſſe reperies. TOX. Audi nunc ô vir admirande, conſideráque quãtò nos, qui Barbari vocamur, rectiùs vobis de bonis viris ſentiamus. Siquidem in Argo, atque Mycenis, ne ſepulcrum quidem vllum inſigne videre eſt Oreſtis, ac Pyladis: apud nos verò & templum oſtenditur ambobus illis communiter ſacrum, ita vt par erat amicis: & hoſtiæ offeruntur, reliquúſq; omnis honos. Porrò quòd hoſpites erant, non Scythæ, id verò nihil obſtat quo minus boni viri iudicentur. Neque enim perpendimus cuiates ſint viri honeſti, ac probi: neque inuidemus, ſi cum amici non fuerint, res egregias geſſerunt: quin magis admirantes ea, quæ patrarunt, ab ipſis factis domeſticos, ac noſtrates illos ducimus. Quod autem potiſſimum ſtupentes in illis viris efferimus, illud eſt, quod nobis viſi ſunt amici inter ſeſe longè optimi extitiſſe, atque aliis exemplo fuiſſe, quaſique legem ſtatuiſſe quemadmodum oportet amicos omnem inter ſe communicare fortunam: ſimúlque promeruiſſe, vt à Scythis, qui in amicitiæ laude primas tenerent, colerẽtur. Itaq; quæcunque alter cum altero, vel alter pro altero tulit, ea maiores noſtri deſcripta in columna ærea repoſuerunt in tẽplo Oreſtis: ac leges ſtatuerũt, vt ea columna prima eſſet inſtitutio diſciplináque liberis ſuis, ſi meminiſſent, quæ in illa eſſent adſcripta. Itaque penè patris quiſque ſui nomen citius obliuiſceretur, quàm res geſtas Oreſtis ac Pyladis ignoraret. Quin & in porticu templi eadem quæcunque in colũna notantur, priſcorum picturis adumbrata viſuntur: nẽpe Oreſtes vnà cum amico nauigans, deinde fracta inter abruptas cautes ipſorum naue compræhenſus, & ad victimam adornatus, iámque Iphigenia initiat eos. Ex aduerſo verò in altero pariete idem iam vinculis exutus depictus eſt, ac Thoantem occidens, multóſque ex Scythis alios. Poſtremò ſoluentes abducta Iphigenia, ac dea. Porrò Scythæ fruſtrà ſcapham adoriuntur iam nantem, hærentes gubernaculis, ac conſcendere conantes. Deinde re fruſtrà tentata, alii quidem ex eis ſaucii, alii verò eius rei metu compulſi, natatu ſemet in ſolum recipiunt: vbi vel maximè liceat perſpicere quantam alter in alterum beneuolentiam præſtiterit in conflictu cum Scythis. Fecit enim pictor vtrũque de hoſtibus in ſemet ruentibus ſecurum, propellentem autem eos qui in alterum feruntur, ac præ illo iaculis occurrere conantẽ, pro nihilóque ducentem ſi intereat ipſe, modò ſeruet amicum, vel ſuo ipſius corpore præueniẽs, excipiénſque ictus in illum intentos. Iam verò tantam illorum beneuolentiam, atque in rebus triſtibus communionem, fidem, humanitatem, veritatem, denique conſtantiam alterius in alterum amoris, hæc haudquaquam humana putauimus eſſe, verùm animi cuiuſdã præſtantioris, quàm pro more vulgarium iſtorum mortalium, qui donec ſecũdis ventis nauigatur, amicis indignantur, niſi ex æquo participes fiant rerum lætarum: quòd ſi vel paululum eis venti reflare cœperint, aufugiũt, ſolos in periculis deſerẽtes. Enimuero, vt & illud noueris, nihil amicitia melius arbitrantur Scythæ, neq; eſt in quo Scytha magis glorietur, quàm in adiutandis amicis, communicandíſque rebus acerbis: quẽadmodum neque probrum apud nos maius vllum, quàm amicitiæ deſertorẽ videri. Has ob res Oreſtem ac Pyladem veneramur, quòd præſtantes extiterint in Scytharum virtutibus, atque in amicitia præcellentes, id quod nos omnium maximè admiramur. Appellationem quoque ex his illorum factis impoſuimus, vt Coraci vocentur. quod quidem noſtra in lingua perinde ſonat, ac ſi quis dicat, dii amicitiæ præſides. MNE. Hui Toxaris, profectò non arcu modò valuerũt Scythæ, bellicíſque in rebus cæteris antecelluerunt, verùm videntur & ad orandum, perſuadendúmque omnium aptiſsimi: vnde mihi quum dudum ſecus videretur, nunc eidem meritò feciſſe videmini, qui ſic Oreſtem, ac Pyladem in deorũ numerum retuleritis. Verùm illud me fugerat, vir optime, quòd pictor quoque bonus eſſes. Admodum enim euidenter oſtendiſti nobis, quæ ſunt in Oreſtis templo, picturas, pugnámq; virorum, alteríque pro altero ſuſcepta vulnera. Tametſi non putaram amicitiam vſqueadeo cultam fuiſſe quondam apud Scythas: magis autem, quòd Barbari eſſent atque agreſtes, ſimultate quidem, ira, rabiéque perpetuò committi: amicitiam verò ne in familiariſsimos quidem exercere ſolitos: ídque coniiciens cum ex aliis quæ de illis audimus, tum ex hoc, quòd progenitores ſuos vita defunctos deuorãt. TOX. An nos Græcis cùm aliis in rebus, tum in his quæ ad parentum attinẽt cultum, ſanctiores, magíſq; pii ſimus, impræſentiarũ haudquaquam contenderim: quòd autẽ noſtrates amici longè fideliores ſint amicis Græcis, quódq; amicitiæ ratio maior apud nos, quã apud vos, haud difficile fuerit docere. Ac per

Deos

Deos Græcorum, ne tibi molestum sit audire, si quæ perspexi, dixero, multũ iam temporis apud vos versatus. Vos enim mihi videmini præclarius cæteris de amicitia verba posse facere, vim verò factáq; illius adeò non solùm pro sermonũ dignitate non exercere, vt sat vobis sit prædicare eam, & quantũ sit bonum, ostendere: at vbi vsu venit, deficientes à sermonibus, nescio quomodo, è medio negotio aufugitis. Cæterùm quum Tragœdi in scenam progressi, istiusmodi amici tias vobis repræsentant, pleriq; laudatis, atq; applauditis, ac pro se mutuò periclitantibus illis lacrymatis, ipsi verò nihil dignũ laude pro amicis præstare audetis: quin si quando fortè accidat vt egeat amicus, ibi protinus non secus, atq; insomnia, procul auolantes euanescunt vobis multæ illæ tragœdiæ, vósq; similes relinquunt inanibus istis ac mutis personis, quæ diducto rictu, atque immane hiantes, ne minimum quidẽ loquuntur. At nos è diuerso, quò sumus in dicendo de amicitia posteriores, hòc in præstãda ea præcedimus. Quare si videtur, ita impræsentiarũ agamus, prius illos amicos valere sinamus, si quos vel nos, vel vos ex his, qui olim fuere, recẽsere valemus, quandò ista quidẽ parte vos nimirum superaueritis compluribus, ac grauibus adductis testibus, nempe poetis, qui Achillis, & Patrocli amicitiã, tum Thesei, Pirithoíque, neque non aliorum necessitudinem, pulcherrimis versibus carmini búsque contexuerunt. Quin paucos quosdam in medium afferamus ex his, qui nostra ipsorum memoria fuerunt, atque eorum res gestas exponamus: ego quidem Scythicas, tu verò Græcanicas. Et in his vter superarit, melioráque produxerit amicorũ exempla, is & victor esto, ac suã ipsius victoriam promulgato, tanquam qui pulcherrimum honestissimúmq; certamen decertarit: adeò vt ego quidem non paulò malim mihi in singulari victo certamine dextram amputari, (nã ea est apud Scythas victo pœna) quàm in amicitia quopiã inferior iudicari, præsertim Græco, ipse Scytha quum sim. MNE. Quanquam est haud mediocris negotii, cum viro, ita vt tu es, bellatore, singulari certamine congredi, tum admodum instructo missilibus, ac penetralibus narrationibus, haud tamẽ vsqueadeò ignauiter tam citò vniuersam deserens Græciam, tibi cesserо. Etenim vehementer absurdum fuerit, cum duo illi tantùm vicerint Scytharum, quantum fuisse declarant tum fabulæ, tum vetustæ vestræ pictu ræ, quas paulò antè scitè admodum repræsentabas, Græcos omneis, tot nationes, tot ciuitates, nullo defendente vinci abs te. Nam isthuc si fiat, non dextram, quemadmodum apud vos solet, sed linguam execari cõueniat. Sed vtrum spectare nos oportet, numerúmne eorum, quæ amicè quis gesserit, an magis quò plures alteruter ami eos referre poterit, hòc victoria dignior videbitur? TOX. Nequaquam, imò nõ multitudine visorum spectetur, verùm si quæ tu narrabis facta, his quæ narrabo, videantur præstantiora, magísque penetrantia: tum nimirum etiam si numero paria sint, opportuniora, magísque lethalia mihi faciẽt vulnera: ac penè memet ad ictus accommodabo. MNE. Probè loqueris. Statuamus igitur quot erunt satis. TOX. Mihi quidem satis fore videtur, si vterque quinque narret exẽpla. MNE. Itidem mihi videtur. ac prior dicito, verùm adiuratus, nimirum non nisi vera dicturum. Alioqui fingere eiusmodi, non admodum fuerit difficile, palàm autem refelli non queãt. Porrò si iuraris, nefas sit non habere fidem. TOXA. Iurabimus, si quid etiam iureiurando opus esse censes. MNESI. At quis tibi è diis nostratibus, num satisfaciat Iupiter Philius? TOXAR. Et maximé. Ego quoque tibi nostratem iurabo meapte in lingua. MNE. Testis igitur esto Iupiter Philius, quæcunque dicturus sum apud te, ea nimirum, vel quæ viderim ipse, vel quæ ab aliis, quoad fieri potuit, diligentissimè perceperim, narraturum, nihil ex me ipso comminiscentem, alleuantémque. Ac primo quidem loco, Agathoclis Diniæque amicitiam referam, quæ apud Ionas est celebratissima. Nam Agathocles hic, qui Samius fuit, non ita pridem vixit, vir in amicitia quidẽ præcipuus, ita vt re declarauit: cæterùm reliquis in rebus vulgo Samiorum nihilò præstantior, neque genere, neque cæteris item opibus. Huic cum Dinia Ephesio Lysionis filio amicitia à puero intercesserat. Porrò Dinias supra modum ditatus est, & quemadmodum solent ii, qui nuper opes nacti sunt, complures & alios secum habebat, satis quidem idoneos illos & ad compotandum, & ad voluptariam consuetudinem, ab amicitia verò longè alienissimos. Atque inter hos interim habebatur Agathocles, conuiuebátque, & compotabat illis, non admodum approbans eam viuendi rationem. Dinias autem nihilò hunc potiorem habebat, quàm cæteros adulatores. Tandem etiam offendere cœpit crebrius obiurgans, molestúsque videbatur, quippe qui admoneret eum maiorum, præciperétque vt seruaret, quæ multo labore parta pater illi reliquisset: adeò vt ob hæc ne ad comessationes quidem illum deinceps adhiberet, sed solus cum illis comessaretur, celare cupiens Agathoclem. Demum ab assentatoribus illis misero persuasum est quòd adamaretur à Charicléa Demonactis vxore, viri illustris, atque inter Ephesios in honoribus ciuilibus primarii. Iam & literulæ à muliere ad illum ventitabant, & serta semimarcida, & mala quædam admorsa, denique quicquid ad hæc lenæ machinãtur in adolescentes, quò paulatim illis amorem artibus quibusdã inferant, primúmque hac incendant opinione, quòd sese credant amari. Nam plurimum illicit & hoc, præsertim eos, qui sibi formosi videntur, donec imprudentes in casses inciderint. Erat autem Charicléa vrbana quidem & elegãs mulierecula, at supra modum meretricia, sempérque illius, quicunque fortè adiisset, etiam si quis admodum leuiter concupiuisset: quin si vel aspexisses duntaxat, protinus adnuebat: nec vllo pacto metuendum erat, ne quando recusaret Charicléa: admirabilis autẽ alioqui artifex, quauísque meretrice doctior allicere amatorem, & ambiguus quum adhuc esset, totum subigere: at quum iam teneretur, incitare, ac magis, magísq; accendere,

Amicorũ 1. par, Agathocles, & Dinias.

nunc ira, nunc blandimẽtis, ac mox faſtidio, deinde iniecta ſuſpicione, quaſi ad aliũ ſeſe deflexura eſſet: poſtremò omni ex parte egregiè docta erat mulier & abſoluta, artibuſque omnigenis in amantes inſtructa. Hanc igitur tum Diniæ adulatores acceꝛſiuerant in adoleſcentulum, multáq; aſsimulabant, quò eum in amorem Charicléæ impellerent. Illa porrò quæ complureis iam adoleſcẽtes iugularat, & innumerabiles amores fuerat mentita, domóſque opulentas euerterat, varium quoddã atq; inexpugnabile malum: vbi nacta manibus eſt ſimplicem, & huiuſmodi artium imperitũ adoleſcentulum, haudquaquã amittebat ex vnguibus: ſed vndique oppugnans tentánſque, vbi iam omniũ eſſet compos, tum ipſa dum captat, capta periit, tum infelici Diniæ innumerabilium malorum extitit cauſa. Nam primùm quidem ſtatim literulas illa ad illum dat, ac ſubinde miſsitat ancillulam, quæ renuntiaret vt fleret, vt vigilaret, poſtremò vt miſera præ amore ſuffocatura eſſet ſeſe: donec iam beatus ille perſuaſus, ſibi formoſus eſſe videretur, atque Epheſiorum vxoribus præter cæteros adamabilis. Ac tandem in congreſſum adductus eſt multis precibus exoratus. Et ex eo quidem tempore facilis iam erat coniectura, fore vt caperetur à muliere formoſa, ad voluptatem congredi docta, & in loco flere, & inter loquendum miſerabiliter ſuſpirare, & iam abeuntem amplecti, & adeunti obuiam occurrere, & formam colere ſic vt maximè placitura eſſet: interdum vel voce vel cithara canere: quibus omnibus in Diniam vſa eſt. At vbi ſenſit excruciari, iámq; amore illaqueatum, ac ſubiugum eſſe factum: aliud ad hæc excogitat, quo miſerum ſubuertat: grauidam ſe ex eo ſimulat (nam hoc quoq; efficax ad magis ac magis inflammandum ſtultum amãtem) Neq; poſtea commeabat ad illum, affirmans à viro obſeruari ſeſe, qui iam amorem perſenſiſſet. Hic verò rem iam non vltrà ferre poris erat: neq; durare quibat, quum illam non aſpiceret: ſed lacrymabatur, adulatoréſque ad ſeſe accerſebat, ac Charicléæ nomẽ inclamabat: imaginémq, illius amplexus (candido enim lapide fecerat) eiulabat. Demum in ſolum abiiciens ſeſe, iactabatur: planéq; res extremæ dementiæ ſpeciem obtinebat. Siquidem munera reddita ſunt mulieri, non pro malorum aut corollarum pretio, ſed ſolidæ domus, agri, famulæ, veſtes florulentæ, auri quãtum optaret. Quid multa? Breui Lyſionis domus antea inter Iones nobiliſsima, exhauſta eſt, atque exinanita. Deinde vbi iam exuccus eſſet, eo relicto alium quempiam adoleſcẽtulum Cretenſem bene nummatum venata eſt, atq; ad illum deſciuit. Iam videlicet illum adamabat: atque is quidem credebat. Itaq; Dinias neglectus non à Charicléa modò, verùm etiã ab aſſentatoribus, (nam iſti quoque ad Cretenſem amatorem iam deſciuerant) abit ad Agathoclem, iampridem non inſciũ quàm illi res miſerè haberent. Ac pudeſcens quidem initiò, tamen expoſuit omnia: amorem, egeſtatem, arrogantiam mulieris, riualem Cretenſem: in ſumma, non victurum ſeſe, niſi cum Charicléa conſuetudinem haberet. Ille verò intempeſtiuum eſſe ratus id temporis exprobrare Diniæ, quapropter ex amicis vnum ſeſe non admiſiſſet, ſed tum quidem aſſentatores ſuos ſibi antepoſuiſſet: diuendita, quam vnam habebat in Samo, domo paterna, pretium illi attulit, talenta tria. Quæ ſimul atque recepiſſet Dinias, haud clàm erat Charicléæ. Rurſus ſubitò formoſus factus: rurſus ancilla, & literulæ, & expoſtulatio, quòd iam diu ſeſe non adiiſſet. Concurrerunt item adulatores applaudentes, vt viderũt Diniæ adhuc eſſe quod daret. Cum autem pollicitus eſſet ſeſe venturum ad illam, veniſſétque primo ferè ſomno, eſſétque intus Demonax Charicléæ maritus, ſiue quòd alioqui præſenſerat, ſiue de compoſito, proditionéque vxoris (nam vtrunque fertur) exiliens velut ex inſidiis, & atriũ iubet occludere, & Diniam cõpræhendi, ignem ac flagra minitans, neque non gladium tanquam in mœchum educens. Ille porrò reputans quibus in malis eſſet, vecte quopiam de proximo, vt iacebat, arrepto, tum ipſum occidit Demonactem in tempus adigens: tum Charicléam: atque hanc quidem non ictu vno, verumetiam & vecte ſæpius, & poſtea Demonactis gladio feriens. At famuli interea muti ſtabant, rei nouitate attoniti: deinde compræhendere conati, quum in hos quoque ferro inſiliret, ipſi quidem aufugerunt, Dinias autem clàm ſeſe ſubduxit, tanto patrato facinore. Et ad auroram vſque apud Agathoclem diuerſabatur, paritérque & quæ facta eſſent, reputabant, & quid in poſterum eſſet euenturum, conſiderabant. Vt autem diluxit, milites aderant (iam enim res erat diuulgata) compræhenſúmque Diniam, nec hunc inficiantem homicidium, adducunt ad præfectum, qui per id tempus Aſiam moderabatur. Hic eum ad Perſarum regem remittit. Nec ita multò pòſt relegatus eſt Dinias in Gyaron inſulam ex Cycladibus vnam, damnatus à rege, vt in ea, quoad viueret, exularet. Agathocles autem cùm reliquis in rebus nunquam abfuerat, tum pariter ſoluit in Italiam, & amicorum ſolus vnà eſt in iudicium comitatus, neque vſquam defuit officio. Porrò vbi iam in exilium profectus eſt Dinias, ne tum quidem deſertus eſt ab amico: quin potius ipſe ſuapte ſpõte damnatus verſabatur in Gyaro, ſimúlque cum illo exulem agebat. At quum iam rerum neceſſariarum omnium inopia laborarent, locans ſe ipſum purpurariis, vnà cum aliis vrinabat, quódque hinc partum eſt referens Diniam alebat. Quin & ægrotanti diutiſsimè inſeruiuit, & vbi vita defunctus eſt, noluit vnquam in patriam reuerti, verùm inibi perſeuerauit in inſula, pudori ſibi fore ratus, ſi vel mortuum amicum deſeruiſſet. Hoc tibi Græci factum amici retulerim, quod quidem non ita pridem accidit. Haud enim ſcio, ſi anni quinque præterierint, quòd Agathocles in Gyaro mortem obierit. TOXARIS. At vtinam iniuratus iſta Mneſippe dixiſſes, videlicet quò mihi fas eſſet eis non habere fidem. Adeò Scythicum quendam amicum Agathoclem iſtum deſcripſiſti, quin vereor ne quem & alium illi ſimilem narres. MNESIPPVS. Audi iam & alium

alium Toxari, Euthydicum Chalcidenſem. Retulit autem mihi de hoc Simylus nauclerus Megarenſis, adiurãs profectò ſe teſte rem factã eſſe. Aiebat enim nauigauiſſe ſeſe ex Italia Athenas, circiter Pleiadũ occaſum, collectitios quoſdam homines vehentem. In his fuiſſe Euthydicum, vnáq; cum hoc Damonem Chalcidenſem eiuſdem amicum. Ac natu quidem eos æqualeis fuiſſe: verùm Euthydicum valẽtem, robuſtúmq;: Damonem contrà ſuppallidum atque valetudinarium, quaſi qui nuper (vt apparebat) ex diuturno morbo reualuiſſet. Itaque ad Siciliam vſque feliciter aiebat Simylus nauigaſſe ipſos. Cæterùm vbi trãſmiſſo freto, in ipſo iam Ionio mari nauigarent, tempeſtatem maximam eis incubuiſſe. Quid autem attinet multa referre? immaneis quaſdam procellas ac ſinuoſas, tum grandines, & ſi quæ alia tempeſtatis mala? Vt verò iam haud procul abeſſent à Zacyntho, nuda nauigantes antenna, præterea & funes quoſdam trahentes, quò nimirum vim impetúmque fluctus exciperent: circiter noctis medium, Damonem, qui in tanta iactatione nauſearet, vomuiſſe in mare propendentem. Deinde, vt coniicio, naue vehementius in eam partem, in quam ille propendebat, inclinata, ſimúlque propellente fluctu, excidiſſe eum prono capite in pelagus: neque nudum tamen, videlicet vt miſero vel natare commodè liceret. Mox itaque ſucclamaſſe quum præfocaretur, víxque ſeſe ab vndis ſuſtolleret. Porrò Euthydicum ſimul atque audiſſet (nam forte fortuna nudus in ſtrato tum erat) abieciſſe ſemet in mare, arreptóque Damone, qui iam deficiebat (diutius enim iſta videri poterant, luna ſcilicet relucente) vnà iuxta illum naſſe, ac ſubleuaſſe. Ac voluiſſe quidem illis opitulari ſeſe, miſeratos virorum calamitatem, verùm nequiſſe, quòd vento prævalido raperentur. Illud tamẽ feciſſe, ſubera complura ad illos proieciſſe, tum ex contis aliquot, vt ab his ſuſpenſi natarent, ſi quem fortè ex eis nanciſcerentur, poſtremò ſcanſoria quoque tabulata, quæ quidem erant neutiquã exigua. Cogita iam per deos, quod aliud grauius beneuolentiæ documentum quiſquam edere queat in hominem amicum, qui noctu decidiſſet in mare vſqueadeò ſæuiens, quàm communicata morte? Iámque adeò mihi ante oculos pone imminentes procellas, fragorem aquæ ſeſe agglomerantis, ſpumam vndique efferueſcentem, noctem, ac deſperationem, ad hæc illum iam præfocari incipientem, víxque vndis extantem, manúſque porrigentem amico: hunc autẽ incontanter inſilientem, ſimúlq; nantem, prorſúſq; ſolicitum ne ſe prior Damon interiret. Sic enim profectò cognoſces quòd haud ingeneroſum hunc quoque amicum, videlicet Euthydicum, retulerim. TOX. Vtrum perierunt viri, Mneſippe, an ſalus quæpiã ex inſperato illis contigit? Adeò ego illis non mediocriter timui. MNES. Bono animo es Toxaris, ſeruati ſunt, quin hodiéq; Athenis agunt, ambo philoſophiæ dantes operam. Nam Simylus ea demum narrare poterat, quæ noctu videre licuit, hunc delapſum, illum deſiliẽtem, ſimúlq; nantes, quatenus per noctem dabatur aſpicere. Porrò quę poſt hęc acciderint, Euthydicus ipſe narrat. Primùm quidem, ſubera quædam fortè nactos, ſuſpendiſſe de his ſeſe, atque ita hærentes fluitaſſe, ſanè quàm incommodé. Deinde vbi tabulata conſpexiſſent, iam ſub auroram annaſſe, conſcenſiſque illis, commodè deinde nantes appuliſſe Zacynthum. Poſt hos autem, qui neutiquam mali ſunt, vt ego quidem autumo, accipe iam tertium, nihilo iſtis infetiorem. Eudamidas Corinthius Aretæo Corinthio, & Charixeno Sicyonio amicis vtebatur, & iis quidem opulẽtis, cùm ipſe pauperrimus eſſet. Hic vita decedens, teſtamentũ reliquit aliis quidem fortaſſe deridiculum, tibi verò haud ſcio an tale ſit appariturum, viro probo, & apud quẽ amicitia in pretio ſit, quíq; vel cum præcipuis in ea certare queas. Sic enim in eo ſcriptum erat: Lego Aretæo quidem matrem meam alendam, atq; in ſenecta fouendam: Charixeno verò filiam meã elocandam cũ dote, quanta ab illo maxima dari poterit. Erat autẽ illi mater anus, ac filiola iã matura nuptiis. Si quid autem interim acciderit alterutri, huius quoque partem, inquit, alter habeto. Huiuſmodi lecto teſtamento, ii qui tenuitatẽ quidem Eudamidę nouerant, at amicitiam, quæ illi cũ his viris interceſſerat, ignorabant, rem pro ludo iocóque ducebant. Nemo certè aderat qui non cum riſu diſcederet, quòd eiuſmodi hæreditatem Aretęus & Charixenus eſſent accepturi, felices videlicet, atq; ita aiebant: Si quidẽ perſoluent Eudamidæ, ſuperſtites etiam ipſi hæreditatẽ tradẽt mortuo. At hæredes quibus iſta erant legata, vt audierũt, venerunt illico, agnoſcentes ratáq; facientes ea quæ erant teſtamento mãdata. Itaq; Charixenus quinq; duntaxat dies ſuperſtes, diem obiit. Aretæus autẽ optimus ſucceſſor factus, tũ illius, tum ſuo ipſius ſuſcepto onere, & matrẽ alit Eudamidæ, & filiam non ita pridem elocauit, ex quinque talentis quæ poſsidebat, duobus in propriæ filiæ dotem, duobus in amici filiam erogatis. Ac nuptias ambarum eodẽ die fieri voluit. Quid tibi, Toxaris, Aretæus iſte videtur? númnã leue amicitiæ argumentũ exhibuiſſe, adita huiuſmodi hæreditate, neque deſerto amici ſui teſtamento? an hunc quoq; in perfectis idoneíſq; calculis ponimus, vt ſit vnus è quinque? TOX. Et iſte quidem egregius: quanquam equidem Eudamidam multò magis ob fiduciã admiratus ſum, qua fuit erga amicos. Declarauit enim quòd & ipſe eadem fuiſſet facturus erga illos, tametſi non eſſent ea ſcripta in teſtamento, verùm ante alios veniſſet non ſcriptus talium hæres. MNES. Probè dicis. Sed quartum iam tibi narrabo, Zenothemin Charmolei, Maſsilia oriundum. Commõſtrabatur autem mihi in Italia, patriæ nomine legatum agenti, vir decorus, procerus, ac diues, vt apparebat. Aſsidebat illi vxor in rheda iter faciẽti, cùm alioqui deformis, tum dimidia nẽpe dextra corporis parte manca, alteróq; capta oculo, teterrimum quoddam & refugiendũ terriculum. Deinde cùm demiraret, ſi decorus ille cùm eſſet ac venuſtus, ſuſtineret eiuſmodi mulierem ſibi adiunctam: is, qui mihi eum commonſtrabat, cauſam

II. par, Euthydicus & Damon Chalcidenſes.

III. Eudamidas, Aretæus Corinthii, & Charixenus Sicyonius.

IIII. Zenothemis Maſſilienſis, & Menecrates.

exponit quare in id matrimoniũ incidiſſet. Nouerat enim compertè omnia: nam ipſe quoque Maſsilienſis erat. Menecrati (inquit) huius fœdæ patri, amicus erat Zenothemis, viro diuiti ac honorato ipſe iiſdem rebus par. Deinde aliquanto pòſt facultatibus exutus eſt ex condemnatione Menecrates, quo tempore pariter infamis, & ad capeſſendos magiſtratus inidoneus eſt iudicatus à ſexcẽtumuiris, tanquam qui ſententiã iniquam pronuntiaſſet. Ad hunc autem modum, inquit, nos Maſsilienſes mulctamus, ſi quis corruptè iudicet. Grauiter itaque ferebat Menecrates, primùm, quòd eſſet condemnatus: deinde, quòd è diuite pauper: poſtremò, quòd ex nobili repẽtè factus eſſet infamis ac reiectitius. At præter cætera eum ipſa diſcruciabat filia iam nubilis, vtpote annos nata decem & octo, quam ne cum omni quidem patris ſubſtantia, quam ante condemnationem poſſederat, dignatus fuiſſet quiſquam ingenuus ac pauper facilè accipere, quæ tam infelici fuerit forma. Quin & concidere dicebatur, ídq; circa lunam creſcentem. Hæc vbi apud Zenothemin deploraret, Bono, inquit, animo es Menecrates. Neq; enim ipſe egebis neceſſariis, & filia tua dignum aliquem ſuo genere ſponſum inuenerit. Atq; hæc eloquutus, ſtatim apprẽhenſa illius dextrà, deduxit domum: ibíq; opes, quę illi multę erant, partitus eſt cum illo: ac cœna parari iuſſa, conuiuio accepit amicos, & in his Menecratẽ, veluti iam è neceſſariis cuipiam perſuaſiſſet vt puellam in matrimonium acciperet. Poſteaquàm autem conuiuium peregerant, libaſſentque Diis, tum verò plenum illi calicem porrigens, Accipe, inquit, Menecrates, à genero ſymbolum affinitatis poculũ: nam hodie ducturus ſum ego filiam tuam Cydimacham: dotem autẽ iam olim accepi talenta quinque & viginti. Illo verò reſpondente, Abſit, ne feceris ô Zenothemis, néve ipſe vſqueadeò inſaniam, vt te neglectũ, qui & iuuenis es, & formoſus, conſpiciam cum deformi puella ac debilitata coniugatum. Hæc, inquam, illo loquente, hic ſponſam adiunctam tollens, abduxit in thalamum: ac paulò pòſt prodiit, ea deuirginata: atque ex eo tempore eum illa viuit, ſupra modum diligens, & quemadmodum vides, circunferens eam. Et non ſolùm non pudet matrimonii, verumetiam perinde atq; gloriãs de eo, ſic oſtentat, propterea quòd negligit corporis formam ac fœditatem, ad hæc opes & famam. Tantum amici rationem habet Menecratis, neq; arbitratur eum ſexcentumuirûm ſententia deteriorem eſſe factum, quantum ad neceſsitudinem. Quanquam pro his iam illi gratiam retulit fortuna, ad hunc modum. Puellus enim ei formoſiſsimus ex illa deformiſsima ſuſceptus eſt. Neq; diu eſt quòd tollens hunc pater intulit in curiam, frondibus oleaginis coronatum, ac pullis amictum, quò plus miſerationis auo conciliaret. At infans arridebat iudicibus, & manibus complodebat. Itaque curia commota ſuper illo, remiſit mulctam Menecrati: atque ille iam rei famæq; reſtitutus eſt, eiuſmodi patrono vſus apud iudices. Hæc affirmabat Maſsilienſis Zenothemin amici gratia feciſſe haud mediocria, ſicuti vides, neq; qualia paſsim Scythæ faciunt, qui concubinas formoſiſsimas ſumma cura deligere dicuntur. Reſtat nobis quintus. Neque verò mihi videor alium quempiam debere dicere, Demetrio Suniẽſi præterito. Nauigarat in Aegyptum Demetrius vnà eum Antiphilo Alopecenſi, quicum illi iam inde à teneris annis fuerat amicitia, atque ephebus ephebo conuixerat, paritérque fuerat eruditus, ipſe quidem Cynicam diſciplinam ſequutus ſub Rhodio illo ſophiſta, Antiphilus verò medendi ſcientiam exercuerat. At hoc temporis fortè profectus fuerat in Aegyptum, ad ſpectaculum Pyramidũ, Memnoníſq;. Nam audiuerat illas, cùm eſſent ſublimes, vmbram non iacere: Memnonem autẽ vocem edere exoriente ſole. Harum igitur rerum cupiditate adductus Demetrius, videlicet vt Pyramidas intueretur, ac Memnonem audiret: ſextum iam menſem aduerſo Nilo nauigabat relicto Antiphilo, quòd is itinere atque æſtu defeſſus eſſet. Huic autem interea calamitas incidit, quæ ſingularem quempiam amicum poſtularet. Nam puer eius vt nomine, ita & patria Syrus, inita ſocietate cum ſacrilegis aliquot, vnà cum illis in Anubis templum irrupit: ſublatóq; Deo, ad hoc phialis aureis duabus, tum caduceo, aureo & hoc, neque non cynocephalis argenteis, atque id genus aliis, omnia apud Syrum depoſuerant. Deinde fortè compræhenſi, (capti enim fuerant diuendentes neſcio quid) rem omnem protinus confeſsi ſunt, diſtricti in rota: deportatíque venerunt in ædes Antiphili: vbi res furto ſublatas depromebant, ſub lectica quadam in abdito conditas. Syrus itaque illico vinctus, vnáque herus huius Antiphilus: atque is quidem interea dum prẽceptorẽ audit, auulſus. Nec opitulabatur quiſpiam: quin magis hi, qui fuerãt hactenus amici, auerſabantur hominem, tanquam qui templum Anubis ſacrilegio compilaſſet: ſeſéq; impiari credebant, ſi cum illo bibiſſent, aut ediſſent. Porrò duo qui reliqui erant pueri, quicquid erat in domo, conuaſantes, fuga diſceſſerunt. In vinculis igitur erat miſer Antiphilus multum iam temporis: habitus interim omnium, quantum in carcere erat, ſontiũ ſceleſtiſsimus. Porrò præfectus careeris Aegyptius, homo ſuperſtitioſus, ratus ſeſe gratum facere deo, atque illius vlciſci vices, grauis Antiphilo imminebat. Quòd ſi quãdo defenderet, affirmans ſe nihil eiuſmodi patraſſe, impudẽs habebatur: atq; hoc nomine multò etiam magis erat inuiſus. Subægrotabat itaq; iam, maléq; habebat: nec mirum, quippe qui humi cubaret, ídq; etiam noctu, neq; crura ſineretur protendere, ligno incluſa: nam per diem cataſta ſtringebatur, altera manu vincta ferro: at noctu cogebatur totus in vinculis eſſe. Ad hæc inſuper domicilii pædor ac præfocatio, multis ibidem vinctis, locúmq; anguſtũ prementibus, adeò, vt vix reſpirarent, tum ferri ſtridor, ac ſomnus exiguus, hæc omnia moleſta erant, atq; intolerãda: nimirũ homini eiuſmodi rerũ inſueto, miniméq; ad tam durum vitę genus exercitato. Cùm verò iam deficeret, ac ne cibum quidem capere poſſet, reuerſus eſt tandem & Demetrius, nihildum ſciens eorum

V. par, Demetrius Sunienſis, & Antiphilus Alopecẽſis.

quæ

quæ acciderant. Vt autẽ cognouerat quo in loco res eſſet, ſtatímque curriculo ad carcerem veniſſet: tum quidem admiſſus nõ eſt, propterea quòd veſpera iam eſſet, & carceris cuſtos iandudum occluſis foribus dormiebat, miniſtris excubias agere iuſsis. At mane quum eſſet ingreſſus, multis videlicet precibus admiſſus, accedens multo tempore quærebat Antiphilum: quippe malorum multitudine ſic immutatum, vt cognoſci nõ quiret. Circumiens igitur, è vinctis vnumquenq; contemplabatur, eorum more qui familiarium cadauera iam marcida facta requirunt in ſtragibus. Quòd ni nomen fuiſſet eloquutus, Antiphilum Denomenis filium, ne longo quidem tempore potuiſſet agnoſci quiſnam eſſet: vſqueadeo præ malis erat transfiguratus. Vt verò ad vocem agnitam reſpondiſſet, atque adeunte illo comam diduxiſſet, eam à vultu abigens ſordidam atque impexam, oſtendit ſeſe quis eſſet. Hic ambo collapſi ſunt, oculis oborta caligine in tam inopinato ſpectaculo. Verùm aliquãto pòſt, poſteaquàm & ipſe ſibi redditus, & Antiphilum recipiẽs Demetrius de ſingulis eſſet illum diligenter percontatus, bono animo eſſe iubet. Tum diſſecto pallio, dimidiato quidem induitur ipſe, reliquum autem illi donat, detractis illi putribus atq; detritis quibus erat opertus panniculis: atq; ex eo die modis omnibus illi aderat, curã eius agens, inſeruiénſq;. Locans enim ſeſe iis qui verſabantur in portu mercatoribus, à mane ad medium vſq; diem oneribus geſtandis nõ parum lucri faciebat. Deinde ab opere reuerſus, mercedis partem carcerario in manum dabat, quò illi mãſuetum hunc ac pacatum redderet. De reliquo autem in amici curam affatim ſuppeditabat. Atque interdiu quidẽ aderat Antiphilo, quò illum conſolaretur: vbi verò nox occupaſſet, pro carceris foribus facto ex herbis torulo, ſubſtratíſq; frondibus, acquieſcebat. Et in hunc quidem modum aliquandiu degebant: vt Demetrius nullo vetante ingrederetur, atq; ob id mitius ferret calamitatem Antiphilus: donec extincto in carcere latrone quopiam, ídq;, vt putabatur, veneno: & cuſtodiæ exactiſsimè obſeruatæ, neq; deinde quiſquam admiſſus in domicilium vinculis liber. Quas ob res dubius atq; anxius, cùm alia via nõ pateret, qua liceret amico adeſſe: adito præfecti collega, ſe ipſum defert, tanquam in irruptione templi Anubis cõmunem operam addidiſſet. Id ſimul atq; confeſſus eſt, abductus eſt illico in carcerem, ac ductus ad Antiphilũ. Nam hoc magnis precibus vix obtinuerat à carcerario, vt proximè Antiphilo, atq; eadẽ in trabe vinciretur. Hic igitur vel maximè declarauit quãto in illum fuerit amore, cùm ſua ipſius incõmoda negligeret, cum & ipſe interim ægrotaret: illud autem curæ haberet, quo pacto fieri poſſet vt ille & quàm plurimum dormiret, & minimum angeretur. Atq; ita commodè tolerabant, communicatis inter ipſos malis: donec aliquanto pòſt tale quiddam accidit, quod finem ferme eorum imponeret calamitati. Siquidem è vinctis quiſpiã haud ſcio vnde nactus limam, adiunctis coniuratis captiuorum pleriſque, catenam inſecuit, qua ſeriatim erant adſtricti, cyphonibus in hanc inſertis, ſoluíſque omnes. Qui quidem facilè trucidatis (quippe paucis) cuſtodibus, conglobati proſiliere: atq; hi quidẽ illico quò quiſq; poterat, diſsipati: poſtea pleriq; ſunt cõprẽhenſi. Porrò Demetrius & Antiphilus inibi remanſerunt, Syro quoq; retento, qui iam aufugere parabat. Vt autem diluxiſſet: Aegypti præſes cognito quod acciderat, emiſit quidem qui illos inſequerentur: accerſitis autem iis qui erant cum Demetrio, ſoluit à vinculis, collaudatos, quòd ſoli non aufugiſſent. At illis haudquaquam ſat erat vt hoc titulo dimitterentur: clamabat autem Demétrius, ſibíq; non mediocribus in rebus iniuriam fieri prætendebat, ſi pro maleficis habiti, viderẽtur vel cõmiſeratione, vel ob id laudis, quòd nõ aufugiſſent, dimitti. In ſumma, cõpulère iudicem vt cauſam exactiùs excuteret. At hic vbi reperit nihil eos commeritos, collaudatos illos, Demetriũ autem ſeorſum quoq; admiratus, liberos eſſe iuſsit, cõſolatus ſuper pœnam quam tulerant præter ius in vincula conjecti. Quinetiam ambos munere proſecutus eſt, ídq; de ſuo: Antiphilum drachmarũ decem millibus: bis tanto Demetrium. Ac Antiphilus etiam nunc quidem in Aegypto eſt: Demetrius autem ſua quoq; viginti millia relinquens amico, conceſsit in Indiam, profectus ad Brachmanas, tantùm hoc loquutus Antiphilo, meritò ſibi iam ignoſcendum videri quòd tum ab eo diſcederet: neq; enim ſibi opus fore pecunia, quoad is perſeueraret eſſe, qui erat, videlicet qui poſsit paucis eſſe contentus: neque illum amplius egere amico, quippe cui res iam feliciter haberent. Huiuſmodi ſunt, Toxaris, amici Græci. Quod ni initiò notaſſes nos, tanquàm qui verbis nos iactaremus: idem profectò relaturus eram tibi complures orationes, atq; eas egregias, quas Demetrius habuerit in iudicio: cùm interim pro ſe ipſo nihil reſponderet: pro Antiphilo verò lacrymas funderet, atque etiam ſupplex eſſet: totámque cauſam in ſeſe reciperet, donec Syrus flagris cæſus, ambos eos liberos fecit. Hos igitur paucos è plurimis, quos mihi primùm memoria ſuggeſsit, tibi narrauerim præclaros ac firmos amicos. Quod reliquum eſt, iam decedens à narratione, tibi dicendi partes trado. Tu porrò vti Scythas his non inferiores referas, ſed longè præſtantiores, tibi ipſi curæ fuerit, ſi quid de dextra ſolicitus es, ne ea tibi præcidatur. Verùm oportet ſtrenuũ præſtare virum. Etenim res quædam vehementer ridicula tibi contigerit, ſi cùm Oreſtem ac Pyladem admodum ſophiſticè laudaris, pro Scythia dicens, orator ignauus appareas.

TOX. Rectè tu quidem Mneſippe: qui quidem ad dicendum etiam exhortaris, perinde quaſi nihil ſolicitus ſis ne tibi lingua exeeetur, vicio in narrationibus. Sed iam exordiar, nihil quidem, quemadmodum tu, verbis phalerãs atq; exornans, (neq; enim is Scytharum mos) præſertim cùm res ipſæ longè magis loquãtur, quàm verba. Nihil autẽ eiuſmodi expectaueris à nobis, cuiuſmodi in cõmemorando laudibus extuliſti: puta ſi quis ſine dote duxerit deformem mulierem: aut ſi quis amici filiæ nubenti pecuniolam donauerit,

donauerit,duo talenta:ac per Iouẽ,ſi quis ſponte eat in vincula,cùm certò ſciat ſe paulò pòſt eſſe ſoluendum. Admodũ enim leuia iſta,neq; quicquam ineſt in his vel magni negotii, vel viríle quod ſit.Cæterùm ego tibi referã multas cædes, belláq; & mortes, amicorum cauſa ſuſceptas, vt intelligas veſtra iſta luſum eſſe ſi cum Scythicis conferantur.Neq; tamẽ iſthuc ſine cauſa facitis, ſed meritò parua iſta miramini,propterea quòd non ſunt vobis admodum graues occaſiones declarandæ amicitiæ, quippe in alta pace viuentibus : quemadmodum nec in tranquillitate queas ſcire, bonus ſit gubernator, nécne. Tempeſtate enim tibi opus fuerit ad hoc vt dignoſcas. At apud nos bella perpetua,& aut inuadimus alios, aut cedimus inuadentibus, aut vbi fortè concurrimus, pro paſcuis prædáque pugnamus. Hic potiſsimum opus eſt bonis amicis, eóque quàm firmiſsimè conſtituimus amicitias, ſola hæc arma inuicta atq; inexpugnabilia eſſe iudicantes. Quomodo amicos eligãt Scythæ. Prius autem volo tibi cõmemorare quo ritu faciamus amicos,non ex poculis, quemadmodum vos,neq; ſi quis æqualis ſit,autvicinus:verùm vbi ſtrenuum quempiam virum cõſpexerimus,quíq; præclara facinora patrare poſsit,in hunc omnes ſtudio incũbimus:& quod vos in ambiendis coniugiis, id nos in amicis non grauamur, diu quaſi procos agẽtes,nihílq; nõ facientes,ne videlicet fruſtremur amicitia, néve reiecti eſſe videamur. At vbi iã in amicitias cæteris repulſis delectus eſt quiſpiam, protinus fœdus initur,ac iuſiurãdum, quod ſit maximũ,nimirũ & victuros eos pariter, & mortẽ oppetiturũ,ſi ſit opus,alterũ pro altero. Atq; ita facimus.Etenim ſimul atq; inciſis digitis ſanguinẽ in calicẽ deſtillauerimus,ſummíſq; intinctis gladiis ambo pariter admouentes biberimus,nõ eſt quicquã quod deinde nos queat dirimere.Admittuntur autẽ ad huiuſmodi fœdera ad ſummũ tres. Nam qui multis ſit amicus,is eo loco habetur apud nos,quo communes iſtæ atq; adulteræ vxores:arbitramúrq; iã non perinde firmam illius amicitiã fore, poſteaquã eſt in plures partes diſſecta. Exordiar autẽ ab his quæ nuper Dandamis fecit.Dandamis enim hic in cõflictu cũ Sauromatis,cùm eſſet captiuus abductus eius amicus Amizocas.Quin potius antè tibi iurabo noſtrũ iuſiurandũ,quãdoquidẽ iſthuc initiò ſum pollicitus.Nõ enim per Ventũ & Acinacẽ,quicquam mẽtiturus ſum apud te de Scythicis amicis. MNES. Equidẽ tuum iuſiurãdum haud magnopere deſiderabã:proinde rectè facis,qui nullum deorũ iures. TOX. Quid tu narras? An nõ tibi vidẽtur eſſe dii, Ventus & Acinaces? Adeóne te fugit quòd nihil ſit maius mortalibus vita ac morte? Per hæc vtiq; iuramus,quoties per Ventum & Acinacẽ iuramus:videlicet per Ventum, tanquã qui vitæ ſit cauſa:per Acinacem verò,vt qui mortis ſit author. MNE. Atqui ſi iſta idonea cauſa eſt, profectò multos alios quoq; deos eſtis habituri tales,qualis eſt Acinaces:puta iaculum, lanceam,venenum,funem,atque his conſimilia: quandoquidem varius eſt iſte deus interitus,atq; innumerabiles aperit vias, quibus ad illum ſit aditus. TOXA. Vide quàm contentioſè nunc, quámque litigioſè iſthuc facis,dũ medio ſermone interpellas me, excutíſq; ac diſturbas orationem meam. At ipſe loquente te, ſilentium agebam. MNES. Age,non ſum iſthuc poſthac facturus,Toxaris:& optimo iure obiurgas: quare perge confidenter quod reſtat dicere:perinde quaſi nec adſim dum loqueris,adeò tibi ſilebo. TOX. Quartus igitur agebatur dies Dãdamidi & Amizocæ,ex quo amicitiam inierãt,ac mutuum ſanguinem pariter biberant. Venerãt interea in regionem noſtram Sauromatæ cum equitũ decem millibus : peditum autem ter tantum aduenìſſe ferebatur. Ii nimirum quum in nos irruiſſent imparatos,neque expectantes illorum inſultum, omnes quidem cedere cogunt,complures autem repugnantes occidunt,nonnullos & viuos abducunt,niſi ſi quis effugerat tranans in vlteriorem fluminis ripam, vbi nobis dimidiũ copiarum, & pars curruum erat. Sic enim id temporis caſtra fueramus metati,haud ſcio quo conſilio Archiplanorum,id eſt ducum noſtrorum, ad vtranque Tanaidis ripam. Protinus itaq; & prædas abigebant,& captiua abducebant,& tentoria diripiebant,& curribus potiebãtur,atq; iis pleriſq; cum viris captis:& ſub oculis noſtris cõcubinas vxoréſq; noſtras conſtuprabant. Nos porrò rem indignè tulimus.At Amizoca cùm duceretur (erat enim captus)nominatim inclamauit amicũ,miſerè vinctus, ſimúlq; calicis & ſanguinis cõmonefecit.Quod ſimul atq; exaudierat Dandamis, nihil etiã contatus,ſpectãtibus omnibus tranauit ad hoſtes.Ibi Sauromatę denſatis telis irruerunt in illum,iam confixuri,niſi ſuccłamaſſet,Zirim. Hoc verbi ſi quis ſonuerit,poſtea non interimũt, ſed recipiunt,tanquã dedentem ſeſe pretio redimendum. Móxq; ad illorũ ducem adductus, repoſcebat amicum : Ille redẽptionis pretium poſtulabat. Neque enim prius dimiſſurum ſeſe,niſi maximũ pro illo recepiſſet. Tũ Dandamis:Quæ poſsidebã,inquit,ea omnia à vobis direpta ſunt: quòd ſi quid eſt quod nudus præſtare queam, id ſum paratus polliceri vobis : & imperato quicquid voles:& ſi ita vis,me ipſum huius in locum recipe,& abutere ad quodcunq; tibi lubitũ erit. Ad hæc Sauromata : Nihil,inquit,opus retinere te:præſertim cũ temet dedideris.Quin tu parte eorũ,quæ poſsides,tradita,amicũ abducito.Rogat illico Dãdamis,quidnam vellet accipere.Illo oculos poſtulat. Atq; hic protinus exhibuit eruẽdos. Deinde vbi eſſent exacti, iámque pretium perſolutum eſſet Sauromatis,recepto Amizoca, reuerſus eſt innitens illi : vnáq; tranantes,incolumes ad nos redierunt. Id factũ,animum reddebat Scythis omnibus,neq; iam victos eſſe rebantur ſeſe,cùm viderẽt,quod apud nos eſſet bonorum maximũ, id nondum eſſe abductũ ab hoſtibus:verùm ſupereſſe egregiam mentẽ,& in amicos fidem.At idem Sauromatis formidinem non mediocrem incutiebat,reputantibus cum cuiuſmodi viris, ſi ſe præparaſſent, eſſent pugnaturi: tametſi tũ quidẽ ex improuiſo ſuperaſſent. Proinde ſub noctem relictis maxima ex parte pecoribus,incenſíſq; curribus,fuga ſeſe ſubduxerunt. Porrò Amizoca nõ tulit diutius,vt videret ipſe, amico

Iuſiurandũ Scytharũ.

I. par,Dandamis & Amizoca.

amico cæco Dandamide, ſed ipſus ſemet exoculauit. Atq; ita ſedent ambo, omníq; honore à populo Scytharum publicitus aluntur. Quid tale Mneſippe vos referre poſſetis, etiam ſi quis tibi donet vt poſsis vel decem alios ad iſtos quinque adiungere, etiam citra iuſiurãdum, ſi ita vis, vt & multa liceat affingere? At ego tibi rem nudã expoſui. Tu verò ſi quem talem narraſſes, non ſum neſcius, quantas adornandæ rei gratia phaleras narrationi fueris admiſturus, quemadmodum ſupplicarit Dandamis: & quomodo ſit excæcatus, & quæ dixerit, & quo pacto redierit, & quemadmodum exceperint eum Scythæ, aggratulantes, benéq; ominantes, atq; id genus alia: cuiuſmodi vos ad demulcendas aures ſoletis artificio quodam addere. Audi igitur & alium huic parem Belittam, huius Amizocæ cõſobrinum. Is vt detractum ex equo à leone Baſthen amicum conſpexiſſet (nam fortè ſimul erant in venatu) iámq; leo circũplexus illum, iugulo admotus eſſet, atq; vnguibus laniaret, deſiliens & ipſe, inuolauit in tergum belluæ, reflexíq;, in ſeſe prouocans auerténſq;, atq; inter dentes digitos inferens, conatus quoad licuit, Baſthen è rictu leonis eximere, donec leo omiſſo illo iam ſemimortuo, ad Belittam ſeſe conuertit, atq; ipſum quoq; circumplexus occidit. At ille moriens (nam tanto anteuertit) acinacem in leonis pectus defixit. Itaq; pariter exanimati ſunt omnes: nos autem ſepeliuimus eos, duobus aggeſtis tumulis inter ſe vicinis, altero amicorum, altero è regione leonis. Iam tertio loco tibi referã Mneſippe, Macentæ, Lonchatæ, & Arſacomæ amicitiam. Hic enim Arſacomas deperibat Mazæam Leucanoris filiã, qui regnabat in Boſporo tum quum legatione fungeretur ſuper tributo, quod Boſporani ſemper nobis pendere ſoliti, id temporis tertium iam menſem vltra diem legitimũ diſtulerant. In conuiuio igitur quum Mazæam vidiſſet proceram atq; decoram virginem, amore captus eſt, grauitérque diſcruciabatur. Iam itaq; quæ de tributis agebantur, erant tranſacta: reſpõderátq; illi Rex, conuiuióque accipiebat, mox illum dimiſſurus. Eſt autem mos in Boſporo, vti proci in cõuiuio petant puellas, narrantes quinam ſint, quibúſque rebus freti decreuerint eas in matrimonium accipere. Atq; id téporis forte fortuna multi aderant in conuiuio proci, reges, ac regum filii. In his erat & Tigrapares Lazorũ princeps, & Adyrmachus Machlynæ dux, aliíq; cum his permulti. Oportet autẽ vnumquenq; procum poſteaquam expoſuit quis ſit, & qua fiducia ad ambiẽdas nuptias acceſſerit, cõuiuari cum reliquis, tacitúmq; accumbere: deinde peracto conuiuio, poſtulata phiala vinum in menſam effundere, atq; ita ſponſam ambire, multũ interea collaudantẽ ſeſe, quo genere, quibus opibus, qua ſit potentia. Ad hunc igitur modum cum multi iam libaſſent, poſtulaſſentq;, regna & opes cõmemorantes: tandem Arſacomas poſtulata phiala non libauit (neq; enim mos apud nos vinum effundere, quin magis contumelia iſta eſſe iudicatur in Deum) ſed hauſtim bibens, Da mihi rex, inquit, filiam tuã Mazæam vxorem, qui multò ſum potior iſtis, quantum ad opes ac poſſeſsiones attinet. Leucanore verò admirante (ſciebat enim rex pauperẽ Arſacomam, ac de plebe Scytharũ eſſe) percontantéq;, Quantum pecorum, aut quantum habes plauſtrorum Arſacoma? nã iis rebus vos diuites eſtis. Imò nec plauſtra, inquit, poſsideo, nec armẽta, verùm ſunt mihi duo amici, honeſti, probíq;, quales alii Scytharum nemini. Ac tum quidem iſta dicens riſus eſt, contẽptuſq; habitus, viſúſq; temulentus: mane verò reliquis prælatus eſt Adyrmachus: iámq; ſponſam abducturus erat in Mæotidẽ ad Machlyenſes. Porrò Arſacomas domũ reuerſus, amicis indicat quẽadmodũ reiectus eſſet à Rege, riſuíq; habitus in conuiuio, cùm pauper eſſe putaretur. Atqui dixerã, inquit, illi, quantas haberem opes, nempe vos, ô Lonchata atq; Macenta: veſtrámq; beneuolentiã longè præſtare, multóq; firmiorem eſſe Boſporanorũ opibus. Verùm hæc dicentem me ſubſannauit, contẽpſítq;: & Adyrmacho ſcilicet Machlyenſi tradidit aſportandam ſponſam, quòd aureas phialas ſe diceret habere decem, præterea currus quaternis ſedilibus octoginta: ad hæc ouium boũmq; multam copiam. Sic videlicet antetulit fortibus viris pecorum multitudinem, operoſa pocula, & currus graues. Proinde ô amici, dupliciter excrucior: nã & Mazæam amo, & iniuria mihi inter tantum hominũ illata, non mediocriter mordet animũ meum. Arbitror autem & vos ex æquo iniuria affectos eſſe. Etenim ad vnumquenq; è nobis tertia contumeliæ pars pertinebat: ſi modò ita viuimus, quẽadmodum cœpimus quum coniungeremur: nimirũ vt vnus homo ſimus, iiſdem dolentes, iiſdémq; gaudentes. Imò, inquit Lonchates, vnuſquilibet è nobis totus iniuria afficiebatur tum, cùm in te iſta fierent. Quomodo igitur, inquit Macentes, his in rebus agemus? Per partes, inquit Lonchates, negotium ſuſcipiamus. Atque ego quidem recipio Arſacomæ me caput apportaturum Leucanoris. Tu verò ſponſam ereptam huic adducas oportet. Ita fiat, inquit: at tu Arſacoma, inter hæc (nam his peractis veriſimile eſt exercitu ac bello fore opus) hic mane, quò contrahas & appares arma, equos, atque aliarum rerum vim quantam potes maximam. Facillimè autem plurimos adiũxeris: partim quòd ipſe ſtrenuus, partim quòd nobis non pauci ſunt familiares. Maximè verò ſi deſederis in tergore bouis. Hæc vbi placuiſſent, hic quidem quantum potuit, rectà profectus eſt in Boſporum, puta Lonchates: alter, id eſt Macentes, ad Machlyenſes, eques vterque. At Arſacomas domi manens, & cum æqualibus contulit, & ex familiaribus vim hominum armauit. Demum & in tergore bouis deſedit. Conſuetudo autem de ſedendo in tergore bubulo, huiuſmodi eſt apud nos. Vbi quis ab alio læſus eſt, cupíſque vlciſci, neq; par eſſe pugnæ videtur: tum boue immolato, carnes fruſtulatim conciſas igni torret. Dehinc ipſe porrecto humi corio, ſedet in eo, in tergum reductis manibus, more eorum qui à cubitis vincti ſunt. Et hoc quidẽ apud nos maximum eſt ſupplicandi genus. Appoſitis autem bouis carnibus, adeuntibus domeſticis, præterea ſi quis alius velit, quiſque partem ſibi ſumit,

II. par, Belittas & Baſthes.

III. Macentes, & Lonchates, & Arſacomas

Conſuetudo ſedendi in tergore bubulo.

mit,ac dextro pede tergum bouis calcans,pro facultate pollicetur,hic quidē equites præbiturum ſe quinque ſuopte cibo,ſuóq; ſtipendio: ille decem,alius plures:alius armatos pedites quot poſſit:atq; qui pauperrimus,ſe ipſum duntaxat.Colligitur itaq; in tergo bouis ingens nonnunquam multitudo.Et huiuſmodi quidē exercitus & certiſsima fide cohæret,& hoſtibus expugnatu difficillimus eſt,non aliter quàm ſi iureiurando eſſet adactus.Nam in tergum aſcendiſſe,inſtar iuriſiurandi eſt. Arſacomas igitur his in rebus procurandis ſatagebat: coieruntq; illi equites quidem circiter quinquies mille: tum armati ac pedites promiſcuè vicies mille. At Lonchates vbi ignotus peruenit in Boſporum,Regem adit, tractantem quiddam de regni negotiis,aítq; venire quidem ſeſe publico Scytharum nomine,ſed priuatim res maximas apportare.Ille vbi dicere iuſsiſſet:De publicis,inquit,negotiis, hæc impræſentiarum denuntiant Scythæ, ne veſtri paſtores in planitiem vſq; tranſgrediātur,ſed intra Trachonem paſcant.Cæterùm latrones,de quibus expoſtulatis, quòd regionem veſtram incurſent: negant eos publico cōſilio emitti,ſed priuatim ſui quenq; lucri cauſa prædari. Quòd ſi quis illorū deprehēdatur,tui arbitrii eſſe,vt in eos animaduertas. Hæc quidem illi denuntiant. At ego tibi indico, grauem in vos inſultum futurum ab Arſacoma Mariantæ filio, qui nuper legatum egit apud te:idq; opinor,quum filiam tuā poſtularit, nō aſſequutus ſit abs te:ob id indignatur,ſedétq; in tergore taurino ſeptimū iam diē,contractúſq; illi eſt exercitus haud exiguus. Audiui (inquit Leucanor)& ipſe,cogi vim copiarū in tergū bouis. Quòd autē aduerſum nos cogerētur,quódq; Arſacomas huius rei dux eſſet,id verò me fugerat. Atqui in te,inquit Lonchates,hic apparatus conſtituitur. Mihi autē inimicus eſt Arſacomas, grauitérq; fert quòd ſibi præferar à natu maioribus,& quòd in omnibus illo videar eſſe præſtantior. Quòd ſi mihi ſpopōderis alteram filiam tuā Barcetin, alioqui nec indigno veſtra affinitate, breui tibi reuerſus caput eius apportauero. Spondeo,Rex inquit,videlicet ſupra modū formidine correptus, propterea quòd non ignoraret quam ob cauſam iratus eſſet Arſacomas, nimirum ob nuptias: tum aliàs quoq; metuerat ſemper Scythas. At Lōchates,Iurato,inquit,te præſtiturum pacta,neq; inficiaturum.Id quum fieret, iámque reſupinatus in cælū iurare vellet: Abſit, inquit, vt hīc, ne quis ſpectantium coniiciat qua gratia iuremus:quin potius hoc tēplum Martis ingreſſi, occluſis foribus iuſiurandum edamus, vbi nullus exaudiat. Nam ſi quid horum inaudierit Arſacomas,vereor ne me ante bellum immolet, manu iam nunc non parua cinctus.Introeamus, inquit Rex. Vos autem abſiſtite quàm longiſsimè:neq; quiſquam ad templum adeat,quem ego non accerſiuero. Poſteaquam igitur ipſi quidem introgreſsi ſunt, ſatellites autem procul abſtiterunt:vibrato gladio,ſimúlque altera manu obturato ore, ne vociferaretur, ictum in pectus adegit.Deinde caput deſectum,ſub chlamyde tenēs prodibat, quaſi confabulans interim cum illo, breuíq; ſeſe dicens affuturum,tanquam ad negotii quippiam emitteretur ab illo.Atq; ita reuerſus eò vbi equum vinctum reliquerat,conſcenſo illo redequitauit in Scythiam. Porrò nemo eſt eum inſequutus, quippe diu ignorātibus Boſporanis quod acciderat,tum vbi reſciſſent,factioſē de regno decertantibus. Hæc itaque geſsit Lonchates, præſtitítq; promiſſum allato Leucanoris capite. Porrò Macentes in via factus certior ſuper his quæ in Boſporo acciderant, peruenit ad Machlyenſes: primúſq; illis nuntium attulit de Rege trucidato. At populus,inquit,te Adyrmache, gener cū ſis, ad regnum vocat. Proinde fac vt ipſe prior occupans,imperium arripias,in rebus perturbatis obortus, puella verò te ſequatur à tergo in curribus.Facilè enim iſthoc pacto tibi conciliaueris multitudinem Boſporanorum,vbi Leucanoris filiam conſpexerint. Ego porrò non ſolùm Alanus ſum,verùm etiam ſponſæ tuæ cognatus maternus:ſiquidem noſtra è gente Maſteram Leucanor aſciuit vxorem. Et nunc tibi adſum,miſſus à Maſteræ fratribus,qui ſunt in Alania, denuntiantibus vt quàm potes occyſimè te recipias in Boſporum, neque per negligentiam committas,vt imperium ad Eubiotum deueniat, qui tametſi frater nothus eſt Leucanoris, tamen Scytharum partibus ſemper fauit, cum Alanis ſimultates gerit.Hæc quidem dicebat Macentes. Erat autem eodem cultu eadémque lingua cum Alanis. Commune enim horum vtrunq; Alanis cum Scythis, niſi quòd non magnopere comati ſunt Alani,quemadmodum Scythæ. At Macentes in hoc quoq; illis erat aſsimilis,videlicet detonſa coma: quatinus conueniebat Alanum minus eſſe comatum,quàm Scytham. Itaque his rebus factum eſt,vt illi fides haberetur,putaretúrq; Maſteræ ac Mazææ cognatus eſſe. Et nunc, inquit, ô Adyrmache, ad vtrumuis paratus ſum: vel proficiſci tecum in Boſporum, ſi velis: vel manere, ſi ſit opus, ac ſponſam adducere. Iſthuc equidem, inquit Adyrmachus, longè malim, quandoquidem cognatus es,te puellam adducere.Nam ſi nobiſcum vnà proficiſcaris in Boſporum, vnum duntaxat equitem numero addideris.Quòd ſi mihi vxorem aduexeris, multorum inſtar fueris. Atque ita factum eſt:& hic quidem iter ingreſſus eſt, Macentæ tradens ducendam Mazæam, quæ virgo etiandum erat. At ille per diem quidem illam curru vehebat: verùm vbi nox incubuiſſet,impoſita equo (nam id curarat, vt alius quidam eques ſeſe conſequeretur) tum inſiliēs & ipſe, nequaquam deinceps ad Mæotim iter faciebat, ſed deflectens ad mediterraneam, relictis ad dextram Mitræorum montibus,quum virginem interim aliquoties interquieſcere iuſſam refocillaſſet, intra triduum à Machlyenſibus in Scythiam vſque permenſus eſt viam:ſtatímq; equus eius vbi deſtitiſſet à curſu,pauliſper aſtans exanimatus eſt.Porrò Macentes Arſacomæ Mazæam in manum dans, Accipe, inquit, à me quoque id quod ſūm pollicitus. At illo ad inſperatum ſpectaculum ſtupefacto, gratiáſque agente: Deſine,inquit,Macētes,ac noli me alium à te ipſo putare:nam mihi profectò gratias agere ob

re ob hæc quæ feci, perinde eſt, ac ſi ſiniſtra mea gratias agat dextræ, quòd vulneratæ ſibi ſubminiſtrauit, atque officioſè curam egit ægrotantis. Ridicula nimirum & nos fecerimus, ſi iam dudum commiſsi, & quatenus licet, in vnum conflati, magnum adhuc eſſe credamus, ſi qua pars noſtri officioſè quid egerit pro toto corpore. Etenim pro ſe ipſo fecit, quum pars ſit totius beneficio adiuti. Atque ad hunc quidem modum Arſacomæ gratias agenti Macentes reſpondit. Cæterùm Adyrmachus vbi ſenſit inſidias, non perrexit ire in Boſporum: iam enim Eubiotus rerum potiebatur accerſitus à Sauromatis, apud quos fuerat diuerſatus: verùm in patriam reuerſus, contractis ingentibus copiis, per montoſa irrupit in Scythiã, paulòq; pòſt irruit & Eubiotus, cum Græcos vndecunq; poterat ſecum ducens, tũ Alanos & Sauromatas accerſitos, vtrinque vicies millenos. Coniunctis autẽ copiis Eubiotus atque Adyrmachus nonaginta millia confecerunt: atque ex his tertia pars equites ſagittarii. Nos autem (nam & ipſe ad hanc expeditionem contuleram, addens iis qui in tergum taurinum conuenerant, equites ad plenum inſtructos centum) contractis haud multo minus triginta millibus, vnà cũ equitibus opperiebamur inſultum, ductore Arſacoma. Vt autem admouentes illos conſpeximus, contra duximus agmen, præmiſsis in hoſtem equitibus. Atque vbi iam diu aeriter eſſet pugnatum, tandem ceſſere noſtri, interrupta phalange. Poſtremò in duo diſſectum eſt vniuerſum agmen Scythicum: pars ſubduxit ſeſe, non omnino palàm victa, verùm ita fugiebat, vt locum dare videretur: adeò vt Alani ad multum tempus inſequi nõ auderent: partem alteram, quæ eadem erat imbecillior, cingentes Alani ac Machlyenſes vndequaque cædebant, confertim iaculis emiſsis, atque ſagittis, ſic vt vehementer laboraretur à noſtris, qui tenebantur obſeſsi. Et iam plerique arma proiecerant, quorum in numero fortè erat Lonchates, & Macentes: iámq; ambo vulnus acceperant, dum ante alios ſeſe periculis obiiciunt, hic quidẽ adusto femore, puta Lonchates: porrò Macentes ſecuri fauciato capite, tum conto in humerum impacto. Quod ſimul atq; ſenſit Arſacomas, quũ in altero agmine eſſet nobiſcum, turpe ratus ſi deſertis amicis non adeſſet, ſubditis equo calcaribus, cum clamore in hoſtes tẽdere cœpit ſublato gladio, adeò vt Machlyenſes vim animi non ſuſtinuerint, ſed viam illi fecerint, vt tranſiret. At ille receptis amicis, tum aduocatis & aliis, impetum fecit in Adyrmachum, impactóq; in ceruicem gladio, ad zonam vſque diſſecuit. Quo fuſo diſsipata eſt omnis acies Machlyenſium, paulò pòſt & Alanorum: deniq; cum his Græci quoq;. Atq; ita redintegrato prælio, nos ſuperiores extitimus, diúq; ſumus inſequuti trucidãtes, donec nox finem impoſuit. Poſtero die ab hoſtibus venerunt legati, qui ſupplices pacem atque amicitiam orarent, Boſporani duplicatum tributum penſuros ſeſe pollicebantur: Machlyenſes obſides daturos ſe confirmabant. Alani ita eam inuaſionem cõpenſaturos ſeſe ſpondebant, vt Sindianos noſtro nomine vellent aggredi, quibuſcũ multo iam tempore nobis fuerat ſimultas. His de rebus auditis ſuffragiis, in primis autem Arſacomæ & Lonchatæ, pax inita, duobus illis cuncta pro arbitratu ſuo moderantibus. Huiuſmodi, Mneſippe, audent Scythæ amicorum cauſa facere. MNES. Tragica prorſus, ô Toxari, fabuliſq; ſimilia. Et propitius ſit Acinaces & Ventus, per quos iuraſti, ſi quis iſta non credat, nõ admodum reprehendendus eſſe videatur. TOXA. At vide, vir egregie, ne incredulitas iſta ab inuidia veſtra proficiſcatur. Quanquam nõ me deterrebis non habendo fidem, quo minus & alia his conſimilia referã, quæ nouerim à Scythis eſſe geſta. MNES. Tantum ne longum facias, vir optime, neq; vſqueadeò admiſsis vagiſque vtare ſermonibus, vt nunc ſurſum ac deorſum Scythiam Machlyanámque percurrens, deinde in Boſporum diſcedens, poſtremò rediens, prorſus abutare ſilentio meo. TOXA. Parendum tibi & hanc præſcribenti legem, dicendúmque paucis: ne fatigeris vnà nobiſcum audiendo circuncurſitans. Quin magis auſculta quę in me ipſum amicus Siſinnes nomine præſtiterit. Quum enim Athenas relicta patria proficiſcerer, ídque cupiditate Græcanicarum literarum, appulerã Amaſtrim Pònticam. Ea eſt vrbs haud procul à Carãbe diſsita in promontorio, obuia iis qui à Scythia nauigant. Comitabatur autem Siſinnes, mihi à puero amicus. Nos igitur vbi res quaſdam importatas in portu ſpectaſſemus, in eúmque è naui ſubduxiſſemus, eminus, nihil ſuſpicãtes mali: interea fures quidam effracta ſera ſuſtulerũt vniuerſa, adeò vt non reliquerint quod vel in eum diem ſufficere poſſet. Ergo quum domum eſſemus reuerſi, cognito quod acciderat, non viſum eſt in ius vocare vel vicinos, qui plures erant, vel hoſpitem, veriti ne pleriſque ſycophantæ videremur, ſi dixiſſemus nobis ab aliquo ſublatos eſſe Daricos quadringẽtos, tum veſtium permultum, ad hęc tapetia quędam, denique quicquid habueramus. Conſultabamus igitur hiſce de rebus, quid eſſet faciundum omnium rerum egenis, ídque in vrbe peregrina. Ac mihi quidem ita viſum eſt tum temporis, ſtatim demerſo in ilia acinace, vitã fugere, priuſquam ignauũ quippiam aut indignum eſſet ferendum vel fame vel ſiti enecto. Contrà Siſinnes conſolabatur, obſecrans ne quid tale faceret. Aiebat enim excogitaſſe ſeſe vnde nobis victus ſuppeteret. Et eò quidem die baiulandis è portu lignis allata mercede victum ſuppeditauit: mane autem obambulans in foro, pompam quandam aſpexit iuuenum (quemadmodum aiebat) elegantium ac ſtrenuorum. Hi nimirum viritim lecti vti mercede propoſita ſingulare certamen inirent, in tertium diem erant decertaturi. Ergo quum omnes huius negotii conditiones audiſſet, accedens ad me, Caue poſthac, inquit, Toxari, ne te ipſum pauperem dixeris: ſiquidem tertio ab hinc die diuitem te reddidero. Hæc ait, atque interea ægrè parato victu, quum iam ſpectaculum eſſet inſtitutum, ſpectabamus & ipſi. Etenim aſſumptum me duxit in theatrum, tanquam ad iucundũ aliquod, nouúmq; ſpectaculum

IIII. Toxaris & Siſinnes.

Græc

Græcorum. Ergo vbi conſediſſemus, ſpectabamus. Ac primò quidem feræ partim iaculis confixæ, atque à canibus agitatæ, partim in homines quoſdam vinctos emiſſæ, nocentes quoſpiam, ita vt coniiciebamus. Vt autẽ prodierunt qui erant ad ſingulare certamen conducti, ac producto iuuene quodam prægrandi, dixiſſet præco: Si quiſquam velit cum hoc ſingulari certamine congredi, prodeat in medium, præmium pugnæ acceptarus drachmarum decem millia: ibi protinus aſſurrexit Siſinnes deſiliens, pollicetúrque ſe dimicaturum: ſimúlque poſcit arma. Tum acceptam mercedem, decem millia mihi deferens, in manum dat: Si vicero, inquit, Toxaris, vnà proficiſcemur, ſuppetétque commeatus: ſin cecidero, ſepulto me redi rurſus in Scythiam. Ego quidem his auditis ſingultiebam. At ille ſumptis armis, reliquum quidem corpus muniuit: at galeam nequaquam impoſuit, ſed nudo conſiſtens capite pugnabat. Et initiò quidem ipſe vulnus accepit, retorto gladio, ſuecíſo poplite, ita vt multum ſanguinis defluereť. Ego interim iam metu præmortuus eram. At ille confidentius inuadentem aduerſarium obſeruans, ferit in pectore, transfigítque, ita vt protinus ad pedes illius procumberet. Ille feſſus & ipſe vulnere, mortuo incumbebat: parúmque aberat quin ipſe quoq; efflaret animam. At ego accurrẽs erexi, animúmq; reddidi. Porrò vbi dimiſſus eſt iam victor declaratus, ſublatum illum, domum deportaui: multúmque temporis curatus à medicis, ſuperuixit quidem, hodiéque agit apud Scythas, ducta in matrimonium ſorore mea: claudus tamen adhuc eſt ex vulnere. Hæc res Mneſippe non apud Machlyenſes, neque in Alania geſta eſt, vt teſtibus careat, & ficta credi queat: verùm complures extant Amaſtriani, qui de pugna Siſinnæ memorant. Finem iam faciam, ſi tibi quinto loco factum Abauchæ retulero. Appulit aliquando Abauchas hic in Boryſthenenſium ciuitatem ſecum adducens & vxorem, quam vnicè diligebat, liberos duos, alterum quidem maſculum lactentem, altera verò erat puella ſeptem annos nata. Erat autem peregrinationis comes & huius amicus Gyndanes, atque is quidem è vulnere laborans, quod in via acceperat à latronibus qui eos fuerant adorti: cum quibus dum pugnaret, ictus eſt in femore, ita vt ne ſtare quidem poſſet præ cruciatu. Itaque noctu dormientibus illis (nam fortè in cœnaculo quodam diuerſabantur) ingens ortum eſt incendium, omniáque circuncluſit: iámque flamma vndique domum circundedit. Ibi experrectus Abauchas, relictis liberis plorantibus, repulſa vxore, quæ inhærebat, iuſſáque vt ipſa ſeſe ſeruaret, amico in humeris ſublato deſcendit, perrumpénſque euaſit, ita vt nequaquam incendio læderetur. Vxor infantẽ baiulans conſecuta eſt, monens puellulam vt ſeſe conſequeretur. Ea verò ſemiuſta, abiecto ex vlnis infante, vix exiliit è flamma. Deinde puella vnà cùm illa veniens, penè & ipſa extincta eſt. Poſt hæc quum probro obiectaret quiſpiam Abauchæ, quòd deſertis liberis, atque vxore, Gyndanem extuliſſet: Imò liberos, inquit, denuò parare haudquaquam difficile, tum incertum, an hi boni ſint futuri: porrò amicũ diu fuerit priuſquam inueniam talem qualis eſt Gyndanes: cuius amor mihi multis argumentis eſt exploratus. Dixi Mneſippe: è pluribus his quinque propoſitis iam tempus eſt pronũtiari, vtri noſtrũm aut linguam aut dexterã oporteat amputari. Quis igitur futurus eſt iudex? MNES. Nemo. Neq; enim conſtitueramus narrationis arbitrum. Sed ſcín' quid agemus? Quandoquidem impræſentiarum nullo propoſito ſcopo ſumus iaculati: deintegro delecto arbitro, alia amicorum paria apud illum referamus: deinde vter ſuccubuerit, ei tum quidẽ amputetur, vel mihi lingua, vel tibi dextera. At ſi hoc crudele, quãdò tu amicitiam admirari viſus es: ego nihilo ſecius puto nullam eſſe mortalibus poſſeſſionem hac præſtantiorem, neq; pulchriorem: quin ipſi quoque in vnum copulati, illud approbamus, vt ex hoc die in totam vſque vitam ſimus amici, vtrique victores, vtrique maximis potiti præmiis: videlicet pro vnica lingua, vnáque dextera, binas vterque habituri: atque inſuper oculos quoque quaternos, pedéſque quaternos: in ſumma, duplicia omnia. Eiuſmodi nanque quiddam eſt cum duo tréſque copulantur amici, qualem Geryonem ſcriptores depingunt, ſenis manibus, terníſque capitibus hominem. Siquidem (vt mea fert opinio) tres illi fuerunt, qui communiter omnia gererent: vt dignum eſt his qui amicitia coniuncti ſunt. TOX. Probè dicis: atque ita faciamus. MNES. Verùm neque ſanguine opus eſt Toxaris, neque Acinace, qui nobis amicitiam confirmet. Hæc enim confabulatio, & quòd eadem amamus, id multò certius eſt calice illo quem bibitis: propterea quòd huiuſmodi nõ obligationem, ſed animum poſtulare mihi videntur. TOXA. Placent iſta: iámque amici atque hoſpites ſimus: tu mihi hic in Græcia: ego tibi, ſi quando in Scythiam perueneris. MNES. Nimirum vt ſis ſciens, nequaquam me pigeat vel longius etiam proficiſci, ſi tales amicos nanciſci liceat, qualem eſſe te Toxari ex tua oratione coniicio.

Vt Abauchas, & Gyndanes.

LVCIVS, SIVE ASINVS.

ARGVMENTVM.

Iocoſa quadam & ficta narratio eſt, quo pacto videlicet in Theſſaliam profectus ſtudio diſcendæ artis Magicæ, ibi à puella quadam, dum in auem conuerti, eóque periculum artis facere cupit, in aſinum mutatur, ac deinde varia fortunæ atque locorum vicißitudine, ruſticis, vrbanis, ſacris, profanis diuenditus, ad poſtremum cum in theatrum quoque ſpectaculi de ſe præbendi cauſa introductus eſſet, deuoratis quas ibi tum forte conſpexerat roſis, in priſtinam hominis figuram iterum redierit. Præcipuè autem admiratione digna eſt, mira caſuum atque periculorum varietas, quibus ſurſum atque deorſum iactatum ſeſe, interim etiam bene acceptum fingit: vt non immeritò prorſus putarint quidam voluiſſe Lucianum, totius humanæ vitæ ſpeciem atque imaginem quandam ſub hoc luſu proponere, videlicet quàm vary caſus, quàm fallax & inconſtans fortuna, quàm incerti conſiliorum

etiam

etiam bene ac ſapienter captorum exitus, quámq; inſperati quandoq; earum rerum quas nunquá cogitarus, euentus eſſe ſoleant, aſini huius exemplo (qui corporis quidem permutatione facta, ex homine trãsformatus fuerit, animum tamen & mentem hominis retinuerit) adũbrando. Hanc fabulã Apuleius vndecim libris imitatus eſt, afflictis etiam aliis compluribus ad idem argumentum, quorum quædam mythologice Fulgentius interpretatus eſt, is qui in cæteras quoque poetarum fabulas, mythologias ſcripſit.

QVVM in Theſſaliã, vbi quædã mihi paternæ rationes erãt cum eius gentis viro, proficiſcerer, in Theſſalos quoſdam incidi, qui in Hypatam Theſſaliæ vrbem redibant. Vehebar equo, neceſſaria quædam vſui ferens, vnico comitatus ſeruo, qui ſequebatur pedes. Inter eundum, cùm variis de rebus loquentes, iã vrbi appropinquaremus, à Theſſalis petii, num eius vrbis ciuem noſſent nomine Hipparchum. habere enim me ad eum literas, vt apud ipſum velut hoſpitem diuerterem. Illi & hominem ſibi notum eſſe dixerunt, locupletem auarum, qui ſolùm domi vxorem, & vnicam ancillam haberet: & quo in loco vrbis habitaret, deſcribentes, hortum quempiam in quo eſſet eius habitaculum, data deinde ſalute acceptáq;, abierunt. ego domũ Hipparchi adiens, oſtiũ leuiter pulſo, acceſsit vxor: quam rogo, an ſit Hipparchus domi. Illa cum & quis eſſem, & quid mihi vellem, quæſiſſet, à Deciano Sophiſta Patarenſi habere me literas reſpondi. Mulier manere paulum hortata, occluſo oſtio abiit: paulóq; pòſt rediens, me iubet introire. Ingreſſus ſalutato homine epiſtolam trado. Erat ille in cœnę principio, in lectulo ſedens admodum paruo, vna muliere diſcumbente, menſa cibis vacua. Lectis literis, Amiciſsimus mihi, inquit, Græcorúmq; excellentiſsimus Decianus fecit optimè, qui ſuos ad me amicos fidenter miſerit. Vides Lucii habitaculum hoc paruum eſſe, ſed quod ſatis ſit habitanti: verùm reddes tua præſentia domum, ſi æquo animo tuleris, ampliorem. Vocata deinde ancilla Palęſtra: Des, inquit, huic hoſpiti noſtro tunicã: & ſi quid ſecum detulit, conde: dehinc mitte ipſum ad balneum, quod longa via à nobis abeſt. Cepit me Palæſtra, oſtenſaq; domo pulcherrima: In hoc, inquit, lecto nocte dormies. huic puero tuo lectum ſubſternam, & addam puluinar. Cum hæc dixiſſet, ego in balneum profecturus, hordeum in cibũ equi ancillæ dedi. Lotus cum rediiſſem, Hipparchus me benignè excipiẽs, penes ſe iuſſit ſedere. Cœna ſplendida fuit, vinum ſuaue & vetus: poſt cœnam & potus & ſermo dignus hoſpite. Ita potando veſpere abſumpto dormitum profecti ſumus. Poſtridie rogat me Hipparchus, quò pergerem, & quot diebus eſſem apud ſe affuturus. Lariſſam peto, inquam, ſed hic ferè quinque diebus morabor. Id nequaquam dixi ex animi ſententia. optabam ſiquidem ibi aliquãdiu eſſe, quoad aliqua à me maga reperta eſſet, cuius veneficiis aliquod monſtrum conſpicerem, hominem aut volantẽ, aut lapidem factũ. Huic curæ deditus cœpi vrbem perambulare: quanuis quo id modo inquirendũ eſſet, neſcirem. Interim mulierem video accedentem, vt ex via coniici poterat, iuuenem opulentã. veſtis enim erat floribus intexta, ſerui plures, aurum ſumptuoſius. appropinquans mulier me compellat: Ego, inquit, Abrœa ſum, amica, ſi qua vnquam fuit, matris tuæ: quæ quum eius filios non ſecus ac meos diligam, volo fili apud me diuertas. Magnas, inquam, gratias tibi ago mater. Cupio tecũ eſſe, ſed pudore impedior, ne videar hoſpitem amicum contemnere, ſi eius domum relinquam: animo autem & benigno tecum ero. Nunquid Hipparchus auarus ille tuus eſt hoſpes? inquit. Nõ his verbis vtaris mater, inquã: ſplendidus quippe ac ſumptuoſus in me fuit, adeò vt ex nimia impenſa lautitiáq; culpari ſoleat. Illa ſubridens, manúq; apprẽhẽſa ſeorſum ducens: Caueas, ait, velim omni cura Hipparchi vxorem. maga etenim eſt præcipua, admodum veneficiorũ potens, appetẽs viros: atq; ſi quos in adoleſcentes oculos cõiecit, niſi quis volũtati eius pareat, omni conatu illos vlciſcitur, hos perimẽs, hos in belluas tranſmutans. tu verò fili adoleſcens es, ac formoſus, vt facilè placeas mulieri: præterea externus & aduena, qui vt plurimum contẽnuntur. Ad hæc animaduertẽs, me id quod iam diu quærito, habere domi, fœminam relinquo: abiénſq;, mecum ipſe cœpi de via loqui: Age, inquã, tu qui tantopere hanc mirandam arcẽ te profiteris appetere, excita te ipſum paulò, atq; eam diſciplinam condiſce, qua quod libuerit, potieris. Et quandoquidem amici hoſpitis vxorem non licet, aggredere ancillam Palæſtram: tibi illam omni ratione concilia. Nam ſi illam expugnaris, abſq; labore quod cupis cognoſces. Seruis enim & honeſta & turpia omnia dominorum nota eſſe conſueuerunt. Hæc mecum loquens, domũ intro, vbi neq; Hipparchum neque vxorem offendo. Palæſtra penes focum ſedebat, cœnã nobis parans. Hic ego: O pulchra Palæſtra, inquam, quàm venuſtè & admodum nates ſimul & ollam circũfers atque euoluis! Tum illa, Lumbis meis paulũ humoris ſuperabundat, ex quo beatus erit ſi quis paulum deguſtarit. Illa laſciuior admodum, & vultu grata, Abi hinc, inquit, ſi ſapis adoleſcens, niſi tibi mauis vitã eripi, & loca fuge ignis & fuliginis plena. Nã ſi me tetigeris, vulnus tibi inferetur igneũ, quo apud me deficies. ab hoc neque medicus alter, neq; Deus poterit te curare, ſed ego te vrens mirum in modum dolore afficiam, cuius curam haud facilè ſuſtinebis, neq; lapidibus pulſatus dulcem vitabis dolorem. Quid autem ridens ita reſpicis hominũ coãtricem, doctam non ſolùm hos viles parare cibos, ſed homines quoque, quod his maius eſt, iugulare, pellẽ adimere, partirí in fruſta, viſcera quoq; ipſorum & corda rimari? Hoc, inquam, enarraſti rectè: nam me, quanuis procul à te remotum, non ſolùm concalefeciſti, ſed ignem in mea viſcera abſque aliqua iniuria exurenda conieciſti. Itaq; te oro, vt mihi ſalutẽ afferas his aſperis & ſuauibus, quas dixiſti, medelis, méque iam mortuũ excoria, vt lubet. Illa his verbis arridens, cum iam mihi facta eſſet propitior, pollicita eſt, poſtquã domini iſſent dormitũ, ſe mecũ eſſe concubiturã. Interea cum rediſſet Hipparchus, loti imus cœnatũ. Potus fuit frequens nobis inuicem coepulantibus. Ego ſomnum fingens, cũ ſurrexiſſem, abii dormitũ, vbi omnia mihi optimè intus præparata erãt: extrà lectus ſeruo ſtratus,

menſa iuxta lectum ſita, & in ea calix ac vinum vnà cum frigida calidàq; aqua: quæ ſingula diſpoſuerat Palęſtra: quæ & lectum plurimis quoque roſis ſparſerat, & ſerta ſupermiſerat ex eis cõfecta. Ego ſym poſium promptum videns, compotricem cẽtui expectandam. Illa vt patronã in lecto collocauit, eueſtigio ad me venit. Erat autem hilaritas inuicẽ nobis, & potum & oſcula propinãtibus, ſumpto potu qui nos efficeret in noctẽ paratiores. Tũ illa: Hoc præ cæteris, adoleſcẽs, memineris oportet, te in Palæſtrã incidiſſe. nunc oſtendas licet, an ſis factus inter adoleſcentes agilis, & ad huiuſmodi certamina exercitatus. Cui, Haud, inquam, defugiam hãc prouocationẽ, vt iã nudari, & palęſtræ exercitio incũbere ſum paratus. Tum illa: Volo obtemperes mihi, ait: ego doctoris & præſidis more, certaminum quibus te exerceri volo, præſcribam nomina: tuum erit iuſsis promptè parère. Mãda, inquam, quod iubet: ſed aduerte vt noſtra certamina in tempore cõcinnè cum humore fiãt. Illa ſtans nuda, & exuta veſte, imperat: Exue te adoleſcens, ſumptóq; vnguento aggredere contrà certantem. Femori coniuncto femore, proſterne me reſupinam, deinde ſuperincumbẽs, meis in altum cruribus erectis, femori inhære, & quaqueuerſus percute vulnera, telum etiã ferens, quoad fueris defeſſus, & lumbi bellum egregium peregerint. tũ educto telo, rurſus illud in inguẽ iunge, ac validius percute, atq; inſta quouſque aduerſarium ad parietem impellas. Sed cum lapſus eris, paululum tibi indulge, neque feſtines. poſtmodum cõmuni marte pugnes. His dictis quũ omnia quæ mandata erant, perfeciſſem diligenter, finíſq; iam noſtri certaminis adeſſet: tum ego paulò ſubridens Palæſtram alloquor: Magiſtra, inquam, vides vt facilè promptéq; paruerim tibi. Sed animaduertas velim, an ſatis rectè has mihi impoſueris colluctationes. commutas enim luctandi genus, aliud ex alio iubens. Illa me in faciem percutiens, Quẽ nugatorem diſcipulum habeo? inquit. Vide ſis ne vapules, ni dictis pareas. Dehinc ſurgens, ſéq; ad nouũ certamen paratus, Nunc, inquit, oſtendes ſi viribus validis luctator egregius exiſtas, ſiſq; in eo luctandi genere exercitatus, quod genicularium appellant. Tum ſubnixa genibus in lecto prona, Age tu luctator, mediã corporis partem valenter aggreſſus percute, vulnúſq; adige profundius. nudam vides. vtere promptius, iniice introrſius telum, deinde introrſius flectens iterum impellens abſcõde & comprime, nec quicquam huic certamini adiicias interualli. Caue autem ne citius quàm iuſſerim, telũ extrahas, ſed incuruãs aduerſariũ inſequere: quo proſtrato rurſus certamini incumbe, quoad laſſus victúſq; deficias, & ſudore ſis madefactus. Ego in riſum effuſus, Vellem, magiſtra, inquam, à me quoq; aliqua huiuſmodi tibi præcepta tradi, in quibus mihi obtẽperes velim. Sed iã te erige, ponéq; ſedens data dextera mihi recõcilieris. nam tempus eſt iam dormiendi. His voluptatibus atque exercitiis nox tradu&ta, obliuionem penitus attulit itineris in Lariſſam. Cum autẽ in mentem veniſſet occaſio quæ cupiebam diſcendi: O dulciſsima Palæſtra, inquã, oſtende, oro te dominam tuam ſuis præſtigiis vſam in aliquam ſe formam vertentẽ. Iandudum enim aliquod huiuſmodi mirandum ſpectaculum videre exopto, ſed à te præcipuè, ſi quod noſti, quã credo minimè huius artis ignarã. hoc à nullo alio te præter (quæ anima mea es) percipere cupio. Me quidẽ qui hactenus velut adamantinus (vt aiũt) in nullam vnquam mulierẽ oculos amoris cauſa conieci, ſeruum effeciſti, animo amatorio deuictum. Tum Palæſtra, Iocaris, inquit. Quis enim cantibus ſuperare amorẽ poteſt eius artis magiſtrum? Ego per hoc caput, ac beneuolentiam erga te meam iuro, me (neque enim literas noui) inſciam horum penitus eſſe: verùm ſi facultas dabitur, dabo operam vt videre queas dominam in aliam formam tranſmutatam. His dictis quum dormiſſemus, paucis diebus pòſt, quum nuntiat mihi Palæſtra dominam ſe in auem conuerſuram, vt ad ſuum amatorem aduolet: Nunc tempus, inquã, adeſt, quo diutino noſtro deſiderio poſsis facere ſatis. Bono animo ſis, ait. & quũ iam nox aduẽtaret, me appręhenſum ad oſtium domus ducit in qua illi dormiebant, méq; iubet per rimulam oſtii introſpicientem quæ fierent, animum aduertere. Video patronam depoſita veſte nudã prodire, accenſa lucerna, duo tenentem grana, quorum altero thuris ardenti lucernæ impoſito, multa in lumen locuta eſt. Deinde grandiuſculam reſerans arcam, plures cõtinentem pyxides, vnam effert, quid in ea cõtineretur, incertũ: ſed quantũ oculi coniicere poterãt, oleo plena videbatur. Ex hoc aſſumens, à ſummo vſque ad imas partes totũ corpus perunxit: ſtatímq; alæ innaſcuntur illi, & roſtrũ corneum & aduncum: omníſq; in auem conuerſa eſt nocturnæ cornici perſimilem. Vt verò ſe volantem aſpexit, aſperè cantans, prout hæ aues ſolẽt, pérq; oſtiũ euolans abiit. Ego, qui mihi videbar inſomnium vidiſſe, palpebras oculorum tetigi, nequaquã oculis fidens aut quòd ea aſpexerim, aut quòd eſſem excitatus à ſomno. Tandem vt vix ſenſi me haudquaquam dormire, Palæſtram rogaui, vt ego quoque eo vnguento vnctus in auem cõmutarer. cupiebam enim experimento diſcere, an ex hoc anima quoq; auis poſſem fieri. Illa oſtium domus aperiens, pyxidem profert, ex qua feſtinans exutus perungor totus: auis verò infelix nequaquã fio, ſed cauda è veſtigio à poſteriori innaſcitur parte. digiti omnes ne ſcio quorſum abierint, vngues in quatuor vngulas verſi, manus ac pedes iumenti crura effecta, auriculæ longæ, magna facies: quæ omnia circunſpiciens, cognoui me aſinum euaſiſſe. Vox hominis ad querendũ de Palæſtra defecerat, ſed labia demittens, ipſamq; qua poterã forma reſpiciens, accuſabam, quòd me pro aue in aſinum vertiſſet. Illa manibus demulcens caput, Miſeram me, inquit, quantũ mali feci! feſtinantem ſimilitudo pyxidum me decepit, non capientem ea quibus homines in auem cõmutantur. Sed cõfide, anime mi, facilis erit huius erroris cura. nam ſi roſas comedes, ſtatim exues iumenti formam, & in amatorẽ meum redibis. ac vna nocte æquo feras animo: aſini formam diluculo curabis. afferam ſanè roſas, quas vt ederis, fies homo. Hæc quum dixiſſet, tractans me, & aures, & reliquũ corpus demulcebat. Ego corpore aſinus, ſenſu tamen mentéq; hominis fungebar, ipſe ille Lucius, præter vocem. Mecum igitur multus erat tum Palæſtræ conqueſtus, labiáque mordens abii vbi ſciebam equum meũ & alium verũ aſinum Hipparchi

eſſe.

esse. Qui vt me ingressum conspexere, veriti ne fœ
num ipsorum comederem, demissis auribus parati
erant ad me calcibus repellendũ: quod ego perpen
dens, longè à præsepe recessi, stãs ac mecũ ridens:
sed risus ruditus erat. Cœpi verò interim mecũ co
gitare: Quid si lupus nunc aliquis ad nos intret, aut
alia fera insultet mihi, qui nihil mali commisi? Hac
detentus cura, timebam aliquam malã futuram esse
fortunam. Nox enim intẽpesta cũ esset, ac silentiũ,
& dulcis somnus, strepitus quidã exterius tanquã
effossi parietis est factus. Iamq; adeò dirutus erat,
vt ingressui hominis pateret. Tũ vnus & itẽ alter,
pluresq; intrant, armati omnes. Hipparchum, Palę
stram, ac seruũ meũ colligant, domũ spoliant: pecu
niam, vestẽ, omnémq; supellectilem auferũt, adeò
vt nil relinqueretur domi. Tũ me equumq; atque
alterum educentes asinum strauerũt, impositísq; re
bus quas apportauerãt ad graue onus, ligno nos abi
gentes, ad montes via desueta effugerunt. Ignarus
eram quantũ pressi pondere mei socii paterentur
laboris: ego desuetus absq; soleis iter facere, saxis
prąacutis admodũ offendebar: ideóq; sæpius cæspi
tans, deficiebam sub põdere: sed è vestigio vir sub-
sequens me sæpius feriebat baculo, quum Cæsaris
inuocans præsidium, pro voce ruditum edebam, ô,
solùm absurdè proferens voce maxima: Cæsaris ve
rò nomẽ minimè sequebatur: & ob hoc vapulabam
magis, veluti qui ruditu proderẽ nocturnos fures.
Nil ergo proficiens rudendo, statui verbera silen-
tio redimere. Iam dies aderat, & nos multos transie
ramus montes, religati ora, ne pascendo iter mora-
remur. Meridie ad diuersorium quoddam pertueni
mus hominum quibus cum nostris latronibus vete
rem esse cõsuetudinem, tum ex mutua salutatione,
tum ex oculis poterat percipi. Iubent illi sarcinas
deponere, & prandium parãt. Nobis iumentis hor-
deum præbuere: quod quum cæteri comedissent,
ego valde esuriens (nam is cibus mihi esui difficilis
erat) cogitans qua re famem sedarem, hortulũ retro
diuersorium conspicio multis oleribus plenum, in
quo & rosæ esse videbantur. Itaque videns omnes
prandio intentos, accedo ad hortum, tum vt pasce
rem olera, tum vt ederem rosas, quibus in cibum
sumptis sperabã me in hominem reuersurũ. Hortũ
ingressus, raphanos, lactucas, atq; apiũ, quibus etiã
crudis vtũtur homines, ad saturitatẽ comedi. Quæ
visæ fuerant, nõ erant rosæ, sed lauri syluestris flo
res. Laurũ vocant homines, malũ & asino & equo
cibum, cum ferant ex eo edentes è vestigio mori.
Hoc aspiciens horti custos, rapto ingressus ligno,
vt olera ita depasta vidit, tanquã irati domini erga
fures deprẽhensos solent, neq; natibus neq; late-
ribus pepercit: aures insuper ac totũ caput fuste con-
triuit. Ego iam verberum impatiens, cũ ambobus
calcibus resupinũ super olera strauissem, aufugi ad
montes: quod ille vt animaduertit, canes aduersus
me incitauit. Hi cũ plures essent, atq; ad vrsos expu
gnandos validi, veritus ne me dilaniarent si me cõ-
prẽhendissent: decreui satius esse domum reuerti.
Itaq; eodẽ cursu ad stabulum è vestigio sum regres
sus. Illi continuerũt canes currẽtes: me verò haud
prius percutere destiterunt, quàm ex dolore cacarẽ
olera comesta. Et iam abeundi tẽpus aduenerat, cũ
illi grauioribus rebus quas furto surripuerant, dor
so meo impositis abierunt. Ego & verberibus & o-
nere admodum defatigatus, vngulis insuper de via
cõtritis, decreui me in via prosternere, neque exur-
gere, etiã si me verberando necassent. Eo pacto spe
raui illos necessitate compulsos, sarcinã qua pres-
sus eram, inter equũ & asinũ partituros, méq; vt in-
utilem relicturos lupis. Sed nescio quis dęmon in-
uidia motus, mea consilia in contrarium vertit. Nã
alter asinus fortassis idem cogitans, in via cecidit:
quem illi miserũ baculis percutiẽtes, vbi exurgere
nequibat, neque prodessent verba, alii cauda, alii
auribus apprẽhensum surgere impellebant. Cũ va-
no labore incassum tẽpus tererent, (asinus enim in
via stratus veluti lapis iacebat) illi ad fugam intenti,
ne frustra tardarent, dempta ab asino onera, mihi &
equo imposuerunt: asellum verò miserũ, captiuita-
tis & oneris ferendi sociũ, abscisis ense cruribus,
adhuc semianimẽ è loco præcipiti deiiciunt. mors
illi attulit laborum finẽ. Ego videns quorsum mea
euasissent consilia, statui æquo animo ferre sarcinã,
& promptè iter conficere, sperans rosis aliquãdo re
pertis, me pristinã formã recuperaturũ: præsertim
cũ ex latronũ percepissem verbis, parũ itineris su-
peresse ad locũ in quo depositis sarcinis manerent.
méq; etiam cursu, si opus fuerit, ad proficiscendum
paro. Ante vesperam venimus domũ. Anus vetula
intus sedebat ad ignẽ. illi depositis sarcinis vetulam
rogãt cur sedeat, ac nõ potius prandium paret. Illa
omnia esse prõpta ait, panes plurimos, vinũ vetus,
ac syluestres carnes. Collaudata vetula, vestibúsq;
depositis, ad ignem se oleo vnxerũt. Vas erat aquæ
plenum calidæ, qua se lauerunt. Superuenere paulò
pòst adolescentes, aurum, argentũ, vestes, ac mulie-
brem virilémq; ornatũ portantes, cõmunem omni
bus prædã: quibus rebus intus delatis, eodẽ & ipsi
pacto se lauerunt. Erat illis prandiũ fertile, sermo
homicidarum varius. Anus mihi & equo hordeum
præbuit. Ille cibũ auidè vorauit, timẽs (vt par erat)
ne essem in edendo socius. Vbi mulier abest, ego
panem qui intus erat, comedi. Postridie relicto cũ
vetula adolescente quodam, ad opus suum abierũt.
Ego sentiẽs custodes mihi impositos diligẽtes, in-
gemiscebam. Ac anum quidẽ contemnebam, cũ fa
cilè ex eius conspectu aufugere possem. Sed adole-
scentẽ præcinctum ense, in me sæpius respicientẽ,
atq; adseruantem ostium, formidabam. Postridie
circiter noctẽ mediam reuersi fures, neq; aurũ neq;
argentũ tulere, sed virginẽ formosam sanè, flentẽ,
capillis sparsis, ac scissa veste. Hanc in straminibus
positam bono animo esse iubent, mandãtes vetulæ,
vt continuò domi esset, virginémq; adseruaret dili
genter, quæ neq; potum neq; cibum caperevoluit,
solũ gemens, ac lacerans capillos, adeò vt ego quo-
que illius commotus fletu, sibi iuxtà propinquus la
crymarem. Interim extra domum fures in porti-
cu cœnãt. Facto die explorator quidam aduenies
nuntiat quendam aduenã ea die multis cum opibus
transiturũ. Hi vt erant armati consurgentes, me &
equũ stratos abeuntes ducunt. Ego infelix ignorãs
me ad pugnam & bellum duci, cum tardè irem, li-
gno percutiebar. Postquam ad locum peruentũ est
quà aduena ille profecturus erat, in vehicula & sar-
cinas incidentes, hominem cum familia occidunt:
pretiosioribus rebus mihi & equo impositis, cum

reliqua in ſyluis abſcõdiſſent, reuerſi ſunt. Ego cũ baculo ſæpius ictus eſſem, vngula offendo in lapidem acutũ. ex offenſione fit ſummo cũ dolore vulnus: quo factum eſt vt reliquum viæ conficerẽ claudus. Tunc illi inuicem: Quid opus eſt autẽ hunc aſinum nutrire ſæpius cęſpitantem? Ex aliquo demus eum præcipitem loco, inutilem beſtiam, tanquã futuram exercitus expiationem. Cum hæc aduerſum me machinarẽtur, ego intelligens omnia, quod itineris ſuperfuit, oblitus vulneris peregi. timor enim mortis, omnem abſtulit vulneris dolorẽ. Vt verò ad diuerſoriũ peruentum eſt, onera cũ depoſuiſſent à nobis, diſcumbentes cœnant. Deinde noctu cum recedere vellent, quòd reliqua è ſyluis deportarent: Quid, vnus inquit, hunc miſerũ deducamus aſinũ, inutilẽ propter vngulę vulnus? hæc quę ſuperſunt, partim nobiſmetipſis, partim equo deferenda imponemus. His dictis abierunt, vnà equũ ducentes. Nox cum luceret lunæ beneficio, ego mecũ loquutus, Quid amplius, inquã, expectas miſer, eſca vulturibus & eorum pullis futurus? Nunquid nõ intellexiſti quæ iſti de te ſunt inuicem colloquuti? Vís ne ex alta crepidine deiici? Nox reſplendet, fures abiere, pete fuga ab iſtis homicidis ſalutẽ. Hęc mecum cogitans, cũ viderem me ſolutũ (laqueus enim ſuſpenſus pendebat) ad fugiendũ maximè ſum commotus. Itaq; domũ exiẽs cœpi curſu fugere. Quod anus vbi cõſpexit, me per caudã retinebat: ego rem dignam præcipitio & alia quauis morte putans ſi à vetula retinerer, mulierem trahebã. illa magna voce implorat virginis opem. Quæ cũ prodiſſet, conſpecta re facinus eſt auſa nobile & memoratu dignum. Nam ſuper me aſcendens, fugæ comes facta eſt. Ego tum fugiendi cupidus, tum puellæ gratia, extento curſu abibã, anicula poſt nos relicta. Virgo orabat pro ſalute deos: ad me verò, Si me, inquit, ad paternam domũ perduxeris, primũ ab omni ope re te liberũ faciam, tum hordei medimnus erit tibi ſingulis diebus cibus. At ego tũ interfectores meos fugiens, tum pollicitationibus puellæ motus, negle cto vulnere currebam. Vt verò ad triuium quoddã peruenimus, in hoſtes noſtros redeũtes incidimus, qui ãlonge propter lunã infelices captiuos cognouere. Currentes cum me cõprẽhendiſſent, in virginem verſi, O ſpecioſa virgo, quid miſella, inquiũt, per ignota pergis loca: nunquid dæmones non exti meſcis? redi igitur. nã te tuis reſtituemus. Quę quũ ridentes dixiſſent, me retrouerterunt. tum pedis & vulneris memoria quum renouata eſſet, claudicare cœpi. Illi, Nũc tandẽ captus claudus factus es, aiũt: cæterùm fugiens nõ ſentiebas vulnus, ſed ſanus videbare, equo & auibus velocior curſu. Hæc inter verba adeò me lignis percutiebant, vt iã vlceribus poſteriora infecta ſint. Domũ ingreſsi, anũ laqueo è petra ſuſpenſam inueniunt. Verita enim (vt æquũ erat) latrones propter virginis fugam, laqueo vitã finierat. quod illi admirantes, ſciſſo fune in imum præcipitẽ egere. Deinde ligata virgine ſunt ad cœnã profecti: qua multo potu traducta, quum de virgine colloquerentur, Quid, ait quiſpiam ex eis, de hac fugitiua agendum? quid cenſes, alter, niſi eodẽ illam loco, quò vetulam noſtrã præcipitẽ agamus? nam & pecuniam nobis auferre conata eſt, & nos artémque noſtram prodere. Scitis enim, ſi ad ſuos peruenirent, in quanto periculo verſaretur vita noſtra. nam omnes à pluribus ex improuiſo circũdati fuiſſemus capti. Quare vlciſcamur hanc vitæ noſtræ inſidiatricẽ: ſed nõ ita, vt è ſaxo proiecta morte pereat repentina: mortis genus quo longo dolore afficiatur, reperiundũ eſt nobis. Cũ de illius morte diſceptarent, Adiiciã, ait, huic (quod & vos probabitis) aſini interitũ, quoniã ſemper tardum, nunc verò fictè claudicantẽ oportet perdere. etenim fugæ virginis factus eſt ſocius & miniſter. hũc interficiamus primũ, tum ſcindamus ventrem, atq; inteſtinis abiectis, intus virginem includamus, ita vt ſolum ſuperextet caput, ne eueſtigio ſuffocetur: reliquum corpus intra ventrẽ lateat: quo conſuto, ambos vulturibus eiiciamus nouo more præparatũ cibum. Aduertite quæſo ad hoc tormenti genus. primùm viua mortuo aſino inhærebit, deinde ſole vrẽte in eius ventre decoquetur: inſuper fame ad mortem torquebitur, neq; poterit ſe ipſam perimere: cætera quibus excruciabitur, tum ex putrefacti cadaueris fœtore, tum ex vermibus ſcaturientibus, prætermitto: vultures deniq; cadauer depaſti, & viuentẽ quoq; vnà laniabunt. Ad hoc monſtro ſimile acclamãtes omnes, rem comprobauere: ego meipſum deplorabam tanquam iam moriturũ: neque tantum meo interitu dolebam, quantũ quòd receptaculum eſſem futurus infelicis puellæ, quæ nihil admiſerat mali. Iam diluculum aderat, quũ ſubitò manus aduentat militum ad hos ſceleſtos latrones capiendos: quos omnes vinctos ad eius oræ prælidem perducũt. Inter hos milites, qui puellã deſpõderat, latronum inueſtigator aderat. Hic virginem dorſo meo impoſitam, ad ſuos reduxit. Domeſtici nos etiam ãlonge conſpectos vt agnouere, me illis aduentum noſtrum voce ſignificante, profecti obuiam, domũ perducunt. Virgo multũ de me locuta, & captiuitatis & fugæ ſocio, & vnà ad mortem deſtinato, cura mei demandata cæteris, medimnũ hordei præberi iuſsit, etiam fœnum quãtum ſufficeret camelo. Ego conſpectis canibus, qui in aulã introeũtes, multa vt in diuitis hominis nuptiis vorabãt, Palæſtram ſum execratus, quæ me non in canẽ, ſed aſinum ſua arte tranſmutaſſet. Haud multos poſt nuptias dies, volens mihi virgo promiſſam gratiã referre, patrem, vt me liberũ dimitteret, hortata eſt. Ille ſub diuum cum equarũ armentis liberũ in voluptate, & equas ſubagitare cum vellem, permiſit. Quæ tum mihi optima redhibitio viſa eſſet, ſi mei arbitrii res fuiſſet. Aduocato itaque equarum paſtore, me ſibi permiſit lætum, tanquam nõ amplius ſarcinarum moleſtiam ſubiturum. Equabus paſtor immiſcuit, ducens ſimul ad paſcendum. Oportebat autem & hic mihi accidere, quod olim Candauli. Sed contrà atque opinabar, accidit. nã qui armẽto prẽerat, incluſum me reliquit vxori: illa ad piſtrinũ illigatum, & triticum & hordeum molere cogit. Mediocris hic erat labor, grato præſertim aſino, molere quantũ domino ſat eſſet. Sed mulier intẽta quęſtui, & in aliorum quoq;, qui plurimi in agris erant, opera ad farinæ mercedem miſerum fatigabat collum. Inſuper hordeum mihi debitum cibum cõfricans, ac molere cogens, placentas ex eo in ſuũvſum faciebat: dabatur mihi furfur pro hordeo. Si quando paſtor inter armenta ire ad pabulum equorũ ſineret,

Videtur alludere ad hiſtoriam Candaulis, quæ eſt lib. 1. Herodo.

neret, quia me velut adulterum suspicabantur, calcibus & morsibus infestabar, adeò vt nullo pacto ze lotypiam valerem fugere. Macilentus igitur paruo tempore factus sum ac deformis, neque domi à pistrini labore quietus, neque in agris pascens, quum non essem ab equorum persequutione tutus. Destinabar etiam quandoq; ad montes, lignorum farcinas laturus: quod malũ cæteris erat in omnibus deterius. nã primùm ascendendus mons erat saxosus, aspera ac dura mihi (vt qui absq; soleis essem) via. ducebar ab impuro puero asinario, qui me aliquando nouo more perderet. Is percutiebat currentem, neq; simplici solũ ligno, sed eo cui frequentes atq; acuti stimuli essent infixi. Is semper posteriora dorsi perurgebat, adeò vt nates vlceribus inquinatæ, semper ab illo eodem loco vapularent. Onus præterea imponebat & elephãto graue. Descẽsus montis licet esset præceps, tamen continuis premebat verberibus. Siquando farcina in alteram declinaret partem, nequaquam aut demebat ligna, aut imponebat leuius, vt æquaret latera, sed graues addebat lapides leuiori parti. Ita redibam miser tũ ligna tum saxa inutilia ferens. Flumen erat in itinere absque naui: ille calceis parcens, à posteriori parte post ligna supra me, quoad fluuiũ transiuissem, insidebat. Si verò (vt sæpe cõtigit) labore atq; onere nimio lapsus cecidissem, tũ mihi calamitas aderat non ferenda. non enim deses me subleuabat manibus, aut camo erigebat, aut reddebat farcinã leuiorẽ: sed à capite atq; auribus incipiens, me ligno percutiebat continuè, quoad plagarum multitudo me cogeret ad surgendum. Aliud quoque malum intolerabile sum perpessus: spinarum quippe acutarum fascem, quem ferebam à posteriori parte suspensum, caudę alligauit, vt pendens crura mouentem (vt ambulanti necesse erat) acerrimè pungerẽt. Neq; verò huic malo obuiare potis erã, hærentibus semper spinis, ac propter incessum repercutientibus. nam si remissius incedẽs deuitarem spinarum ictus, ligno valde vapulabam. si baculum euitarẽ citius ambulans, grauius posteriora torquebãtur à spinis. Erat asinario illi omnino me perdendi animus. Itaq; cum illum aliquando calce percussissem, nunquam est id oblitus. Iussus stuppam de vna regione in aliam trãsferre, illã super dorsum meũ arctè alligauit, interitũq; ex eo mihi machinatus, cũ paululũ processissem, raptum ex igne torrem exustum, infra stuppã abscondit: qua subitò incensa, ego ignem sentiẽs me cõburentem, in conspectum fortè de via stagnũ me conieci, méque in aqua vnà cum stuppa cõuolui sępius, quoad ignis extingueretur. Ita absque discrimine reliquũ cõfeci viæ, cum non daretur illi facultas stuppam amplius incendendi, limo atque aqua plenam. At scelestus ille asinarius domum reuersus, omnẽ in me culpam coniecit, asserens me mea sponte in ignẽ prosiluisse. Alter deinceps impurus puer ingens aduersum me excogitat malum. nam cum me ad montem deduxisset, grandi lignorum imposito onere, rediens vicino agricolæ ligna vendidit, méque vacuum lignis domum reducens, apud dominũ veluti inutilẽ accusat, inquiens: Quid hunc asinum amplius nutrimus fruſtrà, difficilẽ, tardum, grauẽ? Inſolens quæ sit eius cura: si mulierem aut virginem formosam conspicit, è vestigio calcibus prosiliens, cursu ad eam fertur, tanquam homines ad mulieres dilectas solent, & morsu tanquam osculo appetens, nititur concumbere: ex quo lites tibi & odia omnibus cõquerẽtibus pauentibúsq; insurgũt. Enimuero nunc ligna ferens, conspecta in agrum abeunte fœmina, ligna abiecta disperſit, mulierem tanquam coiturus insequitur, donec aliis aliunde accurrentibus, mulier ab huius formosi amatoris impetu liberata est. Hæc patronus credens, Posteaquã, inquit, neque piger ire vult, neque farcinam ferre, sed mulieres appetens, amatores hominum imitatur: occidite eum, & intestinis vulturibus datis, carnes operariis seruate. Si quis quomodo sit mortuus, quæret, fingire à lupo interemptum. Ad hoc absurdus ille puer gauisus, me subitò parat iugulare. Sed fortè accidit vt vicinus quidã agricola me ab interitu vindicaret, quædam consulens aduersum me grauiora. Nequaquam hunc asinum occidas, inquit, pistrino aptum, atque oneri ferendo. Neq; etiam magnũ, si in amores mulierum labitur, castra ipsum. summota enim veneris cupiditate, mitis erit & pinguis, cui non sit difficile etiã grauissimũ onus ferre. Si quo modo castretur, ignoras, triduo aut quatriduo virũ adducam huius artis peritissimum. Approbatur à singulis, qui aderant, consiliũ. Hoc audiens fundebam lacrymas, tanquam vir essem in asino desiturus, neque enim viuere amplius cupiebam, si fierem eunuchus. Potius ergo aut inedia deficere decreui, aut ex monte aliquo me præcipitem dare, vt morte misera effugerem vitã miseriorem. At nocte intempesta superuenit in agros & villã nuntius, puellam à latronibus nuper raptam, & eius sponsum mediè iuxta litus deambulantes, ab inundantis maris aqua raptos atq; absorptos fuisse, hunc finem & rerum & vitæ sortitos. Serui nouis dominis vacua domo, decreuere omnes nequaquam decætero seruitutem pati: raptísque quæ in agris erãt, aufugiũt. Qui equis præerat, adsumptis quæ poterat, mihi & equis imponit. Aegrè ferebam non ferre me onus asino dignum: lætabar tamen me euasisse id periculum exactionis. Vniuersa nocte confecimus longũ iter. tertia die in vrbẽ Macedoniæ peruenimus Beroeam, quippe magnam ac populosam, in qua habitare statuerat qui me ducebat, & simul iumenta vendere. Præco medio stans in foro nos proscribebat. emptores diligenter inspiciebant omnia, aperiẽtes os, atq; ex dentibus ætatẽ cuiusque coniectantes: & emerunt alii iumenta reliqua, me vltimũ relictum præco iussit reduci domum, inquiens: Hunc solum vides non reperisse emptorẽ. At fors multa reuoluens sæpius & commutans, dominum minimè gratum parauit. Cinædus erat senex, vnus ex iis, qui deam Syriam per villas & agros circunferentes, stipem deæ offerre impellũt. huic magno vendor pretio, drachmis triginta: quem ligatus sequor. Vbi domum Philebi (hoc emptori nostro nomẽ erat) peruenimus, magna ad ostium voce, ô Corasia, inquit, seruũ vobis emi pulchrum ac grandẽ, genere Cappadocem. Erant ea Corasia cinædorum turba Philebi coadiutorũ. qui omnes ad illius vocem applaudentes, existimabant verum seruum emptum esse: vt verò asinum videre, Philebum increpant, qui non seruum, sed sponsum sibi adduxerit suis nuptiis dignum, ex quo certè pullos eiusmodi quàm primum

pararet. Ad hæc cum risissent omnes exercitio suo intenti, paratis domi sacris, mihi deam superimposuerunt. Ciuitatẽ ingressi, cũ patriam perambulare mus, in quandã villam peruenimus, in qua ego deã ferens constiti. Quidã qui rei sacræ præerat cũ veluti deo plenus nonnulla protulisset verba, reliqui mitra proiecta caput subtus guttur ligantes, ensibus laceratos feriunt, linguã insuper foris dentes extensam quisq; incidit, vt breui tempore omnia sanguine manarent. Hic egò valde extimescebam, ne asini quoq; sanguine deæ opus esset. Eo pacto cũ sibi sanguinẽ eduxissent, drachmas & obolos à circunstantibus colligunt. Alii carycas præbent, & vinũ, caseũq; fiscellas, alii medimnos tritici atq; hordeũ in asini cibum. Ex his & habebãt victũ, & sacra deæ faciebant. Perambulantibus illis aliquando villam quandam, iuuenem grandiorem à se conspectũ expiscati, domum, in quã fortè diuerterãt, deducunt. Illi muliebria (vt illis nefariis cinædis mos erat) perpessi sunt: ego dolens me in asinum esse versum, cum tantũ scelus non possem ferre: O scelesti, cum vellem exclamare, pro voce hominis magnum rudi tum dedi. Quidam ex ea villa amissum asinũ quærẽtes, repẽtè audito ruditu, nullo præmonito ingrediuntur domũ, quum æstimarent me suum asinum esse: repertis qui infanda patrabant cinædis, multo cum risu locum egressi, scelestam sacerdotũ nequitiam per totam villam diuulgant. Illi ob eorum scelera deprehẽsa, pudore territi proxima nocte abeũt. Cum in locum solitariũ peruenissent, increpabant me irati admodum, quòd eorum mysteria patefecissem. Tolerabile hoc erat damnum, verbis mala audire: quod sequitur, non ferendum. deã quippe deponentes, sublata sella, nudum arbori robustæ alligant, deinde fuste ex neruis facto, me ad necem verberant, iubentes in futurum esse taciturnũ. & simul post verba me statuunt iugulare, qui villicorum iram in se incitarim, neq; per me licuerit facere cõsuetum quęstum: sed ope iacentis humi deæ id prohibentis, ne deesset qui eam ferret, cædem effugi: post multas tamẽ plagas reposita supra me dea, iter prosecuti sunt. Vesperi in hominis opulenti prædium peruenimus, qui liberius nos domi excipiẽs, sacra Deæ peregit. Hic ego ingens periculum adii. Amicus quidã nostri hospitis partẽ syluestris asini ei dono misit, quã canes qui intus occlusi erant, coqui negligentia comederunt. Hic præter modũ, ne domini iussu vapularet, cũ de morte cogitaret, consilio mulieris pepercit vitæ. Si mihi credes, inquit, & te saluabis, & resarcies hoc damnũ. Habent hi cinædi asinum, quem si deduxeris in desertum locũ, facilè illum potes occidere, sumptámq; ex eo partem parare in cibum domino: reliquũ corporis in præceps abiice. existimabũt cinædi aufugisse asinũ, neq; amplius deprehendi posse, hic verò asinus pinguis est, & persimilis syluestri. Approbato mulieris consilio, coquus intelligens hoc pacto iram patroni declinaturũ, mihi propinquat, vt consultum faciens patraret. At ego quid de me futurum esset præuidens, optimum facto duxi id periculum subterfugere. Igitur effracto quo ducebar loro, prosiliens feror intus cursu, vbi cinædi cum hospite cœnabant. Subitò eo aduẽtu & lumen & mensam subii, existimans hoc scitum inuentum saluti mihi futurum, dominúmq; è vestigio me otiosum aliquo tuto in loco detenturum: verùm hæc res in extremũ est mihi versa discrimen. nam furiosum me opinati, ensibus, iaculis, longis baculis veluti occisuri me appetierunt: quo periculo perspecto, in interiora domus, vbi cinædi dormituri erant, curro. Illi ostium loci exterius occludunt. Diluculò nebulones illi, dea mihi superposita, recedentes, ad aliam ciuitatẽ copiis & opibus potentem perducũt: in qua nouũ interuenit prodigium. nam cũ dea priuatæ domus diuersorium abnueret, in templo se poni iussit eius loci, qui à ciuibus maximè coleretur. Illi libenti animo deam externã prope suũ deum in tẽplo collocant: nobis tradunt pauperculæ hospitium domus. Hic plures cinædi dies commorati, cum abire vellent, deamq; à ciuibus peterent, templũ ingressi deam asportant: verũ facinorosi homines phialã auream è templo ablatã furto, infra deam recondunt: qua re palãm facta, ciues nos insecuti, vt appropinquarũt, ex equis desilientes, cinædos capiunt, impios illos ac sacrilegos appellantes, cũ phialã ereptã repeterent: & scrutati singula, eam reperiunt in sinu Deæ absconsam. Quã ob rem hos muliebres viros colligatos, in vrbẽq; traductos, in carcerẽ coniiciunt: deamq; alio in tẽplo ponentes, aurũ suo deo restituũt. Postera die & res eorũ & me insuper vendũt. Ego à pistore incola propinquioris villæ emptus sum, impositísq; decem tritici quos emerat medimnis, in villã difficili atque aspera via perductus. Erant domi iumenta cõserua, molæq; plurimæ ab illis agitatæ, omnia intus farinæ plena. me verò, veluti seruum nouũ solent, ac de via propter grande onus fessum, eo die quiescere sinunt. postridie me iugo molæ alligatum, linteo velatis oculis, molere iubent. planè noram, id sæpius expertus, quo pacto esset molendum: sed simulans me eius operis rudẽ, frustra quietẽ speraui. nam plures qui aderant, acceptis baculis de improuiso me id minimè expectantem (neque enim aspicere poteram) adeò percusserunt, vt è vestigio more turbinis circunducerẽ molam: expertúsq; sanè didici seruum ad ea quæ fienda sunt, promptum esse debere, neq; expectare domini manũ. Eo labore admodũ macer euasi, & corpore debilis: quapropter hortulano me vendidit, qui hortũ ceperat colendum. Is olera in forum mea opera ferebat sæpius, agro deinde effodiendo, plantandóq; ac rigando intentus, ego interim otiosus, sed vita propter frigus (erat enim hyems) satis molesta, cum patronus nedum mihi, sed nec sibi lectũ parare posset: me tum molle lutum, tum dura terra atq; acuta multũ offendebat. Cibus itẽ lactucæ amare ac prædurç erãt. Ambobus contigit aliquãdo nobis ad hortum adeuntibus, vt obuiaremus generoso viro, veste induto militari: qui primùm verbis Italis hortulanum allocutus, petiit ab eo, quò asinũ ducat. ille vocẽ militis (vt opinor) nõ intelligens, nihil respondit. Miles id veluti se contemptum ferens molestius, hortulanum fuste cum pertusisset, ille militem amplexus, ad terram in via prostrauit: iacẽtem tum manibus, tum pedibus, tum saxo ferit. Miles cum se tutaretur, minaretúrq;, si exurgeret, se illum ense interfecturum: hortulanus quid de se futurũ esset præmonitus, extractum è vagina ensem, additis verberibus longè proiecit. Miles vitæ periculo

culo motus, ſe ob verbera mortuum ſimulat. quod veritus hortulanus, iacentemq; relinquens, enſe ſupra me poſito, in ciuitatem pergit: datóq; alteri ad colendum horto, ob timorem, penes amicum vnà me ducens, ibi latenter diuertit: deinde amici conſilio ſe in arca incluſit: me pedibus per gradum attractum recludunt in ſuperiori ædiũ parte. Miles vbi de via ſurgens, vixq; ambulãs ob ſuſceptas plagas, in vrbẽ rediiſſet, narrat cõmilitonibus qui obuiã fortè facti ſunt, iniuriam hortulani. Hi cũ noſſent quo eſſemus in loco, ſumpto magiſtratu veniẽtes domũ, lictorẽ intus deducũt, iubẽtes eos qui domi eſſent, educi. Cũ lateret hortulanus, exclamãt milites, illum & aſinum intus eſſe: qui domi erant, nullos eſſe alios præter ſe, neque virum neq; aſinum, affirmant. Cũ tumultus & clamor plurimus in paruo loco eſſet excitatus, ego quídnã eſſet, cupidus ſciendi, caput è feneſtra extuli: quo illi viſo, ſtatim exclamant in mẽdacio deprẽhenſos. Scrutantes ſingula, hortulanum inuenerunt in arcula iacentẽ. extractum iudicibus tradunt, errati pœnam daturum. Me inferius demiſſum dant militibus. Ridebant in me verſi omnes, qui meo indicio prodidiſſem dominum: ex quo id verbũ primũ prodiit in vulgus, Ex aſino conſpecto. Quid deinceps patrono acciderit, ignoro: miles me emit minis viginti, qui miniſter erat viri prædiuitis Theſſalonicæ Macedoniæ ciuitatis. Eius miniſterium erat epulas parare diuiti. Cum iſto conſeruus frater habitabat piſtor, placentas melle conficiens: cõmunia ſuæ his erant artis vtenſilia atq; inſtrumenta. Hi mihi diuerſorium dederunt in eo loco vbi reliquiæ cœnæ domini ab ipſis importabantur perplures, ab altero carnes ac piſces, ab altero placẽtæ. inter has me incluſum relinquentes, abeunt lauatum. Ego omiſſo hordeo, humano cibo ventrem referſi. Cum rediiſſent, tum ex ciborum multitudine non animaduertunt cibos à me comeſtos, tũ quia parcè, ne quid perciperent, comedi. Vbi illos id non perſpexiſſe ſenſi, eorum fretus ignorantia, melioribus fruſtis corpus repleui. Tandem vt damnum cognouere, alter alterũ illa ſurripuiſſe ſuſpicatus, pudore inuicem reticebant. Diligentius igitur adſeruantes, reliquas portiones deinceps & fruſta adnumerãt. Ego vitã voluptuoſam in deliciis agens, factus ſum corpore pinguior, adeò vt pellis ex pilis nitidis admodum luceret. Illi me pinguiorem factum videntes, hordeum verò nequaquam minui, in ſuſpicionem mei ducti, ſimulant ſe foras ire lauandi gratia. clauſo oſtio, quid agam, per rimulas aſpiciunt. Ego ignorans dolum, ad prandiũ proficiſcor. Illi primò ridere incipiunt in cibo aſini deſueto. Conſeruis deinde ad id ſpectaculum vocatis, ridẽt ſimul omnes vehementius, adeò vt patronus peteret quídnã accidiſſet vt adeò efferrẽtur riſu. Vt cauſam percepit, ſurgens à ſymposio, atque introſpiciens, poſteaquã me vidit ſylueſtris apri fruſta edentẽ, ſtatim ridens ſe intus corripuit. Ego ægerrimè tuli me in furto & gula fuiſſe deprẽhenſum. Ille ſuborto riſu me iubet in conuiuium deduci, deinde menſam parari adeò multis cibis, vt nullus alter aſinus eos potuiſſet edere. Cochleæ crudæ erant, piſces partim garo & oleo, partim ſinapi conditi. Fortunam ego arridentẽ mi &c. hi ſentiens, cogitansq; his iocis ſalutem mihi afferri poſſe, mẽſæ adſtans prandiũ ſumpſi: qua ex re vniuerſum cõuiuiũ ſe in riſum effudit. Cũ dixiſſet quiſpiã, Bibet hic aſinus & vinũ, ſi quis miniſtret: idq; patronus iuſſiſſet afferri, oblatũ potaui. hoc ille præter modũ admiratus, duplex eius, quo venditus erã, pretiũ annumerari emptori iuſsit, méq; dari adoleſcẽti cuidã liberto ſuo, tũ nutriendũ, tũ inſtruẽdũ, quæcunque illum oblectare poſſent. Facile fuit illi me docere, parentem ſibi, facientémq; ſingula quæ monſtraret. Primùm flecti me in genua ſupra lectũ velut hominẽ docuit, tum ſibi alludere, ac ſtantem pedibus anterioribus erectis pſallere, ad eius quoque vocem annuere atque abnuere. omnia deniq; quæ poteram, imitabar. Vulgatum iam per vrbem erat, aſinum vinum bibere, ludere, ſaltare, & quod mirabilius videretur, vocibus hominis obtemperare. Cum vellem bibere, oculorũ nutu admonebam miniſtrũ. Mirabantur hęc omnes vt rem inſuetam, inſcii hominem in aſino eſſe. Lætabar eorum ſtultitia, diſcẽs ambulare, ferre patronum, currere abſq; vlla ſeſſoris moleſtia. Eram ſumptuoſius ornatus, purpureis phaleris, frẽno auro atque argento diſtincto. Pendebant inſuper tintinnabula, ſuauẽ ſonum præbentia. Menecles patronus in Theſſalonicam abiit, ob hanc cauſam, vt ferebat, quòd erat pollicitus patriæ, ſe gladiatorios ludos daturum: qui cum ad pugnandum parati adeſſent, nos mane profecti ſumus. Ferebam dominũ via dura & vehiculis difficili. Vbi Theſſalonicam venimus, omnes ad ſpectaculum & me videndum conuenerunt. Iam enim fama diffuſa longius vulgauerat, me in modum hominis ſaltantẽ, varios ludos edere. Patronus poſt potum ſuis conciuibus (hi nobiles erant) in cœna me iocos. illos incredibiles iubet edere. Libertus, qui mihi præerat, faciens ex me quæſtum, tenebat incluſum, eos qui meos ludos volebant aſpicere, aperta ianua datíſq; nummis intromittens. illi, aliud alter in meum cibũ afferebant, & ea præſertim, quæ ventri aſini minimè conuenirent. Me & domini & aliorum ciuium epulæ & magnum & pinguiorem reddiderant. & mulier quædam externa mei vidẽdi cupida accedit, vt me aſpiciat prandentẽ. Vt aſpexit, è veſtigio in cupidinem mei exarſit, tum aſini ſpecie adducta, tum impulſa ludorum venuſtate. Hęc cum liberto vt vnam noctem mecum eſſe ſinat, magno pretio pacíſcitur: qui parum curans mei iacturam, pretio accepto, cũ adueſperaſceret, poſt cœnam domini iuſſu abiens, me ad locũ vbi dormiebam, perducit. Ibi mulierem inuenimus lectum ingreſſam. puluinaria mollia importata erant, veſtes quoque, & ſtragulæ, & ſtratum decens humi poſitum. Mulieris ſerui alio in loco abeunt iuxta domum dormitum: illa lumẽ intulit permagnũ igni ſimile: exutáq; veſte, nuda propter lumẽ ſtetit: deinde ex alabaſtro proferens vnguentum, ſe primùm tum inungit, naréſq; vnguento replet: poſtmodum exoſculatur, ea loquens, quæ amor in hominem dilectum proferre cogit. Deinde me fune in ſtratum trahit. Ego ne quaquam tertio agens hortatore, quò ducor accedens, cũ vino veteri eſſem reſperſus, vnguẽti quoque odore incitatus pulchritudine inſuper puellæ commotus, inclino me, dubius quónam pacto concumberem cum muliere. nam ex quo aſinus fui, expers coitus fui: neque cum aſinis in ea re conſueue-

* κρέα, λοπάδας, ζωμούς, ἰχθῦς, τὸτο μὲν γὰρ ῳ καὶ

ram, neque aſinam cognoram. Itaque haud paruus mihi timor inceſsit ne ſcinderem dilacerarémq; in coitu mulierem, ac poſtmodum tanquam homicida meritam ſubirem pœnã. ſed hæc incaſſum à me cogitabãtur. nam mulier multis amatoriis me oſculis prouocans, vbi me ad opus paratum ſenſit, vt homini ſuperincumbens me complectitur, ac paulum eleuans, totum inguen accepit. Ego cum retrocederem, adhuc reformidans, illa meos amplexa clunes, ad ſeſe trahit, cedentẽ paulò: Quorſum, inquiens, refugis? atque acrius complexui inhæret. Vt verò ſenſi ſupellectilem iam mihi deeſſe ad explendam fœminæ libidinem ac voluptatem, timore depoſito, haudquaquam amplius inſequenti cedens, eius obtemperaui libens cupiditati: exiſtimauíq; nõ eſſe me Paſiphaes adultero deteriorem. Hoc pacto vniuerſa nox veneri data eſt, in voluptatem coitus frequenter conſumpta. Cũ dies adueniſſet, abiens mulier cuſtodem meum conuenit, pretióq; noctẽ aliã redimit. Ille ditior meo opere factus, quum rem domino ſignificaſſet, cum fœmina reliquit incluſum: quæ priori exercitio intenta, voluptati operã ſummo cum deſiderio impendit. Libertus interim veſperi, me inſcio, ad interiorẽ in quo dormiebamus locum perducto patrono, me per rimulam oſtendit cum adoleſcentula coeuntem. Eo aſpectu oblectatus, rem prohibet efferri: cupiens me in theatrũ duci ludorum tempore, quò id meum ſpectaculum in aliqua ex his quæ ad beſtias damnatæ eſſent fœmina, in conſpectu omniũ videretur. Ac ad me introductã mulierẽ mihi hærere, & demulcere manibus iubent, vt cum ludorum inſtaret dies, in theatrum deduceremur, omnibus ſpectaculo futuri. Lectus erat magnus, ex Indica factus teſtudine, atq; ornatus auro. in hoc me collocant, & iuxta ponunt mulierem: deinde ſupra machinam lectum poſitum in medium theatri ferunt, magna cum acclamatione populi plauſũq;, manus aduerſus me extendentis. Nobis menſa erat pluribus præparata rebus quę in cœna deliciarum cauſa hominibus apponũtur. Adſtabant nobis formoſi pueri pincernæ, vinũ nobis aureo poculo miniſtrantes. Ibi cuſtos adſtãs meus, iubet me prandere. Verecundabar in theatro ſitus, & ſimul extimeſcebam ne quis vrſus aut leo ad me dilaniandum proſiliret. Hic ego inter alios flores recentium roſarum folia cõſpicatus, ſtatim è lecto proſilio. Arbitrabantur reliqui me veluti ſaltaturũ ad ludum præbendum ſurrexiſſe: at ego inter homines ad flores vſq; delatus, roſas ſelectas paſcor. tũ ſingulis rẽ admirantibus, iumenti ſpeciem depono, omníque prioris aſini ſublata forma, in Lucium illum priſcum ante eos nudus redii. Hoc inſperato veluti mirando monſtro ſtupefactus populus, magno coorto murmure, in diuerſas ſententias diſtrahebatur. alii vt magum, inq; varias formas mutari ſolitum, ſtatim igni comburendum: alii paulò expectandum, méq; prius audiendum eẽſebant, ac poſtea ſententiam ferendã. At ego ad præfectum vrbis, qui aderat in theatro, curres, dixi me à ſeruia Theſſalæ mulieris, quæ maga erat, vnguento perfuſum, in aſinũ fuiſſe conuerſum. rogo me in cuſtodia detineat, quoad certior fieret me loqui vera. Dic, inquit præſes, tuorum parentum & cognatorũ, ſi quos habes, & ciuitatis, nomen. Patrem eſſe mihi Luciũ reſpondi, fratrem Caium, eodem quo ego vocatum cognomine: me hiſtoriarum aliarúmq; rerum ſcriptorem, fratrem poetam atque augurẽ eſſe, patriam vrbẽ Achaiæ Patras. Quæ vbi præſes audiuit, Hoſpitis, inquit, filius es, hominis mihi amiciſsimi, qui me domi ſolitus eſt excipere, & donis proſequi. Scio te nil mentiri, tali parente natũ. deq; ſella deſcendens, me amplexus exoſculatur, ac deducit domum. Interim meus aduenit frater, argentũ afferẽs, aliaq; multa. Cũ præſes adſtãtibus omnibus me miſſum feciſſet, ad mare deſcẽdimus. Præparata iã naui, cõmeatúq; impoſito, optimum factu ſum ratus, priuſquã abirẽ, fœminã conuenire quæ me aſinum adeò dilexerat. multò enim magis virum me aſino pulchriorem fore ſibi charũ exiſtimauit. Illa admodũ læta me vidit, rei miraculo delectate, ac cœnare cubaréq; ſecum hortata eſt. Exiſtimabã illam quæ aſinũ dilexiſſet, multò maiorẽ in homine voluptatẽ ſumpturã. Quum cœnaſſemus, vnguẽto vngor: coronáq; ex amãtiſsimis roſis, vt quæ mihi formã hominis reſtituiſſent, impoſita capiti, quũ tempus dormiendi iam nocte intẽpeſta adeſſet, veſtes exuo adſtans nudus, veluti rẽ gratã fœminæ facturus, quũ pro aſino virũ haberet. At illa vt me nudũ aſpexit, & ſingula hominẽ eſſe, in me expuens, Abi hinc in malam rẽ, ait: abſcede ocyus, alibi dormiturus. Cũ peterem quódnam ob erratũ meũ id diceret: Quoniam non te, ait, ſed aſinũ dilexi, quócum non tecũ cõcubui. Equidẽ arbitrabar te aſini ſolã ſpeciẽ depoſuiſſe: inſigne illud quod dilexerã, feruaſſe: tu verò omiſiſti id, quod ſolum in aſino pulchrũ videbatur atq; vtile, in ſimiũ quendã conuerſus. ſtatímq; vocatis domeſticis mãdat, extra domũ foras me nudũ eiici. Ego ante domũ nudus, coronatus, vnctus, in nudo ſolo iacui. Diluculò mare verſus reſpiciẽs, nudus fratri narraui nõ abſq; riſu infortuniũ meum. Vento deinde flante nauẽ aſcendentes, paucis diebus in patriã venimus: vbi Diis meæ ſalutis authoribus ſacra perſolui, ac in tẽplo dona ſuſpendi: nõ quòd ex canis podice (vt vulgò aiunt) ſed ex longa aſini peregrinatione, ac vix tandẽ in patriam redierim, ſalutem conſecutus.

IVPITER

Confutatus, Vincentio Obſopœo interpr.

ARGVMENTVM.

Summa dialogi huius eſt. Quando fato ac neceſsitate quadam omnia in hoc mũdo geruntur, eíq; etiam Dii obnoxii ſunt, ſuperuacaneã eſſe omnẽ religionem, ac cultũ diuinum: ideóq; neque dys ſacrificandũ eſſe, neque ab illis quicquam ſperandũ: imo ipſos illos non meliores aut etiã feliciores hominibus eſſe, ſed ſolum fati ac neceſsitudinis iſtius ſempiternæ miniſtros, qui per ſe neque prodeſſe nobis, neque nocere poſsint. Nã ſi vlla illorum prouidentia, aut rerum humanarũ adminiſtratio foret, neq; malos ac ſceleratos inultos manere, & pios bonóſq; beneficijs ac munere illorũ prouehi debere. Nã quæ de ſupplicijs inferorũ ac pœnis nocentũ feruntur, ea ſi quæ ſint, eiuſmodi certè eſſe, vt immeritò & iniuſtè illis eueniant, qui ea patiuntur, cũ nemo ſua vlũtate, ſed ex prædeſtinato fatóq; impellẽte peccet. Fingitur autẽ Cyniſcus, vti intrepidus atq; impudẽtior paulo quiſpiã cũ Ioue diſputare. Eſtq; hic dialogus ex illis vnus, ob quos Lucianus proprie blaſphemus atq; ἄθεος vocatus eſt. Quid enim in rebus mortaliũ ſanctiũ aut inuiolatum vſquam erit, ſi religione ac metu

Deorum

Deorum è medio ſublato, hominibus perſuaſeris, ſiue benè ſiue malè agant, id neceſſitate quadam fatorum fieri, eóque ipſos à crimine ſolutos atque innoxios eſſe?

INTERLOCVTORES,

CYNISCVS, & IVPITER. CYNISCVS.

EGO verò te Iupiter talium rerum gratia nunquam moleſtius conturbabo, extructas diuitias, aut multum auri pōdus, aut imperii dignitatem à te poſtulās, quæ quidem vulgò non parum multis maximè in votis ſunt, tibi verò largiri haud quaquam facilia. Itaque permulta eiuſmodi illis ſolicitè expetentibus, ſurdis auribus video te negligere. Cæterùm vnum illud facillimum à te mihi velim contingere. IVPIT. Quid hoc verò rei eſt Cyniſce? neq; enim indigentia diutius diſcruciaberis, maximè ſi rerū mediocrium, vt ais, inopia conflictaris. CYN. Reſpōde mihi ad quęſtionem quādam non difficilem. IVP. Exiguū profectò votū, & præſtatu facile. Proinde quære quæcunque fert animus. CYN. Vide Iupiter: etenim veriſimile eſt & tibi videlicet Homeri atque Heſiodi lecta eſſe poemata. Dic ergo mihi, num vera credenda ſunt iſta quæ de Fato & Parcis illi conſarcinatis cecinerunt verſiculis: & an nullo modo ea vitari queant, quæcunque illæ cuique naſcēntium fatali decreto adneuerint. IVP. Et valde quidem vera ſunt iſta. Etenim in rebus humanis nihil eſt quod Parcarum diſpenſatione & conſilio non ordinetur: verū omnia quæcunque fiunt, dum ſub illarum colo circunferūtur, ſtatim ab initio vnumquodque illorum certum & infallibilem ſortitur euentum, nec fas eſt aliter fieri. CYNI. Proinde quoties Homerus alia in parte ſuæ poeſeos dixerit, Infera ne Parcis inuitis regna ſubintret, ac id genus alia, nugari videlicet tunc illum dicemus? IVPI. Et maximè. nihil enim extra Parcarum legem fieri credendum eſt, atque adeò præter linum. Cæterùm Poetæ quęcunque ex Muſis ſuggeſta cecinerint, illa vera habenda ſunt. Porrò quoties à Deabus deſeruntur, ac per ſe aliquid literis ac memoriæ proditum protulerint, tūc à vero tota via aberrant, neque non cum prioribus pugnantia atque contraria commemorant. Et ignoſcendum quidem facinus, ſi, cum homines ſint, veritatem ignorent, præſertim illo digreſſo numine, quod præſens per illos canere ſolebat. CYNIS. Atqui hoc ſanè ita ſe habere dicemus. Ad hæc verò & illud mihi reſponde: Nónne tres ſunt Parcæ, nempe Clotho, Lacheſis, & Atropos? IVPIT. Rectè putas. CYNIS. Fatum ergo & fortuna, cum & ipſæ Deæ ſint, multum vulgò celebratę, cuiuſmodi ſunt, aut quænam vnicuique illarum eſt potentia? An verò æqualem cum Parcis ſortem obtinent, aut maiore quàm illæ in rebus humanis gubernandis potentia prædita ſunt? Paſsim enim omnes affirmātes audio, Fortuna & Fato nihil vſpiam eſſe potentius. IVPIT. Haud fas eſt omnia tibi comperta eſſe, ò Cyniſce. Cuius ergo gratia hæc de Parcis me interrogaſti? CYNIS. Si prius mihi Iupiter & illud expoſueris, num & in vos illæ imperium obtinent, & neceſſum ſit ex illarum lino vos pendere. IVPIT. Neceſſarium omnino, ò Cyniſce. Quid ergo riſiſti? CYNIS. Cōmodùm Homeri illi verſiculi in mentem mihi venerunt, quibus te in Deorum concilio concionantem introduxit, & indignanter comminantem te catena quadam aurea omnia ſurſum ſubducturum. Etenim dixeras, catenam cælitus tē demiſſurum, ac tunc ſi velint omnes Dii ex illa pendentes, quanuis certatim ſummo ſtudio te conarentur detrahere, nullo tamen modo te loco eſſent moturi. Te verò, ſi lubitum foret, nullo negotio vniuerſos vnà cum terráque & vaſto gurgite ponti velle ſubducere. Tunc equidem inuitato & admirando membrorum robore poller: mihi videbare: aè mirificè inhorreſcebam animo audiendo verſiculos. Nunc autem te ipſum video vnà cum catena & verbis tuis minaciſſimis, à tenui filo, vt ais, pendentem. Videtur itaque mihi multò iuſtius Clotho arroganter gloriari poſſe, quòd & te ipſum in ſublime tractum, & ex colo pendulum videat, quemadmodum piſcatores ex calamo ſubductos contuentur piſciculos. IVPIT. Haud compertum habeò quid iſtæ tuæ ſibi velint quæſtiunculæ. CYNIS. Illud nimirum Iupiter: & per Parcas ac Fatum te obſecro, ne acerbè atque grauiter accipere velis, ſi veritatem ore liberiore protulero. Si enim iſta vt tu dicis, ita ſe habent, & Parcæ omnium rerum poteſtatem & gubernationem obtinent, & nihil à quoquam eorum quod illis decretum eſt, immutari poteſt: cuius ergo gratia vobis nos homines ſacrificamus? quamobrem hecatombas vobis ad aras adducimus, votis expetētes bona nobis veſtra largitione contingere? Neq; enim video quem fructū ex tantà cura, & ſacrificandi ſtudio capimus, ſi neque malorum auerſiones ipſis precibus inuenire poſſumus, neque aliud bonum diuinitus datum conſequimur. IVPIT. Noui vnde tibi iſtæ ſuppetant argutiæ, & immodeſtæ interrogatiunculæ, nempe ab execrandis & maledictis iſtis Sophiſtis, qui nulla prouidentia res humanas adminiſtrari garriunt. Itaque illi eiuſmodi crebris quæſtionibus impietatis ductu perquirunt in hoc, vt à ſacrificando, & votis nuncupandis auertant homines, tanquam vulgare quiddam eſſet. Nobis tamen earum quæ apud vos aguntur rerum, nullam curam eſſe, neque quicquam omnino poſſe in his quæ in terris ſunt negotiis, impudenter mentiuntur. Verùm enimuero nequaquā talibus diſputationibus implicati gaudebunt. CYNIS. Non per colum Parcarum, ò Iupiter, ab illis perſuaſus hæc te interrogaui. Diſputatio verò noſtra neſcio quo modo eò progreſſa, in hoc ipſum incidit, ac ſuperuacanea hominum ſacrificia eſſe confirmat. Rurſus verò, ſi videtur, paucis te interrogabo, tu porrò ne graueris, precor, ad quæſita reſpondere: & vide vt maximè prouidenter reſpondeas. IVPIT. Roga, ſi tibi otium eſt talia nugandi. CYNIS. Aíſne omnia Parcarum nutu & decreto agi & fieri? IVPI. Aio ſané. CYNIS. Vobis verò relictam eſſe facultatem commutandi & reglomerandi? IVPIT. Nullo modo. CYNI. Vis ergo, vt quod ſequitur, inducam, ſiue clarum ac planum illud dixero, ſeu ſecus? IVPIT. Clarum vtique eſt. Nam qui Diis ſacra faciunt, nulla neceſsitate adducti ſacrificant, ſed alternæ retributioni ſeruiunt, perinde ac ſi bona à nobis mercarentur, aut alioqui honeſto dediti colunt quod viderint eſſe præſtantius. CYNI. Et hoc abunde ſatis eſſe ducis, potiſsimùm cùm

An idē Fortuna, Fatū, & Parcæ.

An & Iupiter Fato ſuccumbat

affirmes nullius vtilitatis reſpectu fieri ſacrificia, verùm bonitate quadam hominum præſtantiora colentium. At ſi quis ex Sophiſtis illis præſtò eſſet, haud dubiè ex te quæreret, quo nomine Deos hominibus potiores eſſe pronũtiares, præſertim conſeruos hominum exiſtentes, eidémque Parcarum imperio, quæ rerum ſunt dominę, ſubiectos. Neque enim, niſi me fallit opinio, illi reſpondebis, Deorum ſortem hòc eſſe potiorem habendam, quòd immortales ſint. Nam hoc ipſo nomine infeliciores dicendi ſunt. Homines enim etſi aliud nihil, certè mors in libertatem vendicat: cæterùm vobis in immenſum huius rei incommoditas protenditur, perpetuæ ſeruituti mancipatis, quæ vario multiplicíque tractu ſub lino ſubinde circunuoluitur. IVPIT. Atqui, ô Cyniſce, hæc perpetuitas, & immenſa temporum ſeries, noſtra eſt felicitas: ac vitam omnibus bonis affluentem agimus. CYNIS. Non omnes pari felicitate fruimini, ô Iupiter, verùm apud vos quoque præfinita eſt quædam diſpar rerum frui tio, multis coniuncta perturbationibus. Tu quidem feliciter & beatè agis per omnia, cum Deorum ſummus imperator ſies, poſsíſq; & terram & mare ſubducere quaſi fune demiſſo: cæterùm Vulcanus claudus eſt, vnus ex mechanicis camino & igne artem fabrilem exercens: Prometheus verò quondam etiam in crucem actus eſt. Quid autem patrem tuum commemorem, quem etiamnum vinculis conſtrictum tartareis ſub vmbris agere conſtat? Quinetiam nefandis amoribus vos capi perhibẽt, ac vulneribus indignè violari: præterea aliquando ſeruili conditione hominibus eſſe deuinctos, quemadmodum fratrem tuum Laomedonti dicto audientem fuiſſe, Apollinem verò apud Admetum egiſſe in ſeruitio inficiari non potes. Hæc quum ita ſint, non videtur mihi ſolida eſſe & ſyncera veſtra felicitas: ſed ſunt quidem veſtrûm nonnulli felices & egregiè beati, ſunt rurſus qui non item. Mitto enim vt latrocinio non ſecus atque nos diſpoliemini, neque non à ſacrilegis compilemini, atque ex ditiſsimis ad extremam rerum anguſtiam in puncto temporis redigamini. Non pauci verò ex vobis etiam conflati ſunt, aurei aut argentei exiſtentes, quibus videlicet hoc fataliter decretum fuerat. IVPIT. Vide vt verba contumeliæ plena in nos euomas Cyniſce: ac te fortaſſe illorum aliquando pœnitebit, intemperantis linguæ pœnas ſufferentem. CYNIS. Tolle minas, ô Iupiter, certò enim perſuaſum habeo, nihil me mali paſſurũ, quod ante te mihi Parca ſufferendũ nõ deſtinauerit: quoniã neq; illos ipſos ſacrilegos ſuppli cio per te affectos video, ſed plurimi manus veſtras indemnes effugiunt. Opinor verò in fatis non eſſe vt capti ſcelerum pœnas expendãt. IVP. Nónne dicebam aliquem eſſe illorũ qui diſputationibus ſuis Deorum prouidentiam tollerent? CYNI. Nimium pertimeſcis illos Iupiter, nec ſcire poſſum cuius gratia. Pròinde omnia quæcunque dixero, illorum doctrinam eſſe exiſtimas. Ego verò ab alio quouis potius quàm à te veritatem perueſtigarem. Cæterùm & hoc perlibenter ex te quærerem, quęnam ipſa vobis eſſet Prouidentia: nunquid vna ex Parcarum numero, an Dea quæpiam his longè potentior, tanquam illarum regina? IVPIT. Iam & antè tibi dictum eſt, nullo modo fas eſſe te harum rerum nihil non noſſe. Tu verò ſub initium cum dixiſſes te vnum quiddam quæſiturum, nullum finem facis apud me de rebus eiuſmodi friuolis ac ſcitu parum neceſſariis nugandi. Et iam quidem diſputationis tuæ ſummam, quò tendat, perſpicio, nempe vt planum facias in rebus humanis nihil fieri noſtra prouidentia. CYNI. Non meum hoc quidem eſt, ſed tu paulò antè conſtanter affirmaſti Parcas eſſe, quarum diſpenſatione gubernarentur & efficerentur omnia: niſi iam horum verborum te pœniteat, ac quæ dicta ſunt, reuocanda putes, propulſóque fato de habenda cura deliberaris. IVPIT. Nequaquam, ſed Parca noſtra ope effecta reddit ſingula. CYNIS. Intelligo, ergo Parcarum famulos atque miniſtros vos eſſe perhibetis. Verùm & ſic illæ ſunt, quas cuncta prouidere certum eſt: vos autem non ſecus atque fabrilia quædam illarum inſtrumenta habendi eſtis. IVPIT. Qua ratione iſthuc dicis? CYNIS. Ea nempe, quemadmodum & aſcia fabro lignario, & terebrum cooperando nonnihil affert ad artem perficiendam adminiculi. Nemo tamẽ, qui quidem compos ſit rationis, dixerit hæc ipſa eſſe artificem: neque nauis aſciæ aut terebri opus dicenda eſt, ſed eius qui nauem fabricauit. Non diſpari ratione ſingula fabricans fatum putandum eſt: cæterùm vos ſororum fatalium aſciæ & terebra eſtis tantummodo. Et, quemadmodum non iniquum videtur, homines multò iuſtius Fato ſacra facere debebant, ac ab illo bonorum largitionem poſtulare: cum illi interim ad vos curſitent, prece ac muneribus deuenerantes. At neque ſi Fatum ſacrificiis & votis colerẽt, rectè mihi facere viderentur. Neque enim opinor vllo modo fieri poſſe, vt Parcis quoque hoc immutare liceat, neque non aliquid eorum ſubuertere, quæ initiò illarum decreto immobili de ſingulis irreuocabiliter ſtatuta ſunt. Proinde nequaquam equo animo ſufferret Atropos, ſi quis in contrarium ſtamen coli torſerit, laborem Clothus diſſoluens. IVPIT. Tu iam Cyniſce neque Parcas quidem ipſas ab hominibus colendas eſſe contendis, ſed videre mihi omnia non illibenter velle confundere. Nos verò, vt maximè aliam ob cauſam nullam, certè ob diuinationem & oracula, neque non eorum prędictionem, quæ ſingula de quouis rato conſilio decreta ſunt, iure optimo colimur. CYNIS. In ſumma, nihil vtilitatis affert, ô Iupiter, eorum præſcientia, quibus ea obſeruatione deuitare nullo modo conceſſum eſt: niſi in hoc dicas, vt is qui certus ſit haſta ferrea ſe moriturum, mortem queat effugere, ipſa videlicet in ciſtam concluſa. Atqui fieri non poteſt: ſi quidẽ educet illum Parca ad venandum, & haſtæ obiiciet. Ac Adraſtus emiſſa in ſuem cuſpide, ab illa quidẽ aberrabit: porrò Crœſi filium perempturus eſt, quaſi violento quopiam Parcarum decreto feratur in iuuenem. Sed neque illud quod Laio datum eſt, riſu caret, nempe illud, Caue ſis diis nolentibus prolem ſeras. ait enim, Nam ſobole ſuſcepta, occidet te filius. Etenim ſuperuacaneam atque adeò infrugiferã opinor eſſe admonitionem earum rerum quæ non poſſunt non fieri. Quippe poſt acceptum oraculum, & prolem ſuſcepit, ac deinceps à filio peremptus eſt. Quare non video quamobrem & mercedem exigatis propter vaticinium. Vt interim ſilentio præteream, quòd obliqua & ambigua, & quæ in vtranque partem

Confutat oracula & prædictiones, ab effectu & incertitudine.

Hiſtoria eſt apud Herod. li. 1

partem referri possunt, non paucis respondere soleatis, non admodum clarè explicantes, num ille tra iecto Hale suum ipsius imperium euersurus esset, an Cyri. Vtrunque enim potest oraculum. IVPIT.
Eodē lib. Erat, ò Cynisce, Apollini quædam aduersus Crœsum causa simultatis & iracundiæ, propterea quòd illum pertentauerat, carnes ouillas ac testudinem vnà elixando. CYNI. At enimuero conueniens atque adeò æquum & bonum fuerat, vt cum deus esset, ab omni iracundia foret alienissimus. Verùm, vt mea fert opinio, fortasse ita in fatis fuit, vt Lydus ille oraculo deciperetur, ac iam olim ne perspicua futura inaudiret, illius stamini Parca aduenerat. Vnde liquet vaticinium quoque vestrum, illius maximam esse partem. IVPIT. Nobis verò nihil facis reliqui, sed (vt video) nequicquam Dei sumus, qui neq; prouidentia aliqua res humanas dispensare soleamus, neque sacrificiis digni esse videamur, sed re vera asciarū terebrorúmque instar sumus. Ac sanè videris me iure optimo ad hunc modū superbè contemnere, quòd cum fulmine armatus sim, sustineam te impunè talia aduersus nos contumeliosè differentem. CYNIS. Feri ô Iupiter, si mihi fatale est fulmine percussum interire: neque te ob ictum quicquam in ius vocabo, sed potius ipsam Clotho, per te vulnus mihi incutientem. Neque fulmen quidem ipsum accusabo, quasi tam infelicis ruinæ causa mihi extitisset. Veruntamen hoc quoque vos interrogabo, nempe te & Fatum, cæterum tu mihi illius loco respondeas velim, etenim minis tuis hoc in memoriam mihi reuocasti. Quî fit tandem vt omissis tot sacrilegis, præterea tot criminosis, & violentis, & periuris hominibus dissimulanter posthabitis, vnam aliquam ilicem, aut lapidem, aut nauis velum nihil mali vnquam per iniustitiam meritæ, fulmine feriatis? Non rarò quoque hominem frugi, & viatorem spectatæ sanctimoniæ? Quid verò compressis labiis obticuisti Iupiter? An fortasse ne hoc quidem me nosse fas est? IVPIT. Sanè nefas est te ista inquirere. Tu verò extremè curiosus es, adeò vt me fugiat, quínam tibi voluptati sit istis me obtundere. CYNIS. Proinde neque hoc à vobis perquirendum mihi video, nempe à te & Fato & Prouidentia, quamobrem Phocion vir sanctus & iustus, in tanta omnium rerum inopia atque angustia diem suum obierit, tum etiam ante ipsum Aristides: Callias autem & Alcibiades nepotes intemperantissimi, omnium affluentia exuberabant, neque non Medías multis sceleribus coopertus, ac Charops Aeginetes homo masculæ venere extremè infamis, à quo matrem suam fame necatam pro certo constat. Contrà Socrates vndecimuiris traditus est, Meletus verò non item. Ad hæc cur Sardanapalus mollis atq; effœminatus, deliciisque totus fractus, regnauerit, Persarum verò tot ac tanti viri virtute longè optimi atque clarissimi eius iussu in crucem subacti sunt propterea quòd factis illius parum delectabantur: vt taceam quæ in præsens fiunt. longum enim esset singulis percensendis immorari, quemadmodum mali & facinorosi per omnem vitam facilè agant, & feliciter omnibus rebus affluentes, cæterùm boni ducantur & ferantur paupertate, morbis, & cæteris infinitis malis impliciti, ærumnosè conflictantes. IVPIT. An ignoras Cynisce, quanta supplicia & cruciatus post hanc vitam prauos & sceleratos homines manere soleant, aut in quanta felicitate victuri sint boni? CYNIS. Orcum mihi narras, & Tityos, & Tantalos. Ego verò si quid talium rerum est, haud obscurè cognoscam vbi fato functus fuero. Quantum autem ad præsens attinet, vélim vt quantumcunque hoc temporis in viuis mihi exigendum est, ego interea omni felicitate perfunctus, tandē mortuus à sedecim vulturibus iecur meum depasceretur: verùm non vt hic in vita siti pressus, quemadmodum fertur Tantalus, in beatorum insulis cum heroibus biberem, in Elysio prato constitutus. IVPIT. Quid ais? An non credis esse quædam parata supplicia, & pœnas malis destinatas, & honores ac forum iudiciale vbi singulorum vita habita ratione cognoscendi expenditur? CYNIS. Audio Minoa quendam Cretensem infrà talibus rebus cognoscendis atque diiudicandis dare operam: ac mihi super illo quoque respondē, éstne tuus, vt fertur, filius? IVPIT. Quamobrem verò ista de illo quæris Cynisce? CYN. Quos maximè afficit supplicio? IVPI. Prauos videlicet, cuius generis sunt parricidæ & sacrilegi. CYNIS. Quos autem ad heroum contubernium amandare solet? IVPIT. Nempe bonos, & sanctitate vitæ præcellentes, quíque semet virtute excoluerunt. CYNIS. Cuius verò gratia hoc facit ô Iupiter? IVPIT. Propterea quòd illi supplicio, ii verò honore remunerandi sunt. CYNIS. Cæterùm si quis nolens & inuito animo mali aliquid designauerit, num & hunc supplicio afficiendum condemnat? IVPI. Nequaquam. CYNIS. Próinde neque si quis inuitus boni aliquid fecerit, eum honore dignabitur? IVPIT. Nequaquam. CYNIS. Itaque haud conuenit illi ô Iupiter, vllum neque honore ornare, neq; supplicio afficere. IVPIT. Quî verò nullum? CYNIS. Quoniam nihil nos homines animo voluntario facimus, sed necessitate quadam ineffugibili ad hoc compulsi: si tamen vera sunt illa quæ antè confessus es, nempe Parcam esse omnium rerum causam. Iam si quis alterū peremerit, Parca in culpa est, quæ admisit parricidium. Si quis sacrilegio deorum fana compilauerit, facinus à Parca sibi iniunctum admisit. Quocirca si Minos rectè vti velit iudicio, multò æquius Fatum pro Sisypho puniet, & Parcam pro Tantalo. Quid enim illi iniustè egerunt, quandò iussis dicto audientes fuerint? IVPI. Amplius quidem vel respondere tibi indignum facinus existimo, talia præsertim interroganti. Audax enim es, & Sophista: ac iam quidem te relicto abeo. CYNIS. Debebam equidem adhuc & hoc ex te quæsisse, vbínam locorum Parcę degerent, aut quomodo res tantas tam exacta cura & cogitatione queant assequi, præsertim illis tantùm tribus existentibus. Etenim laboriosam & minimè felicem atque iucundam vitam mihi videntur agere, tantis implicitæ negotiis. Et quemadmodū verisimile est, ipsæ quoque Fato parum propitio & fauente in lucem sunt editæ. Itaque ego, si mihi daretur optio, nequaquam cum illarum vita meam commutauerim, verùm eligerem potius vt adhuc egentius agerem, quàm vt colo Parcarum assiderem, tantis negotiis & difficultatibus referto, obseruans singula. Cæterùm si tibi graue est, ô Iupiter, ad hæc respondere, etiam

re, etiam his contenti erimus ad quæ reſpondiſti. Satis enim eſt quòd de fato & prouidentia ſermonem nos non celaueris. Reliqua fortaſſe in fatis nō eſt vt audiam.

IVPITER TRAGOEDVS,

Vincentio Obſopœo interprete.

ARGVMENTVM.

Eiuſdem propè argumẽti & hic dialogus eſt, niſi quòd hic Epicureum etiam quendã introducit, qui Deos omnino negat vllos eſſe, nedum prouidentia ſua Mundum gubernare: fortuitúque ac temere omnia geri contendit. Deinde & ipſa tractatio in plures perſonas ſpargitur, ac tota dramatica eſt. Principiò enim Iupiter fingitur audita diſputatione Timoclis Stoici & Damidis eius quem modo dixi, Epicurei, grauiter incenſus, ac metu pariter atq; dolore commotus eſſe. Cuius rei cauſam dum cæteri ab eo inquirunt, eandémque diſputationẽ ab iiſdem illis iterum inſtaurari audiunt, tandem conſilijs mutuò inter ſe collatis, generale deorum omnium concilium ſuper eadẽ re congregandũ decernitur. Conuocatis itaque per præconẽ Mercurium vniuerſis, & iiſdem pro ſua cuique dignitate aſſignatis ſedibus, cum diu inter ſe de conſeſſu altercati fuiſſent, poſtremò imperato ſilentio, Iupiter cũ magna perturbatione totũ negotium ac ſummã diſputationis illius exponit, admonẽs, & ob oculos imminẽte poſito periculo exhortans, vt in cõmune omnes conſulere, & malo huic remediũ aliquod quærere velint. Primus igitur accepta dicendi poteſtate Momus, graui obiurgatione deorum ſecuritatem ac negligentiam reprehendit, vt qui & malos eue hi ſinant, & contrà bonos ac iuſtos opprimi, neque reſponſa certa & expedita hominibus dent, neq; etiam poetarũ ſcripta aboleri faciant, per quæ, ſtupra, adulteria, bella ac ſeditiones ipſorũ euulgẽtur: quare quicquid huius accidat, ipſorum culpa atq; inertia accidere. Atque hinc oratione ad ipſum Iouem conuerſa, etiã exemplis hæc cõfirmat. Poſt quem cũ alij alia cenſerent, omnium ferè ſententias idem confutat: vel quòd per ſe abſurdæ & inutiles eſſent, vel quòd abſurda & incõmoda ex ijs ſecutura. Præcipuè verò Apollinis conſiliũ reprehẽdit: cuius etiam oraculũ ſuper euẽtu & victoria diſputationis huius prolatum, ob vanitatem irridet. Ob quæ Hercules, cum ipſe poſtremus ſententiam dixiſſet, audirétque fatis prohiberi ſeſe quo minus ſacra ac templa ſua vi contra impios tueri poſſet, eò tandẽ redit, vt dicat ſe malle apud inferos eſſe, atque ibi ab vmbris metui, quàm inter Deos cõtemni, ac pro nihilo haberi. Quæ dum ita geruntur, interea noua occaſione fingitur Hermes ille Agoræus, qui Athenis ad porticum Pœcilen conſecratus ſtabat, properè aduenire, ac nuntiare diſputationem Damidis & Timoclis iterum iam incœptam eſſe, & ad eam magnam hominum multitudinem confluere. Relicto igitur concilio, ad auſcultandum omnes conuertuntur. Porrò tota Timoclis diſputatio in hoc verſatur, Deos eſſe, ac prouidentia illorũ omnia gubernari: idque argumentis hiſce confirmat. Primò ab ordine ac curſu rerum naturalium, quæ omnes ſuis ac certis vicibus redeant ac varientur. Deinde authoritatibus & teſtimonijs poetarum, Homeri & Euripidis. Poſt hæc communi conſenſu gentiũ, quæ deos veneretur ſacrificijs & aris conſtitutis. Inde & ab effectis, quia oracula dent, & fulmina Iupiter iaciat. Poſtea autẽ & à minori, collatione ac ſimilitudine à nauium gubernatoribus ſumpta, quòd vt illi nauigia ſua, ſic deorum prouidẽtia Mundum adminiſtret. Vltimò etiam à ſigno & conſequenti, quia aræ deorum ſint, quæ nullo modo futuræ fuerant, niſi & dij eſſent. Ad quæ ſingulatim reſpondens Damis, primũ argumentũ de naturali rerũ ordine, à diuiſione diluit, etſi talia quædam fiant, non tamen eũ ordinem à dijs ideo certum conſtitutum eſſe, confutatione, vt appareret, non ſatis efficaci. Authoritates autem poetarum, ab ipſorum officio, & contrarijs teſtimonijs eleuat. Conſenſum præterea gentium, ab eo, quòd quanquam Deos colant, non tamen eoſdem omnes, & quidam etiam fœda ac turpia pro Dijs habeant, impugnat. Deinde oracula & fulmina eiuſmodi eſſe ait, vt hæc ex naturali cauſa fiant, Ioue iam olim in Creta ſepulto, illa autem ambigua & obſcura nihil certi prædicant. Similitudinem verò naucleri diſſoluit ex diſſimilitudine rerum eõparatarum, oſtendens diuerſa omnia in hoc Mundo atque in nauibus eſſe. Vltimum à ſigno locum, vt frigidum ac friuolum, eludere tantum ſatis habet.

INTERLOCVTORES,

MERCVRIVS, MINERVA, IVPITER, Iuno, Neptunus, Venus, Coloſſus, Momus, Apollo, Hercules, Hermagoras, Timocles, Damis.

MERCVRIVS.

Iupiter, quid animo cogitabundo tecum cõminiſcens loqueris, pallidus obãbulans, ac Philoſophi colorem vultu præ te ferens? Quin mecum iſta communicas, & me propter rerum difficultatem qua premeris, in conſilium adhibes? Haud enim famuli tui nugas habebis contemptui. MINER.

Sanè magne parens, hominum rex atque deorũ,
Te precor en glaucis oculis Tritonia Pallas,
Fare agè, ne celes, quò ſint hæc cognita nobis:
Quod te conſilium dubio ſub pectore verſat?
Cur gemis? & tacito pallor ſubſurgit in ore?

IVP. Nunquam grauis res vlla ſic dici poteſt, Non paſſio, non vllus vſpiam dolor, Sed nec calamitas vlla ſic tragica & mala eſt, Quæ ſit dolori conferenda cælitum. MINER. O Phœbe, qualibus incipit proœmiis! IVPIT. O peſsimum genus mortalium, Túque ô Prometheu, me quibus afflixti malis? MINER. Quid eſt? nec enim celabis hæc domeſticos. IVPIT. O murmur ingens fulminis magnicrepi, Quid vtilitatis addis aut affers mihi? MINER. Compeſce iracundiam, ſi tragica magniloquentia, quemadmodum illi, tibi pares eſſe nequeamus. Neque enim totum Euripidem deuorauimus, vt tibi dictis poeticis è fabula petitis ſubſeruiamus. IVNO. An nobis obſcuram eſſe opinaris triſtitiæ tuæ cauſam, cuiuſmodi ſit? IVPIT. Noſti nequaquam, etſi grauius quiddam boes. IVNO. Noui ecaſtor dolorum tuorum ſummam, quibus diſcruciaris: neque tamen vociferor aut coccizo, quippe quæ iam ſæpenumero præter morem eiuſmodi per te ſim paſſa contumeliam. Valde igitur credibile eſt iterum aut Danaes cuiuſpiam, aut Semeles, aut Europæ inuentæ amore te angi: deinde verò aſſumpta imagine aut auri aut ſatyri, aut

aurum

aurum te factum velle per impluuium in ſinum amatæ puellæ influere. Hoc enim haud dubitanter ſignificant crebri iſti tui gemitus,& ſuſpiria, neque non lacrymæ. Præterea pallor quoque nõ alterius rei quàm amoris argumentum eſt certiſsimũ. IVP. O beata quę res noſtras in amore & talibus ludicris ſitas eſſe opineris. IV. Et quid aliud te niſi hoc ſoli citat, Iouem exiſtentem? IVPIT. In extremum diſcrimen res noſtræ perductæ ô Iuno,& planè, vt eſt in prouerbio, in acie nouaculæ conſtitutæ ſunt, vt aut colamur amplius, oblatis in terra ſacris fruẽtes, aut neglectui demur, ab omnibus habiti cõtemptui, ac nullius quidẽ momenti eſſe videamur. IV. Nunquid terra Gigantes produxit iterum? aut nunquid Titanes diſruptis vinculis, deuictáque cuſtodia rurſum aduerſus nos arma & vim parant? IVPI. Confide, nam res inferæ cæleſtibus extra omne ſunt periculum. IV. Quid ergo aliud rei grauis & acerbæ accidit? Neque enim video, quandò talia nihil te conturbant, quamobrem nobis Polus aut Ariſtodemus pro Ioue apparueris. IVP. Timocles ille Stoicus ô Iuno,& Damis Epicureus heri neſcio quo initio in eam delati diſputationem de prouidentia diſſeruerunt in magna probatorum hominum frequentia,& celebritate populari, id quod omnium maximè me conturbauit animo. Ac Damis quidem neque Deos eſſe, neque omnino eorũ quæ fierent, curam vllã habere, aut ea ordine gubernare, impudenter affirmare non verebatur: cæterum optimus ille Timocles noſtras partes omni ſtudio tueri conabatur. Deinde multa turba hominũ certatim accurrentium confluente, nullum finem ſortita eſt diſputatio. Etenim hoc fœdere inito ab vtriſq; diſceſſum eſt, vt in diẽ poſterum deintegro reliqua nondum diſcuſſa accuratius examinarent atque perpenderent. Et nunc omnes ſuſpenſo ad audiendum inhiant animo, vter victoriam adepturus ſit, ac veriora prolaturus. Videtis periculum, quàm omnibus modis in anguſtum res noſtræ coactæ ſunt. In vno viro periclitamur, & ex duobus alterum euenire neceſſe eſt: vt aut omnia noſtra habeantur contemptui,& ſolùm inania quędam videantur vocabula: aut vt ea pietate colantur, qua prius culta ſunt, ſi Timocles diſputãdo ſuperior euaſerit. IV. Periculoſiſsima profectò ſunt illa, nec temere Iupiter more tragico propter illa efferebare. IVP. Tu verò Danaes aut Antiopes alicuius potiũdæ cogitatione me implicitum eſſe opinabare, cum ita exanimatum me eſſe conſpiceres. Quid igitur ô Mercuri & Iuno & Minerua nobis faciendum eſt? quin & vos conſilii promptè inuenti partem expromitis? MER. Ego quidem coacto propèrè concilio hanc rem communi omniũ deliberationi offerendã eſſe exiſtimo. IVN. Et ego huius accedo ſententiæ. MIN. Atqui mihi diuerſum videtur ô pàter, ne videlicet excitato tumultu cælum terrore compleas, néve palàm fiat hanc ob rem te tumultuari aut conſternari animo. Cæterum priuato tecum conſilio effectum reddas, vt Timocles diſceptando potiatur victoria, Damis verò omniũ riſui expoſitus atque ſubſannatus ex diſputatione abeat. MER. Atqui iſta nõ manebunt obſcura & tacita Iupiter, cũ philoſophis in propatulo futura ſit diſceptatio. Ac tu quidem tyrannum agere videberis, ſi de tãtis rebus ad omnes communiter pertinentibus, cum reliquis nihil communicaueris. IVP. Quin ergo iam vt in concionẽ veniãt proclamas, vt mox præſtò ſint omnes? MER. Rectè mones. Heus vos ſuperi ocyus in concilium omnes conuenite: ne cunctemini: confluite omnes: venite maximis de negotiis collaturi conſilia. IVP. Adeóne nudis ô Mercuri verbis & ſimplicibus, ad hæc ſolutis præconem agis, præſertim maximis de rebus Deos cõuocans? MER. Et quſnam alia ratione expetis Iupiter? IVP. Rogas? Æquum eſſe opinor, vt præconium tuum nonnullis verſiculis ac magniloquentia poetica exornes, vt hac impulſi ſtudioſius & frequentius confluant. MER. Sanè: veruntamẽ hoc poetarũ & rhapſodorum eſt officiũ. Porrò ego minimè ſum poeticus, adeò vt pręconiũ quoq; corrupturus ſim, ſi verſiculis cõſarcinatis & malè cohęrẽtibus proclamarẽ. Ac riſui ero omnibus ob verſiculorum ſtructuram parum concinnam. Itaque & Apollinẽ in dãdis oraculis rideri à nõnullis video, dum multa ſecuro animo inuoluit,& data opera obſcurat, ne omnino audientes otio indulgeant, ſed expendãt verſiculos. IVP. Proinde Mercuri Homeri cos verſiculos pleroſque admiſce pręconio, quemadmodum ille nos conuocare conſueuit. Credibile autẽ eſt illorum te cõmeminiſſe. MER. Profectò nõ admodũ promptè & callidè, tamẽ periculum faciã.

Ergo Deûm nemo nec mas nec fœmina deſit,
Inſuper Oceani ſint omnia flumina præſtò,
Omnes ſumma Iouis Nymphæ quoque tecta frequentent.
Cuncti in concilium greſſu properate citato,
Vos quibus oblatis cedunt ſua munera ſacris,
Præterea quotquot mediæ ſeu fortè ſecundæ
Claſsis erunt, ſeu quos tenet vltima, ſeu qui
Obſcura penitus diuorum ſorte fruuntur
Degentes pingues cupidi nidoris ad aras.

IVP. Euge ô Mercuri, optimum egiſti præconem, ac iam plenis viis conueniunt. Quapropter aſſumẽs illos in ſedes colloca, pro ſua quenque dignitate. Priores quidem ſedes occupent aurei, poſt hos locentur argentei, deinceps verò ſubſequantur quotquot ſunt elephantini, his poſtremò ſuccedant ęnei atque lapidei. Verùm in his etiam ipſis Phidiæ, aut Alcamenis, aut Myronis, aut Euphranoris, aut taliũ conſimilium artificum gratia præhonorentur. Cæterũ vulgares illi nulla arte nobiles, longè alicubi concluſi in angulum locentur cũ ſilentio, cõplentes tantùm concionem. MER. Fient iſta vt imperas, ac ſua quiſque vt par eſt ſede dignabitur. Atqui hoc neutiquam promptum aut noſſe procliue eſt, ſi quis illorum aureus fuerit, ac multitudine talentorum præponderet, opere verò non ita inſignis ſit, ſed priuato penè ac vulgari,& minimè artificioſo, ſi Myronis ęneis ac Polycleti, & Phidiæ & Alcamenis lapideis conferatur, quónam locandus ſit, ſi artem præferendam eſſe putas. IVP. Oportebat quidẽ ad hunc modum fieri, ſed tamen aurum anteferendum eſt. MER. Intelligo, nempe iubes vt per opulentiores delectu habito, non ex optimatibus electim locentur, atque etiam *à pretio. Proinde venite priora ſedilia occupaturi vos aurei. Attamen vt vides Iupiter, ſoli barbari præſidebunt. Etenim cuiuſmodinã Græci ſint, animaduertis, pleni quidem venuſtate ac gratia, neque non vultu honeſto & liberali,& quantum ad artificii præſtantiam attinet, probè culti & perpoliti, non

*ἀπὸ τιμημάτων, hoc eſt ſecundum cẽſus.

non tamen niſi lapidei aut ænei vniuerſi: aut qui ex illis maximis ſunt ac ſumptuoſiſſimis impenſis fabricati, elephantini ſunt, modicum ab aſperſo auro ſplendorem retinentes, quippe quo tantùm colorati ſunt, paulóq; facti nitidiores: cæterùm intus ſublignei quidem illi, totáque muſcarum examina internè conuerſantia cooperientes. Porrò autem ipſa Bendis, & Anubis ille, & propter hunc Attis, præterea Mithres, in vniuerſum ex ſolido auro conflati ſunt, & graues, & multi re vera pretii. NEP. Et quî hoc tibi iuſtum videtur Mercuri, vt Aegyptium illum canino rictu deformem, mihi anteferre non vereris præſertim Neptuno exiſtenti? MER. Rectè dicis at te quidem ô Neptune Lyſippus tantum fecit æneum & pauperem, quippe Corinthiis tunc aurum non habentibus: hic autem omnibus metallis longè eſt opulentior. Vides itaque patienter & placatè hoc tibi ſufferendum eſſe, ſi huic poſtponaris: neque indignandum eſt, ſi is cui tantus naſus eſt aureus, tibi prælatus fuerit. VENVS. Proinde Mercuri, me quoque aſſumptam transfer ad Deos aureos qui præſident, ſum enim aurea. MER. Minimè ô Venus, quantum quidem ego video: ſed niſi prorſus hallucinor aut cæcutio, ex lapide cãdido ex monte Pentheli exciſo opinor, cum ità viſum eſſet Praxiteli, Cnidiis Venus facta tradita es. VEN. Atqui grauiſſimum ſimul ac fide digniſſimum teſtem Homerum tibi producam, ſurſum ac deorſum ſuis in rhapſodiis auream Venerem me eſſe perhibentem. MER. Sedenim ille ipſe quoque Apollinẽ prædiuitem & opulentum eſſe affirmat: nihilo ſecus tamen iam ipſum* in extremis ſedentem cõſpicies, à latronibus contumelioſè affectum, atque etiam fidibus citharæ compilatũ. Quare & tu cõtenta eſto, æqui boníque conſulens ſi non prorſus in locũ ſeruilem & ſordidum detruſa, concioni intereſſe coga re, *COLO. Quis verò mecũ in contẽtionem deſcendere audeat, cum & ſolem me eſſe cõſpiciatis, & tanta mole ſpectabilem? Cæterum ſi non magno admodum ingenio & artificio Rhodii me ſculpere dignati ſunt, tamen & alios pari arte ad noſtri arche typum ſedecim deos aureos formauerunt: quapropter ratione probabili omnium pretioſiſſimus meritò æſtimandus eſſem. Artis verò atq; operis præſtantia & nobilitas, tãta pẽſatur magnitudine. MER. Quid verò facto opus eſt ô Iupiter? ſiquidẽ & hoc non mediocrem mihi affert iudicãdi difficultatem. Etenim cum ad materiam oculos deflexero, totus quidem æneus eſt: porrò cum apud animum meum perpendo ex quot talentis conflatus eſt, præter*hippada quingentos excuſurus eſt modios. IVPIT. Quorſum verò attinebat & hunc intereſſe concioni, ſua magnitudine aliorum paruitatem expoſiturũ contemptui, neque non ob dignam ſedem nos perturbaturũ? Verum enimuero ô Rhodiorũ optime, & ſi maximè omnibus aureis anteponendus eſſes, quomodo præſidere poſſis, niſi cæteri omnes exurgant foras, vt ſoli tibi ad ſedendum locus pateat atque ſufficiat, omni ſpatio vel alteris tãtum natibus occupato; Quocirca rectiſsimè feceris, ſi ſtans concioni intentus fueris, inflexo in concilium capite. MERC. Ecce rurſus altera in diſcernendo mihi difficultas obiicitur: ærei enim eſtis vtrique, eiuſdémque artificii, nimirum in Lyſippi officina vterque formatus: & quod maximum eſt, generis nobilitate pares, vtpote Iouis filius Dionyſius ille cum Hercule. Vter ergo illorum anteferendus eſt alteri? ſiquidem de loco pugnant inter ſe, vt vides. IVP. Nimiũ verò cunctamur Mercuri: iandudum concionatum eſſe oportuit. Quare in præſens quidem nullo habito diſcrimine ſeſſum eant promiſcuè, vbi cuique viſum fuerit: deinceps verò hiſce de rebus cogetur deintegro concilium, ac deinde certum habebo qui mihi hac in re ordo conſtituendus ſit. MERCV. Sed ô Hercules, quàm pro more ſolito tumultuantur, cum vociferatione quotidianam illam diſtributionem efflagitantes, Vbi eſt nectar? vbi relicta ambroſia? vbi ſunt hecatombæ? vbi ſacrificia? IVP. Compeſce illos Mercuri indicto ſilentio, vt intelligãt cuius gratia accerſiti ſint, eiuſmodi nugis poſthabitis. MER. Atqui non omnes Græcam linguam capiunt, Iupiter: ego verò varias linguas minimè ſonare calleo, vt Scythis & Perſis & Thracibus ac Celtis intelligibilia prædicem. Conſultius itaque factu opinor, ſi manu ſigno dato, ſilentium impoſuero. IVP. Quin ergo facis? MER. Euge, Pythagoricis taciturniores tibi facti ſunt: itaque iam tempus eſt concionandi. Vides vt omnes oculos in te coniectos habeant, cupidè atq; deſideranter expectantes quídnã dicturus ſis? IVP. At quod ego patior Mercuri, cur tibi exponere verear, filio exiſtenti meo? Haud tibi obſcurum eſſe reor, quàm impendio audax ego ſem per & magniloquus in cõcionibus eſſe ſoleã. MER. Satis compertè noui, ac profectò magno metu conſternatus eram cõcionantem te audiens, maximè ve Iliados 8. rò quando minabare te terram ex ipſis fundamentis euulſam, & pontum vnà cum diis ſurſum tracturum aurea illa catena ex alto demiſſa. IVPI. Atqui nunc ô fili, neſcio quomodo, ſiue præ magnitudine periculorum impendentium, ſiue præ multitudine præſentium (conuentus enim, vt vides, eſt frequentiſsimus) animus confuſa mente mihi penitus obſtupuit, planéque ſubtrepidat, & lingua conſtricta eſſe videtur. Et quod omnium eſt abſurdiſsimũ, orationis quoque multum diúque meditatæ procœmiũ mihi excidit, quod adornaueram, vt exordio erga illos vterer belliſsimo atque luculentiſsimo. MER. Perdidiſti omnia ô Iupiter, cæterùm illi tuo ſilentio in ſuſpicionem venient, ac grande aliquod malum ſe aduituros expectabũt, cuius gratia tu ita lentè & cunctanter ad dicendum progrederis. IVPI. Vis ergo Mercuri, Homericum illud procœmium illis occinam? MERCV. Qualénam? IVPI. O ſuperi dictis animos attendite noſtris. MERC. Apage, iam enim abunde ſatis iſta ſub initium nobis per contumeliam inculcaſti. Veruntamen, ſi conſultum videtur, verſiculorum odioſam difficultatem miſſam facito: cæterùm vnam aliquã ex Demoſthenis orationibus aduerſus Philippum habitis, quæ tunque argumẽto tuo appoſitiſsima videbitur, deſume, pauca quædã immutans. Facies hoc multorum rhetorum exemplo, quibus idẽ facere nunc ſolenne eſt. IVP. Rectè ſanè dicis, conſarcinatam quandam rhetoricam, neque non promptam & facilem, perplexis & animo hæſitãtibus. Proinde facto aliquãdo principio exordiar. PRO magna pecuniarũ copia, ô viri Dei, vos electuros opinor, ſi palã vobis fieret, quid tãdem illud ſit, cuius gratia in hunc cœtum eſtis accerſiti. Ex prima Olynthiaca.

Quod

Pẽthele pagus Atticus fuit, ad tribum Antiochidem pertinẽs, vt Stephanus, & Pentheli cus mons ibidem, vbi latomiæ fuere, vt Pauſanias in Atticis.

*Inter zeugitas Græcè, quæ tertia claſsis Athenienſium erat.

*Rhodiũ intellige, de quo Pl. lib. 34. c. 7.

*Hippas, claſsis vna erat Atheniẽſium. Vide Plutar. in Solone.

Quod cum ita ſit, conſentaneũ eſt vt me dicentem attentis audiatis animis. Porrò ô Dii, præſens quidem tempus emiſſa voce propemodũ loquitur, inſtantibus periculis omni conatu ac ſtudio nobis occurrẽdum eſſe. Nos autem ad hæc ſumma ope prouidenda parum ſolicitè affecti videmur. Iam verò quoniam Demoſthenis ſubſidiaria verba me deficiunt, hæc ipſa vobis manifeſtius declarare ſtatui, propter quę perturbatus animo, conuocata concione concilium coegerim. Heri enim, vt nemini veſtrũm obſcurum eſſe opinor, cum Mneſitheus nauclerus ob ſeruatam ex vndis nauem, quæ ad Capharei ſcopulos ferme illiſa periſſet, ſacra perſoluiſſet, accepti epulis in Piræo conuiuium agitabamus, quotquot noſtrũm à Mneſitheo vocati eramus ad ſacrificiũ. Deinde oblatis libaminibus vos alius aliò, quò cuiuſque ferebat animus, ſeceſsiſtis: porrò autem ego (necdum enim profunda erat veſpera) in vrbem regreſſus ſum, vt tẽpore pomeridiano otioſus ab animo deambularem in Ceramico: ſimul mecum ſedula agitatione Mneſithei tenue ac frugale, ne dicam ſordidum, conuiuium perpendebam, qui cum ſedecim Deos epulis acciperet, ſolummodo gallum ſacrificauit, ſenem quidẽ illum, ac iam muco & pituita laborantem. Thuris præterea grana quatuor iam prorſus putrida, adeò vt prunis iniecta ſtatim extinguerentur, vt neque ſummas nares emergente fumo contingeret, præcipuè verò cum totas hecatombas amplè & liberaliter polliceretur, iam naui appropinquante ſcopulis certo incluſa periculo. Interea dum hæc mecum voluerem in animo, ad porticum Variam progrediendo delabor, vbi conſiſtens, ex improuiſo inuſitatam hominum multitudinem conſpicio, partim quidem illorum intra porticum, partim verò ipſo ſub Ioue: inſuper nonnullos vociferantes, ac mira peruicacitate diſceptantes, ſinque ſedibus conſidentes. Tandem verò rem ipſam facilè coniectura aſſequutus, nempe Philoſophos eſſe ex cõtentioſis illis & rixoſis, volui propius admoto greſſu, exploratius intelligere quidnam illud eſſet cuius gratia inter ſeſe tantopere digladiarẽtur. Ac me illico nube ex craſsioribus illis circunuolutum, illorum habitu exornaui: prolixâque barba attracta, per omnia non ineptè philoſopho ſimilẽ turbæ memet immiſi. Multis verò qui mihi obſiſtebãt, cubito è via protruſis, ingredior, omnibus ignorantibus qui eſſem. Cæterùm intra turbam iam conſiſtens, offendo Damin illum Epicureum, hominem perditiſsimum, ac Timoclea Stoicum, virorum longè optimum, pertinaciſsimè diſceptãtes. Itaque Timocles largo ſudore perfluens, præ nimio clamore iã penè vocem amiſerat: Damis verò riſu Sardonio diſtluẽs, magis ac magis Timoclea exaſperabat. Porrò omnis illorum ſermo de nobis habebatur. Etenim execrandus ille Damis, humanarum rerum nihil à nobis prouideri affirmabat, neque eorum quæ in terris fierent, quicquam nobis curæ eſſe, breuiter, nihil aliud quàm in vniuerſum nos nõ eſſe. Tãta vi cõprobandi eius valuit oratio, erántque nonnulli qui laudarent illum. Alter verò, nempe Timocles, noſtra optimè ſentiens propugnabat, indignabatúrque, ac omnibus modis hoſtem pugnis inuadens laceſſebat, curam & ſedulitatem noſtram collaudans, ac planum faciens cum ex Mundo, tum omnium rerum cõuenienti ordine, Deos eſſe, quódque per nos ordinatim diſponerentur ſingula. Nec defuerunt quibus & ille fuit admirationi, eius orationem non improbantibus. Verùm iam extremè defeſſus erat, ac grauiter & laborioſè loquebatur. Vniuerſa autem turba in Damin coniectos habebat oculos. Cæterùm cum ego Deorum exiſtimationẽ periclitantem animaduerterem, iuſsi nectem ocyus circunfuſam conuentum diſſoluere. Abierunt ergo ex compoſito vt die poſtero inchoatam de diis diſputationem ad finem deducerent. Inde ego multis me domum abeuntibus comitem adiungens, inter eundum audiebã Damidis verba certatim in cælum ferri, atque à pluribus ſupra modum probari. Præſtò tamen aderant etiam qui dicerent nihil eſſe prę̃iudicandum, ſed expectandum ſi quid in craſtinũ ipſe quoque Timocles dicturus eſſet. Hæc ferme ſunt quorum gratia vos conuocari iuſsi. Non modica verò ſunt hæc ô Dii, ſi ratione diligentius inita conſideraueritis omnem noſtrum cultum, omnem gloriam noſtram ac prouentum ipſos eſſe homines. Porrò autem illi ſi perſuaſi in eam cogitationẽ diſceſſerint, aut omnino deos nõ eſſe, aut ſi ſint, res tamen humanas nulla illorum adminiſtrari prouidentia: periculum eſt ne omnia nobis in terris negentur ſacrificia, ſubtrahantur munera, cultus intercipiantur, ac nequicquam ſublimes in cælo collocati cum fame conflictemur, diebus feſtis & ſolennitatibus, & certaminibus, & ſacris, & ludis nocturnis & pompis orbati. Super tantis itaque rebus in præſentia quidem æquum eſſe opinor vt omnes collatis conſiliis accuratè perpendamus ſi quam imminentibus periculis ſalutẽ inuenire queamus. Tum quapotiſsimùm ratione adiutus Timocles potiatur victoria, ac veriora dixiſſe videatur, Damis verò conuictus atque cõfuſus auditoribus riſui exponatur. Cęterùm ego Timocli non admodum confido, quaſi per omnia deſtitutus auxilio victurus eſſet, niſi nonnihil opis per nos illi allatum fuerit. Facito Mercuri præconium quod lege fieri cautum eſt, vt ſurgentes conſulant. MERCV. Audi, ac ſilentio linguam cohibe, ne turba. Quem ex diis maioribus animus ad concionandum impellit, quibus conſentaneum eſt? Quid ergo rei eſt? Nemo ſurgit in medium, ſed cuncti ora tenetis, fortaſſe earum rerum magnitudine, quæ expoſitæ ſunt, obſtupefacti. MOM. At vos ſic muti tellus fiatis & vnda. Ego verò ſi mihi cum quadam dicendi libertate copia fandi conceſſa fuerit, permulta haberem ô Iupiter quæ impræſentiarũ conferrem in medium. IVPIT. Confidenter dic ô Mome, atque interrito animo. Videre enim vtile quiddam ad rem præſentem liberè proloquuturus. MOM. Proinde ô Dei agite cuncti attẽtiſsimis eſtote animis. Ego enim iam olim admodum expectabam in eam difficultatem res noſtras delapſuras, ac multos eiuſmodi Sophiſtas nobis ſuppullulaturos iandudũ proſpexi animo, à nobis ipſis tam abominandæ atque inauditæ audacię cauſam ſuſcipientes. Et ſanè per æquitatem indignum facinus eſt eam ob rem iraſci Epicuro, aut eius aſſeclis, eiúſq; diſciplinæ ſucceſſoribus, ſi talia de nobis ſuſpicati ſunt. Quam enim æquam opinionẽ de nobis illis habendam eſſe contendat quiſpiã, quandò tantam omniũ rerum perturbationem in vita videant? Bonos quidem

Alludit ad morem Athenienſiũ

quidem ex illis, vt quisque agit vitam maximè incul
patam, potissimùm negligi, paupertate, morbis, ac
iugo seruili indignissimè afflictos opprimi: cęterùm
homines facinorosos, nefariis sceleribus contamina-
tissimos, honore & dignitate priores esse, diuitiis
extructissimis affluere, melioribus ĩperitare? Quin-
etiam sacrilegos nullis suppliciis mulctari, verùm
concessa impunitate tutò latêre: in crucẽ verò sub-
igi, ac variis modis pulsari eos qui nihil mali sunt
commeriti per iniustitiam delinquentes? Hæc itaq; cum videant, iure optimo talem de nobis opinionem obtinent, nihil prorsus nos esse. Maximè verò quando oracula prædicentia audierint, quale est illud, Traiecto Hale maximum subuertes imperium. Haudquaquam planè manifestantia, num suũ ipsius, an hostium imperium subuersurus sit. Et iterũ, Vxorum Salamis charissima pignora perdes. Etenim & Persæ, vt opinor, & Græci iuxtà è mulieribus editi sunt. Cæterum auditis etiam rhapsodis illis quòd & amori operam demus, quòd vulneremur & seruiamus, qnòd vinculis constringamur, quòd motis seditionibus dissideamus, atque id genus innumeris aliis rebus satis ridiculè simus impliciti, præsertim cum beati atque immortales esse contendamus: quid verò aliud perinde quàm riderent facerent, ne floci quidem nostram diuinitatem æstimãtes? Nos porrò indignè ferimus si qui sunt homines non prorsus vecordes, & mentis inopes, qui ista differunt, ac omnem nobis prouidentiam extorquẽt è manibus: cum potius contentos nos esse oporteat, si nobis etiandũ nonnulli sacra facerent, talia flagitiose delinquẽtibus. Ac mihi hoc loco, ô Iupiter (soli enim sumus, nec vllus hominum in hoc cœtu præstò est, extra vnum Herculem ac Dionysiũ & Ganymedẽ & Aesculapiũ, qui nothi sunt, & Dii adscriptitii) cũ veritate respondẽ, quando verò in tantum res humanæ tibi curæ fuere, vt habita ratione perpendisses quínam illorũ praui & mali, aut iusti ac boni essent? Haudquaquam verò in hanc curam vnquam te incubuisse dixeris. Itaque nisi Theseus ex Trœzene Athenas profectus, iugulasset in itinere maleficos, sanè quantum ad te & prouidentiã tuam attinet, nihil obstaret quo minus viuerent & Sciron & Pityocamptes, & Cercyon, aliíque innumeri parricidiis & latrocinio viatoribus negotium valde securi facessentes. Ac nisi Eurystheus homo cũ iustus, tum multũ prouidens, singulari humanitate impulsus, singulis apud quosq; diligenter exploratis, hunc famulũ suũ emisisset, hominem manu promptum, factíque struum, & ad obeunda pericula ac labores suscipiendos interritũ, nunquam tibi ô Iupiter Lernæa Hydra in mẽtem venisset, nunquã aues Stymphalides curæ fuissent, multo minus equi Threicii. Quando verò Centaurorũ contumaliosæ temulẽtiæ memor fuisses vnquam? Atqui, si verum proferendũ est, tantùm compressis manibus in Olympo desidemus, tantùm hoc inconniuenter obseruantes, si quis litet atq; sacrificet, ac circa aras incenso thure vaporet. Porrò autem res cæteræ temere iuxta fluxum ferun tur, vt quisque illas fortuitò attraxerit. Itaque meritis nostris digna ac iusta patimur, atque etiã amplius patiemur, vbi homines post pusillũ suspicientes ani maduerterint nihil se vtilitatis consequi tametsi nobis sedula pietate sacrificarint, & oblatis libaminibus litauerint. Deinde breui videbis ab ipsis Epicureis nos rideri contemptissimè, haberi pro abiectissimis, Metrodoros verò & Damidas suis disputationibus inualescere, propugnatores autem nostros ab illis iugulari. Quare nostrarum erat partium, his rebus finem imponere, ac periculis emergẽtibus mederi, illísque summa ope obniti, quorum opera hæc eò perducta sunt. Equidem quod ad me attinet, nõ valde periclitabor si despectus ero. Neq; enim olim in eorum censebar numero, quibus honos habebatur rebus vestris adhuc stantibus & florentibus, vobísque oblato sacrificio fruentibus. IVPI. Enimuero, hunc, ô cælites delirantem & nugantem missum faciamus, semper aliàs quoque asperum obiurgatorem agentem. Est enim, vt præclarè dixit admirandus ille Demosthenes, criminari & insectari, atque etiam obiurgare, cuiuis volenti prõptum ac facile. Cæterùm demonstrare qua ratione rebus præsentibus commodissimè succurratur, profectò consultoris officium est non nisi impense cordati. Quod quidem vos alios sedulò facturos etiam hoc tacente constantissimè persuasum habeo. NEPTV. Ego quidem aliàs, quod vobis obscurum non est, sub vndis dego, & in profundo marinæ Reipub. procurationem obiens, pro virili quoad eius fieri potest, naiuigantes seruo, puppésque sursum ac deorsum magna cura deduco, neque non violentam ventorũ rabiem mollio atque demulceo: nihilo secus tamen & earum quæ hic aguntur rerum cura me habet solicitum. Proinde Damin è medio tollendum esse opinor, priusquam ad contentionem descenderit, aut ictu fulminis, aut alia quapiam machina, ne disputando victor euadat. Siquidem perhibes illum Iupiter omnes persuadendi vias ac artes callere. Quo facto illud quoque testatum faciemus, nos supplicium de illis sumere, qui ista aduersus nos petulanter affirmant. IVPI. Ludis ô Neptune, aut præfiniti ordinis oblitus es? Nihil enim tale in nostra manu situm est, verùm Parcæ sunt quæ cuique fatali lege decernunt, hunc quidem fulmine, alterum ferro, tertium febricula, quartum tabe consumptum interire. Etenim si meæ facultatis fuisset punire maleficos, dimisissem scilicet nuper sacrilegos nullo ictos fulmine ex Olympia, cum duos torti capillitii nodos mihi detondissent, sex minas vtrunque ponderãtem? Aut tu ipse dissimulanter neglexisses in Geræsto piscatorem illum ex Oreo, qui furtim tibi tridentem abstulerat? Accedit his, quod etiam indignanter & iracundè ferre videbimur hoc facto perturbati, & Damidis sermones perhorrescere, ac propterea ea insidiose moliti, ne nobis expectandum esset dum ille ex aduerso cum Timocle compositus congrederetur. Quod quid aliud quàm desertam causam vincere videbimur? NEPTV. Atqui cõpendiosam ad parandam victoriam ego me viam excogitasse arbitrabar. IVPIT. Apage furiosum & illiberale consiliũ ô Neptune, ac propemodum pingue & stolidum, de tollendo ante tempus aduersario, vt nondũ conuictus mortem oppetat, relicta in ambiguo disputatione. NEPTV. Proinde vos aliud, quod factu sit præstantius, excogitate, si mea consilia vobis tantopere repudianda videntur. APOL. Si nobis quoque natu iunioribus, & nõdum barbatis, per legem concederetur cõcionandi copia, fortasse vtile quiddam

Herodotus lib. 1. Ibidẽ lib. 7

dam & frugiferum afferrem in medium rei ſuper qua deliberatis. MOMVS. Equidē ea nobis eſt, ô Apollo de rebus ita arduis propoſita deliberatio, vt non ætatis reſpectu, ſed communis vtilitatis ſeruandæ gratia omnibus quoq; ſermo ſit propoſitus. Quàm verò lepidū eſſet atq; feſtiuum, ſi in extremis periclitantes diſcriminibus, circa legis facultatē atq; licentiam ambitioſē diſcepta remus? Cæterùm tu iam admodū concionatores legitimus, nempe iam olim ex ephebis egreſſus, prætereà in duodecim virorum tabulam relatus. Ac parum abeſt quò minùs etiam in Saturni concilio verſatus ſis. Quare non eſt quòd iuueniliter te geras erga nos, verū ſumpta audacia confidenter quæcunq; tibi optima factu viſa ſunt, proloquere: neq; propterea pudore afficiare, quòd imberbis exiſtens cōcioneris, præſertim eū ita profunda barba tibi ſit filius Aeſculapius. Quin etiā alioqui non indecorum tibi erit, id ætatis maximè ſpecimen aliquod ſapientiæ exhibere, ne fruſtrà videare in Helicone conſediſſe vnà cum Muſis philoſophando. APOL. Atqui nequaquā penes te eſt ô Mome facultas eiuſmodi permittendi, ſed penes Iouem: qui ſi fandi poteſtatem mihi dederit, fortaſſe quippiā expromā non ineruditum aut inconditū, ſed quod ei quæ mihi in Helicone fuit conuerſationi reſpondeat. IVP. Dic inquam ô fili: iam enim permiſi tibi. APOL. Timocles ille vir profectò non malus eſſe videtur, & pius, & qui diſputationes Stoicas ad vnguem excuſſerit, vnde cōpluribus quoque conuerſatur iuuenibus propter exactā Philoſophiæ cognitionem, & mercedē non mediocrem hac ratione colligit, perſuadendi facultate impendiò pollens, quoties priuatim inter diſcipulos diſſerendo verba facit: Cæterùm in hominum frequenti cœtu aut celebritate populari ad dicendum infantiſsimus & timidiſsimus exiſtit, voce inſtructus vulgari ac planè barbara, ita vt ineptè & vitioſē dicendo in conuentibus, nō rarò auditoribus riſum excutere ſoleat, nihil aptè inductū connectens, ſed argumentis putidis & barbaris cōmiſceat omnia. Maximè verò omniū hoc illi vſu venit quoties eloquentiſsimus videri geſtit. Enimuerò alioqui quod ad ingenii acumen attinet, vir eſt perſpicaciſsimę intelligētię, & mentis planè diuinæ: quemadmodū teſtantur illi quibus res Stoicæ propius atque compertius notæ ſunt. Dicendo verò, atq; interpretādo præimbecillitate corrumpit pleraq; omnia, nō valde planum faciens quid ſibi velit, verùm ænigmatum inuolucris non diſſimilia proponēs obſcurat omnia. Ac rurſus multò inuolutiora ad quæſtiones propoſitas reſpondere illi moris eſt. Porrò auditores parum intelligentes quid affectata obſcuritate ſibi velit, ferè ſubſannant eum. Conſentaneum autem eſſe opinor, perſpicuè & ſignificanter dicere: cui rei plurima cura impenda eſt, vt audientes, ea quæ loquimur, nullo cum faſtidio intelligant. MO. Equidē hoc rectè dixiſti Apollo, collaudatis iis qui in orationibus perſpicuitate vtuntur: quanquā tu hoc ipſum in promendis atq; reddendis oraculis non admodum vſurpare ſoleas, ancipitia & ambiguitate intricata multa in mediū ſecurè proiiciens, adeò vt audientes alio ad interpretandū oracula opus habeant Pythio. Sed quid eſt quod adfers conſilii? Quo remedio Timoclis in dicendo infantiæ ſuccurrendū eſſe exiſtimas? APOL. Si quo modo patronū illi ô Mome queamus adiungere alium, qui facultate dicendi polleat, eáq; pro dignitate eloquatur, quæcunq; Timocles excogitata illi effanda ſuggeſſerit. MO. Non ſapit profectò hoc quod dixiſti, pilos, ſed adhuc pædagogi eget adminiculo, de patrono in conuentu Philoſophorum adiungendo, ad præſentes interpretaturo quæcunque Timocli dictu neceſſaria viſa fuerint: Damis verò ipſe per ſe loquatur: porrò alter interpretis vtatur opera, priuatim in aurē illi ſuſurrans quæcunq; ſibi placuerint: cæterùm interpres rhetoricetur, cùm neque ipſe fortaſſe quicquam ex his intellecturus ſit, quæ Timoclē ſuggerentem audierit. Hæc quomodo turbæ nō videri poſſint extremè ridicula? Atqui hoc alia via aggrediamur, quando hac parū ſucceſsit. Tu verò ô admirande (etenim & vatem eſſe te confirmas, ac mercedem non mediocrē his præſtigiis cumulaſti, donec aliquando & lateres aureos conſecutus es) cur non data iam occaſione in tempore aliquod egregiū artis tuę ſpecimen exhibes, prædicens nobis penes quem è Sophiſtis diſputaturis futura ſit victoria? Siquidē cùm augurii peritia excultus ſis, credibile eſt futurarum rerum euentum te prædiuinare poſſe. APOL. Quī hoc vllo pacto fieri poſsit Mome, neq; præſente nobis tripode, neq; thymiamatis, nec fonte augurali, cuiuſmodi eſt Caſtalia? MO. Vide vt confutatus tergiuerſeris dum in anguſto cōſtringeris. IVP. Attamen dic ô fili, neque huic ſycophantæ calumniandi occaſionem, tuáq; ſubſannandi concedas, quaſi omnis tua vaticinandi peritia in tripode & aqua & thure ſita ſit: adeò niſi hæc tibi præſtò ſint, omni arte priuatus ſis. APOL. Equidē iſta in Delphis aut Colophone melius à me fieri poterant ô pater, oraculis omnifariàm, vt aſſolet, mihi præſentibus. Attamen vel ſic his omnibus nudus, imparatúſq; tentabo prædicere vtrum ſecutura ſit victoria. Suſcipietis verò haud dubiè, niſi verſiculis incluſum oraculum protulero. MO. Dic modò: vide vt clara & aperta proferas Apollo, quæ nullo patrono egeant, aut interpretis requirant operam. Etenim nequaquā iam ouilla caruncula aut teſtudo in Lydia coquitur. Verùm quibus de rebus nobis ſit propoſita deliberatio, non te præterit. IVP. Quid ô nate dicturus es? Quàm verò quæ oraculi prædictionem antecedunt, quàm plena terroris ſunt? nempe color pallore immutatus, oculi hinc inde mobiles, comarū ſemet erigentium horror, motus corporis furore incertus, ac omnino omnia numinis præſentiam teſtantia, plena ſunt myſteriorum atque terriculi. APOL.

Perçipe Faticani diuûm miracula Phœbi
Lite ſuper dura, quam conſtituēre Sophiſtæ
Clamoſi, largis armati vocibus omnes.
Multa quidē varii alterno clamore tumultus
Miſcentes, ſtlua complebunt roſtra carinæ.
Aſt vbi iam curuo cōprenderit vngue cicadam

Videtur alludere ad aram XII. deorū, quæ Athenis fuit, cuius & Thucydides lib. VI. meminit.

Alludit ad hiſtoriam Cræſi quæ eſt libro I. Herodo.

Vultur, poſtrema cornices voce ſonabunt,
Excipiet ſperata ſuos victoria mulos.
Verùm aſinus feriet longo ſua pignora cornu.

IVP. Cur autem ſublato cachinno riſiſti ô Mome? Atqui iſta minimè riſu proſequenda ſunt, quæ noſtris ceruicibus iam imminẽt. Deſine verò ſedato riſu infeliciſsime, aut immodicis cachinnis præfocaberis. MO. Et quínã riſum queã cõprimere ô Iupiter, tali tam claro & perſpicuo audito oracul? IVP. Quin igitur & nobis interpretaris quídnam ſibi velit? MO. Valde quidẽ aperta & liquida, ita vt nihil nobis opus ſit Themiſtoclis opera. Siquidem perſpicuè hoc teſtatur oracul, hunc videlicet eſſe præſtigiatorẽ, nos autem aſinos elitellarios, ac per Iouem etiã mulos, qui tam facilè perſuaſi, illius verbis credamus, neq; tantum habeamus mentis aut cerebri, quantum habent locuſtæ. HER. Ego verò pater, tametſi inter ſuperos inquilinus ſim & adſcititius, tamen quæ noſtris rebus in præſens vſui fore viſa ſunt, non grauabor exponere. Cùm enim iam ad diſputandum coierint, tunc ſi Timoeles ſuperior euaſerit, ſinemus conuentus de nobis habiti diſceptationẽ progredi: ſin res ſeeus ceſſerit, tunc ego ipſam porticum cõcuſſam radicitus ſuper Damin præcipitabo, ne homo execrãdus ore blaſphemo amplius nos inuadat. MOM. Hercules, heu Hercules, quàm immane & barbarũ eſt quod dixiſti, & vehemẽter Bœoticũ conſilium, eadem opera volens tot vnà cum ſceleſto Damide exitio abſumere, ad hæc ipſam quoq; porticũ vnà cum Marathone & Miltiade atq; Cynægíro diruere? Et quónã pacto his collapſis rhetores amplius debito fungerẽtur declamandi officio, maximo ad conſcribendas orationes argumento priuati? Equidem iſta viuenti tibi licuiſſet perpetrare: ex quo verò in Deorum numerum relatus es, factus & ipſe diuinitatis particeps, didiciſti, vt opinor, ſolas Parcas effecta reddere poſſe talia, porrò nos eiuſmodi perficiendæ facultatis expertes eſſe. HERCVL. Próinde, quando leonem aut hydram claua illiſa letho dedi, Parcæ per me iſta operatæ ſunt? IVPIT. Sanè veró. HER. Ac nunc ſi quis contumelia petulãter me impeteret, aut templum nefario ſacrilegio compilaret, aut ſtatuam meam ſubuerteret, niſi iam olim Parcis viſum foret, non conteram illum ſcilicet? IVPIT. Nequaquam. HERC. Ergo me cum libertate dicentem quæ ſentio, audi ô Iupiter. Ego enim, vt Comicus ait, homo ſum agreſtis & ruſticus, ligonem ligonem vocans. Si ad hunc modum res noſtræ ſe habent, honoribus, nidori, ac ſacrificiorũ ſanguini, quibus hic fruimur, longum valere iuſsis, in Orcum deſcendam, vbi me nudum areum habentem, ſaltem demortuorum vmbræ & idola pertimeſcent, propter feras terribiles ac mõſtra à me paſsim trucidata. IVP. Euge teſtem, quod aiunt, domo adductum. Conſeruaſti igitur Damidi iſta ad dicendum ſubiiciens. Sed quis tanto accedit properandi ſtudio? nempe æreus ille eſt, probè politus, & exactè expreſſus, ſubligata in morem priſcorum coma. Magis verò tuus eſt ô Mercuri frater, forenſis ille, cuius circa porticum Variam crebra eſt conuerſatio: próinde pi ce oppletus eſt, quippe qui in dies ſingulos à ſtuariis refingitur. Quid hoc nate, cur tanto curſu ad nos contendis? Nunquid nouarum rerum quippiam è terris annuntias? HERMAGORAS. Ingens quiddam, ô Iupiter, quódque ſummam & maximam requirat operam & diligentiam. IVP. Quin ergo actutũ expromis ſicubi aliquid fortè mali nobis ignorantibus ſubortum ſit? HER. Cùm ad porticum iam fabricarer æreus, ac pérque dorſum pérque pectus iungerer, & factus ineptè corpori thorax meo appendêret, nec arte diſpari foret ex ære totus additus mihi balteus, turbam video tumultuantẽ accurrere, quá eum duo ſophiſtici certaminis ibant periti fronte triſti ac pallida pugiles, Damis, &.
IVP. Parce precor, optime Hermagora, verbis intonare tragicis. Noui enim quos dicis. Sed agè hoc mihi expedi, num iam dudum conſertis manibus in pugnam deſcenderũt? HERM. Nondum, ſed adhuc in initio velitaris pugnæ ac intra teli iactum conſtituti ſunt, funda iaculantes: & alternis eminus conuiciis mutuò ſe petunt.
IVPIT. Quid ergo nobis porrò faciendum eſt ô ſuperi? an non prolato capite auſcultandum? Quocirca Horæ oſtiariæ iam auferant à ianua peſſulũ, ac deductis nubibus Olympi portas reſerent. O Hercules, quanta multitudo hominũ cæli oſtia ad audiendum confluxit! Cæterùm Timocles il le non admodum mihi placet, ita perturbato animo trepidãs, funditus hodie perditurus eſt omnia. Neque enim dubiis argumentis indicat, nullo modo Damidis impreſsionem ac impetũ ſe perpeſſurum. Sed quod nobis factu eſt facillimum, vota pro illo faciamus nobiſcum, ac taciteè, ne Damis inaudiat iſta. TIM. Quid verò ais Dami ſacrilege? nullos eſſe Deos, neque eoſdem quicquam in rebus humanis prouidere? DA. Nõ: ſed tu mihi prius reſponde, quo ſermone perſuaſus illos eſſe credidiſti? TIM. Nequaquam, ſed tu mihi ô ſcelerate reſponde. DA. Non, inquam, ſed tu. IVP. Hac equidem vna ratione noſter præpollet multò maximè: nam vocalius & intenſius exaſperat omnia. Euge verò ô Timocles, multa mala in hominem perditum ingere conuicia. In hoc enim omnis tua vis ſita eſt, vt maximè aliàs ipſis piſcibus mutiorem te eſſe declaret, os tibi opprimens. TIM. Atqui per Mineruam, prior tibi nunquam reſpondebo. DA. Próinde ô Timocles, roga. Siquidem in hoc iam viciſti, poſtquã iuraueris. Sed enim, ſi videtur, citra blaſphemias.
TIM. Rectè mones ô execranda bellua. Nullane videntur tibi ſuperi vti prouidentia? DA. Nulla.
TIM. Quid ais? omnia ergo fortuitò contingũt, & citra Deorum prouidentiam? DA. Sanè veró.
TIM. Neq; vllius Dei cura quicquam ordinatur aut diſponitur? DA. Non. TIM. Cuncta verò temerè feruntur, & caſu fortuito? DA. Sané. TIM. Cæterùm vos ciues iſta audientes impunè ſuffertis huius execrandas in Deos blaſphemias, nec ſceleratũ hunc ſaxis obruitis? DA. Quid verò hominum animos in me exaſperas ô Timocles? Aut quémnam te eſſe dicam, qui Deorum gratia magno aduerſus me ſtomacho exacerbatus

Alludit ad hiſtoriam Themiſtoclis quæ eſt apud Herodotum libro VI.

Ibi enim illorum effigies & tota Marathonia pugna depicta erat, vt Pauſanias teſtatur.

Hermes agoræus, qui ad Pœcilã æreus

Nã Homerus Horas

Pauſanias annotauit.

tus es, præſertim illis ipſis nequaquam indignè ferentibus? Iam enim olim iſta audientes, nondum vlla re mala aut acerba me affecerunt: neſcio tamen ſi iſta audiunt. TIM. Audiunt iſta ô Dami, audiunt, cæterùm in aliud tempus grauibus ſuppliciis te excarnificandum reſeruãt. DA. Et quando illi de me cogitando tantum à rebus ſuis ſibi ſumerent otii, tot ac tantis, vt tu mihi perhibes, diſtricti occupationibus, res quæ ſunt per Mũdũ innumeras diſponẽtes, adeò vt te quoque nondũ ob tua nefanda periuria dignis ſuppliciis affecerint, neq; nõ ob cętera nefaria flagitia, ne & mihi neceſsitate coacto ad conuicia, & maledicentiam propter probra falſò obiecta confugiendum ſit? Et mehercule non video quo certiore argumento ſuam teſtatam facere poſsint prouidentiam ſuperi, quàm ſi te malum & nefarium malis exemplis cruciatum perderent. Atqui pro certo cõſtat illos peregre eſſe profectos, ſupra Oceanum fortaſſe ad inculpatos Aethiopas. Solent enim crebrò ad illos ire comeſſatũ, & profectò nonnunquam inuocati. TIM. Quid ad tam impudentem & blaſphemam contumeliam tibi reſpondeam ô Dami? DA. Nimirum illud quod iam olim auidiſsimè audire deſiderabam, nempe qua ratione perſuaſus Deos prouidere exiſtimas. TIM. Equidem ipſo rerum quotidie accidentium ordine primùm ad hoc credendum inductus ſum, nempe quòd Sol ſubinde diurni ſpatii curſu ſuum iter conficiat: ad eundẽ quoque modum Luna perpetuo tenore eat ac redeat. Tum alterna ſtellarum viciſsitudo, & plantæ è terra ſuccreſcentes, & animantia in dies ſingulos naſcentia. Quódq; eadem tanta induſtria procreata ſic alantur, ſic moueantur, ſic cogitẽt, ſic incedant. Quódq; ea ſit ratio ædificandi, ea incidendi coria. Quæ omnia, aliáq; id genus innumera mihi clariſsima & certiſsima videntur eſſe diuinæ prouidentiæ indicia. DA. Tu quidem Timocles quæſtionem diſcerpis: neq; enim clarum aut certum eſt, num horũ quodq; diſponente prouidentia conficiatur. Cæterùm quòd hæc fiant, nec ipſe negauerim: non tamen ideò mox perſuaſus ſum vt credã iſta neceſſariò ac quodã coactu prouidentiæ fieri. Iam enim aliàs inceptа ſunt, & nunc pari viciſsitudine eadémq; via conſtituuntur: tu verò harum rerum ordinẽ neceſsitatem vocas. Déinde videlicet indignaris ſi quis à ſententia tua diſſentit, cùm ea quæ fiant, enumeres, ac laudibus efferas, exiſtimans hiſce demonſtraſſe etiam vnumquodque illorum immutari poſſe prouidentia. Itaq; iuxta Comicum hoc profectò quod adduxiſti, friuolum eſt: próinde aliud adducito. TIM. Equidem ego in ea ſum ſententia, vt putem aliam demonſtrationẽ huic rei comprobandæ mihi non eſſe adducendam: attamen ego te interrogabo, cæterùm tu mihi reſponde. Videturne tibi Homerus fuiſſe poetarum præſtantiſsimus? DAM. Et valde quidem. TIM. Huic ergo ipſi ego fidem habui, Deorum prouidentiam haud obſcurè aſſerenti. DA. Atqui ô admirande, poetam mehercule excellentẽ fuiſſe Homerum, omnes tibi haud difficulter aſſentimur: porrò autẽ teſtem ſuper hiſce rebus fide dignũ aut hunc, aut alium poetã vllum eſſe, id verò nullo modo concedimus. Neq; enim veritatis proferendæ curam illis fuiſſe cõſtanter opinor, ſed vt audientium animos verborum lenociniis atque dulcedine demulcerent. Quapropter & verſiculos cantillant, & fabularum inuolucris perſtrepunt, ac breuiter ſuper fumo machinantur omnia. Perlibenter verò ex te audirem, quibúſnam Homeri dictis maximè in hanc opinionem eſſes adductus. Nunquid iis, quæ de Ioue memoriæ prodidit, quomodo illum inſidioſè petitum vinclis conſtringere voluerint & filia, & frater, & vxor eius? Et niſi Thetis indignum facinus miſerata, Briareum Ioui in auxilium aduocaſſet, optimus ille Iupiter nobis conſtrictus atque diſcerptus fuiſſet. Pro quibus memor dati à Thetide beneficii, ludit Agamemnonem ſomnio quodam fallaci immiſſo, in hoc, vt multi ex Achiuis hoſtili manu perempti occumberent. Vide verò quàm non facile & promptum Ioui fuerit fulminis extorti incendio inflammare Agamemnonẽ, niſi miſeris modis illum decepiſſet. Aut illa fortaſſe omniũ maximè tibi audienti fidem fecerunt quemadmodum Diomedes Veneris manum vulnere violauerit, atq; etiam Martem ipſum Mineruæ impulſu. Aliquanto verò pòſt ipſi cælites furore collapſi, ſingulari inter ſeſe certamine miſtim maſculi & fœminæ prælіati ſunt. Ac Minerua quidem Martem ſuperatum proſternit, quippe quẽ tardatum ac feſſum vulnere, opinor, quod paulò antè à Diomede acceperat, adorta ſit.

Alludit ad Homeri locum Iliad. 2.

Iliad. 5.

Contra Latonam ſteterat Cyllenia proles.

Aut fortè ea quæ ſuper Diana nugatus eſt, probabiliter tibi dicta viſa ſunt, quemadmodum ipſa nimiùm querula indignanter & malignè tulerit quòd ſola ad epulas conuiuales ab Oeneo vocata non fuerat: ac propterea aprum inuſitatæ magnitudinis ac roboris inauditi in regionem illius immiſit. Nunquid ergo talia legentem te perſuaſit Homerus? IVP. Papæ! quanta turbæ acclamatio ô ſuperi, conſecuta eſt Damin collaudantis! Noſter verò hæſitanti & perplexo ſimilis eſſe videtur. Próinde animo meticuloſo turbatus ſubtrepidat, ac planè clypeum ſe abiecturum haud obſcurè præ ſe fert. Et iam quidem circunfert oculos, vbínam è turba elapſus aufugiat. TIM. Próinde neque Euripides quicquam ſani tibi dicere videtur, quoties in ſcenam introductis Diis perſpicuè indicat illorum auxilio bonos ex heroíbus ſeruari, improbos autem propter impietatem crudeliter perdi? DAM. Atqui Timocles philoſophorum generoſiſsime, ſi hæc facientes poetæ tragici te perſuaſerunt, neceſſum eſt alterum ex his duobus conſequi, vt aut Polum & Ariſtodemum & Satyrum deos eſſe exiſtimes, aut Deorum perſonas eſſe hęc ipſa, nempe calceos ac tunicas ad pedes vſq; porrectas, & chlamydes, & chirothecas, & ventriculos & corpuſcula, aliáq; id genus innumera, quibus illi tragœdiam exornare ſolent: quod ego abſurdiſsimum eſſe arbitror. Alioqui per ſe quoties nulla neceſsitate vrgente ſuã in fabulis opinionem explicat? Audiuiſtíne vnquam & hæc ab il-

Iliad. 9.

lo prolata liberè: Vides ſupernum ſimul & immenſum æthera, Terram humidis circa tenentem in brachiis? Illum Iouem arbitrare, necnon hanc deam. Et rurſus: Quicunque Iupiter Deus ſit, neſcio, Niſi quòd Iouem ſermone vulgi audiuerim. TIM. Próinde omnes homines & gẽtes turpiter decipiuntur deos eſſe exiſtimantes, eorúmque dies feſtos magna religione celebrãtes. DA. Euge ô Timocles, quoniam in memoriam mihi reuocaſti gentium opinionem, quam de diis obtinent. Ab illa verò maximè licet intelligere quàm nihil firmum & ſtabile in ſe habeat quæ de Diis fertur oratio. Multa enim eſt & conturbata opinionum confuſio, ac planè alii alia opinantur. Siquidem Scythæ Acinaci ſacrificãt, Thraces Zamolxidi homini fugitiuo, quem ex Samo ad illos delatum eſſe conſtat, Phryges autem Lunæ, Aethiopes diei, Cyllenii Phaleti, columbæ Aſſyrii, Perſæ igni, Aegyptii aquæ: ac omnibus quidem Aegyptiis aqua pro Deo communiter colitur. Cæterùm priuatim Memphitis quidem bos deus eſt, Peluſiotis verò cepe. Iam aliis ciconia aut crocodilus, aliis cynocephalus, aut feles, aut ſimia. Præterea vicatim, his quidẽ dexter humerus deus eſt, cæteris verò è regione habitantibus ſiniſter. Item aliis dimidia pars capitis, aliis poculum Samiũ, aut catinus. Nónne hæc tibi videntur riſu proſequenda eſſe, ô bone Timocles? MO. Nónne prædicebam, ô Dii, iſta omnia ventura in propatulum, ac fore vt exactè indagarentur? IVP. Dixiſti, ô Mome, & nos rectè obiurgaſti. Ego verò his omnibus diligenter emendatis mederi conabor præſenti euitato periculo. TIM. Atqui tu, ô Deorũ hoſtis acerrime, oracula & rerum futurarum prædictiones, cuius opus eſſe dices? nónne deorum, eorundémque prouidentiæ? DAM. Tace verò de oraculis, virorum optime, alioqui ex te quæram, cuius rei gratia illorum potiſsimùm mentionẽ feceris. Nunquid illius gratia, quòd Pythius Lydo reſpõdit? Quàm verò callidè ſermone vſus eſt ancipiti, cuiuſmodi ſunt quædam Mercuriales imaguncu læ duplices, & vtrinq; ſimiles, ad quaeunq; illarum partem te verteris, an potius Crœſus traiecto Hale, ſuum ipſius, an Cyri imperium ſubuerſurus eſt? Attamen non paucis talentis Sardianum illud exitium vocem hanc ambiguam mercatum eſt. MO. Hæc ipſa, ô ſuperi, vir iſte cõmemorat, quæ omnium maximè pertimui. Vbi nũc noſter eſt feſtiuus ille Citharœdus? Quin profectus tuam exiſtimationem ipſe tueris obiecta refellẽdo? IVP. Tu quidem nos mactas, ô Mome, nequaquam in tempore nunc obiurgationibus increpans. TIM. Vide qualia facias, ô ſcelerate Dami, qui propémodum ipſa quoq; Deorũ ſimulacra vnà cum aris non verearis ſubuertere. DA. Haud omnes aras ſubuerti cupio, ô bone Timocles. Quid enim mali adferunt, ſi thymiamatũ odore & fragrantia plenæ ſint? Cæterùm Dianæ aras, quæ in Tauris ſubſtructæ feruntur, non illibenter funditus euerſas viderem, ſuper quas ipſa virgo conuiuium magna alacritate agitare ſolet. IVP. Vnde verò nobis hoc inſuperabile malũ obiicitur? Quàm nulli deorum parcit hic vir, nullius numen reueritus, ſed tanquã ex plauſtro magna libertate omnes carpit ac lacerat, nullóq; diſcrimine in vniuerſos debacchatur, iuxtà fontes atq; innocentes? MO. Atqui perpaucos inter nos reperies, ô Iupiter, à culpa immunes. Statim verò progreſſus homo vnũ ex optimatibus inuaſurus eſt. TIM. Neq; Iouem ipſum audis, ô Deorũ impugnator, cientem tonitrua? DA. Et quónam pacto ô Timocles, nõ audirem tonitrua? Cæterùm num ciens tonitrua ſit Iupiter, ipſe melius calles, qui in Deorum immortalium concilio quondam conuerſans, inde huc delatus es. Quanquam illi, qui huc ex Creta frequenter commeant, longè alia nobis atque tu commemorare ſolent, ſepulcrum quoddã illhic oſtendi, iuxtáq; poſitam columnam indicantem non amplius Iouem tonare, ſed iam olim fato functum eſſe. MO. Enimuerò hoc iam multò antè non ignorabam hominem dicturum. Quid ergo Iupiter ita albeſcens expalluiſti, ac dẽtes præ tremore cõcutis? Bonum habere animũ cõuenit, ac tales homunciones magna mente contemnere. IVP. Quid ais ô Mome, contemnere? Nónne vides quanta hominum frequentia iſta diſſerentem audiat, tum quemadmodum iam perſuaſa iſta de nobis conſtanter credat, iámq; illos ſententiæ ſuæ diſſidentes abducat Damis ab aure reuinctos? MO. At tu Iupiter, quando lubitũ eſt, aurea ex alto demiſſa catena, omnes illos vnà cum terra & Oceano haud difficulter ſurſum trahere poteris. TIM. Dic mihi, hominum ſceleratiſsime, nunquámne nauigaſti? DA. Ac ſæpenumero ô Timocles. TIM. Próinde nónne ferebat id temporis vos ventus illapſus in carbaſum, ac puppim propulit, aut remigantes: cæterùm vnus ſupernè aſsiſtens gubernaculo, nauim regendo ſeruauit? DA. Maximé. TIM. Déinde nauis nullo modo, niſi gubernaretur, poſſet progredi: tu verò vniuerſum hoc omne citra gubernatoris & ducis operã temerè ſurſum ac deórſum ferri exiſtimas? DA. Euge ſignificanter iſta Timocles, atque firmiter exemplo corroboras. Sedenim, ô Deorum amantiſsime, gubernatorem illum quidem vidiſti nunquam non ea quæ ex vſu ſunt nauigantium, conſiderantem animo, ac ante tempus neceſſaria adornantem, neq; non nautis quę factu ſunt conducibilia, imperantem: tota verò nauis nihil habet inutile, aut temerè importatũ, quod illorum alicui neceſsitati non ſit addictũ. Cæterùm tuus ille gubernator, cui tu magnæ illius nauis regendæ curam attribuis, & eius connautæ, nihil cum ratione, nihil ex dignitate ordinant aut inſtituunt: ſed ſi fuerit rudens, ad puppim vſq; protenditur, vtriq; verò pedes ad proram. Ipſæ autem anchoræ nonnunquam ſunt aureæ, cætera pars plumbea. Quinetiam inferiora nauis colore variegata ſunt, porrò ſuperiora inuenuſta atq; informia. Præterea ipſis ex nautis cernere eſt hunc quidem inertem, & ab omni arte nautica alienum, & ad labores obeundos meticuloſum, dimidia aut tertia parte drachmæ dignum. At verò eum, qui ad vrinandum ſit impiger, & ad excurrendum, ad antennas vſque appoſitus, quíque ad gubernandum vtilia omnia

ad vnguem calleat, hunc exhauriendæ tantùm ſentinæ deſtinatum eſſe videmus. Eadem quoq; rerum facies circa eos eſt, qui à remigando immunes ſunt, vbi verbero quiſpiam cæteris honore & præſidentia prælatus iuxta gubernatorẽ ſedere atque coli conſpicitur. Mox alius quiſpiam cinædus ſpurciſsimus, aut impiatus parricidio, aut contaminatus ſacrilegiis, præ aliis habitis honoribus veneratur, & nauis ſumma apprehendit faſtigia. Porrò autem non pauci ſpectatæ eum gratiæ tum probitatis viri in ſeceſſu carinæ in anguſtum locum coacti ab improbioribus, & quantum ad veritatem & rectam viuendi rationem attinet, deterioribus, indignis modis calcantur pedibus. Conſidera verò apud animum tuum, quemadmodum Socrates & Ariſtides & Phocion nauigarint, qui ne victu quidem neceſſario pro ſufficienti copia inſtructi fuerint, neque pedes in nudas tabulas per ſentinam potuerunt extendere. Contrà, quanta in omnium rerum vbertate & affluentia Callias atq; Midias & Sardanapalus molliter & luxurioſè vixerint ſuper omnes homines aduerſus illos expuentes. Eiuſmodi verò in tua naui contingunt ô ſapientiſsime Timocles, propter quod etiam infinita fiunt naufragia. Atenim ſi gubernator quiſpiam aſsiſtens videret, ac ordine ſingula facienda imperaret, primum quidem nequaquam ignoraret, qui boni, qui item mali eſſent ex nauigantium numero. Déinde cuique pro ſua dignitate conuenientem prouinciam obeundam traderet, & locum melioribus in ſuperiore parte nauis apud ſe obtinendum deligeret, infrà verò, deteriorem peioribus. Prætereà præſtantiores quoq; in cõſilium ſocios ſibi adiungeret: tum ex nautis, quo quiſque foret cum manu tum mẽte promptior, illi quidem proræ regendæ curã delegaret, huic laterum tuendorum officium daret, porrò autem alteri in omnes imperium credidiſſet. Cæterùm ignaui ſegnities per diem quinquies cæſi in vinculis emendaretur fuſtibus. Quare ô admirande periculum eſt ne exemplum quod de naui addu xiſti, ſubuerſum ſit, quippe quod gubernatorem malum & imperitum nactum ſit. MO. Hæc quidem ex voto ac iuxta fluxum ſuccedunt Damidi, & iam plenis velis fertur ad victoriam. IVPIT. Rectè putas ô Mome. Etenim nihil firmi Timocles excogitat, ſed communia illa & protrita, & quotidiana, quæ nullo negotio refelluntur, alia aliis agglomerando ingerit. TIM. Próinde quando exemplum de naui productum, parũ firmum, & vehemens tibi viſum eſt: audi iam nunc ſacram (quod aiunt) anchoram, & quam nulla machina perrupturus es. IVPIT. Quídnam dicturus eſt? TIMO. Haud dubiè enim cognoſces, num iſta ſyllogiſmis probabilibus collegero, & num aliqua ratione ea confutare queas. Etenim ſi ſunt aræ, ſunt etiam dii: atqui ſunt aræ, ſunt ergo etiam dii. Quid habes quod ad iſta vel muſſites? DA. Vbi prius ad ſatietatem riſero, reſpondebo tibi. TIM. At videris nunquam ridendi finem facturus: attamen effare obſecro, quam ob rem iſta tibi dicta tam ridicula viſa ſunt? DAM. Propterea quòd non ſenſeris à tenui chordula anchoram tibi eſſe alligatam, præſertim ſacram exiſtentem. Siquidem ex hoc quod coniunctim inferre poſtulas, propterea deos eſſe, quia aræ ſunt, firmam exiſtimas ab illis impreſsionem te feciſſe. Quocirca quando aliud te negas habere firmius, abeamus in præſentia. TIM. Fateris ergo prius ex arena diſcedens te victum eſſe? DA. Ita profectò ô Timocles: tu enim quemadmodũ ii qui ad ſupplicium repetuntur ab aliquo, ad aras nobis confugiſti. Itaque per ſacram illam anchoram ego iam oblatis ſacris aduerſus te libare conſtitui, ac ſuper ipſas quidem aras, ne poſthac de his amplius contendamus. TIM. Iſta quidem cauillaris illudendi mihi gratia, mortuorũ deprædator ſceleſte, execrande, maſtigia, propudium. Neque enim nobis compertum eſt quo patre natus ſis: quomodo autem mater tua laſciua meretrix, pudicitiã in quæſtu habuerit, ſcimus: tum quemadmodum fratris cæde ac ſanguine manus tuas impiaueris: qui mulieres ingenuas mœchus infamis conſtuprare, ipſos verò iuuenes corrumpere ſoles, homo gulæ ac ventri deditiſsime, atq; impudentiſsime. Ne igitur fugate priùs ſubducas, quã à me acceptis plagis cõtuſus abieris. Iam enim hac teſta tibi vulnus incutiã, omnibus modis ſcelerato ac nefario exiſtẽti. IVPI. Alter quidẽ, ô dii, riſu ac cachinnis diffluens diſcedit, alter verò à tergo ſequitur áffatim ingerendo conuicia, cauillis inſultantẽ Damin nõ perferens. Planéq; caput illius teſta obuerberatu rus eſſe videtur. Cæterùm vos quid ſuper his rebus faciendum conſulitis? MERC. Præclarè mihi illud Comicus dixiſſe videtur: Graue paſſus es, nihil boni ſi conſulas. Quàm enim hoc noſtris rationibus admodum nocere poteſt, ſi pauci homines perſuaſi eam de nobis opinionem obtinentes abierint? Sunt enim permulti diuerſum ſentientes, plures profectò quàm Græci, nimirum promiſcua illa vulgi multitudo, inſuper omnes illæ gẽtes barbaræ. IVPIT. Atqui ô Mercuri Darii illud quod de Zopyro dixiſſe memoriæ proditum eſt, nimium pulchrè ſe habet. Quare ego quoque vnum talem præoptarim à me ſtare auxiliarem ſocium potiùs, quàm infinitas Babylonas mihi ſupereſſe.

SOMNIVM, ſeu Gallus,

D. Eraſmo Roterodamo Interprete.

ARGVMENTVM.

Hoc dialogo diuitiarum atq; potentiæ incommoda moleſtiáſq; perſequitur, oſtendens quàm contrà tranquilla res paupertas ſit, ſi modo ſit ſorte ſua contenta. Facit autem hoc veluti collatione quadam. Nam in priore quidem parte dialogi Micyllus ſomnium exponendo ſuum, Eucratis cuiuſdam opulenti cœnas, diuitias, luxum, & quæcunq; vulgo ſpecioſa & expetenda videntur, extollit,

adiecto etiã encomio auri, tum ab exẽplis, tum ab effectu & vsu & cæteris amplificatio. In posteriore autẽ parte Gallus, qui ex Pythagora in auẽ transformatus, cũ hero suo Micyllo colloquens introducitur, diuitum cum priuatorum ac ciuium, tum regum atq; potentum molestias, curas & pericula recenset, quæ illis & belli & pacis temporibus, præterea etiam circa valetudinem, quam luxus & crapula ista labefactant, accidere solent, additis etiã exemplis eius rei, & hypotyposi quadam, dum fingitur idẽ vi pennarum suarum reseratis adium foribus ad ipsas diuitum cellas Micyllum perducere, & coràm illa quæ verbis narrauerat, spectanda exhibere. Cæterùm omnia hæc ita rursum Lucianus agit, vt non minùs interim Pythagoram quoq; vt impostorem ac præstigiatorem quendam sugillet, quippe qui ridiculas & absurdas, & à natura quoq; abhorrentes sui transformationes commentus fuerit, & multa eiusmodi, docendi simulatione tradiderit, quibus hominibus deceptis, solùm sibi authoritatem comparârit. Deinde & Stoicos eodem mare suo corripit vt arrogantes ac fastuosos, qui in rebus friuolis sapientiam affectent, & officiorum obseruantes videri cupiant, in cæteris verò neq; domesticis neq; publicis hominum cõuersationibus appositi atq; idonei sint. Omnino autem festiuissimus iocus est, gallum cum hero suo ridiculè adeò ac familiariter nugari, & interim tamen sapientiùs philosophari quàm quemuis in schola philosophum.

Interlocutores.

MICYLLVS, GALLVS.

MIC. AT te, sceleſtiſsime Galle, cũ iſta tanta inuidentia, vocéq; tam acuta, ipſe perdat Iupiter, qui quidem opibus affluentem me, ac dulciſsimo in ſomnio verſantem, & admirabili felicitate fruentem, penetrabile quiddam & clamoſum reſonans, expergefeceris, adeò vt ne noctu quidem effugere liceat paupertatem, vel te ipſo longè nocentiorem. Atqui ſi coniectandum eſt, tum è ſilentio quod etiandum ingens eſt, tum è rigore frigoréq; quod nondum me, quemadmodum aſſolet, antelucanò morſicat titillátq; (nam hic mihi certiſsimus gnomon aduentantis diei) ne medium quidem adhuc noctis eſt. Sed iſte peruigil, périn de quaſi vellus illud aureum ſeruet, ab ipſa proti nus veſpera vociferari cœpit. Verùm haudquaquam impunè: ſiquidem mox pœnas de te ſumã, fuſtéq; comminuam, ſi diluxerit modò: nam nũc negotium mihi faceres, ſubſiliens in tenebris. GAL. Here Micylle, equidem arbitrabar me tibi gratum eſſe facturũ, ſi quoad poſſem alta nocte lucem anteuertiſſem, quò poſſes antelucanò ſurgens, quàm plurimum operis conficere. Etenim ſi priùs, quàm Sol exoriatur, vel vnicam feceris crepidam, iſthuc laboris lucro tibi acceſſerit ad parandum victum. Quòd ſi tibi magis libet dormire, equidem tuo arbitratu quietem egero, longéq; magis mutus fuero piſcibus, Cæterùm tute videto, ne per ſomnium diues, eſurias expergefactus. MIC. O prodigiorum auerſor, Iupiter, ô malorum depulſor Hercules: quid hoc mali eſt? Voceem humanã ſonuit Gallus. GAL. Hóccine tandem tibi prodigium videtur, ſi eadem qua vos lingua loquor? MIC. Quid? an non hoc portentum? Sed auertite Dii malum à nobis. GAL. At tu mihi videris admodum illiteratus eſſe Micylle, nec euoluiſſe Homeri poemata, in quibus equus Achillis, cui nomen Xanthus, poſteaquàm hinnitus longum valere iuſsiſſet, medio in prælio conſtitit diſſerens, totóſq; verſus ordine recitans, non quemadmodum nunc ego proſa oratione loquens: quinetiam vaticinabatur ille, déque futuris edebat oracula: neq; quicquam prodigioſum facere videbatur: neque is qui tum audiebat, malorum auerſorem, ita vti tu facis, implorabat, quaſi rem abominandam & auertendã audiſſe ſeſe iudicaret. At quid tandem facturus eras, ſi tibi nauis, cui nomen apud Homerum eſt Argo, carina fuiſſet elocuta, ita vt olim in Dodonæa ſylua phagus per ſe loquens oraculũ edidit? Aut ſi tergora direpta ſerpere vidiſſes, ſi carnes boum mugire ſemiaſſas, coctáſque, verubus transfixas? Ego verò quum Mercurii ſim aſſeſſor loquaciſsimi, deorúmque omnium facundiſsimi: præterea cõtubernalis vobis, & conuictor: haud mirum videri debet, ſi ſermonem humanũ edidici. Quòd ſi mihi recipias taciturum te, haudquaquam grauabor veriorem tibi cauſam aperire, vnde factum ſit vt eadem qua vos lingua loquar, & vnde mihi ſuppetat huius orationis facultas. MIC. Modò ne iſthuc ipſum ſit ſomniũ Galle, quod ita mecum loqueris: ſed dicito per Mercurium, ô præclare, quid etiam aliud rei tibi ſit in cauſa vt iſtam linguam ſones. Nam vt taceam, neque cuiquam proferam, quid attinet te ſolicitum eſſe? Quis enim fidem mihi ſit habiturus, ſi cui narrem, me Gallum hæc loquentem audiſſe? GAL. Auſcultа igitur: nam orationem ex me audies omnium (ſat ſcio) maximè nouam atque incredibilem. Siquidem hic qui nunc tibi gallus appareo, non ita pridem homo fui. MIC. Profectò & olim iſtiuſmodi quiddam de vobis inaudieram, adoleſcentulum quempiam fuiſſe Gallum, Marti adamatum, atq; hunc deo compotaſſe, colluſitaſſéque, & in voluptatibus geſsiſſe morem. Itaq; cùm Venerem adiret Mars cum ea cubiturus, hunc quoq; Gallum vnà ſecum adduxiſſe. Quoniam autẽ Solem potiſsimùm metueret, ne ſi è ſublimi conſpexiſſet, Vulcano ſe proderet: foris ad oſtium adoleſcentulum ſemper relinquere ſolitum, cuius indicio certior fieret quando ſol emergeret. Déinde Gallum aliquando ſomno correptum, excubias deſeruiſſe inſcientem, Solémq; nullo præſentiente imminuiſſe Veneri, ac Marti ſecurè dormienti, propterea quòd confideret Gallum indicaturũ fuiſſe ſi quis interueniſſet. Itaque Vulcanum à Sole edoctum, eos deprehendiſſe, implicitos atq; irretitos iis vinculis quæ iam olim in illos fuerat fabricatus. Porrò Martem ſimul atque dimiſſus eſt, indignatum aduerſus Gallum fuiſſe, atq; eum in auem tranſmutaſſe, iiſdem armis, vt in capite pro galea eriſtam obtineret. Hanc ob cauſam, quòd vos Marti purgetis, quum iam nihil opus, ſimul atque Solem exorientem ſenſiſtis, multò antè vociferari, atq; illius exortum prænuntiare. GALL. Feruntur quidem & illa Micylle: at quod ego ſum narraturus, multò aliud quiddam fuit: atq; adeò nuper admodum in Gallũ tranſform

Gallus adoleſcens in auem conuerſus.

formatus ſum. MIC. Quónã modo? Nam iſthuc maximoperè cupio cognoſcere. GAL. Audiſtín' de Pythagora quodam Mneſarchida Samio? MICYL. Num ſophiſtam illum dicis glorioſum, qui inſtituit ne quis vel carnes guſtaret, vel fabas ederet, ſuauiſsimum mihi edulium, ſalubre, & parabile, à menſa ſubmouens? Prætereà autem qui mortalibus ſuaſit ne intra quinquennium loquerentur? GAL. Scis nimirũ & illud, quemadmodũ priùs, quàm Pythagoras eſſet, Euphorbus fuerit? MIC. Præſtigiatorem & prodigiorum artificem hominem aiunt fuiſſe, ô Galle. GAL. Ille ipſe ego tibi ſum Pythagoras. Quare parce, quæſo, mihi conuiciari, præſertim quum ignores quibus ſim moribus. MIC. At hoc rurſum multò etiam quàm illud portentoſius: Gallus philoſophus? Attamen expone ô Mneſarchi gnate, quî factum ſit vt ex homine auis, ex Samio Tanagræus repentè nobis prodieris. Neque enim iſta veriſimilia, neque omnino facilia creditu: quãdoquidem duas quaſdã res iam mihi videor in te animaduertiſſe nimium alienas à Pythagora. GAL. Quas? MIC. Alterum quidem, quòd garrulus es & obſtreperus, quum ille ſilere in ſolidos quinq; annos (ſi memini) præceperit. Alterum verò plànè cum illius legibus pugnat. Etenim cùm non haberem quod tibi obiicerem, fabas heri (ſicut noſti) ad te attuli: ac tu nihil cunctatus protinus eas ſublegebas: vnde fit vt neceſſe ſit aut ementitum eſſe te Pythagoram eſſe, quum aliud quiddam ſis: aut ſi Pythagoras es, legem prætergreſſum eſſe te, iúſq; violaſſe, quũ fabas ederis, périnde ac ſi caput patris comederis. GAL. Non cognouiſti Micylle, quæ ſit harum rerũ cauſa, neq; quæ ad vnumquodq; vitæ genus conducãt. Ego tum quidem nõ eſitabam fabas, propterea quòd philoſophus eſſem. Nunc contrà comeſurus ſim, quippe auitio congruas, neq; nobis repudiandũ pabulum. Verùm, ſi moleſtũ non eſt, audi quemadmodum è Pythagora cœperim eſſe id quod ſum in præſentia, quámque in multis vitæ generibus antehac vixerim, & quid ex vnaquaque transformatione ſim conſequutus. MIC. Narra quæſo: nam mihi quidem auditu iucundiſsimum fuerit, adeò vt ſi quis mihi deferat optionem, vtrum te iſta narrantem audire malim, an rurſum feliciſsimum illud ſomnium quod paulò antè vidi, videre, haud ſciam vtrum electurus ſim: vſqueadeò cognata germanáque videntur eſſe iſta tua cum ſuauiſsimis illis viſis: & ex æquo vos æſtimo, ſe pariter ac præclarum illud inſomnium. GAL. Etiamnum tu ſomnium illud quod dudũ tibi viſum eſt, in animũ reuocas, & inania quædam obſeruas ſimulacra, atq; (vti loquuntur poetæ) euanidam quandam felicitatẽ memoria conſectaris? MIC. Imò illud ſcias Galle, ne vllo quidem tempore vnquam viſi illius mihi vẽturam obliuionem. Tantum mellis ſomnium aufugiẽs in oculis mihi reliquit, vt præ illo vix queã palpebras attollere, rurſus in ſomnum coeuntes. Itaque qualem voluptatem mouent pennæ in auribus verſatæ, talem titillationem mihi præbent ea quæ vidi. GAL. Nouum quendam Hercule mihi narras amorem inſomnii: ſiquidem alatum quum ſit (ſicut aiunt) metáſque volandi præſcriptas habeat ſomnium, iam ſepta tranſilit, in oculis etiam vigilantis obuerſans: adeò mellitum & euidens apparet. Quare peruelim audire cuiuſmodínam ſit iſtud, quod te ſupra modum delectat. MIC. Geſtio narrare. Nam dulce eſt hoc ipſum meminiſſe, & commemorare de illo quippiam. Verùm heus Pythagora, quando tu narrabis de tuis trãsformationibus? GAL. Vbi tu Micylle deſieris ſomniare, mélque illud ab oculis abſterſeris. Interim prior dicito, vti intelligam vtrúmne per portas eburneas, an per corneas tibi ſomnium aduolarit. MIC. Neq; per has, neq; per illas, ô Pythagora. GAL. Atqui duas has tantùm commemorat Homerus. MIC. Valere ſi- Inſomnionas nugatorem illum poetam, qui nihil de ſo- rum ratio
mniis intellexit. Paupertina fortaſsis ſomnia ex Homeper iſtas commeant portas, qualia videbat ille, ro.
neq; id admodum perſpicuè, quippe captus oculis. Mihi verò per aureas quaſdam portas dulciſſimum hoc aduênit ſomnium, & ipſum aureũ vndique, & aureis circumamictum, & auri plurimũ ſecum adducens. GAL. Deſine optime Mida de auro fabulari. Nam dubio procul ex illius voto iſtud tibi accidit inſomnium, & ſolidas auri venas mihi duxiſſe videris. MIC. Multam auri vim vidi Pythagora, multam, quàm putas pulchri? quo fulgore coruſcantis? Quid tandem Pindarus in illius laudem dicit? nam in memoriam redige, ſi quidem meminiſti, quum aquam præſtantiſsimam dicens, poſteà aurum admiratur, idque iure, ſtatim in initio carminis vnius omnium belliſsimi. GAL. Num illud quæris?

Aqua eſt illa quidem optima:
Cæterùm aurum, vti candens
Ignis ita enitens, noctibus eminet eximiè vnum
Cæteras ſupra opes quæ
Gloriam ac decus addunt.

MIC. Per Iouem, iſthuc ipſum: périnde enim ac ſi inſomniũ meum videat Pindarus, ita prædicat aurum. Sed vt tandem cognoſcas quale fuerit, auſculta iam ſapientiſsime galle: Meminiſti vt heri nullum domi cibum acceperim: ſiquidem Eucrates diues ille fortè mihi in foro factus obuiam, lotum me in tempore ad cœnam venire iuſſerat. GAL. Iſthuc equidem planè memini. Nam totum eſuriebam diem, donec mihi profunda tandem veſpera domum reuerſus ſubuidus, vinóq; madẽs, quinq; illas fabas proferres, non admodum opiparam cœnã gallo, qui quondam fuerit athleta, quíque Olympia non ſegniter olim decertarit. MIC. Aſt vbi reuerſus à cœna fabas tibi obieciſſem, obdormii protinus. Tũ mihi, iuxta Homerum, ambroſia ſub nocte diuinum quoddam haud dubiè ſomnium aſsiſtens. GAL. Sed priùs quæ tibi apud Eucratem accide rint Micylle, narra, & cuiuſmodi fuerit cœna, quæque ſuper cœnam acta ſunt omnia. Nihil enim prohibet te denuò cœnare, ſi veluti ſomniũ quoddã eius cœnæ reducas, & quæ tum ederis, rurſum commemoratione quaſi rumines. MIC. Credebam moleſtum futurum me, ſi hæc quoq; retuliſſem: verùm poſteaquàm tu deſideras, en

Pythagoræ metamorphoſes & præſtigiæ,

id quoq; narrabo. Quum nunquam antehac in vita cœnaſſem apud vllum diuitem, ô Pythagora, heri bona quapiã fortuna in Eueratem incidi: atq; ego quidẽ ſimul atq; dominum illum ſalutaſſem, ita vti conſueueram, ſubducebam me: ne pudori illi eſſem, ſi lacera in veſte fuiſſem aſſe ctatus. At ille, Micylle, inquit, hodie natalitia filiæ celebro, plurimóſq; ad conuiuiũ amicos inuitaui: verùm quoniã aiunt quendam ex his incommoda eſſe valetudine, neq; poſſe pariter ad conuiuiũ noſtrum accedere: tu eius loco venito lotus: niſi ipſe fortè quivocatus eſt, ſemet adfuturum renuntiarit: nam nunc quidẽ ambigit. Hoc vbi audiſſem, adorato diuite diſcedebam, omnes obſecrans deos, vt algidam febrem aliquam, aut laterum dolorem, aut podagram morbi auctariũ immitterent valetudinario illi, cuius ego ſellæ occupator, cœnæq; vicarius & hæres eram vocatus. Interim hoc ſpatii quod vſq; ad balnei tempus interceſſit, longiſsimum ſeculum eſſe iudicabam: dum ſubinde reſpicio quot pedum eſſet litera, & quando illos iam lauiſſe conſentaneum eſſet. Hic vbi tempus tandem adueniſſet, ocyùs me corripio, atq; abeo, nitidè admodũ cultus, ſic obuerſo palliolo, vt qua eſſet parte puriſsimũ, ea videretur. Offendo autem ad fores & alios complures, in quibus etiã illum (geſtabatur autẽ à viris quatuor) cuius eram ſubcõuiua vocatus, qui malè habere dictus erat, atq; id etiã præ ſe ferebat, quòd afflicta eſſet valatudine: nam ex alto gemebat, tuſsiebátq; ac ſcreabat velut ex abdito: quódq; ægrè graderetur, totus pallidus ac tumens, annos natus circiter ſexaginta. Ferebatur autem philoſophus quiſpiã eſſe ex his qui apud adoleſcentulos nugas deblaterant. At barba mirè erat tragica, id eſt hircina, ſupra quàm credi poſſet tonſoris egens. Porrò increpante Archibio medico, quamobrem quũ ita eſſet affectus, adueniſſet: Non oportet, inquit, promiſſa deſerere, præſertim hominem philoſophũ, etiam ſi mille vrgeant & inſtent morbi. Putabit enim Eucrates ſeſe à nobis haberi ludibrio. Haudquaquam, inquam ego: imò collaudabit te, ſi domi potiùs apud te velis emori, quã in conuiuio animam vnà cum phlegmate excreãs. Atq; ille quidem præ arrogantia diſsimulabat ſeſe dicterium audiſſe. Haud multò pòſt acceſsit & Eucrates iã lotus: conſpectóq; Theſmopolide (nam id erat philoſopho nomen) Præceptor, inquit, probè quidem factum abs te, qui ipſe ad nos veneris: tametſi nihilò deterius tibi fuerat futurũ: ſiquidem etiam abſenti omnia ordine miſſa fuiſſent. Hæc ſimul atq; dixerat, introgreditur, manus illi porrigens pariter & famulis innitenti. Ego igitur iam abire parabam: verùm ille conuerſus, vbi diu ſecum hæſitaſſet, poſteaquàm me triſtem admodum videret, Ades, inquit, tu quoq; Micylle, ac nobiſcum cœna. Nam filium in mulierum cõclaui vnà cum matre conuiuiũ agere iubebo, quò tibi ſit locus. Ingrediebar itaq;, quum parũ abfuerit vt lupus fruſtrà hians diſcederẽ: verùm ingrediebar pudefactus, quòd Eucratis filiolum è conuiuio viderer expuliſſe. Aſt vbi iam tẽpus eſſet vt diſcumberemus, primùm tollentes Theſmopolin cõpoſuerunt, haud ſine negotio per Iouem, quinq; (ſi Diis placet) proceri iuuenes, cerualia illi ſupponentes vndiquaq;: quò nimirũ in eodẽ habitu permanere, ac longũ etiã tempus durare poſſet. Déinde vbi nemo iam tolerare poſſet vt iuxta illum accumberet, me adductum reclinant, vt eadem in menſa eſſemus. Déinceps cœnabamus, ô Pythagora, opiparã quandam & variam cœnam, multóq; in auro, multo item argento. Pocula erant aurea, miniſtri formoſi: tum cãtores, & cõcitandi riſus artifices. In ſumma, iucũdiſsima quępiã erat vita: niſi quòd vnũ quiddã me vehemẽter malè habebat, Theſmopolis obſtrepens atq; obturbans, virtutẽ neſcio quã mihi cõmemorans, docénſq; quòd duæ negationes vnicam efficerent affirmationem: quódq; ſi dies ſit, nox non ſit. Nonnunquam & cornua mihi dictitabat eſſe: atque id genus multa philoſophabatur erga me, quibus eiuſmodi nihil opus: planéq; voluptatem interpellatione minuebat, quũ non ſineret exaudiri eos qui cithara vocéq; canebant. Hæbes galle de cœna. GALL. Non admodum ſuaui Micylle: maximè poſteaquàm cum illo deliro ſene ſortitus eras accubitum. MIC. Au di nunc inſomniũ. Viſus enim mihi Eucrates ipſe, quum orbus eſſet liberis, neſcio quomodo è vita decedere. Dehinc vbi me accerſiſſet, ac teſtamentum condidiſſet, quo me in ſolidum hæredem omniũ ſcripſerat, paulo tempore ſuperſtes emori. Porrò ipſe videbar adire facultates: & tum aurum argentúmq; ingentibus quibuſdam ſcaphis exhaurire, perpetuò ſubſcaturiens, & affatim affluens: tum autem veſtes, menſas, pocula, miniſtros, omnia mea, vt par erat, eſſe. Poſteà candido vehiculo vectabar reſupinus, cũctis, qui intuebantur, conſpiciendus & admirandus. Accurrebant permulti, ac circumequitabant: complures ſequebantur. Ego interim illius indutus veſtitum, & annulos gerens circiter ſedecim digitis inſertos, epulum quoddam ſplendidum iubebam adornari, quò amicos acciperem. Iámq; illi, ita vt in ſomnio fieri conſentaneum eſt, aderant: iam epulæ erant comportatæ: iam potus ex animi ſententia miniſtratus. In his quum verſarer, & aureis phialis præbiberem omnibus qui aderant amicis: quum iam inferrentur bellaria, intempeſtiuo tuo clamore perturbaſti nobis conuiuium, menſáſque ſubuertiſti, ac diuitias illas ita diſsipaſti, vt in auras euaneſcerent. Nũ tibi videor iniuria ſtomachatus in te? nam vel treis noctes perpetuas libenter adhuc ſomnium illud quod mihi accidit, videre cupiam. GALL. Adeóne es auri cupidus, & opum auidus Micylle? ſdq; ex omnibus vnum admiraris, ac felicitatem vnicam eſſe iudicas, ſi plurimum poſsideas auri? MIC. Equidem haud ſolus ita cogito Pythagora: quin ipſe quoq;, tum quum Euphorbus eſſes, auro atq; argento comis intexto prodibas pugnaturus cum Achiuis, ſdq; in bello, vbi ferrum quàm aurum geſtare ſatius fuerat. At tu etiã tum voluiſti calamiſtris auro internexis in periculum deſcendere. Atque ob eam (opinor) cauſam, Homerus comas tuas Gratiis ſimiles dixit, quòd auro argentóq; reuincirentur. Etenim longè

Gnomonẽ horologii intelligit.

Diuitũ ſpecioſa, ac beata.

longè nimirum meliores atq; amabiliores videbantur quòd eſſent auro religatæ, vnáq; cum eo relucerent. Neq; iſthuc nouum eſt, auricome, ſi tu Pantho patre prognatus, aurũ in pretio habuiſti: quin & ipſe Deorũ omnium, hominúmq; pater ille, Saturno Rheáq; progenitus, quum Argolicam illam puellam adamaret, vbi nihil inueniret amabilius in quod ſeſe transformaret, neq; quo Acriſii cuſtodias poſſet corrumpere, audiſti videlicet vt aurum ſit factus, atq; ita per tegulas illapſus, poticus eſt ea quam deperibat. Iam verò quid tibi commemorem quàm multos vſus præbeat aurum? & vt eos quibus adfuerit, formoſos & ſapientes & potentes reddat, decus & gloriam illis concilians? vtq; nonnunquam ex obſcuris & infamibus claros ac celebres repentè efficiat? Nam noſti vicinum mihi & eiuſdem artificii Simonem, qui paucis antè diebus apud me cœnauit, quum legumen coquerem Saturnalibus, duáſque extorum cæſuras immitterẽ. GAL. Noui, Simonem illum breuem, qui fictilem ollulam, quæ nobis erat vnica, ſuffuratus, peracta cœna abiit ſub ala geſtans. Nam ipſe vidi Micylle. MIC. Atqui quum eam ſuſtulerit, tam multos illedeos poſteà iurabat. Sed cur non prodebas, ac vociferabare tum ô Galle, quum nos furto ſpoliari conſpiceres? GAL. Coccizabam, quod mihi ſolum licebat id temporis. Verùm quid Simon ille? Nam videbare de illo dicturus neſcio quid. MIC. Ei conſobrinus erat vir ſupra modum dues, nomine Drimylus: Is quoad viuebat, ne obolum quidem donauerat Simoni: nam quî daret, quum ne ipſe quidem pecunias attingeret? At ſimul atque mortuus eſt nuper, vniuerſis illis opibus iuxta leges, Simon ille, qui coria putria, qui patellam circunlingebat, gaudens potitur, purpura oſtróque circuntectus: famulóſq; & currus, & aurea pocula, & menſas eburnis innixas pedibus poſſidet: ab omnibus adoratur: iámq; nos ne aſpicit quidem. Etenim nuper quum illum procedentem conſpexiſſem, Salue, inquam, Simon. At ille indignè ferens, Edicite, inquit, mendico iſti, ne vocabulum meum diminuat: neq; enim Simon, ſed Simonides appellor. Porrò (quod eſt omnium maximum) mulieres etiã illius amore capiuntur. Atq; is quidẽ eludit eas, ac faſtidit, & alias quidem admittit, coménq; ſeſe præbet: aliæ porrò quæ negliguntur, necem conſcituras ſibi minitantur. Vides quantas commoditates pariat aurum: quandoquidem eos qui ſunt deformiſſimi, transfigurat & amabiles reddit, non ſeeus atque ceſtus ille poeticus. Audis inſuper & à Poetis dictum,

O aurum auſpicata res, & oſtentum optimum.

Et rurſum:

Aurum eſt, quod opibus imperat mortalium.

Sed quid interim riſiſti, Galle? GAL. Quoniam tu quoque per inſcitiam, Micylle, ſimili modo falleris opinione de diuitibus, quemadmodum vulgus: verùm (crede mihi) longè etiã ærumnoſiorem vitam viuunt, quàm vos. Hæc autem loquor, qui ipſe & pauper, & dives aliquando fuerim, atq; omne vitæ genus ſim expertus. Porro paulò pòſt ipſe quoque hæc omnia cognoſces. MIC. Per Iouem tempeſtiuũ iam eſt, vt & tu reſeras quemadmodũ ſis transfiguratus, & quid in vnoquoq; vitæ genere perſpexeris. GAL. Auſculta, hoc tãtùm præmonitus, me neminẽ feliciorẽ in vita, quàm tu ſis, vnquã vidiſſe. MIC. Quàm ego ſim, ô Galle? Hanc felicitatẽ tibi ipſi imprecor. Nam videre me tibi ridendũ proponere. Verùm age, narra, exordiens ab Euphorbo, quo pacto fueris in Pythagorã transformatus: deinceps ordine ad Gallum vſq;. Conſentaneũ enim eſt te varias res tum vidiſſe, tum tuliſſe, nimirum tam diuerſis vitæ formis. GAL. Quemadmodũ initiò ab Apolline profecta anima in terrã deuolarit, & corpus humanũ ſubierit, vt illhic pœnam quandam penderet, id longum dictu futurum ſit: præterea neq; mihi referre fas eſt, neq; tibi eiuſmodi audire. Verùm vbi Euphorbus factus eſſem. MIC. Sed ego priùs, quàm eſſem is, qui nunc ſum, ô præclare, quiſnã eram? hoc mihi priùs dicito, nunquid & ego verſus fuerim itidem vt tu? GAL. Maximé. MIC. Quis igitur eram? ſi quo modo potes dicere: peruelim enim iſthuc cognoſcere. GAL. Tu formica fueras Indica, ex earum genere, quæ aurum effodiunt. MIC. Et poſteà neglexi infelix vel paucula fruſta in vitam importare, quum illo eſſem alitus? Sed age, quid poſt hæc futurus ſim dicito: quãdoquidem conſentaneum eſt ſcire te. Etenim niſi quid bonæ ſit rei, iam nunc ſuſpendero me ab iſta pertica, in qua nunc ſtas. GAL. Iſthuc profectò nulla ratione poſſis cognoſcere. Cæterùm quum Euphorbus eſſem (nam ad illa redeo) in Troia pugnabam: atq; à Menelao necatus, aliquãto pòſt tempore in Pythagoram perueni. Porrò eouſq; abſq; tecto perdurabam, donec Mneſarchus aliquando mihi domum ædificaret. MIC. Obſecro te, num abſq; cibo potúq;? GAL. Maximé. Nihil enim iſtis rebus opus, niſi corpori dũtaxat. MIC. Illud igitur priùs dicito, ea quæ ad Troiam geſta ſunt, num ita ſe habent, qualia fuiſſe dixit Homerus? GAL. Quſnam ille ſcire potuiſſet, Micylle, qui quidem dum iſta gerebantur, ipſe camelus erat in Bactris? Cæterùm ego tibi tantùm effabor diuinitus, nihil id temporis eximium fuiſſe, neque Aiacem vſqueadeò magnum, neq; Helenam adeò formoſam, quemadmodũ arbitrantur: ſiquidem vidi candida quandam & procera ceruice, vt hinc cygno prognatam eſſe adſimularent: cæterùm vehementer anum, æqualẽ propémodum Hecubæ. Hanc Theſeus primùm raptam in Aphidnis poſſedit. Is vixit Herculis fermè ætate. Porro Hercules priùs Troiã ceperat, patrum noſtrorum memoria, qui per id temporis maximè florebant. Nam hæc mihi Panthus narrauit, ſe, quum eſſet admodũ adoleſcẽs, vidiſſe Herculem. MIC. Quid autem Achilles? Num talis erat, nempe quauis in re præſtantiſsimus? An & iſthæc fabulamenta ſunt? GAL. Cum illo quidem congreſſus non ſum: neque queam adeò compertè de rebus Græcorum dicere. Etenim quî ſcire potui, quum hoſtis eſſem? Certè Patroclum illius amicum, haud ita magno negotio peremi lancea diſſectum. MICYL. Déinde te

Pythagoram tacitè perſtringit vt ſophiſtã & præſtigiatorem.

Menelaus minore negotio. Verùm iſtis de rebus ſatis: nunc res Pythagoricas refer. GAL. Illud in ſumma Micylle, ſophiſta quiſpiam eram (oportet enim videlicet fateri verum) alioqui nõ imperitus, neq; inexercitatus in honeſtiſsimis diſciplinis. Profectus ſum autem in Aegyptũ, quò cum prophetis congrederer, de ſapientia cõmunicaturus. Hic adyta ſubii, atq; ibi Ori & Iſidis libros perdidici. Pòſt rurſum in Italiam renauigabã, ac Græcos iuxta ea, quę in Aegypto didiceram, ita inſtitui, vt me próinde ac deum ſuſpicerent. MIC. Equidem inaudierã iſthæc: prætereà quemadmodũ creditus fueris defunctus in vitã rediiſſe, vtq; aureũ femur illis ſubinde oſtenderis: Verùm illud mihi dicito, quid tibi venit in mentem, vt legem ſtatueres, vti neq; carnibus, neq; fabis veſcerentur homines? GAL. Ne percõteris iſta Micylle. MIC. Quã ob rem, ô Galle? GAL. Nã pudet hiſce de rebus verũ fateri. MIC. Atqui non conuenit vti id facere graueris apud hominem contubernalem & amicũ: nam herum poſthac abſit vt dixerim. GAL. Nihil ſani, neque præclari quicquam erat: verùm animaduertebã, ſi conſueta modò, ac eadem quæ vulgò tradũtur à multis, præcepiſſem, nõ fore vt mortales in admirationẽ adducerem, ſed quò peregriniora magiſq; aliena propoſuiſſem, futurũ vt hoc magis nouus, magiſq; viderer admirãdus. Próinde inſtitueram in animo, nouæ quiddã rei deſignare, eiuſmodi propoſito decreto, cuius cauſa eſſet inexplicabilis, quò videlicet aliis aliud coniectantibus, omnes redderentur attoniti: quemadmodum in obſcuris oraculis ſolet vſu venire. MIC. Illud vide, vt rides me tu quoq;, non minùs atq; Crotoniatas, ac Metapontícos, & Tarentinos, cúmque his alios, qui muti ſequuntur, tuáq; adorant veſtigia, quæ tu calcata reliquiſti. Verùm vbi Pythagorã exueras, quem poſt eum induiſti? GAL. Aſpaſiam Miletenſem illam meretricem. MIC. Papæ! quid ego audio? Siquidem inter alia mulier quoque fuit Pythagoras. Icáne fuit aliquando tempus, quo tu Galle generoſiſsime ouapariebas, cúmq; Pericle rem habebas, iam Aſpaſia videlicet, atque ex illo grauida facta es? Prætereà lanam tondebas, tramámq; deducebas? Poſtremò meretricũ in morem geſtiebas, vultúmq; componebas? GAL. Iſta quidẽ omnia feci, tametſi non ego ſolus: verùm & ante me tum Tireſias, tum Elati proles Cęneus. Próinde quicquid in me conuicii dixeris, tantundem & in illos dixeris. MIC. Age igitur, vtra tibi vita erat ſuauior, quum vir eſſes, an quum Pericles tecũ habere conſuetudinẽ? GAL. Vides cuiuſmodi iſthuc eſt quod percontaris? nempe cui ne Tireſiæ quidem expedierit reſpõdere. MIC. Atqui ſi minus fateare tu, tamẽ iſthuc Euripides ſatis explicuit, cùm ait ſe malle ter ſub clypeo conſiſtere, quàm parere ſemel. GAL. Imò pręmoneo te paulò pòſt puerperã fore: ſiquidem & tu mulier es olim futurus, ídq; ſæpius, longo nimirũ ſeculorũ orbe atq; recurſu. MIC. Non tu pendebis, ô Galle, qui quidem omneis mortales Mileſios aut Samios eſſe ducas? Nam aiunt te etiam tum, quum Pythagoras eſſes, venuſta forma decorum, ſæpius Aſpaſiam fuiſſe tyranno. Verùm age, ſecundùm Aſpaſiam, in quem virum aut mulierem denuò renatus es? GAL. In Cratetem Cynicum. MIC. O Caſtor, & ô Pollux, quàm diſsimile! ex ſcorto Philoſophus? GAL. Déinde rex: déinde pauper paulò pòſt ſatrapes: dehinc equus, graculus, rana, aliáque innumerabilia: perlongum enim fuerit ſingula recenſere. Poſtremò gallus, atque id ſæpiùs: nam hoc vitæ genere ſum delectatus. Interea & aliis diuerſis mortalibus ſeruiui, regibus, pauperibus, diuitibus: poſtremò nunc tecũ viuo, rideóq; quotidie, quum video te paupertatis tædio complorantem, eiulantémq;, ac diuitũ admirantem fortunas, propterea quòd ignores quantum illis adſit malorum: alioqui ſi curas noris, quibus illi diſtringuntur, te ipſum profectò riſeris, qui anteà credideris, eum qui ſit opulentus, ſtatim feliciſsimum eſſe omnium. MIC. Ergo Pythagora, aut quod maximè gaudeas appellari, ne confundam orationem, ſi te nunc hoc, nunc illo nomine compellem. GAL. Nihil interierit, ſiue Euphorbum, ſiue Pythagoram, ſiue vocaris Aſpaſiam, ſiue Cratetem, quandoquidẽ iſta omnia ſum vnus: niſi quòd rectius feceris, ſi (id quod impræſentiarum eſſe videor) gallũ me voces, ne auem hanc parui ducere cõtemneréq; videare, præſertim quũ tã multas contineat animas. MIC. Ergo galle, quandoquidẽ omnia penè viuendi genera iam expertus es, atq; omnia cognita habes, age dilucidè mihi narrato quæ ſint peculiaria diuitũ ad vitæ rationem, quæ pauperum propria: quò videlicet cognoſcam, verénè iſthuc affirmes, me diuitibus eſſe feliciorẽ. GAL. En hunc ad modum interim perpende Micylle. Te quidẽ non magnopere tangit cura belli, ſi quando rumor ſit aduentare hoſtes: neq; ſolicitus es ne in agros incurſantes populẽtur, néve hortum proculcent, proterántq;, aut vineas vaſtent: ſed ſimul atq; tubã audieris, ſi tamen audieris, de te ipſo vno circunſpectas, quò deflexus ſeruari queas, ac diſcrimen effugere. Contrà illi tum de ſeſe ſoliciti ſunt, tum animo diſcruciantur, quũ de mœnibus quicquid opũ poſsidebant in agris, id omne tolli deportaríq; cõſpiciunt. Ac ſiue inferẽdũ eſt aliquid in ærariũ, ſoli accerſuntur: ſiue in prælium exeundũ, periclitantur, aut peditum turmis, aut equitũ alis præfecti. Tu interim vimineũ gerens clypeũ, expeditus ac leuis es ad ſaluti conſulendum, paratus victoriale conuiuiũ agere, ſi quãdo victor exercitus ſacra fecerit. Rurſum pacis tempore, tu quidẽ quũ de plebe ſis, ingreſſus in concionẽ, tyrannidẽ in diuites obtines: illi verò trepidant, pauitántq;, ac largitionibus choragiíſq; te placant: ſiquidem quò tibi balnea, ludi, ſpectacula, reliquáq; id genus abundè ſuppeditent, ea omnia curãt illi. At tu, cenſor & acerbus expenſor, périnde quaſi do minus, ne alloquio quidẽ interdum dignaris illos: quòd ſi tibi collubitum ſit, ingentibus ſaxis in illos degrãdinas, vel facultates eorũ publicas facis: ipſe neq; calumniatorẽ metuis, neq; latronem, ne tollat aurũ, vel ædiũ conſcenſo faſtigio, vel pariete perfoſſo: neq; neceſſe habes rationibus occupari, neq; exactionibus: neq; tibi cum

ſeel

ſceleratis diſpẽſatoribus conflictandum eſt: neq; tantas in ſolicitudines diſtraheris: verùm ſimul atq; crepidã vnam perfeceris, mercedémq; retuleris ſeptem obolos, ſero ſurgis crepuſculo, & ſi libuerit, lauaris: tum empto ſaperda quopiã, aut mænide piſciculo, aut paucis ceparũ capitulis, te met ipſe oblectas, canens plerunq;, optimáq; cũ paupertate philoſophãs, adeò vt eas ob res ſalũbri ſis valentíq; corpore, obduruerísq; aduerſus gelu: ſiquidẽ labores qui te exacuũt muniúntq;, certatorem haudquaquã contemnẽdum reddũt aduerſum eas res, quæ compluribus inexpugnabiles eſſe videntur. Atq; hinc nullus ex morbis illis grauioribus impetit te. Quòd ſi quando leuis ceperit febricula: paulo negotio eam medicatus, protinus exilis, inedia temet inde excutiens. Illa porrò fugit illico: quippe metuens te, quem videat etiã frigore ali, ſaturúmq; fieri, ac medicorũ certis illis recurſibus longum plorare renuntiantẽ. At illi ex aduerſo propter intemperantiam vitæ, quid tandem mali non habent infelices? podagras, phthiſes, pulmonum exulcerationes, aquas intercutes. Nam hæc omnia à ſumptuoſis illis conuiuiis naſcuntur. Próinde quicunq; ex his Icari in morem (vt ferè faciunt) ſeſe attollunt, propiúſq; ſe Soli admouent, haud cogitantes quòd alas habeãt cera agglutinatas, ingentem nonnunquam ſtrepitum mouent. Cæterùm qui Dædali exemplo non admodum ſublimia neq; excelſa appetunt, verùm humilia, terræq; vicina, adeò vt cera nonnunquam ſalis aſpergine madeſceret, ii tutò plerũq; ac citra diſcrimen tranſuolarunt. MIC. Moderatos iſtos & cordatos narras. GAL. Verũ aliorũ, Micylle naufragia fœdiſsima conſpicias: nẽpe vbi Crœſus reuulſis alis riſum exhiberet Perſis, conſcenſo rogo: aut Dionyſius quum abdicatus tyrannide, Corinthiorum in vrbe ludi literarii magiſtrum ageret, poſt geſtum tantum imperium puellos cõpellens vt ſyllabas cõnecterent. MIC. Dic mihi Galle: tu quũ rex eſſes (nam ais te regem quoque fuiſſe) cuiuſmodi tandẽ id vitæ genus experiebaris? Mirum ni tum felix eras, quandoquidẽ id quod eſt bonorũ omnium caput, poſsidebas. GAL. Ne mihi in memoriam regeras, ô Micylle: vſqueadeò ſupra modum infelix tum eram. Nam quo ad res externas, quemadmodũ dixiſti, planè fortunatus eſſe videbar: at intus innumerabilibus curis diſtringebar. MIC. Quibus tandẽ curis? Nam rem prorſus abſurdam neq; credibilem narras. GAL. Equidem imperabam regioni neutiquam exiguæ Micylle, omniiugarum rerũ feraci, tum incolarum frequentia, neq; non vrbium pulchritudine cum primis admirãdæ: præterea fluminibus nauigabilibus, ac mari portuoſo commodæ. Ad hæc exercitus ingens, equitatus ſpectatiſsimus atq; excellens, ſatellitiũ haud exiguum, triremes, pecuniarum vis maior quàm vt poſſet numerari, vaſorum argenteorum plurima copia, reliquáq; omnis illa principatus tragœdia, ſtrepitúſq; & apparatus ſupra quàm credi queat, extructus atq; accumulatus. Itaque quum prodirem, plerìq; adorabant, deum quempiã intueri ſeſe rati: aliíq; trudentes alios concurrebant, quò me conſpicerent: nonnulli conſcenſis tectis, magni æſtimabant ſi plenè contemplari licuiſſet quadrigam, ſtragulam, diadema, tum anteambulones, & eos qui à tergo comitabantur. Ego inter hæc mihi conſcius quantæ me res diſcruciarẽt, verſaréntq;: illos quidem propter inſcitiã venia dignos iudicabã, at mei ipſius miſereſcebat, qui prægrandibus illis Coloſsis viderer perſimilis, quales vel Phidias, vel Myron, vel Praxiteles fabricatus eſt. Etenim illorũ quiſque quo ad ea quę foris apparent, Neptunus ipſe eſt, aut Iupiter, mirificè decorus, auro eboréq; cõpactus: & aut fulmẽ, aut fulgur, aut tridentẽ fuſcinã dextra ſuſtinet: cæterùm ſi immiſſo capite quæ ſunt intus inſpicias, videbis vectes quoſdam, paxillos, & clauos introrſum prominentes, neque non vimina, cuneóſq;, & picem ſublitam, & aliã item id genus deformitatem intrinſecus inhabitantem. Omitto recenſere muſcarum, muſtelarúmq; vim, quæ nonnunquam in eis manſitãt. Huiuſmodi quædam res nimirum regnum quoque videtur. MIC. Nondum explicuiſti lutum, & clauos, & vectes, quínam fuerint in imperio, neque fœditatem illam plurimã quænam ſit: nam iſtum ad modum vectari, tam multis imperare mortalibus, ac numinis inſtar adorari, hactenus quidem cum Coloſsi exemplo quadrat. Siquidẽ hoc quoq; diuinum quiddam & admirandum: nunc autem quę ſunt intra Coloſſum, exponito. GAL. Quid primo loco tibi referam Micylle? vtrum metus, curas mordaces, ſuſpiciones, odiũ quo regem perſequuntur ii qui cum illo viuunt, inſidias, atq; eas ob res ſomnum rarum, & hunc ipſum pertenuem, ac plena tumultus inſomnia, cogitationes perplexas, ſpes ſemper improbas: an otii penuriam, & occupationes, iudicia, expeditiones, edicta, fœdera, conſultationes? quibus rebus fit vt ne per ſomnium quidem aliqua re ſuaui frui liceat, verùm vt omnibus de rebus ſolus diſpiciat neceſſe eſt, milléque negotia ſuſtineat:

Quippe nec Atriden Agamemnona dulcis habebat
Somnus, multigenas verſantem pectore curas.

ſdq; quum reliqui omnes Achiui ſterterent. Adde quòd Lydum illũ diſcruciat filius mutus: Perſam verò Clearchus ad Cyrum deſciſcens: atq; alium quempiã Dion cum Syracuſanis nõnullis ad aurem cõmunicans. Rurſum alium quendam vrit Parmenion collaudatus. Item Perdiccã Ptolemæus, Ptolemæum Seleucus. Quin illa quoq; moleſtiam afferunt, amaſius per vim non ſponte conuiuens, concubina alio gaudens, tum ſi qui defectionem parare dicãtur, aut duo quatuórve ſatellites inter ſeſe conſuſurrantes. Porrò (quod eſt omnẽ grauiſsimũ) amiciſsimi quiq; vel maximè ſunt formidandi, ſempérq; metuendum ne quid magni mali ab illis exoriatur. Nam alius à filio veneno necatus eſt: alius itẽ ab amaſio. Alium ſimile quoddam fortaſsis mortis genus eripuit. MICYL. Apageſis, atrocia miráque ſunt iſta quæ narras, ô galle. Mihi igitur multò ſit tutius operæ cerdonicæ pronum incumbere, quàm ex aurea bibere phiala comiter delatũ hauſtum,

cæterùm cicuta, aconitóq; temperatum. Nam mihi quidem hoc vnum eſt periculi, vt ſi paulũ aberret ſmilion, deflectátque à recta inciſione, ſummum ſecantis digitum exiguo ſanguine tingat: at iſti, quemadmodum narras, lethifera agunt conuiuia, atque id innumerabilibus in malis conſtituti. Déinde vbi conciderint, perſimiles eſſe videntur tragœdiarum hiſtrionibus. Nã multi, ſicut videre licet, quoad Cecropes ſunt ſcilicet, aut Siſyphi, aut Telephi, diademata geſtant, argenteiſque capulis gladios, comámque ventilantem, & auro intertextam chlamydem: quòd ſi quis (qualia nimirum permulta ſolent accidere) impulſos illos media in ſcena præcipites det, riſum profectò moueant ſpectatoribus, videlicet perſona vnà cum ipſo diademate contrita, vero autem actoris capite luxato, cruribúſque maxima ex parte renudatis: vt iam interioris amictus quàm miſeri ſint panni, fiat perſpicuum: ac cothurnorum quos pedibus induxerunt, appareat deformitas, haudquaquam ad pedis modum reſpondentium. Vide vt me iam ſimilitudines conferre docueris optime galle. Cæterùm tyrannis talis quædam res tibi viſa eſt eſſe: verùm vbi equus eſſes, aut canis, aut piſcis, aut rana, quomodo eam vitæ rationem ferebas? GAL. Iſtum quem nunc ſuſcitas ſermonẽ, & longior ſit, neque huius temporis. Illud autẽ vnum in genere dixerim, nullam ex omnibus vitam mihi non viſam tranquilliorem vita humana, naturalibus dúntaxat cupiditatibus & vſibus circunſcriptam. Siquidem publicanum equum, aut ſycophantam ranam, aut ſophiſtam graculum, aut popinatorem culicem, aut cinædum gallum, atque id genus alia, quæ vos ſtudio comminiſcimini, haudquaquam inter illos videbis. MICYLL. Quæ dicis, ô galle, fortaſsis vera ſunt: verùm non me pudebit apud te fateri quod mihi accidit. Haud vnquam quiui dediſcere cupiditatem illam à puero mihi inſitam, videlicet vt diues euadam. Quin nunc quoque ſomnium illud ob oculos verſatur, aurum oſtentans: potiſſimùm autem ſceleſtus ille Simon excruciat, qui quidem tantas inter opes delicietur. GAL. At ego te iſto leuabo morbo, Micylle, tametſi noxietiandum eſt. Surge modò, ac ſequere me. Siquidem ad ipſum te Simonem adducam, atque in aliorum diuitum ædes, quò nimirũ videas quomodo res habeant apud illos. MIC. Iſthuc quo pacto, clauſis foribus? Num me parietes transfodere compelles? GAL. Nequaquam, verùm Mercurius, cui ſum ſacer, hoc optanti mihi largitus eſt, vt ſi quis longiſsimam caudæ plumam, quæ ob mollitiem inflectitur. MIC. Atqui duas habes eiuſmodi. GAL. At dextram ex his auulſam cuicunq; ego geſtandam dedero, is, quoad voluero, fores omneis poterit aperire, cunctáq; videre, ipſe inuiſibilis. MIC. Equidem ignorabam, ô galle, te præſtigiarum quoq; peritum eſſe. Porrò ſi mihi iſthuc ſemel præſtiteris, videbis illico Simonis vniuerſas opes huc deportatas: nam eas huc rediens transferam: at ille rurſum circunrodet, ebibétq; putria coria, quibus conſueuit ſoleas compingere. GAL. Atqui nefas ſit iſthuc facere: ſiquidem Mercurius illud mihi mandauit, vt ſi quis pennam tenens, iſtiuſmodi quippiã patrarit, vociferans furem proderem. MIC. Rem neutiquã veriſimilem narras, nempe Mercuriũ, quum ipſe ſit fur, non ſinere alios vt idem faciãt. Sed tamen abeamus. Nam aurũ auferã, ſi modò poſsim. GAL. Pennã priùs reuellito. Quid hoc rei? ambas reuulſiſti. MIC. Tutius hoc quidem, ô Galle, tum tibi minùs fœdum ſit futurum, ne altera caudæ parte mutilatus claudices. GAL. Age ſanè: ſed vtrum Simonem prius adimus, an alium quempiam diuitum? MIC. Haud aliò, imò ad Simonem, qui videlicet pro diſyllabo tetraſyllabus eſſe affectet poſteaquam diues euaſit. Sed iam ad fores acceſsimus. Quid igitur déinceps facio? GALL. Pennam ſeræ admoue. MIC. Ecce autem, dii boni, oſtium périnde atq; claui reſiliit. GAL. Perge porrò præcedens. Vides illum vigilantem ac ſupputantem? MIC. Video per Iouem, & quidem ad obſcuram ſiticulo ſamq; lucernam. Prætereà pallet, haud ſcio vnde, galle, totúſque exaruit, atque extenuatus eſt, mirum ni curis: neque enim auditum eſt illum alioqui malè habere. GAL. Auſculta quid dicat: ſiquidem intelliges quibus de cauſis ad eum modum ſit affectus. SIMON. Nimirum ſeptuaginta illa talenta tutò admodum ſub lectica defoſſa ſunt, neque quiſquam alius omnino vidit. At verò ſedecim illa Soſylus equiſo vidit me ſub præſepe occultantem. Itaque de curando ſtabulo non eſt admodum ſolicitus, quanquam nec aliàs admodum laboris appetens. Veriſimile eſt autem illum multò etiam his plura ſuſtuliſſe. Nã unde alioqui Tibius heri tam ingens ſalſamentum illi obſonio propoſuiſſet? Tum autem aiunt illũ monile emiſſe vxori drachmis quinq;. Heu miſero mihi. Hi omnia mea diſsipabunt bona. Quid quòd ne pocula quidem ſat in tuto mihi recondita ſunt, quum ſint multa? Vereor enim ne quis ea ſuffoſſo pariete tollat. Complures mihi inuident, atque inſidias parant: præter cæteros autem Micyllus iſte vicinus. MIC. Ita per Iouem. Nam tibi ſum ſimilis, ac patellas ſub ala geſto. GAL. Tace Micylle, ne protinus ipſo in furto nos prodas. SIMON. Optimum igitur fuerit, vt ipſe inſomnis ſeruem. Omnem obibo domum, in orbem obambulans. Quis iſte? Video te per Iouem ô parietum perfoſſor, poſteaquàm es columna, bene res ſe habet. Pernumerabo denuò refoſſum argẽtum, ne quid fortè dudum me fugerit. En rurſum obſtrepuit mihi neſcio quis. Nimirum obſideor, atque inſidiis appetor ab omnibus. Vbi mihi gladius, ſi quẽquam depræhendero? Rurſum aurum defodiamus. GAL. Sic tibi habent, ô Micylle, res Simonis. Sed abeamus ad alium quempiam, donec noctis adhuc aliquantulum ſupereſt. MIC. O miſer, cuiuſmodi viuit vitam! hoſtibus eueniat ad hunc modum diuites eſſe. Itaque pugno illi in maxillam illiſo, volo diſcedere. SIMON. Quis me pulſauit? Latrocinio deſpolior miſer. MIC. Plora, ac vigila, auríq; ſimilis corpore reddaris, quandoquidem illi affixus ac deditus es. Nos autem, ſi videtur, Gniphonem fœneratorẽ viſamus. Nã nec is procul

Nulla vita moleſtior humana.

hinc

hinc habitat. Ipſæ nobis ſuapte ſponte fores patuerũt. GAL. Vides hunc quoq; curis inuigilantem, & vſurarum rationes iterantem digitis contortis? cui propémodum relictis his omnibus ſit in ſilpham aut culicem aut muſicam abeundum. MIC. Equidem video miſerum ac vecordem hominem, ne nunc quidem multò meliorem viuere vitam, quàm ſilphæ aut culicis, adeò totus & hic à curis & rationibus eſt extenuatus. Nunc ad alium eamus. GAL. Ad tuum, ſi videtur, Eucratem. En tibi fores per ſe patuere. Quin introimus? MIC. Paulò antè hæc omnia mea erant. GAL. At etiam nunc tu diuitias ſomnias? Vides igitur Eueratem ipſum quidem à famulo, virum natu grandem? MIC. Video profectò quiddam haudquaquã virile. Porrò altera ex parte ipſam item vxorem à coquo conſtuprari. GAL. Quid ergo? Num optaris & horum hæres exiſtere Micylle, eunctaque poſſidere, quæ ſunt Eucratis? MIC. Haudquaquam Galle: imò fame citiùs interierim, quàm id genus quippiam patrarem. Valeat aurum & conuiuia. Duo oboli mihi potiores diuitiæ ſunt, quàm ſi à domeſticis mihi domus perfodiatur. GAL. Sed iam nunc quãdoquidem dies fermè diluxit, domũ ad nos redeamus. Reliqua rurſus aliàs videbis Micylle.

ICAROMENIPPUS, ſiue Hypernephelus,

D. Eraſmo Roterodamo Interprete.

ARGVMENTVM.

Quod ſuprà in ſpecie, idem hîc in genere tractat. Reprehendit enim in vniuerſum omniũ hominum tum priuatorum, tum etiam regum ac principũ, omnia facta, ac ſtudia, ſiue ea priuata ſint, ſiue etiam ad cultum ac religionem deorum pertineant: præcipuè autem philoſophos, vt ſemper aliàs, inſectatur, quos indicat non modò circa res humanas incerta ac ſtulta docere, verùm etiam de rebus ſublimibus, de Mundo, de Deo, de prouidentia diuina, & id genus aliis, abſurda atq; impia quædam tradere, quæ neq; viderint ipſi, neq; aliunde cognouerint. Atq; hæc omnia ſub Menippi nomine, quem aliàs quoq; vt philoſophis infeſtum atq; inimicum exhibet. Hunc enim fingit, cùm videret hominum res incertas & ridiculas eſſe, cupereq; veritatem naturæ ac virtutem cognoſcere, ad philoſophos ſeſe contuliſſe. Qui cùm multa quidẽ, ac ſpecioſa habitu ac verbis pollicerentur, doctrina autem inter ſe diuerſa atq; aliena quædam traderent, neq; ipſi ſibi conſentirent, pro veritate nugas quaſdam docendo: poſtremò conſilij inopem, de cælo conſcendendo, ac ipſarum illarum rerum experimento capiendo cogitaſſe. Aſſumptis igitur, & affictis alis, Dædali exemplo in cælũ ſubuolaſſe: vbi primùm circa Lunam facto ceu diuerticulo quodam, contemplatum eſſe omnia quæcunque in terris, ſiue publicè, ſiue priuatim & in occulto quoque geruntur, non modò à regibus & principibus, verùm etiam à ciuitatibus, populis, diuitibus, & plebeiis. Deinde autem in cælo ea vidiſſe, quæ ſtultè ac ridiculè Iupiter circa hominum vota, ſacrificia, iuramenta, & cætera officia diſpenſanda exercet, quæq; item alij Dij in conuiuijs, in concionibus, & cæteris, non quidem ipſi agere ſolent, ſed à ſtultis & imperitis hominibus agere creduntur. Vtrobiq; autem grauem de philoſophis querelam audiuiſſe. Nam Lunam quidem de contumelijs, quibus ab illis afficeretur, conqueſtam eſſe: propterea quòd ab alijs lumen furtiuum habere, ab alijs ceu ſpeculum ſupra Oceanum ſuſpenſa eſſe diceretur, Iouem autem omnem illorum vitam, mores, ſectas, habitũ, doctrinam, facinora domeſtica, & linguæ petulantiam, accuſaſſe: præcipuè autem contra Epicureos, vt qui Deos omnino illos negarent eſſe, incenſum fuiſſe. Porrò tituli ratio hæc eſt, quòd vt Icarus alatus in altum ſubuolaſſe dicitur, ita hic Menippus quoq; cælum alatus conſcendit, vnde & alter titulus ὑπερνεφέλης additur, quaſi dicas, eius qui ſupra nubes aſcendit. In primis memorabilis & propria deſcriptio illa Philoſophorum eſt, qua Iupiter in concilio deorum illos depingit. Fuit autem, vt hoc quoque addamus, Menippus quidem re vera Cynicus philoſophus, natione Phœnix ac ſeruus natus, de quo Laertium vide.

MENIPPVS. AMICVS.

MENIPPVS.

ERĪ mille igitur erant ſtadia à terra vſque ad Lunam, vbi prima nobis fuit mãſio. Porrò hinc ſurſum ad Solem paraſangæ fermè quingentæ. Rurſum ab hoc vſque ad ipſum deniq; cęlum, arcémq; Iouis in edito ſitam, tantum ferè ſpatii fuerit, quantum aquila probè ſuccincta, atq; expedita queat vno die peragere. AMI. Dic mihi per Gratias, Menippe, quæ ſunt iſta, quæ de aſtris loqueris, ac tacitus tecum ſupputas? Etenim iandudũ te aſſectans, audio Soles & Lunas, præterea autẽ & magnifica iſta, mãſiones ac paraſangas, peregrina quædam cõmemorantem. MENIP. Ne mireris Amice, ſi ſublimia aeriáq; tibi videor loqui: nam ſummam apud me reputo nuper actæ peregrinationis. AMIC. Nimirum Phœnicum exemplo viam ſtellis notaras. MEN. Haudquaquam per Iouem: quin magis ipſis in ſtellis ſum peregrinatus. AMIC. Papæ! longum profectò ſomnium mihi narras: ſiquidem totas edormiſti paraſangas inſciens. MEN. Quid ais? ſomnium tibi referre videor, qui modò ab ipſo Ioue ipſe reuerſus adſum? AMIC. Quid audio? Itáne Menippus nobis à Ioue delapſus ades è cælo? MEN. Ita ſanè: ego tibi ab ipſo illo ſummo Ioue hodie venio, rebus interim dictu miris & auditis, & conſpectis. Quòd ſi non credis, equidem hoc ipſo nomine ſupra modum gaudeo, cùm ſupra fidem eſſe video meam felicitatem. AMI. Et quo pacto diuine atq; olympie Menippe, mortalis cùm ſim ac terreſtris, queam non credere viro qui nubes ſuperarit, quique, vt Homericis dicam verbis, iam ſis cælitum è numero vnus? Verùm illud mihi dicito, ſi moleſtum nõ eſt, quibus modis in altum ſubuectus es, aut vnde nactus ſcalas tãta magnitudine? Nam quantum ad faciem ac formam attinet, non es admodum ſimilis illi Phrygio: vt coniectare poſſimus te quoque ab aquila raptũ fuiſſe, quò pocillatoris alicubi munere fungereris.

ris. MEN. Non me clam eſt te iandudum irridere. Neq; verò id omnino mirũ, ſi narrationis nouitas tibi fabulæ videtur aſsimilis. Cæterùm ad conſcenſum nihil mihi erat opus neq; ſcalis, neq; vti pueri illius in morem ab aquila raperer: propterea quòd alæ mihi eſſent propriæ. AMIC. Iam verò iſtud quod narras, vel ipſum Dædali factum ſuperat. Siquidem præter alia, nobis inſcientibus miluius quiſpiam, aut graculus ex homine factus es. MEN. Rectè amice, neq; procul à ſcopo coniecisti. Etenim illud Dædali de alis inuentum ipſe quoq; ſum machinatus. AMIC. At interim omnium audaciſsime, non veritus es ne tu quoque alicubi in mare delapſus, Menippéum aliquod pelagus tibi cognomine redderes, quemadmodũ ille Icarium? MEN. Nequaquam. Siquidem Icarus cùm alas haberet cera agglutinatas, eáq; quàm plurimùm ad ſolẽ eſſet liquefacta, defluxis alis non mirum ſi decidit. At nobis citra vllam ceram erant pennæ. AMIC. Iſtud quî fieri potuit? Iam enim haud ſcio quo pacto paulatim me adducis vt vera videantur quæ narras. MEN. Ad hunc fermè modum: Aquilam egregiè magnam, tum autem & vulturem validũ arripui. His cùm alas vnà cum ipſis brachiis præſecuiſſem. Quin potius, ſi vacat, totius commenti rationem ordine tibi percenſebo. AMIC. Mihi quidẽ vel maximè vacat: adeò ſublimis à ſermone tuo pendeo: iámq; ad narrationis finem inhio. Ne verò me negligas, per Iouem amicitiæ præſidem, auribus in aere ſuſpenſum ob tuam narrationem. MEN. Auſcultа igitur. Neq; enim ciuile fuerit, ſi ſpectem amicum ore hiante relictũ, eúmq;, quemadmodũ tu ais, ab auribus ſuſpenſum. Ego igitur cùm expendẽs ea quæ ſunt in vita mortalium, protinus omnes res humanas reperiſſem ridiculas, humiles, inſtabiles, nempe opes, imperia, magiſtratus: contemptis his, atq; horum ſtudio, adiectóq; animo ad ea quæ verè ſunt bona: conatus ſum ab his tenebris emicare, & ad vniuerſi naturã ſuſpicere. Atque hîc mihi multam attulit hæſitationem, primùm hic ipſe qui à ſapientibus appellatur Mundus. Neq; enim inuenire poteram, neq; quo pacto factus fuiſſet, neque quo opifice, neq; quod eſſet illius vel initium, vel finis. Déinde cùm particulatim contemplarer, multò etiam magis ambigere ſum coactus, quippe qui viderem ſtellas temerè per cælum diſiectas. Tum ſolẽ ipſum, quid tandem eſſet, ſcire geſtiebam. Super omnia verò, quæ Lunæ accidebant, mihi videbãtur abſurda, ac planè mira, putabámq; cauſam aliquam arcanam & inexplicabilem eſſe, cur illa ſubinde ſpeciem formámq; variaret. Quinetiam fulgur emicans, tonitru erumpens, tum pluuia, nix, grando, è ſublimi demiſſa, videbantur hæc quoque omnia coniectu difficilia, quæq; nullis notis deprehendi poſſent. Itaq; cùm ad eum modũ eſſem affectus, optimum factu ratus ſum, vt horũ vnumquodq; à philoſophis iſtis perdiſcerem. Si quidem exiſtimabam illos veritatem omnẽ docere poſſe. Quare cùm ex illis præſtantiſsimos delegiſſem, quantum mihi coniectare licebat è vultus auſteritate, éque coloris pallore, ac barbæ profunditate (mirum enim vt mihi ex ipſo protinus aſpectu ſublimiloquos quoſdam, & cæleſtium rerum peritos viros præ ſe ferebant) his vbi memet docendum tradidiſſem magna pecunia (quam partim eueſtigiò præſentẽ numeraui, partim tum me perſoluturũ ſum pollicitus, vbi ad philoſophiæ ſummam peruentum eſſet) non grauabar erectus ad nugas doceri, & vniuerſi diſpoſitionem diſcere. At illi tantum aberãt vt me priſtina liberarent inſcitia, vt in maiores etiam dubitationes coniecerint: principia neſcio quæ, ac fines, tum inſecabilia, inania, ſyluas, ideas, atque id genus alia mihi quotidie offundẽtes. Verùm illud interim mihi videbatur omnium eſſe grauiſsimum, quòd cùm nihil inter illos conueniret, verùm pugnãtia diuerſáq; inter ſe omnia loquerentur: tamen poſtulabant vt ſibi fidem haberem: ac ad ſuam quiſq; rationẽ me conabatur adducere. AMIC. Rem abſurdã narras, ſi viri cùm eſſent ſapientes, inter ſeſe de rebus factioſẽ diſſi debant, neq; de eiſdem eadem probabant. MEN. Atqui rideres amice, ſi audieris illorũ arrogantiam, & in diſſerendo prodigioſam confidentiã: qui quidem cùm humi ingrederentur, nihilóq; præſtantiores eſſent nobis qui ſuper terram ambulamus, ne cernentes quidẽ acutiùs quàm quiuis alius adſtans, nonnulli cæcutientes etiam ſenio atque inertia: tamẽ & cæli terminos perſpicere ſeſe profitebantur: ſolem quoque ipſum dimetientes: & ea, quæ ſupra Lunã ſunt, aggredientes. Ac périnde quaſi ex ipſis delapſi ſtellis, ita & magnitudinem illarum & figuram explicabant. Ac ſæpenumero cùm fortè ne illud quidem certò ſcirent, quot ſtadiis à Megara abeſſent Athenæ: tamen ſpatium quod intereſt inter Solem & Lunam, quot eſſet cubitorũ, audebant pronuntiare: tum aeris altitudinem, maris profunditatem, terræ ambitum dimetientes. Ad hæc circulos depingebant, ac triangulorum figuras ſuper quadrangulos inducentes: neq; nõ ſphæras quaſdam picturatas, cælum ſcilicet ipſum metientes. Iam verò illud an non inſulſum, & inſignis arrogantiæ, quòd cùm de rebus vſqueadeò incertis loquantur, nihil tamen ita proponunt, quaſi conſecturis ducantur: verùm ſupra modum contendunt, neque vllum vincendi locum aliis relinquunt: tantùm non iureiurando confirmãtes, Solem maſſam eſſe candefactam: incoli Lunã: ſtellas aquam potare, ſídq; Sole veluti ſitula quadam per funem demiſſa vaporem è mari attrahente, atque illis omnibus ordine potum diſtribuente. Nam quanta ſit in dictis pugnantia, id haud difficile fuerit cognoſcere. Iam mihi ſpecta per Iouem, num illorum decreta inter ſe conſentiant, ac non magis longiſsimis diſsita interuallis: quandoquidẽ primùm de ipſo Mundo varia eſt ſententia: cùm aliis & ingenitus, & nunquam interiturus eſſe videatur: rurſum alii & opificẽ illius, & fabricandi modũ eloqui ſint auſi. Quos equidẽ cum primis admirabar: propterea quòd cùm Deum quendam rerum omnium opificem præpoſuiſſent, non illud etiam adderent, vel vnde is eſſet profectus, aut vbi loci conſiſteret, cùm omnia fabricaretur. Nam ante vniuerſi exortum

De cælo & rebus ſublimibus.

De Mũdo.

ortum non poſsîs vel tempus vel loeũ imaginari. AMIC. Prorſus audaces quoſdam Menippe homines, ac prodigiorũ authores mihi narras. MENIP. Quid autem ſi iam audias, vir optime, quæ diſſerant & de ideis, & de incorporeis, tum quæ de finito & infinito nugantur? Nam & his de rebus acriter inter ſe digladiãtur, dum alii fine circunſcribunt vniuerſum: alii contrà finem illud neſcire exiſtimant. Quin inſuper quidam ex iſtis complures eſſe Mundos demonſtrabant, damnantes eos qui de hoc velut vno quopiam illorũ diſputarent. Rurſum alius, neſcio quis vir, haudquaquã amicus paci, bellum rerũ omnium parentem eſſe cenſebat. Nam de diis quid iam attinet loqui? cùm his Deus eſſet numerus: illi rurſus per canes & anſeres aeplatanos deierarẽt: déinde alii reliquis omnibus diis expulſis, vni ſoli rerum omnium imperium tribuebant: ita vt mecum etiam animo diſcruciarer, cùm tantã audirem deorum inopiam. E diuerſo alii liberaliores, multos deos faciebant: ac diſſectis illis, hunc aliquem primum deum appellabant: his ſecundas aut tertias diuinitatis partes tribuebant. Ad hæc alii incorporeum quiddam & informe putabãt eſſe numen, alii corpus eſſe imaginabantur. Déinde non omnes erant in hac opinione, vt putarent diis eſſe curæ res mortalium: verùm erant nonnulli, qui eos omni cura liberantes, haud aliter atq; nos conſueuimus ætate defectos à miniſteriis dimittere: nihilò aliuſmodi eos inducunt, quàm cuiuſmodi in comœdiis induci ſolent ſatellitia. Iam alii ſuperantes hæc omnia, ne eſſe quidem vllos omnino deos credebant: ſed Mundum nullo domino, nullóq; duce temerè ferri ſinebant. Atqui cùm hæc audiebam, verebar non habere fidem viris altifremis, ac probè barbatis: neq; tamen inueniebam ad cuius dicta me verterem, vt aliquam illorum ſentẽtiam nanciſcerer irreprehenſam, ac nequaquam ab alio ſubuerſam. Itaq; planè tandem Homericum illud mihi vſu veniebat. Nam ſæpenumero animus incitabat, vt huic alicui illorum crederem, ſed me mens diuerſa vetabat. In quibus omnibus cùm perplexus hæſitarem, deſperabam futurum vt ſuper his verum aliquid in terris audirẽ: cæterùm vnica tantùm via, vniuerſa dubitatione liberari poſſe, ſi ipſe alis aliqua ratione additis, in cælum aſcenderem. Eius rei conficiendæ ſpem mihi præbuit primũ ipſa cupiditas: déinde fabularũ ſcriptor Aeſopus: qui aquilis ac ſcarabeis, interdum & camelis cælũ adiri potuiſſe demonſtrat. Verùm vt mihi ipſi alæ prouenirẽt alí quando, id nulla ratione fieri poſſe videbatur: cæterùm ſi vulturis aut aquilæ alas induiſſem, (nam has ſolas ſufficere ad humani corporis modum) futurum forſitan vt mihi ſuccederet experientia. Itaque correptis auibus, alteri dextram alam, porrò vulturi ſiniſtram amputaui: ſdq; admodum ſcitè. Déinde quum obligaſſem, humeríſque loris validis accommodaſſem, tum ſummis pennis anſas quaſdam manibus inſerendis addidiſſem, mei ipſius periculum faciebam, primùm ſubſiliens, ac manibus interim ſubſeruiẽs, & anſerum exemplo paulùm adhuc à terra volatu me ſuſtollens, inter volandũ ſummis interim pedibus ingrediens. Poſtea quum res ex animi ſententia ſuccederet, iam audacius etiam experimentum aggrediebar: conſcenſáque arce demiſi me ipſum per præceps, atque inde in ipſum ferebar theatrum. Mox vbi nullo periculo deuolaſſem, ſublimia iam & ardua cogitare cœpi, ac tollens me à Parnetho ſiue Hymetto, ad Geranſam vſq; volabam. Rurſum inde ad Acrocorinthum ſubuolaui: déinde ſupra Pholoen & Erymanthũ ad Taygetum vſque. Ergo quum tandem audax facinus ſatis eſſem meditatus, iámq; perfectus & altiuolus euaſiſſem, non amplius de pullis imitandis cogitabam: verùm conſcenſo Olympo, cibo quàm leuiſsimo paſtus, inde rectà in cælum tendere cœpi: initiò quidem oborta oculorum vertigine ob profunditatem: & poſteà ferebam & hoc quoque facilé. Verùm vbi iam ipſi Lunæ vicinus eſſem, plurimúmq; nubium eſſem emenſus: ſentiebam me defatigatũ, maximè in ala ſiniſtra, nempe vulturina. Hue igitur diuerti, ac ſuper eam inſidens requieſcebã: in terram interim è ſublimi reſpiciẽs, neq; ſecus quàm Homericus ille Iupiter, nunc bellacium Thraeũ regionẽ deſpiciens, nunc Myſorũ, mox (ſi libuiſſet) Greciã, Perſidem, Indiámque: ex quibus omnibus varia quadã voluptate perfundebar. AMIC. Ergo iſta quoq; narrabis Menippe, ne vlla prorſus peregrinationis parte fraudemur: quin potius ſi quid obiter in itinere conſpexiſti, fac vt hoc quoque ſciamus. Nam ego ſanè haud mediocria dicturũ te expecto, de terræ forma, déque omnibus quæ in terra ſunt, cuiuſmodi tibi viſa ſunt ex alto contemplanti. MENIP. At tu quidem rectè coniectas amice. Quamobrem quatenus licet, conſcenſa Luna inter narrandũ peregrinanti comes eſto, ſimúlq; mecum contemplare totã terræ ſpeciem, habitúmq;. Atque initiò quidem admodũ puſillam quandam terram mihi videre videbar, multò, inquam, Luna minorem: ita vt ego repentè intentis oculis diu dubitarem vbínam eſſent tanti illi montes, ac tantum mare. Quòd ni Rhodiorum coloſſum conſpexiſſem, tum Phariam turrim, haud dubiè prorſus vbínã eſſet terra, me prorſus latuiſſet: verùm iſta quòd ſint ſublimia, præque cæteris eminentia, prætereà oceanus paulatim ad ſolem reſplendeſcens, indicabant terram eſſe id quod videbam. Mox vbi fixius intenderem oculos, iam mihi omnis mortalium vita cœpit eſſe conſpicua, non ſolùm ſingulæ nationes atque vrbes: ſed planè videbam nauigantes, bellantes, agricolantes, litigantes, mulieres, feras, &, vt ſummatim dicam, quicquid tellus educat alma. AMI. Iſta quæ nũc dicis, haudquaquã ſunt veriſimilia, ac ſecũ pugnantia. Etenim quũ paulò antè Menippe terrã requireres, propter ingens in medio interuallũ in arctũ contractam, adeò vt niſi coloſſus tibi feciſſet indicium, forſitan aliud quiddã videre te credidiſſes: quî repentè factus Lynceus, cuncta quæ ſunt in terra, dignoſcis, homines, feras, ac propémodum etiam culicum nidos? MENIPP. Rectè tu quidem admones; nam quod maximè dictum oportuit, id neſcio quomodo præterii. Si-

De Deo.

De diuina prouidentia.

quidem

quidem quum ipſam quidem terram cõſpectam agnoſcerem, cæterùm reliqua non poſſem perſpicere propter altitudinem, nimirum iam non pertingente oculorũ acie: grauiter ea res me diſcruciabat, ac vehementer perplexum habebat. Ego quum ad hunc modum eſſem ſolicitus, ac propémodum etiam lacrymarer: adeſt à tergo ſapiens ille Empedocles, ea ſpecie, vt carbonariũ quempiam eſſe diceres, cinere oppletus, atq; exuſtus. Hunc ego quum vidiſſem (dicendum eſt enim) nonnihil perturbabar, ratus dæmonem aliquem lunarem videre me. At ille, Bono, inquit, es animo Menippe:

Nullum ego ſum numen: quid me immortalibus æquas?

Sum Empedocles ille phyſicus: etenim vbi me præcipitem in crateras iecciſſem, fumus ab Aetna raptum huc ſubuexit. Itaq; nunc Lunam incolo, aeriuagus plerunq;: ac rore victito. Adſum autem hæſitantiam iſtam tibi adempturus: nam illud (ni fallor) malè te habet, torquétque, quòd non liceat tibi perſpicuè terrã cernere. Bene abs te factũ eſt, inquam, optime Empedocles: vbi primùm deuolaro rurſus in Græciã, tui memor ſacrificabo tibi in fumario: atq; in Nouiluniis ter ad Lunam inhians vota faciam. Imò per Endymionem, inquit ille, haud huc acceſsi præmii gratia, ſed affectio quædam mouit animum meum, quũ te viderem affectũ moleſtia: verùm ſcis quid facies, quò perſpicax fias? Non per Iouem, inquam, niſi tu mihi forſitan caligine amoueas ab oculis: nam in præſentia videor nõ mediocriter lippire. Atqui me, inquit ille, nihil erit opus. Etenim vt acutè videas, id ipſe tecum è terra allatum habes penes te. Quid igitur eſt iſtud? inquam, neq; enim noui. An ignoras, inquit, te dextram aquilæ alam indutũ eſſe? Scio, inquã, maximè, ſed quid alæ cũ oculo? Quoniã, inquit, aquila inter animantia cętera acutiſsimi viſus eſt: vnde ſola ſolé aduerſum obtuetur: atq; ita demũ eſt rex & ingenua aquila, ſi non conniuentibus oculis aduerſos radios aſpiciat. Ita quidem aiunt, inquã: quare iam me pœnitet, qui nõ meis exemptis oculis aquilinos inſeruerim cùm huc aſcenderem. Nam nunc ſanè dimidiatus aduenio, neq; omni ex parte ſatis regaliter adornatus, quin magis adſimilis videor nothis iſtis & abdicatis. Attamen in te eſt, inquit, vt protinus alterum oculum regalem habeas. Etenim ſi aſſurges, velíſque cohibita vulturis ala, alteram ſolam mouere, iuxta proportionem alæ dextro oculo cernes acutè: quò minùs altero cæcutias, nulla ratione ſuccurri poteſt, propterea quòd ad partem pertineat deteriorem. Mihi, inquam, ſatis eſt ſi vel dextra ex parte aquilino more cernam. Nihilò enim fuerit deterius, cùm mihi nõ rarò vidiſſe videar fabros altero oculo melius etiam ad regulã exæquantes ligna. Hæc locutus, ſimul ea faciebã quę præceperat Empedocles. Ille interim paulatim ſubducens ſeſe, ſenſim in fumum euanuit. At ſimul atq; mouiſſem alam, ingens lumen mihi circunfulſit, adeò vt cuncta fierent in conſpicuo, quæ hactenus latuerant. Deflexis igitur in terram oculis, clarè videbam & vrbes, & homines, & quæ fiebant: neq; ſolùm ea quæ ſub dio, verùm etiam quæ domi faciebant, rati ſeſe à nemine videri. Ptolemæũ vidi cum ſorore rem habentem, Lyſimacho ſtruentem inſidias filium, Antiochum Seleuci filium nouercæ Stratonicæ clanculum innuentem, Theſſalum Alexandrũ ab vxore tolli è medio, Antigonum filii vxorẽ adulterio ſtuprantem, Attalo venenũ porrigentem filium. Rurſum ex altera parte Arſacem interficientem mulierculam, & Arbacem eunuchum gladiũ educentem in Arſacem. Porrò Spartinus Medus è conuiuio foras protrahebatur à ſatellitibus, calice aureo in frontẽ impacto. Atq; his fermè cõſimilia tum in Libya, tum apud Scythas ac Thraces in regiis geri licebat cernere, nempe adulterãtes, occidentes, inſidiantes, rapientes, peierantes, trepidantes, nõnullos ab intimis amicis prodi. Ac regum quidem negotia huiuſmodi mihi ſpectaculum exhibebant. Cęterùm quę factitabant plebeii, longè magis erant ridicula. Siquidem inter hos videbam Hermodorũ Epicureum ob mille nummũm peieratem, Agathoclem Stoicum de mercede diſcipulum in ius vocantem, Cliniam rhetorem ex Aeſculapii fano phialam auream ſuffurantem, Herophilum Cynicũ in fornice dormientẽ. Quid enim alios cõmemorem, qui parietes perfoderent, qui lites agitabant, qui fœnerabãt, qui reposcerent? Nam variũ quoddam & vndiq; miſtum erat ſpectaculũ. AMI. Atqui rectè facies Menippe, ſi iſta quoq; retuleris. Conſentaneũ eſt enim te ex his non vulgarem cepiſſe voluptatẽ. MENIP. Ne fieri quidem poteſt amice, vt cuncta ordine recenſeam, quum ſpectare modò iſta fuerit difficillimum: verùm rerum faſtigia eiuſmodi fermè videbantur, qualia refert Homerus in clypeo, vbi erant conuiuia, nuptiæq;, altera ex parte iudicia, & conciones: rurſum alia ex parte ſacrificabat quiſpiam, in proximo verò conſpiciebatur aliquis luctum agens. Porrò quum ad Geticam reſpicerem, videbam belligerantes Getas. Rurſum vbi ad Scythas deflectẽ, cernere erat errantes in plauſtris. Mox vbi paululum in diuerſam partem deflexiſſem oculum, ſpectabã agricolantes Aegyptios. Phœnix ſcortabatur, Cilix latrocinabatur, Lacon loris cædebatur, Athenienſis cauſas agebat. Hæc omnia quum eodem tempore gererentur, cogita nunc cuiuſmodi viſa fuerit rerum confuſio. Non aliter quàm ſi quis producat multos ſaltatores, vel potiùs multas choreas: déinde præcipiat vt omiſſo concentu propriam quiſq; cantionem canat. Déinde ſi certatim canat vnuſquiſque, & peculiarem ſuum cantum abſoluere ſtudeat, vociſque magnitudine vicinum ſuperare contendat: cogita tecum per Iouem, cuiuſmodi futurus ſit eiuſmodi cantus. AMIC. Modis omnibus Menippe ridiculus ac confuſaneus. MENIPP. Atqui, Amice, hoc genus ſunt omnes qui in terris choreas agunt, omníſque mortalium vita ex huiuſmodi conſtat diſcrepantia: quippe qui non modò ſonent abſona, verùm & ornatu ſint diſsimili, diuerſaq; moueant, neque quicquam idem cogitent, donec choragus omnes è ſcena exigat, negans diutius

Regũ vita & mores.

Plebeiorũ res ac ſtudia.

Gentiũ vitia & proprietates.

tius choreas ducere oportere. Id vbi factum eſt, iam omnes ſunt inter ſe ſimiles, taciti, nec amplius confuſam illam & incompoſitam canentes cantionem. Verùm in vario ipſo ac multiformi theatro videlicet ridicula erant quæ gerebantur omnia: præcipuè verò mihi riſum mouebant ii, qui de agrorum finibus contẽdebãt, quíque ſibi placerent hoc nomine, quòd Sicyonium agrum colerent, aut quòd Marathonis eam partẽ haberent, quæ eſt iuxta Oenoën, aut quòd in Acarnania iugerûm mille poſsiderent: cùm vniuerſa Græcia, quemadmodum id temporis mihi è ſublimi deſpicienti videbatur, quatuor digitorum ſpatium habere videretur. Attica, niſi fallor, pro portione minima pars erat. Itaq; perſpexi quid eſſet reliquum quod diuitibus iſtis animos tolleret. Etenim is qui inter hos quàm plurimum agri poſsidebat, vix vnã ex Epicureis atomis colere mihi videbatur. Cęterùm vbi ad Peloponneſum flexiſſem oculos, deinde terram Cynoſuræ ſubiectam aſpexiſſem, veniebat in mentem, pro quantula regione, quæ nihilò eſſet latior lente Aegyptia, tam ingens Argiuorum ac Lacedæmoniorum multitudo cecidiſſet vno die. Porrò ſi quem cõſpexiſſem auro ſuperbientẽ, quòd annulos haberet octo, phialas quatuor, magnopere ridebam & hunc. Nam Pangæum vniuerſum vnà cum ipſis metallis, vix erat magnitudine mea micæ. AMIC. Ô te felicem Menippe, qui tam nouum ſpectaris ſpectaculum. Sed age dic mihi per Iouem, ciuitates, atq; homines ipſi, quanti videbantur ex altò contemplanti? MENIP. Equidem arbitror te ſæpenumero formicarum concionẽ vidiſſe, aliquas in orbem obambulantes, nonnullas exeuntes, rurſum has in ciuitatem redeuntes. Atque hæc quidem ſimum exportat, hæc alicunde raptam fabæ tunicam, aut dimidiatum frumenti granum currens apportat. Conſentaneum eſt autem pro ratione vitę formicarũ, eſſe apud illas & ædium fabros, & concionatores, & magiſtratus, & muſicos, & philoſophos. Sed vrbes ſanè cum ipſis viris, formicarum nidis maximè videbantur aſsimiles. Quòd ſi tibi videtur humilius exemplum, viros cum formicarum republica conferre, vetuſtas Theſſalorum fabulas ſpecta. Reperies enim Myrmidonas, gentem bellicoſiſsimam, è formicis viros natos eſſe. Iam poſteaquã ſatis ſpectaſſem omnia, ſatiſq; riſiſſem, excuſi me ipſum, ſubuolaui Ad reliquos diuos Iouis altitonantis in ædes. Nondum ſtadium aſcenderam, cum Luna, fœminea ſonãs voce, Menippe, inquit, ita tibi contingant quæ optas: inſerui mihi in re quapiam apud Iouem. Dic, inquam. neque enim erit moleſtum, niſi ſi quid oneris ſit portandum. Nuntium, inquit, quendam haud grauem, ac petitionem meo nomine Ioui perferes. Enecor, Menippe, & multa & intoleranda ab iſtis philoſophis audiens, quibus præterea nihil eſt negotii, niſi vt curioſi res meas exquirant, quæ ſim, quanta ſim, & quam ob cauſam diſſecer, dimidiatáque fiam, cúrque vtrinq; gibboſa videar. Tum hi me dicũt inhabitari: illi ſpeculi ritu ſupra mare ſuſpẽſam eſſe. Alii rurſus quod quiſque ſecum excogitarint, hoc mihi tribuunt. Poſtremò ipſum quoque lumen aiunt mihi & furtiuum eſſe, & adulterinum, quódque ſupernè à ſole proficiſcatur: neque finem faciunt, etiam cum hoc qui mihi frater eſt, committere me, & factionem inter nos ſerere conantes: neque ſatis erat illis quæ de ipſo dixerunt ſole, ſaxum eſſe illum, & maſſam candentem. Et tamen quàm multarum rerum illis ſum conſcia, quas noctu patrant turpiſsimas & execrandas, cum inter diu tetrici ſint, & aſpectu virili, habitúque graues, & imperitorum oculos in ſe coniectos habẽtes! Atq; ego cum iſta videam, ſileo tamẽ. Neque enim decorum arbitror, retegere, atque in lucem efferre nocturnas illas diatribas, & quam quiſque in operto viuat vitam. Quinetiam ſi quem conſpicerem adulterantem, aut furantem, aut aliud facinus quàm maximè nocturnum audentem: continuò contracta nube tegebam, ne vulgo oſtenderem viros ſenes ea gerentes, quæ neque barbæ prolixæ, neq; virtutis profeſsioni eſſent decora. At iſtis pro nihilo eſt oratione me diſcerpere, modíſque omnibus contumelia afficere, adeò vt (teſtis eſt mihi nox ipſa) ſæpius in animo habuerim, quàm poſſem hinc longiſſimè demigrare quópiam, vbi liceret curioſam iſtorum linguã effugere. Hæc igitur memineris vt Ioui renunties: ſimúlque illud addas, ne fieri quidẽ poſſe vt hoc in loco durem, niſi phyſicos illos cõminuat: dialecticis os occludat: Stoam demoliatur: Academiam exurat: quæ in Peripato habentur diatribis finem imponat. Siquidem ad hunc denique modum fiet, vt mihi paretur quies, deſinántque me quotidie commetiri. Fient, inquam, quæ mandas. ſimúlque rectà ad ipſum cælum tendebam, Nulli vbi comparent hominúmve boúmve labores. Etenim paulò pòſt ipſa etiã Luna mihi perpuſilla videbatur è ſublimi. Tandem & terram obtexerat. Porrò relicto ad dextram ſole, per ipſas volans ſtellas, tertio die ad cælum perueni. Ac primùm quidem mihi viſum eſt, protinus ita vt eram, introire: ratus facilè fieri poſſe vt fallerem, quippe dimidia mei parte aquila. porrò aquilam ſciebam iam olim eſſe Ioui familiarem. Pòſt apud me perpẽdebã, illos quàm primum depræhenſuros eſſe me, qui alteram alam vulturinã indutus eſſem. Quapropter optimum factu ratus, non temere venire in periculum, adiens pulſaui fores. At Mercurius audito pulſu, ac nomen percontatus meum, feſtinatò abiit, Ioui renuntiaturus. Nec multò pòſt introò ſum accerſitus, magnopere pauitans ac tremens. Offendóque Deos omneis pariter conſidentes, nec hos abſque ſolicitudine. Nonnihil enim animos illorum turbabat nouus & inopinatus aduentus meus. Et quantum antea nunquam, expectabant futurũ vt mortales omnes mox aduenirent ad eundem modum alati. Porrò Iupiter admodum terribili vultu toruóque & Titanico me obtuens, inquit: Quíſnam es, & vnde venis? vbínã vrbs tibi, quíve parentes? Hoc vbi audiſſem, propemodum metu ſum exanimatus. Attamen conſtiti ſtupidus, præque vocis magnitudine attonitus. Aliquantò pòſt ad me reuerſus, omnia dilucidè expoſui, ab ipſo exorſus capite, quẽadmodum concupiſſem ſublimia illa cognoſcere: quemadmodum acceſsiſſem ad philoſophos: quemadmodum pugnantia loquentes audiſſem: quẽadmodum deſperaſſem diſtractus illorum dictis: deinde meum inuentum, tum alas, reliquáque omnia vſque ad ipſum cælum. Poſt omnia addidi quæ Luna mandarat. Itaque ridens Iupiter exporrectis aliquantum ſupercilíis, Quid dicas, inquit, de Oto & Ephialto, cũ auſus ſit & Menippus

in cælum aſcendere? At in præſentia quidem te ad hoſpitii conſuetudinem inuitamus. Cras, inquit, ſuper his quorum gratia huc aduenisti, dato reſponſo dimittemus. ſimúlq; cum dicto ſurgens, ibat ad eam cæli partem, vnde maximè omnia poterãt exaudiri. Iam enim tẽpus erat vt votis audiendis conſideret. Atque interim inter eundum percontabatur me ſuper his negotiis quę eſſent in terra: ac primùm quidem illa: Quanti nunc vænit triticum in Græcia: Et nũ ſuperior hyems grauiter vos tetigit: Et num holera egent imbre copioſiore. Sub hæc rogabat, nunquis adhuc ſupereſſet è Phidię genere: Et quam ob cauſam Athenienſes tot annos Iouialia intermiſiſſent: Et num in animo haberẽt Olympium ſuum abſoluere: Et num eſſent compræhẽſi qui templum Dodonæum ſacrilegio ſpoliaſſent. Ad ea cum reſpondiſſem: Dic mihi (inquit) Menippe, de me verò quam habent homines opinionem? Quam, inquam, ô here, niſi maximè piam? nimirum omnium Deorum regem eſſe te. Ludis tu quidẽ, inquit. Cæterùm ego contẽtionem illorum probè noui, etiam ſi nihil fateare. Siquidem fuit olim tempus, cum illis & vates eſſe viderer, & medicus. In ſumma, vnus eram omnia. Tum Iouis plenæ erant & viæ omnes, ſimul & mortaliũ conciones. Piſa ac Dodona ſplendidæ erant, ac conſpiciendæ omnibus. Porrò præ fumo ſacrorum nec attollere oculos mihi licebat. Verùm poſteaquam Apollo apud Delphos conſtituit oraculum, Aeſculapius medicinæ officinã Pergami, ſimul atque Bendidíum natum eſt in Thracia, Anubis templum in Aegypto, Dianæ apud Epheſios: ad iſta quidẽ concurrunt omnes, ſolennes conuentus celebrant, Hecatombas offerunt: mihi verò tanquam ætate defecto, abunde magnum honorem habuiſſe ſe putant, ſi ſolido quinquennio ſacrificarint in Olympia. Proinde videas aras meas frigidiores, quàm ſint vel Platonis leges, vel Chryſippi ſyllogiſmi. Huiuſmodi quæpiã confabulati, in eum peruenimus locũ, vbi conſeſſurus erat ad exaudienda vota. Erant autẽ ordine ſitæ feneſtræ, cuiuſmodi ſunt ora puteorum, habentes opercula: iuxta vnamquanque ſella poſita erat aurea. Itaque Iupiter cum ad primã aſſediſſet, detracto operculo præbuit ſeſe petentibus. Optabant autẽ ex omni vndique terra, diuerſa variáque. Nam ipſe quoque admotis pariter auribus ſimul audiebam vota. Erant autem huiuſmodi: O Iupiter, cõtingat mihi regnum. O Iupiter, contingat cepas & allia mihi prouenire. O Iupiter, vtinam pater mihi breui moriatur. Rurſum alius ali quis dicit: Vtinam exiſtam hæres vxoris. Vtinam nemo reſciſcat me ſtruxiſſe inſidias fratri. Contingat mihi vincere litem, coronari Olympia. Porrò ex his qui nauigabant, hic optabat vt ſpiraret Boreas, ille vt Notus. Agricola optabat pluuiam, contrà fullo Solem. At Iupiter audiens, & ſingula vota diligenter expendens, non omnibus pollicebatur, verùm hoc conceſsit Saturnius, abnuit illud. Nam iuxta vota per os feneſtræ ſurſum admittebat, admiſſa ad dextram ſtatuens: rurſus iniqua remittebat irrita, flatu deorſum redigens, ne poſsint ad cælum accedere. Super vno quodam voto videbam illum etiam ambigentem. Etenim cum eſſent duo qui diuerſa peterent, æquales victimas pollicitantes, non inueniebat vtri potius annueret. Itaque iam Academicum illud illi accidebat, vt nihil ſtatuere poſſet: verùm exẽplo Pyrrhonis ſuſpenſus hærebat etiam ac conſiderabat. Porrò quum iam ſatis vota proponẽtibus dediſſet operam, ad proximam digreſſus ſellam, & ad ſecundam feneſtram, prono capite fœdera ferientibus ac iurantibus dabat operam. Vbi his quoque reſponſum eſſet, ac Hermodorũ Epicureum fulmine comminuiſſet, ad proximam deinde ſellam ſeſe tranſtulit, de diuinationibus omnibus & auguriis auditurus. Hinc ad ſacrificiorũ feneſtram tranſiit, per quã fumus aſcendens, denuntiabat Ioui nomen vniuſcuiuſque qui rem diuinã faceret. Rurſum omiſsis his, ventis & horis mandabat quæ face re deberent. Hodie apud Scythas pluito, apud Libyes fulgurato, apud Græcos ningito. At tu Borea ſpira in Lydia. Tu Note quieſce. Zephyrus Adriani vndas concitet. Tum in Cappadociam grandinis mille modii diſpergantur. Tandem omnibus ferme ordinatis, diſcedebamus in eum locum vbi compotant Dii. Iam enim cœnæ tempus erat: méque Mercurius arreptum iuſsit accumbere iuxta Panem & Corybantes, & Attin ac Sabaziũ, inquilinos iſtos & ancipites Deos. Interea panem exhibebat Ceres, Bacchus vinum, Hercules carnes, myrtum Venus, Neptunus Mænides. Simul interim & ambroſiam & nectar furtim deguſtabã. Nã optimus ille Ganymedes, vt eſt hominũ amans, ſi quando conſpexiſſet Iouem auertere oculos, nectaris cyathum vnum, nonnũquam etiam duos mihi infundebat. Dii verò, quemadmodum alicubi dixit Homerus, & ipſe opinor, vt ego illhic cõſpicatus, neque frumentũ edũt, neque potant nigrantia vina: verùm ambroſiam apponunt, & nectare inebriantur: præcipuè verò gaudent veſci ſacrificiorum fumo, vnà cum ipſo nidore ſubuolãte: ad hæc ſanguine victimarum, quem ſacrificantes aris infundunt. Cæterùm inter cœnandũ & Apollo cithara canebat, & Silenus Cordacem ſaltabat, & Muſę ſurgentes in medium, tum Heſiodi Theogonias nobis canebant, tum primam ex Pindaricis hymnis odam: deinde omniũ ſaturi requieuimus quo quiſq; federamus loco, ſatis vuidi potu.

At reliqui noctẽ diuíque hominéſq; per omnem Dormibãt, me nequaquam ſopor altus habebat: verùm mecum animo verſabam cum alia permulta, tum illa præcipuè, quî fieret vt Apollini tanto iam tempore nõ proueniret barba, aut quo pacto naſceretur nix in cælo, quum ſol ſemper adeſſet, vnáque conuiuium agitaret. Ac tum quidẽ puſillum obdormii: mane verò ſurgens Iupiter, iuſsit indici concionem. mox quum adeſſent omnes, ſic farier infit: Vti vos conuocarem, in cauſa fuit hoſpes hic, qui heri aduenit. Verùm quum alioqui iam olim mihi fuerit animus cõmunicare vobiſcum de philoſophis, maximéq; verò à Luna, híſque de quibus illa queritur, commotus, ſtatui haudquaquam diutius prorogare conſultationem. Eſt enim hominum genus, quod non ita pridem in vita fluitare cœpit, iners, contentioſum, glorię auidum, iracundum, gulæ ſtudioſum, ſtultum, faſtuoſum, cõtumelioſum, &, vt verbis Homericis dicam, Telluris inutile pondus. Iſti igitur in ſectas diuiſi, ac variis rationum labyrinthis excogitatis, alii ſeſe Stoicos appellant, Academicos alii, alii Epicureos, alii Peripateticos, aliis item vocabulis his multò magis ridiculis. Deinde vbi venerandum

Vota mortalium.

Cõtra philoſophos.

dum illud virtutis nomen induerint, tum adductis in altũ ſuperciliis, promiſſaq; barba, fucato habitu obambulant, deteſtandos mores ſecum circunferentes, ſimillimi nimirum iſtis Tragœdiarum hiſtrionibus, quibus ſi perſonas ſtolámq; illam auro ſparſam detraxeris, quod ſupereſt, id ridiculum eſt, nempe homunculus ſeptem denariis ad agonẽ conductus. Atqui huiuſmodi cum ſint, mortales quidem vniuerſos aſpernãtur, de diis verò abſurda prædicant, contractiſque cœtibus adoleſcentulorum (quos nihil negotii ſit fallere) nobilem illam virtutem oſtentant, & verborum ambiguitates docent, atque apud diſcipulos temperantiam ſemper ac modeſtiam laudant, opes ac voluptatem execrantur. Cæterùm vbi ſoli & apud ſeſe eſſe cœperint, quid attinet dicere quantopere ſeſe ingurgitẽt, quàm immodici ſint ad venerem, quemadmodum autem etiam aſsium ſordes oblingant? Iam illud eſt omnium grauiſsimum, quòd cum ipſi nihil agant, neque publicum, neque priuatum, ſed inutiles ac ſuperuacanei deſideãt: nuſquam in conſiliis, nuſquam numerentur in armis: tamen reliquos accuſant, ac virulenta quædam dicta congerentes, neque non maledicta quædam meditati, obiurgant, proximíſque conuiciantur, adeò vt is inter hos primas tenere videatur, qui clamoſiſsimus ſit, & impudentiſsimus, & ad maledicendum audaciſsimus. At ſanè ſi quis iſtum ſine fine iſta facientem, vociferantem, & cæteros incuſantem percontetur ad hunc modum: Tu verò quid tandem facis? aut, quid per Deos dicemus te ad vitam conferre? nimirum reſpondebit, ſi modò recta veráque fateri volet, hoc modo: Nauigare quidem, aut agros colere, aut militare, aut artem aliquam aggredi, ſuperuacaneum mihi videtur: cæterùm clamo, ſqualleo, frigida lauo, incalceatus per hyemem obambulo: ac veluti Momus ille, quæ ab aliis geruntur, calũnior: ac ſi quis diuitũ ſumptuoſius obſonarit, aut amicam habeat, id exquiro, atque indignor. Quòd ſi amicorum quiſpiam aut ſodalium morbo decũbat, curáque & obſequio egeat, id ignoro. Hoc genus ſunt nobis, ô dii, hæ pecudes. Iam verò qui ex his vocantur Epicurei, vehementer ſunt etiam contumelioſi, neque mediocriter nos mordent, affirmãtes neque diis eſſe curæ res mortalium, neque omnino conſiperari à nobis quid apud illos agatur. Quas ob res tempus eſt vt de his conſultemus: propterea quòd ſi ſemel valeãt hæc perſuadere iis qui ſunt in vita, nõ mediocriter eſurietis. Quis enim pòſt vobis rem diuinam faciat, cum nihil inde expectet emolumenti? Nam de quibus Luna hos accuſat, omnes audiſtis heri narrantem hoſpitem. Super his conſultate, quę pariter & hominibus ſint quàm vtiliſsima, & nobis quàm minimè periculoſa. Hæc locuto Ioue, frequens affremebat concio: mox clamatum eſt ab omnibus: effulmina, exure, comminue in barathrum, in tartarum, vti Gigantes. At Iupiter rurſum indicto ſilentio, Fient iſta, inquit, quẽadmodum vultis. Omnes cõminuẽtur cum ipſa ſua dialectica. Quanquã in præſentia ſanè fas non eſt punire quenquam. Eſt enim Hieromenia, ſicuti noſtis, quatuor hos menſes: iámque inducias promulgaui. Itaque proximo anno ineunte vere mali malè perdentur formidando fulmine. Sic ait, atque ſuperciliis pater annuit atris. Porrò de Menippo hæc mihi videntur, inquit, vt ademptis illi alis, nequãdo denuò redeat, à Mercurio deferatur hodie in terram. Hæc locutus dimiſit cœtum. Me verò Cyllenius dextra aure ſuſpenſum, heri circiter veſperam depoſuit in Ceramico. Audiſti omnia, omnia, inquã, amice, quæ è cælo mecum affero. Quare abeo iam eadem hæc renunciaturus philoſophis in Pœcila inambulãtibus.

BIS ACCVSATVS, SEV FORA,

Iac. Micyllo interprete.

Argvmentvm.

Et hic Dialogus maxima ex parte cõtra philoſophos, idque nominatim etiam inſtitutus eſt. Introducit enim iudicio inter ſe contendentes. primò Academiã & ebrietatem pro Polemone philoſopho, actione fugæ, quòd is cum antea per omnem ætatem ebrietati ac crapulæ deditus fuiſſet, audito fortè quodam Xenocrate, ſubitò relictis priore vita ac habitu, ad frugem redierit, ac philoſophari cœperit. Secundò Stoam & voluptatem pro Dionyſio Heraclienſi, iniuriarum: quoniam hic ab initio Stoicam profeſsionem ſecutus, mox cum morbo quodam correptus, ἀναδείαν iſtam quam Stoici docent, cum corpore ac valetudinis affectione pugnare videret, eámque præſtare nõ poſſet, ad Epicureos defecerat. Tertio mollitiẽ & virtutem pro Ariſtippo, conſimili actione. Nam & hic cum ab initio Socratis auditor & virtutis ſectator extitiſſet, poſtea voluptatem vt finem bonorũ aſſerere cœpit. Quarto menſariam Diogeni Cynico actionem fugæ intendentem, quoniã hic cùm à principio quæſtũ patrũ ſecutus, pro menſario ſeſe geſſiſſet, poſtea cum ob adulteratam monetam ſolum vertere coactus fuiſſet, Athenas venit, & philoſophiam ſectari cœpit. Quintò pictoriã artem, Pyrrhonem vt deſertorem accuſantem, quòd ab initio pictor fuerat, poſtea autẽ relicta ea arte ad philoſophiam ſeſe contulerat. Videtur autem velle Lucianus oſtendere & quàm ipſi homines abiecti ac viles, quidam autem etiam perditi per ſe fuerint, qui apud alios de virtute ac ſummis rebus philoſophari, & foris ſapientiæ titulo gloriari ſoliti ſint: & quàm à malis, interdum etiam turpibus principijs & cauſis, ad tãtarum rerum profeſsionem proſiluerint, cum alium videlicet ex ebrio ſubitò Academicum factum, alium ex impoſtore Cynicum, alium autem etiam ex propria affectione bonorum finem & virtutis naturam æſtimaſſe oſtendit. Poſtremò autem & ſe ipſum à Rhetorica & à Dialogo reũ fieri fingit: ab illa, quòd ea à qua plurimum adiutus & nobilitatus fuerat, deſerta, ad Dialogum tranſierit. ab hoc autem, quòd veterem eius characterem & modum egreſſus, iocoſa & comica argumẽta, contra vetus Platonis exemplum, tractare cœperit. Quo iterum videtur & ſtudiorum ſuorum & inſtituti rationem quandam exponere voluiſſe, & pariter illis reſpondere quoque, qui ob ſcribendi genus, & dictionis nouitatẽ, ipſum fortaſsis nonnihil corripuerant, quemadmodum & ſuprà in Prometheo fecit. Ab exordio autem longam querelam Iouis de curis & officijs deorum præmittit, qua occaſionem inſtituto dramati quærit, & quaſi quandam viam ad futuram actionem ſternit. Deinde & alteram Iuſtitiæ, quæ ſe in terras iterum à Ioue ad præſidendum iudicijs videlicet demitti grauatur. Vbi in genere quoque philoſophorum initia ſiue creationes, & contentioſas atque clamoſas diſputationes perſequitur, adhibita ad hoc Panos perſona, vtpote literioris

Dei, & ipſam rem, vt eſt, παχυμερέστερον etiam narrantis. Titulus alter ab eo qui bis, hoc eſt, à rhetorica, & à Dialogo, accuſatur ſumptus eſt, alter à toto argumento.

Iupiter, Mercurius, Iuſtitia, Pan, Atheniēſis, Alius, & Alius, Academia, Stoa, Epicurus, Virtus, Mollities, Diogenes, Rhetorice, Syrus, Dialogus.

IVPITER.

AT malè pereant, quicunq; philoſophorum apud ſolos Deos felicitatem eſſe dicunt. Quòd ſi igitur noſſent quàm multa nos hominum cauſa patiamur, haudquaquam nos ob nectar aut ambroſiam beatos prædicarent, Homero videlicet credentes, homini cæco, & præſtigiatori, beatos vocitanti nos, & ea quæ in cælis geruntur, exponēti: cum ipſe ne illa quidem quæ in terris fiunt, aſpicere potuerit. Iam primum certè Sol quidem hic iuncto curru totam diem cælū circumuagatur, indutus igne, & reſplendens radiis, ne tantum quidem otii habens, quantum ad ſcalpēdam aurem, ceu dici ſolet, ſufficiat. Nam ſi vel paululum ceſſauerit inſciens, arreptis habenis equi, & à via tranſuerſe euntes, omnia miſcere incendiis ſolent. Luna. Luna autem inſomnis & ipſa circumit, lumen exhibens iis qui nocturnis comeſſationibus atque laſciuiis indulgent, quíque prę̄ter tēpus à cœnis domum redeūt. Apollo. Rurſus autem & Apollo negotioſam quandam artem profeſſus, parum abeſt quin totis abſurdeſcat auribus, tanta illi multitudine quotidie obſtrepente, atque oracula efflagitante. Ac nunc quidem in Delphis illi eſſe neceſſe eſt, paulò autē pòſt Colophonem currendo petit. Inde & Xanthum tranſit, & curſu poſtea in Clarum abit, deinde verò etiam in Delum, vel ad Branchidas. Et in ſumma, vbicūque ſacerdos oraculorū interpres, poſtquam de ſacro latice biberit, & laurum commanderit, ac tripodem impulerit, adeſſe iubet, impigrum ac ſtrenuum quàm primū aſsiſtere neceſſe eſt, connectentem oracula, vel intercidere artis huius gloriam ſibi pati. Nolo enim dicere quàm multa, experiendæ arti, & probādorum vaticiniorū cauſa, inſidioſe quidam contra ipſum machinantur, dum carnes agninas teſtudineſque vno & eodem vaſe coctas illi apponunt: vt niſi naſum acrem & acutum haberet, abiiſſet eo etiam deriſo Lydus ille. Nam Aeſculapius quidem, cum ab ægrotantibus quotidie vexetur, & tractetur graue, & tractat iniucunda, alieníſque ex malis proprias ſibi contrahit moleſtias. Quid enim Ventos dicam plantas fouentes, & promouentes nauigia, iiſque qui frumenta ventilant, ac paleas ſecernunt, aſpirantes? Aut Somnum, ad omnes volantem? aut etiam Inſomnium vnà cum Somno pernoctans, ac veluti interpretem quendam illius ſe gerens? Omnia enim hæc humanitate ac beneuolentia quadā erga mortales dii operantur, & ad vitam in terris agendam ſingulis contribuūt. Ac cæterorum quidem negotia adhuc mediocria. Ego verò ipſe, omniū ille rex ac pater, quàm multas moleſtias ſuſtineo? quàm multa autem negotia habeo, tot ac tantis curis diſtractus? Cui principiò quidem neceſſe eſt cæterorum Deorum opera inſpicere, quicunque aliquid commune in adminiſtrando imperio nobiſcum agunt, ne deſides ſint, & ad res obeundas torpeſcant: deinde verò ſeorſim ac per me ipſum innumerabilia quædam peragere, eáque quæ propè incomprehenſibilia & inacceſſa ſint præ tenuitate ſua. Non enim ſolùm generalibus illis adminiſtrationibus, pluuiis videlicet, grādinibus, ventis & fulguribus adminiſtratis, ceu curarum parte ſubleuato quieſcere mihi licet, ſed oportet me & hæc quidem facere, & præterea autem aſpicere eodem tempore in omnes partes, omníaque contemplari, nō ſecus atque illum in Nemea bubulcum, furantes, peierantes, ſacrificantes, ſi quis libauit, vnde nidor ac fumus aſcendat, quā[illegible]am ægrotans aut naiuigans inuocarit, & quod omnium acerbiſsimū eſt, vno eodémque tempore in Olympia Hecatombæ adeſſe, in Babylone belligerantes intueri, in Getis grandinare, & in Aethiopibus conuiuari. Et tamen querelas ac reprehenſionem ne ſic quidem euitare facile eſt, ſed ſæpenumero dii quidem cæteri, atque hominum populus cauda criſtatus equina, dormiūt totam per noctem: me verò Iouem videlicet placidus ſopor haud tenet vnquam. Nam ſicubi vel paululum nictauerimus, verus illico Epicurus iſte eſt, qui nulla nos prouidentia, ea quæ in terris geruntur, proſpicere affirmat. Atq; adeò periculum hoc haudquaquam contemnendum, ſi homines ei hæc credent, ſed ſine coronis quidem templa nobis ſtabunt, ſine nidore autem plateæ, ſine libamentis cratēres, frigidæque paſsim aræ. Et in ſumma, ſine ſacrificiis ac victimis omnia, multáque fames futura. Proinde veluti nauium gubernatores, ſublimis ſolus in puppi ſtare ſoleo, clauum tenens manibus: atque alii quidem, qui in naui vehuntur, inebriantur ſcilicet, & ſi fors ita ferat, etiam dormiunt: ego verò inſomnis atque ieiunus pro omnibus illis cura exerceor, & ſolicitus ſum mente animóque, ſolo eo nomine honoratus, quòd omnium dominus eſſe videor. Quare lubens equidem interrogarim philoſophos iſtos qui ſolos Deos beatos prædicāt, quando tandem & nectari vacare nos & ambroſiæ putarent, innumerabilibus adeò implicatos negotiis. Ecce enim præ continuis occupationibus quā multas controuerſias intus repoſitas iam olim ſeruamus, ſitu adeò atque araneis iam propè corruptas, præcipuéque eas quas ſcientiæ atque artes aduerſus homines quoſdam habent, admodum antiquas illarum nonnullas. Illi verò vociferantur vndique, & indignantur, ac iuſtitiam inclamant, méque ob tarditatem accuſant & pigritiam: neſcii videlicet quòd haudquaquam negligentia aliqua, iudicia vltra diem extrahi atque differri hæc contingit, ſed præ felicitate ſcilicet iſta, in qua verſari nos credunt. Hoc enim nomine occupationes haſce perpetuas illi vocant. MERCV. Et ipſe, Iupiter, multa huiuſcemodi audiens grauiter ferentes & indignantes illos, dicere tibi non audebam. At poſtquam tu ipſe de his mentionē incœpiſti, eloquar ſané. Valde indignantur, pater, & animo ferunt iniquo, atque etiam manifeſtè quidem profiteri non audent, ſubmurmurant autem apud ſeſe, inclinati & incuruati accuſantes tempus: quos tamen conueniebat iam olim, propriis ſuis viribus cognitis, contentum vnumquenque

Sol

Alludit ad ea quæ de Cræſo ſcribit Herodotus li. 1.

Aeſculapius.

Venti.

Somnus, & Inſomnia.

Iupiter.

que esse rebus iudicatis. IVPIT. Quid igitur videtur Mercuri? Statimne illis forum constituemus, & agendi potestatem dabimus: an vis vt in proximum prorogato termino, diē illis dicamus? MER. Haudquaquam, sed iam agendi copiam faciamus. IVPIT. Ita igitur facias. Tu quidē deuolans proclama quòd forum atque iudicium constituetur, hoc pacto, omnes quotquot actiones atque libellos suos obtulerunt, venire hodie deberē in vicū Martium. Illhic autem iudiciorum quidē præsidem Iustitiam, sortitosque esse ipsis fora secundum rationem, ac litis æstimationem, ex cunctis Atheniensibus. Quòd si quis autem iniustum putauerit factum esse iudicium, eoque sententia grauatum, licere illi prouocanti ad me, dum integro cum iudicio experiri, perinde ac si sententia prorsum lata nō fuisset. Tu verò filia, assidens intus deas venerandas & graues, actiones sorte distribue, & inspice iudicantes. IVSTI. Iterumne in terram vt ejecta ab illis, denuò fugitiua è vita abeam? vbi iniustitiā ferre non potero irruidentem. IVPIT. Bene sanè sperare decet. Omnino enim iam persuaserunt illis philosophi, vt se iniustitiæ anteponant, ac maximè filius ille Sophroniſci, laudato eo quod iustus esset, & velut omnium bonorum maximo comprobato. IVSTI. Proinde & ipsi illi quem dicis, admodum multum profuerūt habiti de me sermones, vt qui traditus Vndecimuiris istis capitalibus, & in carcerē cōiectus, aconitum miser biberit, ne gallo quidem Aesculapio persoluto. In tantum præualuerunt accusatores contra ia de iustitia philosophantes. IVPIT. Peregrina adhuc plerisq; tum philosophia erat, paucique etiamdum philosophabantur: quare meritò ad Anytū & Meletum fora tum inclinabant. At nūc an non vides quantum vbique palliorum & baculorum & perarum? & vt nusquam non barba profunda, & libellus in sinistra? atq; omnes adeò pro re philosophantur. Plena autem & ambulacra, tū matim atque gregatim mutuò sibi obulàm euntium, nemóque prorsum est qui nō virtutis alumnus videri cupiat. Multi igitur relictis artibus, quas anteà exercebant, ad peram prosilientes & pallium, & corpore ad solem ad Aethiopis modū infuscato, subitò & extemporales quidam philosophi ex coriariis aut fabris prodeuntes obambulant: téque ac tuam virtutem collaudāt: vt iuxta prouerbium, citius aliquis in naui cadens ligno destituatur, quàm hic quocunque aspexerit oculus, philosophum desideret. IVST. At verò, Iupiter, hi me territant, dum inter se altercantur, & improbè se gerunt in iis ipsis quæ de me commemorant. Aiunt autem & plurimos eorum in sermone quidem simulare me, re ipsa autē omnino me in ędes quidem intrò admittere, sed manifestè præ se ferre quòd excluſuri me sint, si vnquam ad fores illorum propius accessero. Nam iam olim iniustitiam ab ipsis hospitio acceptam esse. IVPIT. Non omnes, filia, flagitiosi adeò sunt. Et abunde satis est si vel paucos quosdam bonos reperias. Verùm abite iam, vt vel paucæ aliquæ actiones hodie finiātur. MER. Abeamus, Iustitia, rectā versus Sunium, paululum sub Hymetto ad sinistram Parnethis deflectentes, vbi duo illi vertices. Tu enim videris oblita iam olim esse viæ istius. Sed quid fles, atque indignaris? Ne metuas. Non amplius eodem pacto res humanæ se habent, ac mortui sunt omnes illi Scirones, Pityocampte, Busirides, & Phalarides, quos tunc pertimescebas. Nunc autem Sapientia & Academia & Stoa nenecomnia, & vbique te quærunt, & de te disputant, hiantes & expectantes ſicunde ad ipsos iterū deuoles. IVS. Proinde tu mihi verū Mercuri solus dicere poteris (vtpote qui cū ipsis degas plerunq;, & cōuerſeris vnà tū in gymnasiis, tū in foronā & forensis quoq; es, & in concionibus præconē agis) quales tandem sint: & num videar apud ipsos commorari ac permanere posse. MERCV. Per Iouem: iniuste enim equidem agerem, si ad te, sororem vtique meam, non dicerem. Non enim parum vtilitatis ex philosophia percepertunt plerique ipsorum. Nam etiam si nihil aliud, illud saltē consecuti sunt, quòd pudore ac reuerentia habitus, modestiùs paulò delinquunt. Veruntamen & in flagitiosos quosdam ipsorum incides (docet enim, opinor, verum quod est, fateri) nonnullos autem & semidoctos, & propè seruiles. Nam postquam acceptos eos alio colore infecit Philosophia; illi quidem quotquot ad satietatem vsque tincturam imbiberunt, exactè boni probique effecti sunt, nullo alieno colore permissi. Et ad suscipiendam te, tales quàm maximè appositi sunt. Quotquot autē præ veteri squalore atque illuuie, minus altè, quantum medicamenti illius, imbuendi vim habet, intrò receperunt: aliis quidem meliores, sed tamē imperfecti, & semialbi, & quasi compuncti, pardaliúmque modo, quod ad colorem attinet, variegati euasere. Sunt autē etiam qui cum solùm attigerint foris lebetem summo digito, ac fuliginis nōnihil sibi illeuerint, abunde putant & ipsi seſe tinctos denuò esse. Tibi verò certū est quòd cum optimis conuersandum erit. Sed interea dum sermones cedimus, iam appropinquamus Atticæ: quare Sunium quidem ad dexteram relinquamus, ad arcem autem iam hinc declinemus. Ac postquam descendimus, ipsa quidem hic alicubi super vicum sede, ad Pnycen aspiciens, & expectans, donec ea proclamauero quæ à Ioue imperata sunt. Ego verò conscensa arce, faciliùs hoc pacto vniuersos ex alto, & vnde exaudire vocem omnes possint, illos aduocabo. IVST. Ne anteà abieris. Mercuri, quàm dicas quisnā iste sit qui huc accedit, cornutus videlicet ac fistulam habens, & hirsuta crura. MER. Quid ais? an non nosti Pana illum, ex Dionysii ministris omnium maximè Bacchicum? Hic anteà quidem habitabat in Parthenio monte: temporibus autem illis quibus Datis cum classe aduectus est, & Barbari in Marathonem egressi, vltrò atque inuocatus venit Athenienſibus auxilium laturus. Et ex eo spelunca hac sub arce velut præmio eius rei accepta, habitat paulū infra * Pelasgicum, inter aduenas & inquilinos census. Ac nunc quidem, vt verisimile est, ex vicinis nos cōspicatus accedit, salutatos excepturus. PAN. Saluete Mercuri, & tu Iustitia. MER. Et tu. IVST. Et tu vtique ô Pan, Musicorum studiosissime, & saltatorum inter omnes Satyros agillime, Athenis autem & bellicosissime. PAN. Quid autem rei Mercuri est? aut quæ vos huc necessitas appulit? MER. Hæc tibi enarrabit omnia. Ego verò in arcē hinc, & ad præconium

* οὐρὰς Διὰς Erinnyes Athenienſes appellarūt.

Pnyce locus Athenis fuit vbi conciones haberi solebant.

* Locus in arce Athenienſi fuit hoc nomine, cuius & Aristophanes memisnit.

faciẽdum abeo. IVST. Iupiter, ô Pan, demiſerme, vt ſortitò diſtribuerem actiones forenſes. At tibi quo pacto res habẽt Athenis? PAN. In vniuerſum quidẽ haudquaquam pro dignitate apud ipſos ago, ſed multò deterius quàm ſperaram, & hoc, cum tum depulerim tumultũ illum à Barbaris exortum. Sed tamen bis aut ter quotannis aſcendentes, ſegregato ad hoc hirco aliquo roboreo, grauiter ac multum olente, ſacrificant mihi: deinde epulantur carnes illas, me ſpectatore eius veluti teſtem adhibentes, ac tenui quodam honorantes applauſu: quanquam ego nonnihil animo oblectat riſus ipſorum & luſus. IVST. In cæteris verò, ô Pan, ecquid meliores, & ad virtutem intenti magis redditi ſunt à philoſophis? PAN. Quóſnã iſtos dicis philoſophos? tetricos illos, ac triſtes vultu, congregatos paſſim multos, quod ad mentũ ac barbam attinet, nõ diſſimiles mihi, loquaces præterea? IVST. Atque adhũc odum. PAN. Non ſanè intelligo neque quid dicant, neque quæ ſit ſapientia illorum. In montibus enim verſari ego ſoleo, & affectata iſta verba atque vrbana haudquaquam didici, Iuſtitia. Vnde enim in Arcadia ſophiſta vel philoſophus foret? Vſque ad tranſuerſum calamum & fiſtulam doctos ego ſum quod ad cætera attinet, paſtor, & ſaltator, & bellator etiam, ſi opus ſit. Sed tamen audio certè illos aſſiduè vociferantes, ac virtutem neſcio quam, & ideas, & naturam, & incorporea quædam commemorantes, ignota mihi ac peregrina nomina. Ac primùm quidem pacifice exordiuntur inter ſe ſermones: cæterùm procedente aliquantam diſputatione, intendunt vocem vſque ad tonum ſeu modum quẽpiam orthiũ vocant, vt exinde, cum nimium diſtendãtur, atq; eloqui magna cõtendunt, & facies illis rubeſcat, & collum intumeſcat, & venæ extantiores appareant, perinde vt ubicunq; ſolẽt quando anguſtam tibiam inflare vi quadam cogũtur. Conturbatis igitur ſermonibus, & eo quod à principio inſtituerant, confuſa ſeo relicto, abeunt, conuiciantes ſibi mutuò plerique, & ludorem ex fronte intorto digito abſtergentes. Atque hic demum vincere viſus eſt, qui ipſorum maximè clamoſus, aut confidentior aliis fuit. Sed tum populus iſte promiſcuus admiratur eos, & maximè ii quibus alioqui neceſſarium nihil incumbit aut curæ eſt, qui tum aſtant confidẽtia atq; clamore illorum excitati. Proinde mihi quidem homines quidam arrogantes ob hæc videbãtur eſſe, atque ægrè afficiebar propter barbæ ſimilitudinem. Verum autem vtile aliquid, atque in cõmune conducens, clamori ipſorum ineſſet, & num quid boni ex verbis illis enaſceretur ipſis, dicere ſanè haudquaquam poſſum. Quanquam ſic conuenit vtique depoſito metu quod verum eſt proferre (nam habito veluti in ſpecula quadam, vt videor) multos ipſorum ſæpenumero iam conſpicatus ſum circa profundam veſperam. IVST. Suſtine, ô Pan, an non Mercurius tibi iam proclamare viſus eſt? PAN. Admodum igitur. MER. Audite populus, fora atque iudicium, quod felix fauſtumque ſit, conſtituemus hodie, menſis Februarii die ſeptima. Quicunque igitur actiones deuulere, in vicum Marthium veniunto: ibi Iuſtitia ſortietur fora, atque ipſa præſtò erit iudicantibus. Iudices ex vniuerſis Athenienſibus dabuntur, merces, tres óboli vnicuique: cauſæ numerus iudicum, ſecundum æſtimationem litis. Quotquot autẽ relictis actionibus priùs quam iudicio experiri potuere, fato functi ſunt, & hos Aeacus remittat. Quòd ſi verò quiſpiã iniquè iudicatum eſſe putauerit, appellatione facta denique experiatur: ipſa autem prouocatio ad Iouem fiat. PAN. Papæ! qualis tumultus! quantum, Iuſtitia, exclamarunt! Vt autem ſatis vndique conciti conuenerunt trahentes ſeſe mutuò per otium ſurſum verſus Areopagum! Ipſe autẽ Mercurius quoque iam adeſt. Quapropter vos quidem actionibus & iudiciis operam date, ſortimini & diſceptate, vt eo atque legitimum vobis eſt: ego verò ad ſpelunca hinc digreſſus, fiſtula canam carmen aliquod amatorium, quo Echo ſolet probris inceſſere. Carminum autem ſaltationum & orationũ iudicialium abunde habeo, quo tidie contendantes ac litigantes in Areopago audiens. MERC. Age Iuſtitia, aduocemus iſtos. IVST. Recte dicis. Conſerti ſiquidem, vt vides, accedunt tumultuantes, & peridoneo veſpæ circumſtrepentes verticem. ATTICVS. Capite, ô ſceleſte. ALIVS. Sycophantam agis. AL. Dabis tandem iam pœnas. AL. Conuincam te, quòd grauia atque indigna perpetraris. AL. Mihi primo ſortire. AL. Sequere ſceleſte ad iudicem. AL. Ne ſuffocabis. IVST. Scis quid faciamus, Mercuri? Cæteras quidem lites in craſtinum reiiciamus; hodie autem eas tantùm ſortiamur, quæcunque ab artibus aut viris aut ſcientiis contra homines promulgatæ ſunt. Ac mihi has in medium profer actiones. MERC. Ebrietas contra Academiam pro Polemone, plagii. IVST. Sortire ſeptem. MER. Stoa contra Voluptatem, iniuriarũ, quòd amatorẽ ipſius Dionyſium, ſeductum ab ipſa abſtraxerit. IVST. Quinque ſufficient. MER. Pro Ariſtippo Mollities cõtra Virtutem. IVST. Etiam his quinque iudicent. MER. Menſaria contra Diogenem, fugæ. IVST. Tres ſortire ſolos. MER. Pictoria contra Pyrrhonem, vt deſertorem. IVST. Noué cognoſcant. MER. Viſne & has ſortiamur Iuſtitia, duas videlicet iſtas paulò antè, noſti, contra Rhetorem inſtitutas atque delatas? IVST. Antiquiores illas priùs decidamus, hæc autem poſtea continuò diſceptabuntur. MER. Atqui ſimiles etiam iſtæ ſuperioribus ſunt, & id quod intenditur, etiam ſi recens ac nouũ, affine tamen illis eſt de quibus modò ſortiti ſumus: quare inter ea diſceptari quoque dignum eſt. IVST. Videris Mercuri indulgere nõnihil petitioni. Sed tamen ſortiamur, ſi tibi videtur: veruntamen duas has ſolas. Sufficiunt enim hæ, de quibus ſortiri iam ſumus. Cedo ipſas actiones. MER. Rhetorica contra Syrum, malæ tractationis. Dialogus contra eundem, contumeliæ. IVST. Quis autem Syrus iſte eſt? Neque enim nomen adſcriptum eſt. MER. Ita ſortire cõtra Rhetorem Syrum. Nihil enim vetabit etiam abſq; nomine proprio. IVST. Ecce externas quoque iam & peregrinas Athenis in Areopago ſortiamur, quas rectius fuerat vltra Euphratem diſceptatas fuiſſe. Verentamen ſortire vndecim, eoſdemque vtrique litis. MER. Eia Iuſtitia, parce nimium adeò exhaurire fiſcum tot mercede iudicum. IVST. Primi conſidento Academię & ebrie-

Tonus quidã Græcorũ Muſicorũ fuit, cuius & Gellius meminit, in Arione.

Sortitio iudicum ſecũdum genera actionũ.

& ebrietati iudicaturi. Tu verò aquam infunde. Prior autem dic tu Ebrietas. Quid taces & nutas? Audi Mercuri accedēs. MER. Non poſſum, inquit, certamen hoc perorare, lingua mihi præ mero impedita atque illigata, ne etiam riſui me exponam in iudicio. Aegrè autem, vt vides, conſtiti quoque. IVST. Proinde patronum adducat ex vehemētibus ac grauibus iſtis aliquem. Sunt enim multi qui vel trioboli gratia diſrumpi parati ſunt. MERCV. At nemo certè volet manifeſtè patrocinari Ebrietati. Verùm æqua vtique hæc poſtulare videtur. IVST. Quænam? MER. Academia hæc ſemper in vtranq; parata atque inſtructa eſt orationem, ídque etiam exercet ſeſe, vt cōtraria probè poſsit dicere. Ea igitur, inquit, pro me prior dicat, atq; ita deinceps pro ſe ipſa verba faciat. IVSTI. Noua quidem hæc. Sed dic tamen Academia orationē vtranque, quandoquidem hoc tibi facile eſt. ACA. Audite viri Iudices priore loco illa quæ pro Ebrietate afferūtur. Illius enim eſt id quod nunc dicitur. Iniuria affecta eſt miſera, vt cum maximè, à me Academia, mancipio quod ſolū habebat beneuolum ac fidele, quódque nihil turpe eorum quæ ipſa imperaſſet putabat, ſpoliata, Polemone illo, inquam, qui interdiu cum laſciuia ac petulantia per medium forum ferebatur, pſaltriam ſecū habens, & cantu perſtrepēs, à ſummo mane ad veſperam vſque ebrius ſemper, & crapulæ indulgens, capútq; corollis ac floribus implicatum gerens. Atque hæc quòd vera ſint, teſtes ſunt Athenienſes vniuerſi, qui ne vnquam quidē Polemonem ſobrium viderunt. Poſtquam autem infelix ille ad fores Academiæ quoque comeſſabundus & per laſciuiam illudēs acceſsiſſet, perinde vt ad omnes ſolebat: mancipatum illum, atque manibus Ebrietatis vi ereptum, & ad ſe adductum, aquam bibere, ac ſobrium eſſe docuit, corollaſque capiti detractas diſcerpſit. Ac quoties bibendum atque accumbendum fuerat, verba quædam perplexa ac miſera, & multa curioſitate referta, illi tradidit. Quare pro eo qui antea effloreſcebat in illo, rubore, pallidus miſer & incuruus corpore factus eſt, & cantilenis illis vniuerſis obliuioni mādatis, ſine cibo interdum & ſitibundus ad mediam vſque veſperam ſedet, nugādo videlicet qualia multa Academia ego nugari doceo. Quod autem maximum eſt, etiam conuiciatur Ebrietati, à me eò inductus, & innumera quædam mala de ea commemorat. Dicta ferme ſunt quæ pro Ebrietate adduci poſſunt. Iam verò & pro me ipſa verba faciam: & exinde peroratum à me eſto. IVS. Quid igitur ad hæc reſpondebit? Veruntamen infunde & huic parē viciſsim. ACA. At hoc quidem pacto auditu admodum probabilia videntur, viri Iudices, quæ à patrono pro Ebrietate dicta ſunt. Quòd ſi autem & me eadem beneuolentia audietis, intelligetis ſanè quòd nulla ipſam iniuria affeci. Nam Polemonem hunc, quē ſeruum illa ſuum eſſe ait, natum haud quaquā ſeruiliter, neque ita vt ebrietatem referret, ſed familiarem mihi, & natura ſimilem, præreptum adoleſcētem adhuc atque tenerum exiſtentem, adiuuante ad hoc Voluptate, quæ illi in pleriſque mutuam operam præſtat, corrupit miſerum, laſciuis comeſſationibus & meretricibus quaſi in deditionem tradēdo: ita vt ne paululum quidem verecundiæ in eo remaneret. Atque ea quidem quę illa pro ſe paulò antè dici putabat, pro me dicta eſſe exiſtimate. Circumibat enim miſer ille à primo ſtatim mane coronatus, ac crapula perditus, per medium forum, ſonātibus vndique circū ipſum tibiis, nunquàm ſobrius, laſciuus ac petulās in omnes, dedecus & contumelia maiorum, & præterea ciuitatis totius, ludibrium autem peregrinorū ac hoſpitum. Poſteaquam autem ad me venit, ego quidem forte quadam, vt conſueui facere, patentibus foribus ad amicos qui tum præſentes erant, ſermones quoſdā de virtute atque modeſtia faciebam. Ille verò cum tibia & coronis aſtans, principiò quidem vociferabatur, ac perturbare nos tentabat, conuerſationem noſtram clamore ſuo interturbando. At poſtquam nos nullam illius rationem habebamus, paulatim (neque enim omnino aut extremè vino madefactus erat) reſipiſcere cœpit ad ſermones, & ſimul auferebat coronas, & tibicinam compeſcebat, & ob purpurā erubeſcebat: ac veluti è profundo ſomno experrectus, cum ſe ipſum aſpiciebat, quo pacto ornatus atque affectus eſſet, tum vitam ſuperiorem & anteactam damnabat. Et rubor quidem ille ex tumulentia contractus defloreſcebat, euaneſcebatque: ipſe autem præ pudore eorum quæ fecerat, erubeſcebat. Poſtremò ab illa aufugiēs, ita vt erat, ad me trāſiit, neque vocante me, neque cogēte, perinde vt illa de me ait, ſed vltro ac volens, meliora hæc noſtra eſſe credens. Ac mihi iam ipſum huc aduoca, vt cognoſcatis quo pacto à me immutatus atque affectus ſit. Hunc ego, viri Iudices, ad me receptum, ridiculè omnino ſeſe gerentem, & neque vocem edere, neque conſiſtere præ mero valentem, conuerti, ac ſobrium reddidi, & ex vili mancipio virum modeſtū ac temperantem pretióque dignum Græcis effeci. Et mihi nunc ipſe gratiam pro ea re habet, & propinqui eius pro ipſo. Dixi. Vos autem iam ſpectate, Iudices, vtri noſtrūm ſatius fuerit illum conuerſari. MERCV. Agitè itaque, ne cunctemini: ferte ſentētiam, atque inde exurgite. nam & cæteros iudicare oportet. IVST. Omnibus calculis ſuperat Academia, excepto vno. MERCV. Nihil nouum aut mirum ſi quis ſit qui & pro Ebrietate ferat. Sedete nunc vos qui Stoæ contra Voluptatem ſortitò electi eſtis, ad iudicium de amatore ferendum. Infuſa eſt aqua. Heus picturata, acvaricoloribus induta, tu iā dic. STOA. Haud equidē ignoro, viri iudices, quàm contra formoſam aduerſariam oratio habenda mihi ſit. Sed & veſtrūm pleroſque video ad illam quidem aſpicere, & eidem arridere, me verò cōtemnere, quòd videlicet ad cutem vſque tonſa ſum, & virile quiddam obtueor, tetricáque ac triſtis appareo. Sed tamen ſi me dicentem audire volueritis, confido equidem multo iuſtiora, quàm hæc, dicturam me eſſe. Nam hoc ipſum illud eſt quod in præſentia accuſo, quòd ita meretricio modo exornata, aſpectus illecebris amatorē meū virū tunc modeſtum ac temperātem, Dionyſium videlicet, fraude circunuentum, ad ſeſe auulſum hinc abſtraxit. Et quam præcedentes illi cauſam iudicauerunt inter Academiam & Ebrietatem, quaſi quædam ſoror præſentis cauſæ eſt. Examinabitis enim in præſentia, vtrum porcorum more in terram deiectos viuere nos deceat, voluptati

indulgentes, neque quicquam generoſum in animo cogitates: an verò poſteriore loco, eo quod eſt delectabile, poſito, prælata honeſtate, liberos liberè philoſophari, neque dolorem vt ignauum quiddam pertimeſcentes: neque id quod dulce eſt, mancipiorum more ſectantes, felicitatémque in melle & cariecis quærentes. Huiuſmodi enim illectamenta hæc ſtultis obiiciens, & labore ceu quadam larua perterrefaciens, pleroſque ipſorum ad ſe illectos adducit, inter quos & miſerum illũ velut excuſſo iugo à nobis ſecedere fecit, cũ ægrotantẽ tacitè obſeruaſſet. Neque enim rectè valentem ac ſanum oratione ſua vnquam facilè adduxiſſet. Quanquã quid ego adeò aduerſus illam indignata ſim, quandò ne ipſis quidem diis parcere ſoleat, ſed adminiſtrationem ac prouidentiam illorum calumnietur? Quare ſi rectè ſapitis, Iudices, etiam impietatis pœnas de ipſa ſumetis. Porrò audiui equidem quòd neque orationem ipſa habere parata ſit, ſed Epicurum iſtum patronum pro ſe huc adductura. Adeò ſcilicet illudit etiam ipſi iudicio. Veruntamen illa certè ipſam interrogate, qualé ſnam putet fuiſſe Herculẽ, ac Theſeum noſtrum, num etiam illi indulgentes voluptati, laborem euitarint. Nihil enim prohiberet quo minus plena iniuſtitiæ terra foret, ſi illi laborẽ non ſuſtinuiſſent. Atque hæc dixi, vt quæ nõ admodum longis orationibus delectari ſoleam. Quod ſi vtiq; voluerit & parumper reſpondere mihi interrogata, celerrimè cognoſcetur quòd nulla ſit. Veruntamen vos certè iuriſiurandi memores, decernite iam quæ iuſta ac pia ſunt: haudquaquam Epicuro fidem adhibentes, qui Deos dicit nihil eorum quæ apud nos geruntur, attendere. MERCVR. Tranſi hinc. Heus Epicure, pro Voluptate dicito. EPI. Haudquaquam prolixius apud vos, viri Iudices, dicam. Nam multis verbis ne opus quidem mihi eſt. Verùm ſi incantationibus aut medicamẽtis quibuſdam Voluptas eum quem Stoa hæc amatorem ſuum ait, Dionyſium videlicet, coegit ab hac quidem abſtinere, ad ſe autem conuertere ſeſe, venefica meritò viſa eſt, & iniuriam feciſſe huic coarguitur, tãquam contra alienos amatores præſtigias ac dolos machinata. At ſi quis liber, in ciuitate libera, legibus non vetantibus, moleſtiam atque acerbitatẽ quæ ab hac proficiſcitur, peroſus, & felicitate quã quaſi caput laborum inde prouenire aiunt, pro nugis ac nihilo habita, obliquos & incuruos huius ſermones, labyrinthíſque ſimiles reliquit, ad Voluptatem autem lubens transfugit, verborum iſtorum retiis tãquam vinculis quibuſdam abiectis, haudquaquam ſtolida, ſed humana ſapiẽs, laborémque ipſum, id quod eſt, malum, Voluptatem autem ſuauem ducens: excludere ne eum decebat quaſi ex quodam naufragio ad portum enatantem, & ſerenitatis cupidẽ, præcipiti capite in laborem impellendo, & ceu dedititium, inopiæ atque egeſtati miſerum illum tradendo, ſdque cum ille ſupplicis inſtar ad Voluptatẽ tãquam ad miſericordiæ aram aliquam confugeret? Nimirum, vt paſſim ac multis iactatam illam virtutem, eum multo ſudore in arduum progreſſus aſpiciat, atque exinde per omnem ætatem laboribus exercitatus, demum poſt vitam peractam felix atque beatus fiat. Atqui quis quæſo iudex iuſtior in hac cauſa fuerit, quàm ipſe ille qui & ea in quibus Stoa verſatur, cognouit vt quiſquam alius, & cum antea ſolum illud quod honeſtum eſt, bonum putaret eſſe, poſtea quantum malum foret labor, cognito, id quod melius ex vtroq; probauit eſſe, delegit? Videbat enim, opinor, eos qui de tolerandis ac perferendis laboribus multa commemorare ſolent, priuatim autem Voluptatem colunt, eò quidem vſque iuuenıliter ſeſe iactare, domi autem ſecundum Voluptatis præcepta vitam degere, erubeſcentes quidem ſi deprehendantur remittere aliquid de firmitate & contentione, proderéque profeſsionem ſuam, patientes autem miſerè interea Tantali illud: & vbi latere ſeſe, ac tutò leges tranſgredi poſſe confidunt, hiantibus faucibus voluptatem ingurgitantes. Proinde ſi quis ipſis Gygis annulum daret, vt eo inducto conſpici non poſsint, aut etiam Orci galeam: ſat ſcio quòd laboribus longùm valere iuſsis, ad Voluptatẽ proſilirent, & cuncti imitarentur Dionyſiũ: qui quidem antea quàm morbo correptus eſſet, ſperare ſolebat illos de tolerantia ſermones multum ſibi profuturos eſſe. At poſtquam dolere atque ægrotare cœpit, ac labor re ipſa illum inuaſit, animaduertens corpus ſuum diuerſam à Stoa philoſophiam ſequi, & contraria ſtatuere, illi magis quàm iſtis credidit: atque ita ſibi perſuaſit, homo cum eſſet, etiam corpus humanum habere ſeſe: vixítque exinde non vt ſtatua illo vtens, ſed hoc ſciens, quòd quicunque aliter dicit, ac Voluptatem accuſat, verbis quidem delectetur, animum autem illhuc conuerſum habeat. Dixi. Vos autem ob hæc ſententiam ferte. STOA. Nequaquam, ſed pauca etiam interrogare mihi permittite. EPIC. Interroga: reſpondebo enim. STOA. Malúmne putas laborem? EPIC. Etiam. STOA. Voluptatem autẽ bonum? EPIC. Atque admodũ. STOA. Quid autẽ? Seíſne quid ſit differẽs, vel indifferẽs, & promotũ, vel reiectũ? EPIC. Maximé. MER. Negant ſe Iudices intelligere, Stoa, diſyllabas iſtas interrogationes: quare ſilentium agite. Iam enim ſententiam ferent. STOA. Atqui viciſſem ſanè, ſi interrogaſſem in tertia figura, eorum videlicet quæ demonſtrari nõ poſſunt. IVST. Vtra ſuperauit? MERC. Voluptas calculis omnibus. STOA. Prouoco ad Iouem. IVST. Bona ſanè fortuna, vt lubet. Tu verò alios accerſe. MER. De Ariſtippo contendentes Virtus aque Mollities, & Ariſtippus verò etiam ipſe adeſto. VIRTVS. Priorem me dicere conuenit, Virtutem videlicet. Meus enim eſt Ariſtippus, perinde atque indicãt ſermones, & opera. MOL. Haudquaquã, ſed me potius. Meus enim eſt homo ille, quemadmodum videre licet ex coronis, & purpura, & vnguentis. IVST. Ne ambitioſè adeò contendite. Differetur enim & hæc cauſa eò vſque, dum Iupiter de Dionyſio ſententiam ferat. Non enim diſsimile quippiam hoc quoque videtur eſſe. Quare tum quidem, ſi Voluptas vicerit, etiam Ariſtippũ Mollities habebit, Vincente autem contrà Stoa, & hic erit Virtuti condemnatus. Proinde alii adſunto. Iſtud autem ne accipiant hi, iudiciale præmium puta. Nam cauſa hæc incognita & indiſcuſſa manſit ipſis. MERCV. Fruſtráne igitur per longam adeò atque accliuem viam aſcenderint viri hi ſenes? IVST. Abunde eſt ſi tertiam etiam par

Hypocriſis Stoicorum.

Vide Ciceronẽ in lib. de finibus bonorũ & malorum.

Fuit hic Dionyſius Heracliẽſis, filius Theophanæ, qui ab initio Zenonem & Stoicã profeſsionẽ ſecutus, mox cũ ægrotus factus, doloris acerbitatẽ ſenſiſſet, ad Epicureos tráſiit. Vide Laertiũ.

Diogenes hic Iceſii menſarii filius, adulterata moneta deprehẽſus, ſolum vertit, & Athenis ad philoſophos ſeſe contulit.

partem acceperint. Abite, ne indignemini, aliàs iterum iudicabitis. MERCV. Diogenem Sinopenſem adeſſe tempus eſt. Ac tu itaque Menſaria dic. DIO. At verò niſi deſinat moleſta eſſe, Iuſtitia, non amplius de fuga mecum apud iudicem aget, ſed de multis atque altis vulneribus. Ego enim quàm primùm adeò fuſte hanc contundam. IVSTIT. Quid hoc rei eſt? profugit Mẽſaria: ille autem ſublato baculo inſequitur. Haud mediocre malum aliquod videtur miſera illa acceptura eſſe. Pyrrhonem proclama. MERC. At pictoria quidem iandudum adeſt, Iuſtitia: ipſe autem Pyrrho principiò ne aſcendit quidem huc. Ac videtur hoc facere. IVST. Qua de cauſa Mercuri? MERCV. Quia nullum putat iudicium aut forum verum eſſe. IVSTIT. Proinde contumaciæ ipſum condemnent. At iam ſcriptorem proſæ orationis Syrum illum accerſe. Quanquam nuper adeò actiones contra ipſum hæ delatæ ſint, & nihil neceſſe erat tantopere feſtinari, atque eas tam ſtatim diſceptari: verũtamen quia ita viſum eſt, priorem introduc Rhetorices cauſam. Papæ, quàm multi ad audiendum conuenere! MERCV. Meritò, Iuſtitia. Nam hoc ipſum quòd actio hæc minimè vetus aut obſoleta eſt, ſed noua ac peregrina, heri, quemadmodum ais, primùm intentata: deinde quòd & ſperãt audituros ſe eſſe Rhetoricã quidem atque Dialogum per vices accuſantes, vtriſque autem Syrum reſpondentem, multitudinem tantam ad iudicium contraxit. Veruntamen incipe tandem

Ex oratiõe Demoſten. pro corona.

Rhetorica cauſam dicere. RHETOR. Principiò quidem, viri Athenienſes, Deos deáſque precor omnes, vt quanta ipſe benuolentia affectus ſum erga hanc ciuitatem, ergàque vos omnes, tantam à vobis ad præſens certamen hoc conſequi poſsim. Deinde, quod eſt æquum maximè, id vobis in mentẽ à Diis immortalibus dari, vt aduerſarium quidẽ ſilentium agere iubeatis, me verò, quemadmodum conſtitui, mecúmque ipſe deliberaui, accuſationem peragere poſſe faciatis. Cæterùm haudquadam eadẽ in mentem venit ſtatuere, quoties ad ea, quæ paſſus ſum, aſpicio, & ad orationem ac verba quæ audio. Nam verba quidẽ quàm ſimillima meis iſte ad vos facit: res autem eò vſque proceſsiſſe videbitis, vt mihi iam neceſſe ſit ſpectare ne quid peius etiam ab ipſo mihi accidat. Atenim vt ne lõgiore proœmio vtar, aqua iandudum fruſtrà effluẽte, accuſationẽ ipſam incipiam. Ego enim, viri Iudices, hunc, cum admodum adhuc adoleſcens eſſet, neque non barbarè etiamnũ loqueretur, ac tantũ nõ Candyn indutus, Aſſyriorũ more incederet, circa Ioniã inuentũ, errabũdũ adhuc, & quid de ſe ipſo ſtatueret, neſciẽtẽ, ad me receptũ, educaui: & quia videbatur mihi ingenio admodũ prompto, & ad diſcẽdũ appoſito eſſe, méque fixis in me oculis intueri (nam & verebatur adhuc tum me, & colebat, ac ſolã in admiratiõe habebat) relictis cæteris quotquot nuptias ambibant meas, diuites atque formoſi, & quod ad maiores attinet, etiam illuſtres, ingrato huic me ipſam deſponi, pauperi videlicet, & obſcuro, & adoleſcenti: dote haudquaquam exigua inſuper allata, multis & admiratione dignis orationibus. Poſt hæc adducto eo ad contribules meos, nomen eius in tabulas tacitè retuli, ac ciuem reddidi: vt il qui à ſpe deſponſationis meæ exciderãt, exinde ſuffocarẽtur. Porrò cum ipſi viſum eſſet terrarum orbem circumuagari, felicitatémque coniugii paſsim oſtentare: ne tum quidẽ à tergo relicta ſum, ſed quoquouerſum ſequens, ſurſum atque deorſum circunducebar, clarúmque ipſum ac celebrem faciebã, ornando pariter & componendo. Atque ea quidem quæ in Græcia & in Ionia acciderunt, mediocria ſunt: poſtquam autem & in Italiam proficiſci ſtatuit, vnà cum eo Ionium mare traieci: & poſtremò vſq; in Galliam vnà progreſſa, diteſcere ipſum feci. Ac in longum quidem vſque per omnia mihi obtemperabat, & conuerſabatur mihi, ne vnam quidem noctem extra lectum à nobis diuertens. At vbi iam abũde viaticum ſibi comparaſſe viſus eſt, & quantum ad famam & exiſtimationem attinet, rectè ſibi omnia habere credidit: adductis ſuperciliis, & elatum præ ſe animum ferẽs, me quidẽ neglexit, imò verò prorſus miſſam fecit: ipſum verò barbatum illum, ex habitu conſpicuum, Dialogum videlicet, quẽ philoſophiæ filium eſſe perhibent, ſupra quàm decet amando, atq; admodum amatorie proſequendo, natu, quàm ipſe eſt, grandiorem: cum eo nunc conſuetudinem habet. Neq; pudet ipſum libertatem quidem hanc orationis meæ, qua veluti laxatis habenis ſoluta ac libera fertur, concidere, in paruas autẽ & per breuia commata tractandas quæſtiones ſe ipſum includere. Ac pro eo quod licitum ipſi fuerat, quodcunque libuiſſet, plena ac ſonora voce eloqui, breues quaſdã ſententiolas inter ſe implicare, & quaſi per ſyllabas numerare. Vnde ſanè conferta quidem laus aut multus applauſus haudquaquam obuenerit ipſi, irriſio verò auditorum nõnulla, & attollere manum, intra fines tamen, & longè annuere capite, & ingemiſcere dictis. Talia nimirũ ſunt quibus generoſus iſte amatus me contempſit. Aiunt autem ipſum ne cum iſto quidem amaſio ſuo pacem agere, ſed & erga illum contumelioſe, opinor, ſe gerere. Quomodo igitur non ingratus, atq; obnoxius iis quæ de mala tractatione ſancitæ ſunt legibus cẽſendus fuerit, qui legitimè quidem nuptã, à qua tãta accepit, & per quam nobilis & clarus adeò eſt, ita ignominioſe reliquit, ac nouas atque alienas res appetiuit, ſdque nunc, quando ſolam me cuncti mirantur, & veluti præſidem ſuum, ſcripto teſtantur? At ego quidem repugno tot procis, ambientibus me: & pulſantibus ianuam illis, ac nomine inclamantibus me voce elata ac magna, neque aperire volo, neque etiam exaudire. Video enim illos nihil amplius clamore iſto hinc auferre. Iſte verò etiam ne ſic quidem ad me reuertitur, ſed ad amaſium illum ſuum reſpicit, & quid tandem boni, ô dii, ab eo acceptorum ſe ſperans, quem præter pallium habere videt amplius nihil? Dixi, viri Iudices. Vos autem ſi meo iſte oratio nis atque verborum modo reſpondere voluerit, ne permittite. Iniquum enim foret meam contra me machæram acui. Sed iuxta amatum à ſe Dialogum illum reſpondeat, ſi poteſt. MER. At hoc quidẽ nõ perſuadebis, Rhetorica. Neque enim fieri poteſt vt hic ſolus iuxta formã & morẽ dialogi reſpondeat, ſed perpetua oratione ipſe quoq; dicat. SYR. Poſteaquam, viri Iudices, hoc quoq; malè habet aduerſariã, ſi longiore paulò oratione vtar, ipſo quoq; eo

quod dicere poſſum, ab illa acceptò, multa quidem verba apud vos haudquaquam faciam: capita verò ipſa diſſoluẽdo, eorum de quibus illa me accuſauit, vobis vniuerſum negotium exinde inſpiciẽdum ac perpendendum relinquam. Omnia enim quæcũque modò de me narrauit, ita vt ſunt, ac verè narrauit. Nam & educauit me, & mecum vnà quocũque abii profecta eſt, & Græcorum ciuitati adſcripſit: eóque certè nomine etiam gratiam lubens egerim nuptiis iſtius. Cæterùm ob quas cauſas relicta ea ad Dialogum hunc diuerti, de eo quæſo, viri Iudices, vt me pauliſper audiatis. Ac me commodi alicuius gratia nihil quicquam falſi dicere exiſtimetis. Ego enim cum viderem hanc haudquaquam amplius temperantem eſſe, neque etiam in eo modeſto habitu permanere, quo olim ornatã ipſam Pæanienſis ille duxerat, comptam autem, & capillos meretricio more collocantem, prẽterea fuco illitam, & genas ceruſſa quoque pingentem: ſuſpicari ſtatim cœpi ac tacitè obſeruare quorſum verteret oculũ. Ac cætera quidem miſſa facio: ſingulis autem noctibus angiportus quidem noſter replebatur amatoribus temulentis, & laſciuè erga illam petulantérque multa agentibus, ac fores pulſantibus, quibuſdã verò etiam vi intrò ſeſe citra omnẽ modeſtiam ferre audentibus. Hæc autem ridebat, & iis quæ agebantur, delectabatur, ac plerunque vel de tecto proſpiciebat, canentes illos aſpera voce cantilenas quaſdam amatorias auſcultans: vel etiam apertis clàm foribus, dum me latere iſta putat, laſciuè ſe gerebat, & ſtuprabatur ab illis. Quod cum ego ferre nõ poſſem, accuſare quidem ipſam adulterii non placebat: ad Dialogum autem hunc in vicino habitantem accedens, rogabam vt is me recipere vellet. Atque hæc illa ſunt, Iudices, quibus ego tãta iniuria Rhetoricã affeci. Quãquam etiam ſi nihil tale ab ipſa commiſſum eſſet: tamen, puto, deceret me, virũ iam propè quadraginta annos natũ, à tumultibus quidem iſtis & cauſis agendis deſiſtere, ac viros iudices pati quieſcere, cũ Tyrannorum accuſationibus, tum optimatium laudibus euitatis: in Academiam autem vel Lycéum ingreſſum, cum optimo hoc, Dialogo videlicet, vnà deambulare, paulatim ac ſenſim cum eo diſputãdo. Multa adhuc habens, Iudices, quæ dicere poteram, in præſentia quieſcam. Vos autem ſententiam iuriiurando iuſto conſentaneam proferte. IVST. Vter vincit? MERCV. Omnibus calculis Syrus, excepto vno. IVST. Apparet rhetorem fuiſſe aliquem qui contrarium tulit. Heus Dialoge, ſub iiſdem Iudicibus dic tu quoque. Vos autem ſedentes manete, duplicem acceptúri mercedem, pro vtraque videlicet lite. DIAL. Ego verò, viri Iudices, longiorem quidem proferre orationem apud vos haudquaquam ſtatueram, ſed breuibus verbis, vt conſueui, rem expedire: veruntamen, vti lex eſt in iudiciis, ita peragã accuſationem: quanquã imperitus planè, atque iſtarum rerum indoctus ſim. Atque hoc ad vos exordium peractum mihi ſit. Quæ verò per iniuriam & contumelioſe ab hoc paſſus ſum, ea ita ſe habent. Nam me, cum grauis antea ac venerandus eſſem, ac de diis pleraque, & natura, & vniuerſi huius ambitu cõſiderarẽ, ſublimis ſupra nubes alicubi per aerem incedens, vbi magnus ille per cælum Iupiter alatum currum agens fertur: abſtractum inde ipſe, cùm iam in ſumma conuexitate volarem, atque vltra cælum aſcenderem, & alis confractis, æqualem & eiuſdem conditionis cum multitudine promiſcua fecit. Ac tragicam quidem illam atque modeſtam perſonam abſtulit mihi: comicam verò aliam, atque ſatyricam quandam impoſuit, ac tantùm non ridiculam. Deinde in eundem locum ad me adducta, cõcluſit mecum Conuicium, Iambum, Cynicam petulantiam: præterea Eupolin & Ariſtophanem, vehemẽtes videlicet viros ad exagitandum grauia illa, & ad irridendum ea quę præclara ac pulchra ſunt. Poſtremò autem & Menippo quodam ex antiquis illis canibus admodum latratu facili ac prompto, vt videtur, deinde mordaci atque aſpero quoque effoſſo, hunc quoque ad me introduxit, terribilem re vera canem, & morſu latenter inuadentem, eò nimirum quòd etiam ridendo pariter mordeat. Proinde quo modo nõ graui contumelia affectus videar, qui neq; familiari ac proprio habitu amplius conſpicior, & comœdias agẽdo, ac riſus ciẽdo, argumẽtáq; aliena tractando, quaſi quendã hiſtrionẽ illi me gero? Nã quod omniũ abſurdiſſimũ eſt, temperatura quadam aliena ac noua miſtus ſum, & neq; pedeſtris amplius ſum, neque in ſublimibus incedo: ſed planè Cẽtauri modo compoſitũ quiddã ac peregrinũ ſpectrũ auditoribus appareo. MERCV. Quid igitur ad hæc dices Syre? SYR. Inexpectatum equidem, viri Iudices, certamen hoc apud vos ſuſtineo. Quiduis enim citius putaram Dialogum, quàm hæc de me dicturum eſſe. Quem ego ſuſceptũ tetricum adhuc pleriſque apparentem, & præ continuis interrogationibus præfractum ac durum, eóque nomine venerabundũ quidem aliquid præ ſe ferentem, haudquaquam tamen omnino ſuauem, aut etiam multitudini acceptum, principiò quidem ipſum per terram incedere ad humanum hunc morem aſſuefeci: poſtea autẽ ſquallore iſto multo abſterſo, & ridere ipſo coacto, ſuauiorem ac gratiorem aſpicientibus exhibui. Supra omnia autẽ Comœdiam cum ipſo coniũxi, ac per hoc multam illi beneuolentiã apud auditores cõciliaui: qui antea ſpinas in eo iſtas metuẽtes, perinde vt Echinũ, in manus accipere ipſum fugiebant. Cæterùm noui ego quod maximè ipſum malè habet, nempe quòd nõ tenuia illa atque exilia ſedẽdo cum eo argutari ſoleo, ſitne anima immortalis videlicet, & quot heminas Deus quãdo mũdũ fabricauit, ſynceræ & eodẽ modo ſe habentis ſubſtantiæ in craterem illum in quo vniuerſa miſcẽdo tẽperabat, infuderit: & num Rhetorica politicæ particulę imago, adulatoriæ pars quarta ſit. Delectatur enim neſcio quo pacto huiuſmodi argutias diſputãdo, perinde vt illi qui ex pſora libenter fricantur. Ac cogitatio iſta & cura, dulcis ipſi videtur: ac magnificè ſe effert ſi dicatur quòd nõ cuiuſuis hominis ſit ea intelligere, quæ ipſe de ideis ſubtiliter & acutè ſpeculatur. Huiuſmodi videlicet à me quoq; poſcit, & alas illas quærit, ac ſurſum aſpicit: illa interim quæ ante pedes ſunt, nõ videns. Nã cæterorum certè cauſa haudquaquã, puto, accuſauerit me, quòd veſte hac Græca detracta, barbaricam ipſi induerim, & hoc, cùm barbarus ipſe videar eſſe. Iniuriã enim feciſſem, ſi legibus præteritis in ipſum talia commiſiſſ

Platonem perſtringit in Phædone, Gorgia, & de legibus, &c.

missem, ac patrio vestitu grassatorum more spoliassem. Respondi iudices, quantum possibile mihi fuit. Vos autem similem priori sententiam quæso ferte. MERCVRIVS. Papæ omnibus decem vincis. Nam ipse ille prior ne nunc quidem eadem cum cæteris sensit. Nimirum consuetudo hæc illius est, atque omnibus perforatū cadaculum ferre solet, nec facilè deserit optimis quibusq; inuidere. Sed vos quidem nunc abite bona cum fortuna: in crastinum autem de reliquis cognoscemus.

DE PARASITO, SIVE

Quòd ars sit Parasitica,

Vincentio Obsopœo interprete.

ARGVMENTVM.

Didascalicæ generis Dialogus, in quo comēdit ac docet Parasiticam artem esse, eámque omnium aliarum præstantissimā. Dispositio & series orationis plana est. Nam artem esse, primùm ex definitione artis ostendit, singulis eius partibus cum Parasitica comparatis, videlicet quoniam & sua certa principia habeat, exercitationeque & usu consistat, & ob finem vitæ vtilem, nempe voluptatem, exerceatur. Quod autem voluptas vtilis vitæ finis sit, authoritate ac testimonio Homeri defendit. Et quod hic finis Parasiticæ magis proprius quàm Epicureorū philosophiæ sit, comparatione studiorum ac vitæ vtrorunque probat. Deinde verò hanc omnium aliarum artium præstantissimam esse, primùm in genere docet, collatis omnibus accidentibus, effectibus & causis aliarum artium, cum iis quæ huic arti accidunt. Posteà seorsum etiā philosophiæ & Rhetoricæ, vtpote artiū cæterarum summis, & maximè laudatis, anteponit. Primùm quia illæ incertæ, aliis aliter de illis sentientibus atque tradentibus, Parasitica autem vbique eadem ac certa sit. Deinde quia nusquam reperiantur parasiti affectasse philosophi aut rhetoricam: contrà autem parasiticam rhetores ac Philosophi plurimi. Postremò ab vsu eorū qui artes has sectātur & profitentur, duplici videlicet, altero in bello, altero in pace. Vbi ad vtrunque tēpus philosophos & rhetores inutiles & ineptos esse, multis exemplis & rationibus docet: contra autē parasitos idoneos ac paratos maximè, idque ex Homero, & item ex historijs probat, addita etiam hypotyposi, quia parasitū ad prælium parātem & expedientem sese describit. Præterea & priuatam atque domesticam vtrorunque vitam inter se comparat, multo meliores atque etiam beatiores esse parasitos ostendens, quàm vel rhetores vel philosophos. Sub finē ipsam artem ex locis finalibus commendat quoque, & ipsius nominis honestatem etymologia & analogia defendit.

TYCHIADES, PARASITVS.

TYCHIADES.

QVID tandē in causa est Simo, quòd cū alii homines, siue serui sint, siue ingenui, quiq; artem quandam calleat, qua cum sibi ipsi, tū aliis sunt vtiles: tu verò, quantum ego perspicio, nulli rei aut negotio intētus es, vnde aut tu aliquem fructum caperes, aut alteri benignè impertiēdo, adiumēto esse possis? PARASITVS. Quid hæc tua tibi vult interrogatio ô Tychiade? nōdum enim capio. proindeplanius ac manifestius me interrogato. TYCHI. Estne aliqua ars, cuius tu sciens & peritus es, videlicet Musicæ? PARA. Non per Iouem. TYC. Quid autem, Medicinæ? PARA. Ne illius quidem. TYCHIA. Atqui Geometriæ? PARA. Nequaquam. TYC. Quid autem, Rhetoricæ? Nam à philosophiæ studio vsqueadeò abhorret, quantum ipsius vitii contagium à philosophia alienum est. PARASI. Atque etiam, si fieri potest, adde quiddam amplius. Proinde ne animū inducas hoc te mihi ignoranti exprobrare. Fateor enim me ignarum esse, atque etiam tua opinione longè peiorem. TYCH. Sanè, sed hasce fortasse artes propter illarum magnitudinem atque difficultatem nō perdidicisti: at ex popularibus illis quā tandem tenes? nam architectonicam, aut sutrinam? Neque enim ea est rerum tuarum conditio, vt non talis alicuius ārtis egeas adminiculo. PAR. Rectè dicis ô Tychiade, neque enim vllam illarum calleo. TYC. Quam igitur aliam? PAR. Quam? Profectò, vt mea est opinio, generosam, quam & te, si pernoueris, laudaturum planè existimo. Eandem verò opere atque re ipsa perpulchrè obire posse me dico, tametsi illam oratione explicare mihi non perinde promptū sit. TYC. Quam tandem dicis? PARA. Nondum mihi videor super illa orationes satis studiosè exercuisse. Quòd autem vnius alicuius artis nō rudis sim, hoc planè iam nosse potes. Quare nihil est quòd hoc nomine mihi sies infensior. Quancunque autem teneam, alio tēpore audies. TYC. Verùm ego omnis moræ impatiens sum. PAR. Fortasse si audires, inopinata tibi ars mea videretur. TYCH. Atqui propter hoc ipsum tantò impensius scire laboro. PAR. Alio tempore tibi exponetur, ô Tychiade. TYC. Nequaquam, sed iam quancunque tandem pernosti exponito, nisi adeò te pudeat. PAR. Parasiticam. TYC. Et quis ita vesani atque demētis est animi, ô Simo, qui hanc artem esse prædicet? PARA. Ego. Si verò ob hoc ipsum quòd aliā artem non teneam, tibi insanire videor, huius ipsius causam mihi putato fuisse insaniam, néque iam durius increpandi finem facito. Aiunt enim hanc Deam cum aliàs difficilem esse habentibus, tum quòd delinquentes erratorum excusare soleat, quasi horum omnium magistram atque authorem culpam vniuersam in se trāsferentē. TYC. Ergo Simo Parasitica ars est? PAR. Sanè ars: atque ego illius author & inuentor sum. TYC. Proinde tu parasitus es? PAR. Tu quidē Tychiade probro me afficis. TYC. Atqui non erubescis te ipse Parasitū cōpellando? PAR. Sanè verò: puderet enim me, nisi dicerem. TYC. Atque per Iouem, si tibi notores esse velimus, erga alios te ignorantes quod tibi nomen esse testabimur? num Parasitum te esse affirmabimus? PAR. Hoc nomine cōpellantes longè magis me oblectabitis, quàm si Phidiam statuarium me esse dixeritis. Quippe mea arte non minus gaudeo, quàm ipse Phidias Ioue à se fabricato gauisus est. TYC. Atqui hoc mihi attētius cōsiderāri, res perridicula perspecta est. PAR. Quænam? TYC. Si externè scribentes ad te in epistolis, hunc tibi adiiciamus titulū: Simoni parasito. PAR. Atqui impēsius mihi gratificaberis, quā si hoc titulo nobis

lo nobis ſcripſeris, Dioni philoſopho. TYC. Quantum tu quidem hac compellatione gauderé ſoleas, mihi parum curæ eſt. Sed & aliud quiddam abſurdi conſiderandum venit. PARA. Quódnam? TYC. Num & hæc in aliarum artium numero nobis recenſenda ſit, vt interrogante quopiam cuiuſmodi ars ſit, reſpondeamus, veluti de grammatica aut rhetorica interrogati ſolemus, paraſitica? PARA. Ego verò Tychiade, longè iuſtiùs hãc quam profiteor, quàm vllam aliam, artem dicendam eſſe contendo. Quòd ſi tibi iucundum eſt auditu, vt opinor fore, ſententiam meam explicare non grauabor, quanquam ad hoc non admodum, vt antè dixi, præparatus aut inſtructus ſum. TYC. Tametſi ſint exigua, veritate tamen præcellent. PARA. Age, ſub initium artem ipſam, quo finitionis genere deſcribatur, ad calculos expendendam reuocemus. Ad hunc enim modum ſpeciatim & aliis artibus penſitandis, aſſequemur num & hanc rectè teneamus. TYC. Quid ergo ars eſt, vt compertum habeas? PARA. Ars eſt, vt ego memoria teneo, quodam ſapiente viro audito, præceptionem exercitarum comprehenſio, ad vnum exitum vitæ vtilem pertinentium. TYC. Rectè ſanè illius audicti verba commoniſti. PARA. Iam ſi horum omnium particeps eſt Paraſitica, conſentaneũ eſt & hanc nihil aliud quàm artem habendam eſſe. TYC. Ita profectò ars habenda eſt, ſi quidem hæc ita ſe habuerint. PARA. Agè iam ſingillatim ad omnes artis ſpecies paraſiticam accommodantes, num oratio illi cõſonet, conſiderabimus: ſed non quẽadmodũ ollæ vitioſæ dum pulſantur, ne malignè reſonent. Oportet itaq; & hanc, quemadmodum omnes artes, præceptionum inuentionem in ſe complecti. Principiò enim præuidere atque diſcernere quis aptus & accõmodatus ſit eum alere: atque ita facto paraſitandi exordio, haudquaquam pœniteat. Aut dicemus argentarios ſeu numularios artem quandam habere, qua norint adulterina nomiſmata à probis ſagaciter deprehendere: hunc autem citra artis adminiculum diſcernere poſſe adulterinos homines & probos, præſertim cum veluti nomiſmata, hominum mores cuiuſmodi ſint, non ſtatim pateant. Eadem hęc & ſapiens reprehendit Euripides, dicens:

In Medea. At quo malus noſcendus eſt mortalibus,
Innatus eſt nulli character corpori.

Ex quo & multò præclarior Paraſiti ars eſſe oſtenditur, qui res ita obſcuras & abditas magis, quàm vaticinandi peritia perſpicit & cognoſcit. Noſſe verò ſermones proferre accommodos, eáque facere per quæ in familiaritatem adiungitur, quibus ſemet quàm beneuolentiſsimũ ſuo alumno eſſe oſtenſurus ſit: nunquid nõ ſingularis intelligentiæ, atque inuentionis vehementiſsimæ tibi documentum eſſe videtur? TYC. Admodum. PARA. Porrò autem in ipſis conuiuiis vt abeat per omnia plus habens, eóſque exuperans qui eam artem ſua negligẽtia ſibi non parauerũt, an hoc citra rationem & ſingularem ſapientiam Paraſitum facere poſſe arbitraris? TYC. Nequaquam. PARA. Quid autem? noſſe obſoniorum ciborũmq; virtutes & vitia, num tu rudis & indocti cuiuſpiam curioſitatem eſſe exiſtimas? præſertim Platone generoſiſsimo ita dicente: Qui conuiuas epulis accepturus eſt, nec rei coquinariæ ſcientiam habuerit, eius in adornãdo conuiuio pertemus eſt iudicium. Quòd autem Paraſitica non cognitionem ſolam, ſed exercitationẽ quoq; ſibi vendicet, inde perdiſces facillimè, quoniam aliarum artium cognitiones, & dies & noctes, & mẽſes & annos ſæpenumero inexercitatæ permanent, non tamẽ artes ipſæ apud poſſidentes depereunt. At verò Paraſiti cognitiones niſi quotidie in vſu ſint atq; exercitio, perdunt non artem ſolã, vt opinor, ſed ipſum quoque artificem. Paraſiticæ verò vtilitatem ad vnum aliquem vitæ exitum tendentem vereor ne inſaniæ ſit perquirere. Ego verò quàm edere & bibere, in vita mortalium nihil inuenio vtilius aut præſtãtius, & citra quod vita non poteſt ſubſiſtere. TYC. Maximé. PARA. Atqui ne eiuſmodi quidem res eſt paraſitica, cuiuſmodi eſt pulchritudo aut fortitudo, vt ars nulla eſſe videatur, ſed quędam vis atque potentia. TYC. Vera dicis. PARA. Verùm neque arte caret. Quod enim arte caret, nullo modo poſſidenti eſt conducibile. Agé enim ſi tibi ipſe nauim in mari cõmiſiſſes fluctibus atque procellis ingruentibus, gubernandi imperito, num euaſurus es incolumis? TYC. Minimè gentium. PARA. Quid tandem obſtat an quòd arte careas, cuius ope te ipſe ſeruare potuiſſes? TYC. Sanè verò. PARA. Proinde arte ſeruamur, imperitia verò non item. TYC. Admodum. PARA. Ergo Paraſiticam artem eſſe conſtat. TYC. Artem profectò, quantum apparet. PARA. Atqui gubernatores quidem præclaros, & aurigas eximios de curru nõ raro delapſos eſſe cõperi, ac nonnullos illorum luxatos atque delumbatos, porrò nonnullos prorſus extinctos: cæterùm Paraſiti naufragium nullus eſt qui poſſit producere. Proinde ſi neque ab arte remota eſt Paraſitica, neque facultas eſt aliqua, comprehenſio autem præceptionum exercitarum: eandem artem eſſe hodie nobis fatendum eſt. TYC. Quantum quidem ex hoc coniecturam facio. Sed in hoc tibi vigilandum eſſe intelligis, vt finem aliquem generoſum Paraſiticæ nobis attribuas. PARA. Rectè ſanè dicis. videtur autem hac finitione potiſsimùm explicari poſſe: Paraſitica ars eſt ciborum atque potuum, & ſermonum qui horum conquirendorũ gratia dicendi ſunt, cuius finis eſt voluptas. TYC. Videre mihi tuam artem præclarè definiſſe. Illud tamen etiam atque etiam conſidera, ne aduerſus philoſophos aliquos de fine tibi oriatur pugna atq; contentio. PARA. Atqui abunde ſufficit hunc eſſe finem & felicitatis & Paraſiticæ: neque aliter apparet. Si quidem Homerus ille ſapiens Paraſiti vitam admirans tanquam ſolam beatam atque felicem, ita inquit:

Haud ego finem vllum meliorem vltrà arbitror eſſe,
Quàm ſi mente omnis populus lætetur ouanti,
Iuxtà autem menſæ ſint pane cibiſque repletæ,
Atque pocillator dulce è cratère falernum
Fundens diſtribuat per pocula parua bibendum.

Iam quaſi parum cumulatè hæc admiraretur, ſententiam ſuam longè pleniorem apertiorémque hiſce verbis facit, perfeſtiuè ſubiiciens:

Hic finis nobis pulcherrimus eſſe videtur,

Haud aliud ex iis quæ dicit, beatum ac felix, quàm paraſitari exiſtimãs. Sed enim hæc verba cuilibet è vulgo

Diomedes libr. 2. hanc finitionem Ciceroni adſcribit.

Paraſiticæ definitio.

vulgo attribuit, verùm omnium ſapientiſsimo. Et ſanè ſi Vlyſsi fuiſſet in animo Stoicos ſecuto laudare finem virtutem, potuiſſet illud dicere quando Philoctetem ex Lemno adduxit, quando Troiam ſubuertit, quando Græcos fugam adornantes compeſcuit atque detinuit, quãdo Troiam ingreſſus eſt ſe ipſe indecoris vulneribus flagellatum afficiens, ac ſordido & planè Stoico indumento amictus. At tunc huius pulcherrimi finis nuſquam commeminit. Cæterùm ne tũc quidem cum in Epicureorum vita conſtitutus apud venuſtiſsimam Calypſo verſaretur, illíq; liceret in otio voluptuoſe & molliter viuere, ac in omnibus deliciis Atlãtidis lectum conſcendere, neque non rebus, quas animi libido ferebat, indulgere: illius pulcherrimi finis memor eſt, ſed cum apud Phæacas paraſitum ageret. Vocabantur autem tunc tẽporis paraſiti Dætymones. Quomodo enim dicit? Dignum enim eſt vt iterũ atque iterum ſuauiſsimorũ verſiculorum recordaremur. neque enim ad ſatietatem audiri poſſunt, niſi ſæpius repetantur:

Dætymones ſedeant ex ordine. &,
Iuxta menſæ adſint epulis & carne repletæ.

Dætymones.

Porrò Epicurus nimium impudenter hunc finem detractum paraſiticæ, ad felicitatem ſuam detorſit. Quòd autem hæc res non abſit à furto, quódque Epicuro voluptas nihil curæ ſit, ſed paraſito, ita potes colligere. Ego voluptatem exiſtimo primùm tranquillum ſtatum corporis: deinde neq; mentem vlla perturbatione aut moleſta cura onerari. Horũ vtrunq; paraſitus aſſequitur, Epicurus autem ne alterutrius quidẽ fit particeps. Etenim cum curioſe ſatis de habitu terræ, dẽ infinitis mundis, de magnitudine Solis, atque diſtantiis, de primis elementis, atque etiam de diis, ſiue ſint ſiue nõ ſint, deque ipſo fine perueſtigans, nunquam non digladiari ſoleat, ſemper cum aliquibus contentioſe diſſidens: non humanis ſolùm, ſed & mundanis vexationibus atteritur atque conſumitur. At paraſitus horũ omnium ſecurus, omnia bene ſe habere exiſtimans, credénſque hæc meliori loco nõ eſſe poſſe quã ſint, cũ multa ſecuritate & animi tranquillitate, nullo iſtiuſmodi nugarum ſcrupulo illi faceſſente negotium, edit ſuauiſsimè, ac dormit ſupinus, porrectis & manibus & pedibus, quemadmodum Vlyſſes rate ad patriam nauigans. Atqui non propter illa tantùm nulla in re Epicurus voluptatis potitur, ſed etiam propter hæc. Quippe Epicurus ille, quicunque tandem fuerit ille ſapiens, aut habet quod edat, aut non. Si non, ille quidem voluptuoſe viuet minimè, imò ne viuet quidem. Sin autẽ habuerit, habebit aut à ſe ipſo, aut ab alio. Itaque ſi ab alio quod edat habuerit, paraſitus eſt & ille, & non is, quem ſe ſuperbè venditat. Sin à ſe ipſo, voluptuoſe non viuet. TYC. Quomodo verò non voluptuoſe? PARA. Si enim ſuppetiuerit illi apud ſe ipſum victus copia, multa, ô Tychiade, eiuſmodi vitam conſequi neceſſe eſt. Vide verò qualia. oportet enim eum qui voluptate duce molliter & delicatè victurus eſt, omnibus incidentibus cupiditatibus abunde indulgere. Aut quid tu ais? TYCHI. Et mihi idem videtur. PARAS. Proinde ei qui re familiari ampliter inſtructus eſt, fortaſſe vnde libidinem ſuam expleat, nõ ægrè ſuppetet: at qui æſtiuè atque tenuiter munitus erit opibus, illi harum rerũ potiundi nulla ſupererit copia. Itaque ſi pauper fuerit Epicurus, ſapiens eſſe non poteſt, neque vnquam voluptatis finem ſibi propoſitum conſequetur. Sed ne diues quidem copioſæ pecuniæ dominus, cui per facultates ſuas cupiditatibus prolixè ſuppeditare atque inſeruire promptum eſt, præfixum voluptatis finem nanciſcetur. Quid ita tandem? Propterea quòd neceſſe ſit eum qui ſumptum de ſuo fecerit, in multas atque adeò odioſas illabi moleſtias. Iam enim illi cum coco rixandum erit, quòd parum opiparè atque apparatè edulia adornauerit. Aut ſi citra rixam cõci negligentiam diſſimulanter habuerit, tum ferculis inconditis, & minimè delicatis veſcitur, ac per hoc ſperata voluptate priuatur. Aut iam illi cum domus præfecto rem familiarem indiligenter accurante delitigandum eſt. An verò hæc ita ſe non habent? TYCHI. Per Iouem idem quoque mihi videtur. PARAS. Hæc ergo omnia vt Epicuro accidant neceſſe eſt. itaque nunquam voluptatis fine miſer ille potietur. At verò paraſito neque cocus eſt vllus, cui propter incuriam iraſceretur, neque ager, neque villicus, neque argentum, quorum nomine famuli excuſationem perferens doleret: & tamen omnia habet, vt edat & bibat, ſoli illi nulla re exiſtente qua vt Epicurus perturbaretur. Iam quòd ars ſit paraſitica, & ex his iam dictis, atq; aliis ſatis ſupérque oſtenſum eſt. Reliquum eſt vt planum faciam quàm ſit etiam omnium optima, & hoc quidem non ſimpliciter, ſed primùm declarabo quàm communiter omnes alias artes ſua anteire ſoleat præſtantia: deinde quàm etiam priuatim præcellat cæteras. Communiter ad hunc modum præſtat aliis. Etenim vniuſcuiuſque artis ſtudium, diſcendi adducere laborem, timorem ac verbera neceſſe eſt, quæ qui nõ deprecetur, nullus vnquam inuentus eſt. Hanc verò artem cuius ego profeſſor ſum, ſolam, vt videtur, licet ſine labore perdiſcere. Quis enim vnquam à conuiuio flens digreſſus eſt, veluti quoſpiam videmus puerulos à præceptoribus diſcedere? Quis proficiſcens ad conuiuium vnquam triſtis atque ſeuerus conſpectus eſt, quemadmodum illi qui ludos literarios frequentare ſolent? Atqui paraſitus ſua ſponte, atque adeò volens ad cœnam vadit, artis conſequendæ omnium cupidiſsimus. Cæteri verò qui aliis artibus perdiſcendis nauant operam, eaſdem proſequuntur odio, ita vt nonnulli aufugientes, artes ſuas ſumma deteſtatione repudient. Et cur non hoc quoque conſiderandum tibi venit, quòd eos, qui in aliis artibus feciſſent aliquot operæ pretium, parentes his potiſsimùm honorare ſolent, quibus paraſitum quotidie cohoneſtant? Elegantes, ita me Dii ament, inquiunt, puer pinxit literas, date illi quod edat. Malignas literarum notas deſcripſit, nihil date illi. Adeò res & honore penſanda, & ſupplicio punienda eſſe videtur. Quinetiam cum cæteris artibus ita comparatum eſt, vt primum hoc poſterius habeant, poſtquam iam multo ſudore paratæ ſunt, dulcem & expetitum voluptatis fructum ſubminiſtrant ſuis cultoribus, ad quã rem multa eſt via, nec minus aſpera. Cæterùm ſola ex omnibus paraſitica ſtatim initiò inter diſcẽdũ arte ſua fruitur, ac ſimul atq; inceepta fuerit, quãtocyus eſt in quæſtu. Præterea

terea reliquæ artes nõ ſaltẽ aliquę, ſed omnes ſimul tantùm victus conquirendi gratia inuentæ ſunt: at paraſito actutum parata eſt alimentorum felix copia, ſimul atque artem exorſus fuerit. An verò non animaduertis agricolam agros colere non colendi gratia, & fabrum fabricare non fabricandi gratia? At paraſitus nihil ſectatur aliud, ſed hoc ipſum, quod illius negotium eſt, & cuius gratia ei negotio intentus eſt. At hæc cui obſcura ſint, neminem eſſe arbitror, quòd ii qui reliquarum artium exercendo tractant commercia, per omne tempus afflicti laboribus viuunt ærumnoſe atque infeliciter, ac vix vnũ atque alterum diem feſtum per menſem agunt, propterea quòd ciuitates aliàs quidẽ per annum, aliàs per menſem indicta ſolẽnitate dies feſtos agere ſoleant, & tunc animo remiſsiore lætari dicuntur: at paraſitus ferè ſingulos ſemper triginta dies agit in otio. Omnes enim dies illi videntur ſacri Deorum numinibus. Præterea quibus conſilium aut animus eſt reliquis vti artibus cum aliqua laude & exiſtimatione, illi tenui frugalíque victu & potu vtantur ne ceſſe eſt, tanquam qui morbis decumbunt impliciti. Nam qui victu paulò copioſiore, potúque largiore ſemet inuitat & oblectat, ille ſtudio minimè eſt accommodus. Accedit his, quòd reliquę artes ſine inſtrumentis, magiſtro ſuo nihil fructus afferre poſſunt. Neque enim citra tibiam tibia canere, neque citra lyram pſallere, neque abſque equo equitare quiſquam poteſt. Porrò hæc vſqueadeo bona eſt, adeóque nõ oneroſa artifici, vt omnibus etiam inſtrumentis carenti, tamen victum largè ſuppeditet, eáque commodiſsimè vti poſsit. Et ſicut videmus, alias artes perdiſcentes, magiſtris mercedem perſoluimus: hanc autem diſcentes, præmium accipimus. Præterea aliarum artium omniũ ſunt doctores quidam & profeſſores: cæterùm qui paraſiticam tradat aut doceat, nullus eſt, ſed quemadmodum Poëſis iuxta Socratem, & ipſa quidem fato quodam accedit. Quinetiam illud apud animum tuum expẽdito, quòd alias artes, aut iter facientes aut nauigantes exercere nequeamus, hac verò vti licet & in itinere, & inter nauigandum. TYC. Admodum profectó. PARA. Atqui ò Tychiade, reliquæ artes omnes huius opem mihi deſiderare videntur, hæc verò nullius alterius egens eſt adminiculo. TYC. Quid autem? nónne qui alienas res accipiũt, tibi iniuſtè agere vidẽtur? PARA. Et quî non? TYC. Quomodo ergo paraſitus aliena accipiens, ſolus extra iniuſti noxiã habendus eſt? PARA. Huius quæſtionis cauſam tibi nõ poſſum reddere: verùm aliarum artium principia plerunque ſunt vilia atque ſimplicia, paraſiticæ autem principium admodum generoſum & illuſtre eſt. Etenim omnibus modis iactatum ac tritum illud amicitiæ nomẽ, nõ inueneris aliud quàm paraſiticæ eſſe auſpicium. TYC. Quomodo dicis? PARA. Quoniam nemo inimicũ aut ignotum hominem, ſed ne mediocriter quidem familiarem ad cœnam vocat: ſed neceſſarium eſt vt antè cum illo amicitiam cõtraxerit, quàm eum libationis & menſæ participem fecerit, atque ad huius artis myſteria admiſerit. Audiui ego ſæpenumero dicentes quoſpiam, Cuiuſmodi ille amicus eſt, qui neque edit neque bibit vnquam nobiſcum? quaſi eum qui vnà cibum capiat, atque combibat, ſolum fidum amicum eſſe exiſtiment. Quòd autem ars ſit omnium præſtantiſsima, inde facillimè poteris cognoſcere. Etenim artes reliquas non tantùm grauiter laborantes, & ſudore perfluentes, ſed per Iouem ſedentes aut ſtantes exercent, quaſi artibus ſeruiliter mancipati ſint: at paraſitus veluti addicto mancipio ſua arte vtitur, veluti rex accumbens otioſus ab animo. Illa autem quorſum recenſere attinet, certiſsima felicitatis paraſiticæ documenta, quòd ſolus iuxta ſapientem Homerum, neque vllam plantam inſerit manibus, neque terram verſat aratro, ſed citra arationem, citráque ſementem omnia paraſitãdo conſequitur? Præterea rhetori aut mathematico aut fabro ærario nihil obſtare video quo minus artem ſuam exerceat, etiam ſi improbus fuerit aut morio: porrò autem paraſitum agere nemo poteſt, qui aut ſtultus fuerit, aut improbis moribus. TYC. Papæ! cuiuſmodi rem oſtendiſti eſſe paraſiticam! Itaque & me iam ea inuaſit libido, vt paraſitus eſſe cupiam pro eo qui nunc in præſens ſum. PARA. Itaque quemadmodum omnibus aliis artibus potior ſit paraſitica communiter, abunde mihi demonſtratũ eſſe opinor. Age nũc deinceps quomodo priuatim quoque excellat ſingulas, conſiderabimus. Vt autẽ hanc cum mechanicis aut manuariis artibus conferã, ineptum mihi eſſe videtur, aut potius eius qui huiuſce artis dignitatem indignis modis ſubuerteret. Sed illud potius, quomodo maximas atq; pulcherrimas ſua præſtãtia exuperet, demonſtrandũ eſt. Eſt autem in confeſſo apud omnes, rhetoricam atq; philoſophiam cæteris longè celebriores haberi, quas plerique propter generoſitatem atque cognitionẽ omnibus anteponunt. Proinde poſteaquam oſtendero & his longè potiorem eſſe paraſiticam, ſatis conſtabit eandem quoque cæteris artibus vniuerſis longè latéque præſtare, veluti Nauſicaa corporis venuſtate atq; proceritate omnes præcellebat famulas. Equidem communiter vtraſq; excellenter anteit, & rhetoricam, & philoſophiam. Primùm quãtum attinet ad artis ſubſtantiã. Illa enim ſubſiſtit, hæc verò minimé. Neque enim de rhetorica eadem omnium eſt ſententia, neque eandem idem omnes eſſe ſentimus, ſed nonnullis ars eſſe videtur, nonnullis ab arte ſeiuncta. Plerique etiam prauitatem quãdam artis ſeu impoſturam eſſe exiſtimant, alii aliud. Haud alia eſt hominum de philoſophia diſputantiũ opinio. Aliter enim Epicuro res philoſophicæ habere videntur, aliter Stoicis, aliter Academicis, ſecus quoque Peripateticis. Et quid multis opus eſt? Omnino alius aliam rem philoſophiam eſſe contendit & comminiſcitur: & ad hunc vſque diem neque illi ſuam obtinent ſententiã, neq; ars illorũ vna eſſe videtur. Ex quibus omnibus hanc mihi coniecturam facere licet, quòd ſtatim ſub initiũ illam artẽ eſſe negem, cuius nulla eſt ſubſtantia: quoniam cur tandẽ arithmeticam vnam eſſe videmus, quàm quòd bis duo & apud nos & apud Perſas ſint quatuor, nec diſcrepãt hæc neque apud Græcos, neque apud Barbaros? At philoſophias varias atq; multiplices eſſe videmus, præterea neque fines neque principia illarum concordare. TYC. Vera dicis. Etenim vnam philoſophiam eſſe aſſeueranter affirmant, ipſi verò multarum ſunt authores. PAR. Atqui in reliquis artibus, quanquam nõnihil diſcreparet, quiſpiam verò progreſſus

Odyſſ. z.

Quintilia. lib. 2. ca. 17.

greſſus illud ignoſcendum eſſe contenderet, propterea quòd alioqui perfectæ eſſent, earúmque cognitiones non forent ambiguæ aut mutabiles, certè ille repudiandus non eſſet. At philoſophiam quis tanquam neceſſariam ſuſtineret vnam & ſimplicem non exiſtentem, ac ferè vbique ipſam ſecum diſcrepantem, longè magis quàm inſtrumenta quæ ſunt diuerſiſsima? Siquidem non eſt vna philoſophandi ſcientia aut ratio, poſtquam innumeras eſſe conſpicio. Multæ autem eſſe non poſſunt, quandoquidem philoſophia vna eſt. Nõ diſparia de rhetoricæ quoque ſubſtantia quiſpiam dicere poſsit. Nam de vna re propoſita omnes non idem ſentire & dicere, ſed ſuper præceptionibus diuerſis pugnare ſententiis, documentum eſt certiſsimũ ne principium quidem illius artis eſſe probabile, cuius nõ eſt vna cognitio. Etenim quærere quid potiſsimũ ex illis æſtimanda ſit rhetorica, ac nondum fateri vnam eſſe, omnem eius quod quæritur, tollit eſſentiam. Porrò autem ipſa paraſitica non perinde ſe habet, ſed & inter Græcos & inter Barbaros ſui nunquam diſsimilis eſt, ſed vna atque eadem paraſitandi ratio vbique. Neque quiſpiam dixerit aliter hos, aliter illos exercere paraſiticam. Neque ſunt inter paraſitos, vt vides, diſcrepãtium ſectarũ authores, cuiuſmodi ſunt aut Stoici, aut Epicurei, dogmata habentes pugnantia, ſed vna omnibus apud omnes eſt profeſsio, operúmque & finis concordia. Itaque vt mihi videtur, periculum eſt ne ex his omnibus iam à me adductis, paraſitica quoque ſit ſingularis & pręcipua quædam ſapientia. TYC. Videre mihi iſta ſufficienter diſſeruiſſe. Quòd autem & in aliis philoſophia tua profeſsione paraſitica deterior exiſtimanda ſit, quomodo planum facies? PARA. Ergo illud mihi ſub initium dicto perneceſſarium eſt, nullum paraſitum vnquam philoſophiam amaſſe: at paraſiticæ deſiderio permultos artiſſe philoſophos teſtantur hiſtoriæ: quo deſiderio etiam nunc tenentur. TYC. Et quóſnam memorare potes philoſophos, qui paraſiticæ operam dederint? PARA. Eos quidem ô Tychiade, quos neque tu ignoras, ſed data opera me quoque ignorare ciuiliter ſimulas, veritus ne ea ex re de decus illis potius quàm honorem cõciliem. TYC. Non per Iouem hoc mihi in mentem venerat, ô Simo, attamen vehemẽter animi pendeo quóſnam ei rei vnquam ſeruientes poſsis producere. PARA. O generoſe, equidẽ tu mihi rudis & imperitus eſſe videre eorum qui philoſophorum vitas memoriæ proditas ad poſteros tranſmiſerunt. omnino enim eoſdẽ quos dico legere potuiſſes. TYC. Atqui per Herculem iam mirabiliter audire geſtio qui tandem illi ſint. PARA. Ego tibi eoſdem demonſtrabo, & nominatim perſtringam, & quidem minimè malos, aut infimæ cõditionis philoſophos, ſed vt ego opinor, ferè ex omnibus præſtantiſsimos, & de quibus hoc vel ſuſpicari indignum facinus eſſe putaſſes. Enimuero Aeſchines ille Socraticus, longis illis & lepidis dialogis ſummo ſermonis nitore atque munditia conſcriptis, ſemel venit in Siciliam, eoſdẽ vnà ſecum ferens, vt ſi quo modo fieri poſſet, eorũ opera Dionyſio tyranno innoteſceret. Tandem verò lecto Miltiade, viſus ſibi nõ mediocrem adiunxiſſe & laudem & opinionem, reliquum tempus permanſit in Sicilia, paraſitans Dionyſio, Socraticis diſceptationibus longùm valere iuſsis. Quid autẽ? nónne & Ariſtippus ille Cyrenæus vnus ex præſtantibus & eximiis philoſophis tibi eſſe videtur? TYC. Maximè. PAR. Et ille per id ætatis Syracuſis verſatus eſt paraſitando apud Dionyſium. Itaque ex omni paraſitorum numero ille in maximo pretio habitus fuit apud illum. Erat enim præter cæteros ad hãc artem ſingulari præditus induſtria: quare & coquos quotidie ad illum miſsitare ſolitus eſt Dionyſius, quò apparatius tanto magiſtro artem perdiſcerent culinariam. Ille ſanè videtur etiam artem pro dignitate excoluiſſe. Quin etiam Plato veſter generoſiſsimus, & ipſe non aliam ob cauſam in Siciliam profectus eſt: ac ſanè pauculos aliquot dies paraſitatus, ſtatim ab incœpta paraſitatione propter artis imperitiam elapſus eſt. Rurſus autem Athenas regreſſus, cùm variis ſemet ſtudiis exercuiſſet & adornaſſet, deinceps ſecunda vice in Siciliam nauigando contendit, vbi iterum pauculos aliquot dies cœnatus, ob paraſitandi imperitiam Dionyſio excidit. Et hæc quæ Platoni in Sicilia parum ſcitè paraſitanti accidit aduerſitas, perſimilis mihi eſſe videtur Niciæ. TYC. Et quis ea Simo de Platone tibi dixit? PARA. Equidem & alii complures, porrò autem Ariſtoxenus Muſicus vir clarus atque memorabilis, & ipſe Nelei paraſitus fuit. Quòd verò Euripides apud Archelaum paraſitum egerit vſque ad extremum vitæ diem, Anaxarchus autem apud Alexandrum, planè tibi compertum eſt. Neq; Ariſtoteles paraſiticam intactam reliquit, ſed eandem vt reliquas artes omnes exorſus eſt. Philoſophos quemadmodum paraſiticæ operam dederint, oſtendi: paraſitum verò nemo vnquam poteſt producere qui philoſophandi captus ſit deſiderio. Et ſanè ſi felicitas putanda eſt, neque fame diſcruciari, neque ſiti vrgeri, neque algore torqueri: hæc nemini alteri quàm paraſito ſuppetunt. Itaque philoſophorum non parum multos quiſpiam inuenerit & algentes grauiter & eſurientes, paraſitum verò nequaquam. Aut alioqui paraſitus habendus non eſſet, ſed infelix quiſpiam, aut mẽdicus circunforaneus, aut etiam philoſopho ſimilis. TYC. Hæc equidem tibi ſatis ſupérque diſputata ſunt. At philoſophia atque rhetorica etiam reliquis potiorem eſſe paraſiticam, quomodo comprobabis? PARA. Sunt in vita humana tempora, ô optime, alia quidẽ pacis, vt opinor, alia verò belli. Iã in his omnibus modis neceſſariũ eſt artes cuiuſmodi ſint manifeſtas fieri: ſed & illi neceſſum eſt vt ſe aperiãt qui artibus ſunt imbuti. Primùm autem, ſi ita tibi videtur, tempus belli ſubducta ratione excutiamus, & quínam ingruente bello omnium maximè tum ſibi ipſis priuatim, tum Reipub. ſunt vtiles. TYC. Quàm non mediocre virorum certamen annuntias! Et ego iandudum apud me ipſe rideo, cogitabundo animo mecũ conſiderans cuiuſmodi futurus ſit philoſophus cum paraſito comparatus. PARA. Ne verò nimia capiaris admiratione, néve hanc rem cauillo aut ſubſannatione dignam exiſtimes, agè hoc totum expreſſis typis oculis noſtris ſubiiciemus. Annuntiatum eſt ex improuiſo hoſtes in regionem irruptionem feciſſe: perneceſſarium autem eſt collecta manu illis exire obuiam. Neque enim per ſocordiam cõmittẽdum eſt vt impune abactis pecoribus agros noſtros

noſtros deuaſtent atque depopulẽtur. At dux belli denuntiat vt ad delectum faciendum iuuenes confluant, alii verò diſcedant. Sint autẽ inter hos nonnulli & philoſophi, & rhetores, & paraſiti. Itaque initiò abiectis veſtimẽtis exuimus nos. Quippe qui armis induendi ſunt, antè ſe denudent neceſſe eſt. Proinde intentis oculis ſpecta ô generoſe vnumquenque ex ordine, habitóq; delectu probato corpora. Itaque illos propter victus indigentiam haud dubiè viſurus es tenues atq; pallidos, & planè corpore horrido, quaſi iam confecti ſint vulneribus. Quî ergo non ſummè foret ridiculũ, affirmare eiuſmodi viros perferre poſſe certamen, aut pugnã ſtatariam, aut impreſsionem, aut puluerem atque vulnera, qui curatione aliqua refocillandi ſunt? At iam contrà ab illis regreſſus, paraſitũ quo corpore appareat, cõtẽplare. Nunquid nõ ille mẽbris præditus eſt planè gladiatoriis, ac colore viuo atq; iucũdo, neq; nigro neq; rurſus peralbo? Hoc enim muliebre eſſet, illud ſeruile. Deinde animoſus quoq;, terribile quiddam obtuens, vultu minaci & rubicundo, quod paraſitorum eſt proprium. Neq; enim conſultum factu videtur, hominem meticuloſum, aut fœmineis oculis præditum in aciem producere. Nunquid non igitur iſtiuſmodi ſit elegãs & viuens armatus, elegans etiã ſi honeſtè in prælio ceciderit? Sed quorſum iſtis collationibus vtimur, cum illorum exempla nobis in prõptu parata ſint? Vt enim ſimpliciter quæ ſentio eloquar, priorum rhetorũ atq; philoſophorum partim extra murũ in bellũ progredi nũquam auſi ſunt. Quòd ſi quis etiam neceſſariò coactus militatum egreſſus eſt, illum ego deſerta acie turpiter aufugiſſe dico. TYC. Quàm admiranda omnia, & quàm nihil exiguũ aut mediocre polliceris! PAR. Nihilo ſecus tamen orationem ſemel exorſus expediam. Equidem ex rhetorum numero Iſocrates, ne ſemel quidem in bellum egreſſus eſt, at ne in foro quidem iudiciali vnquam orationẽ habiturus aſcendit, propter animi puſillanimitatem. Opinor verò & ob hoc ipſum illi vocem defuiſſe. Præterea nón ne Demades & Aeſchines & Philocrates timore ſtatim conſternati bellũ Philippo indicente, vrbem atque ſe ipſos hoſti prodiderunt, neque non pertinaciter perſeuerarunt Athenis illius res atque negotia ſemper adminiſtrantes? adeò vt ſi quis etiam alius Athenienſium eandem ſequeretur bellandi rationem, protinus in illorum amicitiam adſciſcebatur. At verò Hyperides, & Demoſthenes, & Lycurgus, qui paulò videbantur cæteris animoſiores, tametſi in concionibus ſubinde tumultuarentur, ac Philippum contumelioſis dictis proſcinderent, quódnam memorabile facinus in eo bello, quod aduerſus illũ geſſere Athenienſes, ediderunt? Equidem Hyperides & Lycurgus nunquam egreſsi ſunt, ſed neq; vel modicum exerto è portis capite auſi ſunt proſpicere, verùm intra murum clauſi ſedebant, iam apud ſe ipſi obſidionem perferentes, ſententiolas atque ſenatuſconſulta componentes. Sedenim anteſignanus illorum atq; coryphæus, nempe Demoſthenes, cui iſta pro concionibus ciuium auribus ſubinde occinere moris erat, Philippus Macedonum exitium, à quo ne mãcipium quidem aliquis emere ſuſtineret: auſus venire in Bœotiam, priuſquam vterque exercitus commiſtus ad manus deueniret, abiecto clypeo auſugit, magna cum ignominia atq; dedecore. An & hæc antea neminem cõmemorantem audiſti, quæ nedũ Athenienſibus pro certo comperta ſunt, ſed & Scythis & Thracibus, vnde illud piaculũ profectum fuerat? TYC. Iſta equidem mihi compertè nota ſunt. At illi quidem fuerunt rhetores, quibus ſtudio fuit concionari, & cauſas perorare, non virtutem armis exercere. Quid autem de philoſophis habes quod dicas? Neque enim hos quemadmodum illos accuſare potes ignauiæ. PAR. Illi equidẽ Tychiade, qui quotidianis diſſertationibus multa de fortitudine diſputare conſueuerũt, virtutis nomen nunquam non in ore habentes, multò quàm rhetores apparent fugaciores, ignauiores, atque etiã effœminatiores. Ad hunc verò modum rem conſidera. Principiò quidem nemo eſt vſquam qui pro certo affirmare poſsit vllum philoſophum in bello oppetiiſſe: aut potius in vniuerſum nunquam meruere ſtipendia: aut ſi meruerunt, omnes audita tuba aufugerunt. Equidem Antiſthenes & Diogenes, & Crates, & Zeno, & Plato, & Aeſchines, & Ariſtoteles, & illa vniuerſa philoſophorum turba, nunquam viderunt aciem. Solus autem ſapiens ex illorum numero Socrates ſumpta fiducia in bellum quod ciuitati fuit aduerſus Lacedæmonios, exire auſus, fuga inde ſaluti conſulens, ex Parnethe in Taurei palæſtram diuertit. Exiſtimabat enim ſibi longè fore tutius atque ciuilius ſedenti cum puerulis ſtudioſe exornari, ac vnà ſermonẽ ſociantes ſophiſticis captiunculis illaqueare, quàm cum viro Spartano manus conſerere. TYCH. Ego verò iſta iam olim, ô generoſe, memorata accepi ab aliis, quibus per Iouem nequaquam voluntas erat hæc illis illudendi gratia exprobrare ſicut tibi. Itaque parum gratiæ arti tuæ conciliare videre, tantos viros falſis cõtumeliis affici ẽdo. At ſi videtur, age iam, ac mihi cuiuſmodi vir paraſitus in bello ſit expedi, & nunquid omnino ex veteribus illis quiſpiam paraſitus fuiſſe credendus eſt. PAR. Atqui ô amice, neminem vſqueadeo Homericæ poëſeos rudem atque imperitum eſſe exiſtimo, neque ſi prorſus à literis alienus aut idiota fuerit, qui neſciat apud illum ex heroïbus omnium præſtantiſsimos paraſitos eſſe. Siquidem Neſtor ille, à cuius lingua perinde vt mel fluebat oratio, regis paraſitus fuit. Sed neq; Achillem, quemadmodum & videbatur erátque corporis forma atque viribus excellentiſsimus, & iuſtiſsimus, neq; Diomedem, neq; Aiacẽ Agamemnon tantis laudibus extulit & admiratus eſt, quanto laudis teſtimonio ornauit Neſtorem. Neque enim decem Aiaces ſibi dari exoptat, neque decem Achilles. Quippe iam olim Troiam funditus exciſam cepiſſet, ſi eiuſmodi decem alios milites cuiuſmodi paraſitus ille fuerat, quanquam iam confectus ſenio, habuiſſet. Quin etiam Idomenea Iouis filium eadem ratione Agamemnonis paraſitum fuiſſe cõfirmat. TYC. Hæc equidẽ & ipſe non ignoro. Nondũ tamen mihi intelligere videor quomodo illi duo heroës Agamemnonis paraſiti fuerint. PARA. Perlege ô generoſe verſiculos illos quibus ipſe Agamemnõ Idomenea alloquitur. TYC. Quóſnam dicis? PARA.

-Semper tibi plenior vni
Stare ſolet cyathus, velut & mihi, quãdo bibẽdi
Eſt mens vt potes.-

Neſtor.

Iliad. β.

Idomeneus.

Iliad. ι.

Inde quod dixit, ſemper pleniorem adſtare cyathum, non ita accipiendum eſt, quaſi ſemper poculum vino plenum Idomeneo & pugnanti & dormiēti ſit propoſitū, ſed quòd illi per omnem vitam ſoli cum rege cœnandi facultas conceſſa fuerit, ſed non perinde vt aliis militibus certis quibuſdam diebus ad menſam vocatis. Etenim Iliad. π. Aiacē quòd ſingulari certamine congreſſus cum Hectore, optimè ſe geſſerat, proceres ad Agamemnonem diuinum cœnatum abduxiſſe commemorat, tanquam propter virtutem in pugna editam honoratum, admodū ſera cœna apud regem apparata. At verò Idomeneus atque Neſtor ferè quotidie cum rege cœnitabant, vt idem author teſtatur. Porrò Neſtor regū paraſitus mihi fuiſſe videtur multa arte induſtrius. Neque apud Agamemnonē primùm hanc paraſitandi artem exorſus eſt, ſed multis retro temporibus apud Cænea atque Exadium. Viſus verò eſt neque paraſitandi finem antè feciſſe, quàm Agamemnon diem ſuum obiit. TYC. Equidem ille præclarus & inſignis fuit paraſitus. At ſi quos alios id genus heroas paraſitos fuiſſe noſti, hoc mihi nominatim explicare ne pigeat. PARA. Quid igitur ô Tychiade, nónne & Patroclus Achillis paraſitus tibi fuiſſe videtur, præſertim cum nullo aliorum Græcorum fuerit deterior aut ignauior neque animi neque corporis dotibus, tametſi iuuenis exiſtens? Mihi equidem nulla in re ipſo Achille videtur fuiſſe inferior, ex eius operibus coniecturam facienti. Etenim Hectorē perruptis portarum obicibus, ac intra munitionem iuxta naues pugnantem, fortiſsimè repulit, & Proteſilai nauim iam incenſam & ardētem extinxit, quanquam in ea eſſent non ignauiſsimi, verùm Telamone nati & Aiax & Teucer, alter haſta ſtrenuus, alter arcu valens. Multos præterea ex Barbaris neci dedit: inter quos & Sarpedonē Iouis filium Achillis paraſitus peremit. Proſtratus verò occubuit nequaquam vt alii, ſed ipſum quidem Hectorem vita ſpoliauit Achilles, at Achillem Paris, vnus vnum. Porrò autem paraſitum & Appollo & duo viri occiderūt. Ac iam moriens eas voces edidit, non quales generoſiſsimus Hector ille, Achillē ſuppliciter precatus vt cadauer eius ſuis ſepeliendum redderet: ſed quales par eſt paraſitum expirātem emittere: cuiuſmodi tandem?

Si mihi viginti duro in certamine tales
Antè occurriſſent, cunctos ego cuſpide cæſos
Strauiſſem letho.-

TYCH. At de his quidem abunde ſatis multa verba feciſti. Cæterùm Patroclum non amicum, ſed Achillis paraſitum fuiſſe, quo pacto teſtatum facies? PARAS. Ipſum, ô Tychiade, Patroclum quòd paraſitus fuerit, dicentem tibi exhibebo. TYCH. Admiranda dicis. PARAS. Audi igitur hoſce verſiculos:

Ne mea Pelida condi patiare ſeorſim
Oſſa, ſed amborum ſint vno tecta ſepulcro,
Sicut & antè domi nutriti viximus vnā.

Et rurſum eodem in loco:

Nam me ſuſceptum Peleus ſtudioſus alebat,
Nomine méque tuum noto Theraponta vocauit.

hoc eſt, paraſitum eſſe voluit. Etenim ſi Patroclum Achillis amicum dicere voluiſſet, haud illum theraponta nominaſſet. Erat enim Patroclus liberalior, quàm vt Achillis ſeruus dici ſuſtinuiſſet. Quos igitur dicit eſſe therapontas? qui neq; ſerui ſunt, neq; amici, nempe paraſitos: quo nomine & Merionem Idomenei theraponta cōpellat. Atque ita tunc paraſitos dictos eſſe planè coniectura auguror. Quineriam hoc conſidera, quamobrem Idomenea Iouis filium non dignatus ſit Marti æqualem dicere, verùm Merionem eius paraſitum. Nónne verò & Ariſtides, vir popularis exiſtens & pauper, vt inquit Thucydides, paraſitus fuit Armodii? nónne & amator? Sunt enim paraſiti ſuorum alumnorum peramantes. Huius itaque paraſiti opera, Athenienſium Reip. tyrannide oppreſſæ libertas iterum recuperata eſt. Et nunc in foro ſtat æneus inter reliqua ciuitatis monimenta ſpectabilis. Illi equidem cum tanta virtute claruerint, tamen paraſitos agebāt. Tu verò quónam animatum animo paraſitum in bello eſſe putas? Nónne ſub initium talis curato probè corpore ſumpto ientaculo prodit in aciē, quemadmodum & Vlyſſes fas eſſe contendit? Quippe cui ſtatim ſub auroræ exortum pugnandum erit, ille prius cibum ſumat neceſſe eſt. Et quo tempore alii milites, præ metu, hic quidem galeam diligenter adornat, ille thoracem curioſe induit, alius aliud quiddam malum belli ſuſpicans trepidat: paraſitus vultu prorſus hilaro & exporrecto indulget epulis: ac mox poſtquàm in aciem progreſſus eſt, inter primos fortiſsimè dimicat: cæterùm qui alit paraſitum, tum in ordine ſubſequitur, quem ille non ſecus atq; Aiax Teucrum, clypeo defendit. Cupit enim impenſius ſuum ſeruare alumnum paraſitus, quàm ſe ipſum tueri incolumem. Quòd ſi etiam in bello cæſus paraſitus occubuerit, neque imperatorem, neque militum quenquam pudore afficit, tantùm exiſtens cadauer, quali corporis dignitate quōdam in ſympoſiis accumbere ſolitus eſt: adeò vt indignum ſit facinus, philoſophi cadauer huic appoſitum conſpici, aridum & ſordidum, prolixo barbitio informe, hominem prorſus miſerandum, & qui ante initum prælium mortuus ſit, imbellis atq; inualidus. Quis verò eam ciuitatem non extremè cōtemneret, cuius tam miſerandos atq; infelices cerneret ſatellites? Quis non eam vrbem cùm robuſtis tum animoſis auxiliatoribus egere exiſtimet, qui adeò pallidos & comatos homunciones inter militum cadauera diſperſos intuitus fuerit, eóſq; qui in excubiis ſtationes agitant, nullius in bello eſſe pretii? Tales equidem ſunt in rebus bellicis paraſiti, cum philoſophis atq; rhetoribus cōparati. Cæterùm in pace tantum præcellit philoſophiam paraſitica, quantum ipſa pax bello præſtat. Ac primùm, ſi videtur, pacis loca atq; ſtudia contemplemur. TYC. Nondum teneo quid hæc tua ſibi velit oratio, conſideremus tamen. PARA. Igitur forū & iudicia, & palæſtras, & gymnaſia, tum venationes & ſympoſia ego ciuitatis loca eſſe dixerim. TYCH. Et rectè ſané. PARA. Quòd autem paraſitus in forum cauſas acturus nō prodit, quódq; in iudiciis

Iliad. π. Patroclus. Ariſtides. Iliad. π. Iliad. π.

nulli clientulorum vocatus patronus præſtò eſt, hanc ego ſubeſſe cauſam opinor, quòd iſta loca magis ſycophantis & rabulis illis forenſibus pateant atq; conueniant, quódq; nihil moderati in illis fieri ſoleat. Palæſtras verò atq; gymnaſia vnà cum ſympoſiis paraſitus frequentat ſedulò, quibus ſolus ille ornamento eſt, atq; decori: quoniã quiſnam philoſophorũ aut rhetorum exutus veſtimentis in palæſtra, dignè componendus eſſet cum paraſiti corpore? Aut quis illorũ conſpectus in gymnaſio, non potius probro atque dedecore locum afficeret? Atqui ne in deſerto quidẽ illorum quiſpiam irruentis alicuius belluę impetum ſuſtineret: at paraſitus earundẽ vim atq; ferociam fidenter expectat, ac ſine negotio cõpeſcit, quippe qui eaſdem in conuiuiis cõtemnere didicerit. Sed neq; ceruus neq; ſus ſetis inhorreſcens paraſitum conterret, ſed ſue aduerſus illum dentes acuente paraſitus aduerſus ſuem contrà acuit terribilis. Cæterùm lepuſculos magis inſectatur, quàm vllus canis venaticus. Porrò autem in conuiuio quis cum paraſito certamen ſuſciperet, aut iocos ciente, aut comedente? Et quis magis conuiuarum triſtitiam diſcutit? an ille cantillans ridicula, & ludens dicteriis: an homo potius nihil ridens, in ſordida tritáq; lacerna accumbens, terram triſtis intuens, quaſi ad luctum non ad ſympoſium vocatus veniſſet? Ac mihi profectò tale quiddam in ſympoſio videtur eſſe philoſophus, quod canis in balneo. Sed agè iſtis poſthabitis ad ipſam paraſiti vitam nos conferamus, excutientes atq; cõparantes illũ. Primùm igitur quis eſt, qui nõ videt paraſitum nunquam non contẽptorẽ eſſe gloriæ, quippe cui nihil curæ eſt quam de ſe opinionẽ homines obtineãt? At verò ipſos rhetores atque philoſophos, non ſaltem illorum aliquos, ſed in vniuerſum omnes, faſtu atq; gloria tranſuerſos agi quiſpiã inuenerit, ac non tantùm gloriæ deditos, ſed, quod adhuc turpius eſt, argenti ſitientiſſimos. Sedenim paraſitus hoc erga pecuniam affectus eſt animo, quo non aliquis negligentiore erga lapillos paſſim proiectos in litore animatus eſt. Ac nihil illi inter aurum & ignem videtur eſſe diſcriminis. Rhetores autem, & quod abſurdius eſt, etiam illi qui philoſophiæ profeſsione ſe venditant, tam auidè argento inhiant, quaſi hac ratione maximam ſibi nunc conciliarẽt & opinionẽ & authoritatem philoſophi. De rhetoribus quid multa attinet dicere? cum ille corruptus largitionibus cauſam orare ſoleat, alius dicendi artem profitens à diſcentibus mercedem exigit. Tertius à rege ſimiliter præmium flagitat, nõ ob aliud, niſi quòd cum illo cõuerſationem ſociet: nec pudore ſuffunditur. Eſt præterea alius qui iam ætate confectus, non ob aliud peregre proficiſcitur, quàm vt lucrum faciat, aut ſtipendio mereat, non aliter atq; Indus quiſpiam aut Scytha captiuus. Neq; eundem pudet nominis, quòd merces ſit illud quod accipit. Non ſolùm verò his vitiis eos inuenies obnoxios, ſed ſunt adhuc alii degeneris animi affectus, quibus ſunt pleniſsimi, nempe moleſtæ perturbationes, iracundia, inuidentia, ac omnis generis concupiſcentiæ. Paraſitus autem his omnibus vacans affectibus, neq; iraſcitur propter animi tolerantiam, tum etiã quòd illi nemo ſit cui iraſceretur. Atq; etiam ſi quando victus mentis impotentia, indignatur, nihil tamen mali aut iniuriæ, iracundiæ impulſu deſignat perperã: quin potius riſum omnibus eius excandeſcẽtia excutit, ac oblectamento eſt conuerſantibus. Minimè verò omniũ perturbatur triſtitia, aut vlla mentis moleſtia diſcruciatur. Etenim tam præſens illi paraſitica ſuppeditat aduerſus omnes moleſtias remedium, vt nulla etiã cauſa exiſtat quamobrem afficiatur triſtitia. Neq; enim illi ſunt opes, neq; domus, neq; famulus vllus, non vxor, non liberi, quibus pereuntibus habentem diſcruciari animo omnino neceſſe eſt ſi horum iacturam fecerit. Atqui neq; gloriæ vllius eſt appetẽs, neq; opulentiæ: ſed nec formoſum quenquam deſiderat. TYC. Veruntamen, ô Simo, planè conſentaneũ eſt, illum ob victus indigentiã perturbari animo. PARA. Ignoras, ô Tychiade, ſtatim initiò hunc nõ eſſe paraſitum, quicunq; laboratvictus inopia. Neq; enim fortis, inopia fortitudinis fortis perhibendus eſt: neq; ſapiens, ſapientiæ penuria ſapiens putãdus: alioqui paraſitus eſſe nõ poſsit. Nos enim de eo qui re ipſa paraſitũ agit, loquimur, non de eo qui ſolum paraſiti nomen falſò obtinet. Iam ſi fortis non alia ratione, quàm præſente fortitudine fortis, & ſapiens præſente ſapiẽtia ſapiens habendus eſt: ſequitur neq; paraſitum, niſi paraſitandi facultas ſuppetat, paraſitum eſſe poſſe. Quare niſi hoc illi ſuppeditatum fuerit ab alio, nequaquã paraſitus exiſtimãdus eſt. TYC. Proinde paraſitus nunquam alimenti laborabit inopia? PAR. Ita quidem apparet. Itaq; neq; huius neq; alterius cuiuſpiam rei gratia diſcruciatur animo. Verùm omnes ad vnũ philoſophi pariter atq; rhetores, maximo ſemper in metu ſunt. Illorum igitur plurimos plerunq; ligno armatos in publicum prodire videmus: quod procul dubio non facerent, niſi armatos metuerẽt. Quid quòd etiam ianuas probè oppeſſulatas cõcludunt, metuẽtes ne quis noctũ domum ingreſſus, illis pernicieim machinetur? At paraſitus ædiculæ ſuæ ianuam quidem claudit, ſed planè incurioſe & temere, ne videlicet venti violentia irruens aperiat. Cæterùm noctu orto tumultu, non magis animo timore concutitur, quã ſi nullus extitiſſet. Præterea per ſola loca iter faciens, nullo accinctus gladio ambulat. Nihil enim prorſus vſpiam gentium metuit. At ego ſæpenumero vidi philoſophos nullius periculi ne ſuſpicione quidem exiſtente arcus apparantes. Sæpe enim baculis armati incedunt, atq; etiam ſi quando in balneas lotum abeunt, aut vocati ad prandium. Nullus verò eſt qui paraſitum aut adulterii, aut violentiæ, aut rapinæ, aut alterius cuiuſpiã delicti inſimulare poſsit: quoniam qui talibus vitiis eſſet cõtaminatus, iam non amplius paraſitus foret perhibendus, ſed ſe ipſe grauiſsimæ iniuriæ exponeret. Itaq; adulterium flagitioſe committens, vnà cum perpetrato delicto etiam flagitii nomen incurrit. Quemadmodum autẽ qui improbus fuerit, non bonus, ſed malus habẽdus eſt, ſic quoq; paraſitus ſi quid turpiter in ſe admiſerit, illud ipſum quod fuerat abiicit, aſſumit

mit autem id quod deliquit per flagitium. Cæterùm eius generis praua facinora permulta extãt à philosophis & rhetoribus turpissimè perpetrata, quæ non nobis tantùm comperta sunt, vtpote quæ nostro tempore saltem designata forent, sed libris editis relicta monumẽta habemus eorum facinorũ, quorum illi authores extiterunt. Extat apologia Socratis, extat Aeschinis atq; Hyperidę, neq; non Demosthenis. Ac ferme plurimorũ rhetorũ atq; philosophorũũ defensiones etiam hodie leguntur. At nulla extat parasiti apologia, nec vllus est qui pro vero affirmare possit, parasito iniuriarum scriptã esse dicam. TYC. At per Iouem parasitus meliori quàm rhetores atq; philosophi viuendi conditione fruitur, fato tamen deteriore absumitur. PAR. Equidem longè diuersum est quod dicis: nã & fato multò feliciore functus è viuis migrat parasitus. Quippe cõpertè exploratum habemus, philosophos ferè omnes, aut illorum maximã partem, malo extinctos esse exitio, nonnullos condemnatione iudicii in maximis flagitiis manifestò depræhensos, sumpto veneno: alios toto corpore exustos, pleroſq; vrinandi difficultate absumptos, alios ex fuga retractos, atq; occisos. At quis tandem tali quopiam exitio parasitum sublatum esse referre potest? sed mors felicissima ferè illi contingit edenti atque bibenti. Quòd si quis etiam violenta morte defungi videtur, mortuus auolasse creditur. TYCH. Hęc equidẽ satis supérq; tibi pro parasito contra philosophos decertata sunt. Supereſt vt & illud explices, num honesta & vtilis sit hæc alenti possessio. Siquidem opulentiores mihi videntur parasitos alere, tanquam officiosi, & beneuolè gratificantes illorũ tenuitati: quod ego ei, qui alitur, dedecus esse existimo. PAR. Quàm simpliciter fatuũ te esse constat, ô Thychiade, si hoc nequeas intelligere, hominẽ diuitem, etiam si Gygis opulentiã possideret, solum edẽtem, esse pauperem? Atq; ille progrediens in publicũ non comitante parasito, mendicus est. Et quemadmodũ miles sine armis habetur despectior, & vestis sine purpura vilior, & equus sine phaleris leuior: sic etiã diues egregiè & ampliter numatus, longè apparet sine parasiti satellitio humilior atq; contẽptior. Atqui parasitus quoq; non parum ornamẽto est diuiti, diues parasito nõ item. Alioqui neq; probrum est, vt tu ais, huic parasitari, vt præstantiori deteriorem. Quòd autem opulẽto vtile sit parasitum alere, præterquàm quòd ornamentum nõ vulgare illi adiungit, etiam securitatem multam parasiti prẽsentia & comitatus diuiti suppeditat. Neq; enim quispiam temere pugna adorietur diuitem, qui hunc illius lateri assistentem conspexerit. Sed neq; metuẽdum est eum veneno periturum, qui parasitum conuiuam habuerit. Quis enim auderet insidiis petere quempiã hoc præmandente atq; præbibente? Itaq; diues non tantùm à parasito ornatur, sed eius quoque opera à maximis periculis tutus cõseruatur. Ita enim parasitus propter charitatis affectũ, qua diuitem ex animo cõplectitur, omnibus semet obiectat periculis. Neq; tantùm concedit solum cibũ sumere, sed vnà quoq; edens exoptat oppetere. TYC. Omnia mihi, ô Simo, satis diserte disseruisse videris, nec quicquam quod ad artem tuam cõmendandã pertinet, prætermisisti: neq;, vt tu dixisti, ad hanc rem inexercitatus accessisti, sed planè omnium instructissimus atque exercitatissimus. Quod reliquũ est, scire gestio an parasiti cõpellatio non turpis & dedecorosa habenda sit. PAR. Vide quod responsum à me exigas, si sufficiẽter super his verba tibi feciſſe videor. Respõde verò mihi vicissim ad quęstionem, si rectè factũ existimas. Agè σῖτον prisci illi quo vocarunt nomine? TYC. Alimenti vocabulo. PAR. Quid autem σιτίζεσθαι, nónne alere? TYC. Sanè veró. PAR. Est ergo in confesso, neq; aliud esse parasitari. TYC. At illud ipsum Simo est, quod turpe esse apparet. PAR. Agè iterum mihi responde, quid tibi discriminis esse videtur, aut vtrisq; propositis vtrũ electurus esses, nũ nauigare, an adnauigare? TYC. Ego quidem eligerem adnauigare. PAR. Quid autem, currere, an adcurrere? TYCH. Adcurrere. PARA. Quid autem, equitare, an adequitare? TYCH. Adequitare. PARA. Quid autem, iaculari, an adiaculari? TYC. Adiaculari. PAR. Proinde non alia quoque ratione pro edere parasitari, sat scio, quoque eligeres. TYCH. Velim nolim sententiæ tuæ refragari non possum. Ac te quidem in posterum, veluti pueri & sub auroram & à prandio accedam, arti tuæ perdiscendæ operam daturus. Tu verò eandem docebis citra inuidiam ingenuè, quoniã primus tibi ero discipulus. Perhibent autem & matres primam prolem adamare impensiús.

ANACHARSIS, SEV DE GYMNASIIS,

Vincentio Obsopœo interprete.

ARGVMENTVM.

Disputant de gymnasijs siue exercitijs adolescentum, Anacharsis & Solõ. Cuius rei occasio hæc fingitur. Cùm Anacharsis Athenas ex Scythia profectus, vt & Solonem (qui temporibus illis prosapientissimo habebatur) audiret, & Græcorum instituta, ac mores cognosceret, fortè inter cætera iuuenes Athenienses inter se luctantes, ac mutuò in luto ac puluere seſe prosternentes ac volutantes aspiceret, ignarus quid agerent, aut quorsum ea contentio pertineret, rem & causam à Solone perquirit: qui cum exercitãdi genus esse diceret, & laudem ac præmia certaminum, corollas ac poma quædam commemoraret: ille ob tam paruas res tanto & tam acri studio illos inter se contendere, prostulto ac deridendo putat. Proinde altero institutum hoc, vt suum, commendante, altero verò ceu stultitiam atq; dementiam quandam ridente, paulatim eò venitur, vt Solon totã ciuitatis & informandæ iuuentutis rationem exponat. Ac primùm quidem, quibus disciplinis, quibúsque exemplis animos ac mentes ciuium informent, commemorat: deinde & corporum exercitium, & qui finis eorundem, quæq; vtilitas sit, recenset. atque ea pars propria instituti argumenti est. Cæterùm quia finem, à dissimilitudine rerum & instrumentorum, & quòd hæc puerilia, ad seria certamina ac bella parum profutura videantur, Anacharsis iterum confutat, monétq; vt iusta potius armorũ exercitatione ad futuros ca-

ſus ſeſe parent: Solon ſolennium quoque ludorum authoritatem & inſtituta, deinde publicum morem, & poſtremò etiam Lacedæmoniorum exemplum allegat: vbi tum ad Lacedæmoniorum ludos, & puerorum verberationes, ita reſpondet Anacharſis, vt videatur Lucianus reprehendendi magis cauſa illorum mentionem facere, quàm quod inhumanitatem atque ſæuitiam iſtam laudet. Porrò videtur interim & illud voluiſſe Lucianus, oſtendere videlicet rationem quandam qua iuuentus inſtitui atque informari ad Rempub. bene ac rectè poſſit, cuiuſmodi & pleraque ea ſunt quæ à Platone de Legibus lib. 7. & 8. de educatione & inſtitutione iuuentutis traduntur. Adeóq; breui iſto Solonis ſermone, omnia ferme ea Lucianus complexus eſt, quæ ille multis verbis & libris vix abſoluit.

ANACHARSIS. SOLON.

HAEC verò, ô Solon, quamobrem veſtri faciũt iuuenes? Partim enim illorum complexi mutuò ſe ſupplantant, partim verò alius alium præfocat, ac verberat, & cœno ſemet immiſcent, volutantúrq; perinde vt ſues. Atqui initiò ſtatim exutis veſtimentis (ſpectator enim aſsiſtebam) alter alterum viciſsim & raſit, & vnxit oleo, valde pacatè & amiciter: deinde verò neſcio qua offenſa diſſociati, mutuò ſe de loco propulerunt innuentes, frontéque arietantes concurrunt non ſecus
Lucta. atq; arietes. Et vide vt ille alterum ſublatum cruribus, humi proſtrauerit, deinde in eum illapſus ſuſpiciendi facultatem non permittit, in cœnum deorſum adigens. Poſtremò verò iam illius crura ſecundum ventrem complexus, circumiecto gutturi cubito, miſerum ærumnoſe præfocat. Alter autem eius obuerberat humeros, ſupplicans, vt opinor, illi ne prorſus præfocetur. Sed ne olei quidem gratia agunt modeſtius, ne luti aſpergine inquinarentur: verùm obſcurata vnctione, & luto completi, largo ſudore perfluentes, copioſam ridendi materiam mihi exhibent, veluti anguillæ è manibus elabentes. Rurſus alii in aulæ area hoc ipſum ſub Ioue facere conſueuerunt: neq; tamen illi ipſi in cœno, ſed profundam arenam ſubiicientes in foſſa conturbant ſe mutuò: ipſíq; vltro ſpargunt puluerem, gallorum in morem, quò minus (vt mea fert ratio) in complexibus effingiant, arena omnem lubricitatem diſcludente, aduerſariíque comprehenſionem firmiorem in arido ſubminiſtrante. Cæterùm illi ſtantes erecto corpore pulueribus pleni, & ipſi mutuis ſemet afficiunt verberibus, & calcitrãt. Itaq; infelix ille & dentes expuenti ſimilis eſſe videtur: adeò illi os totum & arena & ſanguine oppletum eſt, palma (vt cernis) in maxillam percuſſo. Sed ne præſes quidem ille inter eos pacem componit, ac pugnam inducta concordia diſſoluit. Etenim purpura cõiecturam facio hunc eſſe vnum ex illis principem. Quin animoſe quoq; cohortatur & laudat eum qui alteri incuſſa in faciem palma plagã intulit. Porrò alii alibi omnes
Pancratiũ. Saltus. accelerantes in puluere veluti currentes ſubſiliunt, eodem in loco permanentes, & in altum proſilientes, calce laceſſunt aera. Quocirca iſta perlibenter ſcire velim cuius compendii aut vtilitatis gratia factitare ſoleant. Et quidem omnino hæc res mihi videtur eſſe inſania: nec quenquam eſſe arbitror, qui me facilè perſuaſum ab iſta ſententia abducturus ſit, vt non credam hos inſigniter deſipere, quibus ſtudio eſt iſta facere. SOLON. Iſta mehercle ô Anacharſi, non iniuria ita tibi videtur, cum & peregrina ſint, & multum à maioribus Scythicis abhorreant: quemadmodum & vobis non parum multas diſciplinas & corporis exercendi ſtudia eſſe veriſimile eſt, quæ nobis Græcis abſurda & aliena eſſe viderentur, ſi quis quemadmodum tu illis ſpectandis arbiter aſsiſteret. Atqui bonum habe animum, ô amice. Neque enim iſta inſaniæ ſunt opera, neque impulſu contumeliæ hi mutuò ſe obuerberant, inq; cœno volutantur, aut ſemet conſpergunt puluere: ſed ineſt huic rei neceſsitas non iniucunda, neque mediocrem vigorem adiungit corporibus. Itaque ſi diutius, vt te planè facturum opinor, in Græcia verſatus fueris, non in longum & tu vnus ex eorum eris numero, qui cœno oppleti ſunt aut puluere: vſqueadeò res tibi videbitur & voluptuoſa, & vtilis. ANAC. Apage iſta à me ô Solon. Vobis hæc oblectamenta vtilitatem afferant: me ſi quidem quis veſtrûm ea affecerit contumelia, ſentiet me haud nequicquam accinctum eſſe acinace. Veruntamen dic mihi, quod nomen huic rei indidiſtis, aut quídnã operis hoc facere dicamus? SOLON. Locus ille, ô Gymnaſiũ. Anacharſi, à nobis vocatur gymnaſium, éſtque templum Apollinis Lycii. Cernis autem eius ſimulacrum quod ſupra ſtatuam ſitum eſt, ſiniſtra quidem arcum gerens: dextra verò ſupra caput refracta, tanquam ex multa defatigatione Deum quieſcentem indicat. Cæterùm exercitiorum Certaminũ ſpecies & aliud quidem, quod in cœno fit, Lucta vocatur. nomina. Illi verò in puluere quoque luctantur. Porrò eos qui erecto ſtant corpore, ac ſemet verberibus mutuis onerant, Pancratio decertare dicimus. Sunt præterea & alia nobis eiuſmodi gymnaſia, & pugillatus, & diſci, & ſaltus, quorũ omnia certamina ſolemus proponere: quorũ qui palmam adeptus fuerit, is præſtantiſsimus ex omnibus eſſe iudicatur, ac certaminis tollit præmia. ANA. Cuiuſmodi verò ſunt iſta præmia? SOLON. In Præmia Olympiis corona oleagina, in Iſthmiis pinea, in victorum. Nemeis ex apiis concinnata. Porrò autem in Pythiis poma ſacerdotes Apollinis proponere conſueuerunt, cæterùm apud nos Athenienſes oleum ex oliua. Quid autem ſublatis cachinnis riſiſti Anacharſi? an quia hæc tibi viſa ſunt eſſe modica? ANAC. Non, ſed præmia omnibus modis clara atq; præſtantia percenſuiſti ô Solon, cùm digna iis qui ea proponunt in certaminibus ob munificentiam, tum etiam athletis, qui iſta nauiter conſequi ſtudeant. Itaq; pomorum gratia atq; apiorum tanta antè laborioſe perferunt, & periclitantur, dum indignis modis præfocantur mutuò, ac inhoneſtis verberibus cædũtur, ita vt non liceat ſine negotio potiri malis, ſi quẽ cepiſſet pomorum deſiderium, aut coronari apio, aut ſertis pineis, cuius nullo luto defœdaretur facies, neque aduerſarii eius ventrem pede calcitraſſent. SOLON. Atqui ô optime, nos non ad

nuda

ad nuda tantùm dona intentos habemus oculos (etenim hæc ſaltem ſigna ſunt atque indicia victoriæ, per quæ victores cognoſcuntur) cæterùm quæ hæc comitatur gloria, quauis re digna videtur eſſe victoribus: pro qua cõſequenda etiam in ventrem calcitrari, præclarũ eſt venantibus gloriam ex laboribus. Neq; enim hęc citra ſudorem atq; laborem contingit mortalibus, ſed illius flagrantem deſiderio, oportet ſub initium multa dura perpeti quibus nauiter perpeſſis, illi dulcis & tantopere exoptatus finis è laboribus expectandus eſt. ANA. Hũcne finẽ ais ô Solon, dulcem atq; vtilem, vt ab omnibus viridi redimiti corona conſpiciantur, atque ob victoriam laude vehantur; quorum paulò antè nemo non ob indigna verba miſertus eſt, cæterùm nunc mirifica felicitate perfruuntur ditati pomis atque apiis? SOL. Noſtrarum rerum etiamnum imperitus eſſe videre: nõ multò verò pòſt alia tua erit ſuper hiſce rebus ſententia, poſteaquam in frequentiſsimos Græcorum conuentus profectus, víderis tantam hominum multitudinem collectam ad illorum confluxiſſe ſpectaculũ, ac theatra multis millibus hominum repleta, athletas verò ipſos diuinis efferri laudibus: porrò eum qui præconis voce victor pronuntiatus fuerit, ab omnibus propemodum deum exiſtimari. ANA. Hoc ipſum quod dixiſti ô Solon, longè miſerrimum eſt, quòd nõ paucis præſentibus tam infanda patiuntur, ſed in tanta ſpectantiũ corona atq; celebritate, qui acceptæ contumeliæ teſtes ſunt oculatiſsimi, illi nimirũ eos felices eſſe pronuntiabunt, quos vidẽt ſanguine perfluere, aut à ſuis aduerſariis compreſſo gutture præfocari. Hæc enim ſumma felicitas illorum præſtò eſt victoriæ. Sedenim apud nos Scythas ſi quis, Solon, vel vnum è ciuibus pulſauerit, aut obuiàm factus è via detruſerit, aut veſtem diſciderit, graui mulcta in eum animaduertunt ſenes, tametſi hoc ipſum vel paucis præſentibus arbitris quiſpiam paſſus fuerit: taceo in tam numeroſis ſpectaculis, cuiuſmodi tu percẽſes in Iſthmo celebrari, aut Olympia. Cæterùm athletarum meherele vicem ex animo doleo, eorum nomine quæ ab illis ſufferenda ſunt. Spectatorũ verò dementiam, quos tu ex omnibus locis optimos quoſq; ad ludos viſendos ais cõfluere, demiror magnopere, ſi negotiis neceſſariis poſthabitis, hiſce rebus vacare nõ vereantur. Nondum enim illud poſſum intelligere, quídnam oblectamenti, quid voluptatis denique hoc illis afferat, ſi videant homines cædi verberibus, atq; decertantes tum humi proſterni, ſnq; vicem à ſe mutuò cõteri. SOL. Si iam tẽpus eſſet Anacharſi, aut Olympiorum aut Iſthmiorũ aut Quinquatriũ, ipſa res perfacilè docuiſſet quàm nõ fruſtra aut temere harum rerũ ſtudioſi ſimus. Neq; enim quiſpiam ita nudè percẽſendo rerum quæ ibi geruntur, voluptatem illam tibi ita perſuaſerit, quaſi ipſe in mediis ſedens ſpectatoribus, virorum virtutes cerneres, & corporum excellentium formoſitates, & habiles admirandorum membrorum vigores, multáq; præclara experiẽtiæ documenta, & vim inexpugnabilem, & audaciam, & ambitioſam contentionem, & ſententias nullo modo vincibiles, atq; indefatigati pro conſequenda victoria ſtudium. Sat enim ſcio te iſta ſpectantẽ nullum finem facturum laudandi & exclamandi & applaudendi. ANA. Et per lotem, ô Solon, etiam ridendi & ſubſannandi. Siquidem hæc quæ enumeraſti, nempe virtutes, ac corporum habitudines & pulchritudines, & interritam audaciã, nullius magnę rei gratia atq; adeò nequicquam vobis perire video, cum neq; periclitetur patria, neq; regio incendiis atq; populationibus diuexetur, neq; amici aut domeſtici ad iniuriam rapiantur. Itaque hoc magis mihi riſu digni videntur vici illi, vt tu ais, optimi, fruſtra tanta ſufferẽtes, talibúſq; difficultatibus conflictantes, & eas pulchritudines & heroicas corporum proceritates ita turpiter arena atque tumentibus vulneribus fœdantes, vt parta victoria pomo aut pinu potiantur. Semper verò mihi voluptati erit talium certaminum recordatio. Verumtamen dic mihi, omnibúſne athletis talia cedunt præmia? SOLON. Nequaquam, ſed vni ex omnibus, qui cæterorũ victor extiterit. ANA. Ergo Solon pro tam obſcura atq; ancipiti victoria tam multi ſemet inſanis cõficiunt laboribus, præſertim non ignorantes vnũ prorſus ex omnibus fore qui victor declarandus ſit, reliquos autem vincendos, atq; nequicquam verbera & vulnera miſerè ſuſcepturos? SOL. Videris ô Anacharſi, Reip. bene inſtitutæ ſtatum prorſus nihil intelligere. Neq; enim alioqui noſtræ gẽtis ritus atq; mores pulcherrimos in vituperationem poneres. Nam ſi quando tibi curæ erit noſſe quomodo omnium optimè adminiſtranda ſit Reſp. tũ qua ratione ciues in ea quàm optimi reddendi ſint, laudabis haud dubiè & eu tunc illorũ exercitia, neq; non ambitionem, cui in hiſce gymnaſiis dediti ſeruiunt. Scies quoque permultum fructus eos capere, qui his ipſis commiſtus eſt laboribus, vtcunq; nunc tibi inani ſtudio operam dare videantur. ANA. Atqui ego, ô Solon, nullius rei gratia ex Scythia ad vos profectus ſum, tantum emenſus itineris, magno Euxino atq; tempeſtuoſo traiecto, quàm vt Græcorum leges perdiſcerem, ac mores illorum præſens perſcrutarer, tum vt optimam Reip. formam multo ſtudio cognoſcerem. Quapropter te mihi potiſsimùm ex omnibus Athenienſibus atq; peregrinis amicum adiungendũ curaui, poſteaquam inaudiſſem & optimarum legum ſcriptorem, morúmq; præſtantiſsimorũ inuentorem te eſſe comperi, neq; non vtilium inſtitutorũ interpretem, in ſumma, totius Rep. formatorem. Itaq; haudquaquam tu cupidior es me docendi, tuúmq; diſcipulum faciendi, quàm ego ſum auidus diſcendi, adeò vt tibi & incibatus & ſitibundus aſsidens, quoaduſq; tu docendi laboribus par eſſe poſsis, dictis tuis inhians, audire te ſuper Reipub. inſtitutis & legibus diſſerentẽ concupiſcam. SOL. Equidem omnia breuiter perſtringere ô amice haudquaquam facile aut promptum eſt. Gradatim tamen ac pedetẽtim ingreſſus cognoſces ſingula, cuiuſmodi nobis de diis, aut parentibus, aut nuptiis, aut aliis viſa atque conſtituta ſint. Cæterùm quæ de iuuenibus decreuimus, tum quemadmodum

Finis exercitationis.

Gloria labore parãda.

illis vtamur vbi iam primùm quod rectius est, sapere cœperint, & corpore maturiores facti, laborum patientes euaserint. hæc tibi in præsentia percensere mihi deliberatum est, vt intelligas cuius gratia hæc illis exercitia propodore soleamus, tum quamobrem assiduis laboribus eosdem corpora exercere cogamus. Non profectò certaminum saltem gratia, vbi præmia quæ ami consequi (ad ea enim celebranda omnino perpauci illorum peruenimus) sed ob fructum longè maiorem, qui inde ad vniuersam manat Rempub. in quo ipsi fruemur cohsimiliter. Siquidem aliud quoddam cõmune omnibus bonis ciuibus certamen est propositum, & corona non pinea, aut oleagina, aut cõtexta ex apiis, sed quæ in se cõprehendit vniuersam hominũ felicitatem complectatur, nempe libertatem dico, quæ cuiusque priuatim est, & cõmuniter patriæ: præterea diuitias, gloriam, honoris ac dignitatis gradus amplissimos, solemnitatumq; patriæ fruitionem, rerum familiarũ salutem: atq; vt summatim dicam, pulcherrima quæque, quæ à diis immortalibus quispiam assiduis votis sibi dari soleat expetere. Ex his omnibus ea quam dixi corona concinnata est, eaq; ex certamine paranda contingunt, ad quod hæc exercitia atque labores ducunt. ANA. At tu ô multis modis admirãde Solon, cum talia ac tanta mihi percensenda haberes præmia, poma atq; apia cõmemoras, ac virentem syluestris oleæ ramum, & pinum? SOL. Atqui ô Anacharsi, ne illa quidem tibi videbuntur modica, vbi quæ dicturus sum, intellexeris. Eodem enim cõsilio fiunt & illa, sunt q; planè partes quædam exiguæ maioris illius certaminis atque coronæ per omnia felicis quam percensui. Nescio verò quo pacto oratio nostra confusa narrandi serie, ordine penitus præpostero, horum prius cõmeminit quæ in Isthmo atque Olympiis & Nemea fieri cõsueuerunt. Veruntamen nos (sumus enim otiosi, & tu, vt ais, audiendi cupidus es) facilè ad principium recurremus, ac commune illud certamen cuius adminiculo omnia hæc parari confirmaui. ANA. Præstat equidem ita facere. Inter eundum verò in longum nobis profluxit oratio. Et forsasse his citius iam persuadebor ne quem posthac amplius subsannem, quemcunq; oleastro aut apio coronatum grauius atq; iactantius incedentem conspexero. Ac si videtur, sub illam oparam progressi cõsideamus, ne illi discepantes sua vociferatione nos cõturbent. Quin alias etiam Solis (quid enim dissimulem?) sum impatiens, ita acuti & feruentis, & nudum caput infestantis. Etenim tiaram domi consultò mihi abstuli, ne solus hic inter vos peregrino & insueto habitu obambularem. Et iam quoque anni tempus est quo sydus illud feruentissimum exoritur, quod vos Canẽ dicitis, omnia exurens, aerémq; ariditate & calore infestum faciens, Sole circa meridiem supra caput assistente, & eiusmodi feruorem intolerabilẽ corporibus inducente. Itaq; demitor qui fiat vt tu, cum ætate sis planè confecta, non perinde vt ego sudore perfluas: neque prorsus à Sole infestari videris: neq; vspiam locum vmbrosum exploras quò subires, sed æstuna facilè & patienter toleras. SOL. Inanes illi & superuacanei labores, ô Anacharsi, & assiduæ in cœno voluntationes subaeriæ, præterea in arena miseriæ, nobis hoc præstant, vt feruentis Solis radios facilè cõtemnamus: neq; amplius egemus pileo, vt Solem à contingendo capite prohibeat. Itaq; sub vmbram cõcedamus. Noli verò iis quæ dicturus sum, tanquam legibus mentem adhibere, vt per omnia fidò illis habeas, sed vbicunq; aliquid parum rectè tibi dixisse videbor, statim illud contradicendo refelle, ac verba mea emendato. Etenim ab horum duorum alterutro me omnino haud aberraturũ existimo. aut enim tibi constanter persuadebo, si non dissimulantes habueris quæ contradicenda sunt: aut ego deintegro discam quàm nõ rectè de his senserim atq; statuerim: quo nomine vniuersa Atheniensium Respub. tibi prolixè ages gratias. Quantum me enim docueris, atq; ad sahiorem sententiam suadendo perduxeris, illam maximis beneficiis tibi obstringes. Neque hoc eam celabo, sed statim in mediam adferam, ac stans in Senatu his verbis vniuersos cõpellabo: Ego quidem vobis, ô ciues Athenienses, leges conscripsi, quas ego Reipub. vtilissimas fore arbitrabar. At hic hospes (tecô Anacharsi digito cõmonstrato) tametsi oriundus est ex Scythia, vir tamen multa ornatus sapiẽtia, aliter mihi persuasit, & disciplinis vitęq; institutis lõgè melioribus imbuit. Itaq; ob sua in Rempmerita, ciuitate donetur, ac æneam illi statuam apud reliquos huius vrbis proceres erigite apud Mineruam. Persuasissimũ verò habe, ciues Atheniensos sibi nequaquam dedecori fore existimaturos ab homine peregrino atq; barbaro ea perdiscere, quæ sunt ex vsu Reip. ANA. Hoc equidẽ erat quod ego de vobis Atheniensibus inaudieram, quòd in omnibus ferè sermonibus nasuti essetis illusiores. Vnde enim ego homo agrestis & erro, qui omnẽ ætatem meã in plaustris degẽs contriui, subinde solum pro solo mutans, quisq; nunquam in vlla ciuitate habitaui, neq; vnquam vllam nisi nunc primùm vidi, de administranda Rep. verba facerem, atq; adeò docerem homines indigenas hanc vrbem clarissimam optimis legibus fundatam tantis temporibus incolentes? cum primis verò te ô Solone? cui hoc, vt perhibent, statim sub initium studio ac curę fuit, nosse quibus procurationibus Respub. quàm optimè administraretur, tum quarum legum præscripto vtens, quàm florentissima atque felicissima redderetur. Veruntamen & in hoc tibi vt legum latori mos gerendus est. Itaq; tibi contradicam si qua mihi parum scitè aut rectè proponere videberis, tantùm in hoc, vt cuncta perdiscã certius. Et vide vt iam euitato sole simus in vmbra, neq; desunt sedes percommodæ & amœnæ in hoc frigido lapide. Dic igitur oratione exorsus ab initio quam obrem statim à pueris iuuenes exerceatis laboribus. Tum quemadmodum vobis viri optimi ex cœno illo & eiusmodi euadant exercitationibus. Insuper quid ad virtutem conferendam illis præstet adminiculi pulvis, & istæ in cœno voluntationes. Hoc enim vel omnium cupientissimè statim sub initium audire desiderabam.

tabã. Reliqua verò in poſterum me docebis, ſingula ſuo tempore. Hoc autem inter dicendũ fac Solon cogites, ad virum barbarũ te verba facturum. Dico autem ne de induſtria orationem nectendo obſcures, neq; impendiò producas. Vereor enim ne prima mihi excidant, ſi nimiũ multa per te adducta fuerint. SOL. Tu quidem hoc, ô Anacharſi, longè melius cõſtitues, vbicunq; parum perſpicua tibi videbitur oratio, aut alicubi prorſus à vero aberrare temere fluendo. Licebit enim hanc tibi interrogando quotieſcunq; libitum fuerit interpellare, eiúſq; prolixitatem deuitare. Quanquam vbi nõ prorſus ab inſtituto aliena, aut à ſcopo in totum abhorrentia dicuntur, nihil vetat orationem paulo longius progredi: quoniam & ſenatui Areopagitico, cui rerũ capitalium iudicia cognoſcenda ſunt, à maioribus vſque accepto more ita factitare ſolenne eſt. Ingreſſi enim in Areopagum conſidunt, cædis aut vulneris ex deſtinato inflicti, aut ineẽdii cauſam cognituri: deinde vtriq; iure contendentium dicendi copia permittitur. Dicunt verò alternis vicibus, & qui litem intẽdit, & qui reus eſt, aut ipſi per ſe, aut rhetorum ſibi cõducunt operam, quibus cauſa oranda eſt. Illi ergo quandiu ea quæ ad rem attinent, dixerint, perferuntur à Senatu auſcultante cũ ſilentio. Cæterùm ſi quis meditato proœmio orationẽ exorſus fuerit, vt iudicum animos aliqua beneuolentia ſibi propenſiores faciat; aut miſerationem, aut præcipuam aliquam orationis vim atq; potentiam cauſæ adduxerit, qualia permulta rhetorum filii machinantur, vt hiſce verborum præſtigiis iudicum præſtringant oculos: progreſſus actutũ præco illi indicit ſilentium, non permittens rhetori ad ſenatũ nugandi libertatem, ac verbis cauſæ inuoluendæ poteſtatem, quò minus Areopagitæ ea quæ facta ſunt, audè queant perſpicere. Itaq; & te ô Anacharſi in præſens quidem Areopagitam conſtituo, ac iuxta ſenatus legem à me conditã auſculta, méq; ſilentio indicto cõpeſce vbi extra cauſam inutiliter rhetoricantem ſenſeris. Quandiu verò ea quæ ad cauſam attinẽt, dicentur, licebit orationem extendere. Neq; enim amplius ſole ſub ardenti colloquimur, vt magnopere dolendum ſit ſi in longum producta fuerit oratio. Sed & vmbra planè denſa eſt, & nos in præſentia otiũ agimus. ANA. Perbenigna ſunt iſta quæ dicis, ô Solon. Atq; ego ob hæc magnam tibi habeo gratiam, quòd hac orationis tuæ digreſſiũcula etiam ea quæ in Areopago fieri conſueuerunt, mihi humaniter expoſueris, admiranda profectò, ac bonorum ſenatorum opera, veritati ſuffragantium. Iã igitur de illis diſſere, ac ego Areopagita (hũc enim me eſſe voluiſti) pro more iudicum veſtrorum tibi dicenti dabo operam. SOL. Proinde paucis tibi antè audiendũ eſt, quam nos de ciuitate ac ciuibus opinionẽ obtineamus. Siquidem nos ciuitatem nõ ædificia illa eſſe exiſtimamus, cuiuſmodi ſunt muri, delubra, & alia, ſed hęc tanquam corpus quoddam firmum eſſe atq; immobile ad receptum & ſecuritatẽ hominum vrbem incolentiũ. Omnem verò vim atq; authoritatem in ciuibus ſitam eſſe arbitramur. Hos enim eſſe qui cuncta implent, ſingula ordinant, omnia perficiunt atq; cuſtodiũt, quali in nobis ſingulis gubernandis officio anima fungitur. Hoc ergo intelligentes, ſanè ſedulam curam habemus ciuitatis corpus non negligendi, exornantes illud, vt quàm maximè niteat, cũ intus viſendis ædificiis adornatum, tum externè munitis & firmiſsimis propugnaculis circunſeptum. Cum primis verò omnem curã impendimus vt ciues & mẽte boni, & corpore efficiantur validi. Tales enim ipſi ſibi prodeſſe in pace poſſunt, vnà Remp. adminiſtrãtes, neq; non in bello ciuitatis libertatem atque ſalutem ſeruare atq; propugnare. Primam itaque illorum educationem matribus atq; nutricibus & pædagogis formandam permittimus, vt diſciplinis liberalibus eoſdem imbuant atq; educent. Cæterùm vbi iam honeſtatem per ætatem ſapere cœperint, ac vnà cum illis verecundia & pudor & metus, neq; non rerum præſtantiſsimarũ concupiſcentia enata fuerit, ipſaq; corpora laboris patientia viſa ſunt, membrorum robore ſolidiora facta, ac iuſtis viribus conſiſtentia: tunc iam illos aſſumptos docemus, aliis quidem animi diſciplinis propoſitis, aliter etiã erga labores perferendos ipſorum corpora aſſuefacientes. Neq; enim ſatis eſſe exiſtimamus tantùm natos eſſe, vt quiſque natus eſt, quantum ad corpus & animum excolendum attinet, ſed præceptionibus etiam & diſciplinis ad eos rectè inſtituendos nobis opus eſt. Hac enim ſedulitate & iuuenum induſtria alitur atq; augetur, animi verò & corporis vitia emendantur. Huius rei exẽplum ab agricolis ſumimus, qui quandiu plantæ adhuc ſunt humiles & teneræ, eas contegunt atq; fulciunt, ne venti violentia accepto detrimento perfringantur. Vbi verò iam iuſtum robur collegerint, tunc inutiles & ſuperfluos ramos amputãt, eáſq; ventorũ arbitrio mouendas atq; agitandas permittentes, fructuoſiores efficiunt. Itaq; mentem iuuenum primùm Muſica atq; Arithmetica excolimus, ac literarum formas pingere, eaſdémq; excellenter pronuntiare docemus. Deinde ætatis progreſſu adultioribus ſapientium virorum ſententias, res olim fortiter geſtas à maioribus, tum orationes quoq; vtiles verſibus exornatas, quò tenacius atq; fidelius memoria teneant, illorum numeris frequẽter occinimus. Illi autem auditis fortium virorum virtutibus, & rebus memorabilibus, paulatim iſta deſiderare occipiunt, ac demum ad imitationem accenduntur, vt & ipſi celebrentur, & in cælum ferantur à natu iunioribus poſt futuris: cuiuſmodi multa nobis ab Heſiodo atque Homero luculentiſsimè perſcripta ſunt. Porrò autem vbi ad Reip. procurationem ſe iam contulerint, illiſque publica officia obeunda ſunt, Sed hæc fortaſſe à præſenti inſtituto diſcrepant: neq; enim quibus rationibus illorum mentem excolere ſoleamus, ſub initium dicere decretum erat, ſed quam ob rem hiſce laboribus eoſdem exercere dignum arbitraremur, explicare fuit in animo. Itaq; mihi ipſi ſilentium iniungo, non expectato præcone, neq; te Areopagita, qui, vt ego ſuſpicor, ductus reuerẽtia tanta extra cauſam nugantem me pertuliſti. ANA.

Dic mihi Solon, cuius rei gratia Senatui visum est nulla pœna afficiendos esse res maximè necessarias non dicentes, sed silentio prætereuntes? SOL. Cur hoc ex me quæsisti? nondum enim intelligo. ANAC. Quoniam rebus omnium pulcherrimis, & mihi auditu iucundissimis præteritis, nempe quibus exornatur animus: exercitia nõ perinde necessaria, & labores corporum percensere cogitas. SOL. Memor sum eorum, ô generose, quæ initiò præfatus sum, ac orationẽ temere ab instituto aberrare nolui, ne citra ordinem effluendo, tuam confunderet memoriam. Veruntamen & hæc quàm potero paucissimis perstringam: siquidem harum rerum accuratior disputatio propriam orationem videtur requirere. Proinde illorum mentes saluberrimis opinionibus imbuimus atq; formamus, communes leges exactè perdocẽtes, quæ in publico magnis descriptæ literis, omnibus legendæ proponũtur, quæ fugienda, quæq; facienda sunt imperantes. Tum quòd integerrimorum virorum conuictu vtendũ sit, apud quos ea quæ decent perdiscunt: tum iusta facere, tum ex æquo inter se versari in Repub. neque vllam rem turpem peruerse appetere, sed rerum honestarum tangi desiderio: nihil autem alteri per iniuriam facere. Illi autem, de quibus dixi sapientibus, Sophistæ atq; Philosophi apud nos appellantur. Præterea ipsos quoq; in theatrum collectim perductos erudimus, in publico comœdiarum ac tragœdiarum scenicis actionibus priscorum virorum virtutes atq; vitia spectantes, vt ab his auersi, feruenti studio ad illas complectendas contendant. Liberam quoq; prauos ciues dicteriis incessendi atq; inuadendi facultatem poetis Comicis permittimus, quoscunq; turpia atq; flagitiosa & Reip. dignitate indigna exercẽtes intellexerint. Horũ enim opera malè audientes, meliores euadũt, vt posthac vulgi reprehensionem ob paria facinora effugiant.

Sophistæ & philosophi

ANA. Noui quos dicas ô Solon, Tragicos, & Comicos, si illi sunt latis & altis subnixi calceamentis, aureis autẽ tæniis per vestem variegati, laruis verò induti planè ridiculis, & magnũ hiantibus. Verùm ipsi intus intẽso clamore vociferabãtur, incedebántq; nescio quomodo securè talibus indyti calceamẽtis. Et nisi fallor, tunc ciuitas celebrabat Dionysia. Porrò Comici cæteris erant humiliores & pedestres, laruas tamen habebãt multò etiam magis ridiculas, quos vniuersum theatrum risu prosequebatur. Sedenim alios altiores nemo non tristi atq; contracta fronte audiebat, eorúmque, vt opinor, omnes commiserabantur, tantas pedicas pertrahentiũ. SOL. Non illorum ô bone, miserti sunt, sed poeta fortasse priscam aliquam & miserandam calamitatem in scenam adduxit visendã spectatoribus, orationéq; miserationis plenas audiente theatro tragica actione habuit, quibus in luctum atque lacrymas auditores pertracti sunt. Verisimile autem est & tibicinas te vidisse, tum alios canentes in medio theatri constitutos. Iam neque hanc canendi rationem & vsum tibiarum inutilem esse censemus, verùm iis omnibus atque eiusmodi mẽtem acutes meliores nobis reddimus. Cæterùm corpora, quod omnium maximè audire desideras, ad hunc modum exercemus: exutis (vt initiò dixi) vestimentis, primùm illa ad aerem assuefacimus, nõ amplius tenera & imbecilla existentia, omnibus eadem temporibus accommodantes, vt neq; feruentem Solis æstum grauiter ferant, neq; rursum algoris sint impatientia. Deinde ea ipsa oleo perungimus atq; emollimus, vt habiliora firmioráq; reddantur. Siquidem absurdum est si coria oleo emollita atque peruncta, ruptioni minus obnoxia, ac diutius duratura existimamus, quæ iam sunt emortua: corpus autem adhuc vita animatum, nequaquam melius fore vsu olei opinaremur. Mox variis excogitatis exercitiis, ac singulorum magistris constitutis, hunc quidem pugilatu, alterum verò pancratio decertare docemus, vt laboribus tolerandis assuefiant, paritérq; ictuum declinandorum periti euadant, neque metu auersentur vulnera. Cæterùm hæc exercitatio duas maximas vtilitates apportat iuuenibus. Nam & animosos eos reddit ad subeunda pericula, corporibus non parcentes, præterea vt prospera vtantur valetudine, sintque per omnia robusti, & laborum patientes. Quotquot autem illorum deiecto in terram vultu luctantur, & securè procidere, & promptè exurgere eadem discunt opera, vt & propellere, & tenaciter amplecti, & loco mouere, & præfocare, & in altum sustollere possint aduersarium. Quæ sanè non sunt inutilia habenda exercitia, sed vnum illud atque adeò maximum statim initiò sibi præparant. Etenim firmiora fiunt & robustiora corpora, quæ talibus exercentur laboribus. Alterum verò neq; ipsum modicum est: ex hoc enim consequuntur peritiam, si quando in necessitatem adducti fuerint talium disciplinarum in armis. Quippe in cõfesso est, quòd & hostem talis cõplexus, citiùs supplantatũ prosternet, & prolapsus ipse quàm facillimè nosset exurgere. Hæc enim omnia ô Anacharsi, ad verum illud certamen, quod in armis peraguntur, referre solemus: planéque in eam opinionem descendimus, vt certò putemus, longè melioribus nos vsuros ita exercitatis, posteaquã primùm illorũ nuda corpora emollita atq; exercitata & robustiora reddidimus, neq; minus leuia & habilia, eadémque aduersariis grania effecerimus. Intelligis enim, nisi fallor, cuiusmodi illi armati futuri sint, qui nudi saltem corpore terrorem hostibus incutiunt, neque immodicam ostendentes corpulentiam, & segnem & sordidam, aut nimiam quoque corporis macritudinem pallore deformatam, qualia fere sunt mulierum corpora sub vmbra marcescentia, trepidantia, ac illico multo sudore perfluentia, neq; non sub galea anhelantia, maximè verò si quando (vt nunc) sol sub meridiem æstu supra modum calente feruerit. Cui enim rei quispiam veretur sitientibus & pulueren ferre nequeuntibus, quíq; saltem viso sanguine statim exanimantur, ac antè moriuntur, quàm intra teli iactum, atque ad manus cum hostibus ventum fuerit? Sedenim nostri iuuenes partim rubore, partim nigredine temperanter sub sole colorati, vultu planè masculo, multum vigoris atque caloris & virilitatis

Tragicorum & Comicorũ differentia.

præ

præ se ferentes, neq; nimium sunt obesi, neq; rursus nimium tenues & aridi, neq; nimio pondere
* Prægrandes, περιπλησιβᾶς. *prægrādes, verū iusto corporis modo formati, cum inutilē, tum superfluā carniū molē & abundantiam sudore absumunt: illud autem quod robur præstat & vigorem, citra mali admistionem conseruant. Quod enim ii, qui ventilando purgant triticum, faciunt, illud nobis præstāt gymnasia in corporibus, paleas ac spicas inanes flatu propellentia, purum autem fructum separātia & accumulantia. Quocirca iuuenes nostros firma prosperitate valetudinis vti, ac quàm diutissimè in laboribus perdurare necesse est. Quin etiam talis serò sudare incipit, & rarò admodum morbis affectus decumbit: quēadmodum si quis ignē allatum in triticum eiúsque stipulas & paleas iniiceret, (rursus enim ad ventilantem regredior) dicto citius, vt opinor, conflagrarent stipulæ, at verò triticum modicè, neq; flamma admodum magna exurgente, neq; vno impetu, sed sensim, atq; modicè suffumigans, tēpore tādem & ipsum incensum absumeretur. Ita neq; morbus, neque defatigatio tale corpus corripiens, facilè arguerit, neq; superare potuerit. Etenim ab internis probè præparatum, nec malè munitum est: externa quoq; valde firmiter aduersus illa circūsepta sunt, quo minus vis morbi, aut lassitudinis ad interna penetrare queat, tum neq; æstum, neque algorem suscipere aliquo detrimēto corporis. Ad perdurandum autem in laboribus, multus calor intus influens, veluti multo exercitio antè præparatus, atque in vsum necessarium repositus, præstat tolerantiam, illico membra vigore irrigans, eáque cumplurimum nulla lassitudine vitabilia exhibet. Multorum enim & variorum laborum præmissa exercitatio, nequaquam vires absumit, sed multis incrementis augere solet, dímque subinde refouentur, fiunt etiā maiores.

Cursus. Præterea in curriculo quoque iuuenes nostros exercemus, & vt longo alicui spatio cursu transmittendo sufficiant, assuefacimus: vtque in breui quā celerrimi sint corporis leuitate vti quàm promptissimè docemus. Neq; verò cursus in loco plano, aut solido conficitur, sed in profunda arena, vbi nulla sit mitate planta figi possit, aut sustentari, neque sufficiri promptum est, cedentibus subinde ad singulos passus pedibus.

Saltus. Fossam quoque transilire, si necessitas exigat, docemus, aut aliud quoddam impedimentum. Qui in re exercentur grandia plumbi pōdera habentes in manibus. Deinde hasta quoq; in longum proiicienda decertant.

Iaculatio. Vidimus verò & alium quēdam globum iacentem in gymnasio æneum atque teretem in parui sonti figuram formatum, neq; horum neque balteum habentem.

Discus. At illum quoq; periculi faciendi gratia manu sustollebas iacentem in medio, videbaturque tibi grauis, & propter læuitatem comprehensu difficilis. Itaq; illum sursum manu extortum iaculatur in aerem, inque longum, contendentes quinā ex illis eundem quàm longissimè iactu promouerit, ac omnium aliorum metas excesserit. Quæ res & humeros illorum firmiores reddit, & brachia non mediocriter corroborat. Cæterùm quamobrem

In arena & cœno lucta

& arena & lutū illis luctātibus substernatur, quæ initiò perquam ridicula tibi visa sunt, nunc audi ô admirande. Primùm quidem quidē ne in duro casus illis contingat, sed in loco molliore citra periculū prostrati corruant. Deinde multa lubrica effugia accidere in cœno sudantibus necesse est, quam rem tu anguillis conferebas, sed quæ non sunt inutilia habenda, aut ridicula. Nam & hæc plurimum ad robur & membrorum firmitatem consolidandam conferunt, quando ad hunc modū luctando alter alterum fortiter apprehendere coguntur, tametsi crebrò elabantur è manibus. Tenere enim perūctum oleo, & sudore perfluentem excidere conātem, & è manibus effluere laborantem, ne tibi res videatur esse modica, aut nullius momenti. Et hęc omnia, vt à me antè prædictum est, in bello quoq; nō parum præstāt utilitatis exercentibus, si aut amicus vulnere sanguinis sine negotio sublatus ex acie efferendus esset, aut hostis comprehensus sublimis rapiēdus. Eam ob rem pēnè immodicè eos exercemus difficilioribus propositis, vt hoc facilius minora queant perpeti. Rursus arenam planè diuersa ratione vtilem esse cēsemus, ne, dū cōplexibus implicantur, labantur. Postea quàm enim in cœno multo exercitio didicerunt compescere aduersarium, quò minus elabatur è manibus propter corporis lubricam comprehensionem, etiā ipsi cōprehensi effugiendi rationem multa assuetudine familiarem sibi faciunt, præsertim cū teneantur medii. Quin sudorē largiter semet effundētem, arena quoq; mihi videtur cōprimere dū aspergitur: vtq; vis corporis par sit laboribus, efficere, éstq; ventis obstaculo quò minus lædātur corpora, in tenera atq; denudata incumbentibus. Alioqui sordes quoq; corporis arena eluit, ac hominē longè cādentiorē reddit. Et ego equidē perlibenter vnū ex albis illis, cuius conuersatio semper sub vmbra fuit, & quencūq; tu ex his, qui semet in Lycēo exercēt, eligeres, huc sistere, ac cōno & puluere abluis, te interrogare, vtrinam potius similis esse optares. Satis certò cōpertū habeo, te primo statim aspectu electurū, tametsi neutrius vitæ periculum feceris, alteri potius esse similē, quàm deliciis frāgi atq; diffluere, ac albū esse præ sanguinis inopia ad præcordia cōfugientis. Hæc sunt ferè, ô Anacharsi, quibus iuuentutē nostrā exercere solemus, existimātes eandē hisce gymnasiis optimā fore custodē Reip. & cuius opera in libertate nos victuros speramus, semper de hostibus, quicūq; nos adoriantur, victoriā reportāres: terribiles verò finitimis existētes, adeò vt illorū plurimi & potentiā nostrā pertimescāt, ac nobis tributū pendere soleāt. Porrò autem in pace fōrè melioribus illis vtimur, de nulla re turpi ac flagitiosa contendētibus, neq; ob inertiam ad mutuò inferendā iniuriā se cōuertētibus, sed circa ista versantibus, inq; his ipsis exercitiis occupatis existentibus. Et quod cōmune bonū dixi, summámq; ciuitatis felicitatē, ea est, quoties & ad pacis artes & belli scientiā quàm optimè, atque diligentissimè iuuentus præparata fuerit, studiis ac rebus pulcherrimis feruenti sedulitate impendens operam.

Arenæ vsus & cōmoda

ANA. Próinde, Solon, hosti

bus vobis ingruentibus, oleo perunctí, & oppleti puluere, in bellum progredimini, nempe pugilatu instructi aduersus armatos. Et illi videlicet pertimescunt vos ac fugiunt, metuentes ne ipsis hiantibus arenam in os spargatis, aut fortè post tergum resilientes illorum crura apprehendatis, eosdémque præfocetis iniecto circa collum cubito. Ac per Iouem illi petent vos arcubus, & iacutabuntur spiculis: at vos quemadmodum statuas, telorum acies non penetrabunt: quippe ad Solis feruorem denigratos, ac multo sanguine abundantes. Neq; enim vos estis aut spicæ aut stipulæ, vt quàm primùm plagis succumbatis, sed admodum ferò, ac vix profundis confecti vulneribus, modico sanguine commonstrato. Talia enim sunt quę dixti, nisi exẽplum à te adductũ planè obaudierim. Aut fortasse Comicorum & Tragœdorum potius armaturam assumetis, & si iussu senatus in aciẽ vobis exeundũ fuerit, galeas illas hiantes capiti imponetis, vt hoc magis terrori sitis aduersariis, laruis ac terriculamentis anilibus eos exanimãtes. Prætereà calceos quoq; peraltos illos pedibus accõmodabitis, qui si fugiendum vobis esset, leues sunt: rursus si alios insectati fueritis, hostibus erunt inefugibiles, tanta mole vobis aduersus illos irruentibus. At vide potius ne ista vestra arguta sedulitas nugæ sint, & ludicra puerilia, & inertium iuuenum ignauiæq; deditorum exercitia. Si verò vobis in animo est prorsus esse liberis, & per omnia felicibus, aliis vobis opus erit gymnasiis, & vero in armis exercitio, neq; cum aliquo alternis certaminibus iuuenes vobis componendi sunt, sed aduersus hostes depugnandũ erit certo cum periculo virtutem exercẽtibus. Quapropter relictis puluere atque oleo, docete illos arcu contendere, & hasta vti; neque illis leuia dabitis iacula, quæ venti flatu feruntur, sed sit hasta grauis, quæ cum turbine atque sibilo extorqueatur: præterea lapis prægrandis, & gladius, & scutum sinistræ insertum, & thorax, & galea. Nam sicut in præsens instructi estis, dei cuiuspiam benignitate mihi seruati esse videmini, quòminus nondum periistis à perpaucis saltem leuis armaturæ militibus irruentibus. Ecce enim si stricto saltem gladio quo succinctus sum, solus in iuuenes vestros omnes irruerem, actutum vnà cum clamore gymnasium haud dubiè caperem, illis passim diffugientibus, ac nullo contra ferrũ aspicere audẽte, verùm post statuas, aut colũnas consistentes risum mihi exhiberent, lacrymantes atq; trepidantes permulti. Tũc verò videres illos nõ amplius rubescentes corpore, cuiusmodi nunc sunt in præsentia, sed omnes illico expallescẽtes transcoloratos præ formidine. Adeò multa pax vos eneruatos effœminauit, vt non facilè saltem cristam hostilis galeæ conspectam sustineretis. s o. At nequaquam talia de nobis prædicauerũt, ô Anacharsi, Thraces, quotquot Eumolpum secuti bello nos lacessiuerunt, neque vestræ mulieres quæ duce Hippolyta aduersus vrbem expeditionem instituerant. Neq; item alii quotquot in armis & acie vires nostras experti sunt. Cæterũ nos ô beate, non hoc consilio nuda iuuenum corpora exercemus, vt propterea eos in aciem aduersus pericula producamus: sed vbi in hisce ludicris quàm optimi atque exercitatissimi euaserint, deinceps, & cum armis exercentur, quibus longè promptius vtuntur ad hunc modum antè instituti. A N A. Et vbínam locorum illud vobis est gymnasium, quod armorum vsui exercendo destinatum est? Neque enim ego vspiam in vrbe eiusmodi conspexi, cum totum oppidum sursum, ac deorsum diligenter perreptassem. s o. Sed certò videbis ô Anacharsi, multum nobis temporis conuersatus, tum vnicuique permulta esse arma, quibus necessitate vrgente vtimur, & cristas, & phaleras, & equos, & equites ferme quartam partem ciuium. Si quidem semper armatum incedere, neque non acinace succinctum esse; superuacaneum in pace esse existimamus. Præterea mulcta cautum est, ne quis in vrbe, cum nihil necesse sit, ferrum gestet, aut armatus procedat in publicum. Vobis verò non iniuria ignoscendum est, perpetuò in armis viuentibus. Viuere enim in loco aperto incustodito, facilè insidiis obnoxium est, & hostium valde numerosa est copia, neque illud certũ, quo tempore assistens quispiam dormientem è plaustro pertractum iugulet. Ipsa quoque mutua infidelitas, & quòd legibus nequaquam coerciti vnam Rempub. incolitis, ferrum vobis semper facit necessarium, vt in propinquo sit ad propulsandã iniuriã, si quis vim alteri inferre aggrederetur. A N A. Adeò verò Solon ferrum gestare nulla necessitate adigente superuacaneum esse censetis, vt & armis parcatis, ne in manibus frequenter habentes corrumpantur, sed reposita conseruatis, vt necessitate vocante vtamini: sedenim iuuenum corpora nullo cogente periculo verberantes laboribus conficitis. Quinetiam sudore absumentes, nulli rei magnopere necessariæ, aut conducibili vires illorum expromitis, sed incassum in cœno atque arena effunditis. s o. Videris ô Anacharsi talem de robore corporeo opinionem obtinere, quasi vino, aut aquæ, aut alii cuipiã rei humidæ similitudine respondeat. Itaque metuis ne quemadmodum ex vase Samio, robur clanculum effluens in laboribus, deinde nobis corpus inane, & aridum discedendo relinquat, cũ à nemine intus repleatur. Atqui ad hũc modum res se non habet, sed quantò quis impensiùs exhauserit, tantò copiosiùs influit iuxta hydræ fabulam, si qua vnquam tibi inaudita est, cui pro vno capite præciso, semper alia duo renascebãtur. Cæterũ si ab initio inexercitato corpore fuerit, parũq; firmo, neq; satis habuerit subiectæ materiæ, tũc illico fatigatione defessus, detrimẽto afficitur, atq; marcescit, veluti in igne, ac lychno vsu venire videmus. Etenim eodẽ flatu, & ignẽ potes incẽdere, inq; breui maiorẽ facere; nimirũ inflãmans spiritus ac lychni lumẽ extingues, nõ habẽs sufficientẽ materiæ suppeditationẽ, quæ aduerso flatui par esse possit, neq; enim ab altiùs acta radice productũ fuerat. A N A. Hæc equidẽ, ô Solon, nõ admodũ intelligo. argutius enim ista tibi dicta sunt, quã vt ego queã intelligentia assequi, exactã quandã curam & mẽtem

acutè

scentè cernentem requirentia. Illud porrò omnino mihi respondè, quâ ob rem tandem nõ etiam in Olympicis certaminibus, & Isthmiacis, & Pythicis, aliisq; quando multi, vt ais, confluxerint iuuenes certantes spectaturi, in ipsis armis certamen conficiendum proponitis, sed nudos in medium adductos, qui & vulnerentur, & verberentur, ostenditis ac deinceps victoribus mala, aut oleaginam coronam præstatis? Hoc enim scitu dignum est, cuius rei gratia faciatis. ANA. Quoniam opinamur, ô Anacharsi, hac ratione gymnasiorum desiderium in iuuenibus magis accendi, si eos, qui optimè sese gesserint, in illis honorari conspexerint, & in medio Græcorũ præconis voce magnificè proclamari. Quapropter etiam tanquam illi cruris vestimentis, ou primi corporis æstimandæ habendis coram non negligant, nẽ denudati pudore afficiantur, ac sẽ quisque victoria quàm dignissimum præparet. Quin etiam præmia, quemadmodum à me dictum est, nõ mediocria sunt proposita, nẽpe honorificũ, & laude plenum à spectatoribus testimonium, & esse clarissimum, ac demonstrari præterea dignum dico, inter æquales hanc virtutem esse etiam sua opinione præstantissimum. Etenim non pauci ex spectatoribus, quibus per ætatem etiamnum exercitatio colenda est, abeũt nõ mediocriter ex his virtutis, & laborum amore inflammati. Itaque ô Anacharsi, si quis ẽ communi hominum vita laudis & gloriæ amorẽ sublatum eiiceret, quidnã amplius præclaræ rei nobis ille faceret reliquum? aut quisnam facinus aliquod magnum & memorabile concupisceret? Iam ex iis aut difficulter coniecturam facere potes, quales in bello pro tuenda patria, defendendis liberis & vxoribus, & pro tẽplis suscepto futuri sint arma habentes in manibus, qui oleagina corõna, aut pomis inducti, tanta cupiditate ad victoriam consequendam ferantur. Et quidnam dicturus esses si apud nos & coturnices, & gallos gallinaceos compugnantes videres, ac harum rerum spectandarum & adornandarum studiũ non mediocre? Rideres videlicet, at tunc maximè, si rescisceres lege à maioribus lata illud nos facere, omnibúsque iuuenibus, vt interfint imperatum esse, vt spectent volucres rostris inter se depugnantes vsque ad extremam defectionem virium. Atqui ne hoc quidẽ institutũ risu dignum est. Irrepit enim sensim in animos iuuenum impetus ad fortiter subeunda & contemnenda pericula, ne gallis ingenerosiores atque ignauiores esse appareant, néve defessi vulnera, aut labores, aut aliam difficultatem ferre recusent. Cæterùm vt in armis harum rerum periculum faciant, vtque mutuis vulneribus semet cõficientes spectemus, apagerinum enim illud esset, & omnibus modis crudele, ad hæc non minus damnosum & inutile, mactare iuuenes præstantissimos, quorum opera & viribus longè melius aduersus hostes vti queamus. Quia verò ais, ô Anacharsi, te reliquam quoq; Græciam videndi gratia peragraturum, vide vt memoria teneas, si quãdo in Lacedæmona Veneris, ne & illos irrideas, neque putes eosdem inutilibus vacare laboribus, quando aut de pila in theatro impetu facto collapsi, mutuis vulneribus semet deformauerint, aut in locum circunicirca aqua obseptum ingressi, ac in cohortes distributi, hostili animo alter alterum inuaserit, & ipsi nudi donec pars altera vtra diuersam è loco aquis circundato ejecerit, nempe Lycurgi asseclæ, sectatores Herculis, aut rursus in aquã impulerint. Ab illa enim pax insequitur, nec vllus amplius pulsatur. Maximè verò si videris pueros ad aram flagellis, ac loris cædi, ac sanguine defluentes, & patre & matre assistentibus, non vt aliquem ex hoc facto dolorem capiant, sed minuciter interminantibus, nisi verbera perseuerantèr tulerint, ac supplicatibus quoq; vt quàm diutissimè labori tolerando sufficiant, néve verberum difficultatibus cedentes succumbant. Itaque permulti plagis ipsis immoriuntur, dedecorosum existimantes, si etiamdum viuentes in familiarium conspectu verberibus superati deficerent, aut corpore flagrorum ictibus cederent, quos etiam statuis in memoriam illorum erectis publicè à Spartanis honestatos videbis. Quãdo ergò ista coràm oculatus arbiter intueberis, cane illos insanire temere suspiceris, neque dicas citra causam iustam ac necessariam talibus eos difficultatibus cõflictari, neq; vrgẽte alicuius sæua tyrannide, neq; hostibus imminentibus. Dixerit enim haud dubiè Lycurgus Laconicarum legum author pro illis tuendis tibi rationi valdè cõsentanea quibusnam causis impulsus pueros ita verberibus affligẽdos statuerit, neque inimicus illis existens, neque inuidentia adductus hoc faciens, neque ciuitatis iuuentutem, nequicquam absumens, sed volens, atque cõsentiens reddere quàm fortissimos, ac omni difficultate superiores eos, qui patriam ab iniuria essent seruaturi atque defensuri. Quanquam verò ipse Lycurgus nihil dixerit, facilè tamen animaduertis, vt talis quispiam quondam in bello comprehensus, nullam vocẽ Spartana magnitudine indignam emiserit, inimicis eundem diris tormentis torquentibus, sed illos falsè subsannans flagellis cedebatur, cum verberante infracta animi tolerantia contendens, vtérnam citius viribus deficeret. ANA. Num Lycurgus quoque, Solon, in iuuentute loris cædi solitus est? & an huius certaminis author existens, citra periculum talia iuueniliter commentus est? SO. Cum iam prouectæ ætatis esset, ciuibus Spartanis leges cõdidit, profectus è Creta. Aliquãdiu enim apud Cretenses peregre egit, quoniam eosdem audiuerat optimis legibus instructos viuere, quibus Minos Iouis filius legũ scriptor extiterat. ANA. Quã ob rem igitur Solon, & tu nõ imitatus es Lycurgũ, ac iuuenes loris proscindis? Etenim perpulchra hęc sunt instituta, & vobis non indigna. SO. Quoniã nobis, Anacharsi, sufficere videntur ista gymnasia, quorũ ipsi repertores extitimus, neq; magnopere necessariũ existimamus peregrinorum æmulatores esse. ANA. Nequaquam, sed intelligis, vt opinor, quàm res sit friuola flagris obuerberare nudi scapulas, palmas verasque supplicitèr extẽdẽtis, ex quo nulla proueniat vtilitas, neque priuatim ad eũ, qui cẽditur, neq; itẽ ad Rẽp.

Gloriæ stimulus.

Gallorum gallinaceorum pugna

comm

communiter. Itaque ſi quando Spartam peregrè profectus venero, quo tempore iſta factitare ſolent, videor me ſtatim lapidibus obrutum iri ab illis publicè ſingulos deridentem, ſi quando videro pueros veluti fures flagris onerari, aut veluti peculatorem, aut alium facinoroſum. Planè verò illorum ciuitas mihi videtur egere helleboro, quæ vſqueadeò ridicula à ſe ipſa pati conſueuit. SOL. Nè deſertam cauſam ô generoſe, neque viris abſentibus te ſolum dicentem vincere, induxeris in animum. Neq; enim deerit quiſpiã etiam Lacedæmone, qui harũ rerum cauſam tibi promptiſſimè redditurus eſt. Verùm enimuero quandoquidẽ ego tibi noſtra ex ordine gymnaſia percenſui, quæ tibi non admodum placuiſſe, non occultè taliſti, videor mihi non iniqua poſtulaturus à te, vt & tu vicißim me audiente percurras qua ratione vos Scythæ veſtros iuuenes exercea tis, tum quibus gymnaſiis educatos inſueſcitis, & quónam pacto eoſdem viros ſtrenuos efficitis. ANA. Aequiſsima ſunt ô Solon quæ poſtulas. Ac ego quidẽ Scytharum leges tibi commemorabo, fortaſſe non admodum admirandas illas, & quæ non multum veſtris ſunt reſpõſuræ. Neque enim vel in maxillam alicui plagam illidere auderemus, ſumus enim perquam meticuloſi, ſed tamen qualiacunque ſunt noſtra exercendorum iuuenum inſtituta, dicẽtur. Cæterùm, ſi videtur, ea de re colloquium in craſtinum vſque differemus, vt ea, quæ ipſe dixiſti, magis quietus apud me retractare poſsim, tum etiam ea, quæ mihi dicenda ſunt, memoria percurrere. Itaq; quod nũc reſtat, in præſentia quidem abeamus. Iam enim inualeſcentibus vmbris appetit veſpera.

DE LVCTV,

D. Eraſmo Roterod. interprete.

Peræpretium ſanè fuerit obſeruare ea, quæ in luctu vulgo tum dicantur, tum fiant, item quæ dicãtur ab iis, qui eos cõſolantur ſcilicet, quámque nõ ferenda putent lugentes ea, quæ acciderunt, & ſibi ipſis, & iis quos flent, cum haudquaquam pernouerint, malánè ſint iſta, ac dolenda, an contrà iucũdiora melioráque iis quibus accidunt: ſed ex more & conſuetudine dolorem accerſunt. Itaque cum mortuus fuerit aliquis, faciunt ad hunc modum. Quin prius volo tibi narrare, quas habeant de morte ipſa opiniones. Sic enim palàm fiet qua gratia ſuperuacanea iſta moliãtur. Vulgi quidem hominum multitudo, quos ſapientes iſti vocant idiotas, Homero, Heſiodo, reliquiſq; fabularum authoribus ſuper his fidem habentes, & illorum poeſim pro lege ducentes, locum quendam ſubter terram profundum eſſe putant, quem Tartarum vocant. Eum exiſtimant magnum & ſpatioſum eſſe, caliginoſum atque opacum, qui tamen iſtis haud ſcio, quo pacto illuſtrari videtur, quòd ſingula quæ illhic ſunt, introſpiciant. Tum regnare in hoc ſpecu Iouis fratrem, cui nomẽ Plutoni, vt mihi retulit quidam harum rerum mirè peritus, ob id eo vocabulo honeſtatum, quòd mortuorum copia diues eſſet. Porrò Plutonem hũc inferorum Rempublicam, & manium vitam conſtituiſſe in hanc formam. Nam ſorte obtigiſſe huic vt vita defunctis imperaret. Quos vbi demiſſos receperit, arreptos vinculis inextricabilibus coerceat, nulli prorſus permittens, vt ad ſuperos redeat, præterquàm admodũ paucis ex vniuerſo æuo, idque grauiſsimis de cauſis. Interluitur autẽ regio illius fluuiis, & magnis, & horrendis, vel ſolo nomine. Siquidem Cocyti, Phlegethontes, atque huiuſmodi vocabulis appellantur. Quódque eſt grauiſsimum, præiacet Acherontica palus, quæ prima excipit obuios, quam non poſsis neq; tranſmittere, neque tranare ſine vectore: nam & profundior eſt quàm vt pedibus trãſiri poſsit, & ſpatioſior, quã vt tranari queat. In ſumma huiuſmodi eſt, vt nec auium manes poſsint eam tranſuolare. In ipſo verò deſcenſu portáque, quæ quidem eſt adamantina, Arcęus eſt, regis patruelis, cui mãdata eſt cuſtodia, iuxtáque hunc canis triceps, ſæuus admodum. Is aduenientes ſatis amicè pacatéque intuetur: cæterùm ſi quis conetur aufugere, latrat, territóſq; in ſpecum redigit. Iam, qui tranſmiſſa palude ingreſſi ſunt, eos excipit pratum ingens, Aſphodelo conſitum, ac fluuius memoriæ hoſtis: eóque Lethe nomen eſt inditum. Nam hæc videlicet priſcis illis mortalibus narrarũt, qui illhinc redierant, nempe Alceſtis & Proteſilaus, Theſſalus vterque, neque non Theſeus Aegeo progna tus, & Homericus Vlyſſes, teſtes admodum graues, digníq;, quibus habeatur fides, qui mihi non videntur è fonte illo bibiſſe, alioqui non meminiſſent horũ. Itaque Pluto & Proſerpina, vt aiebant illi, Remp. adminiſtrant, rerúmque omniũ dominatum obtinent. Sed inſeruiunt his, & in adminiſtrando principatu adiuuant, ingens turba, furiæ, pœnæ, terrores, ac Mercurius, quanquam is ſanè nõ adeſt perpetuó. Præfecti autem & ſatrapæ, & iudices ſedent duo, Minos, & Rhadamanthus, vterque Cretenſis, vterque Iouis filius. Atque hi quidem bonos ac iuſtos viros, qui cum virtute vitã peregiſſent, vbi iam multi collecti fuerint, veluti in coloniam quandam emittunt in campum Elyſium, vitam optimam inibi victuros. Quòd ſi malos aliquos ceperint, hos Furiis traditos, in impiorum locum eiiciunt, pro ratione malefactorum puniendos. Quo quidem in loco quid tandem mali non patiuntur? torti, exuſti, à vulturibus arroſi, rota circumacti, ſaxa ſurſum voluentes. Nam Tantalus ipſe ad paludem ſtat, in periculum adductus, ne ſiti moriatur infelix. Rurſum aliis mediocris vitæ (ſunt autem hi complures) vagantur in prato ſine corporibus iam vmbræ facti, & ad tactum ceu fumus euanescentes. Aluntur autem videlicet noſtris libationibus, inferiiſque, quæ ſepulcris inferuntur: adeò, vt ſi cui nullus ſit in terra reliquus amicus, aut cognatus, hic mortuus ieiunus, ac famelicus inter illos verſatur. Hæc vſqueadeò validè vulgi animos peruaſerunt, vt ſimul atq; familiaris quiſpiam mortuus fuerit, primum obolum

Lethe.

lum illi in os imponunt, traiectionis mercedem, quam vectori daturus sit: nec illud prius expendunt, cuiusmodi nomisma legitimum sit, ambulétque apud inferos, & apud illos valeat, Atticus, an Macedonicus, an Aeginensis obolus. At ne id quidem cogitant, multò satius esse non posse naulum reddere. Sic enim fiat, vt non recipiente portitore, postliminio redeant in vitam. Post hæc lotos eos, perinde quasi tartarea palus non satis sit idonea lauandis his, qui illhic degunt, & vnguentis optimis vncto corpore, iámque vita graueolentia, tum coronatos pulcherrimis floribus proponunt splendidè vestitos, ne videlicet algeant per viam, néve nudi conspiciãtur à Cerbero. Accedunt ad hæc mulierum eiulatus, omnium certè lacrymæ, pectorum planctus, comæ dilaniatio, genarum eruentatio. Aliis autem & vestis discerpitur, & puluis capiti inspergitur, adeò, vt viuentes miserabiliores sint mortuo. Nam illi humi volutantur sæpenumero, & capita solo allidunt: hic verò decorus, ac formosus, ac diligentissimè coronatus sublimis propositus est, & excelsus, velut ad pompam adornatus. Deinde mater, atque adeò pater quoque ex mediis cognatis progressus, ac mortuo circunfusus, (nam finge iuuenem aliquem ac formosum propositum esse, quò magis in hunc cõpetat actio fabulę) absurdas, ac stultas voces emittit, ad quas mortuus ipse respõsurus sit, si contingat vocẽ recipere. Ait enim pater, flebili quadam voce verbũ vnũquodq; producẽs in longũ: Fili iueũdissime, peristi mihi, mortuus es, ante diem præreptus es, me super hæc misero solo relicto. Non duxisti vxorẽ, non parasti liberos, non milites, nõ coluisti agros, non ad senectam peruenisti. Non comessaberis posthac, non amabis fili, neque cum æqualibus in cõpotatione inebriaberis. Porrò hæc atque id genus alia dicet, quasi putet filium adhuc rebus his egere post obitũ, ac desiderare quidem, verùm potiri non posse. Sed quid hæc loquor? Quot enim sunt, qui equos, ac concubinas, rursum alii, qui pincernas etiam in funere mactarunt, qui vestem, reliquúmque mundum pariter in rogum iectum exusserunt, aut vnà cum cadauere sepelierũt, perinde quasi illhic sit vsurus, & apud inferos fruiturus? At senex iste luctum agens, hæc omnia, atque his etiam plura, quæ dicit, neque filii causa iactare videtur, vt quem sciat non auditurum, etiam si Stentorem clamore vincat: neque rursum sua ipsius gratia. Satis enim erat illi, cogitare, & cognoscere, vel sine voce. Nihil enim opus est vt quis apud sese clamet. Supereſt igitur, vt ad hũc modum deliret, ob eos, qui adsunt, cum nesciat, neque quid acciderit ipsi filio, neque quò concesserit, imò cum ne suam quidem ipsius vitam cuiusmodi sit perpenderit. Neque enim alioqui eeu rem acerbam grauiter ferret illum ex hac vita demigrasse. Filius igitur huic ita responderit, exorato Aeaco, atque Orco, quò liceat tantisper è specu proferre caput, dum patrem insaniẽtem compescat: Homo infelix quid clamas? Quid mihi molestus es? Desine vellicare comã, ac vultus etiam cutem lacerare. Cur mihi conuicium facis, ac miserum appellas, & infortunatum, qui iam sim te multò tum melior, tum felicior? Aut quid acerbi mihi putas accidisse? An quia non sim factus senex talis, qualis es tu, capite caluo, facie rugosa, incuruus genibus, segnis, in summa, totus ætate putris, multis expletis Triacadibus, & Olympiadibus, deniq; ad istũ modum delirans apud testes tam multos? O demens, quid tibi videtur in vita boni, quo posthac non simus potituri? Nimirum* vsuras dicis, ac cœnas, vestémque, & concubitus: eóque metuis ne rerum harum inopia pereamus? Non cogitas autem longè bellius esse, non sitire, quàm bibere: non esurire, quàm edere: non algere, quàm vestibus abundare? Agè igitur, quandoquidem ignarus videris, docebo te lugere verius: iámque denuò incœpto luctu, clama: Fili miser, non amplius sities, non amplius esuries, non amplius algebis. Peristi mihi infelix, qui morbos effugeris, qui febrem iam non timeas, non hostem, non tyrannum. Non amor diseruciabit te, non auocabit coitus, neque huius rei causa bis aut ter quotidie perdes impensam. Heu calamitatem, neque contemnẽris factus senex, neque molestus eris iuuenibus, si quando conspiciaris. Hæc si dixeris pater, an non putas te multò veriora, magísque ridicula dicturum, quàm ista quæ modó? At vide, ne illud te malè habeat, dum noctẽ, quæ apud nos est, magnámq; cogitas caliginem, proinde metuis, ne tibi præfocer, concluſus in monumento. Verũ in his illud oportebat perpendere, oculis putrefactis, atque adeò exustis (si quidẽ paulò pòst exurere me decreuistis) nihil opus erit, nec ad tenebras, nec ad lumen inspiciẽdum. Atque ista fortasis vtcunq; ferenda: verùm eiulatus iste vester quid mihi confert? aut quid ista pectorũ ad tibiæ modos percussio? aut quid mulierum immodica lamentatio? Quid autem saxum, quod sepulcro imponitur, coronis ornatũ? Aut quid valet, quod merum infunditis? Num putatis illud ad nos destillaturum, & ad Orcum vsque permeaturum? Nam de parentalibus ipsi quoque, ni fallor, videtis, quod ex apparatu potissimum ad nos redire debuerat, id fumo correptum sursum in cælum abire, neque quicquam iuuare nos, qui infernè agimus. Porrò quod supereſt, puluis est inutilis, nisi creditis nos cinere vesci. Non est vsqueadeo sterile, neque infrugiferum Plutonis regnum, neque nos destituit Asphodelus, vt à vobis cibos huc deportemus. Itaque iuro per Tisiphonen, iampridem mihi libebat vehementer exclamare super his, quæ & faciebatis, & dicebatis, sed vetabat linteum, ac lanæ, quibus mihi fauces obligastis.

Atq; ita profato, mors vltima lumina clausit. Sed dicito per Iouẽ: Si cõuersus ad eos mortuus ille, loquatur hęc cubito innitens, an non videbitur rectissimè dicturus? Attamẽ vecordes isti vociferãtur, & accersito quopiã lamẽtorũ artifice, qui multas antiquas calamitates in vnum congerat, certaminis adiutore, & amẽtiæ chorago abutũtur, vbicunq; cœperit ille, ipsi ad melos eiulatu respõdentes. Verùm quantũ ad lamẽtationes attinet, omnibus eadẽ est ineptiendi cõsuetudo.

* πότος, cõpotationes

At

Sepultura. At deinceps ſepulturæ rationẽ invarios diuidũt modos. Nã Græcus exurit, Perſa defodit, Indus adipe ſuillo oblinit, Scytha deuorat, muria condit Aegyptius, atq; hic quidem (rem à me viſam narro) deſiccatum cadauer, cõiuiũ, & compotorem adhibet. Fit autẽ frequenter, vt Aegyptium aliquem indigentem pecuniæ, leuet egeſtate pignus frater aut pater in tempore factus. Nam libationes, pyramides, columnæ, tituli, ad breue tẽpus duratura, an non ſuperuacanea, & ludicris
Ludi funebres. ſimillima? Sunt verò, qui ludos quoq; conſtituãt ad ſepulcrũ, ac funebres orationes habeant, perinde quaſi patrocinentur ac teſtimonium perhi-
Cœnæ exequiales. beant defuncto apud inferos iudices. Poſt hęc omnia ſupereſt exequialis cœna. Iámq; adſunt ne ceſſarii, vt defuncti parentes cõſolẽtur, ſuadéntque vti cibum capiant: quãquam illi per Iouem non illibentes ad id compelluntur, quippe perpetuum iam triduum enecti fame. Et quouſque, quæſo, flebimus? Sine quieſcãt Plutonis manes. Quòd ſi tibi deliberatum eſt omnino flere, vel ob hoc ipſum cibus eſt capiendus, quo tanto luctui par eſſe poſsis. Tum deniq;, tũ ex omnibus contexuntur duo verſus Homerici:

Nã cœpit meminiſſe cibi Niobe auricapilla.

Tum illud,

Vita defunctos flere haud ſinit aluus Achiuos,

At capiunt quidem illi, ſed initiò pudibundi, verentéſq; ne poſt chariſsimorum obitum videantur adhuc affectibus humanis commoueri. Hæc atq; his longè magis ridicula reperiet, quiſquis obſeruarit ea, quæ fiunt in luctu, propterea quòd vulgò exiſtiment mortem ſummum eſſe malum.

RHETORVM PRAECEPTOR,

Bilibaldo Birkeimero interprete.

Argvmentvm.

Inſectatur hoc ſcripto Lucianus corruptam ſuorum temporum eloquentiam, & affectatum dicendi genus eorum, qui ſe maximè facundos eſſe, atque egregiè perorare exiſtimant, cum verba quædam ex vltima vetuſtate repetita, & vix ipſi Euandri matri intellecta, orationi paſſim admiſcent, aut verius infarciunt: quales fuerũt noſtra ætate non pauci, cum apud Germanos alicubi, tũ præcipuè apud Italos, quibus maximè ea cura fuit ita loqui, vt à nemine intelligerentur. In quorum gratiam & ſuperioribus annis dialogus ille, qui Volſcorũ & Oſcorum titulo ferebatur, editus apparet. Cæterùm ipſa oratio Didaſcalica eſt. Duas enim vias ad eloquentiam conſequendam adoleſcẽti à quo (vt fingitur) ad id impulſus fuerat, præſcribit, priorem quidem aſperam, ac duram, & vix longo tempore peragendam, cæterùm veram, ac rectam, quam non modò ad eloquentiam, verùm ad omnem virtutem parandam ingredi opus eſt ei, qui volet, vel mediocrem laudem aſſequi. Alteram autem planam, & expeditam, ſed quæ ad improbitatẽ & petulantiã, non virtutem, perducat: quã ipſe ironica quadam epitrope cõmẽdat, ac adoleſcẽti obeundã proponit, ſcilicet ad temporum ſuorum morẽ alludens, quibus vt quiſq; indoctiſsimus & impudẽtiſsimus erat, ita pro præcipuo ac ſummo habebatur. Vtriq; autẽ vię dolorem quendã addit: alterum videlicet, ea, quæ recta ſunt, & ad ipſam rem pertinent, monẽtem: alterum autẽ, quæ ad arrogantiã, improbitatem, & temeritatem ſpectant, veriiſque rabulam, ac ſycophantam aliquem, quàm oratorem efficiunt, docentem: qui primò quidem, quæ de ſe ipſo afferre conueniat diſcipulum, præcipit: deinde quibus maximè ſtudere publicè, primùm in affectandis verbis, & componenda oratione, deinde inter agendum, & in foro, & in frequentia hominum: poſt hæc priuatim quoque, & domi inter ſuos idem debeat, docet. Quæ omnia eiuſmodi ſunt, vt mores ac vitia illorum temporum planè referant, quemadmodum cum ex aliis pleriſque, tum ex Quintiliano multis in locis idem animaduertere licet, qui ipſe quoque huiuſmodi affectatores & arrogantes non ſemel perſtringit. Exemplum autem talis oratoris qualem hic deſcribit, ſuprà in Lexiphane expreſſum habes, & hodie in multis coràm, & ob oculos videre licet.

Sciscitaris ô adoleſcens, quónam pacto Rhetor euadere, & venuſtiſsimum illud, ac oppido quàm honorificum nomen Sophiſta ipſe eſſe cenſeri poſsis. Tibi enim viuendum eſſe negas, ni talem in dicendo vim quandam aſſequaris, vt inexpugnabilis, ac intolerabilis exiſtat, omnéſque in admirationem, & venerationem rapiat, ac Græcis res celeberrimæ famæ eſſe videatur. Ideo vias illuc perducẽtes, quænam tandem ſint, addiſcere cupis. Atque nulla inuidia, fili mi: præcipuè cum quiſpiam adoleſcens adhuc exiſtens, optima deſiderat, ignarus tamen vnde hæc hauriat, ſitque res ſacra quædam conſilium, quemadmodum tu iam accedens, hoc expoſtulet. Igitur ex me audi, & admodum cõfide, quòd in perquam eloquentem euadas virum, ita, vt ea, quæ deceant, & cognoſcere, & explicare poſsis, ſi tute interim memor eſſe illorum, quæ à nobis audieris, aſsiduóq; labore exercere, & alacriter viam capeſſere volueris. Ita enim ad optatum peruenies terminum. Cæterùm huius rei adeptio minimè eſt exigua, neque mediocri indiget ſtudio, ſed pro qua multos labores, multáſque vigilias ſubire, ac quicquid euenerit, ſuſtinere decet. Cõſidera igitur quótnam hucuſque, cum nullius eſſent momenti, ob ſermonem clari, & opulenti, ac per Iouem nobiliſsimi quoq; apparuere. Atqui ne timeas, neque ob ſperatorum magnitudinem deſperes, infinitos quoſdam labores ſubeundos exiſtimans. Siquidem minime per aſperam quandam, aut arduam, ſudoríſve plenam nos perducemus, vt ex ipſa media laſſus regredi cogaris, quandoquidem nil ab aliis differimus, qui per conſuetam illam deducunt, longam, inuiam, laborioſam, & vt plurimùm deſperatam: ſed conſilii noſtri præcipuũ hoc eſt, vt per iucundiſsimam pariter, ac compẽdioſiſsimã facilémque & accliuem viam, cum multa animi voluptate deliciiſque inter florida prata vmbráſq; amœnas deambulans, otio, ac greſſu placido, abſq; ſudore in ſummo cõſiſtas vertice, illhícque citra

labor

laborem venari, & per Iouem diſcumbens quoq; conuiuari poſsis, ac illos, qui per aliam incedũt viam, in aſcenſus cliuo ab edito deſpicias: quin per cõfragoſa & lubrica præcipitia vix ſurrepentes, ac nonnunquam in capita deuolutos, multáque vulnera cautium aſperitate accipientes. Tu verò pridem antea in ſummo coronatus, feliciſſimus eris, breui vniuerſa quotquot in Rhetorica ſunt bona, tantum non dormiẽdo accipiens. Atqui promiſsio hæc admodum magna eſt, verùm per hoſpitalem Iouem ne diffidas, ſi facilè pariter & iucundiſsimè tibi hæc oſtendi poſſe aſſerimus. Etenim ſi Heſiodus cum pauca ex Helicone folia ſumpſiſſet, confeſtim poeta egregius ex paſtore euaſit, atque Muſarum numine afflatus, Deorum & Heroum genus decantauit: cur rhetorem, qui multò infra poetices eſt magniloquentiam, in breui creare impoſsibile erit, ſi quis cõpẽdioſiſsimam dididerit viam? quemadmodum & ego tibi enarrare volo Sidonii cuiuſdam mercatoris conſilium, quod ob incredulitatẽ imperfectum remanſit, ac audienti inutile. Imperabat iam Alexander Perſis, poſtquàm Darium in Arbelis pugna deuicerat, ac oportebat vndique per Imperium nuntios emittere, qui Alexandri ferrent edicta. Erat verò ex Perſis lõgiſsima in Aegyptum via, ſiquidem montana circumire oportebat, hinc Arabiam per Babyloniã intrare, inde longis emenſis deſertis vix tãdem in Aegyptum perueniebatur ſtatuis viginti prolixis viro expedito. Ferebat id ægrè Alexander, quoniam Aegyptios nõnihil tumultuari audiebat, nec habebat quo pacto quæ ſibi agenda viderentur, Satrapis annũtiare poſſet. Tũ mercator Sidonius, Ego, rex, inquit, viam haud longam ex Perſis in Aegyptum me tibi oſtenſurum polliceor. Etenim ſi quis mõtana hæc ſuperabit (trãſgredietur autem triduo) cõfeſtim in Aegypto erit. Et ſic ſe res habebat, verùm Alexander non credidit, ſed deceptorem eſſe mercatorem exiſtimabat. Ita quàm plurimis promiſsiones admirandæ incredibiles videtur. Sed ne id tibi accidat, caue. Etenim experientia cognoſces, quòd nihil prohibebit te Rhetorem cẽſeri vnius, nec totius quidem diei, montem ex Perſis in Aegyptum tranſgreſſum. Proinde Rhetorices primo imaginem ſermone deſcribere, & quemadmodum Cebes ille, vtrãq; viam tibi oſtendere volo. Etenim duæ ſunt, quæ ad Rhetoricam perducunt, quã haud mediocriter mihi amare videris. Illa itaque in eminenti reſidet ſolio, admodum formoſa, ac aſpectu elegãti: in dextráq; Amalthææ retinet cornu, fructibus omnifariis refertum. Ex altera autem parte adſtantes mihi diuitias aſpicere videtur, penitus aureas, ac perquàm amabiles: iuxta quas gloria quoq; & vehementia conſiſtunt: ipſam verò laudes permultæ puſillis Amoribus ſimiles, ac vndique confertæ circumuolitant, inſtar Nili, ſi quãdoque illum depictum vidiſti, Crocodilo alicui, vel equo fluuiatili, quales multi ſunt in eo, inſidentem, paruulos autẽ puellos, Peches illos Aegyptii vocãt, circa ipſum luſitãtes. Tales & circa rhetoricam laudes. Tu verò amator accedis, deſiderans ſcilicet quàm celerrimè in ſummũ euadere, vt tibi aſcendẽti nubat, ac omnia ea poſsideas diuitias, gloriã, laudes. lege etenim nubẽtis fiũt. Inde cum monti appropinquas, ſub initium de aſcenſu deſperabis, réſq; tibi ſimilis eſſe videbitur quemadmodum Aornos Macedonibus apparet, vndiq; aſpicientibus prærupta, & vix anibus tranſuolatu facilis, Dionyſio aliquo, aut Hercule ſi complanari debeat, indigens. & ita tibi ſub initium videbitur. Inde paulò pòſt duas quaſdã vias cernes, vel potius altera ſemita eſt, anguſta, ſpinoſa, & aſpera, multùm ſitis ac ſudoris præ ſe ferẽs, quam iam antea Heſiodus perquã egregiè oſtendit, ita vt nihil mei indigeas. Altera verò lata eſt, florida, ac manantibus aquis irrigua, & penitus talis, qualem paulò antè dixi, ne eadem ſæpius repetens, te, qui iam Rhetor eſſe poſſes, detineam. Tantùm hoc addendum videtur, quòd aſpera illa & ardua, nõ multa viatorũ retinet veſtigia: & ſi aliqua, valde vetuſta. per illam ego miſer aſcendi, tantum laborans, cũ haud neceſſe eſſet. Altera verò vndiq; plana, ac nil confragoſi habens, qualiſſimam ſit, alonge tantùm mihi apparuit: non tamen per illam inceſsi. Haud enim cum adhuc iuuenis eſſem, quid optimũ foret cernebam, ſed poetam illum vera loqui exiſtimabam, dicẽtem, Ex laboribus germinare bona. Illud verò minimè ſic ſe habebat. Multos enim video abſq; labore maiori dignitate euectos, felici ſermonum, & viarum electione tantùm. Cũ verò ad ingreſſum perueneris, rectè noui te hæſitaturum, quin iam dubitare ad quámnam ſit vertendũ. Quid igitur iam tibi faciundum ſit, vt facilè ad ſummũ aſcẽdas, fortunatus euadas, & nubas, omnibuſque admirabilis videaris, ego tibi expediam. Satis enim eſt me ipſum deceptum eſſe, & laboraſſe: tibi verò citra ſementem & arationem, tanquam Saturni ſeculo, cuncta prouenient. Confeſtim igitur tibi ſe obuium feret vir quidam robuſtus, prædurus, greſſu virili, multum Solis in corpore oſtendẽs, aſpectu maſculo, vigilator, aſperæ illius viæ dux, nugas quaſdã vanas prædicãs, vt ſe ſequaris cohortãs, Demoſthenis, Platonis, & aliorũ quorundã veſtigia demonſtrãs, magna quidem, & ſuper præſentia, verùm iã obſcura, & vt plurimũ à tẽpore obliterata. Addet te beatum fore, ac lege Rhetoricã tibi nupturam, ſi per illa inceſſeris, veluti eos, qui ad bona pergũt. At ſi parũper tranſgrediaris, vel extra rectũ trámitem, aut inceſſu aliquorſum magis declines, te à vera via, & ad nuptias deducente aberraturũ. Inde te priſcos illos viros imitari iubebit, inutilia ſermonum proponens exempla, nec imitatu facilia, qualia vetuſtę ſunt cõſtructionis Hegeſii, &, quæ circa Cratetẽ, Neſiotem quoq;, ſeuera, neruoſa & dura, diligentérque à literis amputanda. Laborem autem, vigilias, & puræ aquæ vſum, ſqualloremque quoque, hæc cuncta neceſſaria, & inuitabilia dicet. Etenim impoſsibile eſſe abſque illis viam perficere. Et quod omnium moleſtiſsimũ, per longũ tempus ad perficiendum iter tibi præſcribet, annos multos, non per dies, neq; triennalia, ſed per integras numerans Olympiades, ita vt prius quàm audiẽs laborem ſubieris, & defatigatus fueris, felicitati illi ſperatæ longũ valere dicat. Inſuper ob hæc

Imago rhetorices.

Duæ viæ ad rhetoricam.

hæc mala haud paruam expectet mercedem, ſed neq; dux eſſe incipiet, niſi magna prius acceperit. Et hæc tibi dicet ſuperbus, & verè antiquarius, ac Saturnius homo, mortuos vetuſtos ad imitationem proponens, ſermonéſq; pridem defoſſos eruere dignum ducens, ac ſi maximũ eſſet bonum, gladiorum fabri, & alium Atrometi cuiuſdam grammatiſtæ filium imitari, & hæc in pace, neq; Philippo ingruente, neq; Alexandro cogẽte, quo tempore illorum ſermones vtiles ſunt viſu: ignorans quænam ſint nunc innouata, celeritas, laboris euitatio, & via ad Rhetoricam perquam compendioſa. Tu verò haud acquieſcas, neq; illi mentẽ adhibeas, ne te ſuſcipiẽs alicubi præcipitet, vel demum prius quàm tot labores exhaurias, in ſeniũ perducat. Sed ſi omnino amore flagras, ac celerrimè Rhetoricæ congredi deſideras adhuc vigens, ita vt illi diligentẽ operam impẽdere poſsis, aſpero huic homini, & vltra mediocritatem virili, longè dic valere: ipſum verò aſcendere, & alios quotquot decipere poteſt, ſecum ducere permitte, vt tandẽ anhelãtes, & multo ſudore perfuſos, deſtituat. Ad alterã verò perueniẽs viam, alios quoq; multos inuenies, inter quos perquam ſapientẽ quendã, ac perpulchrum virum, ineeſſu molli, ceruice infracta, vultu effœminato, voce ſuaui, vnguenta ſpirantem, aç ſummo digito caput ſcalpentem, capillos quidẽ paucos adhuc, intortos tamen & hyacinthinos componentem, perquam delicatum Sardanapalum quendam, vel Cinyrã, aut Agathonem ipſum, lepidũ illum Tragœdiæ poetam. Hæc ideo refero, vt ab iis eũ cognoſcas ſignis, ac res tam diuina, Veneríq; & Gratiis amica, minimè te lateat. Sed cur hæc dico? etenim ſi ad cæcutientem te accedẽs, ſolum quid proloquutus fuerit, Hymettium os illud aperiens, & conſuetã vocẽ tantùm emittens, quàm primum intelliges eũ non ex nobis quempiã, qui terræ fructu paſcimur, eſſe, ſed ſpectrum peregrinum, rore vel ambroſia enutritum. Ad hũc itaq; ſi acceſſeris, téq; ipſum tradideris, confeſtim Rhetor eris egregius, ac conſpicuus, & vt ipſe vocat, rex in ſermonibus citra laborẽ conſtituèris, orationis moderãs quadrigas. Etenim ſuſcipiens te, prima illa docebit, ſed potius ipſe te alloquatur. Siquidem ridiculum, pro tanto Rhetore me verba facere, malum forſitan talium tantorúmque mimum, ne alicubi cadens, heroa, quem repreſentare conor, atteram. Te igitur cõpellabit, comã interim quæ adhuc reſidua eſt, demulcẽs, ſubridénſq; iucundũ illud, & tenerum, quẽadmodum aſſueuit, comicã Thaidẽ, vel Malthacen, aut Glyceram in emittẽda voce imitatus. Si quidem ruſticana eſt virilitas, & minimè ad mollitiẽ & blãditias rhetoris apta. Dicet igitur de ſe ipſo perquã modeſtè loquens: Num ô præclare te Pythius ipſe ad me miſit, rhetorũ optimum diiudicans, quemadmodũ Chærephonti olim perquirenti oſtendit quiſnam ex tum viuentibus ſapientiſsimus eſſet? At ſi nõ ideo, ſed propter gloriam aduenis, quoniam audieris noſtra omnia eſſe perquàm ornatiſsima, decãtata, ſtupenda, & mirè expolita: confeſtim intelliges ad quàm diuinum acceſſeris virum: expectabis autem nihil tale viſurum, ſicuti hoc vel illud accipere: verùm ſi quis Tityus, aut Otus, ſeu Ephialtes, longè ſuper illos tibi res videbitur immenſa & admiranda. Me etenim tantum alios vocalitate excellere inuenies, quantum tuba fiſtulas, cicadæ apes, chorſque eos, qui remiſſe cantare aſſueuerũt. Poſtquàm verò & ipſe rhetor euadere cupis, ſdq; haud facilè ab alio addiſcere potes, ſolũ ô gloriolæ ſtudium ea quæ dico ſequere, ac omnia imitare: leges quoque quibus te vti iubeo, mihi diligenter obſerua. Quin potius nil cunctatus iam accede: neque admireris, ſi ante rhetoricam prius ea nõ didiceris, quæ alia præexercitatio multo labore ſtultis & vanis inculcat hominibus, (nullius enim eorum indigebis) ſed illotis pedibus (inquit parœmia) irrue, nil mĩnus ideo habiturus, neque ſi tritiſsimum illud literas ſcribere ignoraueris. Etenim vltra hæc omnia aliud quid rhetor eſt. Primùm igitur referam quódnam te domi digreſſum viaticum ad peragendum iter afferre oporteat, qualitérque commeatum inſtruere, vt illud perquàm celerrimè perficere poſsis. Inde ego ipſe quædã procedenti per viam oſtendens, nonnulla verò admonens, ante Solis occaſum rhetorem te ſupra omnes, qualis ipſe ſum, efficiã, indubitanter prima, media & nouiſsima eorum, qui declamare conantur, poſsidens. Igitur quod maximum eſt, ignorantiam affert: dein temeritatem, audaciam præterea, & impudentiam: verecundiam autem, manſuetudinem, mediocritatem, & erubeſcentiam domi relinque. Inutilia enim ſunt, & negotio perquàm contraria. Præterea clamorem validiſsimum, ac cantum turpem, inceſſum quoque qualis meus eſt. Siquidem hæc valde ſunt neceſſaria, & ſola quodam modo ſufficiunt. Veſtitus autem ſit conſpicuus & candidus, opus Tarentini operis, vt corpus tranſpareat. Crepida verò Attica, & mulierbriter effigiata. Solea Sicyonia, ligamẽtis albis decorata. Sectatores verò quàm plurimi, libellúſque ſemper. Hæc te ipſum conferre oportet: at reliqua per viã iam procedens vide & audi. Etenim iam tibi leges enarrabo, quibus ſi vſus fueris, rhetorica te cognoſcet, & accedet, miniméque auertetur, aut quapiam afficiet contumelia tanquam haud initiatũ, & arcanorum ſpeculatorem quendam. Proinde formæ ac veſtitus decori permaximam curam adhibere oportet. Inde quindecim, vel non vltra viginti, Attica quædam ſelige verba, hæcque diligenter exercens, in ſumma lingua prompta habe, vtpote, quippe, nempe, quoniam quidem, igitur, vtiquo, & heus optime, ac talia: in omníque ſermone illa tanquam condimentum quoddam inſperge. Aliorum nulla tibi ſit cura, ſi his ſint diſsimilia, inconuenientia, & inconcinna. Tantummodo purpura ſit pulchra, ac florida, licet pallium ex craſsioribus cõſutum ſit pellibus. Deinde vbi obſoleta & peregrina, taróque ab antiquis vſitata collegeris verba, hæc expeditè in eos, cũ quibus cõuerſaris, eiaculare, ita enim te populus ille magnus venerabitur, & admirãdum ſuſpiciet. Doctrinam igitur, quæ eorũ exuperat intellectum, expertam, tanquam experitia habitam nominabis.

Demoſthenem & Aeſchinem intelligit.

minabis, Buttubata nugatoria, pro valde dices antigerio, pro cito toper, pro beſtiæ ſimilem belutum. Nonnunquam tu quoque noua effinge, & monſtroſa compone nomina: nam poetam verſificem appella, præſtantem præaſtantem, venerabilem venerando habilem, certamina agoniſmata. Cum verò ſolœciſmum vel barbariſmum committis, vnum tibi ſit remedium impudentia, confeſtímque in promptu ſit nomen poetæ cuiuſdã vel ſcriptoris, qui nec eſt, nec fuit vnquã: vt cũ ita dixeris, vir ſapiens eſſe cenſearis. Vocem verò data opera altiſsimè tolle. Proinde vetuſta minimè perlegeris tute, neq; ſi qua nugator Iſocrates, vel gratiarũ expers Demoſthenes, aut Plato frigidus ſcripta reliquere, ſed orationes eorum qui paulò ante nos fuere, & quas haſce exercitationis appellãt, vt illis inſtructus, ac tanquam ex penu depromens, habeas quibus in tempore abuti poſsis. Poſtquam verò orandum erit, præſentéſq; argumẽta quædam ac ſermonũ occaſiones ſubiecerint, vniuerſa ea quotquot ſunt, cum indignatione dicantur, vilipendantúrque, tanquam nil penitus ex his virile exiſtat. De illis verò quæ tute elegeris, caue mediteris, ſed quicquid verbi in linguam venerit, effutias. Quin nec hoc tibi curæ ſit, vt primum quemadmodum primum eſt, debito proferas tempore, ſecundúmque dein, ac tertiũ poſt illud: verùm quicquid primum inciderit, primum quoque dicatur: & ſi ita euenerit, ocrea capiti, tibiæ verò adaptetur galea. præterea accelera, & vndique cõnecte. ſolũmodo ne taceas. Quòd ſi de cõtumelioſo quodam vel mœcho Athenis verba facies, quæ apud Indos ac Ecbatana gerãtur, referas. In omnibus verò ſit Marathon & Cynægírus, ſine quibus nil fiat: ſempérque Athos nauigetur, & Helleſpontus pedibus teratur, & ſol à Perſarum ſagittis obumbretur, & Xerxes fugiat, & Leonides admirationi exiſtat, & Othryadæ literæ legãtur, & Salamis, & Artemiſiũ, & Plateæ, multa hæc & inculcata. In omnibus verò pauca illa verba immiſceantur, & tanquam floſculi interſpergantur, aſsiduéque in ore ſit vtique illud, & quoniam quidem igitur: etiam ſi illis minimè indigeas: pulchra etenim ſunt etiam fortuitò prolata. Proinde & ſi aliquando canendi tempus eſſe videtur, omnia canãtur, & melos fiant. Quòd ſi aliquando canendi quoque ignarus fueris, viros qui iudicio præſident, exactè ſonoroſe nominans, harmoniam explere puta. At illud, heu malorum, ſæpius repetatur, & femur percutiatur, & murmurillo interim ſuſurra, & dictis adgannias, ac incedendo clunes exagita. Quòd ſi te haud laudẽt, indigneris, & eos conuiciis inſecteris. ſi verò ſurrexerint, & ob pudorem exire parati iam fuerint, eos ſedere iube, ſitque penitus res tyrannica. Vt verò multitudo quoq; ſermones tuos admiretur, ab Iliacis incipiens, vel per Iouem à Deucalionis, ſi videtur, & Pyrrhæ nuptiis, ad præſentia ſermonem detorque. etenim qui hæc intelligant, pauci erunt: qui maximè, propter beneuolentiam tacebunt. Quòd ſi quid dixerint, ob inuidiã id facere videbuntur: multitudo verò & formam, & vocem, & inceſſum, & deambulationem, & cantum, & crepidas, & vtique illud tuum admirabitur. Præterea ſudantem te & anhelantem cernens, nil prohibebit quin te perquam aptum quendam in ſermonibus certatorem eſſe credat. Proinde celeritas illa haud paruam defenſionem habet, admirationémq; apud multos: ideo caue ne aliquãdo ſcribas, vel meditatus procedas. Siquidem id manifeſtæ eſt redargutionis. Amici verò ſemper applaudant, ac cœnarum pretium exoluant, ſi quando te à memoria excidiſſe intelligant, manus porrigentes, & inter laudes tuas ſpatium præbentes, vt rurſus inuenire poſsis quod dicendum erat. Siquidẽ hoc tibi præcipuè curæ ſit, vt chorum habeas domeſticũ, tibíque concinentẽ. Et hæc tibi in ſermonibus obſeruanda erũt: dein verò vbi proceſſeris, ille te ſtipans, ſatellitũ vices expleat, & de quibus dicis, interim conferat. Quòd ſi quis obuiàm factus fuerit, admiranda de te ipſo referas, ac ſummis te laudibus extollas, grauémque te illi oſtẽdas. quid enim Pæanienſis in mei eſt cõparationem? & vtinam mihi cũ veteri quopiam certamen foret! & alia huiuſmodi. Proinde, quod maximum eſt, & ad exiſtimationem perquam neceſſarium, paulo minus prætermiſeram: omnia quæ dicuntur, irride: & ſi quiſpiam bene loquutus fuerit, aliena, & non ſua, oſtentare videatur. Quòd ſi vel mediocriter contrà niti voluerit, omnia carpantur. Præterea in auditoria poſt cũctos ingredi oportet. id enim inſigne eſt, omnibúſque tacentibus, peregrinam quandam laudem, præſentium auditũ auertentem & interturbantem, inchoare: adeò vt omnes tantorum nominum onere nauſeent, ac aures obſtruant. Interim manum haud frequenter moueas: nam id factu facile, neque præterquam ſemel, vel vt plurimum bis aſſurgas. Subſanna autem quàm plurima, & palàm oſtende minus tibi placere quæ dicuntur. Abunde autem reprehenſionum occaſiones Sycophanticis aures ſuppeditabunt: at in reliquis confidere oportet. etenim audacia, & impudentia, mendacium quoq; promptum, ac ſemper in labiis ſummis periurium, & inuidia erga cunctos, odium quoque & blaſphemia, necnon calumniæ frequẽtes, hęc te in breui celebrem & conſpicuũ reddent. Et talia quidem ſint quæ manifeſtè ac palàm fiant: priuatim verò res omnes perpetrare videaris, ludere, inebriari, ſcortari, mœchari, iugulare quoque: & ſi non facis, corã omnibus tamen te facere iactita, literáſque aliquando à mulieribus conſcriptas oſtende. Nam & pulcher eſſe velis, præcipuáque tibi ſit cura vt à fœminis celebrari videaris. Nã per hanc viã quàm plurimi ad Rhetoricam vſque aſcenderunt. Ideo & tu quoque per illam ad gynæcéum vſque clareſcere poteris. Atq; iſtud ne vereare, etiam ſi à viris ob aliud quiddam amari videaris, & hoc barbatus, aut etiam per Iouem caluus iam exiſtens: ſed adſint qui etiam ob id tecum cõſuetudinem habeant. At ſi nemo alius fuerit, vel ſerui ſufficient. Nam hinc multa ad Rhetoricam vtilia oriuntur: augetur impudentia, & temeritas. Cernis etenim vt loquaciores ſunt fœminæ, impotentiúſque ac ſupra viros conuiciis debacchantur. Quòd ſi itaque & tu ſimilia patieris, aliis longè præſtabis. Iam verò & volſum eſſe maximè oportet per omnia. Quòd ſi non, illa prorſum vtique. Et ipſum autem os quoque ad cuncta libenter tibi diducatur, & lingua ſermonibus & reliquis quantũ poteſt ſubſeruiat. Poteſt autem non ſolum ſolœciſmum & barbariſmum committere, nugari, peierare, conuiciari, criminari, mentiri, ſed & aliud quid peragere noctu, & maximè quando vnus tam

Qualẽ rhetorẽ & Martialis deſcribit epigrã. li. 6. cuius initiũ, Non de vi, neq; de cæde, &c.

multis amatoribus non ſufficies. Nam cuncta facere noſcat, vt expeditior reddatur, & penitus à re nulla abſtineat. Hæc fili mi ſi rectè didiceris (poteris ſi quidem, nihil enim ex his graue) confidenter polliceor te haud longo tempore rhetorem præſtantiſsimum, nobiſque ſimilem euaſurum. Quæ verò ſequuntur, haud me dicere oportet quanta tibi bona breui à Rhetorica aderunt. Cernis etenim me, qui è patre ſordido, nec penitus libero, quíq; ſuper Xoin & Thmuin ſeruitutem ſeruierit, natus ſum, matre verò ſartrice, in biuio quodam: ipſe verò forma nõ omnino illiberali eſſe viſus, ſub initium ob victus penuriam, cum infelici, ſuaui tamen cõuerſabar amatore. At poſtquã viam hanc quàm facilis eſſet conſpexi, & tranſgrediens in ſummum perueni, ſi quidem ò amicabilis Adraſtia, omnia quæ iam enumeraui viatica abunde mihi ſuppetebant, audacia, ignorantia, impudẽtia. Primùm igitur haud ampliùs deſiderabilis appellor, ſed iam Iouis & Ledæ filiis cognomine ſimilis ſum effectus. Dein cũ anu mihi cõtuberniũ fuit, quam primò ventris cauſa amare ſimulabam, mulierem ſeptuagenariã, quæ adhuc dentes quatuor, & illos auro colligatos habebat. Verum tamen ob paupertatem certamen ſuſtinebam, ac frigida illa ex ſepulcro oſcula, perquàm ſuauiſsima mihi fames reddebat: inde parum abfuit quin omnium bonorum quæ poſſidebat, hæres euaſiſſem, niſi exerandus quidam illi indicaſſet famulus, quòd ob eã tollendam venenum comparaſſem. In caput igitur præceps eiectus, minimè tamen neceſſariis intereà earui. Sed & rhetor eſſe videor, ac in iudiciis me oſtento, multa prodens, ac iudices corrumpendo fatuis concilio hominibus. Vt plurimũ verò ſuccumbo, fores tamen obiter viridi coronantur palma. his enim illecebris erga infelices vtor: verùm ab omnibus odio haberi, & morum prauitate longè priùs quàm ſermonum eſſe inſignẽ, ac digito demonſtrarier, En ille qui cunctis flagitiis præcellere fertur, nõ parua mihi res eſſe videtur. His te admonere volui, longè priùs per Venerem me ipſum admonens, ac gratiam haud mediocrem mihi ipſi referens, & egregiè quidem. Generoſus itaque hæc dicens ceſſabit. Tu verò ſi dictis acquieſces, iam illic eſſe puta, quò ſub initiũ peruenire deſiderabas, nec quicquam tibi impedimento erit ſi leges has obſeruaueris, quò minùs in iudiciis excellas, apud multitudinem clareas, acceptus quoque ſis, & tibi nubat non vetula quædam comica, quemadmodum legiſlatori & præceptori illi tuo, ſed mulier pulcherrima Rhetorica ipſa, ita vt cum Platonis curru illo alato veharis, magis te deceat de te ipſo loqui, quàm illum de Ioue. Ego verò, nam degener ſum & timidus, è via vobis decedam, ac circa Rhetorices ſuperficiem nauigare deſinam, ignarus quo pacto veſtra cum illa conueniant, quin potius iam deſino. Verùm citra puluerem victores declarati, & admiratione digniſſimi, hoc ſolum reminiſcamini, quòd non feſtinatione illa veſtra celeriores apparentes victores euaſiſtis, ſed quia ad faciliorem & proniorem viam declinaſtis.

PHILOPSEVDES, SIVE INCREDVLVS,

Thoma Moro interprete.

ARGVMENTVM.

Diſputatio eſt de vi magica, de incantamentis, de ſpectris, & mortuorum animis, an ea videlicet ſuper terram ambulent, ſeſeque quibus libitum fuerit, oſtendant, cuiuſmodi & hodie quædam ſuperſtitione atque illuſionibus demonum vexati plerique credunt. Quanquam autem alia quadam ratione adductus Lucianus (eum enim intelligo ſub Tychiadis perſona ſententiam ſuam hic exponere) ratione iſta pro nugis & impoſturis ducat, nempe Demoeriti authoritatem (vt ipſe innuit) ſecutus, qui animas à corporibus ſegregatas nihil eſſe cenſuerit, illa tamen interim cõtendit, quæ & noſtræ ætatis ac religionis homines ſaniores paulò, ac prauis ſuperſtitionibus minùs dediti plerique ſentiunt: videlicet ſpectra atque phantaſmata huiuſmodi omnino nulla eſſe, aut ſi quæ etiam ſint, dæmonũ illuſiones quaſdam eſſe, quæ veritate ac rectis opinionibus munitis haudquaquam nocere poſſint. Deinde autem & magicas vires, & incantationes, non aliud quàm meras præſtigias eſſe, quibus imperitorũ oculi ac mentes circumueniãtur. Fingitur autem res apud Eucratem philoſophũ agi, quo videlicet iterum philoſophorum vanitatem perſequatur, vt qui veritatem ac ſapientiam apud alios profitentes, ipſi interim apud ſeſe nugis & incredibilibus huiuſmodi rebus animo adhæreant, nullis certis rationibus innitentes, ſed febricitantium apparitionibus ac ſomnijs, & meris anicularum fabulis fidem dantes. Tota enim confirmatio philoſophorum exemplis & apparitionibus conſtat, quæ Tychiades partim ridendo, partim ab inconſequentibus & cauſarum defectu diluit. Exordiũ ab admiratione ſumitur, qua ille affectum mentiendi in pleriſque præſertim philoſophis & ſapientiæ profeſſoribus nulla probabili cauſa impellente, miratur. Titulus ab vtraque parte impoſitus eſt, hinc ab eo qui rebus huiuſmodi fidem negat, illinc ab ijs qui mendacia talia aſtruant, & ex ijs quaſi quandam voluptatem captant.

TYCHIADES ac PHILOCLES.

TYCHIADES.

POTES mihi Philocles dicere quídnam id tandem ſit quod multos in mentiendi cupiditatem adducit, vt pariter gaudeant quum & ipſi nihil ſani loquuntur, & his qui talia narrant, maximè animum intendant? PHIL. Multa Tychiade ſunt, quæ nõnullos mortales mentiri compellunt, quia in rem vident conducere. TYCH. Nihil ad rem hæc, vt aiunt, neque enim de his rogabam, qui quum vſus poſtulat, mentiuntur. Venia nimirum hi, imò laude plerique eorum digni ſunt, quicunque vel hoſtes fefellerũt, vel ad ſalutem tali quopiã pharmaco vſi ſunt in neceſsitatibus, cuiuſmodi multa Vlyſſes etiam fecit, vt & vitam ſuam, & ſociorum reditum redimeret. Sed de illis vir optime dico, qui nulla neceſsitate mendacium ipſum veritati longè anteponunt, ipſa re videlicet delectati, atque in ea ſine vlla idonea occaſione verſati. Iſti ergo ſcire cupio cuius cõmodi gratia iſtud agunt. PHIL. An alicubi tales aliquos

aliquos iam deprehendiſti, quibus hæc inſita ſit mentiendi libido? TYCHI. Et quidem admodum multi ſunt huiuſmodi. PHIL. Quid aliud ergo in cauſa ſit quòd mentiuntur, niſi dementia? ſi quidem rem peſſimam optimę loco præoptant. TYCHIA. Hoc nihil eſt. nam ego tibi multos oſtenderim ad cætera prudentes, ac ſapientia mirabili: neſcio tamen quo pacto captos hoc malo, mẽdaciíque ſtudioſos, adeò vt ego certè moleſtè ferã, quòd viri tales, omnibus cæteris in rebus optimi, gaudent tamen & ſe, & eos in quos inciderint, fallere. Nã veteres illi, id quod tibi notius eſt quàm mihi, Herodotus, Cteſiáſque Cnidius, atque his ſuperiores, denique Homerus ipſe, viri celebres, mendaciis etiam ſcriptis vtebantur, vt non ſolùm eos fallerent, à quibus tunc audiebantur, verùm vſque ad nos etiam mendacium per manus traditum perueniret, in pulcherrimis verſibus metríſque ſeruatum. Me ergo ſæpe illorum verſuum nomine ſubiit pudor, ſi quando cęli ſectionẽ, ac Promethei vincula recenſent, Gigantúmque rebellionem, atque omnem illam de inferis tragœdiã: & quo pacto ob amorem Iupiter in taurum & cygnum verſus ſit: & quemadmodum ex muliere quiſpiam in auiculam vrſamve mutatus ſit: Pegaſos præterea, Chimæráſque & Gorgonas, ac Cyclopas, atque id genus omnia, admodum abſurdas monſtroſaſque fabulas, & quæ mentes afficere puerorum queant, qui laruã adhuc lamiámque metuunt: quanquam poetica ſint fortaſſe tolerabilia: at vrbes iam gentéſque totas vna voce aç publicitus mentiri, an non hoc ridiculum? veluti cum Cretenſes ſepulcrum Iouis oſtendere non pudet: Athenienſes Erichthoniũ editum è terra ferunt, primóſque illos homines in Attica olerum more ex terra emerſiſſe. Hi tamen multò verecundiores quàm Thebani, qui ex ſerpentis dentibus ſatiuos quoſdam progerminaſſe narrant. quòd ſi quis hæc, quum ſint ridicula, vera eſſe non credat, ſed ea prudenter examinans, Coroebi cuiuſpiam, aut Margitæ exiſtimet eſſe, ſi quis aut Triptolemum credat in alatis draconibus per aerẽ vectum eſſe, aut Pana quendam ex Arcadia in Marathonem veniſſe auxilio, vel Orithyiam à Borea raptam eſſe, impius nimirum hic atque inſanus videatur eis: quippe qui tam manifeſta veráque non credat, vſqueadeo obtinet mendacium. PHILOC. At poetis Tychiade, vrbibúſque fuerit fortaſſis ignoſcendum: nam illi delectationem illam quæ ex fabula proficiſcitur, vt quæ maxima ſit illecebra, poematibus ſuis immiſcent, qua potiſſimum erga auditores opus habent. Athenienſes verò, Thebaníque, & ſi qui ſunt alii, patriæ ſuæ plus maieſtatis ex huiuſmodi figmentis conciliant. Quòd ſi quis fabulas auferat è Græcia, nihil obſtiterit quò minus earũ narratores fame intereant, quãdò iam nemo futurus ſit hoſpitum, qui verum vel gratis audire velit. At ſi qui nulla tali cauſa, gaudent tamen mendacio, hi omnino ridiculi meritò videantur. TYCHIA. Rectè dicis. nam ego protinus ab Eucrate illo celebri venio, vbi multa incredibilia ac fabuloſa quum audiſſem, imò verò medio in ſermone diſceſſi, non ferens narrationem tam ſupra fidem, ſed me velut furiæ quædam abegerunt, dum monſtroſa multa atq; abſurda referrent. PHILOC. Atqui Tychiade, vir grauis Eucrates eſt, & nemo certè crediderit illum tam promiſſa barba, virum ſexagenariũ, & qui præterea ſit plurimum in philoſophia verſatus, ſuſtinuiſſe vt alium quenquam audiret ſe præſente mentientem, nedum vt ipſe tale quicquam audeat. TYCHIA. At neſcis amice qualia referebat: tum ea quàm conſtanter aſſerebat. præterea quàm ſanctè inpleriſque iurabat, admotis etiam filiis, adeò vt ego quum eum reſpicerem, varia mecum cogitarem, interdum quidem illum inſanire, neque animo conſtare: interdum verò ita cogitabam fugiſſe me quòd impoſtor eſſet, ac tantum temporis ſub leonis pelle ridiculam quandam ſimiam circuntuliſſet: adeò abſurda narrabat. PHILO. Quænam illa (per Lares) ſunt Tychiade? nam cupio cognoſcere quámnam præſtigiaturam ſub tam longa barba occuluerit. TYCHIA. Solebam quidem etiam aliàs Philocles aliquoties eum interuiſere, ſi quando videlicet multo otio abundarem. Hodie verò quum opus eſſet mihi conuento Leonticho (eſt autem, vt ſcis, amicus mihi) edoctus à puero eum ſe ad Eucratem mánè contuliſſe, vt eum morbi inſpiciendi cauſa viſeret, amborum nomine, nempe vt & Leontichum conuenirem, & Eucratem viderem: (ignoraueram autem quòd ægrotaret) ad eum peruenio. At Leontichum ibi iam non inuenio (nam paulò antè, vt dicebant, exiuerat) alios verò confertos reperio, in quibus erat & Cleodemus Peripateticus, & Dinomachus Stoicus, & Ion, noſti virum? Illum dico qui ex Platonica doctrina magnam ſui admirationem expectat, vt qui ſolus mentem viri deprehenderit, quíque eius oracula aliis quoque poſſit enarrare. Vides quos tibi viros nomino, nimirum omni ſapientia atque omni virtute præditos, vtpote ipſum ex quaq; ſecta caput, reuerendos hercle omnes, atq; aſpectu propemodũ terribiles. Aderat præterea medicus Antigonus, vt vſui in morbo eſſet aduocatus opinor. Et melius iam habere ſe videbatur Eucrates: ac morbus quidam ex familiaribus erat. humor enim rurſus in pedes ei deſcenderat. Sedere me ergo Eucrates in lecto iuxta ſe iuſſit voce languidulè remiſſa paululum, quum me conſpiceret: quanquam interim dum ingrederer, vociferantem eum ac vocem intendentem audieram. tamen ego admodum curioſe cauens ne pedes eius tangerem, vbi me vulgaribus iſtis verbis purgaueram, quòd eum ægrotare neſciuerim: quod vbi reſciſſem, curriculò venerim, adſedi propé. Et illis quidẽ ſermo iam de morbo erat, & quædam iam antè dixerant, quædam verò etiam tunc narrabant: præterea medicamẽta quędam quiſque proferebat. Cleodemus igitur, Si quis ergo (inquit) ſiniſtra manu tollens humo muſtelæ dentem, ſic interfectæ vt antè dixi, in leonis pellem alligauerit, nuper excoriati, ac deinde circum crura poſuerit, illico ſedatur dolor. Non in leonis pellem, inquit Dinomachus, vt ego audiui, ſed in ceruæ potius fœmellæ virginis adhuc, & nondum initæ. & res quidem magis eſt hoc pacto credibilis. velox enim cerua eſt, maximéque valet pedibus: & leo quidem fortis eſt, pinguedóque eius, ac manus dextra, piliſque qui recti è barba prominent, magnam vim obtinent, ſi quis vti nouerit cum proprio cuique carmine: at pedum curam minimè pollicentur. Et ipſe quoque, inquit Cleodemus, olim ſic putabam, ceruina pelle vtendum, propterea quòd cerua

velox eſſet: at nuper vir quidã Libycus, peritus profectò in rebus huiuſmodi, contrà me docuit, cerui oſtendẽs velociores eſſe leones: quippe qui eas, inquit, etiam perſequendo capiunt. Laudabant qui aderant, tanquam rectè dixiſſet Libycus ille. Tum ego: Putatis, inquam, incantamentis quibuſdam ſedari talia? aut foris admotis appendiculis, quum intus malum graſſetur? Riſerunt hũc ſermonem meũ: & palàm in me magnam damnabant amentiam, qui apertiſsimas res ignorarem, & quibus nemo qui ſapiat, contradicat quin ſic ſe habeãt. At medicus certè Antigonus delectari mihi viſus eſt hac rogatione mea. Iandudũ autẽ neglectui habitus fuerat, opinor, quũ opem Eucrati ferre ex arte vellet, denuntiãs videlicet vino vt abſtineret, atq; oleribus veſceretur, & vigorẽ animo omnino minueret. Cleodemus ergo ſubridẽs interim, Quid ais, inquit, Tychiade? incredibile tibi videtur eſſe vt ex rebus huiuſmodi parentur quædam aduerſus morbos remedia? Mihi certè videtur, inquam ego: niſi naribus adeò mucoſis ſim, vt credam ea quę foris applicantur, nihilque cum his quæ morbos excitant, intus communicant: per verbula tamen, vt dicitis, ac præſtigiaturam operari, & quum appenduntur, ſanitates immittere: id profectò nunquam fieri poſsit, nec ſi quis vel in Nemei leonis pellem ſedecim muſtelas integras inſuerit. Ego profectò leonem ipſum è doloribus ſæpe claudicantem vidi in vniuerſa ſui ipſius pelle. Nimium idiota es, inquit Dinomachus, neque vnquam tibi curæ fuit vt diſceres quónam modo res iſtiuſmodi aduerſus morbos quum adhibentur, conferunt: ac mihi videris ne notiſsima quidem iſta recepturus, febrium videlicet iſtarum profligationes, quæ certo quodam ambitu recurrunt, tum ſerpentum demulſiones, ac bubonũ ſanationes, & cętera quæcunque anus etiam iam faciunt. quòd ſi illa fiunt omnia, quur tandem putabis hæc etiam ſimilibus rebus fieri? Infinita congeris, inquam, Dinomache, clauúmq; vt aiunt, clauo extrudis. Neque enim conſtat ea, quæ commemoras, eiuſmodi vi fieri. Quamobrem niſi reddita ratione perſuaſeris primùm natura fieri poſſe vt febris tumórque vereatur aut nomen aliquod diuinum, aut dictionem aliquam barbaricam, ob idque ex inguine fugiat: aniles adhuc fabulæ ſunt quæcunque retuliſti. Tu mihi videris, inquit Dinomachus, quum iſta dicas, ne Deos quidem eſſe credere. Siquidem putas fieri nõ poſſe, vt per ſacra nomina remedia morbis afferantur. Hoc, inquam ego, vir optime ne dixeris. nihil enim prohibet quo minus, etiam ſi maximè dii ſunt, iſta tamen ſint vana. Ego verò & Deos colo, & medelas eorum video, & leuamenta quæ laborantibus conferunt, pharmacis videlicet atque arte medica reſtituentes. Itaque Aeſculaplus ipſe eiúſque poſteri ſalutaria pharmaca admouentes medebãtur ægrotis, non leones aut muſtelas circunligantes. Mitte hunc, inquit Ion. At ego vobis mirabile quiddam narrabo: Eram adhuc adoleſcentulus, annos natus fermè quatuordecim, quum quidam ad patrem meũ venit nuntians ei, Midam vitis cultorem ſeruum, etiam aliis in rebus robuſtum atque induſtrium, circa plenum iam forum à vipera morſum iacere iam putrefacto crure. Etenim dum ligaret palmites, ac vallis circumplicaret, à repentem beſtiolam maximum ei pedis momordiſſe digitum. Tum illam quidem illico aufugiſſe, & ſeſe rurſus in latebram condidiſſe. Illum verò eiulare perditum è doloribus. Hæc ergo quum nuntiarentur, iam Midam ipſum videbamus lectica domum à conſeruis apportari, inflatum totum, liuidum, ac ſuperficie tabefactum, vix iam ſpirantem. Pater ergo quum id moleſtè ferret, amicorum quiſpiam, qui tum fortè aderat: Bono animo es, inquit. Ego enim virum quendam Babylonium ex Chaldęis, quos vocant, protinus huc adducam, qui ſanabit hominem. & ne diem narrando conteram venit Babylonius, ac Midam reſtituit, effugato ex corpore veneno quadam incantatione, & ad pedem eius appenſo virginis defunctæ lapillo, quem è columna exciderat. Atque iſtud quidem hactenus forſan mediocre fuerit. Tum Midas iam ipſe ſublato, in quo allatus erat, ſcabello, diſceſſit in agrum. tantum potuit incantatio, & columnaris ille lapis. At idem iſte Babylonius alia præterea diuina planè fecit. Nempe in agrum profectus manè, quum pronuntiaſſet ſacra quædam ex vetuſto codice ſeptem nomina, ſulphure ac face luſtrato loco, in orbem ter obambulãs, ſerpentes omneis inuitos exciuit, quicunque intra eam regionem erant. Veniebant ergo tanquam ad incantationem tracti ſerpentes multi, atque aſpides, & viperæ, & ceraſtæ, & iaculi, phryníque, ac phyſali. relinquebatur autem vnus draco annoſus, prorepere (vt opinor) ob ſenectam non valens, qui non fuerat audiens dicto. At magus, Non adſunt omnes, inquit. Tum vnum quendam ex ſerpentibus, eum videlicet, qui natu minimus erat, ſelectum legatum mittebat ad draconem: ac paulò pòſt venit etiam ille. At poſtquam iam collecti conſultiſſent, Babylonius in eos inſibilauit. Atque illi repentè admodum omnes ab eius flatu incenſi ſunt, nobis interim admirantibus. Tum ego, Dic mihi, inquam, Ion: ſerpens ille legatus, iuuenem illum dico, vtrum manu deduxit draconem, qui iam (vt ais) ſenuerat, an ille baculum geſtans innitebatur? Ludis tu quidem, inquit Cleodemus: at ego, qui & ipſe quoque olim minus talia credebam, quàm nunc tu (putabam enim nulla ratione fieri poſſe vt ea crederem) tamen quum volantem primùm conſpicerem peregrinum illum barbarum (erat autem, vt ferebant, ex Hyperborels) credidi, ac victus ſum, quum tamen multum diúque repugnaſſem. nam quid facerem quum eum cernerem in aere volantem, atque id interdiu, ac ſuper aquam ingredientem, atque per medium ignem incedentem, idque lentè ac ſenſim? Túne, inquam ego, iſta videbas, virum Hyperboreum volantem, aut ſuper aquas ambulantem? Et maximè, inquit ille, carbatinas indutum, quo calceamenti genere illi potiſsimùm vtuntur. Nam minutula iſta quid attinet referre, quæcunq; fecit, quo pacto amores immiſerit, ac dæmones exegerit, mortuóſque marcidos in vitam reuocauerit, atque Hecaten ipſam palam conſpectibus exhibuerit, Lunámque è cælo detraxerit? Quin ego vobis referam quæ ab eo fieri conſpexi in Glaucia Alexidis filio. Glaucias hic quum patris nuper defuncti ſubſtantiam ſuſcepiſſet, Chryſidem amabat Demæneti filiam: ac me quidem præceptore in diſciplina vtebatur: ac niſi amor ille à ſtudio deduxiſſet eum, vniuerſam Peripateticorum doctri-

nam

nam perdidiciſſet: vt qui octo & decem quum eſſet annorum, iam abſoluerat Analytica: tum phyſicam auſcultationem in finem vſque percurrerat. Amore tamen victus, mihi rem omnem ſignificat. Ego verò, quemadmodum par erat, quippe qui præceptor eram, Hyperboreum illum magum ad eum duco, conductum quatuor illico minis in manum datis (oportebat enim præparari quiddam ad ſacrificia) tum ſedecim præterea, ſi Chryſide potiretur. Ille verò creſcentem obſeruans lunam (nam tunc vt plurimum huiuſmodi ſacra peraguntur) foſſam cum effodiſſet in aperto quodam loco domus, ſub dio circa mediam noctem euocauit nobis primùm quidem Anaxiclem Glaucię patrem, ante ſeptem menſes vita defunctum. Succēſebat autem ob amorem ſenex, atque indignabatur: tandem tamē ei permiſit vt amaret. Poſtea verò Hecaten quoque eduxit, afferentē vnà Cerberum: tum Lunam detraxit, multiforme quoddam ſpectaculum, & quod aliàs aliud apparebat. Primùm quidem muliebrem formā referebat: deinde in vaccam formoſam vertebatur: poſtremò verò catula videbatur. Hyperboreus ille tandem quum finxiſſet quendam è luto Cupidinem, Abi, inquit, atque huc perducas Chryſidem. Ac lutum quidem protinus euolabat: paulò pòſt autem affuit illa, pulſans oſtium. Tum ingreſſa Glauciam complecti tur, eum quàm inſaniſſimè deperiens: & cum eo ver ſata eſt quoad gallos canentes audiuimus. Tum verò Luna ſubuolabat in cælum, atque Hecate ſubiit terram, cæteráque ſpectra diſparuerunt: & Chryſidem tandem emiſimus circa ipſum ferme diluculū. Hæc Tychiade ſi conſpexiſſes, haud quaquam amplius dubitaſſes eſſe multa in carminibus iſtis commoda. Bene dicis, inquam ego. credidiſſem equidē, ſi vidiſſem ea: nunc verò ignoſcendum mihi puto, ſi qualia vos videtis, acutè perſpicere non poſſum: veruntamen Chryſidem illam quam dicis, noui, mulierem planè meretricem, ac facilem: nec video ſanè cuius gratia ad illam egueritis luteo illo legato, magóque ex Hyperboreis vſque, atque ipſa inſuper luna, quippe quam viginti drachmis ducere in Hyperboreos vſq; potuiſſes. mirificè enim ſeſe offert ad hanc incantationem mulier, & contrarium quiddam ſpectris iſtis habet. Nam ea quidem æris ferríve ſonum ſi audierint, fugiunt (nam id vos prædicatis) illa verò ſi argentum vſpiam ſonuerit, accurrit ad tinnitum. Præterea ipſum etiam magum admiror, quòd cum ditiſsimas mulieres in amorem ſui poſsit elicere, atque ab eis ſolida talenta ſuſcipere, is tamen ob quatuor minas, admodum tantilli lucelli auidus, Glauciam amoris compotem fecerit. Ridiculè facis, inquit Ion, qui nihil credis. Ego te libenter ergo rogauerim quid de his reſpondeas, qui dæmoniacos liberant erroribus, adeò manifeſtè ſpectra illa carminibus eiicientes. Atque hæc me dicere non opus eſt, verùm omnes nouerunt, Syrus ille ex Palæſtina, qui harum rerum artifex eſt, quàm multos mortales ſuſcipiat qui ad lunam concidant, oculóſque diſtorqueant, ſpumáque os oppleant: quos tamen erigit, ac ſanos remittit, magna accepta mercede diris eos malis liberans. Etenim quum iacentibus inſtet, rogauerítque vnde ſint in corpus ingreſſi, ægrotus quidem ipſe tacet: at dæmon verò reſpondet, aut lingua Græca loquens, aut barbarica, aut vndecunque fuerit ipſe: & quomodo & vnde intrauit in hominem. Ille verò adiurans eum, ac ni paruerit, minitans etiam, expellit abigítque dæmonem. Quin ego quoque dæmonem quendam exeuntem vidi, nigrum certè, & colore fumidū. Non magnum erat, inquam ego, talia te Ion cernere, cui ipſę etiam apparent ideæ, quas veſtræ familiæ parens oſtendit Plato: rem videlicet ſpectatu tenuem, atque euanidam, quantum ad nos homines luſcioſos. Itáne ſolus Ion, inquit Eucrates, iſtiuſmodi vidit, ac non alii etiam multi inciderunt in dæmones, alii nocte, alii etiam interdiu? Ego profectò non ſemel, ſed millies iam talia conſpexi: ac primùm quidem turbabar ad ea: iam verò ob conſuetudinem nihil nouum aut prodigioſum mihi videre videor, maximéque nunc, ex quo annulum mihi Arabs dedit ex ferro de cruce quapiam ſumpto factū, carménq; docuit nominibus multis plenū: niſi fortè ne mihi quidem fidē ſis habiturus Tychiade. At quî fieri poſsit, inquā, vt Eucrati non credam, Dinonis filio, viro in primis ſapienti, ac liberè, quæ ſibi videntur, domi in priuato ſuo cum authoritate narranti? Illud ergo de ſtatua, inquit Eucrates, quæ omnibus qui in domo ſunt, ſingulis noctibus apparet tum pueris, tum adoleſcentibus, tum ſenibus, hoc, inquam, non à me duntaxat audíeris, verumetiam à noſtris omnibus. De qua ſtatua, inquam ego? Non vidiſti (inquit) quū ingredereris, ſtatuam quandam in atrio collocatam, ſanè quàm pulchram, opus Demetrii, qui ſtatuas humana ſpecie fingere conſueuit? Nónne illam dicis, inquam, quæ diſcum iacit, quæ inclinata eſt ad emiſſuri geſtum, reflexa in eam quæ diſcum fert, altero pede modicè inflexo, quæque ſe erectura videtur vnà cū iactu? Nō, inquit: nam vnum eſt ex Myronis operibus ille diſci iactator quem dicis. Sed nec eā quæ eſt ei proxima: eā loquor, cui tæniis caput vinctum eſt, formoſam illam. Nam id Polycleti opus eſt. verùm eas quæ à dextra ſunt egrediētibus, omitte, inter quas & tyrannicidæ illi ſtant, Critiæ Neſiotæ plaſmata. tu verò an non ad aquam illam quæ influit, quampiā vidiſti ventre prominulo, caluā, feminudatam, vulſis quibuſdam barbæ pilis, inſignibus venis vero homini ſimillimā? Pelichus dux Corinthius eſſe videtur. Per Iouem, inquam, vidi quandam à dextra Saturni, quæ tænias coronáſque aridas habebat, pectoréque folia quædam inaurata. Ego, inquit Eucrates, ea inauraui, quum me ſanaſſet triduo, febre pereuntem. Erátne igitur etiam medicus, inquam ego, optimus iſte Pelichus? Eſt: neque ride, inquit Eucrates: alioqui homo te haud multò pòſt inuadet. Noui ego certè quantū valeat hęc quā tu rides ſtatua. An non eiuſdem putas eſſe immittere febres in quos voluerit, quandoquidem potis eſt eiicere? Propitia, inquā, placatáque ſit hęc ſtatua mihi, quę tantum valeat. Quidnam ergo aliud facientē eam viderunt omnes qui in domo ſunt? Quum primùm nox eſt, inquit, hæc è baſe deſcendens in qua ſteterat, in orbem totā domum circumit, & omnes occurrūt ei interdū etiam canēti: nec quiſquam eſt quem vnquam læſerit. diuertere enim tantùm oportet: illa verò præterit nihil intuentes infeſtans, quin & lauat ſæpe, & tota nocte ludit, vt ex ipſo aquę ſtrepitu licet audire. Vide ergo, inquā ego, ne fortè non Pelichus hæc ſtatua ſit, ſed Talus potius Cretenſis,

qui apud Minoem fuiſſe dicitur. Nam & illo æreus quidã Cretæ cuſtos erat: quòd ſi non ex ære, ſed ex ligno facta eſſet, nihil eam prohiberet quin non opus Demetrii, ſed vna potius ex Dædali machinis eſſe videatur. è baſe nanque (vt ais) etiam iſta fugit. Vide, inquit, ô Tychiade, ne te poſthac ſcommatis huius pœniteat. Noui quidem ego quid illi euenerit qui obolos ſurripuit, quos ei nouilunio quoque ſuſpendimus. Prorſus atrocia, inquit Ion, oportebat accidere: quippe qui ſacrilegus erat. quomodo ergo illum vltus eſt ô Eucrates? Nam audire cupio, etiam ſi quàm maximè Tychiades iſte diffiſurus eſt. Multi, inquit ille, ad pedes eius oboli iacebant, aliáque item numiſmata, quædam argentea ad crus eius affixa cera, ac laminæ quoque argenteæ, vota cuiuſque, aut merces ob ſanationem eius qui ab eo libera tus eſſet quum febre detineretur. At erat nobis ſeruus quidam Libycus ſceleratus, equorum curator. Hic noctu aggreſſus eſt ea auferre omnia, abſtulítq; digreſſam iam quum obſeruaſſet ſtatuam. At quum primùm reuerſus intellexit ſacrilegio ſe compilatum Pelichus, vide quo pacto ſeſe vltus eſt, atque furi prodidit Libycum. Tota nocte atrium obambulabat in orbem miſer, exire non valens, tanquam in Labyrinthum ineidiſſet, quoad orta die iam deprehenſus eſt ea tenẽs quæ furto abſtulerat: ac tum quidem comprehenſus, plagas non paucas recepit, nec temporis multum ſuperſtes malus malè periit, vapulans, vt dicebat, ſingulis noctibus: adeò vt vibices poſtridie apparerent in corpore. I nunc, & poſt iſta quoque Tychiades Pelichum ride, ac me tanquam coætaneum Minoi iam delirare puta. At ô Eucrates, inquam ego, quandiu æs erit æs, operíſque plaſtes Demetrius Alopecenſis fuerit, qui non Deos, ſed homines fingere conſueuit, Pelichi nunquã ſtatuam verebor: quippe qui nec ipſum etiam viuentẽ, ſi mihi minaretur, admodũ timuiſſem. Ad hæc medicus Antigonus, Et mihi ô Eucrates, inquit, Hippocrates æreus eſt magnitudine ferme cubitali: qui tunc duntaxat quum lucerna extincta ſit, totam in orbem domum ambit, perſtrepens, ac pyxides euertens, pharmacáque commiſcens, atque oſtia circunuertens: maximéque ſi quando ſacrificia prætermittimus, quibus in ſingulos annos ei ſacrificamus. Poſtulat ergo, inquam ego, etiam Hippocrates medicus iam vt ſibi ſacrificetur: indignatúrq; niſi in tempore iuſtorum ſacrificiorum epulis accipiatur: quẽ nimirum decebat boni conſulere ſi quis ei libauerit, aut mulſum inſperſerit, aut caput coronauerit. Audi ergo, inquit Eucrates, iſtud certè etiam teſtibus probauero, quod ante annos quinq; vidi. Erat fermè vindemiæ tempus. Ego verò in agrum circa meridiem vindemiatum dimiſſis operariis, in ſyluam ſolus abibam, cogitans interim quiddam atque conſiderans. At poſtquam in ſaltum perueni, canum primò latratus inſonuit. Ego verò Mnaſona filium meum cum æqualibus venientem, ludere venaríque (quemadmodum ſolebat) cõiiciebam. At res haudquaquam ſic ſe habebat: verùm paulò pòſt facto terræmotu, ſonóque velut è tonitru, mulierem aduenientem video terribilem, proceritate ferme ſemiſtadiali. habebat autem in ſiniſtra facem, in dextra verò gladium viginti circiter cubitorum. Et infernè quidem pedibus erat ſerpentinis, ſupernè verò Gorgonem referens, vultu videlicet, atque aſpectus horrore: pro coma quidem draconibus tanquam cæſarie circuncincta, aliis collum amplectentibus, aliis etiam per humeros ſparſis. Videte, inquit, amici quo pacto etiam inter narrandum exhorrui. & ſimul hæc dicens Eucrates, oſtendit omnibus brachii ſui ſetas erectas metu. Ion ergo ac Dinomachus & Cleodemus vehementer inhiantes auſcultabant eum, viri ſenes, tanquam naribus traherentur, adorantes apud ſeſe tam incredibilem Coloſſum, mulierem ſemiſtadialem, Giganteum quoddam Mormolycium. Ego verò conſiderabam interim cuiuſmodi erant hi qui cum iuuenibus ſapientiæ nomine verſentur, vulgóque in admiratione habeantur: quum ſola nimirum canitie barbáque ab ipſis differant infantibus, cæterùm etiam illis ipſis facilius ductiles ad credenda mendacia. Dinomachus ergo, dic mihi, inquit, Eucrates, illi canes deæ, quanta magnitudine erant? Elephantis, inquit ille, proceriores Indicis, nigri & ipſi, hirſutíque, ſordido ſquallidóque villo. Ego igitur quum viderem, reſtiti, inuerſo protinus in interiorem digiti partẽ, quod Arabs mihi dederat, ſigillo. Hecate ergo percuſſo draconicis illis pedibus ſolo, hiatum effecit maximum, & qui immani magnitudine penitus æquaret Tartarum: deinde paulò pòſt abiit in eũ deſiliens. Ego verò præſente animo porrecta ceruice inclinatus, inſpexi apprehenſa arbore quapiam quæ vicina ſtabat, ne obortis mihi tenebris ac vertigine, in caput præceps inciderem: deinde conſpexi ea quæ in inferno ſunt omnia, Pyriphlegethontem lacum, Cerberum, manes: adeò vt quoſdam etiam eorum agnoſcerem. Patrẽ ergo meum manifeſtè cernebam adhuc his ipſis amictum, quibus eum ſepeliuimus. Quid agebant (inquit Ion) ô Eucrates animæ? Quid aliud, inquit ille, quàm per tribus familiáſque cum amicis cognatíſq; verſantur, in Aſphodelo collocati? Contradicant ergo etiam nunc (inquit Ion) Epicurei ſacro Platoni, eiúſque de animarationibus. At tu nónne Socratem etiam ipſum Platonémque videbas inter manes? Socratem (inquit) vidi, neque illum tamen euidenter, niſi quòd inde conieci, quoniam caluus ac ventricoſus erat. Platonem verò non cognoui: nam apud amicos nimirum vera fateri oportet. Simul ergo atque ego omnia conſpexi, & hiatus coiit, & ex famulis meis quidam quærentes me, atque in his Pyrrhias hic, ſu peruenere hiatu nondum plenè obducto. Dic Pyrrhia, an non vera narro? Per Iouem (inquit Pyrrhias) & latratum audiui per hiatum: & ignis quidem à face mihi ſuffulgere videbatur. Tum riſi ego profectò, reſte latratum ignémque in cumulum addente. Tum Cleodemus, Haudquaquam noua iſta, inquit, neque aliis inuiſa vidiſti. Nam & ipſe haud ita pridem quum ęgrotarem, tale quiddam conſpexi. Proſpiciebat mihi curabátque Antigonus hic, ac ſeptima dies erat, febríſque ô qualis! incendio certè vehemẽtior. Omnes ergo me relinquentes ſolũ, clauſis foribus foris manebãt. Sic enim iuſſeras Antigone, ſi quo pacto poſſem obdormiſcere. Tunc igitur aſtitit mihi iuuenis quidam vigilanti, pulcher admodum, veſte circũamictus candida. Ac me quum excitaſſet, per hiatum quendam ducit ad inferos, ſicuti illico cognoui, Tantalum quum viderem ac Tityum

tyum Siſyphúmq;. At cætera vobis quid commemorem? Poſtquam verò ad tribunal perueni (aderat autem & Aeacus, & Charon, Parcæque, atque Erinnyes) quidã velut rex (Pluto certè mihi videbatur) aſſedit ſingulorum nomina percenſens, qui morituri erant, quos diem iam vitæ præſcriptum præteriiſſe contigerat. Iuuenis ergo me adducens illi exhibuit. At Pluto tunc incanduit, & ad eum qui me ducebat, Nondum illi completum eſt ſtamen, inquit. abeat ergo. Tu verò fabrũ Demylũ adduc: iã ſiquidem vltra colum viuit. Tũ ego lætus recurrens, ipſe quidẽ iam febre liber eram: denuntiabã verò omnibus quòd Demylus eſſet moriturus. Manebat autẽ nobis in vicinia ægrotans etiã ipſe nonnihil, vt renuntiatum eſt. Ac paulò pòſt audimus eiulatum eorum qui lugebant eum. Quid miri eſt, inquit Antigonus? Ego etenim quendam noui poſt vigeſimum diem quàm ſepultus eſt, reſurrexiſſe. Nam hominẽ & antequam moreretur, & poſtquã reſurrexit, ipſe curaui. Et quo pacto (inquam ego) in diebus viginti neque tabuit corpus, neque præterea fame corruptum eſt, niſi fortaſsis Epimenidem quempiã tu curaſti? Hæc quũ diceremus, protinus ingrediebantur Eucratis filii, è palæſtra redeuntes. Alter quidẽ iã ex ephebis exceſſerat, alter verò annos natus erat circiter quindecim. Tum ſalutatis nobis iuxta patrẽ adſidebant in lecto, ac mihi quidem ſella illata eſt. Tum Eucrates tanquam è cõſpectu filiorum admonitus, Sic his frui mihi contingat, inquit: ſimúlque manum eis iniecit, vt apud te Tychiades vera narrabo. Felicis memoriæ vxorem meam horũ matrem nouerũt omnes quo pacto dilexerim. Nã declaraui his rebus, quas in eam feci, non modò dum viueret, verùm etiam poſtquam vita functa eſt, quippe qui mundũ eius vniuerſum, veſtémque qua dum viueret oblectabatur, in rogum illius iniecerim. Septima verò poſt mortem die, ego quidem hic in eundem lectum incumbebam, quemadmodũ nunc, luctum eũ mihi commitigans, quem de illa cõceperam. Legebam enim tacitus Platonis illum de anima libellum. Ingreditur interim Demenete ea ipſa, atque adſidet iuxtà, quemadmodum nunc Eucratides hic, minorem deſignãs filium. Hic verò illico tremuit admodum pueriliter, ac dudum ad narrationem pallebat. Ego verò (inquit Eucrates) vt conſpexi, amplexus eam ſingultim lacrymabam. Illa verò me vociferari non patiebatur, verùm incuſabat me, quòd quum ei fuiſſem in reliquis gratificatus omnibus, è ſandaliis aureis alterum non cramaueram. ſupereſſe autẽ id dicebat, quod ſub arca ceciderat: atque ob id nos quum non inueniremus, alterum tantùm cremauera mus. Nobis autem adhuc diſſerentibus ſceleſtiſsimus quidã caniculus qui mihi in deliciis erat, in lecto cubans allatrabat: ea verò ad latratum euanuit. At ſandalium ſub arca repertum eſt: poſteáque à nobis incenſum. An hæc etiam Tychiades recuſabis credere, quum tam ſint euidentia, quotidiéque obſeruentur? Per Iouem, inquam ego, digni fuerint quibus aureo ſandalio nates puerorum more ferian tur, ſi qui iſta non credant, atque vſqueadeò impudenter vero reſiſtãt. Interea Pythagoricus intrabat Arignotus comatus ille, ab aſpectu venerabilis. Noſti illum doctrinæ nomine celebrem, qui cognominatur ſacer. Atque ego quidem vt eum conſpexi, reſpirauì: hoc ipſum quod prouerbio dici ſolet, aduenìſſe mihi ratus: nempe ſecurim quampiam aduerſus mendacia. Occludet, inquam, eis ora vir ſapiẽs, adeò monſtroſa narrantibus: atq; prorſus, iuxta vulgatum illud adagium, repentè Deum immiſſum eſſe mihi hunc à fortuna putabam. Hic verò poſtquam adſedit, aſſurgente ei ac cedente Cleodemo, primùm de morbo percontatus eſt, ſéque audiſſe dicebat Eucratem iam ſe melius habere. At quídnam, inquit, inter vos philoſophamini? Nam interi n dũ ingrediebar, ſubauſcultaui, ac mihi certè videmini in re quapiam pulchra conuerſari. Quid aliud, inquit Eucrates, quàm vt huic adamantino perſuadea mus (me demonſtrans) vt dæmones credat aliquos eſſe, phantaſmatáque, ac mortuorum animas ſuper terram obambulare, & ſeſe, quibus libitum fuerit, oſtendere? Ego igitur erubui, vultúmque deieci reueritus Arignotum. At ille, Vide (inquit) Eucrates, num hoc dicat Tychiades, eorum tantùm qui violenter interierint, animas errare, veluti ſi quis ſuffocatus, aut capite truncatus, crucíve ſuffixus fuerit, aut alio quopiam iſtiuſmodi modo è vita diſceſſerit: eas verò quæ fatali morte naturalíque diſceſſerint, haudquaquam amplius oberrare. Nam ſi hoc dicat, non vſqueadeo abſurda dixerit. Per Iouem, inquit Dinomachus, ne eſſe quidem iſtiuſmodi, nec. præſentia cerni putat. Quid ais, inquit Arignotus in me toruè aſpiciens, nihil horum tibi videtur fieri? præſertim quum omnes (vt ita dicam) videant? Ignoſces, inquam ego, mihi, ſi non credo: nam ſolus omnium non video. Quòd ſi vidiſſem, profectò & credidiſſem, quemadmodũ & vos. Atqui, inquit ille, ſi quando Corinthũ veneris, roga vbi ſit Eubatidæ domus. Atque vbi tibi fuerit indicata, nempe circa Craneũ, in eam ingreſſus, dic ianitori Tibio, vel le te videre vnde dæmonem Pythagoricus Arignotus quum adduxiſſet, abegerit, ac deinceps habitabilem domum reddiderit. Quídnam hoc erat Arignote? rogabat Eucrates. Inhabitabilis erat, inquit ille, diu propter terricula. quòd ſi quis inhabitaſſet, expauefactus illico fugiebat, exactus à quodam horrẽdo ac terribili ſpectro. Deciderat ergo iã, tectúmq; rũpebatur, neq; quiſquã erat omnino qui in eam ingredi fuerit auſus. Ego verò vbi hęc audiui, libellos ſumens (ſunt autem Aegyptii mihi de talibus rebus admodum multi) veni in domum circa primam vigiliam, dehortante hoſpite, ac ferme detinẽte, poſtquã didicerat quò iturus eſſem, in certũ, vt putabat, exitiũ. At ego ſumpta lucerna, ſolus ingredior, atq; in vaſtiſsimo atrio collocato lumine, humi ſedens tacitè legebã. Adeſt verò dæmon ille, cum quopiã è vulgo ſe cõgreſſurum ratus, ac me quoque quemadmodum alios perterriturum, ſqualidus, hirſutus, ac tenebris nigrior. Atque hic quum adſtaret, vndique me adſultim petens tentauit ſi quà poſſet expugnare, ac modò in canem, modò in taurum, modò in leonem vertebatur. At ego correpto in manum quàm maximè horrendo carmine, ſimúlque vocem imitatus Aegyptiam, & incantans eum, in domicilii tenebroſi angulum quendam compuli. Ac quum animaduertiſſem vbi ſe in terram condidit, tum deſtiti. Mane autem deſperantibus vniuerſis, ac me quemadmodum alios mortuum ſeſe reperturos putantibus, præter omniũ ſpem progrediens,

Simile habet Plinius in epiſtolis

Eubatidem adeo, feliciter illi annuntians quòd puram ſibi ac ſpectris liberam domum iam liceret incolere. Atque illum aſſumens, alióſque multos (ſequebantur autem huius inopinatæ rei gratia) quum ad locum duxiſſem vbi condentem ſe dæmona conſpexeram, iuſsi vt ſumptis ligonibus matuliſque ſuffoderent. Atque vbi id fecerant, inuentum eſt ferè ad paſſum d foſſum cadauer quoddam marcidum, oſsibus tantùm humana ſpecie cohærentibus. Illud igitur effoſſum ſepeliuimus, domus verò poſtea turbari prodigiis deſiit. Hæc vbi narrauit Arignotus, vir prodigioſa ſapientia, ac reuerendus omnibus, nemo erat ex his qui aderant, qui non multam mihi imputaret inſaniam, qui talia non credam, narrante præſertim Arignoto. Ego tamen nihil veritus neque comam, neque illam quam de eo habebant opinionem, Quid hoc, inquam, Arignote? Etiam tu talis eras, in quo mihi ſola ſpes fuit, fumo plenus ac ſimulacris? Illud ergo nobis in te, quod dici ſolet, euenit, vt theſaurum quum ſperauerimus, carbones offenderimus. At tu, inquit Arignotus, ſi neque mihi credis narranti, neque Dinomacho, aut huic Cleodemo, neque ipſi Eucrati, dic age, quémnam digniorem cui his de rebus fides habeatur, exiſtimas, qui nobis dicat contraria? Per Iouem, inquam ego, virum apprime mirabilẽ Abdera oriundum illum Democritum, cui tam firmiter erat perſuaſum eiuſmodi nihil eſſe in rerum natura poſſe, vt quum ſe in monimento extra portas clauſiſſet, ibíque degeret dies noctéſque ſcribens atque componens, iuuenéſque eum quidam illudere cupientes, ac perterrefacere, nigra veſte in modum cadaueris ornati, ac perſonis in capita affictis circunſiſtentes illum circunſilirent, crebrò ſubſilientes: hic neque eorum commenta pertimuerit, neq; eos omnino reſpexerit, ſed inter ſcribendum, Deſiſtite, inquit, ineptire. Adeò firmiter credidit animas nihil eſſe poſtquam è corporibus exierint. Hoccine ais, inquit Eucrates, dementem quempiam virum eſſe Democritum, ſi quidem ſic exiſtimauit? Ego verò vobis etiam aliud referam, quod mihi ipſi contigit, non quod ab alio acceperim. fortaſsis etiam tu Tychiades quum audieris, compellèris accedere, ipſa narrationis veritate coactus. Quum in Aegypto verſarer adhuc adoleſcens, à patre videlicet doctrinæ gratia tranſmiſſus, cupiebam nauigio profectus in Coptum, illhinc adiens Memnonem, miraculum illud audire, eum videlicet ſonum reddentem ad orientem ſolem. Illum igitur audiui non hoc vulgari modo quo audiunt alii ſonum quempiam inanem, ſed mihi oracula etiam edidit Memnon ipſe aperto ore ſeptem verſibus: quod niſi eſſet ſuperuacaneum, ipſos vobis verſus recenſerem. Inter nauigandum verò incidit in nos vnà nauigans vir Memphiticus quidam ex ſaeris illis ſcribis, mirabili ſapientia, & qui vniuerſam Aegyptiorum doctrinam callebat. Dicebatur autẽ tres ac viginti annos in adytis ſubterraneis manſiſſe, magiam interea doctus ab Iſide. Pancratem dicis (inquit Arignotus) præceptorem meum, virum ſacrum, raſum, lineis indutum, doctũ, puréque lingua Græca loquentem, procerum, ſimum, labiis promiſsis, cruribúſque gracilibus. Illum ipſum, inquit ille, Pancratem. Ac primùm quidem quis eſſet ignorabã: at poſtquã vidi eum, ſi quando in portum appuliſſemus, cum alia multa miracula facientem, tum crocodilis inſidentem agitaſſe, & cum feris verſantem, illas verò reuerentes eum, caudíſque adulantes, agnoui ſacrum quempiam virum eſſe: paulatímque comitate mea me in eius amicitiam ac familiaritatem inſinuaui, adeò vt omnia arcana mihi communicaret. Ac tandem mihi perſuadet, vt famulis omnibus in Memphide relictis, ſe ſolus ſequerer: neque enim defuturos nobis miniſtros. Atque ex eo tempore ſic vitam duximus. Quum in diuerſorium quodpiam veniremus, homo accepto piſtillo, ſcobinâve, aut peſſulo, veſtibus implicans, quum in id carmen quoddam dixiſſet, effecit vt ambularet, vtque aliis omnibus homo videretur. Illud ergo abiens, & aquam hauriebat, & cœnam parabat, inſtruebátque, atque in omnibus commodè ſubſeruiebat miniſtrabatque nobis. Deinde poſtquam iam ſatis huius miniſterii fuit, ſcobinam rurſus ſcobinam, ac peſſulum peſſulum, aliud recitans carmen, reddebat. Hoc ego vehementer conatus non reperiebam quo pacto ab illo expiſcarer. Nam id mihi inuidebat, quanquam in aliis eſſet facillimus. At quadam die in angulo quodam tenebricoſo clam illo deliteſcens, ſubauſcultaui propius incantationem illam. Erat autem triſyllaba. Tum ille quum piſtillo mandaſſet quæ curanda erant, abiit in forum. At ego poſtridie illo apud forum occupato, acceptum piſtillum quum ornaſſem, ſyllabas illas ſimili modo pronuntians, aquam iuſsi vt hauriret. Tum impletam amphoram quum tuliſſet, deſiſte, inquam, neque aquam amplius haurito, ſed rurſus eſto piſtillum. At illud mihi haud amplius iam obtemperare volebat, ſed aquam hauriebat continuè, quoad hauriendo totam domum nobis impleret. At ego quum reſiſtere huic rei non valerem, timebam autem ne Pancrates reuerſus (id quod etiam euènit) iraſceretur, correpta ſecuri piſtillum in duas partes diſſeco. At vtraque pars amphoram ſumens hauriebat aquam, iámque vnius loco duo mihi miniſtri eſſe cœperunt. Interea Pancrates ſuperuênit, ac re intellecta, illas quidem in ligna rurſus, quemadmodum ante carmen erant, mutauit. At ipſe me clanculum relicto, neſcio quò clanculum ſe ſubducens abiit. At poſsis iſtud etiam nunc, inquit Dinomachus, hominem ex piſtillo facere? Per Iouem, inquit ille, dimidia ex parte ſcio. nam in priorem formam nunquam à me reſtitui poteſt, poſtquã ſemel aquarius eſſe cœperit, ſed deferenda nobis domus eſſet aquæ iam impleta. Non deſiſtitis, inquam ego, huiuſmodi monſtroſa narrare viri ſenes? Alioqui horum ſaltem adoleſcentium gratia incredibiles iſtas ac terribiles fabulas aliud in tempus omitte, ne clanculũ terroribus ac prodigioſis fabulamentis impleantur. Parcere ergo eis oportet, ne talia conſueſcant audire, quæ eos per totam vitam comitata perturbabunt, atque ad omnẽ ſtrepitum meticuloſos reddent, poſteaquã eos omnigena ſuperſtitione impleuerint. Rectè admonuiſti me, inquit Eucrates, quũ ſuperſtitionẽ dixiſti. Nã quid tibi Tychiade de rebus huiuſmodi videtur, de oraculis loquor ac vaticiniis, & quæcunque quidã numine afflati proclamant, quæve ex adytis audiuntur? aut quæ virgo numeris eloquens futura prædicit? an videlicet neq; talia credis? At ego quòd annulum quendam

Mẽnon Aegyptiacus, de quo & Iuuenalis meminit.

dam ſacrum habeo, Pythii Apollinis imaginẽ exprimente ſigillo, quódque hic Apollo mecum loquitur, non dico, ne tibi videar ad gloriam meã res incredibiles narrare. Cæterùm quę apud Amphilochum audiui in Mallo, heroe mecum diu differente, deúmque meis de rebus conſulente, tum quæ ipſe vidi, volo vobis narrare: deinde ex ordine & quę vidi in Pergamo, & quæ audiui in Pataris. Itaque quum ex Aegypto redirem domum, audirémque illud in Mallo vaticinium apertiſsimum ſimul ac veriſsimũ eſſe, tamen ſic oracula dare, vt ad rem reſpondeat his quæcunque propheta quiſpiam in ſchedulam inſcripta tradiderit, rectè me facturum putaui, ſi dum prętернauigarẽ, experirer oraculum, deúmque de futuris quippiam conſulerẽ. Hæc adhuc Eucrate dicente, quũ viderem quàm longè res eſſet proceſſura, quódq; nõ breuem incœpiſſet de oraculo tragœdiã, ratus nõ expedire vti ſolus contradicerem omnibus, relinquens eum ex Aegypto adhuc in Mallum nauigantem (nam & intelligebam moleſtam illis eſſe prętentiam meã, vtpote qui diſſentirem, refellerémque eorum mendacia) Atquì ego abeo, inquam, quæſiturus Leontichum: nam opus habeo cum eo congredi. At vos, quandoquidẽ parũ ſufficére vobis res humanas putatis, ipſos etiam deos denique in fabularũ vobis partem vocate. Atque hæc ſimul ac dixi, diſceſsi. Illi verò alacres iam libertatem nacti, vt eſt veriſimile, mutuò ſeſe epulis accipiebãt, ac mendaciis ingurgitabant. Talibus ô Philocles apud Eucratem auditis, venio per Iouẽ inflato ventre, non aliter quàm hi qui muſto poti ſunt, opus habens vomitu. Tũ libenter alicunde magno emerim pharmacum aliquod, quod mihi obliuionem induceret eorum quæ audiui, ne me nonnihil earum rerum lædat inhærens memoria: nempe monſtra, dæmones, atque Hecatas mihi videre videor. PHIL. Quin mihi quoq; ô Tychia de tale quiddam hic ſermo tuus attulit. aiũt etenim non ſolùm in rabiem verti, atque aquam formidare, quoſcũque rabidi canes mordeant, verumetiam ſi quẽ mordicus homo morſus momorderit, illum morſum quoque non minus canino valiturum, atque eum etiam eodem modo formidaturũ. Quin tu ergo videris, quum ſis ipſe apud Eucratẽ à multis mendaciis morſus, mihi quoque morſum illum communicaſſe, adeò mihi mentem dæmonibus impleuiſti. TYC. At bono animo ſimus amice, quum magnum aduerſus huiuſmodi res remedium habemus, veritatem, rectámque omnibus in rebus rationem: quoſi vtamur, nullis huiuſmodi vanis, ſtultíſq; mendaciis turbabimur.

HIPPIAS, SEV

Balneum, Vincentio Obſopœo interp.

ARGVMENTVM.

Balneum Hippiæ deſcripturus, principiò ipſum artificem à cognitione artium atque peritia commendat. Orditur autem à loco communi, ita videlicet proponens, eos eſſe potiſsimùm laudandos artifices, qui non ſolùm verbis prolixe polliceri, aut de ſcientys diſputare ſoleant, ſed qui ipſo opere hoc, quod profitentur, præſtare poſſint. hunc locum exemplis aliquot illuſtrat, deinde ad præſens inſtitutum accommodat. Proinde, inquiens, etiam mechanici artifices maximè laudandi illi ſunt, qui non verbis tantum opera aliqua deſcribunt, aut promittunt, ſed qui re ipſa illa quàm optimè atque artificioſiſsime extruunt, qualis & Hippias hic vnus eſt, id quod opus ab eo, nempe balneum extructum, cõprobat, atque exinde ipſum balneum deſcribit, ſitum, elegantiam, proportionabilitatem operis, deinde & vtilitatem & opportunitatem omnium cellarum, & lauandi in eo vſum commendans.

EO ego viros ſapientes cum primis laude celebrandos eſſe exiſtimo, quicunque non orationes ſolùm magna induſtria elaboratas, ac ſingulis de rebus memoriæ proditas poſteris reliquerũt, ſed operibus quoque nõ diſſimilibus ea quæ orationibus ampliter & magnificè polliciti ſunt, confirmarunt. Quippe ægrotus, cui quidem pectus ſapit, non eos accerſit medicos, qui ſuper arte multa luculentè & excellẽter diſputare nouerũt, ſed qui vſu medendi illam diu multúmque exercuerunt. Potior autem & maioris pretii habẽdus eſt, vt mea fert opinio, muſicus qui pſallẽdi & pulſandæ citharæ peritia exornatus eſt, quã is qui tantùm rhythmos & concentuũ harmoniam iudicare nouerit. Quorſum enim attinet bellorum atque exercitus duces tibi enumerare non iniuriâ optimos & præſtantiſsimos hominum opinione iudicatos, quòd eorum virtus nedum in inſtruenda acie, & militum animis tempeſtiua oratione accendendis & inflammandis eluxerit, ſed quòd in præliis quoque fortiſsimè dimicando optimè ſe geſſerint, ac manu non ſecus quàm lingua prompti, memorabilia facinora ediderint: cuiuſmodi ex vetuſtis illis Agamemnonem & Achillem, ex paulò autem recentioribus Alexandrum & Pyrrhum fuiſſe cognouimus? Quorſum verò iſta percenſui? Non quòd alia ratione hiſtoriam edere ſtatuens, harum rerum mentionem fecerim, ſed quòd ex mechanicis quoque eos laude & admiratione non indignos putem, quicunque viſendis operibus aliquam ingenii famam ſibi parauerunt, eadémq; opera artis ſuæ egregia monimenta poſt ſe reliquerunt: quandoquidem illi qui ſolis ſemet orationibus exercuerunt, multò iuſtius Sophiſtarum quàm ſapientium appellationem meruerũt. Talem multorũ relatu percepimus fuiſſe Archimedem, ac Soſtratum illum Cnidium, quorũ alter de Ptolemæo ſubiugato victoriam reportauit, ac Memphim, ſine obſidione, fluminis intercepti auerſione occupauit: alter ſingulari artificio hoſtium triremes abſumpſit incendio. Thales quoque Mileſius ante illos Crœſo Lydorum regi pollicitus exercitum ſicco pede ſe traiecturum, ſua induſtria in vnius noctis ſpatio Alys fluuii alueum à tergo exercitus deriuatum circunduxit, tametſi è mechanicorum numero non fuerit, verùm alioqui magna intelligentia & ſingulari ingenii acumine præditus. Etenim quod de Epéo fertur, commentum peruetus eſt, qui non tantùm Achiuis equi machinam fabricaſſe, ſed vnà cum Græcorum optimatibus in eam conſcendiſſe perhibetur. Inter hos & Hippiæ huius, quem

Sophiſtæ.

noſtra memoria vixiſſe conſtat, meminiſſe æquum puto, viri dicendi facultate & ſtudio ita exercitati, vt cum quouis ex priſcis illis & veteribus optimè conferri poſsit, præterea qui ingenii acrimonia atque intelligentia multum præcelluerit, quíque interpretando multa perſpicuitate vſus ſit. Cæterùm opera ipſis orationibus longè pręſtantiora exhibebat: & quæ arte ſua pollicitus fuerat, re ipſa abſoluta reddidit: neque verò in talibus ſaltē profeſſionibus, in quibus illi qui ætate eum præceſſerunt, feliciter floruerunt, ſed iuxta geometricam quoque rationem propoſita (quod aiunt) linea triangulum rectè potuit deſcribere. Atqui aliorū quiſque vnū quiddam ab arte decerptum & ſingulare opus exercuit, in quo parata ſibi hominum opinione aliquis eſſe viſus eſt. Porrò ille primùm rebus mechanicis perpolitus, ne dimenſionum quidem geometricarū rudis fuit, nec ab harmonicis & muſicis alienus apparuit: ac vnūquodque ex illis vna eadémq; opera ita perfectè cognitum demōſtrauit, quaſi in eo ſolo cognoſcendo elaboraſſet. Multi verò temporis res eſſet, eius laudare induſtriam circa radiorum & repercuſsionum ac ſpeculorum expreſsionem. Præterea quanta in Aſtronomia cognitione excelluerit, in qua omnes eos qui annis eū anteiuerunt, pueros eſſe oſtendit. Sedenim quæ nuper ipſe vidi opera illius induſtria elaborata, quęq; mihi ſpectanti ſtuporem & admirationem incuſſerūt, ea nunc in præſens referre non grauabor. Eſt enim argumentum commune, & in noſtra memoria admodum frequens, balnei ſubſtructio: ſolertia autem, & in communi illo argumento ſingularis admirationis ſpectatur induſtria. Locus erat prorſus inæquali deformatus planitie, decliuis & arduus, quē ille occupās ex vtraque parte magnopere humilem, vtrinq; ſoli altitudine æquauit, firmamentúmq; munitiſsimum omni futuro operi ſubiiciens, fundamentorum poſitione ſubſtruendi ædificii certitudinem confirmauit: faſtigiis verò magnopere præruptis & præciſis, & ad firmiorem cōiunctionem complicatis, totum opus cōſolidauit. Cæterùm quæ ſubſtructa ſunt, loci magnitudinem menſuræ quantitate non exceſſerunt, ſed ædificii proportionibus cōuenientiſsimè atque decentiſsimè reſponderunt, lucis vbique infuſæ rationem conſtanter cuſtodientia. Portarum altitudo latos ingreſſus retinens, ſupina magis quā erecta ad ingredientium conuenientiam informata fuit. Ingredientem verò ſtatim domus communis excipit, ſufficientem exhibens pediſequis & miniſtris cōuerſandi amplitudinem. Porrò ad lætuam camerę ſunt ad delicias exercendas ſubſtructę. Proinde & iſta in balneo decentiſsimè ſunt obſeruata: Amœni & luce multa illuſtrati receſſus, deinde domus illorum, quā quidē longè præſtantiorē quàm vt lauacro cōueniat dixeris, perneceſſariam tamen ad melioris notę homines & opulētiores ſuſcipiendos. Poſt hanc vtrinque ſufficientes exuentibus ad reponendum veſtitum habitationes. Ac media domus & faſtigio excelſiſsima, & iucūdo lumine amœniſsima, tres aquæ frigidæ piſcinas in ſe complecti tur, Lacæno lapide exornata. Sunt etiam in illa ſtatuæ geminæ ex albo lapide antiqui operis & artificii, altera quidem Sanitatis, altera verò Aeſculapii. Ingreſſos autem excipit domus ſenſim ac gradatim tepeſcens, calore nō inſuaui occurrēte: quæ in longum porrecta, ac circumcirca orbiculatim extructa eſt. Poſt hanc ad dextram habitatio eſt magnopere amœna & elegans, copiam delicatis & voluptuoſis vnctionibus exhibens, ex vtraque parte habens aditus & ingreſſus lapide Phrygio ornatiſsimè decoratos, à palæſtra ingredientes ſuſcipiēs. Quæ deinde hanc conſequitur habitatio, omnes reliquas pulchritudine excedit & elegantia, & ad ſtandū ſedendúmque accōmodatiſsima, & ad diutius immorandum minimè noxia, tum ad volutandum vtiliſsima, & ipſa lapide Phrygio ad ſummum vſque faſtigium expolita relucens. Deinceps verò locus thermis dicatus, lauantes excipit, Nomade lapide extructus. Porrò interior habitatio omni amœnitate referta & elegantia, plurima luce conſpicua eſt, ac inſtar purpuræ floribus & venuſtate renitet. Ad hæc tria labra thermarum exhibet. Porrò autem tibi iam loto non integrum eſt per eaſdem habitationes regredi, ſed ea quæ ad frigidā tendit via, per vaporarium lento tepore caleſcens regrediendum eſt. Et hæc omnia copioſo lumine illuſtrata, & multo diei intus lucentis ſplendore exornata ſunt. Ad hæc ipſa faſtigia ab ædificio non diſcrepantia, tum latitudines longitudinibus aptè cohærent: in ſumma, multa vbique relucet ſumma cum elegantia & venuſtas & gratia. Etenim iuxta elegantiſsimi Pindari præceptum, opus exordientibus facie eleganti & ſplendida exornandum eſt. Hoc certè cum primis in huius domus ſubſtructione cum ipſo lumine tum fenestris obſeruatum eſt. Etenim ſapiens, vt revera fuerat, Hipplas habitationem frigido lauacro deſtinatam, ad Boream tendentem inſtituit, nec aeris meridiani expertem: reliquas autem multum feruoris & caliditatis requirentes, Noto & Euro ac Zephyri flatibus ſubiectas oppoſuit. Quid ad hæc tibi palæſtras memorem, & veſtes aſſeruantium communes habitatiunculas, cōpendioſam citra ambages viam quæ ad lauacrum ducit, habentes, ſingularis vtilitatis capiendæ, & incommodi vitandi gratia? Neque verò quis me ſuſpicetur opus modicū proponentem, orationis lenociniis atque verborum ampullis extuliſſe. Siquidem in rebus communibus & publicis noua elegantiæ ſigna atque indicia excogitare, non mediocris aut contemnendæ ſapientiæ argumentum ego eſſe opinor: quo in numero & hoc opus admirandi illius Hippiæ opera ad vnguem elaboratum meritò habendum eſt, quódque nobis ab illo oſtenſum eſt omnes balnei virtutes complectens, vtilitatem, opportunitatem, perſpicuitatem, menſuræ quantitatem in omnibus aptè obſeruatam, nec loci neglectam commoditatem, tum tutum lauādi vſum exhibens. Præterea omnibus aliis induſtriæ atque ſolertiæ officiis abſolutum, biuiorum & ambituū duplicibus receſsibus, multarúmque ianuarum patens egreſsibus. Quin etiam horarum geminis indiciis idem balneum exornauit, vno per aquam & ſonitum, altero per ſolem. His inquam vilis, nec debitam & conuenientem tam illuſtri operi reddere gratiam, nō inſipientis ſolùm, ſed etiam ingrati, aut potius inuidi mihi viſum eſt. Itaque ego pro virili, cū opus ipſum, tum architectum & artificem orationis meæ laudibus euexi & perſolui. Cæterùm ſi Deus aliquando conceſſerit

& lauandi

& lauandi copiam, non dubium eſt & alios permultos in laudum mearum partem mecum venturos.

ALLOCVTIO,

ſeu Bacchis, Vincentio Obſopœo interprete.

ARGVMENTVM.

Præfatio quædã eſt, quales & noſtri homines in enarrandis autoribus, aut aliis rebus tractandis, ipſis operibus præmittere ſolent. Et extant ſane etiã Ciceronis quædam ad idem exemplum compoſitæ. Monet autem Lucianus auditores ſuos, ne ſolùm compoſitionis nouitatem in ſcriptis ſuis ſpectent, neue ideo pro parum aut contemnendis illa habeant, quia comica ac ſatyrica quædã ſub dialogi grauitate tractet, ſed magis ipſam rem ſpectent: ne idem illis, quod Indis olim, accidat, dum Bacchi exercitũ & muliebrem, & à re militari alienum contemnunt. Deinde autem & veniam precatur ætati, ſi paulò verboſior aut loquacior nõnullis forte videatur, factũ ſuum etiam hic collatione quadam Indorũ cohoneſtans. Omnino autem multũ gratiæ habent huiuſmodi præfationes, ſiue eas allocutiones eas vocare magis libet, vbi collationibus atque ſimilibus ſuis ipſa hypotheſis aptè reſpondet.

QVO tẽpore Bacchus aduerſus Indos ductare exercitum inſtituit (nihil enim prohibet, vt mea fert opinio, fabulam vobis Bacchicã percenſere) ferunt vſqueadeo eum initiò ab Indiæ incolis fuiſſe cõtemptui habitum, vt accedentem etiam ſubſannarent. Magis autem temerariã illius audaciam miſeratione proſequendam eſſe opinabantur, tanquam actutum ab elephãtis proculcandũ, ſi acie inſtructa illis occurriſſet. Siquidem inaudiuerant, vt ego exiſtimo, ab exploratoribus, abſurda & monſtroſa de illius exercitu renuntiantibus, quemadmodum eius phalanx & cohortes ex mulieribus inſanis & furentibus collectæ forent, thyrſo redimitis, pelles cerui nas indutis, & haſtas quaſpiã paruas gerentibus nulla acie ferri acuminatas, & illas ex thyrſo cõfectas: tum ſcuta quæpiam leuia, & reſonantia ſi quis ſaltem vel leuiter attigiſſet. Quippe clypeis aſsimilabãt & tympana. Eſſe præterea in exercitu iuuenes quoſpiam agreſtes & nudos, qui ſaltarent cordaca, caudas habentes & cornua, qualia ferè hœdis recenter natis ſolent ſuccreſcere. Ipſum autem ducem illorum in curru vehi iunctis pardalibus, imberbem admodum, ac ne tantillũ quidem per genas herbeſcente barbitio pubeſcentem, cornigerum, racemis coronatum, mitra purpurea comam inuolutum, ac aureos cothurnos indutum. Cæterùm ſecundas ducendi exercitus partes obire duos alios, vnũ quidem breuis ſtaturæ ſenunculum, corpore perobeſo & ventricoſo, ſimis naribus deformem, auribus magnis & arrectis, tremulum, ſcipioni innitentẽ, pandum aſellum vt plurimum equitantem, amictũ crocoto, & hunc vehementer fidum illius in ordinanda acie ſocium. Alterum verò hominem monſtroſum, inferioribus corporis partibus hircũ referentem, crura crinitum, & cornigerum, profunda inſu per barba inſignem, iracundũ, & animo ad furorem propenſo præditum, altera manu ferentẽ fiſtulam, dextra verò incuruũ baculum, ſemet attollentem, ac tota caſtra circunſaltantem, quẽ mulierculæ exterrere ſolent, comáſque vento diffuſas concutere quoties acceſſerit, neque nõ vociferari Euohe: quo nomine, vt mihi conlecturam facienti viſum eſt, dominum ſuum compellant. Itaque greges à mulieribus iam diſcerptos eſſe, & oues adhuc viuentes dilaniatas: quippe illas crudiuoras eſſe planè videbãt. Hæc cum Indi & rex illorum ſpeculatoribus annuntiantibus cognouiſſent, ſublatis, vt par erat, cachinnis ridebant: iámque nequaquam contrà exercitum educere, aut inſtructis ordinibus obuiàm procedere illis deliberatum erat, ſed reputabant, ſi comminus mulierculæ in eos impreſsionem ac impetum eſſent facturæ, illis & vincere turpe eſſe, & mulieres inſanientes neci dare vnà cum duce effœminato, ac ſene modico & vinoſo, adiuncto etiam alio ſeminiuro milite, nudíſque ſaltatoribus per omnia ridiculis, facinus eſſe parum memorabile. Poſtea verò quàm Bacchus regionem incendiis deuaſtare, & vi ris deuictis ciuitates igne abſumere, ac ſyluas incendere annuntiatus eſt, iámque in breui temporis ſpatio tota Indorum regio flammis conflagraret (etenim ignis Baccho iã vſque à fulmine paterna ſunt arma) ibi iam citra moram armis induti, coactis elephantibus & infrænatis, & turribus deſuper poſitis aduerſus illos mouerũt aciem, etiandum hoſtilem exercitum extremè contemnentes, & iracundo animo ferocientes, neque non elephantis comminuere atque proterere properantes ipſis cũ caſtris imberbem illum imperatorem. Poſtquam verò propinquiores facti ſunt, & vtraque acies vtrique eſſet ſpectaculo, Indi locatis ante exercitum elephantis phalangẽ adegerunt. Cæterùm Bacchus ipſe in medio ſtrenui imperatoris fungebatur officio, cuius dextrum cornu Silenus, ſiniſtrũ Pan regebat. Porrò autem Satyri manipulares conſtituti ordinibus inſtruendis erant intenti. Signũ omnibus erat Euohe. Statim verò percuſſa tympana inſtrepuerunt, ipſaque cymbala claſsicum cecinerunt. Ac è Satyris quiſpiã correpto cornu carmen quod Orthium dicitur, occinebat. Tum Sileni aſellus hianti atque diducto rictu martium quiddam atque terribile derudiit. Ipſæ verò Mænades cum vlulatu facto in eos impetu incurſarunt, ſuccinctæ draconibus, atque ex ſummis thyrſis ferrum denudantes. Indi autem & elephantes illorum illico declinantes, nullo ſeruato ordine in fugam ſe dederunt, neque intra teli iactum conſiſtere ſuſtinuerunt. Ad poſtremum autem omni vi capti atque ſubacti ſunt, & captiui abducti ab iis quos paulò antè contemptim ſubſannauerant, re ipſa experti quàm non oportuerit prima ſtatim fama adductos, peregrinum exercitũ contemnere. Sed quid ad Bacchum ille Bacchus, dixerit aliquis? Quia permulti mihi videntur (ac per Gratias vos oro ne me inſanire aut prorſus temulentum eſſe ſuſpicemini, ſi mea cum Diis immortalibus contulero) idem erga orationum nouitates cum Indis perpeti, quemadmodum & erga meas. Exiſtimantes enim ſatyrica & ridicula quædam nimiúmque comica apud nos audiri, talibus fidem habuere: atque haud ſcio quam illi de me opinionem induerunt. Alii ne exordium quidem aſſequuntur, quaſi nihil neceſſe ſit aures præbere vinoſis & laſciuis mulierculis, & ſaltationibus ſatyricis

ab

ab elephantis deſcendentes. Alii verò, tanquã alicuius rei gratia veniſſent, thyrſi loco inuẽto ferro, neq; ſic laudare audent, inaudita rei nouitate perterriti. At ego fidenti animo illis annuntio', quòd ſi in præſentia quoq;, vt antea facere cõſueuerunt, feſtiuitatẽ ſpectare ſæpe voluerint, ac veteres compotores recordati fuerint conuiuiorum bacchanaliũ tũc temporis celebratorum, neq; Satyros aut Silenos contempſerint, ſed æquo largius ad ſatietatem vſque ex cratère illo hauſerint: & illos bacchico numine afflatos indecorè inſanituros, neq; non perſæpe nobiſcum Euohe dicturos. Itaque illi (liberũ enim eſt audire) quicquid animo ſuo gratum fuerit, faciant: at ego poſteaquam adhuc in India peregrè verſantur, ſtatui & aliud quiddã earum rerum quæ illhic agũtur, quod nõ valde à Bacchò abhorrebit, neque à præſenti inſtituto alienũ erit, percenſere. Inter Indos quos Machlæos vocant, qui læuum Indi fluminis litus, ſi ad fluxũ illius reſpexeris, incolũt atq; depaſcunt vſq; ad Oceanum porrecti: apud hos lucus eſt in loco ſepibus obturato, & anguſto, circũtecto tamen: quippe thyrſorum & vitium vbertas ibi prouenientium, locum opacitate ſua pulcherrimè inũbrat. Eo ipſo in luco tres fontes ſunt aquæ elegantiſsimæ & lympidiſsimæ: quorum vnus Satyris, ſecũdus Pani, tertius Sileno ſacer eſt. Ingrediuntur verò in lucũ Indi quotãnis ſemel, diei ſolennitate deum celebrantes, bibúntq; de fontibus, non tamen indiſcriminatim omnes de omnibus, ſed iuxta ætatẽ. Nã iuuenes ex eo qui Satyris ſacer eſt, viri ex Paniço, porrò ex Sileni fonte ii qui in mea ætate conſtituti ſunt. Itaq; quæ pueris de fonte bibẽtibus accidũt, aut qualia deſignent viri iam numine Panos afflati, perlongũ eſſet enumerare. Cæterùm qualia ſenes faciũt vbi iam aqua pota inebriati fuerint, non alienum eſſe opinor narrare. Senex ſimul atque hauſtam de fonte aquam biberit, ac eundem iam Silenus ipſe inuaſerit, illico ad prodigium vſq; obmuteſcit, hominem cui graue ſit caput, aut ebrium, per omnia referẽs. Poſt id ex improuiſo voce clara, & loquela graui, tum ſpiritu dulci rumpit ſilentium, ac ſubitò è mutiſsimo fit loquaciſsimus. Sed nec obturato ore illum cõpeſcueris quò minus continuis verbis diffluat, longáſque orationes contexat. Et profectò quæcũq; dixerit, prudenter & ornatè dicta ſunt, ac iuxta Homericũ illum rhetorem hybernis niuibus conſimilia diſſerit. Neq; verò ſufficienter eos cygnis ſecundũ ætatem conferre poſsis, ſed vocum denſitate cicadas imitantur, ac referunt, ac rotundum quiddam componunt in profundam vſq; veſperã. Inde iã diſcuſſa ab illis ebrietate conticeſcunt, & ad antiquũ morem redeunt. Cæterùm quod inter hæc maximè omniũ admirandũ eſt, nondum expoſui. Quòd ſi ſenex imperfectã quam inchoauit orationem reliquerit, neque, Solis occaſu interueniente, & temporis anguſtia excluſus, eandem ad finem deduxerit, deguſtata iterum in annũ ſubſequentem aqua, deinceps cætera percurrẽs orationi inchoatæ adiungit, quæ ſuperiori anno dicentem non in tempore, deſtituerat ebrietas. Iſtis ego me ipſe ſcommatibus Momi inſtar ludere volui. Et per Iouem nequaquam amplius affabulationem adducam. Iam enim haud dubiè videtis me fabulæ eſſe perſimilem. Quare, ſi qui bus in rebus delinquentes hallucinati ſumus, in cauſa fuit ebrietas. Sin prudenter & cordatè dicta ſunt quæ produximus, conſtat Silenum nobis fuiſſe placatum & propitium.

Iliad. γ.

PRAEFATIO,

ſeu Hercules Gallicus, D. Eraſmo Roterodamo interprete.

ARGVMENTVM.

Præfatio eſt eiuſdem rationis, cuius & ſuperior, niſi quòd quantũ ad argumentum attinet, rationem & eam ſam hic reddit cur natu iam grandior adhuc in eloquentiæ exercitatione verſetur, ſtudiũ atq; ætatẽ ſuam exemplo eo defendens, & vt ipſe ait, etiam cõſolans, quo apud Gallos ipſa eloquentia depingitur, nimirũ Herculis, eiuſdémq; iam ſenioris imagine. Fingit autem imaginem ſeu typum eum à ſacerdote quodam Gallorum, quales ea ætate Druidæ fuiſſe perhibentur, explicatam, & ſingulorũ picturæ eius membrorum rationem ſibi traditã eſſe, etiam Homeri atq; aliorum poetarũ locis, vtpote à perito Græcarum literarum additis. De quibus in ipſo orationis contextu ac ſerie videri ſatius eſt, quàm hic pluribus immorari.

HErculem Galli lingua gentis vernacula Ogmiũ vocãt. Porrò deum ipſum noua quadam atque inuſitata figura depingũt. Decrepitus eſt apud illos, recaluaſter, reliquis capillis, ſi qui reliqui ſunt, planè canis, cute rugoſa, & in aterrimũ exuſta colorem, cuiuſmodi ſunt nautæ iſti ſenes. Charontem potius, aut Iapetum quempiam ex his qui apud inferos verſantur, diceres. In ſumma, quiduis potius quàm Herculem eſſe conliceres ex imagine. Atque tali ſpecie quum ſit, tamẽ Herculis ornatum gerit, vt qui tum leonis exuuium indutus ſit, tum clauam dextera teneat, tum pharetram humeris aptatã portet, tum arcum tenſum læua prætendat: denique modis omnibus Hercules eſt. Hæc equidem arbitrabar in Græcanicorum deorum contumeliam perperam facere Gallos quum eũ eiuſmodi fingerent effigie, quò ni mirum illũ talibus picturis vlciſcerentur, quòd olim in regionẽ ipſorum incurſaſſet prædas agens, id temporis, quũ Geryonis armẽta veſtigans, Occidentalium gentium pleraſque regiones peruaſtaret. At nondum etiam dixi id quod erat in imagine maximè nouum atque mirandum: ſiquidem Hercules ille ſenex, ingentẽ admodũ hominum multitudinem trahit, omnibus ab aure reuinctis: porrò vincula ſunt catenulæ tenues auro electróve cõfectæ, pulcherrimis iſtis monilibus adſimiles. Atqui quũ vinculis vſqueadeo fragilibus ducantur, tamen neque de fugiendo cogitant, quum alloqui cõmodè poſſint, neque prorſus obnituntur, aut pedibus aduerſus trahẽtẽ obtendũt, ſeſe reſupinãtes: verũ alacres ac lęti ſequũtur, ducentẽ admirãtes, vltro feſtinãtes omnes, & laxatis funiculis etiã anteuertere ſtudentes, perinde quaſi grauiter laturi ſi ſoluerẽtur vinculis. Ne illud quidẽ pigebit referre, quòd mihi videbatur omniũ abſurdiſsimũ: etenim quum non inue-

niret

niret pictor vnde catenularũ ſummas anſas necteret, videlicet dextera iam clauam, læua arcum tenente, ſummam dei linguam perterebrauit, atq; ex hac religatis catenulis eos trahi fecit. Ipſe nimirum ad eos qui ducebantur, vultum & oculos conuertebat, arridens. Hæc ego quũ diutius aſsiſtens eſſem contẽplatus, admirans, hæſitans, indignãs: Gallus quiſpiam, qui propius adſtabat, noſtratiũ literarũ non indoctus (id quod declarauit, quum Græcanicã linguam abſolutè ſonaret, philoſophus, opinor, ex eo genere Philoſophorum, quod apud illos eſſe fertur) Ego tibi, hoſpes, inquit, picturę iſtius ænigma explicabo: nam videre vehemẽter ad eam attonitus ac ſtupefactus. Orationem nos Galli nequaquã arbitramur eſſe Mercurium, quemadmodũ vos Græci, verùm Herculi illam tribuimus, propterea quòd hic Mercurio longè robuſtior extiterit. nam quòd ſenex fingitur, nihil eſt quòd mirere. Si quidẽ vna facundia conſueuit in ſenecta demum abſolutum vigorem oſtendere, ſi modò verũ veſtri dicunt poetę,

Obduci iuuenum denſa caligine pectus:
Contrà ſenectam poſſe quiddam dicere,
Rudi inuenta melius ac præclarius.

Hinc videlicet apud vos & Neſtoris lingua melle profluit, & Troianorum concionatores lirioeſſam edunt, videlicet floridam quandam vocem: nam liria, ſi ſatis commemini, flores appellantur. Proinde quòd ab auribus vinctos ad linguã trahit ſenex hic Hercules, qui non aliud quã ipſe eſt ſermo, nè id quidem debes admirari, qui quidem nõ ignores linguæ cum auribus eſſe cognationem. Neq; verò ad contumeliam illius illud pertinet, quòd ea pertuſa eſt. nam memini, inquit, & Iambicos quoſdã verſiculos è comœdiis apud vos diſcere:

Siquidem viris loquacibus
Extrema lingua perforata eſt omnibus.

Quin de eodẽ hanc in ſumma habemus opinionẽ, vt quicquid egit, id oratione facundiáq; cõfeciſſe putemus, vtpote virum ſapientem, ac perſuadendò pleraq; ſibi ſubegiſſe. Iam tela illius nimirũ rationes ſunt acutæ, miſsiles, citæ, atque animam ſaucientes: vnde pennigera dicta vos quoque nominatis. Hactenus Gallus. Ac mihi quidẽ quũ huc me conferens mecum inter eundũ perpenderẽ, num decorum iam eſſet, vt tã grandis natu, quíq; iam pridem ab his doctrinæ certaminibus memet abdicaſſem, rurſum me tam multorum iudicũ calculis exponerem iudicandum, in tempore ſubiit animum meum eius picturæ recordatio. nã antehac verebar ne cui veſtrũ viderer hæc admodũ pueriliter agere, quaſíq; præter ætatẽ iuuenari. Proinde ne quis Homericus adoleſcentulus illud mihi impingeret dicens:

Aetas iam periit tua.

Tum illud:

Ac te corripuit carioſa ſenecta, miniſter
Inualidúſq; tibi, & ſegnes tardíq; caballi.

Videlicet eo ſcõmate pedes meos notans. Verùm quoties ſenex ille Hercules recurrit animo, ad quiduis adducor vt faciam, neque me pudet hæc audere, quũ ſim ipſi æqualis imagini. Itaque robur, celeritas, forma, & ſi qua ſunt alia corporis bona, valeant, cumq; his tuus ô Teie vates, Cupido, vbi memento ſubcano viderit, auro rutilantibus alis, ſi videbitur, vel aquilas præteruolet, neque laborabit Hippoclides, imò nũc vel maximè tempeſtiuũ fuerit facundia repubeſcere, florere, vigere, & quàm licet plurimos ab auribus ducere, ac ſæpius arcu ferire: quandoquidẽ periculum non eſt ne quandò quis præter ſpem pharetrã inanem reperiat. Vides quibus modis ætatẽ meã, meamq; ſenectutẽ ipſe cõſoler animẽq;, adeò vt nõ ſim veritus nauim iam ólim in terrã ſubductã, denuò reuellere, ſuiſq; inſtructã armis, mediũ in pelagus demittere. Contingant autẽ à vobis ô dii, afflatus ſecundi, quandò nunc vel maximè præſente bono atque amico vento nobis eſt opus: quo ſi digni modò videbimur, in nos quoque dicat aliquis Homericum illud:

Quos profert ſenior pannis è vilibus armos!

DE ELECTRO

ſeu Cygnis, Vincentio Obſopœo interp.

ARGVMENTVM.

Et hæc ſuperioribus conſimilis præfatio eſt, in qua ſe ipſum ac ſcripta ſua extenuat, adhibita ſimilitudine fabulæ eius quæ de electro ac Phaethonte, ac cygnis Eridani à poetis traditur: quã vt fictã ac falſam præſens experientia oſtendit, ita ſe vereri quoq; ait, ne cõceptã de ſe opinionẽ, auditorũ præſentia imminuat, ac falſam coarguat. Cõmendat tamen interim eo nomine orationẽ ſuã, quòd ſimplex ſit, & minimè Cygnis illis Padanis ac fabuloſis, quod ad canoritatẽ ſpectet, ſimilis, neq; etiã illorũ fucatis ſcriptis, qui dũ electrũ atque aurũ & ſpecioſa omnia affectant, Eridanum iſtum, ac cygnos poeticos, vanitate ac fumo longè excedant.

QVAM ſuper electro poetæ cõmenti ſunt fabulam, ea & nobis planè perſuaſis fidẽ fecit, eſſe ſcilicet in ripis Eridani populos, quæ lacrymãtes illud deſtillarent, Phaethontẽ lugentes, eaſdémque Phaethõtis ſorores fuiſſe populos: deinde iuuenis caſum luctũ proſequentes, in arbores fuiſſe cõmutatas, atq; etiamnum è lacrymis illarum electrum defluere. Hæc inquam cũ poetas canentes audiſſem, in ſpem veniebam, vt ſi quando ad Eridani litora delatus eſſem, vnam accedens ex arboribus, ac recluſo ſinu & cortice, nonnullas me ſuſcepturum lacrymas, vt ego quoque electrum poſsiderem. Et ſanè nõ multò antè alterius negotii conficiendi gratia ea in loca iter habens deueni, & erat mihi commodũ traiiciendus Eridanus: neq; tamen cũ diligenter omnia loca circũcirca oculis obiiſſem atq; perluſtraſſem, aut populos vidi, aut electrum conſpexi, ſed Phaethontis nomen ne notum quidem erat incolis. Exquirente tandem me atque interrogante, Quando verò ad populos electrum de ſe præbentes deuenie mus? riſerunt nautæ, atq; manifeſtius ſi quid vellem iubebant proloqui. Et ego illis fabulã ordine percenſui, Phaethonta fuiſſe Solis filium, & hunc vbi iam adoleuiſſet, à patre poſtulaſſe, aurigandi copiã ſibi faceret, vt vnius diei curſum & ipſe conficeret. Cæterùm patrem filii precibus annuiſſe, ac poſtulata præſtitiſſe, hunc autem inter aurigandum è curru delapſum & deiectum periiſſe. Porrò illius ſorores lugentes eo loco alicubi, inquam, apud vos, vbi delapſus eſt, apud Eridanum in populos fuiſſe transformatas, & iam fratrem lugentes

tes electrum lacrymando emittere. Quicunq;, inquiunt, hæc tibi dixit, vanum eum hominem fuiſſe apparet: teq; dolis produxit & mendaciis. Nos verò neq; aurigã vllum delapſum nouimus, neque eæ penes nos ſunt, quas tu iactas, populi. Quòd ſi quid eiuſmodi apud nos eſſet, num putas duorũ obolorum gratia nos ita laborioſè remigaturos, aut nauigia aduerſus fluminis impetum tracturos, quibus promptum eſſet minori negotio & ſudore diteſcere, populorum lacrymas colligentibus? Hæc cum dixiſſent, nõ mediocriter ſanè nautarum dictis ſum pudore affectus. Confuſus autem obticui, quòd re vera puerile quiddam paſſus fuerã, habita fide poetis adeò mõſtroſa mentientibus: quippe quibus ſtudio eſt nihil ſani dicere, aut literis prodere. Vnica igitur hac ſpe, nec illa modica turpiter deceptus, indolui, non ſecus atque ſi è manibus electrum deperdidiſſem: nimirum qui iam mecum deliberabam quomodo illo potiſsimùm vti velim. Porrò autem illud planè pro certo apud illos inuentum iri opinabar, nempe cygnos complures in fluminis litoribus modulates. Ac rurſus nautas interrogo, adhuc enim nauigabamus: Atqui cygni quãdo tandẽ propter fluuium conſiſtentes, dulcem illum cõcentum vobis abſoluũt, ex vtraq; parte litoris? Si quidem & illos Apollinis aſſeſſores fuiſſe perhibent, homines canẽdi peritia & ſuauitate excultos, & celebres, poſt id in aues eſſe cõmutatos, eámque ob rẽ etiam nunc cantibus & modulis indulgere, necdum Muſices eſſe oblitos. Illi verò ſublato riſu, Tu quidẽ, inquiunt, ô homo nunquámne hodie finem facies patriam noſtram & fluuium mendaciis infamandi? Nos equidem ſemper remigandi ſtudio operã dantes, ac penè omnem à puero ætatẽ laboribus in Eridano conſumentes, paucos nonnunquam cygnos conſpeximus in fluminis paludibus, qui incõptam & inamœnam vocem, & ſonum parum firmum edere ſolebant, ita vt coruos aut graculos cum illis collatos, Sirenas eſſe confirmare poſsis. Cæterùm dulce quiddã & optabile, vt tu dicis, ne in ſomnio quidem canẽtes vnquam audiuimus. Itaq; demiramur vndénã iſta de nobis conficta in hominum opinionem venerint. In multis etiã aliis facile ac promptum eſt credentes decipere, iis quibus ſingula quæque iuſtò magnificentius narrare atque extollere moris eſt. Quare & ego nunc de me ipſo in metum venio, ne & vos, qui nuper veniſtis, ac nos primùm audiſtis, electra quæpiam aut cygnos apud me inuenturos ſperantes, tandem non multò pòſt abeatis, & eos qui vobis magnifica de me ſunt polliciti, ſubſannetis, multas eiuſmodi verborum diuitias in oratiõibus meis repoſitas affirmãtes. At ego Deos teſtor, talia me ipſum de orationibus meis ſuperbè & magnificè iactantem, neque à vobis neq; ab alio quoquã vnquã auditum eſſe, neq; poſt quenquam ita inſolenter agentem auditurum fore. Neque tamen fieri potuiſſe nego, vt in alios non paucos incidas quoſpiam Eridanos, quorum orationes non electrum ſolũ, ſed aurum quoque deſtillat, qui longo interuallo vocis dulcedine cygnos ſuperant poeticos. Mea verò dicendi ratio quàm ſimplex ſit, ac minimè fabuloſa, videtis, neque vllã habet modulationem admiſtam. Quocirca vidẽdum eſt ne idem tibi imprudenti contingat, maiore de nobis ſpe animo concepta, quod perſæpe ſolet accidere ſub vndis aliquid ſpectantibus. ſiquidem exiſtimantes tantæ magnitudinis illa eſſe, quanta illorum apparent obtutibus, dilatante vmbra ſplendorẽ, quibus iam ſubtractis, multóq; minoribus inuentis, diſcrucian tur animo. Iam ergo tibi prædictũ ſit, vt effuſa aqua ac meis reuelatis, nihil magnum expectes te hauſturum, aut te ipſe ob ſpem falſò conceptam condemnabis.

MVSCAE ENcomium.

Argvmentvm.

Declamatio eſt ex eorum genere quæ exercendi ingenij cauſa tractari ſolent, adoxa pleraq;, & ipſo argumento dicentem parum iuuantia: qualia ſtatim ab initio inde ſophiſtas tractaſſe, etiam ex Iſocrate apparet, qui in exordio de laudibus Helenæ, inutilẽ ac intempeſtiuã in rebus friuolis, & à cõmuni vſu alienis, diligentiam illorum ob id reprehendit. Quanquam videtur Lucianus diſcipulorum magis quàm ſui oſtentandi cauſa, huiuſmodi argumenta tractaſſe: nempe vt horum exemplo etiam ad ſeria copioſiores, & ad inueniendum promptiores illos redderet. Et ex ſuperioribus præfationibus ſatis apparet, illius tum temporibus cũ hæc ſcriberet, rhetoricam publicè profeſſum eſſe, ſiue hoc in Gallia, vt quidem ex Hercule aliquo modo coniecturam facere licet, ſiue etiam alio aliquo loco. Porrò autem tanta diligentia omnia perſecutus eſt quæcũq; de muſca dici aut inueniri poſſunt, vt vix aliud copioſius quicquã in hoc genere tractatum reperias, adeò vt ſi explicare oratione, atq; amplificationibus illuſtrare ſingula voluiſſet, plane illud quod ipſe in fine vereri ſe ait, ex muſca elephantẽ feciſſet. Principio enim quæcũq; ad corporis habitũ, formã ac membra, & ad vſum item eorum pertinent, ita ſingillatim perſequitur quæq;, vt nihil prætermiſſum poſsis dicere. Deinde verò & ad interiora, & ad animum tranſiens, prudentiam quãdam & fortitudinem in illa commendat, adhibitis etiam ad hoc teſtimonijs Homeri. Poſtremò neq; illa intacta relinquit, quæ quaſi à fortuna accepiſſe videri poteſt, vt reminiſcentiam iſtã, ob quam cum Hermotimo Pythagorico confert quoq; illam, deinde & victus & diætæ ratione, & quòd aliquando ex hominibus tranſmutata fuit, & eodem nomine etiam fœmina quædam appellata fuerunt: & alia quæ in contextu ac ſerie orationis facile cuiuis apparent.

MVSCA eſt ſic minima volucrum, vt poſsit cum muſcellis & culicibus comparari: ſed tantò illis eſt maior, quantũ ipſa ab ape relinquitur. Pẽnata eſt autẽ, non eo modo quo cæteræ volucres, quarũ hæ quidem pennas in toto habent corpore, hæ verò velocibus vtuntur & pernicibus alis: ſed ex pelliculis ſunt illi pennæ, quemadmodũ locuſtis & cicadis & apibus: ſed tantò molliores habet pennas, quantò Græca veſte tenuior & mollior eſt Indica. Si quis muſcam diligenter inſpiciat quando in ſole alas expandit & concutit, variis eam pictã coloribus vt pauones videbit. Eſt illi volatus non continuo pennarum remigio, vt veſpertilionibus: neq; ſaltu, vt locuſtis: neque cum ſtridore, vt veſpis & crabronibus: verùm flexilis ad quamcunque aeris partẽ ſe moueat. Adde quòd non volat quietè & cum ſilentio, ſed cum

cantu

cantu & melodia: non item immitè & ſæuè, quemadmodum culices & muſcellæ: neq; cum graui fremitu apum aut veſparum horribilem oſtentans ſonum,& minacem,ſed tãtò volat his ſuauius muſca, quantò ſunt tuba & cymbalis tibiæ dulciores. In reliquo verò corpore caput quidem tenuiſsimũ collo continetur,& eſt verſatile, non compactũ & affixum humeris,vt eſt locuſtarum. Oculi verò prominent,qui cornu plurimum habent. Pectus eſt bene compactum. Sunt ei innati pedes, nõ vt veſpis adſtricti valde & complexi. Aluus autem minuta eſt & ipſa,& thoraci etiam ſimilis,Zonas latas & ſquamas habens. Vlciſcitur tamen non aculeo vt apis & veſpa,ſed ore & proboſcide,quam & ipſa eodẽ modo habet vt elephanti: præpaſciturq; & aſſumit, & inhærens cõtinet concauo vaſe in ſummitate proboſcidis:ex ipſa verò dens foras prominet, quo pũgens bibit & lac. Sed dulcis & ſuauis eſt ipſi vel ſanguis non magno cum dolore hauſtus eorum quos pupugit. Sexipes verò eſt: quatuor ſolis incedit, duobus autem anterioribus etiam vt manibus vtitur. Videres igitur ipſam gratlientem quatuor,atq; edulium aliquod tenentem ſublime manibus, more valde humano,atque vt nos. Naſcitur autem nõ ſtatim talis, ſed vermis ab initio, vel ex hominibus mortuis, vel ex aliis animalibus: déinde ſenſim & pedes effert,& producit alas, fitq; ex reptili volucris,& concipit paruũ vermem,qui muſca fit:poſteà conuiua autem & contubernalis & commenſalis hominum,deguſtat omnia, præter oleum. mortem enim ei affert epotum oleum:& tamen breuis eſt vitæ. valde enim anguſta data eſt illi vita. Luce plurimùm gaudet,& in hac ciuiliter verſatur:nocte verò quieſcit,& ſilentiũ agit, & neq; volat, neq; cantat, ſed contrahit ſe,& non mouetur. Non paruam eſſe eius intelligentiam queo dicere, cùm inſidiatorem & hoſtem ſuum araneũ effugiat. inſidiantem enim & obſeruat,& contrà intuetur,declinans illius impetum,ne capiatur irretita, & in beſtiolæ incidens caſſes. Fortitudinem enim & robur ipſius nõ oportet dicere,ſed Homerus poetarũ maximus cũ quæreret quonam modo laudaret Heroum optimum, nõ leoni,pardóve aut apro comparat robur illius, ſed audaciæ muſcæ,& intrepiditati, & conatus magnitudini. neque enim audaciam,ſed fiduciam eſſe illi refert: Quanquam eſt (inquit) repulſa,non deſiſtit tamen, ſed eſt appetens morſus. Sic autem laudat magnopere muſcam & amplectitur, vt non ſemel, neque paucis in locis de ea meminerit, ſed ſæpe exornat ſic carmina commemorata muſca: nunc enim gregarium eius volatum ad lac exponit, nunc autem. Mineruã curanti matri dormientẽ infantẽ cõparãs quãdo à Menelao telũ repellit, ne ad lethalia loca incidat, muſcã rurſus ducit in exẽplũ. Atqui pulcherrimo eas adiectiuo ornaũit, cantatrices cõfertas appellãs, & cũ gregẽ earũ gẽtẽ vocat. Sic autem fortis eſt, quod mordens aliquid vulnerat, non hominis ſolùm pellẽ, ſed & bouis, & equi. Elephantem quoque mœrore afficit, in illius ingreſſa rugas, & pro magnitudine proboſcidis lacerans. Coitus verò & venereorum & nuptiarum eſt ipſis multa libertas,nec, vt galli,cũ inſcenderit mas, ſtatim reſilit,ſed vehitur à fœmina diu, fertq; illa ſpõſum,conuolantq;, nec aerium illum coitum volatu deſtruunt. Obtruncata verò capite muſca,plurimũ viuit parte reliqua corporis,reſpiratq;. Quod autẽ eſt maximũ in natura ipſarum,non eſt ſilentio prætereundum,quod Plato in ſermone de anima,deq; animorũ immortalitate ſolùm præteriiſſe mihi videtur. mortua enim muſca, ſuperinfuſo cinere reuiuiſcit,& noua ei generatio quædam,atq; ab integro alia fit vita: vt verè perſuaſum ſit omnibus, quòd illarũ quoq; immortalis eſt animus. ſiquidẽ & digreſſa reuertitur iterum, & agnoſcit & ſuſcitat corpus, muſcamq; volare facit, & verificat de Hermotimo Clazomenio fabulã, quòd ſæpe cũ reliquiſſet eum anima, per ſe ipſam ibat peregre, deinde reuerſa imblebat iterum corpus,& ſuſcitabat Hermotimũ. Et quanquam ocioſa & remiſſa eſt muſca, veſcitur tamen quæ laborantur ab aliis, & plena vbique eſt ei menſa. nam ipſi & capræ mulgentur,& apis nõ minús muſcis laborat quã hominibus: atq; huic coci obſonia condiunt,& deguſtat antequam ipſi reges, deambulansq; per menſas vnà cum ipſis conuiuatur,& ſimul veſcitur omnibus. Tugurium autẽ ſeu nidum non in vno loco conſtituit,ſed errabundum volatum tollens,more Scytharũ vbi à nocte deprehenſa fuerit, ibi & domum facit & lectum. In tenebris verò,vt dixi, nihil operatur: neq; dignum putat aliquid latens efficere, neq; quid turpis facere exiſtimat,quod in luce factũ, ſit ipſi dedecori. Ait verò fabula perpulchrã olim mulierẽ fuiſſe muſcã, loquacem tamen & garrulam & cantatricem, & in amore contendiſſe cum luna ambas eodem tempore Endymionis:déinde cùm dormientẽ adoleſcentulum aſsiduè excitaret, friuola loquẽs & cantans, & circa ipſum laſciuiens,ægrè illum tuliſſe: lunã verò iratã in hoc animal tranſmutaſſe muſcã, & nũc propterea omnibus inuidere ſomnũ, qui dormiũt, Endymionis memorem,& adoleſcẽtulis præcipuè & teneris. Morſus autem ipſe & cruoris auiditas, non ruſticitatis,ſed amoris eſt& humanitatis ſignũ. nam eo quo poteſt modo fruitur, & ex pulchritudine decerpit aliquid. Fuit etiam apud antiquos mulier quædam cognomento muſca,poetria perquàm formoſa & docta, & alia perinſignis Athenienſium meretrix,de qua ait poeta comicus: Ad cor vſq; eũ muſca mordebat. Sic autẽ neque comica gratia dedignata eſt, neque muſcæ nomen excluſit à ſcena, neq; pudebat parẽtes hoc nomine filias appellare. Tragœdia verò magna etiam cum laude de muſca meminit,ſicut in his: Graue quidem & moleſtũ eſt forti robore Saltare muſcam in virorum corpora, vt cæde impleatur: viros autem armatos hoſtilem haſtam timere. Multa etiam de Muſca Pythagoræ poſſem dicere,niſi nota omnibus eſſet hiſtoria. Naſcuntur & maximæ quædã muſcæ, quas militares multi appellant,nonnulli verò canes,ſonitu aſperimæ,& volatu velociſsimæ. Hæ & longiſsimæ vitæ ſunt,& tota hyeme incibatæ perdurant,contractæ præſertim & connexæ tectis & culminibus. In quibus & illud eſt admiratione digniſsimum, quòd vtrunque & fœminarum & marium faciunt, conſcendúntque viciſsim, vt Mercurii & Veneneris filius, qui miſta natura fuit, & duplici forma. Poſſem etiam adhuc multa dicere, ſed finiam orationem,ne videar ſecundum prouerbium ex muſca elephantem facere.

Ilia.1.

Iliad.d.

Iliad.lib.2.

Aduerſus

ADVERSVS

Indoctum, Librorum longa ſupelle-
ctile tumentem, ſermo, Ana-
ſtaſio interprete.

ARGVMENTVM.

Acerba quadam irriſione obiurgat ex popularibus ſuis, vt videtur, quendam diuitem, & multos vndiq; libros commercantem, cæterùm indoctum, & nullis bonis ſtudijs conuerſatum. Illud oſtendens, quòd uon librorum copia & ſpecioſa ſupellex, ſed aſſidua ac diligens lectio doctum faciat. Atq; ab hac propoſitione ſtatim exorditur quoque, vt dicat errare illũ, ſi quia libros multos ac pretioſos habeat, propterea ſe putet inter doctos ac eruditos recenſendum eſſe. Rationes ſumuntur à cauſis, & qualitate perſonæ, videlicet quoniam ipſe prorſus literarum ignarus ſit, & non libri, ſed librorum lectio eruditos faciat, perinde vt nec arma militẽ, ſed animus præſens, & vtendi peritia. Atq; hoc argumentũ poſtea multis ſimilibus & exemplis per inductionem amplificat, quorum pleraque eiuſmodi ſunt, vt miram elegantiam ac feſtiuitatem habeant. Poſtea autem & factum illius in ſuſpicionẽ vocat, & à cauſis finalibus criminatur, quas ipſas quoque vt vanas & indignas pleraſq; confutat & irridet, præcipuè vltimam, qua videbatur Imperatoris ſeu regis, vt ipſe vocat, gratiam ambire: quam & à circũſtantijs perſonæ refellit, & ſtultitiã illius comparatione quadam depingit. Ad poſtremum grauiter atque acerbè obiurgat illum, & cõmonet quibus rebus relicto hoc inutili coemendorũ librorum ſtudio, incumbere potius debeat, quò videlicet & rei conſulat, ac famæ ipſe ſuæ.

AT crede mihi, quod tu putas, haud ex eo conſequêre quod agis. Perſuaſum enim cum habeas futurum, vt ſi omni ſtudio optimos vndiq; libros coemeris, ipſe quoq; inter doctos ac eruditos ponaris: planè tibi diuerſum accidit, atque hoc demũ argumento tua inſcitia & inertia vulgo proditur. Tametſi profectò optimos codices minimè comparas, ſed vt quiſque à bibliopola laudatus eſt, fidẽ habes: ac prorſus qui hæc de libris mentiuntur, prædam te faciunt, iſtiſq; codicum cauponibus pulchrè partus eſt theſaurus. Nã quo pacto tu queas dignoſcere veteres ac eximios, aut futiles & putidos? Niſi inde coniicias, quòd arroſi ac mutili, ínque his diiudicandis, blattis tineíſq; vtaris æſtimatoribus. quî enim credam liquidò ac certò hęc te poſſe peruidere? Etvt dem tibi hanc cognitionem perſpectam, ac tenere quæcunque Callinus pulcherrimè, aut ille laudatus Atticus omni cura abſoluta deſcripſerunt, quid hinc tibi commodi redit, hominum ineptiſsime? qui neque ſcriptorum ſpeciem cõſideras, neque profectò magis vti ſcis, quàm cæcus frui pueri venuſtiſsima facie. Ac tu apertis quidem oculis, & mehercle ad tædium vſque libris incumbis, & nonnulla valde feſtinata lectione percurris, vt ſæpe lumina os anteuortant, ſed hoc non etiam ſatis eſt, niſi noris virtutem quoq; totius & vitia orationis, ſenſumq; ſcriptorum intelligas, & quæ ſtructura ſit verborum, & quàm ad certam quandã miniméque fallacẽ amuſſim cuncta author exegerit, mox cernas ambigua, ſyncera parum ac concinna: quid mihi reſpõdebis? Num hæc noſſe te, cum nunquam didiceris? An verò ſicut ille quondam paſtor, aureum ramum à Muſis tu quoq; accepiſti? Sed Helicona certè, vbi Muſas habitare aiunt, nõ ita es à puero inſtructus, vt audieris, opinor, vnquã nominari, & meminiſſe Muſarum tibi religio eſt: Nam cum paſtore ſanè, quanquam aſpero & multo ſole deformato, non piguit has congredi: at qualis es (quæſo verò te per Libanitidem, concede hoc mihi: vt quædam tuorum facinorum prætermittam) talis, inquam, ne aſpectum quidem, ſat ſcio, ferrent, at potius myrto vel malua cæſum ſua ſede eiicerent, ne Olmeum aut Cabalི fontem, quibus gregibus ſanè horumq; magiſtris ſitim ſedare permiſſum erat, polluas. Non credo te eſſe tam impotentem, tametſi in huiuſmodi nimiſquã es fortis, vt auſis affirmare bonis literis te fuiſſe imbutum, aut ſtuduiſſe vnquam vt verè probatos codices tibi faceres familiares, vel quòd hic tibi præceptor extiterit, aut ad illum diſcendi gratia te contuleris. Et nunc omnia illa vno hoc te conſecuturum ſpes eſt, ſi ingentem librorum aceruum congeſſeris. Proinde ſi hoc es animo, age cõquire quic quid Demoſthenes ille orator etiam ſua manu ſcripſit. Deinde Thucydidis hiſtoriam, quæ oãies huius oratoris induſtria extat deſcripta. Iam vt tot tibi libri ſint, quot Athenis in Italiam aduexit Sylla, vt ſuper his dormias, affixos tibi vbique circunferas, nũ ideo eruditior es futurus? Sicut enim adagio fertur, Simia eſt ſimia, etiã ſi aureũ cultũ geſtet. Et librũ quidẽ ſemper in manu portas, legíſq; ſemper aliquid, quorum tamen nihil penitus intelligis, ſed aſinus micans auribus lyrã auſcultas. Quòd ſi librorum copia doctum redderet eum, qui cõparaſſet, pretioſa profectò res erat, & vobis tantùm diuitibus propria, ſiquidẽ veluti in foro pauperes nos ſuperantibus daretur mercari: imò cum ipſis bibliopolis, quibus librorũ tanta copia eſt, qui diſtrahũt, doctrina & eruditione quis certet? quos tamẽ, ſi rẽ ſpectes, inuenies haud multò te bonis artibus præſtare. nempe ſermone ruſtico vtuntur, mente nihil valent, quales meritò ſunt qui in honeſti & turpis cõtemplatione nunquã ſunt verſati, & tu vnum modò aut alterum codicem redis mercatus, iſti diu noctúq; in manibus voluũt. quid ergo cõmodi hic expectas? aut cur non ipſæ cellulæ librariæ doctæ tibi videntur, quę tot veterũ authorum ſcripta complectuntur? Age verò, ſi non eſt moleſtum, paulum quiddam reſponde, aut quia infantior es quàm vt poſsis, ſaltem annue vel abnue ea quæ ſum rogaturus. Quæſo te, ſi quis tibia canẽdi artis ignarus prorſus, fortè ſit nactus Timothei tibias, aut quas Iſmenias ſeptẽ talentis emit Corinthi, ánne arte inflabit? vel nullus vſus huic rei erit, qua ſcitèvti nequit? Rectè ſanè abnuiſti. Nam neque quibus Marſya & Olympus cecinerunt, hoc efficient, vt concinnum quiddam inſpiret, qui nunquam didicerit. Verùm ſi quis Herculis arcus habeat, cũ Philoctetes nõ ſit, qui ſolus tẽdere potuit, & quod collimaſſet figere, quis tibi videbitur? Num qui facinus edat dignum ſagittãdi perito? Negas hoc quoque. Eodem pacto igitur & ratem gubernare ignorans, & qui nunquan equum conſcendit: ille ſi pulcherrimã & aduerſus

ventorum

ventorũ, procellarúmq; impetus munitiſsimam ſit nauem ſortitus, hic verò Centauro ſatum, aut generoſiſsimæ notæ equum, vtrunq; deriſum iri opinor, quòd neuter ſuis bonis vti poſsit. Annuis? Obſecro verò hoc etiam cõcede, ſi quis, vt tu es, indoctus, infinitos ſibi libros acquirere laboret, cẽſẽ aliud hoc ſuo facto, quàm riſus & iocos eruditis facturũ? Quid ceſſas annuere? Nã argumentum clarum eſt, quíq; hoc ita fieri cernunt, vulgatũ illud haud dubiè inclamant. Quid cani cũ balneo? Fuit non ita multò antè in Aſia vir opulentus, cui calamitoſo caſu, cum per niuẽ iter faceret, putrefactus è frigore, vſturis vterque pes deperierat. Ille tam miſerabilem fortunam expertus, infelicitatẽ ſolari cupiens, ligneos pedes truncis accõmodabat, ac calceis indutus, vndiq; ſeruis innixus incedere gaudebat. Vbi hoc inſuper deridiculum comminiſcebatur: crepidas pulcherrimas & nouas ſemper cura erat ſumma mercari, vt ita calceis ſpecioſis ligna ſua, nempe pedes, eſſent conſpicua. Nunquid verò his adſimilia facis tu quoque? qui cùm clauda mente ſis, ac ficulneis ſenſibus, emis auratos ſoccos, quibus vix aliquis pedes integer rectè poſsit ingredi. Et quoniam inter alios tuos codices Homeri poeſim ſæpenumero repoſitam eſt cernere, accepto aliquis libro legat tibi ſecundum Iliados, cuius caue aliquid perpendas, nam nihil ad te, præter quàm qui iſthic depictus eſt vehementer abſurdus homo, mutilo, ac portentoſo corpore, qui iſthic cõcionatur. Therſites eſt. Ille inquã huiuſmodi ſi adeptus ſit Achillis arma, putáſne propterea fortem iuxtà & decentẽ futurum, qui & fluuium tranſiliat, & alueum turbet trucidatoris Phrygum cruore: occidat poſt Lycaona, & Aſteropæum, Hectorem, cum ne Meliæ quidem pondus humeris ſuſtinere queat? Negabis, opinor, ac potius dices, dũ poſt clypeũ claudicaret, mox humi procumberet impar armorum oneri, ſi quando ſublato capite è galea proſpectaret, ſuos iſtos intortos oculos oſtendens, deinde loricæ ſubiecto gibbo velut tuberes, & oerearum dũ in terra repit, tractus: hæc inquam dices riſum omnibus moturam, & ipſum dehoneſtaturum primùm panopliæ opificem, deinde etiam dominum. Tu verò nunquid animaduertis prorſus idem tibi accidere, dũ librum manu tenẽs progrederis, cuius aluta purpurea, bullulæ aureæ ſunt, at tu barbara voce legis, deformans & euertens ſcriptoris dignitatem? Hæc cũ facere te vident, non ſolùm eruditi ridere ſolent, ſed tui etiã aſſentatores, quorum conſuetudine vnicè oblectaris, auerſi ſe intuentes, & cachinno minimè abſtinent. Age verò narrabo tibi quod Pythiis geſtum memoratur. Tarentinum quendam Euangelũ apud Tarentinos non obſcuro loco natum, nec incelebrem, inuaſit cupido vincendi Pythia: vbi in iis, quæ nudi certamina ineunt, non poſſe fieri vt ſuperior euaderet, quippe qui neq; robore, neq; pedum velocitate eſſet præditus, facilè cogitauit. Verũ citharа & carmine omnibus præmia præripturũ eſſe, perſuaſerãt peſtes illæ quas apud ſe fouebat, laudantes, & applaudentes ad exiliſsimum quenq; cantus ſtrepitum. Itaque venit Delphos veſte auro inſigni, & corona aureis lauri foliis plexa ſplẽdens: hæc verò etiam ſmaragdis lauri fructui æqualibus variegata erat. At cithara, viſu mirabile, apparatu diues, ex puriſsimo auro fabricata, annulis, & gemmis paſsim ornata, ſuiſque locis, Muſarum, Apollinis & Orphei imaginibus ſculpta, ſpectatores ſuſpẽſos animis tenebat. Iam autem venerat dies, quo in theatrum erat deſcendendum. conueniunt tres certaturi, obtigiſtque ſors Euangelo vt ſecundo loco caneret, procedit ille poſt Theſpin Thebanum, qui non malè ſuas partes egerat, auro, ſmaragdis, beryllis, hyacinthis totus collucens. ipſa purpura, quæ auro contexta viſebatur, commendabat hunc cultum mirificè: quibus cũ iam ſtupentes reddidiſſet, ac noua quadã, & incredibili ſpe repleſſet ſpectatores, cũ omnino iam & citharam pulſare, & adcinere eſſet neceſſe, perſonat agreſte quiddam, inérſque & incompoſitum: ſimul dum immodicè citharã increpat, rumpit tres fides: cantus autẽ planè ineptus erat, & ſolutus, ita vt ab hominibus, qui aderant, rideretur: ſed ludorum præfecti offenſi hominis temeritate, loris cæſum è theatro proiecerunt. Hic verò iucundiſsimum erat ſpectaculum aureus ille Euangelus, cum per mediam ſcenam traheretur ab his, qui verbera infligebant, lacrymans, crura plagis eruentus, humi interim colligẽs delapſos dum vnà vapulat, citharæ annulos. Exiguo autem temporis ſpatio interpoſito prodit Eumelus quidam Eleus, peruetuſtam citharam afferens, cuius lignei erant clauuli, ipſe veſtem indutus vix vnà cum ſerto decem denariorum pretii. At ille & bellum edebat carmen, & ritè ſicut ars poſcebat, chordas feriens modulabatur: itaq; & victor abibat præconis voce proclamatus, ridens interim Euangelum, qui nequicquam cithara ac annulis iſtis ſeſe oſtentaſſet. Et aiunt ſic fuiſſe allocutum: Aurea lauro redimitus es Euangele, & quid ni? opibus enim vales. Me verò quia pauper ſum, Delphica oportet eſſe contentum. Veruntamẽ hoc commodi tuus tibi ornatus peperit, quòd cum neminem tui miſereat, oderint omnes iſtas tã ineptè ſuperfluas delicias. Mirũ verò ni pulchrè tibi cũ hoc Euangelo conueniat, quatenus ne tu quidem ſpectatorum cachinnos quicquam moraris. Arbitror autem non intempeſtiuum eſſe, vt Lesbiam quandam fabulam tibi narrem. Cum Orphea Threſſę mulieres dilaniaſſent, ferũt, caput vatis vnà cum lyra cum primùm Hebrus excepiſſet, in nigrum Pontum eiectum, ac ita ſimul nataſſe caput ac lyram, illo lugubre quiddam in Orphei necem canente, ac ventis chordas percellẽtibus aptos materiæ faciente modos, donec ad Lesbum appelli rentur, vbi incolæ fluctibus veriſque ereptis, caput ſepulcro condiderunt, lyram autem ſuſpenderunt in templo Apollinis: in quo cum bene longum tẽpus fuiſſet adſeruata, multis annis pòſt Neanthus Pittaci Tyranni filius, cum quæ de lyra narrabantur, audiſſet, quòd beſtias hac demulſiſſet Orpheus, plantas & ſaxa mouiſſet, quódq; ipſo iam cæſo, tamẽ per vndas lata, nemine modulante reſonaſſet, capitur incredibili amore habendi hanc: quare ingenti pecuniarum vi eor

rupto ſacerdoti perſuadet, Orphei lyram, alia ſuppoſita, ſibi det: qua accepta, parum tutum ratus interdiu hac in vrbe ludere: nocte ſinu occultam efferens, ſolus in ſuburbium pergit. Quò vbi venit, lyram pulſare incipit, ac chordas perturbat, ſperans ſtolidus & imperitus artium iuuenis, fore vt diuinum aliquod carmen percuſſæ fides redderent, quo cunctos permoueret, & animi affectus quò vellet traheret, vt hoc nomine beatus haberetur, Orphei muſices hæres. Dum hæc agit, vicini canes, qui in eo loco erant plurimi, ſtrepitu excitati coeunt, ac infelicem iſtum citharœdum diſcerpunt, quod ipſum ſolum cum Orpheo commune habuit, poſtquam canes adduxerat. Manifeſtiſsimè igitur oſtenſum hoc exemplo eſt, non lyram eſſe quæ homines & feras lenierit, ſed artem ac carmen, quæ præ aliis excellentia mater Orpheo contulerat, lyra nihil à quibuſuis barbitis differente. Quorſum verò attinet Orphea tibi, aut Neanthum proponere? cùm noſtra ætate vixerit, &, ni fallor, adhuc ſuperſtes eſt, qui Epicteti Stoici lychnum fictilem trecentis denariis mercatus eſt, ſperans futurum ſcilicet, vt ſi noctu ad iſtam lucernam legiſſet, mox Epicteti ſapientiam ſomniaret, & ſimilis efficeretur admirando ſeni. Sed nuperrimè alius quiſpiam Protei Cynici baculum, quem cum in flammam inſiluit, reliquerat, emit talento, cuſtoditúmque etiamnum inter reconditas, ac chariſsimas opes habet, oſtētátque non ſecus ac Tegeatæ apri Calidonii tergus, & Thebani oſſa Geryonis, & Memphitæ Iſidis capillos. At ille tanti boni poſſeſſor, ipſum ſe quoque ſtultitia & nugacitate ſuperauit. Vidén' quàm peſsimè res tuæ habeāt? & quòd Caluariæ fuſte opus ſit? Ego verò etiam Dionyſium quondam ſcripſiſſe Tragœdiam accipio, ſed qua nihil fuerit vnquam minus elegans, aut magis ridiculum, quam cum dediſſet legendā Philoxeno, nec ille adulari poſſet, ſed ſalibus inceſſeret ſcriptorem, ſæpenumero in lapicidinas coniectus eſt. Cum autem Dionyſius contemni ſeſe, & vulgo fabulam eſſe cōperiſſet, nulli operæ ac impenſæ pepercit, vt Aeſchyli pugillaribus quibus ſua poemata deſcribere fuerat ſolitus, potiretur: quibus acquiſitis, iam ſe plenum ex Aeſchyli ceris numine, & planè attonitum putabat: & tamen in his longè abſurdiora ſcribebat, quale eſt Doricum illud, ἦκεν ἡ Διονυσίᾳ γυνή. Et iterum: ὄιμοι γιωᾶκα χρησίμην ἀπώλεσα. nam hoc quoque inde ſumptum eſt. Et hoc, ἀῦλοῖς γὰρ ἐμπαίζουσιν οἱ μωροὶ βροτῶν. Hoc tamen poſtremum non parū rectius in te quadret, quàm Dionyſiū, & propterea ceras inaurare debebas. Nanque, obſecro, quid conſequēdi ſpes eſt, quòd libros voluis, reuoluis, colligis, quod non decet, reſecas, croco pingis, & polis cedro, amicis pellibus, bullulas infigis? ſic agis tanquam fructū inde percepturus, & factus es ſcilicet vehementer ex hoc mercatu melior, quippe qui ſic loqueris, ac potius, qui piſcibus magis os mutus, vitam autem qualem viuas, dictu fœdum eſt: hoc certè aiunt, tuam illam obſcœnitatem extremè odiſſe vniuerſos. Quòd ſi librorum hæc eſſet culpa, fugiendum ab eis erat quàm maximè procul. Duo autem cum ſint, quæ à veteribus ſcriptoribus petas, dicendi virtutem, & honeſtè viuendi rationes: dum quæ bona ſunt imitaris, quæ mala, deuitas: quandò neutrum ſpectatus es, quid aliud comparaſſe dicemus te, quàm ludum muribus, & tineis habitaculum, ac ſeruis, ſi negligentiores in codicibus curandis fortè fuerint, verbera? Sed quod ſum nunc dicturus, haud ſcio an tibi ſummam ignominiam afferat: ſi quis forte fortuna te cōſpicatus (ſicut ferè cerni amas) habentem in manu librum, roget, author quis ſit, orator, hiſtoricus, poeta: ac tu ex inſcriptione dictus, aptè dicas quæſitum: poſtea, ita vt fit, dum ſermo familiaris progreditur ſæpe longius, ille laudet aliquid, aut accuſet ſcriptorū, tu verò nō habeas quod reſpondeas, nónne optes tum vt tibi tellus dehiſcat, qui in tui pernicié velut Bellerophontes codicem attuleris? Demetrius Cynicus cum Corinthi conſpexiſſet ineruditum quendam pulcherrimum librum legentem, opinor in Bacchis Euripidis locū, vbi nuntius Penthei fatum & factum Agaues exponit, arreptum codicem laceraut: Satius eſt, inquiens, ſemel à me, quàm à te toties dilaniari Penthea. Scire autem peruelim (quod ego nulla quantumuis diligenti animi cogitatione aſſequi poſſum) cuius rei gratia tanto ſtudio in hoc ſis verſatus. Nam fructus & vſus cauſa nemo putare queat, qui te vel mediocriter nouit: non certè magis quàm ſi caluus pectinem emat, aut ſpeculum cæcus, aut tibicinem cōducat ſurdus, ſcortúmve ſpado, vel nauem, qui nullum mare propinquum habet, aut gubernator aratrū. Sed fortaſsis hac re tuas opes iactas, dum palàm facis, etiam in res tibi nihil vtiles, ex immenſis diuitiis eſſe quod inſumas. Atenim quantum ego, qui & ipſe Syrus ſum, exploratum habeo, niſi te locupletis iſtius hominis teſtamento, dolo, fraudéque mala ſubingeſſiſſes, iandiu venum libris datis, fame tibi fuiſſet pereundum. At fieri poteſt, vt nunc deineeps ideo libros vndiq; accumules, quò fidem facias aſſentatoribus tuis, quos audis quotidie prædicantes te non modò bellum & amabilem rhetorem, ſed ſapiētem quoque & hiſtoricum, qui ſecundum non inueniat. Fertur quoque orationes quaſdam te in conuiuiis ex more recitare, ac illos terreſtriū ranarum inſtar ſitibundos exclamare, nec potare, niſi prius clamore differantur. Nam neſcio quo pacto non eſt difficile naſo te ſuſpendere, qui omnia credis, ſicut illud nuper, te vni cuipiam regi aſsimilem, quēadmodū Pſeudalexander quondam, ac Pſeudophilippus, & ſuperioribus annis Pſeudonero, & ſi qui alii hoc modo mentiti ſunt. Nec mirum eſt te hominem inſulſum, ac ſtolidum ſic aſſici, & lectica vehi, aut illum regis inceſſum, vultum, habitum denique totum ſtudere imitari, gauderéque ſi quis te huic conferat. Quid hoc mirū, inquam, quandò etiam Pyrrhus Epirota, alioqui vir clariſsimus, dicitur ita ab aſſentatoribus fuiſſe corruptus, vt ſe Alexandro illi ſimilem arbitraretur, quanquam iſtorum ſacrilegorū opus palam erat omnibus? Nam Pyrrhi quoq; imagines iam circunferebantur, & tamen ille hoc erat perſuaſus,

expreſſ

expreſſam eſſe Alexãdri figuram. Hactenus equidem cõtumelia affeci Pyrrhum, quòd tecum cõparaui: verùm quod ſupereſt, pulchrè inter vos conuenit. Nã Pyrrhus poſtquàm ita eſſe in animum induxerat, nemo erat omniũ, qui diuerſum vel ſentire, vel loqui vellet, donec vetula quædã eius Lariſſæ hoſpita, id quod res erat prolocutà, veſaniam hominis repreſsit. Ille enim cum Philippi Perdiccæ, Alexandri, Caſſandri, aliorúmq; regum Macedonum imagines protuliſſet, rogauit cuínam ex illis ſimillimus videretur, omnino pro certo habens fore, vt Alexandro pronuntiaret. At illa diu contata, tandem Batrachioni, inquit. erat enim quidam in vrbe cocus Batrachio nomine, Pyrrho perquàm ſimilis. Tu quoq; quẽ ex hiſtrionicis cinædis referas, tacere malo: ſed quòd vniuerſi dicant ingenti te correptum inſania, qui illam imaginẽ tibi conuenire putes, hoc verò ſat ſcio. Itaque nihil eſt noui ſi tam nullius artis pictor cum ſis, viris eruditiſsimis æquari te poſtulas, iis fidem habens, qui hoc te nomine laudibus efferunt. Quorſum verò has nugas, cũ cauſa ſit in promptu iſtius tibi librorum coaceruandorum ſtudii? tametſi, qui meus eſt ſtupor, nunc demũ animaduerti. Nam, quod opinare prudenter hoc inueniſti, ideóque in magnam ſpem erectus es, regem intelligentem virum, & in primis amãtem doctorũ, poſtquam didicerit quam des operã libros plurimos habere, in nulla planè re tibi defuturum. Verùm heus mollicule, an tu putas tantum mandragoræ oculis regiis offuſum, vt cum hæc audiat, non etiam habeat compertum, qualis tuæ diurnæ vitæ ratio, quæ cõuiuia, cuiuſmodi noctes, qualibus & quibuſcum conſuetudinem agas? An neſcis multos regibus eſſe & oculos & aures? Et quæ tu facis adeò latent neminẽ, vt ſurdis & cæcis ſint cognita. Atque vtinam loquentem poſſemus audire, ac lauantẽ daretur cõtueri: quanquam quia aliter putas, nõ attinet te in publico veſtibus exutis cerni. Nec enim ſerui tui tacebunt, quæ noctu indigna relatu facinora edis. Reſponde igitur mihi hoc quoq;: ſi Baſſus ille noſter Sophiſta, aut Batalus tibicen, aut iſte Sybarita cinædus Hemitheon, qui nobis præclaras illas leges condidit, quemadmodũ omni ſpurcitiei genere furere oporteat, ſi iſtorum inquam vnus aliquis leonina pelle circundatus, clauã manu tenens prodambulet, quid? Herculémne exiſtimas, quibus obuiàm factus ſit, habituros? nõ equidem, opinor, vt maximè ollis fortè cæcutiãt, ſexcenta enim ſunt, quę repugnãt: inceſſus, obtutus, vox, obliqua ceruix, varius fucus, vnguenta, quibus vos ſoletis excolere: & omnino, ſicut in proverbio eſt, citius ſeptem elephantos ſub alis abſconderis, quàm vnum cinædum. Iam eum leonina pellis hunc non occulat, tũ ſperas libello contectus poſſe latere? Sed fieri nequit, quin te prodãt alia illa veſtri indicia. In ſumma ignorare te vĩdeo, quòd bonam & ſplẽdidam famam non ab illis librorum inſtitoribus, ſed à ſe ipſo, & quotidianæ vitæ modo petere cõueniat. An verò confidis aduocatos ac teſtes probitatis futuros tibi Atticum & Callinum librarios? Caue putes, ſed ſæuos homines perdituros te, ſi Dii ſinant, ac ad extremam partem redacturos: quem nũc tandem modeſtiorem, ac magis cogitantem, par erat iſtorum codicum vni cuipiam ex eruditis copiã facere, ſimúlq; ex iſta nuper extructa domo migrare: iis etiam apud quos mancipia proſtant, reddere partem ſaltem multorum debitorum. Etenim his duobus præcipuam collocaſti operam, vt libros poſſideres raros, & adoleſcentes validos ac robuſtos mercareris. Proinde cõſidera quàm ſit res aurea conſilium. Nam meo quidem iudicio rectiſsimum fuerit, ſi miſſa feceris ea quæ nõ magnopere ad te pertinent, ac illum alterum morbum curaris, & pro miniſtris (ſic tamẽ, vt ne perpetua emptione res domeſticæ deficiant) adhibueris ingenuos aliquos, quibus ne tutũ quidem ſit ſi abs te digrediãtur, niſi pretio hoc redimas, proferre omnia, quæ vos inter comeſſandũ deſignatis, qualia nuper puſio tuus obſcœniſsima de te mane domo egreſſus narrabat, etiã ſigna oſtẽdẽs ſceleris. Ego verò teſtes facio quotquot tum aderant, quàm indignè tulerim, & vix manus cõtinuerim, iratus tui cauſa, maximè cum vnum atque alterum adduceret confirmaturos quæ dixerat, qui & ipſi eadem multo ſermone declamabant. In hos ergo vſus reconde argentum, bone vir, vt domi tutò iſta perpetrare poſsis. Nã quis nunc deinceps ab iſtis, quibus te aſſuefeciſti, retrahat? Nõ facilè ceſſat canis corium rodere, vbi cœpit. At illud alterũ, ne in poſterum libros cõmerceris, facilè obtinebimus. Doctus es, ſapiens es. Quicquid vſpiam antiquitatis extat, hoc tibi modò non in ſummis labris natat, omnem hiſtoriam tenes, omne orationis artificiũ, virtutem, vitia, dictionum Atticarum vſum, ac planè ſcitus es, & in omni ſcientiarum genere primus, ob librorum aceruum. Nam quid vetat etiam meretricibi ciconiam pinſere, quãdò decipi te iuuat? Ego verò perquam velim fieri abs te certior, cum tot tibi libri ſint, quibus potiſsimũ te occupes, Platonis, Antiſthenis, Antilochi, Hipponactis? Aut ſpretis his, magis rhetores in manibus habes, & Aeſchinis orationem aduerſus Timarchum legis? An verò iam antè hæc omnia tibi ſunt clara, nec eſt cur legas, at in Ariſtophane, & Eupolide totus es? Scín' Baptas? percurriſti totam fabulã? Nam alicubi tetigit te poeta. Nuncubi puduit te agniti flagitii? Hic autem iterum miramur quali animo, qualibus manibus libros verſes. Quando? num interdiu? quod nemo vnquam facere te vidit. At noctu. An eum iſtis aliis es intentus? aut ante veſtra exercitia, quæ niſi cum caligine terra eſt obducta, aggredi non auſis? Miſſos verò fac libros, ac tuam rem potius cura, quanquam hoc quoq; indignum eſt, debueráſque Euripidis Phędram ſaltem vereri, quæ mulieribus ſuccenſet, ac inquit:

Nullas tenebras expaueſcunt conſcias,
Néve ædium vocem latebræ edant, timent.

Quòd ſi omnino decreuiſti tuo morbo blandiri, age abi, mercare libros, domi conclude, fruere partorum bonorum gloria, hac ſcilicet cõtentus: caue verò tangas, aut lecturus aliquid aperias, ne ſit in ore tibi veterum aliqua oratio, aut poema nihil malè de te meritorum. Non ſum

neſcius hæc fruſtra à me diſputari: & nugas eſſe meras, iuxta adagionem, Aethiopem lauare. Nã tu non ceſſabis libros coemere, cum ab eruditiſſimis quibuſq; rideberis, quibus non hoc agitur, vt libri niteant, & magnifici ſint, ſed vt vtiles verbis & ſententiis verborum. An verò ſperas iſta opinione tuam inſcitiam poſſe occulere, & eodicum multitudine permouere vulgus? Neſcis autem quòd imperitiſſimi medici idem faciũt, qui eburneis virgulis, & vaſculis, quibus ſanguinem eliciunt, argenteis, ſcalpelliſq; auro inſignibus ſuperbiunt: cum verò horum iam vſus eſt, ne in manus quidem rectè capere ſciunt: alius autem quiſpiam in medium prolato phlebotomo, rubigine quidẽ ambeſo, ſed bene acuto, ægrum morbo leuat. Sed vt tuarum rerum magis iocoſam faciam comparationem, ad hos mihi tonſores aſpice, & inuenies eos, qui artifices optimi ſint, nouaculam tantùm ac forpicem, & mediocre ſpeculum habere. Sed ignaros artis, etiam ſi infinita ſpecula & forpices proponãt, non tamẽ latêre, artis quòd nihil calleant tonſoriæ. Accidítque hoc riſu digniſsimum, quòd pleriq; apud vicinos tõdent, coram ipſorum ſpeculis comuntur. Et tu alii quidem cui vſus eſſet, commodare librum certè poſſes, ipſis vti nõ potes: tametſi nulli commodaſti vnquam, facíſq; hoc tantùm quod canis in præſepe, qui cũ hordeo non veſcatur, equum tamen volentem paſci, haud ſinit.

DE NON TEMERE CREDENDO Calumniæ,

Philippo Melanchthone interprete.

Argvmentvm.

Argumentum ac ſummam orationis titulus indicat, videlicet quòd non temere credendum ſit calumniæ, propterea quod multi propriis affectibus aut commodis impulſi, innocentes ſæpenumero & bonos viros, apud eos, qui facilè delationibus quibuſuis aures & fidẽ adhibent, periniuriam ac fraudem opprimãt. Oratio eſt didactica, niſi quòd circa finem etiam ad ſuaſoriũ genus aliqua parte pertinere videri poteſt, vbi conſulit, ac monet delatores non facilè admittendos, atque audiendos eſſe, aut certè ea quæ deferuntur, diligenter perpendenda, quòd ex huiuſmodi calumnys multa ac grauia mala fermè ſequantur. Orditur autem à loco communi, ignorantiã puta pernicioſum malum hominibus eſſe. Cui poſtea inſtitutum negotium accõmodat, præcipuè verò addes circa calũniam. atque hinc propoſito de quo dicturus ſit, principio ceu occaſionem quandam futuræ deſcriptionis præmittit narrationem de Apelle apud Ptolemæum delato, & quo pacto idem calumniam vltus ſit, depicta eius imagine. Atque exinde ad ipſam rem accedes, definit primùm calumniã, poſtea calumniatores quales ſint, & vbi potiſsimùm verſentur, quibus rebus ac ſtudijs intenti ſint, & qualibus inſtrumentis quoque ad circunueniendos, & opprimẽdos innocentes vtãtur, deſcribit. Hinc ipſum quoque, qui traducitur, quis & qualis conditionis ſit, & quid maximè in eo obſeruetur, ſdque diſtributione quadam proſequitur, additis etiam exẽplis quibuſdam, atque ſimilibus. Poſtremò & illum depingit, qui calumniatori aurem præbet, qualem ferè eſſe contingat, & quid quiſque faciat: tractata etiam per occupationem quæſtione, an prout quiſque vir dignior, aut famæ ſpectatioris erit, ita admittendus, atque audiendus quoque magis ſit, an prorſus nulli vni ac ſoli credendum. Digna ſanè oratio, quæ in nobilium atque potentum parietibus & aulis vbique ſcripta, ac picta, ceu dicitur, ob oculos ponatur.

PErnicioſa res ignorantia eſt, & variis modis noxia mortalibus, non ſolùm communi hominum vitæ tenebras quaſdam offundere, ac veri cognitionem obliterare ſolita, ſed priuatas quoque ſingulorum rationes miſcens, ac perturbans. Quo fit vt perinde atque qui in tenebris errant, imò haud aliter quàm cęci, iam huc, iam illhuc impingamus. Quòd haud procul nobis, & ante pedes eſt ſitũ, non videmus: formido eſt his capi, à quibus etiã quàm longiſsimè abſumus. Denique in rebus humanis nihil tam fauſtè, felicitérque agitur, quòd non error aliquis interpolet. Hinc ſunt innumeræ illæ tragicæ clades, fata Labdacidarum ac Pelopidum, aliæ item aliorum calamitates. Ferè enim quicquid malorũ ſcenæ ac pulpita clamãt, ab ignorantia ceu tragico deo compoſitum proficiſcitur. Illa verò cum aliàs poteſt plurimum, tum noxia eſt immodicè ſi quãdo in calumnias familiares, & mutua inter ſe amicorum crimina incidit, quibus ſolẽt & inteſtinis diſſidiis res domeſticæ, & odiis ciuilibus vrbes funditus euerti. In natos ſæuire parentes, nati parentibus, inſidiari, frater fratri, amans amãti, amicus item ab amico diuelli. Turbari demum omnia calumniæ vafritia. Itaq; quo pacto caueri facilè poſſit, & qualíſnam ſit calumnia, vnde originem trahat, quantum ferè efficiat, hac oratione velut in tabella depingam. Porrò quam eius imaginem ſubiiciã, Apelli Epheſio pictori acceptã refero dicatam, quum is apud Ptolemæũ regem cõiurationis, quę in Tyro authore Theodota facta eſt, inſimulatus eſſet, quanquam neque Tyrum viderat vnquam, neque Theodotam nouerat, niſi quantum fama accepit eũ Ptolemæi præfectum Phœnicẽ adminiſtrare. Verùm Antiphilus quidam artis gratiæq; Apelleæ æmulus, illum apud regem cõiurationis Tyriæ reum fecit, cũ Theodota principe factionis viſum familiariter congredi, conuiuari, ſecretò item, & in auriculam inter conuiuandum colloqui. Paulò pòſt & deſciſſe Tyrum, & Peluſium Apellis conſilio occupatum eſſe. Tum Ptolemæus præter modũ, cum & aliàs non ſatis animi compos eſſet, aſſentatione inſuper tyrannica fractus adeò excãduit, adeò admiratione calumniæ percitus eſt, vt coniecturis, quæ cauſæ fidem aut facerent, aut minuerent, neglectis, non animaduerterit calumniatorem Apelleæ artis æmulum eſſe; dein fortuna minori Apellem, quàm vt Peluſium prodere poſſet: hunc item beneficiis regiis plus cæteris pictoribus auctum: neque interim percontatus num aliquando ille in Tyrios nauigaſſet. Quin ſtatim plectendus videbatur. Regiam tumultu

inſol

insolito rex perturbat, Apellen perfidum, ingratum, reum violatæ maiestatis, insidiatorem, cõiuratum, clamat. Ac nisi quispiam è sociis coniurationis, qui capti tenebantur, & audax Antiphili scelus stomachatus, & infelicis Apellis miserius, nihil ei cõmune cum seditiosis fuisse probasset, dubio procul Tyriorum malorum pœnã capite mulctatus soluisset, etiam si nihil sibi malè conscius. Ptolemæus igitur collecto animo sententiã mutauit, Apellen donauit talentis centum, addito in seruitutem Antiphilo calumniatore. Apelles cõtrà periculi memor, tali est imagine calumniam vltus. Ad dextram cõsidet quispiam auribus prælongis insignis, quales ferè illę Midæ feruntur. Manum porrigit procul accedenti calumniæ. Circunstant eum mulierculæ duæ, Ignorantia, ni fallor, ac Suspicio. Adit aliunde propera Calumnia eximiè compta, vultu ipso & gestu corporis efferam rabiem, & iram æstuanti conceptam pectore, præ se ferens, sinistra facem tenens flammiuomam, dextra secum adolescentem capillis prehensum, manus ad superos tendentem, obtestantémque immortalium deorum fidem, rapit. Anteit vir pallidus, in speciem impurus, acie oculorum minimè hebeti, cæterum planè iis similis, qui fontico aliquo morbo contabuerunt. Hunc facilè coniicias Liuorem esse. Quin & mulierculæ aliquot Calumniã sequuntur comites, quarum est munus, dominam hortari, instruere, comere. interpres picturę aiebat Insidias & Fallaciam esse. A tergo, lugubri habitu, pullatà laceráque Pœnitentia subsequitur, quæ capite in tergum deflexo, cum lacrymis, ac pudore procul venientem Veritatem excipit. Hac Apelles tabula casus suos lusit. Iam & nos, si videtur, Ephesii pictoris exemplo, recensemus calumniæ rationes. Principiò nobis effigianda est & explicanda finitione quadam, quæ vice iconis fuerit. Est enim Calũnia, delatio mentita odio, crimen reo calumniatori credita, delato ad respondendum ac refellendũ non admisso. Quæ definitio personis, perinde atque comicum argumentum, tribus constat, delatore, delato, & auditore calumniæ. Singulorum partibus defungemur hanc acturi fabulam. Omnium, si lubet, primum producamus in medium, actus principem, & quasi præsultorem, authorem calumniæ. Is quidem quàm minimè bonus vir sit, ignorat nemo. Neque enim quisquam vir bonus amico damnum dare cunctatur. Nam boni viri est, hominum sibi animos conciliare studio bene merendi de amicis, neutiquam inimicis criminandis. Vnde haud incommodè colliges, iniustum, sceleratum, impium, in summa, damnosum rebus communibus calumniatorem esse. Nam quis est, cui non videatur in vniuersum iustitiæ pensum æqualitas, & quod aiunt, Ne quid nimis: inæqualitas, & item, quod nimium est, iniustitiæ? Qui verò elabentium absentem insectatur, æqualitatis metas egreditur: quippe auditorem sibi totum asserit, aures eius arreuertit, obstruit, & inuias respondituro, calumniis refertas, efficit. Ea sanè extrema est iniuria vel optimorum legumlatorum iudicio Solonis & Draconis, qui iureiurando Senatum Athenienſem adstrinxere, vt pari benignitate gratiáque tam reum, quàm actorem iudex audiat, dum alterius causam honestiorem intelligat. Sceleſtum & crudele iudicium esse, si quid statuatur anteà quàm cum accusatione comparata sit defensio. Ad hæc, sibi malè propitios deos reddunt iudices isti, qui cũ accusanti aures liberè indulserint, reo denegãt, aut præstigiis capti delatoriis musitantes condemnant. Tantùm à iusto, æquo, bono, legibus & iureiurando Senatus bene constitutæ ciuitatis calumnia diſerepat. Iam si cui dubiæ fidei legum conditores videntur, quorum decreta commonent, iustitia, non studio partium iudicare, is longè optimi poetæ impendio scitam sententiam, imò verò legem sacrosanctam audiat:

Nec nisi librato dirimat sententia litem,
Parte quid ex vtraque queat examine causa.

Nimirum vates intelligebat, ex omnibus nullã esse, neque grauiorem, neque audaciorem iniuriam, quàm indicta causa quenquam mortalium damnare. Id verò ex omni parte calumniator molitur, vti cum furore ac vecordia hominis, coram quo res agitur, indefensum reum committat, defensurum parteis suas clancularia sectione arceat. Adeò enim hoc hominum genus obnoxium est formidini, adeò nihil audet palàm, sed perinde atq; quiæx insidiis transuersi hostem inuadunt, ex abdito alicunde specu iaculatur, vt non sit, qui contrà vel mittore telum, vel manu contendere possit, hostíque ignarus aduersarii, fraudísque inscius pereat. Quod profectò minimè fallax indicium est, in calumnia nihil inesse veri, nihil sani prorsum. Nam qui accusaturus quempiam sibi conscius est veri, procul dubio & palàm audet aduersarium incessere, corrigere, purgantem crimen ferre: vt in bello, qui iusta acie vincere hostem palàm potest, turpe dicit astu & insidiis certare. At hoc genus hominum in aulis regiis spectare plurimos datur, optimatum fauorem hisce artibus ambientis, vbi scilicet & inuidia crebra, & variæ suspiciones, & assentandi, criminandíque occasio multiplex in promptu est. Si quidem ibi quò pluribus plura spes ostentat, eò necesse est maiore inuidia, fauoribus odiis, æmulatione callidiore certari. Hinc videas licet, quàm acres alter in alterum oculos defigat, qua cura obseruet, veluti singulari certamine congressus, si quid vspiam in alterius corpore forte fortuna nudum, aut malè munitum conspiciat, quod ferire feliciter possit. Ita studio cuique est, cum ipse primus esse cupit, vti proximum deiiciat, exturbet, conculcet, proculcet. Hic si quis est vir frugi, temere euertitur, illuditur, denique ignominiosè exterminatur. Contrà, qui assentandi paulò peritior est, & habiliore ad mentiendũ ingenio probatur, superat. Sanè omnino iuxta Homeri carmen est huius certaminis aleæ:

Vndique communi fæuitur Marte, pariquo
Victúsque victórque cadunt fato.

Alium subinde alius alia via aggreditur, vt ferè fieri solet, sicubi de magnis agitur cõmodis, sed per calumnias iter est, vt cõpendiariũ, ita minir

Calumniæ finitio.

mè ſecurum. Principia inuidiæ debent, inter ſpémque metúmque fluctuanti: exitus nihil nõ miſerabile, tragicum, calamitoſum habet. Cæterùm quadruplatoris ipſum quoq; ſtudium nequaquam facile eſt, ſimpléxve, quanquam ita forſaſſe videatur, ſed arte multiplici, ſolertia peculiari, indefeſſa denique & accurata diligentia opus habet. Neque enim noxia fuerit calumnia, niſi in ſpeciem ſimilia vero narret: neque temere cunctarum alioqui rerum dominã veritatem ſuperauerit, niſi auditorem argumentoſa & probabili actione, in ſumma mille modis fallat. Porrò defertur is plerunque, qui honore quodam alios præſtat, nempè iis inuidioſus, qui ſpe illius fruſtrati ſunt. Quo fit vt omnium telis affectetur, ceu obex, qui viam aſſequendæ dignitatis aliis intercluſerit. Séque primos tum ſinguli fore confidunt, ſi ſublimem iſtum loco demoliti ſint, ab amicis abalienarint. Tale quiddam in gymnico curſu fieri conſueuit, vbi ſi quis eſt curſor ingenuus, ſtatim ruptis carceribus primas affectãs, & animum ad ſtadii metas adiiciens, ſpe victoriæ è robore ſuo concepta, neque ſequenti incommodat, neque omnino laboris huiuſce ſociis quicquam ſtruit remoræ. Contrà qui malitioſus, imbellis, eneruis contendit curſu cum aliis: deſperatis viribus in fraudem intentus agitur, atque in vniuerſum hoc vnicum ſpectat, quà currentem occupet, impediat, ac intercludat: & ni ſuccedat actus, non eſt vt vllo alio modo vincere poſsit. Haud aliter in ambiẽdis magnatum amicitiis accidit, vbi ſi quis feliciter anteuertit, in medias continuò labitur inſidias, & incautus ab æmulis captus diſcerpitur. Hi deinde amari, coli, amici videri incipiunt, vel ob id vnum, quòd bonis incommodarint. Iam vti probabilẽ, & dignam fide calumniam faciant, non quod fortuitò caſus oſtendit, præhenſant, ſed in hoc toti ſunt, vt accurato delectu obſeruent ne quid abſonum aut alienum à cauſæ fide incidat. Adeò rationes eius, quem criminantur, vniuerſas in peiorem partem trahunt, ſuſpectas reddunt, quò fidem addãt accuſationi. Medicum inſimulant veneficii, magnificum eiuem affectatæ tyrannidis, tyrannum proditionis. Interdum auditoris affectus ſua calumniis diſcrimina ſuppeditat, cum quo ſi veteratores iſti, & nugiuendi ſuas technas comparent, aptè illuditur. Quòd ſi auditorem zelotypum norint, annuit, inquiunt, ille vxori tuæ inter epulas, & defixis in eam oculis alto ſuſpiria pectore duxit, vxor viciſsim ſuaue quiddã, & amatorium: alia item quæ ad ſuſpicionẽ aduſ terii faciunt. Sin poeticæ ſtudioſus, ea ſibi arte præter modum placeat, Philoxeno, aiũt, carmen tuum non probatur: hiuleum, lege ſolutum cenſetur. Ad religioſum: en ille de pietate, déq; diis malè ſentit, ſacra deteſtatur, prouidentiam vniuerſi gubernatricem pernegat. Tum auditor, ceu œſtro in auriculam immiſſo excandeſcit, vt pro re coniicere licet: & amicum ab ſe, impos animi, re ipſa nondum contentè cognita, miſſum facit. Talia ferè ſunt, quæ ab impuris iſtis confinguntur, videlicet ad iritandos audientium animos maximè accommoda. Tum qua parte ſinguli præſtant, eam potiſsimum iaculis ſuis obnoxiam ii faciunt, ne quod auditor ſubita interturbatus ira, vero cognoſcendo collocet otiũ, deinde ſeſe purgaturo non fiat hominis copia, quem criminis admiratio, ſpeciéſq; veri occuparunt. Etenim dici non poteſt quàm inſtructa ſit, quantúmque valeat calumniæ facies, ſi quando cũ cupiditatibus auditoris conflictatur. Quondã apud Ptolemæum, cui Dionyſio cognomen fuit, quiſpiam Demetrium Platonicũ accuſauerat, quòd in Bacchanalibus aquã biberet, ſolúſque omniũ muliebribus non veſtiretur: de quo, niſi accerſitus ad regem mane palàm vino libaſſet, & inſtita muliebri amictus, ad numeros Dithyrambicos, cymbalorúmq; modos ſaliiſſet, planè actũ erat, quòd & regium exemplum non eſſet imitatus, & aſpernaretur Dionyſiorum mollitiem. Apud Alexandrum grauiſsimi criminis reus fiebat, qui colere, & adorare Hephæſtiona nollet. Nam poſt ea quàm is viuis exceſsit, amore victus Alexander effuſo animo ad reliquã funeris magnificentiam additum voluit, vt mortuus inter deos Hephæſtion haberetur. Continuò ei templa, ciuitates pleræque dicarunt, delubra cõdiderunt, aras, ſacra, ferias nouo Deo ſanxerunt. Iuſiurandũ omnium religioſiſsimum Hephæſtionis nomine fuit. Capitale erat ſi quis hac parte vel contaretur, vel neglectim coleret. Hic euiratus affectus, hæc veſania fuit aſſentatoribus occaſioni accedendi, inflammandíq; regis. Narrabantur inſomnia, viſæ Hephæſtionis vmbræ, prædicabãtur illius reſponſa. Denique aræ & ſacra dicata ſunt familiari, & malorum vindici deo. Proinde cùm his Alexander initiò mirè oblectaretur, tandem ita captus eſt, vt fidem quoq; adhiberet, gloriaretúrque quòd non modò diis genitus eſſet, ſed deos quoque ipſe faceret. Quo tempore quantũ putamus amicorum Alexandri afflixit Hephæſtionis diuinitas! Si quibus non videretur cõmune numen venerari, accuſabantur, deportabãtur, gratia regia excidebant. Tum Agathocles Samius, qui primos aliquandiu ordines apud Alexandrum duxerat, magnis item ab rege honoribus auctus, parum abfuit quin cum leonibus cõmitteretur, criminatus quòd illacrymaſſet præteriẽs Hephæſtionis ſepulcrum. Verùm Perdicca hominem ſeruauit, deos omneis, ipſúmq; Hephæſtiona iuratus, eum ſibi in venatione auguſta ſpecie deum clarè viſum, mandaſſe, vt Alexãdro diceret, parcendum eſſe Agathocli, qui non hoc lacrymaſſet, quòd aut vana ſibi Hephæſtionis diuinitas videretur, aut mortẽ miſeratus eſſet communem: ſed priſtinæ cõſuetudinis & mutui amoris memoria permotum eſſe. Sic igitur affecto Alexandro, locus aſſentationi, & calumniæ aptiſsimus fuit. Nã perinde atq; oppugnaturi vrbes, non quæ probè munitæ ſunt alto, præcipiti ac ſolido mœnium opere hoſtes inuadunt: ſed vbi ſentiunt quàm minimè defendi, muniri, muros acceſſu faciles, collapſos, hac omnibus viribus certatim conſendunt, quò citra difficultatem irruere, ac potiri rebus queant: ita, qui criminandis aliis deſudant, quod in auditoris animo languidum, fragile, facile ſubactu vident, in eam partem

tem

tem traducũt, cogúntq; machinas ſuas. Demum quãdo inſultus hoſtileis nemo præſentit, nedum non obnititur, expugnant. Iam intra muros cuncta igni ferróq; deuaſtant, excidunt, populãtur: qualia verò ſimile eſt capto & in ſeruitutẽ redacto animo fieri. Arma ſunt iſtis aduerſum abſentem, fallacia, mendacium, periuriũ, ſupplicium, impudentia: denique innumeræ impoſturæ, ac malitioſæ cautiones. Omniũ maximè præſens, & lõgè efficaciſsima aſſentatio, calumniæ cognata, imò ſoror. Quippe nemo hominum tam generoſo eſt pectore, etiam adamantino ſeptus muro, qui cùm calumniæ concedat, non idem aſſentatione vincatur. Hæc foris recti iudicii ceu fundamenta ſuffodit ac ſubruit. Intus coniurati cum hoſtibus proditores, irruentes adiuuant, manus porrigunt, portas aperiũt, & modis omnibus conitũtur, vt auſcultatorem calumnia ſibi ſeruum faciat. Sunt autem proditores, de quibus dico, nouandi cupido, natura humanis ingeniis conſita, præſentium item faſtidium, ſequax eorum animus quorum admiratione capitur. Neſcio enim quî fiat, vt omnes amore ſui immodico admiratio furtim rapiat, & ſuſpicionibus illectet. Quoſdam equidem comperi ſtudio calumniæ adeò ſuauiter titillari auriculas, vt ſi pennis cõfrices. Proinde talibus adiuti ſociis calumniatores cum eruerint, cuncta pro viribus euertunt: nec magno emitur victoria, vbi nemo repugnat, nemo vim tormentorum ſuſtinet, aut iaculis iacula mutat: ſed qui auſcultat, ipſe ſeſe ſponte ſua in manus hoſtium dedit. Interim ignarus inſidiarum eſt qui accuſatur. Nam haud aliter qui deſeruntur, atque qui captis vrbibus pereunt, dormientes trucidantur. Et quod eſt in primis mirabile, neſcius ſe reum haberi, neque cuiuſquam ſibi ſceleris conſcius amico candidè congreditur, familiariter compellat, facíſque pro more, iam antè vndique circunuentus inſidiis miſer. Tũ ille, ſi homo ingenuus eſt, & liber, confidénſque, frangit iram, & effundit animum, defenſionem recipit, agnoſcítque ſe fruſtra aduerſus amicum exacerbatum fuiſſe. Sin autẽ eſt indole ſeruili, & malè maſcula, audit quidem, & ſummis arridet labris, verùm odit, & clanculum dẽtibus frendit: ac, vt inquit Poeta, Extruit iræ fundamẽta. Quo ego homine profectò nihil iniuſtius, nihil tetrius exiſtimo, qui admorſo labro bilem intus alit, odiúmque intra ſe conceptum auget, aliud in pectore clauſum, aliud in lingua exprom ptum habet, agítque læta & comica facie tragœdiam meram, & nihil non triſte patientem. Id ille maximè patitur, quum ſimili delator vecordia apud eum cui parat inſidias, odium muſſando diſsimulauit, effecítque vt amicus ei videretur. Tum enim ne vox quidem delati, nedum nõ defenſio audiri ſolet. Tantum fidei calumniæ facit, concepta de illorum amicitia opinio. Hic quanto ſatius erat perpendere inter amiciſsimos non rarò clam aliis graues ſimulatum cauſas intercedere. Sæpenumero item, quorum ſeſe reum calumniator fieri metuit, ſocium inſimulat: vt quum anteuerterit accuſando, ſuſpicione culpæ ac crimine elabatur. Atq; ideo ferè fit, vt quibus nos putent amicos, tantũ inimicos nunquã calũniemur. Nam actioni quæ ipſa ſeſe præ ſe ferẽs actoris odium prodit, fidei nihil eſſe poteſt. Verùm quos vulgò amicos æſtimant, aggredimur, ceu auſcultatori ſpecimẽ fidei noſtræ daturi, vbi ſua ipſius cauſa commoda ſalutémque familiarium amicorum neglexiſſe videmur. Eſt & genus aliorũ, quibus tametſi cõperitur falſo criminatum apud ſe amicũ, tamẽ cum credidiſſe pudet, neq; aſpicere illũ, neq; in gratiam redire audent: perinde ac ipſi iniuria ſint affecti, quòd alienã iniuriam non proſpexerint. Proinde multa ſunt humanæ vitæ mala, ex eo quòd promiſcuè, ac ſine diſcrimine calumniis creditur, quale eſt quod apud Poetam ait Antía:

Bellerophontem occide, aut Prœte peribis,
Qui mihi conatus pręſigne auferre pudoris
Fœminei decus.

Cum ipſa prior adoleſcentem ad concubitũ ſolicitaſſet, contempta, in hoc periculum induxit, vt eum Chimæra pugna cõgreſſus parum abfuerit, quin victrice beſtia occumberet. Tanta pœna luenda fuit caſtitas pudórque iuuenilis, quem hoſpiti coniunx adultera ſuſpectum fecerat. Simile quiddam Phædra priuignum calũniata, effecit, vt filii caput pater Theſeus execratum beluis marinis deuoueret: quanquam, ô ſuperi, nihil prorſum deliquiſſet. At, inquiet quiſpiam, an non dignus eſt fide nonnunquam vir, cæterũ bonis moribus & recto ciuilíque iudicio præditus, qui alter alterum accuſat? non licet tali auſcultemus, modò reliquis ſibi malis artibus temperarit? Age inquam, éſtne alius Ariſtide iuſtior? ille tamen aduerſatus Themiſtocli, cõtra eum populi animos exacuit, inuidia gloriæ popularis, vt aiunt, vellicatus. Aliàs vir bonus Ariſtides, verùm homo erat, nec felle caruit, ſolebátque amare alios, alios odiſſe. Iam ſi verũ eſt quod de Palamede ferunt, ſapientiſsimus quidam Achiuorum, ac ad res alias gerendas accommodus, inuidia flagrans inſidias paraſſe fertur cognato, amico, ad hæc eiuſdem belli ſocio. Adeo naturæ hominũ familiare eſt hoc errore labi. Porrò quorſum attinebat & Socratem recenſere, inſimulatum apud populum Athenienſem ſeditionis, & impietatis? Quid Themiſtoclem aut Miltiadem tot partis victoriis ſuſpicione proditionis notatos? Sunt enim exempla innumera, & vulgo iampleraque non ignota. Quid igitur faciet vir prũdens in re ambigua? ſanè, opinor, quod Homerus in Sirenum fabula docet, pernicioſas talium ſermonũ delicias nauigio prætereat, obturet aures, nec paſsim aperiat affectui cuipiã obnoxiis, ſed ianitore ſedulo ac fido adhibito, ratione videlicet ac iudicio animi, recta dicentes receluſis foribus excipiat, inutiles nugas obdito peſſulo arceat. Nempe ridiculum fuerit, datum ædibus ianitorem officio ſuo defungi, aures, mentémq; vulgo parere. Poſtea quàm ergo tale quiddam calumniatum audieris, tute apud animum tuum rem ipſam perpende. Nihil attinet qualis ſit, qui accuſat, nihil ad rem faciunt alieni mores, nihil accuſationis acrimonia: quin eò maiore cura rem diſcute, quò inſtructior venit delator: neque

item credere conuenit iudicio & existimationi alterius, imò accusantis odio, sed suum veri examen apud nos accuratè seruandum est, suæ item calumniatoris inuidentiæ partes dandæ. Deniq; quod vtrinque argumenta suaserint, statuēdum. Tum vel odisse vel amare, quem diligenter explorauimus, licet. Prius quàm id factum sit, calumniæ concedere in primo statim congressu hercle nimis quàm puerile est, ac indignū viro, longéq; à iustitia semotum. At verò horū omnium causa vna est ignorantia, tenebræq; illæ, quibus suæ cuiusque hominis rationes, moresque obuoluuntur. Iam si deorum quispiam vitæ nostrę lumen efferat, futurum est, vt euanescat calumnia, fugiátq; in altum barathrum, nec vsquam in humanis locum inueniat, reddita nobis luce omnium vitæ studiorum, veritatis beneficio.

PSEVDOLOGISTA, SIVE DE APOphradè, hoc est die atro,

Iacobo Micyllo interprete.

ARGVMENTVM.

Inuectiua est in eum à quo derisus fuerat, quòd Apophradis verbo vsus esset, ipsumque diei atro comparasset. Continetur autem tota oratio duabus partibus, quarum priore ostendit, nomē Apophradis Græcum, & vsitatum Græcis esse, & se rectè eo vsum quoque esse, idque exemplis aliorum, qui similibus nominibus etiam alios nefarios, ac detestabiles probrosè appellarunt. In altera autem vitam & mores, & item sermonem, ac dicendi genus illius insectatur, ostendēs illū meritò ac dignè ista voce cognominari, vtpote atrum ac detestabilem, & ab alijs quoque similibus antea appellationibus eodē modo passim notatum, afficta etiam prosopopœia linguæ expostulantis cū illo super abusu & fœdo ministerio cui adhibeatur. Exordium longius paulo est ad attentionem, ac docilitatem pertinens, captata interim & beneuolētia instituto suo, ab exemplo Archilochi, qui se eodem modo vltus fuerit. Post exordium prosopopœia Elenchi, ex Menandri prologis introducitur, qui argumentum rei, & occasionem scripti huius exponit. Titulus alter à materia de qua tractatur, alter ab ipsius qui accusatur effectu siue opere sumptus est, quod falsò de voce Apophradis iudicarat, eámq; quasi peregrinam ac barbaram derisérat. Est enim λογιστὴς examinator, ἐξεταστὴς & κριτὴς, seu δοκιμαστὴς, vt Hesychius indicat.

SCHOLIA.

Βρωμολόγος à βρωμᾶσθαι fortasse, quod rudere significat, & λόγος. Βωπομάδλας, μάδλος, voce etiam Aristophanes vtitur pro futili & nequam: vnde hic βωπομάδλαν finxit. ξυρισμητρεῖν pro perorare videtur ab affectatoribus poni. ἀντοπατεῖν, fortassis pro ἀνθοφορεῖν. Vnde ἀνθεστήρια festum Proserpinæ. σφυδιυζειν, obscurum, an à σφενδόνη, cum oculorum partem, quæ pupillam cingit significat, accipiendum pro innuere, vt faciūt puellæ pœtis oculis, an ab eadem voce cum sibulam & ornamentum muliebre significat. χειροβλημάδην est manibus contrectare papillas mulierum, id quod βλημέζειν quoque per se significat. Longius Mercurius cognomine dicitur, quasi eloquentiæ præses. De Lalemo Erasmus in prouerbijs. De Philenide suprà in Amoribus quoq; mentio facta est. λεσβίζειν & φοινικίζειν, obscœnarum rerum verba sunt à moribus Lesbiarum & Phœnikū sumpta. Tricaranum arx siue castellum fuit Argiuorum, vt Suidas, Pollux, Phliasius. θάτερον τῶν πενήτων, Alterum amicorum, sed θάτερον neutrum est, cum πένης masculino genere ponatur. ἄτερ & nominatiuo casu dicitur pro ὁ ἕτερος, non pro τὸν ἕτερον. Χιῶν μηνοῖν. Triū mensium, tempestas, volo, effundo. In quibus dum affectat Atticus videri, & numeros confundit, & verbis obsoletis vtitur. Bis Coracis. Alludit ad significationem κόραξ, id est corui. Fuere autem Tisias & Corax primi inuentores artis Rhetorices, vt & Cicero meminit. Euripides dicere solitus. Versiculi Euripidis sunt in Bacchis, ἀχαλίνων χομάτων ἀνόμου τ' ἀφροσύνας τὸ τέλος δυσχλία, &c.

ATquòd ignorabas nomē Apophradis (hoc est diei atri) cuiuis facilè patet. Quomodo enim accusares me, ceu Barbarū lingua ob hoc quòd de te dixi, Apophradi similem esse te (nam mores tuos memini me cum tali die conferre) nisi prorsus ne audisses quidem nomē hoc? Ego verò ipsam quidem Apophradem, quid sibi velit, quisque significet, paulò pòst docebo te. In præsentia autem Archilochi illud tibi dico, quòd videlicet cicadam ala compræhenderis. si modò de poeta quodam Iambico Archilocho audisti aliquando, qui genere quidem Parius fuerit, cæterùm homo supra modum liber, & dicax, neque conuiciari vnquam veritus, etiam si quàm maximè molestus futurus esset iis, qui in Iamborum ipsius otium incurrerent. Ille igitur cum malè à quopiam istorum audiisset, cicadam ait, comprehendisse hominem alis: comparans se ipsum cicadæ Archilocus, insecto videlicet natura quidem strepero, & nulla cogente necessitate, vocali: quoties autem etiam ala comprænditur, altius quiddam stridenti. Tu quoq; igitur, inquit, homo infelix, quid tibi vis, qui poetam loquacem contra te ipsum iritas, alioqui causas, & materiam Iambis suis quærentem? Atque hæc tibi quoque nunc interminor, haud equidem per Iouem me ipsum cum Archilocho conferens (vnde enim hoc possem, vt qui longè adeò inferior illo sim:) sed quòd tibi conscius sim, innumera quædam Iambis digna abs te in vita perpetrata esse, ad quæ mihi videtur ne Archilochus ipse quidem sufficere, assumpto etiam Simonide & Hipponacte, vt vel vnum aliquod eorum quæ in te sunt malorum describant. Adeò ceu pueros quosdam tecum collatos, malitia superasti, & Orodœcidem, & Lycamben, & Bubalum, quibus Iambos ille suos consumit. Atque adeò videtur deus quispiam ilsum istum tunc labiis tuis immisisse, quando Apophradis huius mentio facta est: quòd videlicet ipse quidem Scythis manifestior fieres quòd indoctus summopere esses, & communia hæc & ante pedes posita ignorares, principium autem commodum atq; aptum orationis cōtra te instituēdæ suppeditares homini libero, & iam olim familiariter te, idq; exactè noscēti, nihilq; vrituro quo minus omnia foras eloquatur: imò verò præconū more proclamet quæcunque agis noctu & interdiu etiā adhuc nunc post multa illa superiora ac vetera. Atqui frustrà fortasis

tasis & superuacuum fuerit, certo atq; erudiẽdi modo, ad te dicẽdi libertate vti. Neq; enim ipse vnquam melior futurus facilè es ex ea obiurgatione, non magis quàm scarabæus si monitus sit vt ne amplius in stercora huiusmodi volutet, cũ ille semel istis assueuerit. Neq; etiam quenquam esse arbitror, qui adhuc ignoret ea quæ tu ausus aliquando fueris, quæque homo ætate iam confectus in te ipsum iniquè delinquis. Non ita tutus, neq; obscurè adeò malus es, neque etiã opus quopiam est qui tibi pellem leoninam detrahat, vt manifestus fias, canthelius siue asinus tantus existens: nisi verò quis ex Hyperboreis paulò antè ad nos huc profectus sit, aut in tantum Cumanus existat, vt non statim conspectum te, asinum omnium contumeliosissimum agnoscat, non expectato dum rudẽtem etiam audiat. Ita iam olim & à me, & apud omnes, & sæpe, res tuæ proclamatæ sunt, & famã inde haudquaquam exiguam nactus es, supra Ariphraden adeò, & supra Sybaritam Misthonem, & supra Chium illum Bastan, qui iisdem in rebus doctus atq; excellẽs fuit. Sed dicendum tamen est, etiam si frigida atq; emarcida iam dicere videbor, ne in eam culpam incidam, quasi solus illa ignorem. Imò verò aduocandus nobis Menandri prologorum vnus aliquis, Elenchus videlicet ille, amicus veritatis & libertatis deus, haudquaquam obscurissimus ille quidẽ eorum qui in scenam ascendunt, solis vobis inimicus, qui linguam ipsius formidatis, & scientem omnia, & planè enarrantem, quorumcunque vobis conscius est. Plausibile igitur hoc fuerit, si ille voluerit, ante nos ingressus, exponere auditoribus vniuersam fabulæ rationẽ. Proinde age ô Prologorũ atq; deorũ optime Elenche, vide vt planè doceas atque informes auditores, quòd videlicet non frustra, neq; odii conciliandi gratia, neq; etiam illotis, quod aiunt, pedibus ad orationem hanc peragendam accessimus: sed cum vt priuatũ quiddam vlciscęremur, tum quia illud quod cõmune est, hominem ob malitiam ac vanitatem odio prosequeremur. Atque hæc sola præfatus, ac planè elocutus, propitius abi iterum è medio: cætera verò nobis relinque. Imitabimur enim te, & coarguemus pleraq;, vt & veritatis & libertatis gratia nemo te accusaturus sit. Neque verò me, ô optime, apud ipsos commendauoris, neq; rursum quę illi adsunt, prǫefluderis temerè. Non enim dignum est, Deus cum sis, in os tibi venire verba de rebus execrabilibus adeò ac detestandis facienda. Nam Sophista atq; impostor iste dicendo (hæc iam prologus inquit) Olympiam aliquando venit, orationem multo iam antea conscriptam recitaturus iis qui ad solennem ludorum celebritatem conuenerant. Erat autem argumẽtum eius scripti. Pythagoras prohibitus aliquando ab Athenienſibus cõmunicare, vt opinor, cũ iis qui Eleusinia sacra peragebãt, tanquã barbarus, eò quòd ipse Pythagoras diceret, ante ea tempora etiam Euphorbum sese fuisse. Cæterùm erat oratio ea ipsius iuxta Aesopi graculum, collectitia, ex variis alienis pennis consarcinata. Itaq; cũ vellet haudquaquã friuola ac vana dicere videri, ex notis ac familiaribus quẽdam rogat (erat autẽ homo ille Patrensis genere, circa lites & actiones forẽses plerunq; versatus) vt postquã dicendi argumentum aliquod postulasset, Pythagoram ipsi statim subiiceret. Ac ita tum fecit homo ille, & persuasit theatro, vt orationem illam de Pythagora audirent. Erat igitur, id quod consequens tum fuit, iste quidem ad agendum & exprimendum gestu sermonem, valde ineptus, & à ratione alienus, connectens & agglomerans, vt par est, ea quæ longè antè meditata atque exercitata habuerat, tametsi impudentia, quæ quàm maxima erat, auxiliabatur quoq;, ac manum porrigebat, & cum eo vnà certamen obibat. Risus autẽ ab auditoribus vndiq; multus. Ac alii quidem ad Patrensem illum interea aspicientes, significationem dabant quòd haudquaquam clam ipsis esset quòd illius ope fallacia ac techna hæc composita esset: alii autem etiam ipsa ea quæ recitabantur, agnoscentes, per totum illud auscultandi tempus vnum hoc opus agebant, vt se mutuò explorarent quo modo quisq; memoria teneret & dignosceret vnde quicq; ex iis Sophistis qui paulò ante nos celebres fuere, in declamationibus siue meletis, quas vocant, desumptum esset. Porrò inter hęc omnia etiam is qui orationem hanc scripsit, inter ridentes & ipse erat. Cur autem non rideret ob manifestũ adeò & ineptum atq; impudens facinus? Ac fortè (est enim risus intẽperantior paulò) cum ille voce ad canticum deflexa, lamentationem quandam, vt ipsi videbatur, Pythagoræ, decantaret: hic meus poeta, illud quod vulgo dici solet, Asinum ad lyram, videns, in cachinnũ admodum suauem solutus est: quod alter cõuersus aspexit. Et hoc est quod illos paulò antè inter se inimicos reddidit. Atq; hinc erat quidem anni principium, imò verò tertia dies à nouilunio magno, quando Romani iuxta veterum consuetudinem & ipsi preces quasdam pro toto anno faciunt, & sacrificia peragunt, pro eo ac ipsis rex Numa sacrificandi ritus hos constituit, persuasiq; sunt quòd eo potissimùm die votis ac precibus Dii vacent, atq; animum aduertant. In hoc igitur festo, & calendis solennibus ridẽs Olympiæ tum ille, sub Pythagora isto supposititio conspicatus accedentem execrabilem & arrogantem istum alienarum orationum histrionem, (norat autem & mores eius exactè, & reliquam nequitiam, atq; impuritatem vitæ, & quæ facere diceretur, & quæ faciens deprehensus fuerat) tempus ad quendam amicorum inquit, vobis est discedere, atque hoc inauspicatum spectaculum relinquere. Nam homo iste obuiàm nobis factus, videtur suauissimum hunc diem in apophradem nobis conuertere. Quo audito sophista ille mox verbum Apophradis, veluti peregrinum atque alienum à Græca lingua ridere cœpit, & hominem pro superiore illo risu vicissim vltus est, vt quidem ipse putabat, & ad omnes dicebat: Hui Apophras? quid hoc autem est? fructus, an herba aliqua, an instrumentum? num igitur comeditur, an bibitur? aut quid tandem est Apophras? Nam ego quidem neque audiui vnquam, neque intelligo facilè qui sdnam etiam sit quod ille dicit. Atque hæc tamen ille

quidem putabat ſe contra hunc valde acerbè dixiſſe, ac multo adeò riſu Apophradem ipſam arripiebat: cæterùm non animaduertebat quòd interim extremum contra ſe ipſum inſcitiæ teſtimoniũ proferebat. Huius igitur gratia orationẽ hanc ſcripſit is qui me huc ad vos præmiſit, vt videlicet oſtenderet, celebrem iſtum ſophiſtam, cõmunia illa Græcorũ, & quæ illi etiam qui in officinis atque tabernis ſedent, ſcire ſolent, adhuc ignorare. Hactenus Elenchus ille. Ego verò (iam enim ipſe ad reliqua fabulæ peragenda accedo) meritò debebam veluti ex Delphico tripode tandem illa addere, qualia videlicet facta tua in patria fuerint, qualia in Palæſtina, qualia in Aegypto, qualia in Phœnicia ac Syria, atq; exinde deinceps in Græcia, & Italia: & poſtremò quæ nũc Epheſi facis, quę quidẽ vecordiæ iſtius tuę quaſi quoddã ſummariũ ſunt & caput, & coronis morum. Poſtquam enim iuxta prouerbium, Ilienſis cum ſis, tragœdos conduxiſti, tempus iam eſt vt propria tua mala audias. Imò verò nondũ etiam, ſed de Apophrade prius. Nam dic mihi per Pandemum, & Genetyllidem, & magnam matrem, quo tandem modo reprehendendũ ac riſu dignũ videtur nomen Apophradis? Non enim mehercle Græcorũ proprium erat, ſed alicunde ex Gallorum, aut Thracum, aut Scytharum commiſtione velut comeſſabũdum introductũ: tu verò (cũcta enim Athenienſium cognita habes) excluſiſti illud continuò, & velut per præconem è ciuitate Græcorum eieciſti: & ex eo riſus iſte videlicet, quòd barbarè ac peregrino modo loquor, & tranſgredior terminos Atticos. At verò quid aliud Athenienſibus ita familiare ac patrium, vti hoc nomen? dixerint illi qui huiuſmodi melius, quàm tu, ſciunt. Quapropter citius Erechtheum aut Cecropem peregrinos & aduenas apud Athenienſes eſſe probaueris, quàm Apophradis nomen oſtenderis non proprium, aut non inibi natum, & genuinũ Atticæ eſſe. Nam multa quidem ſunt quæ & ipſi eodem modo cum cæteris hominibus omnibus appellant: Apophradem autem ſoli illi atram & abominabilem, & inauſpicatam & nefaſtam, tibíq; ſimilem diem vocant. Ecce didiciſti iam obiter quoq; ſignificationem Apophradis, & quis dies ater vocetur. Quãdo videlicet neq; magiſtratus de rebus conſultant publicè, neq; lites in foro diſceptantur, neq; ſacrificia peraguntur, neq; quicquam eorum quæ more & auſpicatò ſolent, tractatur, is dies Apophras ſiue ater dicitur. Atque huiuſmodi dies apud alios aliis de cauſis indicti ſunt. Aut enim pugna aliqua magna ac graui ſuperati ſunt, ac dies exinde tales, quibus cladem eam accepere, pro nefaſtis & inauſpicatis ad res legitimas gerendas habendos cenſuerunt: aut mehercle etiam. Atqui ineptum fortaſsis & intempeſtiuum vtique iam fuerit dedoceri, ac denuò diſcere talia, virũ ſenem adeò, ne illa quidem quæ his priora ſunt, ſcientem. Proinde hoc omnino reliquum eſt, & ſi didiceris ipſum, omnia exinde nobis ſcies. Vnde enim heus tu? Nã cætera quidẽ etiam ſi ignorare ignoſcendum ſit, ea videlicet quæ extra communem viam poſita, & obſcura hominibus priuatis atq; indoctis ſunt: diem tamen atrum, etiam ſi volueris, nominare aliter quàm Apophrada non poteris. Nam hoc vnũ ac ſolum nomen omniũ poſitum eſſe dixerit quiſpiã. At verò vetuſtorũ verborum alia quidem vſurpanda ſunt, alia autem non item, quæcunq; eorũ videlicet nõ ita multis cõſueta atq; vſitata ſunt, vt ne perturbemus auditum, & vulneremus intelligentiũ * aures. Ego verò, vir optime, ſi ad te quidẽ verba feciſſem, de te ita dicens, peccaſſem fortaſsis. Decebat enim, decebat inquam, aut Paphlagonũ, aut Cappadocum, aut Bactrianorũ verbis conſuetis ac patriis tecum loqui, ſi intelligere deberes quæ dicerentur, & audiendo voluptatem aliquam capere. Cæteris autem Græcis, opinor, ſecundum Græcam linguam conuerſari decet. Deinde etiam Atticis per ſucceſsionem temporum multa variantibus in lingua ſua, hoc nomen inter præcipua manſit, hoc modo ſemper & ab omnibus ipſis dictum. Ac ſanè eõmemorarem etiam eos qui ante noſtram ætatem eodem nomine vſi ſunt, niſi & iſto modo perturbaturus te eſſem, peregrina & ignota tibi poetarũ, oratorum, & hiſtoricorum verba recẽſendo. Imò verò ne ego quidem tibi eos dicam, qui illud vſurparũt, omnes enim norunt: ſed tu contra ſi mihi vnum aliquem ex veteribus oſtenderis, qui nomine hoc vſus non fuerit, aureus, vt aiunt, in Olympia ſtatuêris. Atqui ſi quis ſenex adeò, & ætate confectus, huiuſmodi ignorat, videtur idem mihi, quòd Athenæ ciuitas eſt Atticæ, & Corinthus in Iſthmo, & Sparta in Peloponneſo, ignorare. Supereſt igitur fortaſsis illud tibi vt dicas, ipſum quidem nomẽ apophradis noſſe te, cæterùm vſum eius vt intẽpeſtiuum accuſaſſe. Age itaque & de hoc reſpondebo tibi cõſentanea: tu verò animum aduerte, niſi omnino parui facis ſi nihil ſcire videaris. Nam & veteres huiuſcemodi multa ante nos in eos qui tibi ſimiles erant tum, iactarunt. Erant enim tunc quoq; (vt eſt veriſimile) moribus abominabiles quidam, & impuri, & perditi ingeniis. Atq; alius quidem * Cothurnum quendã appellabat, vitam illius comparatione hac perſtringens, vt inconſtantem & ambiguam, perinde vt calceamẽti genus hoc eſt. Alius autem Lypaen, * quòd cõciones turbare ſolebat, orator tumultuoſus exiſtens. Rurſum alius Hebdomã, quòd perinde vt pueri ſeptimanis diebus ſolent, etiam ille in concionibus luderet & rideret, & ſerium ſtudiúmq; plebis pro ludo ac ioco haberet. Ne dederis itaque & mihi, per Adonidem, comparare hominẽ perditum, & omni malitiæ innutritum, diei atro & inauſpicato. Nam nos & claudos ad dexteram declinamus, ac maximè ſi manè videamus ipſos. Et ſi quis ſpadonem aut eunuchum aſpexerit, aut ſimiam quoque egreſſus domo ſtatim, conuertit pedem, & regreditur, ominans ſibi haudquaquam proſperas diei illius res atque actiones fore, præmalo hoc primo & inauſpicato omine. A principio autem, & in foribus, & in primo egreſſu, & mane primo totius anni, ſi quis videat cinædum, & nefaria perpetrantem pariter & patientem, notum ob hæc, & eneruatum, & tantùm non ipſo nomine, quę agit, præ ſe ferentem, deceptorem,

Veneris cognomina ſunt apud Suid.

Præciſio.

* Fortaſſis, nõ intelligentium, legendum.

* Hoc nomine notatus fuit Therameneſ, de quo Xenophõ lib. 2.

* à λυπῶ videlicet deductavoce, quod moleſtare & vexare ſignificat.

rem, præstigiatorem, periurum, pestem, cataſtam, barathrum, non effugiat, neque talem diei atro comparet? An verò tu talis non es? Haudquaquam negabis, ſi modò noui fortitudinem tuam iſtam, qui certè & animum attollere ob hęc mihi videris, videlicet quòd tibi gloria iſta rerum tuarum non prorſum perit. Sed omnibus notus es, & paſsim celebris. Quòd ſi autem etiam contrà ieris, & inficiaberis talem te eſſe, cui quæſo credibilia iſta dices? An ciuibus tuis? nam hinc ordiri æquum eſt. At norunt illi prima tua incunabula, & quo pacto tradideris te ipſum perdito illi militi, & cum eo vnà turpiſsimè ac flagitioſiſsimè oberraueris, omnia obſequẽs ac patiens, donec te, iuxta prouerbium, pannum lacerum, detritum & confectum extruſit. Etiam illa meminerunt, vt eſt conſentaneum, quæ in theatro adoleſcens egiſti, quando ſaltatoribus ac mimis ſubſeruiebas, & in ducẽdis ordinibus ſeu choris quaſi quidam dux eſſe cupiebas. Quippe nemo ante te theatrum ingrediebatur, nemo ne nomẽ quidem fabulæ quod eſſet, renuntiabat, ſed tu ornatè admodum, ſubligatis aureis crepidis, & indutus veſte tyrannica, ante cæteros immittebaris, qui beneuolentiam à theatro poſtulares, coronas ferens, & cum plauſu rediens, honore tandem ab ipſis affectus. At nunc orator es, & ſophiſta: & ob hoc ſi audiant aliquando talia de te illi, iſtud ex Tragœdia videlicet, Et ſolem geminum, & duplices ſe oſtendere Thebas putabunt: & in promptu atque in ore tum omnibus ſtatim notum illud erit: Hiccine ille, qui tum? & quæ poſt illa ſequuntur. Proinde & ipſe rectè facis, qui omnino non aſcendis ad illos, neque in patriã crebrò ventitas, ſed fugis illam vltro, quanquam neque hyeme malam, neque æſtate moleſtam nimis, ſed pulcherrimam & maximam omnium in Phœnicia ciuitatum. Nam coargui, & cum iis qui vetera illa ſciunt ac meminerunt, conuerſari, laqueus re vera tibi eſt. Sed quid iſta fruſtra nugor? Quem enim tu vnquam veritus fueris? aut quid turpe putaueris eorũ etiam quæ extrema ſunt? Audio autem & poſſeſsiones eſſe tibi apud illos magnas: nimirum miſeram illam turriculam, cum qua Sinopenſis illius dolium collatum, Iouis atrium videri queat. Proinde ciuibus quidẽ tuis haudquaquam vllo modo perſuaſeris, vt non omnium deteſtabiliſsimum te credant, & commune adeò totius ciuitatis dedecus. Fortaſsis autem & cæteri habitãtes in Syria, eadem de te cum illis teſtabũtur, ſi te dicas nihil mali aut reprehenſione dignũ feciſſe. Nam mehercle Antiochia quidẽ etiam ipſum iſtud opus vidit, quando adoleſcentẽ illum Tharſo venientem abduxiſſes. Sed & detegere ipſa inhoneſtum fortaſsis mihi fuerit. Veruntamen norunt & meminerunt illi qui tum adſtabant vobis, atq; aſpiciebant te quidem in genu inclinatum, illum autem noſti quid facientem quoque, niſi omnino perpetua rerum obliuione laboras. At in Aegypto illi fortaſsis non norunt te, qui te poſt præclara iſta in Syria certamina, fugientem inde ob ea quæ modò dixi, ſuſceperunt, cum te veſtiarii inſequerentur, à quibus veſtibus pretioſis comparatis, viaticum tum habebas. Sed non minus Alexandria quoque conſcia tibi eſt. Et per Iouem haudquaquam poſteriorem eam Antiochia cenſeri decebat, niſi quòd proteruitas iſta tua manifeſtior, & turpitudo flagitiorum inſanior illhic fuit, & nomen ob hæc maius, & ſuper omnia caput adapertum. Vnus tantùm fuit qui crederet tibi inficias eunti, quòd nihil tale commiſiſſes, ac poſtremus auxiliator tibi fuit, is qui ſtipendium dabat, vir inter præcipuos Romanorum. Nomen autem ipſum permittes mihi vt taceam, & hoc apud omnes eos qui ſciunt quem dicam. Ille igitur cætera quidem quæcunque ſuſtinuit in conuerſatione illa, à te perpetrata, quid attinet dicere? At verò quando te deprehendit in genibus adoleſcẽtuli pocillatoris Oenopionis iacentẽ, quid putas? credidiſtne tibi talem te nõ eſſe, cum ipſum opus aſpiceret? Haudquaquam opinor, niſi prorſus cæcus fuit: verùm apertam voluntatis atque animi ſignificationem dedit, cum te ſtatim ex ædibus eiecerit, & eas expiamentis quibuſdam luſtrauerit poſt exitum inde tuum. Nam Achaia quidem & Italia tota referta eſt operibus tuis, & fama ea quæ ob illa conſecuta eſt. & ſanè gratulor tibi ob tam præclaram laudem. Quare ad eos qui mirantur ea quæ nunc Epheſi abs te geruntur, illud equidem dico, quod veriſimũ eſt, quòd mirum foret ſi non mirarentur, ſi prima illa tua opera noſſent. Atqui nouum hic iſtud videlicet cum mulieribus quoq; addidiciſti. An non cõgruum igitur, dic mihi, fuerit, hominẽ talem Apophradem appellari? Sed quid, per Iouem? num etiam oſculari ore inſuper voluiſti nos ob talia facta? Iſtud igitur contumelioſiſsimè facis, & maximè erga eos, quos minimè decebat, ſectatores tuos, quibus ſatis fuerat, illa ſolum mala ab ore tuo percipere, verborum videlicet barbariem, & vocis aſperitatem, & indiſcretam atque inordinatam enuntiationem, & à Muſis omnino alienã, & id genus alia: oſculari autem etiam te ſupra hæc, abſit, ò malorũ auerſor Hercules. Nam ſcutum potius aut viperam oſculari ſatius fuerit, quòd in morſu ibi omne periculum & omnis dolor, & medicus accerſitus facilè illum depulerit: à tuo autem oſculo, & veneno iſto, quis, quæſo, vel ad ſacra vel ad aras accederet? Quis autẽ deus exaudiret etiam precantem? quàm multis luſtrationibus, multíſq; fluminibus opus foret? At talis ipſe cum ſis, derides alios ob nomina ac verba, cũ tu interim facinora talia ac tanta perpetrare ſoleas. Atqui ego quidẽ ſi Apophradis vocabulũ ignorarem, erubeſcerẽ potius: nedũ ſi dixiſſem, inficias irem. Te verò nemo noſtrũm accuſauit adhuc quòd βραμολόγος dixeris, & τροπομάχαλλος, & ῥησιμαῖος, & ἀθηνᾶς pro Athenas deſidero, & ἀνδροφαῖαμ, & σφραδμαῖος, & χαροβλεμμάδη. Malum te malè perdat Mercurius Logius, vnà cũ ipſis verbis. Vbi enim huiuſmodi ſcripta reperis? In angulo fortaſsis alicubi alicuius ex poetis iſtis lalemo frigidioribus defoſſa, ſitu & araneis oppleta: aut alicubi ex libris Philęnidos, quos in manibus crebrò habes: veruntamen te atq; ore tuo digna. Quia autem oris mentionem feci, quid diceres, quæſo, ſi te in ius vocaret lingua?

gua? Fingamus enim hoc pacto, vt te iniuriæ, aut quod modestius paulò foret, contumeliæ accusaret, ita dicens: Ego te, ingratissime, pauperem atque inopem susceptum, & victu quoque carentem, principiò quidem in theatris celebrem feci, nunc quidem Ninum, nunc autem Metiochum, deinde paulò pòst Achillem quoque exhibens. Post hæc autem docentem pueros syllabas nectere, longo tempore alui. Iam autem & alienas istas orationes velut in scena exhibentem, sophistam videri feci, eámque gloriam tibi, quam minimè conueniebat, adaptaui. Quid igitur tantum habes quod imputare mihi possis, ob quod adeò contumelioſe me tractas, & iniungis mihi mandata quædam turpissima, & ministeria execratione digna? Non satis mihi sunt ea quæ per diem fiunt opera nefaria, mentiri puta, & peierare, & tot nugas atque ineptias exhaurire? imò verò cœnum verborum istorum euomere: sed neq; noctu me miseram otium ducere sinis, sed sola ego omnia tibi facio, & proculcor, & contaminor: ac lingua perinde vt manu vti decreuisti, & quemadmodum alienam contumelia afficis me, tantisque malis obruis. Loqui, meum opus solum est: talia autem facere ac pati, quæ tu cogis, aliis partibus iniunctum est. Quare vtinam & me aliquis, ceu philomelæ illam, execuisset. Nam mihi beatiores illorum linguæ videntur, qui liberos suos deuorarunt. Huiusmodi, per Deos, igitur si lingua diceret, propria aliqua assumpta sibi voce, ac barba tua velut patrona adhibita, quid quæso responderes ipsi? Illa scilicet quæ & ad Glaucum nuper abs te dicta sunt, cum illa te ob opus iam actum accusaret, quòd ob hoc celebris breui tempore, & notus omnibus factus esses. Vnde ergo ita celebris? ob orationes ne red dictus? At sufficit quomodocunque clarum ac celebrem esse, deinde cõnumerare ipsi multas istas appellationes, quas passim apud varias gentes adeptus es. Quò magis etiam miror quòd cum Apophradem audieris, ægrè tantopere tuleris, ob illa autem nomina nihil indigneris. Nam in Syria quidem Rhododaphne vocatus es: quam ibrem autem, ita me Minerua amet, erubesco dicere. Quare quãtum quidem in me est, obscurum etiam maneat. In Palæstina autem, sepis nomine, ob barbæ, opinor, spinositatem, quoniam inter opus pungere solebat. adhuc enim tondebas ipsam. In Aegypto verò angiha dictus es: quod per se manifestum est. Nam aiunt te propemodum suffocatum esse, cum in mutuam quendam crassiorem ex iis qui in onerariis atq; maioribus nauibus sunt, incidisses: qui tibi postquã imposuisset, etiã ipsum os obturauit. Nam Athenienses quidem, optimi illi, obscurius nomen nullum dedere tibi, sed literæ vnius appositione te honorantes, Mmarchum appellarunt. Decebat enim & illud affectatũ ac nouum habere te. In Italia autem, papæ! heroicum illud, Cyclops vocatus es, quòd aliquãdo etiam ad vitem eminorem natum ac modum illum, iuxta ipsa Homeri poemata, versibus peragere tu quoque turpitudinem illam affectasses. Ac ipse quidem iacuisti ebrius iam, mulctrale habens in manu, Polyphemus vi-

Prosopopœia linguæ expostulantis cũ abutente.

Fortassis enim nomẽ illius Timarchus fuerat.

delicet coire gestiens: adolescens autem mercede conductus, rectum habens vectem, probè admodum acutum, quasi Vlysses quidam te inuadebat, excussurus videlicet oculum.

Quẽ ramen haud tetigit, iuxtáq; elabitur hasta,
Et ferit extremum vibrata cuspide mentum.

Neque enim absurdum aut ineptum puto fuerit, cum de te verba faciamus, frigidiora quoq; paulò hęc dicere. Tu verò Cyclops ille, diducto ore, & quàm latissimè licebat, hians, sustinebas ab illo tum occæcari tibi maxillã. Imò verò quemadmodum Charybdis, quærebas vnà cum ipsis nautis & clauis & velis totum illum absorberi Vtin, siue Neminem. Atque hæc tum aspiciebant etiam cæteri qui aderãt. Deinde postero die vna ea tibi defensio erat, ebrietas, & ad merum confugiebas. His igitur ac talibus nominibus opulentus cum sis, pudore afficeris erga Apophradem. Per deos itaque dic mihi, quo pacto afficeris cum illa quoque dicunt plerique, Κεφαλὴ ἐφ' ἡμῖν φοινικίδεσσι num igitur & hæc perinde vt Apophradem ignoras, & existimas fortassis etiam laudari te ab ipsis? An hæc quidem vt consueta & familiaria nosti: Apophradem autem vt solam ignotam improbas, & à catalogo verborum tuorum excludis? Proinde non indignas pœnas nobis exsoluis, sed etiam muliebri consortio, & ad Gynæcea vsque nouus es. Naperrimè igitur cum nuptias quasdam Cyzici anibire ausus esses, probè admodum explorata omnia habens optima illa mulier respondit: Haudquaquam, inquiens, virum eum accepero, qui ipse quoque viro indiget. Et tamen in talibus rebus constituto tibi, adhuc verborum cura est, & rides, conspiciensque cæteros. Meritò sanè. Neque omnes similia tibi dicere possumus. Vnde enim, aut quis adeò in verbis audax foret, vt contra tres adulteros pro gladio tridentem postulet? De Theopompo autem ob Tricaranum in iudicio agente dicat tricuspide oratione ipsum confecisse ciuitates prostantiores: Et rursum tridente interfecisse ipsum Græciam: & esse Cerberum in oratione. Nam paulò antè & Inceptia ancillã quærebas fratrem quendam, ni fallor, mortuum, & alia insania quorum ne mentionem quidem facere dignum est, excepto solo illo, quod qui audierunt, memoriæ retulere. Diues quidam, opinor, & duo pueros erant inter se inimici: postea de diuite loquens, occidit, inquis, Ἀνδρὸς τοῦ πλουσίου. Ridentibus autem, vt par erat, iis qui tum aderant, corrigens videlicet tu, & id quod erratum erat, restituens, Haudquaquam, subiicis, sed Ἀνδρὸς λαβόντος occidit. Omitto antiqua illa, puta τοῦ ἀνεψιοῦ, & ἀνεψιὸς δὲ τοῦ πατρός, & ἀνεψιὸς ἐκ πατρός: quæ alia præclara in orationibus tuis effulgent. Nã quis pauperiatis causa facis, ô charissime Adrastia, nemini exprobraueris. Ignoscendum enim, si quis fame coactus, depositio à ciue accepto, deierarit se illud haudquaquam accepisse: aut si quis impudenter postulans, imò verò mẽdicans, & foratur, & publicanorum more rapit. Haud equidẽ ista dico. Neq; enim iam iudicia vlla est quoquo modo depellere inopiam, sed illud intolerabile tandem, pauperiem cum sis, in fœdas huiusmodi voluptates incidere

profundã

profundere, quę per imprudentiam iſtam acquiris. Niſi ſi quid vtique etiam laudare mihi conceſſeris admodum vrbanè abs te factum, quando cum Tiſiæ artem noris, bis Coracis opus ipſe peregiſti, ſubreptis ſtulti illius ſenis triginta aureis. Ille autem propter Tiſiam pro libro ſeptingentas & quinquaginta drachmas exoluit, deceptus videlicet. Multa adhuc alia poſſem dicere, ſed tamen cætera quidem volens remitto tibi: illud autem ſolum adhuc verbis addam. Age iſta quidem fac vt tibi lubet, néve deſieris huiuſmodi in te ipſe debacchari: ab illo autem caue. Non enim pium aut fas eſt, eandem Veſtam, eos qui talia committunt, inuocare, & amicitiam præbibere, eadémq; obſonia attingere. Sed neq; illud, ob verba videlicet oſcula: ſídque cum iis qui tibi non multò ante Apophradem ipſum os effecere. Ac poſtquam ſemel admonitionẽ amicam exorſi ſumus, etiã illa, ſi videtur, abs te amoue, vnguento puta canos iſtos inungere, & pice ſola illa quę ſcis, velli. Nam ſi morbus quidem aliquis vgeret, totum corpus curandum foret: nunc autem cum nihil ægrotas tu huiuſcemodi, quid attinet pura ac leuia & glabra illa tibi reddi, quę ne aſpici quidem fas erat? Illud tibi vnum relictum eſt, qui doctrinam ac ſapientiam præ te feras, cani videlicet, & non amplius nigricare. Id tanquam operculum quoddam malitiæ ac deteſtabilitatis iſtius ſit. Proinde parce ipſis per Iouem, cum in hoc, tum maximè in barba ipſa, neq; polluas hãc amplius, neq; contumelia afficias: aut ſi prorſus hoc nequeas, noctu ſaltem, & in tenebris: interdiu autem apage. eſt enim omnino ferum, ac beſtiale. Vidéſne quanto ſatius fuerat tibi camarinam immotam relinquere, neque Apophradem deridere, quæ tibi Apophradem & atram totam vitam reddiderit? An etiam amplius aliquid deſideras? Nam quod ad me attinet, nũquam quicquam deficiam. Nõdum igitur ſcis quòd totum attraxiſti tibi plauſtrum, cum conueniret, ô pæpalema (id eſt omnifariàm ſcelerate) atque cinęde, vereri te ſi quis homo hirſutus, & iuxta antiquum illud, Melampygus, acerbè ſolum intueretur te. Fortaſsis iam hæc quoq; ridebis, pæpalema quod dixi, & cinædum, perinde vt ænigmata quædam & gryphos audiens. Ignota enim tibi ſunt tuorum operum nomina. Quare licet tibi iam etiam hæc cauillari, niſi tibi tripla atque etiam quadrupla Apophras iam parta eſt. Accuſes autem te ipſum ob hæc omnia, licet. Nam vt præclarus ille Euripides dicere ſolitus fuit, Oris indomiti, & ſtultitiæ & iniquitatis finis, infelicitas eſſe conſueuit.

DE DOMO,

Iacobo Micyllo interprete.

ARGVMENTVM.

Obliqua quædam domus laudatio eſt, cuius & ſitum & ſtructuram, & tecti cæterarúmq; partium ornamenta, poſtremò etiam parietum picturas deſcribit, additis paſſim amplificandi gratia etiam ſimilitudinibus quibuſdam. Atque hæc omnia ſub diſputationis ſeu contentionis quadam figura, qua de pulchritudine domus, vtrum ea videlicet ad inuitandum & iuuandum oratorem in ea dicentem plus proſit, an noceat, diſputatur. Cuius quidem affirmatiua pars priore loco tractatur, ab effectu & teſtate pulchritudinis cõprobata, additis & exemplis & ſimilitudinibus eôdem pertinentibus. Altera autẽ, ac negatiua, per proſopopœiã ſubiungitur. Fingitur enim alia quædam alterius oratio ſuperiorem refellere, & ſimilitudines, & quæ de vi pulchritudinis à ſuperiore afferũtur, per inuerſionem confutare, ipſa autem ſuam ſententiam ab alijs elegantiæ ac pulchritudinis effectibus, præterea & Herodoti teſtimonio, & ipſorum auditorum exemplo, confirmare. Ac in priore quidem parte ſitus domus & tecti, cæterarúmq; partium elegãtia depingitur: in poſteriore verò parietum picturæ deſcribuntur, vt ex ea quoq; re nouitas ac gratia quædam ſcripto accedat.

EGO Alexãder quidem expetiuit in Cydno lauari, cum pulchrũ adeò & perſpicuum fluuium eum conſpicatus eſſet, deinde & tutò profundũ, & leniter cõcitatum, & æſtatis tempore gelidum, adeò etiam, vt ſi iam antea manifeſtum eum morbum quo poſtea ex illo ægrotare cœpit, præuidiſſet, non facilè ab illius lauacro abſtinere ſe potuiſſe videatur. Domum autẽ ſi quis videat mole maximam, forma pulcherrimam, luce clariſsimam, auro fulgentiſsimam, denique & picturis floridiſsimis, non expetat in ea orationem velut teſtato relinquere, ſi forte circa hoc ſtudium verſetur, & celebrari intus & inclareſcere, ac voce illam implere, & quam maximè licet, etiam ipſe pars quędam pulchritudinis illius eſſe, ſed ſtatim poſtquam diligentius paulò contemplatus illam atque admiratus tantummodo fuerit, iterum inde abeat, mutam, & orationis expertem illam relinquens, neq; alloquendo quicquam videlicet, neque ſermonem conferendo, perinde atq; elinguis aliquis, aut qui inuidia quadam tacere decreuiſſet? At Hercle neque honeſti aut ſtudioſi vllius officium hoc, neq; eius qui pulcherrimarum rerum amore teneatur, ſed ruſticitas multa atque inſcitia eſt, & præterea amuſum certè & barbarum quiddam, ſuauiſsimis rebus ſe ipſum velut indignum abſtinere, & à pulcherrimis velut exulem relegare, neque intelligere quòd non eadem circa ſpectacula lex poſita ſit idiotis ſiue indoctis, & eruditis viris: ſed illis quidem ſufficit commune hoc, videre ſolum, & circumſpicere, atq; oculos circunferre, ac ſurſum verſus tectum ſpectare, manúmque attollere, & cum ſilentio voluptatem capere, præmetu ne quid non ſatis dignum iis quæ ſpectantur, dicendo proferat. At qui cum eruditione ſiue iudicio aliquo ſpectat ea quæ pulchra ſunt, ille haudquaquam, puto, contentus erit viſu tantùm, id quod delectabile eſt, decerpere, aut mutus ſpectator pulchritudinis eſſe: ſed enitetur, quoad fieri poteſt, & immorari in eo, & oratione compenſare viſum. Cæterùm compenſatio ea, non laus modò domus (nam hoc quidem fortaſsis adoleſcentem illum inſularem decebat, Menelai videlicet domum cum admiratione quadã ſpectare, & cum iis quæ

in cælo

in cælo pulchra ſunt, ebur & aurum ipſius comparare, vt qui in terris pulchrum aliud nihil vidiſſet) ſed & dicere in ea, & optimis quibuſque conuocatis, orationis ſpecimen exhibere, pars quædam laudis hoc quoq; fuerit. Atq; adeò rem ſuauiſsimam arbitror eſſe, domũ pulcherrimam ad ſuſcipiendas orationes adapertam, laudíſque & cõprecationis plenam, paulatim ipſam quoq;, perinde vt antra, voces referentem, & iis, quæ dicuntur, reſpondentem, & protendentem poſtrema ſermonis, & vltimis verborum immorãtem, imò verò, quemadmodum docilis aliquis auditor ſolet, ea quæ dicta ſunt, memoria repetẽtem, & eum qui dicit, laudantem, ac permutationem haudquaquam à Muſis alienam cum ipſis facientem: quale quiddam accidit & ſpeculis paſtorum tibiis & cantu reſonantibus, voce in contrarium repercuſſa, atque in ſe ipſam reuertente. Idiotæ autem & indocti putant virginem quandam eſſe, quæ canentibus vel clamantibus hoc modo reſpondeat, in mediis alicubi præcipitiis habitantem, ac loquentem intus de rupibus. Mihi itaq; videtur vnà cum magnificentia domus ac ſumptu, etiam dicentis animus attollere ſeſe, & ad perorandum excitari, vtpote cui ipſe quoque viſus ſubminiſtrat ac ſubiicit nõnihil. Ferme enim intrò per oculos permanat, ac deſcendit ad animum vſque pulchrum aliquid, ad quod deinde ille exornatam & compoſitam orationem foras emittit. An verò Achilli credimus, viſum armorum intendiſſe illum cõtra Troianos impetum, & poſtquam idem illa experiendi tantùm gratia induiſſet, elatũ fuiſſe, & veluti ſublimem ad belli deſiderium abreptum, orationis autem atque dicendi ſtudium non eodem modo pulchritudine locorum accendi? Atqui Socrati quidẽ ſatis fuit platanus illa ingenioſa, & herba vireſcẽs, & fons perſpicuus non longè ab Iliſſo, atq; ibi reſidens, cum Phædrum illum Myrrhinuſium verbis eludebat, ac Lyſię Cephali illius filii orationem redarguebat, tum Muſas quoque accerſebat, credebátq; venturas eas eſſe in ſolitudinem, & coadjuturas ſe ad illam tum de amore inſtitutã orationem. Neque verebatur homo ſenex aduocare virgines ad amores maſculos intelligendos. Nos autem in locum adeò pulchrum nõ putemus eas vel inuocatas venturas eſſe? At ſanè non in vmbra ſolùm, aut ſub platani pulchritudine receptaculum hoc erit, neque etiam illa ad Iliſſum amœnitate relicta, Regis domum auream eum hac contuleris. Nam illius quidem admiratio omnis in magnificentia ac ſumptu conſiſtebat; ars autem, vel pulchritudo, vel delectatio, vel concinnitas partium, vel iuſta etiam proportio, nulla reſpondebat: neque etiam auro ſparſim ac modeſtè ornata erat, ſed erat ſpectaculum planè barbarum opulentia mera, & inuidia aſpicientium, & felicitatis iactantia iis, qui eam poſsidebant: quod autem verè laudares, nihil illi aderat. Neque enim ratio vlla erat Arſacidis pulchri, neq; oſtentationes ſuas ad voluptatem comparabant, neq; etiam curabant, laudaturíne eam eſſent ſpectatores, an non, ſed hoc ſolum, vt cum ſtupore quodam intuerentur. Non enim honeſti amantes, ſed diuitiarum ſtudioſi barbari ſunt. At huius domus pulchritudo, non ad barbaricos aliquos oculos, neque ad Perſicam arrogantiam, aut regiam iactantiam comparata eſt: neq; pauperem modò ſpectatorem, ſed ingenioſum aliquem poſtulat, & cuius non ſolùm in viſu iudicium, ſed & conſideratio aliqua atque æſtimatio verba ſequantur. Nam quòd & ad pulcherrimam diei partem reſpicit (pulcherrima autem ipſius pars, & amabilis maximè, principiũ eſt) & ſolem proſpicientem ſtatim excipit, & lumine ad ſatietatem vſq; repletur foribus adapertis, pro eo ac veteres quoq; templa ſua ſtatui, & ad ſolem aſpicere fecerunt. Deinde quòd & longitudo cum latitudine, & rurſum vtraque hæc cum altitudine iuſta proportione conſentiunt, & feneſtræ liberæ vndequaque à nulla parte impediuntur, & ad quodlibet anni tempus bene comparatæ atque appoſitæ ſunt, hæc, inquam, quomodo non ſuauia omnia, & multa laude digna? Prẽterea autem & tecti miretur quiſpiam illud, quòd in tam pulchro nihil affectatũ aut nimium, in tam eleganti nihil quod reprehendere meritò poſsis, & quòd aurum quibus additum eſt, decorè atque concinnè reſpondet, neque vbi opus eo eſt, ibi immodicè aut ſuperfluè accumulatum, ſed perinde vt & mulieri modeſtæ ac pulchræ ſatis erit ad formã inſigniorem reddendam, vel circa collum tenue aliquod monile, vel circa digitum * annulus geſtabilis, vel de auribus ſuſpenſæ inaures, aut annulus quiſpiam, vel tænia comam diffluentem colligans, quæ tantum pulchritudini apponit, quantum veſtitui purpura ſolet. At meretrices certè, & maximè deformiores, earum & veſtem purpuream totam, & ceruicem auream facere ſolent, magnificentia videlicet ſumptus iſta venuſtatem atque amabilitatem quandam venantes: & quod pulchritudini deeſt, appoſitione externæ delectabilitatis ceu quodam ſolamine compenſantes. Arbitrantur enim & humeros ſuos nitidiores apparere, reſplendentes vnà cum auro: & pedis craſsitiem & inæqualitatem, ſub aureo ſandalio tectum iri: faciémq; etiam ipſam amabiliorem fore ſi vnà cum eo quod ſplendidiſsimum, conſpiciatur. Ac illę quidẽ hoc pacto. Modeſta verò mulier, auro quidẽ pro eo ac ſatis eſt, & ad illa ſolùm quibus opus eſt, vtitur: pulchritudinem verò ſuam haudquaquam verebitur etiam nudam exhibere ſpectandã. Proinde etiam huius domus tectum, imò potius caput, formoſum quidem per ſe ipſum quoq; eſt, auro autem in tãtum exornatum eſt, quantum & cęlũ noctu ſtellis certis ſpatiis inter ſe diſtantibus circumcirca ſplendet, certíſq; itẽ interuallis igne collucet. Quòd ſi totum foret igneum, haudquaquam certè pulchrum, ſed terribile nobis videretur. Cęterùm & hoc videre licet, aurum hic haudquaquam otioſum, aut delectandi modò gratia, reliquo ornatui interſperſum eſſe, ſed & fulgorem quendam non iniucundum de ſe præbere, & tõtam domum rubore ſuo velut inficere. Quando enim lumen diei incidens applicatur, & commiſcetur cum auro, commune quiddam reſplendent, & duplicem ruboris claritatem ac rutilantiam exhibent.

Proinde

* ὀρμίσκος eſt in Græco, quod palam anquantum ſignificat propriè.

Proinde ea quidem quę ad faſtigium & verticem domus pertinent, huiuſmodi ſunt, vt Homero aliquo laudatore opus habeāt, qui illam vel celſi tectam perinde ac Helenes thalamū, vel ſplendoroſam velut Olympum ipſum appellet. Reliquum autem ornatum, & parietum picturas, & colorum pulchritudinem, & vniuſcuiuſq; euidentiam, & diligētiam & veritatem, cum veris aſpectu & prato aliquo florido haud iniquum fuerit comparare: niſi quòd illa quidem defloreſcunt, & emarceſcunt, & immutantur, & abiiciunt pulchritudinem: hoc autem ver perpetuum, & pratum nunquam marceſcens, & flos immortalis, vtpote ſolo riſu appræhendente hæc, & decerpente ſuauitatem eorum quæ carpuntur. Atqui tot ac talibus quis non voluptate afficeretur ſpectandis? aut quis nō magnopere expeteret, etiam præterquàm poſſet, inter ea orationem habere? cum ſciat turpiſsimum eſſe ab iis quæ riſu percipiuntur, ſuperari atque à tergo relinqui. Maximam enim alliciēdi vim habet aſpectus pulchrorum, non inter homines modò, ſed & equus libentius opinor curſurus fuerit per cāpum decliuem & mollem, placidè recipientem greſſum, & ſenſim cedentem pedi, neq; referientem, aut reſiſtentem vngulæ. Toto igitur tunc vtitur curſu, totúmq; ſe ipſum tradens celeritati, certat etiam cum campi pulchritudine. Pauo autē incipiente vere ad pratum aliquod accedens, quando & flores prodeunt non amabiliores modò, ſed & (vt ita dixerit quiſpiam) floridiores, & quod ad colores & tinctūram attinet, liquidiores: ipſe quoque extentis pennis, iiſq; oſtenſis Soli, & ſublata cauda, eámque vndiq; circa ſe pandens, ſpectandos exhibet & illius flores, & ver illud pennarum, perinde vt prato ad huiuſmodi contentionem & certamen ipſum prouocante. Conuertit quippe ſe ipſum & circumagit, & quaſi quandam pompam agit pulchritudinis ſuæ, quando videlicet etiam admirabilior apparet ad ſplendorem ſolis, variātibus ſe coloribus, & paulatim in alios atque alios tranſeuntibus, aliámque ac nouam formoſitatis ſpeciem ſubinde recipientibus. Accidit autem hoc potiſsimum in circulis, quos in ſummis pennis habet, quorum quemlibet quaſi quædam irides circundant. Nam qui antè æreus viſus fuit, mox inclinante ſe paululum illo, aureus conſpicitur: & rurſum quod ad ſolem cæruleum apparuit, ſi ſub vmbram transferatur, viride videtur. Adeò ad luminis viciſsitudinem, pennarum ille ornatus variatur. Nam quòd & mare idoneum eſt ad prouocādum, & ad cupiditatem concitāndam, quando tranquillum videlicet eſt, ipſi ſcitis, tametſi ego non dicam, quandoquidem etiam ſi quiſpiam longiſsimè à mari continentem incolat, & omnino nauigationis inexpertus ſit, nihilominus tamen & ipſe cupit ingredi illud, & circunnauigare, & quàm procul à terra in altum deduci, ac maximè ſi videat auram quidem leniter à tergo proſequentem velum, nauem autem placidè ac leuiter per ſummos paulatim fluctus labentem. Atque ob eam quidem rem etiā huius domus pulchritudo idonea ſatis atque efficax eſt ad prouocandas orationes, & ad excitandos dicentes, omnibúſque adeò modis celebrem aliquem reddēdum. Proinde ego quidem hiſce credo, & iandudum perſuaſus ſum, & in domum dicendi gratia ingreſſus ſum, pulchritudine illius veluti * rhombo aut Sirene aliqua tractus, ſpem haud exiguam habens, etiam ſi antehac orationes meæ deformes atque inelegantes fuerint, exinde pulchras atque elegantes eas viſum iri, perinde ac veſte aliqua pulchriore exornatas. Cæterùm altera quædam oratio haudquaquam ignaua, ſed valde generoſa quoque, vt ait, & inter loquendum refellebat me, & interrumpere ſermonem conabatur, & poſtquam dicendi finem feci haudquaquam vera hæc dicere me ait: ſed mirari ſe, ſi dicam aptiorem eſſe ad orationes recitandans ac peragendas, domus pulchritudinem picturis atq; auro exornatam. Nam ipſum cōtrarium planè euenire. Imò verò, ſi videtur vobis, ipſa huc accedens oratio, pro ſe tanquam apud Iudices vos dicat, quatenus conducibiliorē putet eſſe dicenti domum ſimplicem atque deformem. Ac me quidem iam audiſtis, atq; orationem meam: proinde opus non habeo de eadem re bis dicere. Iſta autem accedens iam dicat, & ego tacebo, atque aliquantiſper locum ipſi dabo. Proinde viri Iudices, inquit oratio, ille quidem orator qui antea verba fecit, multis ac magnis modis domum hanc prædicauit, & oratione ſua ornauit. Ego verò tantum abeſt vt illam repræhendere aut vituperare velim, vt etiam ea quæ ab illo prætermiſſa ſunt, addenda amplius mihi putem. Nam quò pulchrior illa vobis apparuerit eſſe, eò magis cōtraria eſſe dicentis commoditati atq; vſui oſtendetur. Ac primùm quidem, poſteaquam mulierum & ornatus & auri mentionem ille fecit, mihi quoque permittatis quæſo eodem exemplo vti. Nam aio equidem, mulieribus formoſis non modò nihil cōferre ad pulchritudinem ampliorem reddendam, ornatū illum multum, ſed contrà aduerſari potius, quādo videlicet eorum qui fortè aſpiciunt illas, vnuſquiſque auro & lapillis iſtis pretioſis obſtupefactus, pro eo quòd laudare vel colorē, vel vultum, vel ceruicē, vel cubitum, vel digitum debebat, relictis his, ad Sardium vel Smaragdum, vel monile, vel armillas reſpicit, vt ob id meritò illa ita neglecta, dolore affici poſſit, propter ornatum ſeu mundum ſpectatoribus non habentibus otiū ac ſpatium laudandæ illius, ſed obiter duntaxat ipſam intuentibus. Quod idem opinor neceſſe eſt etiam illi accidere, qui inter tam pulchra opera orationem recitare volet. Latet enim inter magnitudinem pulchrarum rerum, quod dictum eſt, obſcuratúrq;, & vnà abripitur, perinde ac ſi quis lucernam allatam in rogum aliquem magnum iniiciat, aut formicam in elephante ſeu camelo ſpectandam exhibeat. Proinde hoc euitandum dicenti eſt. Præterea autem & vocē ipſam confundit, qui in vocali adeò & ſonoroſa domo dicit. Nam illa reſpōdet, & ex aduerſo reſonat, & contradicit, imò etiam obruit atq; abſcondit vocem dicentis, quale quiddam & tuba facit tibiæ, ſi pariter inflentur, aut hortatoribus mare, quoties illi ad ſtrepitum maris remigat

ἰυγξ. ἰυγξος.

ἐυλόφορον, vt Ilia. 3. ἀιγλήεντα.

remigationi accinere volunt. Vincit enim magnitudo vocis, & ſupprimit id quod minus eſt. Iam verò etiam illud quod dixit aduerſarius, quòd videlicet excitet pulchra domus dicentem, & alacriorem reddat, quantum mihi quidem videtur, diuerſo modo ſe habet. Obſtupefacit enim & perterret, & rationem conturbat, timidioremq; facit, cogitantem nimirum illud, quòd omnium turpiſsimum ſit, in loco pulchro ac ſpecioſo non pulchram ac ſpecioſam orationem quoque apparere. Index enim iſte profectò omnium manifeſtiſsimus eſt, nõ aliter ac ſi quis armaturam pulchram induat, deinde ante cæteros fugiat, notabilior videlicet ex eo, quòd armis inſignioribus ornatus. Atq; hoc quidem videtur mihi etiam apud Homerũ orator ille perpendiſſe, atque ideo formoſitatis minimam curam habuiſſe, quin magis homini prorſus etiam imperito ſe ipſum aſsimilaſſe, quò videlicet maiori admirationi foret verborum & orationis ipſius pulchritudo, ex illa cum deformitate facta collatione, præſertim cum omnino neceſſe illud quoque ſit, dicẽtis ipſius mentem circa intutum detineri, & cogitandi diligentiam ac curam langueſcere viſu ſuperante, & ad ſeſe vocante, neque orationi vacare atque incumbere permittente. Quare quid reſtat vltrà quo minus deterius prorſum dicat talis aliquis, animo circa eorum quæ videntur laudes occupato? Omitto enim dicere, quòd & præſentes ipſi, & ad auſcultandum intrò aſſumpti, poſtquam ad talem domum acceſſerint, ex auditoribus ſpectatores fiunt: & neq; iam Demodocus, aut Phemius, aut Thamyris, aut Amphion, aut Orpheus aliquis, is qui orationem habet, ita eſt, vt auellere cogitationes illorum à ſpectando poſsit: ſed vt quiſque ipſum modò limen tranſcenderit, ita frequenti ac multa pulchritudine circunfuſus, verborum ſanè illorum aut recitationis ne principium quidem exaudire videtur: ſed totus in ſpectando verſatur, niſi quis fortè omnino cæcus fuerit, aut noctu, velut ille in vico Martio Senatus ſolet, ad auſcultandum venerit. Nam quòd verborum vis lõgè inferior ſit, quàm vt cum viſu certare queat, etiam Sirenum fabula cum illa de Gorgonibus comparata, facilè docuerit. Illæ enim mulcebant quidẽ præternauigantes, canendo, atq; adblandiendo carminibus, & ad ſe delatos aliquandiu detinebant: & in ſumma, res ipſa, mora quadam opus habebat, atque interim eas etiam præteruectus quiſpiam eſt, & carmen ipſum obturatis auribus prætermiſit: at Gorgonum pulchritudo, vt quæ violentiſsima eſſet, & partibus animæ præcipuè ſauciabilibus obuerſaretur, ſtatim attonitos reddebat aſpicientes, ac mutos faciebat, & quemadmodum fabulæ placet, & fertur, in lapides illico præ admiratione conuertebantur. Quamobrem & illa quæ de pauone paulò antè ad vos dixit, pro me ipſa dicta eſſe exiſtimo. Nam & illius in aſpectu nõ in voce delectatio eſt, ac ſi quis iuxta illum vel philomelam vel cygnum ſtatuat, ac canere iubeat, inter canẽdum autem pauonem iacentem commonſtret, ſat ſcio quòd ad hunc deflexurus ſit animus, longum valere iuſsis illorum canticis. Adeò inexpugnabile quiddam videtur eſſe ea, quæ per viſum voluptas capitur. Atque equidem, ſi vultis, teſtem vobis adducam virum doctum, qui ſtatim mihi teſtimoniũ feret, quòd multò magis ſuperant ea quæ viſu percipiuntur, quàm quæ auditu. Ac iã heus præco accerſe mihi huc ipſum Herodotum, Lyxi filium, Alicarnaſſenſem. Et quia probè fecit, atque obediit, teſtimonium dicat accedens. Vos autem aduertite ipſum Ionica lingua vobis loquentem, perinde vt conſuetũ ipſi eſt. Vera iſta, Oratio vobis hæc, Iudices, narrat, atque ipſi credite quæcunque de his vobis dixerit, viſum auditui præferendo. Aures ſiquidem fide minus digniores ſunt, quàm oculi. Auditis teſtem, quæ dicit, & vt primas viſui tribuerit? ac meritó. Nam verba quidem alata ſunt, & euaneſcunt, pariter cum eo quando proferuntur, auolantia. At eorum quæ videntur, delectatio, ſemper adeſt, ac præſens manet, & ſpectatorem ad ſe prorſus abducit. Proinde quomodo non difficilis ac grauis dicẽti aduerſaria fuerit domus ita pulchra, & ab omni parte conſpicua? Quin quod maximum eſt, nondum etiam dixi. Nam vos ipſi Iudices, & interea dum nos dicimus, ad tectum ſurſum aſpexiſtis, & parietes admirati eſtis: & picturas, ad vnamquanque auerſi, examinaſtis, neque quicquam etiam veriti eſtis. Venia enim dignum eſt ſi quid humanum paſsi eſtis, præſertim erga tam pulchra ac varia obiecta. Nam artis diligentia, & hiſtoriæ cum antiquitate vtilitas, re vera illiciendi vim quandam habent, & ſpectatores eruditos requirunt. Et vt ne per omnia iſthuc oculos auerſos habeatis nobis relictis, age, quoad fieri poteſt, depingam illa vobis oratione. Delectabimini enim, vt puto, audientes quoq; ea quæ oculis intuentes miramini. Ac fortaſsis ob id ipſum etiã laudabitis me, & aduerſario anteponetis, vt qui & ipſe demonſtrem hæc, & duplicem vobis voluptatẽ pariam. Cæterùm conatus huius difficultatẽ videtis, nimirum quàm graue ſit abſque coloribus & figuris & loco tam multas imagines in vnum congerere. Eſt enim exilis planè pictura verborum. Quare ad dexteram quidem ingredienti, Argolicæ fabulæ intermiſtũ eſt malum illud Aethiopicum: Perſeus videlicet monſtrum illud marinum interficit, & Andromedam deponit, & paulò pòſt eandem ducet, atque inde diſcedet abducta ſecum illa. Atq; hoc parergon quoddam, ſiue extra propoſitam rem additum fuit ad eũ quo ad Gorgonas abiit volatum. In exigua autem parte, multa imitatione expreſsit artifex ille, verecundiam puta virginis, & metum. Spectat enim & pugnam deſuper ex rupe, & adoleſcentis audaciam amatoriam, & belluæ viſum intolerabilem. Atq; ea quidem accedit horrida ſpinis, & formidabilis hiatu oris. Perſeus autem ſiniſtra quidẽ oſtendit Gorgonẽ, dextra verò enſe ferit. Et rurſum, quantum quidem belluæ illius Meduſam aſpexit, iam ſaxum eſt: reliquum autem, quod adhuc animatum eſt, falcato enſe cẽditur. Deinceps autem poſt hanc imaginem alia quædam pictura, iuſtiſsima illa quidem, depicta eſt, cuius primum exemplar videtur mihi pictor ab Euripide vel Sophocle

Lib. 1. Herodoti.

Sophocle accepiſſe: (nam illi ſimilẽ quandã imã ginẽ deſcripſere) adoleſcẽtes duo ſocii, Pylades videlicet Phocenſis, & Oreſtes, cùm iam videretur mortui eſſe, poſt regiã latentes, & clàm ad eũtes, occidũt ambo Aegiſthũ. Clytęmneſtra autem iam interfecta eſt, & in lecto quodam ſeminuda poſita iacet. Ac totum famulitium, facinore tanto obſtupefacti, alii quidem clamantibus ſimiles apparent, alii autem nonnulli quò fugam capiant, circunſpiciunt. Honeſtum autem quidam pictor excogitauit, qui quòd impiũ in hac re fuit, id oſtendit ſolùm, & quaſi iam peractum tranſcurrit: adoleſcentes autem in cæde adulteri immorari fecit. Poſt hæc autem deus eſt formoſus, & adoleſcentulus venuſtus, amatoriũ quoddam ludicrum: Branchus puta in rupe ſedens tenet leporem, & alludit cani. Hic autem aſsilienti ad ipſum in ſublime, ſimilis eſt: & Apollo adſtans arridet: delectatur videlicet vtroq;, & puero ludente, & cane ſaltum meditante. Vltra hæc Perſeus iterum ſequitur, illa quæ belluæ marinæ cędẽ anteceſſerunt, aggrediens, & Meduſę caput amputans, & Minerua protegens Perſeum, atq; hic quidem facinus iam peregit, factum autem ipſum nondum vidit in clypeo, Gorgonis imaginem videlicet: vidit enim pœnam veri aſpectus. In medio autem pariete ex aduerſo ianuæ, Mineruæ ædicula quędam eſt, & dea ipſa ex marmore candido: habitus autem haudquaquam militaris, ſed qualis fuerit pacẽ agentis deæ bellicę. Déinde poſt hanc alia Minerua, non marmorea illa quidem, ſed pictura rurſum, quam Vulcanus amans inſequitur, ipſa autem fugit, & ex ea perſecutione Erichthonius naſcitur. Hanc cõſequitur vetus quædam alia pictura: Orion portat Cedalionem, cæcus exiſtens: ille autem dum ita vehitur, indicat ipſi ferentem ad lucẽ viam, & Sol apparens medetur cæcitatem. Vulcanus autem à Lemno opus hoc intuetur. Poſt hæc Vlyſſes ſequitur, inſaniens videlicet, quando cum Atridis in expeditionem ire nolebat. Adſunt autem legati iam vocantes ipſum. Atq; ea quidem, quæ ad ſimulationẽ pertinebant, probabilia omnia, vehiculum videlicet, & iumentorum iunctorũ abſurditas & repugnantia, & eorum quæ agebantur, inſcitia: ſed redarguitur tamen obiecto infante. Nam Palamedes Nauplii filius, intelligens rem, correpto Telemacho, minatur ſe eum interfectu rum eſſe, ſtrictum tenens enſem: & vt ille inſaniã fingit, ita hic quoq; iram contrà ſimulat. Vlyſſes autem ad metũ hunc reſipiſcit, & pater fit, ſimulationémq; deponit. Poſtrema verò Medea depicta eſt, æmulatione atq; inuidia flagrans, pueros aſpiciens, & graue quiddam meditãs. Tenet quippe iam gladiũ, miſeri autem illi adſtant ridentes, nihil eorũ, quæ futura erant, ſcientes, & hoc, aſpiciẽtes in manibus matris gladium. Hæc igitur omnia, viri Iudices, an non videtis quomodo abducant quidem auditorem, & ad ſpectandum auertant, ſolum autem relinquant dicentem? Atq; equidẽ verbis ea perſecutus ſum, non vt aduerſarium, pro audaci ac temerario eo habito, quòd rebus ita difficilibus ſe ipſum volẽs immerſit, damnetis, atq; odio habeatis, ſolúmq; eum cum ſuis orationibus relinquatis, ſed vt magis in certamen ipſi adſitis, & quoad fieri poteſt, conniuentes, ea quæ dicuntur audiatis, æſtimantes apud vos rei difficultatẽ. Vix enim etiã hoc pacto haudquaquam videlicet Iudices vos, ſed auxiliatores habendo, poterit non omnino indignus magnificẽtia domus hac cẽſeri. Quòd autem pro aduerſario hæc oro, ne mireminí. Nam ex eo quòd domum hanc amem, & eum qui in ea dicit, quicunque tandem is fuerit, optarim equidem celebrari.

MACROBII,

Vincentio Obſopœo Interprete.

ARGVMENTVM.

Catalogus eſt μακροβίων, hoc eſt eorum qui ad longam ætatem peruenerunt, quem natalitij muneris loco Quintillo cuidam mittit, ſomnio ad hoc faciendum, vt ipſe ait, admonitus. Recenſet autem principiò totas hominum nationes ac genera quæ diutiſsimè vixerint: déinde tranſitione ad ſingulos facta, reges primùm, ac principes, déinde & Philoſophos, & Hiſtoricos, et Oratores, & Poetas, & Grãmaticos, qui quàm maximè lõgæui fuiſſe perhibentur, annumerat. Orditur autem à cauſa qua ad hoc ſcriptũ impulſus fuit, addita etiã cõmendatione operis ab vtilitate, quam ex huius lectione percepturus ſit Quintillus.

Omnium muneris loco, clariſsime Quintille, iuſſus apporto tibi longęuos: ſomniũ, inquam, quod iam olim vidi, & amicis narraui meis, quo die minori natu filio tuo nomen indidiſti. Cùm autẽ nulla coniectura potuiſſem aſſequi, quóſnam Deus hoc ſomnio longæuos tibi me afferre mãdaret, equidem deos id temporis precatus ſum, vt vitã quàm longiſsimam tu & filii tui traduceretis, ratus ſcilicet hoc profuturum cùm vniuerſo generi hominum, tum præ cæteris mihi, & meis omnibus. Siquidem hoc ipſo & mihi quiddam felicitatis Deus viſus eſt prædicere. Conſideranti autem apud animum meum venit in mẽtem, vt par erat homini in liberalibus diſciplinis verſanti, deos hæc mihi præcepiſſe, vt aliquod eruditum opuſculum, & ab ingenuis artibus profectum ad te deferrem. Hanc itaq; aptiſsimã natalitiis muneribus offerendis diem exiſtimãs, eos tibi dedico, quos ad longam ſenectutẽ ſana mente & integris corporis viribus peruenisſe comperimus. Fortaſſe autem ex huius libelli lectione gemina ad te peruenire poteſt vtilitas: vna, vt & alacritatem animo & optimam ſpem concipias, & te poſſe quàm diutiſsimè viuere: altera, qua inſtitutionem ab exemplis capias, cognitis iis, qui poſteaquàm maximam ſui curam habuerũt, corporis pariter & animi ratione habita, ſummã ſenectutem ſine omni corporis incõmodo ſunt conſequuti. Hómerus igitur Neſtorem principũ Achiuorum ſapientiſsimum vitam ſuam tribus ſeculis produxiſſe ſcribit, quem nobis & animo & corpore exercitatum commendat. Et Tireſiam vatem poetæ tragici ad ſex vſq; ætates hominum vitam prorogaſſe perhibent. Credibile Catalogus Macrobiorum.

eſt autem virum diis immortalibus ſacrũ, & moderatiore viuendi ratione vtentem, longiſsima vita fuiſſe functum. Quin omnes nationes propter victus rationem longæuæ fuiſſe inueniuntur: cuiuſmodi ſunt Aegyptiorum ſacri ſcribæ, & apud Aſſyrios & Arabas fabularum interpretes, & apud Indos Brachmanes, ad amuſsim philoſophiæ ſtudiis vacantes. Præterea quos Magos vocant, genus illud vatidicum, & diis dicatum. Inſuper apud Perſas, & Parthos, & Bactros, & Chorasmios, & Sacas, & Medos, aliáſq; multas gentes barbaras, qui & firma corporis valetudine ſunt præditi, & valde diuturni, cùm beneficio magicæ quam exercent, tum quòd & ipſi accurata victus ratione vtantur. Iam verò gentes quoq; ætate omniũ longiſsima vtentes, ex quibus ſunt Seres, ad trecentos annos vſq; viuere, memoriæ proditum eſt. Cuius rei cauſam nonnulli temperato aeri, nonnulli naturæ terræ, alii rationi viuendi aſsignant. Siquidem aiunt omnes illas nationes tantùm aquam potare. Compertũ eſt autem Athotas quoq; centum & triginta annos viuere, & Chaldæos vltra centum annos egredi fama eſt, & eoſdem hordeaceo pane vti, tanquam perſpicacitatis pharmaco. Quibus perhibent ob hanc ipſam victus rationem alios quoq; ſenſus quã cæteris hominibus eſſe validiores. Sed hæc de nationibus longæuis, & gentibus quas plurimum ætatis aiunt viuere, nonnulli propter ſitũ terræ, nonnulli propter aeris temperiem, nonnulli propter rationem victus, nonnulli autem propter vtrunq;. Cæterùm ego iure optimo longè meliorem ſpem tibi oſtendam, ſi planũ fecero homines vbiq; terrarũ & gẽtium, & ſub quouis aere degentes, ad ſummã ſenectutem peruenire, qui cõmodis exercitationibus, & cõuenienti ſanitati viuendi rationem ſectantur. Facta autem huius narrationis ſectione, primùm obſeruatis virorum ſtudiis, initiò Reges, & virtute Imperatoria claros homines memorabo, quorũ vnum ſummæ religionis pietas ad perfectiſsimũ ordinem perducens, maximis beneficiis imperium & terram ipſius affecit. Ad hunc modum & tu longæuorũ hominũ naturæ & fortunæ animaduerſione intentus, tantò promptiùs ſperare poteris ſenectutem ſanam & longam: & pari ſtudio hos ipſos æmulatus, tibi ipſe longiſsimã & prouectiſsimam vitam ratione victus paraueris. Numa Pompilius Romanorum regum longè felicisſimus, ac Deorum cultui deditiſsimus, ſupra octoginta annos vixiſſe traditur. Seruius autem Tullius, & ipſe Romanorum rex, ſimiliter vltra octoginta annos vixiſſe dicitur. Tarquinius nouiſsimus rex Romanorum eiectus in exiliũ Cumis conſenuit, ac vltra nonaginta annos firmiſsima valetudine vſus vixiſſe perhibetur. Et hi Romanorum reges fuere, quibus & reliquos reges adiungam, qui ad vltimam ſenectutem peruenerunt, demonſtratis etiam illorum exercitationibus. In calce autem reliquos etiam Romanorum ad longiſsimam ſenectutẽ delatos adſcribam, adiectis etiam cæteris Italiæ populis, qui diutiſsimè vixerunt. Etenim qui ſola hiſtoria noſtratem aerem calumniãtur, probabilibus argumentis refelli poſſunt, adeò vt meliorẽ ſpem habere liceat, fore vt perfecti voti cõpotes fiamus, & longiſsimã ac pleniſsimam tota terra marſq; dominantẽ ſenectutem, iámq; in ſuis locis regnantem & ſeneſcentem conſequamur. Próinde Arganthonius Tarteſiorum rex centũ & quinquaginta annos vixiſſe traditur, authoribus Herodoto hiſtorico, & Anacreonte poeta lyrico: tametũ hoc quibuſdam fabuloſum videatur. Agathocles Siciliæ tyrannus annos quinq; & nonaginta egreſſus fato functus eſt, ſicut Demochares & Timæus literis prodiderunt. Hieron quoq; Syracuſanorum tyrãnus duos & nonaginta annos natus, morbis tandem abſumptus obiit, cùm regnaſſet annos ſeptuaginta, ſicut Demetrius Calliſtianus & alii memorant. Anteas autem rex Scytharum, qui ad Iſtrum fluuiũ cum Philippo confligens in pugna occubuit, vltra nonaginta annos egreſſus eſt. Bardylis verò rex Illyriorũ, qui ex equo in eo quod geſsit contra Philippũ bello pugnaſſe dicitur, nonaginta annos cõpleuit. Teres rex Dryſorum, authore Theopompo, duos & nonaginta annos agens mortuus eſt. Antigonus autem Philippi filius luſcus rex Macedonum, in Phrygia cum Seleuco & Lyſimacho confligẽs, multis acceptis vulneribus collapſus, anno vno & octogeſimo vitam finiuit, ſicut narrat Hieronymus, qui cum eo militauit. Porrò Lyſimachus & ipſe rex Macedoniç, in pugna contra Seleucum ſuſcepta occubuit, octogeſimũ annum conſequutus, vt idem Hieronymus teſtatur. Antigonus verò filius Demetrii, Antigoni Luſci nepos, quatuor & quadraginta annos regnum Macedoniæ tenuit: vixit autem octoginta, ſicut Medius & alii ſcriptores teſtantur. Consimiliter & Antipater patre Iolao genitus, maxima fultus potentia, & qui multorum regum Macedoniæ tutelam egit, vltra octogeſimũ annum egreſſus exceſsit è vita. Ptolemæus autem Lago patre natus, inter reges propria fortuna feliciſsimus, imperauit Aegypto annos octoginta natus. Viuus autem tradidit imperium duobus annis antè, quàm moreretur, Ptolemæo filio, cui cognomentum fuit Philadelpho, qui & paternum regnum à fratribus ſortitus eſt. Philæteros, qui primus condendi cirea Pergamũ principatus author fuit, & eundem cùm eſſet Eunuchus obtinuit, mortuus eſt octoginta annos natus. Attalus autem cognominatus Philadelphus, & hic rex Pergamenorũ, ad quem etiã Scipio Romanorũ Imperator venit, duos & octoginta annos agens, vitam reliquit. Mithridates rex Ponti, Ktiſtes appellatus, Antigonum Luſcum fugiẽs, in Ponto mortuus eſt, cùm egiſſet annos quatuor & octoginta, ſicut Hieronymus & alii ſcriptores prodiderunt. Ariarathes rex Cappadocum Hieronymi teſtimonio duo & octoginta annos vixit: atq; haud dubiè ad grandiorem ætatẽ peruenire potuiſſet, niſi in pugna contra Perdiccã viuus captus, & in crucẽ ſublatus fuiſſet. Maior autem Cyrus rex Perſarum, ſicut Perſæ & Aſſyriorum hiſtoriæ loquuntur, quibus etiam ſuffragari videtur Oneſicritus, qui res geſtas Alexãdri Magni in hiſtoriam contulit, centeſimum annũ aſſe

quutus,

quutus, requirebat vnumquenq; amicorũ: quorũ cùm plurimos à filio ſuo Cambyſe interemptos comperiſſet, ac Cambyſes ipſius iuſſu hoc ipſum ſe feciſſe fateretur, partim ob filii crudelitatem probroſè affectus, partim ſe ipſe tanquã iuſtitiæ & legum violatorem accuſans, maxima triſtitia conturbatus vitam finiuit. Artaxerxes Mnemonis cognomentum ſortitus, contra quem Cyrus frater exercitum duxit, imperium Perſarũ obtinens, morbis conſumptus deceſsit, annos ſex & octoginta natus, ſed vt Dinon ſcribit, quatuor & nonaginta. Artaxerxes alter Perſarum rex, quem patrum ſuorum memoria Iſidorus Characenus hiſtoricus regnaſſe tradit, cum annos tres & nonaginta vixiſſet, inſidiis fratris Goſethræ clàm obtruncatus eſt. Sinarthoeles autem rex Parthyæorum annos nonaginta iam natus, à Sacauracis Scythis reductus ab exilio regnare incœpit, & regnauit annos ſeptem. At Tigranes rex Armeniorum, contra quem Lucullus pugnauit, quinto & octogeſimo anno morbo conſumptus periit. Hyſpaſines Characenorum & regionum mari rubro adiacentium rex quinto & octogeſimo anno morbo correptus deceſsit. Tereus tertius poſt Hyſpaſinen earum nationum rex, cum vixiſſet duos & nonaginta annos, morbo periit. Artabazus autem, qui ſeptimus poſt Tiræum Characenorum regnũ tenuit, ſex & octoginta annos reductus à Parthis ab exilio regnauit. Et Mnaſcires rex Parthyæorum ſex & nonaginta annos vixit. Maſiniſſa verò rex Mauritaniæ nonaginta annos vixit. Aſandrus autem à diuo Auguſto loco Etnarchi rex Boſpori declaratus, annum agens nonageſimum, & equeſtri & pedeſtri pugna nullo inferior viſpiam eſt conſpectus. Qui vt animaduertit Scribonio rem militarem commẽdatam, cibo abſtinens diem ſuũ obiit, cũ vixiſſet annos tres & nonaginta. Goæſus, vt Iſidorus author eſt, Characene regnum tenuit, quo tẽpore Mano quoque imperauit Arabibus, centum & quindecim annos natus, poſtremùm morbo periit. Tot igitur ante noſtram memoriam memorandæ ſenectutis reges fuiſſe maiores noſtri literis prodiderunt. His annumerantur Philoſophi, & omnes qui ingenio & eruditione præſtantes fuerunt, qui aliqua ſui cura habita, ad extremam ſenectutem peruenerunt.

Philoſophi.

Eos itaque quos multa lectione didicimus, perſcribemus, ac initio quidẽ Philoſophos, quorum Democritus Abderites centum & quatuor annos natus, cum alimento abſtineret, mortuus eſt. Xenophilus Muſicus, perhibente Ariſtoxeno Pythagoricæ philoſophiæ cãdidatus, vltra quinque & centum annos Athenis vitam traduxit. Solon autem, & Thales, & Pittacus, qui è ſeptẽ ſapiẽtum numero fuerunt, centum annos vnuſquiſque vixit. Zenon verò Stoicæ philoſophiæ author & princeps, octo & nonaginta. Hũc aiunt in concionem prodeuntem offenſo pede exclamaſſe, Quid me vocas? & domum reuerſum ineodia vitam finiſſe. Cleanthes Zenonis diſcipulus & ſucceſſor, nouem & nonaginta annos natus, tuberculum in labiis habuit. Cumque decreuiſſet inedia vitam abſumere, allatæ ſunt ei ab amicis literæ. Ac mox adhibito cibo, & perfectis amicorum poſtulatis, iterum cibo abſtinens, vita defunctus eſt. Xenophanes autem Dexino patre natus, Archelai phyſici auditor, vnum & nonaginta annos vixit. Xenocrates Platonis diſcipulus, quatuor & octoginta. Carneades nouæ Academiæ fundator, annos quinque & octoginta. Chryſippus vnum & octoginta. Diogenes autem Seleucus Tigrius, Stoicæ ſectæ philoſophus, duodenonaginta. Poſidonius Apamea Syriæ oriundus, lege autem philoſophus Rhodius, pariter & hiſtoricus, octoginta quatuor. Tritolaus Peripateticus vltra duos & octoginta. Plato philoſophorum ſanctiſsimus, vnum & octoginta. Athenodorus Sandonis Tarſenſis, qui fuit Cæſaris Auguſti præceptor, cuius precibus Tarſis ciuitas vectigalibus leuata eſt, duos & octoginta annos agens mortuus eſt in patria. Huic Tarſenſis populus quotannis ſolẽnes honores vt heroi perſoluit. Neſtor verò Stoicus, & hic à Tarſo ortum trahens, præceptor Cæſaris Tyberii, duos & nonaginta. Xenophon Grylli filius vixit vltra nonaginta annos. Et hi celebres fuere philoſophi. Ex ſcriptoribus autem hiſtoricis Cteſibius centum & vigintiquatuor annos egreſſus, inter deambulandum mortuus eſt, ſicut narrat Apollodorus in Chronicis. Hieronymus verò & in bellis verſatus, ac non paucis laboribus & vulneribus affectus, vixit ad annum quartum & centeſimum, ſicut refert Agatharchides libro nono hiſtoriæ Aſiaticæ. Ac hominem non mediocriter demiratur, quòd ad ſummum vſque vitæ diem valuerit in colloquiis, & in ſenſibus ad ſanitatẽ neceſſariis non defecerit. Hellanicus Lesbius octogintaquinque annos vixit. Similiter Pherecydes Syrus quinque & octoginta. Timæus Tauromenites ſex & nonaginta. Ariſtobulus Caſſandræus vltra nonaginta annos vixiſſe fertur, qui hiſtoriam ſuam quartum & octogeſimum annũ agens orſus eſt conſcribere, id quod ipſe in operis ſui principio teſtatur. Polybius autem Lycorta patre genitus, Megalopolitanus, cure rediens ab equo delapſus eſt, quo caſu morbo correptus deceſsit anno ſecundo & octogeſimo. Porrò Hypſicrates Amiſenus hiſtoricus, vir in multis diſciplinis verſatus, annos duos & nonaginta vixit. Cæterum è Rhetoribus Gorgias, quẽ quidam Sophiſtam vocant, annum agens octauum & centeſimum, inedia vitam finiuit. Hunc interrogatum cauſam tam longæ ſenectutis, & valetudinis in omnibus ſenſibus vigẽtis, reſpondiſſe aiunt, quòd aliorum conuiuia non ſit ſectatus. Iſocrates ſex & nonaginta annos natus ſermonem ſcripſit Panegyricum. Iam verò ingreſſus annum nonageſimumnonum, cum accepiſſet Athenienſes in pugna apud Chæroneam cõmiſſa à Philippo eſſe ſuperatos, quiritando Euripideũ verſiculũ recitauit, ad ſe ipſum referens,

Sidonis vrbis alta quondam mœnia
Cadmus relinquens.

Quibus cum adieciſſet, fore vt Græcia in ſeruitutem prolaberetur, è vita deceſsit. Apollodorus autem rhetor Pergamenus, Cæſaris Auguſti in diuos relati præceptor, quem vnà cum Athe-

nodoro Tarſenſi bonis diſciplinis imbuit, totidem quot Athenodorus annos, nempe duos & octoginta, vixit. Potamon rhetor nõ incelebris, annos nonaginta. Sophocles poeta Tragicus deuorato vuæ acino ſtrangulatus eſt, cùm egiſſet annos quinque & nonaginta. Hic à filio Iophonte ſub finem vitæ in ius vocatus, & deſipientiæ accuſatus, recitauit Iudicibus Oedipum Colonæum, planum faciens ea fabula, quòd ſanæ mentis compos eſſet. Qua audita, Iudices ingenium eius admirati ſunt, ac filium inſaniæ damnauerunt. Cratinus autem poeta Comicus, ſeptem ſupra nonaginta annos vixit, atq; ſub finem vitæ cùm docuiſſet fabulam Pitynen, eáq; victor euaſiſſet, haud ita multò pòſt eſt mortuus. Non diſſimiliter quoq; Philemon Comicus ſeptimũ & nonageſimum annum agens decumbebat in lectulo quieſcens: qui cùm vidiſſet aſinum ficus ſibi præparatas deuorantem, prolapſus in cachinnos, & acceſſito famulo, multo & vehementi cũ riſu præcepit aſino merum ad ſorbendum dari, atque ita riſu ſuffocatus obiit. Epicharmus autem & ipſe poeta Comicus, ſeptem & nonaginta annos vixiſſe dicitur. Porrò Anacreon poeta Lyricus vixit annos quinq; & octoginta. Et Steſichorus poeta Lyricus totidem. Simonides Cius ſupra nonaginta. Sed enim ex Grãmaticis Eratoſthenes Cyrenæus Aglai filius quem non Grammaticum ſolùm, ſed etiam poetam meritò quis vocarit, & philoſophum & geometrã, duos & octoginta annos vixit. Quin etiam Lycurgus Lacedæmoniorum legum conditor, quinque & octoginta annos vixiſſe dicitur. Tot impræſentiarum Reges & eruditos homines colligere potui. Quia verò pollicitus ſum & Romanorum quoſdam longæuos, & Italos, qui ad ſummam ſenectutem peruenerunt, perſcribere: eos tibi Diis volentibus præſtantiſsime Quintille in altero libro manifeſtabimus.

PATRIAE encomium,

Vincentio Obſopœo Interprete.

ARGVMENTVM.

Argumentum & genus orationis, ipſe titulus exponit. Eſt autem propoſitio & ſumma negotij, patriam omnium rerum eſſe digniſſimam & venerabiliſſimã, vt quam & homines & dij reliquis rebus omnibus anteponant. Argumenta pleraq; à ſignis & conſequẽtibus ſumuntur. Oſtendit enim quæcunq; homines faciunt, ea ad patriæ vel ornamentum vel defenſionem comparare, & quantumuis humili aut ſterili ſolo aliquis natus ſit, nihilò minùs patriam ſuam ſplendidiſſimis ciuitatibus ac regnis anteponere, quemadmodum parentum quoq; & liberorum inter ſe affectus eiuſmodi eſt, vt qualeſcunq; ipſi ſint, tamen ſeſe omnibus alys plus amẽt & colant. Proinde & legiſlatores cùm grauiſsimè punire homines vellent, patriæ priuationem atq; exilium, tanquam acerbiſſimam pœnam inſtituiſſe.

IAM olim vulgi ſermone detritũ eſt, nihil eſſe patria dulcius, proinde neque iucundius quicquã. Eſt verò hac aliquid venerabilius aut diuinius? Si quidem quæcunque diuina, quæcunque veneratione digna homines eſſe exiſtimant, horum cauſa atque magiſtra eſt patria, quæ nos genuit, aluit atq; inſtituit. Enim uero vrbium magnitudinem atque ſplendorem, ſumptuoſos præterea variorum inſtrumentorum apparatus admirantur multi, patriam verò pio amoris affectu proſequuntur omnes, neq; quiſquam quamlibet potens, ita deceptus eſt alienarum rerum amœno & voluptuoſo ſpectaculo, vt propter immodicã apud alios rerum cùm viſendarum tum admirandarum excellentiam, obliuiſcatur patriæ. Itaque quicunque felicis & ſplendidæ ciuitatis ſe ciuem eſſe iactat, ignorare mihi videtur quam gloriam aut honorem patriæ tribuere oporteat. Neque occultè fert talis, ſe dolore affectum iri, ſi mediocrem patriam ſortitus eſſet. Mihi verò iucundum eſt, ipſum nomen patriæ reuerenter atque religioſè colere. Etenim ei qui ciuitates inter ſe collaturus eſt, peropus eſſe video, ſingularum amplitudinem accuratè expendere, earundémque elegantiam obſeruare, neq; non commerciorum ac rerum venalium copiã conſiderare. Cæterùm vbi de vrbium electione agitur, nemo vtique poſthabita patria ſplendidiorem electurus eſt, verùm in optatis habebit patriam quoq; ſuam quàm maximè conformem eſſe vrbibus copioſis & felicibus: ipſam tamen, qualiſcunque tandẽ fuerit, delectu habito cæteris haud dubiè præpoſiturus eſt. Iſthuc verò ipſum liberi quoq; faciunt probi & legitimi, neque non patres, qui quidem fuerint non mali. Neque enim ſpectatæ honeſtatis & probitatis adoleſcens, alium patri ſuo honoribus præferet: neque pater neglecto filio alium paterno affectu iuuenem cõplexurus eſt. At qui his inferiores ſunt patres, tantum tamen filiis ex ſe genitis non grauatim tribuunt, vt ſint & vita honeſtiſsimi, & dignitate ampliſsimi, appareãtq; omnibus ſua opera quàm optimè educati atque exornati. Porrò qui tali erga filium ſuum non vtitur iudicio, ille patris oculos habere mihi videtur minimé. Proinde nomen patriæ primum eſt, & omnium familiariſsimum. Etenim nihil eſt quod patre nobis ſit familiarius. Si quis verò iuſtum habebit honorem patri, quemadmodum & lex & natura imperat: ille patriæ quoque conuenienter præcipuum honorem habiturus eſt. Siquidem ipſe etiam pater peculiaris eſt patriæ poſſeſſio, ac patris pater, tum omnes qui ex illis numeroſa retro ſerie generis domeſtici prognati ſunt. Et ad deos vſque paternos patrium nomen protenditur. Gaudẽt verò ipſi quoque Dii ſolo natalitio, ac vniuerſas res humanas, vt par eſt, intuentur, ſuam poſſeſſionem eſſe exiſtimantes totum terrarum orbẽ, atque omnem Oceanum. In qua tamen quiſque illorum terra natus eſt; hanc omnibus cæteris vrbibus quamuis floretioribus honore anteponere non dubitat. Quin etiam ciuitates quæ Deorum ſeruntur eſſe patriæ, cæteris ſunt venerabiliores, & inſulæ præcipuo loci genio diuiniores, apud quas deorum natiuitates & incunabula laudibus extol-

luntur,

luntur. Itaq; ſacra quoq; illa ſuperis gratiora eſſe exiſtimantur, quæ quiſq; ad domeſticos delatus locos offert atq; ſacrificat. Iam ſi patriæ nomen tanto in pretio apud Deos habetur, cur nõ iure optimo longè maiori in exiſtimatione foret apud homines? Siquidem quiſq; noſtrũ in patria primùm iucundũ illud ſolis lumen intuitus eſt non ſecus atque Deum, qui tametſi omnibus gentibus cõmunis eſt, vnicuiq; tamen patrius eſſe exiſtimatur, propterea quòd ſub vitæ initium ab illo loco primùm auream illam Solis lampadem conſpexerit. Accedit his quòd & vocẽ quiſque ſuam in patriam auſpicatus eſt, primùm ſuæ gentis vernacula lingua amabili balbutie ſonare perdiſcens, Deóſq; cognouit. Porrò ſi quis talẽ ſortitus eſt patriam, quæ ad res maiores perdiſcẽdas alterius egeat adminiculo, talium tamen diſciplinarũ gratiã acceptam feret patriæ. Neq; enim vrbis nomen cognouiſſet vnquam, niſi patriæ beneficio & opera vrbes eſſe cognouiſſet. In ea verò opinione ſum, vt putem ab hominibus tantùm in hoc ſibi parari omnium artiũ ac diſciplinarum cognitionẽ, ne patriæ indecores, ſed ſeipſos huic vtiliores informent. Inſuper opes etiam poſſidentur liberalitatis exercendæ gratia, vt communibus impenſis patriæ inopiam ſubleuemus. Conſentaneũ enim eſſe opinor, ne, eũ maximis beneficiis affecti ſimus, parũ grati eſſe reperiamur. Sed ſi eſt qui vni officioſè refert gratias, quemadmodũ æquũ eſt, poſteaquã beneficia non mediocria ab illo acceperit: multò magis conuenit quàm cumulatiſsimè paria referre patriæ. Etenim ſuper parentum ærumnoſa afflictione in ciuitatibus leges ſunt conditæ. Aequũ verò eſt communem omniũ matrem patriam eſſe exiſtimare, huiſque pro nutricandi officiis ipſarum legum decreto iubente, quàm ampliſsimas gratias reponere. Cæterùm vſqueadeò patriæ negligens & immemor conſpectus eſt nemo, vt in alia Rep. ætatem degens, omnem curã colendæ patriæ depoſuiſſet. At etiam qui peregre multis iactati difficultatibus calamitoſè agunt, crebrò teſtantur rerum optimarum omniũ præſtantiſsimam eſſe patriam: tum etiam egregiè felices, quanquam in cęteris omnibus per omnia bene & beatè vitam exigant, tamen in hoc egentiſsimos ſe eſſe opinantur, quòd patriæ fines non incolant, ſed extorres & peregre agant: quippe peregrinationis probrũ non mediocriter eos diſcruciat. Videmus quoq; eos qui per tempus quod peregre agendo inſumpſerunt, nonnihil ſplendoris & gloriæ ſibi adiunxerunt, aut paratis diuitiarũ poſſeſsionibus, aut dignitate & honoribus, aut celebri diſciplinarũ atq; ingenii teſtimonio, aut laude virtutis, omnes certatim ad patriã terram properare, quaſi nequaquã apud alios meliores ſua ipſorũ bona eſſent cũ aliqua laude oſtenſuri. Ac tantò quiſq; maiori ſtudio patriam comprehendere approperat, quãtò rebus maioribus dignus apud exteros habitus eſt. Próinde iuuenibus quoq; deſiderabilis & amabilis iuxtà eſt patria. Porrò autem homines iam ætate ac ſenio confecti, quanto maiori quàm iuuenes prudentia exculti ſunt, tantò vehemẽtiori patriæ dulcedine ac deſiderio trahuntur. Quare vnuſquiſq; è ſenum numero & feſtinat & in votis habet maximè in ſolo natalitio vitã cũ morte cõmutatam relinquere, vt quò loci vitã auſpicatus eſt, eodem iterũ & corpus terræ altrici humandũ reponat, ac patriæ ſepulturæ participem ſe fore cognoſcat. Etenim graue & acerbũ vnicuiq; eſſe videtur, peregre agentem ſe depræhendi, ac demum poſt mortem in aliena terra reconditum eineſcere. Cæterùm quanta erga patriam ſit verè germanis ac genuinis ciuibus charitas, non certius aut facilius quàm ex indigenis perdiſcitur. Siquidẽ peregrini & aduenæ, non ſecus atq; nothi aut ſpurii, paruo in diſcrimine ponũt exilia, quippe quibus patriæ nomẽ prorſus ignotum eſt, neque vllo animi beneuoli argumento proſequuntur, exiſtimantes nuſquam non rerum neceſſariarum copiam ſibi haud difficulter ſuppeditari, modum felicitatis in vẽtris ac gulæ fœdis & beluinis voluptatibus ſitum habentes. Veruntamen quibus mater eſt patria, terram illam ſingulari amore proſequuntur, in qua in lucẽ editi, in qua nutriti ſunt. Quanquam modicam habeant, quanquam aſperam & ſterilem, quanquã vnde terræ virtutẽ collaudent, non habuerint, attamen quo patria encomio potiſsimùm celebranda ſit, nequaquã animo perplexi hæſitabũt. Verùm tametſi non ignorauerint alios ſuam iactaſſe patriam ſuperbius ob agrorũ fœcunditatem, ac pratorum viridantium plantas omniugas: neq; ipſi tamen patrii ſoli laudis obliuiſcuntur, quàm equis alendis aptam ſuſpicientes, numeroſa quoq; ac robuſta pube fœcundam collaudant. Ad hæc maturat etiam reditum in patriam aliquis qui inſularis fuerit, tametſi apud alios bellè & feliciter viuere poſſit, oblatámque immortalitatẽ reſpuet, patriæ ſepulcrum perpetuitati præferens. Et vel patriæ fumus alieno igne ipſi luculentior eſſe videbitur. Vſqueadeò verò in vniuerſum res omnes quãlibet pretioſas excellit patria, vt legum quoq; cõditores paſſim quiſq; videat maximis puniendis ſceleribus exilium pœnam conſtituiſſe, tanquã grauiſsimũ & acerbiſsimũ ſupplicium. Neq; verò ſolùm legiſlatorum conſuetudo ſic ſe habet, eorum verò qui cum imperio exercitibus præſunt, aliter; neque enim maiore ac vehementiore exhortatione in pugnis militum perturbati accenduntur & inflammantur animi, quàm ſi pro tuenda patria ſe prælìari cognouerint: nec ferè vllus eſt qui his auditis ignauus eſſe ſuſtineat. Etenim ſtrenuum & audacem ex meticuloſo quoque facit nomen patriæ.

Alludit ad Palladis verba Odyſſeæ 1. de Vlyſſe. & item libro 9.

DE DIPSADIBVS,

Vincentio Obſopœo Interprete.

ARGVMENTVM.

Præfatio quædam eſt, cuiuſmodi & ſuperiores nonnullæ ſunt, qua ſtudium ſuum erga auditores, ſiue quicunque illi tandem fuere quibuſcum verſatus tum fuit, collationeiſta cum Dipſadibus facta, declarat. Vt enim eos qui ab hoc genere ſerpẽtis peremti ſunt, inexplebilis quadam

ſitin inuadit, ita vt quò ſunt plus potæ, plus ſitiantur aquæ, vt ille ait: ita ſe quoq; deſiderio quodam inſatiabili teneri ait, & quò frequentius apud illos ſit, eò magis ac magis eſſe cupere. Porrò quod ad Dipſadis morſum, & ſitim iſtam lethalem attinet, habes conſimilem fermè deſcriptionem, atq; exemplum Aſculi cuiuſdam ſigniferi in exercitu Catonis, qui eodem modo periit, vt ille de quo epigramma præſentis narrationis teſtatur, apud Lucanũ libro nono, vbi & cæterorum ſerpentium genera, de quibus hìc mentio fit, enumerantur, addita etiam fabula cur Libya ſerpentibus ita abundet atque infeſta ſit.

EA pars Libyæ quæ ad Auſtrũ tendit, arena eſt profunda, & terra exuſta Solis ardoribus, deſerta vt plurimum, frugibus in totum infœcũda, campeſtris vniuerſa, non gramen, non fœnum, nõ plantam vllam nec aquam habens, niſi ſicubi in terræ concauitatibus conſtiterint imbris & pluuiarum reliquiæ, quæ tamen & ipſæ denſæ ſunt, & mali odoris, & homini ſitibundo minimè potabiles. Has igitur ob cauſas inhabitabilis eſt. Aut quo pacto tandem inhabitari poſsit locus ita durus & implacidus, tum etiam aridus, ac frugibus arboribúſq; iuxtà infœcundus, quíq; tam moleſtis feruoribus ſit ſubiectus, cùm ipſe quoq; calor & aer nimium ardens ſit & igneus? Prætereà ipſa arena magnoperè feruens regionem prorſus facit inuiam & inacceſsibilẽ. Soli verò Garamantes iis locis finitimi, gens leuis atq; frugalis, vitam degentes in tentoriis, venationibus vt plurimùm viuentes, nonnunquam irrumpũt venantes iuxta ſolſtitium hybernũ, ſidere maximè pluuioſo obſeruato, quando videlicet maior ardoris pars deferbuit & extincta eſt, & arena aſsiduis imbribus madefacta, & aliquo modo peruia reddita eſt. Venantur autem onagros, & magnos ſtruthiones humi volantes, cum primis verò ſimias, aliquando etiam elephantos. Hæc enim animantia ſola aduerſus ſitim perdurant, tũ magnoperè ſufferre poſſunt immodici & feruentis Solis moleſtias. Sedenim Garamãtes poſteaquã commeatũ quem ſecum ingredientes importauerant, omnem conſumpſerunt, iterum ad ſuos diſcedunt poſtliminio, metuentes ne arena iterũ incenſa illis intercludat aut difficiliorem reddat reditum, déinde, quemadmodum in reti eõprehenſis & ſibi ipſis pereundum ſit vnà cum præda. Siquidem omnis euadendi facultas ſublata eſt, ſi quando ſol ſubtracto humore ex regione celerrimè exiccata, feruere incœperit ardentioribus radiis emiſsis, veluti ad humiditatem acuminatis: illa enim igni nutrimentum ſuppeditare ſolet. Et ſanè hæc omnia quæ mihi hactenus dicta ſunt, feruor, ſitis, ſolitudo, ſterilis ſoli infœcunditas, minus vobis videbuntur grauia præ hoc quod dicturus ſum: & ob hoc ipſum omnibus modis regio iſta fugienda eſt. Omnis enim generis is locus ſerpentes alit, permagnos & varios, multitudine innumeros, forma terribiles, veneno præſentiſsimo inexpugnabiles, & partim in cauernis ſubterraneis exeubantes, ac in arenę ſeceſsibus degentes: partim verò ſupernè repẽtes, nempe Phyſallos, aſpides, viperas, ceraſtas, bupreſtes, iacula, amphisbænas, dracon es, & dupex genus ſcorpionum, vnum terreſtre & pedibus ingrediens permagnum, multis corporum verte bris inſigne: alterum aerium & volatile, alis tenuibus, cuiuſmodi ferè ſunt locuſtæ & veſpertiliones. Iſtiuſmodi auibus multis circunuolantibus inaceceſsibilis & infeſta redditur illa Libya. Cæterùm ſerpentum omnium nocentiſsimum, quos arena nutrit, Dipſas eſt, ſerpens non admodum magnus, viperæ ſimilis, violento ictu, veneno craſſo, dolores illico inducens intolerabiles. Ardores enim immittit inextinguibiles, & putredines, & totum corpus adurit incẽdio. Et qui ab illa icti fuerint, clamant non ſecus atque illi qui in ignem coniecti ſunt. Quod autem illos omnium vehementiſsimè affligit & torquet, illud eſt, nempe cruciatus ſerpenti reſpondens cognomine: eius enim morſum mox ſequitur bibendi ſitis inexplebilis, & vltra modum ſitiunt. Et, quod maximè admirandum eſt, quantò plus biberint, tantò magis potum expetunt: ac ſubin de magis ac magis potando creſcit bibendi deſiderium. Neq; illorum ſitim extinxeris, tametſi totum Nilum aut Danubium epotandum præſtiteris, verùm irrigandi ſedulitate morbum incendis: quemadmodum ſi quis oleo ignem conetur extinguere. Eam verò incurabilis morbi cauſam afferre ſolent medici, Venenum Dipſadis, cùm craſſum eſſe conſueuit, poſteaquàm potu rigatũ fuerit, continuò mouetur atq; incenditur, atque etiam humidius, vt par eſt, redditur, & per omnia membra diffunditur. Ego verò neminem vnquã tali affectum morbo aut laborantem vidi: & faxint ſuperi, ne vnquam mihi contingat videre hominem his conflictantem cruciatibus. Sed ne omnino quidem vnquam ingreſſus ſum Libyã, & rectè mihi feciſſe videor. Porrò autem epigramma quoddam audiui, quod mihi vnus è famiIiaribus pro certo confirmabat ſe ipſum legiſſe ſupra ſtatuam viri ad hunc modum fato functi: qui, vt aiebat, in Aegyptum iter faciens, magnam Syrtin præteribat: neq; enim alia eò peruenìendi via patet. Ibi in litore obiter ad ſepulcrum eſſe delatum, ac propter fluxum ipſum adſtantem vidiſſe ſtatuam exitii rationem indicantem: quippe ſupra illam ſculptum eſſe hominem quendam, qualem ferè pingere ſolent Tantalum, in media palude conſiſtentem, ac vndas haurientem, non aliter ac ſi biberet: beſtiolam autẽ, nempe Dipſada, illi inhærentem, ac pedi eius implicatam. Tum mulieres quaſpiam aquam ferẽtes, eadémque opera non paucas illi eandem potandam affundẽtes. Inſuper oua quoq; adiecta conſpiciuntur, qualia ferè ſtruthionum illorum eſſe perhibentur, quos Garamãtas ſuprà venari memorani. Eſt autem epigramma adſcriptum, quod & hic referre non alienum eſſe opinor:

Talia paſſus erat quoq; Tantalus Aethope cretus,
Qui nullo potuit fonte leuare ſitim.
Talesnec è Danao natas implere puellas
Aſsiduis vndis vas potuiſſe reor.

Erant adiecta adhuc & alia quatuor carmina do-

Dipſas, & eius natura.

Serpentiũ genera, & ab iis pericula.

* ἀβόν Græcè, quod nigrum venenum ſignificat.

ouis, quemadmodum ea tollens à dipsade percussus sit: sed illa memoriter non teneo. Itaq; oua colligunt, eáq; studiosè gentes vicinæ indagant, non edendi tantùm gratia, sed illis euacuatis pro vasis & instrumentis vtuntur: plurimùm verò ex illis pocula præparant. Neq; enim figulinam exercere possunt, propter terram arenosam. Cæterùm magnis & capacibus inuentis, etiam pileos ex illis conficiunt, semper ex ouis singulis geminos: cuiusq; enim pars dimidia aptum, & sufficientem pileum præstat tegendo capiti. Ibi ergo iuxta oua dipsades insidiosè excubant, tum accedentem quempiam mox ex arena prorepentes morsu infelicem feriunt. Ille verò ictus, illico incurabili morbo affectus, talia patitur, quæ paulò antè à me relata sunt, sùbinde bibens, ac vehementiùs sitiens, cùm tamen nunquam sedata siti repleri possit. Hæc, per Iouem, non in hoc à me dicta sunt, vt ambitiosè cum Nicandro contenderem, neq; vt vobis planũ facerem, quàm non neglectui dederim Libycorum serpentum nosse naturas. Medicorũ enim magis ista laus est, quibus hęc necessariò comperta esse debẽt, vt in tali casu egẽtibus opem ferre pro artis suæ professione queant. At ego mihi videor (& per Phidiam ne iniquo feratis animo comparationem ferinam existentem) non dissimile quiddam erga vos pati, cuiusmodi illi patiuntur grauissimè, qui morsu dipsadis pereussi sunt. Quò enim crebriùs ad vos itare soleo, hoc magis atq; frequentiùs ad vos eundi me vexat cupiditas, & planè siti aduror intolerabili, videórq; mihi tali nunquã expleri posse desiderio: & quidem iure optimo. Vbi enim adeò claram & conspicuam aquã possim consequi? Quare ignoscite, si & ego ictus animo, hoc morsu iucundissimo & saluberrimo prolixè & abundanter me impleo, capite scaturienti sùbiecto fonticulo, dummodo me non deficiant vndæ à vobis influẽtes, néve effuso audiendi studio hiantem & sitientẽ deseratis. Nam quod ad meam ergavos sitim attinet, nihil prohibebit sùbinde bibere. Etenim iuxta sapientis Platonis sententiam, rerum venustarum nulla est satietas.

DISSERTATIO cum Hesiodo,

Vincentio Obsopœo Interprete.

Argvmentvm.

Cauillatio quædam poetarum est, qua Hesiodum vanitatis atq; mendacij coarguit, quòd cùm iactauerit se à Musis accepisse munus hoc, vt carmine celebraret & præterita, & quæ futura essent, nihil de futuris, quod quidem extet, vaticinatus fuerit, siue hoc inuidia quadam fecerit, cõmunicare nolens alys, quæ ipse accepisset: siue vanitate aliqua, qua cùm nihil tale à Musis didicisset, ad vulgus tamen huiusce modi de se iactarit. Ad hanc accusationem fingitur posteà Hesiodus respondere, ac primum translatione tueri se, quæ communiter poetæ omnes vti solent, causam eius rei in Musas reijciẽdo, si quid nouum, aut incredibile, aut cuius euentus consecutus non sit, carminibus suis forte insertum habeant. Nam id instinctu illo atq; poetico furore fieri, & multa sæpè, metrorũ quoq; gratia, dum in cursu opus est, eodem spiritu illo assumi, quorum ratio interdum reddi satis nõ possit. Deinde autẽ & absolutè se defendere, recitando ex carminibus suis quædam, vbi futurorum rationem & prædictionem nonnihil attigerit, quæ tamen iterum refutans Lucianus, posteriora quidem ostendit non satisfacere definitioni & officio vaticinandi, cùm quius agricola eiusmodi quoq; possit, qualia ille prædixit: priora autem, quæ de poetico furore, & de Musarum instinctu respondit, aliquo modo recipit. Porrò fabula vnde occasio cauillationis huius nata est, in principio Theogoniæ habetur. Ibi enim de se ipso ait Hesiodus, pascenti sibi sub Helicone aues, astitisse Musas, & dato sceptro ex lauro, inspirasse canendi vim, ἵνα, inquit, κλείοιμι τάτ' ἐσόμενα, πρό τ' ἐόντα, hoc est, vt carmine celebraret futura pariter, & antè acta.

AT poetam præstantissimum esse te, Hesiode, & hoc ipsum à Musis vnà cum lauro te accepisse, cùm ipse palàm in iis quæ à te edita sunt indicas (sunt enim diuina, & admirationis plena omnia) tum nos rem ita se habere constanter credimus. Illud tamen non iniuriâ nos incertet pendentes animi, quánam re de te ipso prædicta, quasi propter hoc diuinum illum cantum à deabus acceperis, vt celebrares ac laudibus illustrares præterita, & futura prædiceres. Quippe alterum excellenter admodum extulisti, Deorũ genealogiam percẽsendo, ad vsq; primos illos, nempe chaos, & terrã, & cælum, & amorem. Præterea autem heroidum, matronarúmq; virtutes, tum rei rusticæ institutа, ad hæc quæcunque ad ortum & occasum Vergiliarum, & arationis ac messis & nauigandi tempora attinent, breuiter omnia alia pulcherrimè executus es. Alterius autem, quod & multo interuallo hominum vitæ erat accommodatius & vtilius, Deorúmq; munificentiæ conueniẽtius, dico autem futurorum prædictionem, ne principium quidem attigisti, verùm eam partem prorsus obliuioni traditã silẽtio inuoluisti, nullo modo tua poesi aut Calchanta, aut Telephum, aut Polyidum, aut Phinea imitatus: qui etsi vaticinandi peritiam à Musis non sunt consecuti, multa tamen prædixerunt, nec eosdem piguit respondere egentibus. Itaq; harum trium causarũ vna te fuisse præpeditum & implicitum valde verisimile est. Aut enim mentitus es, quanquàm dictu acerbũ hoc sit, Musas tibi fuisse pollicitas, fore vt futura queas prædicere. Aut illæ, quemadmodum pollicebantur, futurorũ scientiam tibi præstiterunt, tu verò inuidiæ morbo adductus, acceptum munus à virginibus celas, & in sinu seruas conditum, neq; illius egentes participes reddere voluisti. Aut ea de re multa tibi conscripta sunt, sed quæ nondum in lucem edidisti, haud scio in quódnam tempus aliud horum vsum promendũ reseruans. Illud autem nullo modo ausim dicere, quòd cùm Musæ duas res se tibi præstituras promiserint, alterum reddiderint, dimidium autem promissionis negando retractarint. Dico autem rerum futurarum cognitionem, maximè verò ista priores in promittendo partes obtinente. I-

Itaque hæc ipſa alicui ab alio potius quàm à te perdiſcenda ſunt Heſiode. Valde enim conſentaneum eſt, quẽadmodum Dei bonorũ largitores ſunt, ſic & nobis amicis atque diſcipulis ueſtris quã veriſimè iis de rebus certitudinẽ exponere quæ uobis notæ ſunt, ac omni nos animi hæſitatione liberare. HESIODVS. Poteram equidem, ô bone, facile ac promptũ reſponſum reſpõdere ſuper omnibus quæ me interrogaſti, nimirũ nihil eorum quæ mihi carminibus decãtata ſunt, meũ eſſe, ſed Muſarũ. Et æquũ fuerat, ut ab illis dictorũ neq; nõ omiſſorum rationẽ poſtulaſſes. Ego uerò ſuper iis quæ mihi priuatim explorata ſunt & comperta, dico autem pecora paſcendi & regendi, & à ſtabulis agendi, & mulgendi rationem, tum etiam ſiqua ſunt alia paſtorũ opera & officia, me rectiſimè tueri poſſim: cęterùm ipſe deæ ſua munera quibuſcunq; uoluerint, & quantum ea rectè tribui poſſe exiſtimauerint, præſtare conſueuerunt. Neque enim opinor oportere à poëtis ad uiuum vſque leuia quæque perſcrutantes poſtulare ut ſyllabatim omnia exactiſimè & dicta & ſcripta ſint. Et ſi in curſu poeſeos aliquid per imprudentiam influens, poetæ memoriam fefellerit, illud perpendere acerbũ eſt. Sed non ignorandũ eſt, nos poetas metrorum & concinnitatis gratia nonnihil ſuperuacuum interſerere. Quædam uerò ipſius carminis tenor ſæpenumero plana & polita exiſtentia, haud ſcio quo modo recipiat. Atenim tu maximo quo prædiri ſumus bono nos violẽter diſpolias, nempe libertate, ac ea qua in fingendo utimur facultate. Alios equidẽ ornatus poeſeos, quibus paſſim culta & compta eſt, non perſpicis: palos autem & ſpinas quaſpiam excerpis, ac anſas intentandæ ſycophantiæ ſtudioſe rimaris. Atqui hoc tibi nõ ſoli ſtudio eſt, neque me ſolũ inſectaris, ſed & alii non pauci eadem in Homero collega meo flagellant & calumniantur, impenſẽ tenuia & extremè modica quæpiam calumniãtes. Porrò autem ſi cauſa cedentem me oporteat rectiſſimã in medium afferre defenſionẽ, age ô amice, perlege Operum & Dierum opus à me conſcriptum. Planè enim comperies quanta in eo ipſo poemate è uatidico & prophetico ſpiritu prædicta ſint, ſucceſſus manifeſtante laborũ rectè atq; tempeſtiuè factorum, ac omiſſorum diſpendia. Et illud:

Demeſſas in corbe feres intra horrea fruges,
Et te ſpectabunt mirantes tritica pauci.

Ac rurſus quanta bona conſequãtur rus & agros rectè & in tempore colentes. Et hoc ſanè utiliſſimum in uita uaticinium eſſe exiſtimatur. LVC. Enimuero hoc, ô admirande Heſiode, nimiũ paſtoraliter à te dictum eſt, & uerè Muſarum inſpirationẽ mihi referre uideris, quandò ipſe ver ſeculos tuos aliter tueri nequeas. Nos autẽ eiuſmodi vaticinationẽ neq; à te, neq; à Muſis expectabamus, quoniam talia longè certius noſtri noſtri uerunt agricolæ, ac nobis de illis quamoptimè uaticinarentur, fore ut ſi Iupiter largis imbribus terram irrigarit, manipuli uberes prouenlant: ſi Solis ardores ſata exuſſerint, & arua ſitierint nihil obſtare quo minus & fames illorum ſitibundam ſiccitatem ſubſequutura ſit. Tum quòd æſtate media terra aratro ſubigenda non ſit, propterea quòd nulla utilitas arandi laborem exceptura ſit, effuſis temerè ſeminibus. Neque ſpicas adhuc uirides eſſe demetendas, quippe fructum inanem inuenturos eſſe ruſticos. Sed neque illud valde eget uaticinio, quòd niſi ſemina inuolueris, & miniſter raſtrum habens, terra obducat illa, auiculas aduolaturas, ac omnem futuræ meſsis ſpem intercepturas. Etenim talia ſiquis agricolarum adhortationes & documenta dixerit, haud quaquam à verò aberrabit, cæterùm à uaticinio mihi longè latéque eſſe uidentur, cuius opus eſt, obſcura ac nullo modo vſpiam apparentia pręcognoſcere, exẽpli gratia, quòd Minoi prædictum eſt, in uaſe mellis pleno eius filium ſuffocatum iri. Tum Achiuorum quoque proceribus, Apollinis iracundiæ cauſam præſignificaſſe, & anno decimo fore ut Ilium captum à Danais exciderctur. Hæc equidem uaticinii officia ſunt peculiaria. At ſi quis & ea quæ tu iactas, illi adſcribere voluerit, & ille me quoq; uatem rectiſimè dicere poterit: prædicam enim & uaticinabor uel ſine aqua Caſtalia, & lauro, & tripode Delphico, quòd ſiquis hyberno gelu ſæuiẽte, & ad hæc Ioue pluente & grandinante nudus obambulauerit, hunc algor non modicus inuaſurus eſt: & quod adhuc priorem uaticinii certitudinẽ longè exuperat, calores quoq; hyberna frigora ſubſecuturos: aliáque id genus permulta, quorũ meminiſſe valde ridiculũ eſt. Quare eiuſmodi & apologias & vaticinia miſſa facito: illud autẽ quod initiò dixiſti fortaſſe indignum non eſt ſuſcipere: nempe quòd nihil eorum quæ abs te dicta ſunt, noueris, ſed afflatus quiſpiam diuinus ſuggeſsit tibi uerſiculos, neque ille admodum firmus exiſtens. Siquidem quædam promiſſorum non plenè perfecta reddidit, quædam uerò inabſoluta prorſus reliquit.

Quatenus poetarũ dicta accipiẽda.

NAVIGIVM, SEV VOTA,

Iacobo Micyllo interprete.

ARGVMENTVM.

Irridet hoc dialogo Lucianus cupiditates & ſtulta hominum uota, ut qui in iis rebus plerunque felicitatem ponant, eáque ſibi expetant, quæ ſi ipſis contingant, plurimum & moleſtiæ & periculorum quoque interim habituri ſint. Ita enim fingitur hic Adimantus primo diuitias, poſt hunc Samippus potentiam & imperium, poſtremus autem Timolaus uoluptates, & quicquid mundo planſibile uidetur, optare. Quorum omnium uota Lucianus ita confutat, ut oſtendat quidnis potius quàm felicitatem in his rebus poſitam eſſe. Argumenti autem huius occaſio à noua & inuſitata nauis magnitudine naſci fingitur, quæ cum fortè tum ex Aegypto frumẽtum in Italiam portaret, tempeſtatibus acta, Athenas in Piræum appulſa fuerat. Hanc cum Adimantus (ut fingitur) conſpicatus eſſet, & de numero frumenti quem portaret, deque annuo quæſtu quem domino faceret, audiſſet, inita ſecum ratione, ut ſi tantos quotannis reditus ipſe caperet, felicißimum ac beatiſſimum ſeſe putaret, interim dum à Luciano ob ſtultitiam deridetur, cæteris quoque perſonis, optandi cuique quod uellet, occaſionem

ac faculr

ac facultatem præbet. Estq́; hæc ueluti narratio quædam totius Dialogi. Ad quam antequam uenitur, persona quoque Adimanti, & nauis magnitudo, & tempestuosum circa Chelidonias mare, dialogi gratia describũtur. Exordium à Timolai studio trahitur, qui ad famam nauis à Corintho Athenas spectandæ eius gratia uenisse fingitur. Eiusdem autem argumenti satyra quoque est apud Iuuenalem decima, in qua & ille suo more cupiditates & inania uota hominum insectatur.

LICYNVS, TIMOLAVS, SAMIPPVS, ET ADIMANTVS.

LYC. ANnon dixi quòd citius latuerit vultures cadauer pridianum ac marcidum in propatulo positum, quàm spectaculum aliquod nouũ & inopinatum, Timolaum, etiã si Corinthum illum oporteat sine respiratione curriculo abire? Quamobrem autem ita spectandi cupidus es tu, & ad huiusmodi res adeò impiger? TIMOL. Quid enim aliud conueniebat facere quoque, Lycine, cum ocium alioqui agerem, audito nauem adeò ingentem, & mensuram omnem excedentem, in Piræum appulsam esse, vnã videlicet earum quibus ex Aegypto in Italiam frumentum importari solet? Arbitror autem & vos, te uidelicet & Samippum hunc, non ob aliam causam ex vrbe huc progressos esse, quàm vt nauigium hoc uideretis. LYC. Per Iouem, & Adimãtus quoq; Myrrhinusius vnà nobiscum. Sed nescio vbinam ille nunc sit, inter multitudinem spectatorum alicubi errans. Nam usque ad nauem quidem vnà venimus, & ascendentes in ipsam, tu quidem opinor Samippe, præibas, sequebatur autem Adimantus: deinde ego post illum, vtrisque ipsum manibus apprehendens. Ac me per totas scalas subuehebat ille, manu ducens, subligatum crepidis, cũ ipse absque calceis incederet. Sed postea non amplius ipsum vidi, neque intus, in naui, neque postquam inde iterum descendimus. SAMIP. Nosti, Lycine, vbi nos reliquit ille? Quando, opinor, formosus ille adolescentulus ex interiore parte nauis progrediebatur, niueo ac puro amiculo indutus, religata post tergũ coma, ad vtranque frontis partem reducta. Proinde si ego Adimantum rectè noui, arbitror venustum ac dulce adeò spectaculum conspicatum, longum valere iusso Aegyptio fabricatore, per nauigium circumeirea præeũte, adstitisse lacrymantem, quemadmodum consueuit. Admodum enim proeliuis ad lacrymas homo est, quod ad amores attinet. LYC. Atqui non adeò formosus, Samippe, adolescens ille mihi visus est, vt etiam Adimantum velut attonitum in se eõuerteret, quem tot subinde Athenis formosi sectantur, ingenui omnes, loquendo garruli, & palæstram spirantes, quibus etiam illacrymari non ignauum est. Hic autem præterquam quòd colore fusco est, etiam labia habet prominentia, & gracilia nimis crura, loquitúrque dissolutum & incompositum quiddam continuatis & agglomeratis inter se verbis, Græcè quidem, sed ad patrium morem cõcitato strepitu, & inflexo vocis accentu. Coma autem & ille post tergũ conuolutus capillus, haudquaquam liberum esse ipsum arguit. TIMOL. Hoc quidem nobilitatis signum, Lycine, est Aegyptiacæ, coma uidelicet. Cuncti enim illorum pueri ingenui capillum à tergo collectum gerunt, usque dum ex ephebis excedunt: quemadmodum & Pallenæ* maiores nostri, quibus pulchrum videbatur comam nutrire senes quoq;, redimitos crobylli textura, subaurea cicada religata. SAM. Euge Timolae, quòd nos commonefacis Thucydidis commentariorũ, quæq; in proœmio de veteri nostra luxuria dixit ille in Ionibus, quando illi tum unà cum cæteris in coloniam missi fuere. TIMOL. At nunc demum in mentẽ mihi venit Samippe, vbi à nobis relictus fuerit Adimantus, quando videlicet iuxta malũ aliquandiu stetimus sursum spectantes, numerantes coria alia aliis superimposita, & mirantes ascendentem per funes nautam, deinde per antennã supernè tutò adeò currentem, apprehensis antennarum clauis seu cornibus. SAMIP. Rectè dicis. quid igitur oportet facere nos hîc? vtrum expectare ipsum? an vis vt ego ad nauigium iterum abeam? TIM. Nequaquam, sed pergamus. Nã verisimile est præteriisse illum iam, recipientem in urbem sese, postquam nos amplius inuenire non potuit. Quòd si minus, at uiam saltem nouit Adimãtus: neque metuendum est ne à tergo relictus, à nobis sedu catur. LYC. At videte ne agrestè nimis fuerit, relicto post nos amico, ipsos hinc abire. Sed eamus tamen, si idem hoc Samippo quoq; videtur. SAM. Atq; admodum videtur, si fortè apertã adhuc palæstram deprehendere possimus. Sed interea dum sermones cedimus, quanta nauis hæc? centum & viginti cubitos in longitudinem porrecta, latitudine autem supra quartã maximè partem mensuræ huius patens. Tum à summis foris ad fundum vsque, quà profundissima est, eo loci videlicet, quò sentina defluit, nouem & viginti cubitos alta. Præterea autem quantus malus, quantámq; sustinet antennam! quanto autem rudente vtitur, atque adstringitur! Vt autẽ ipsa quidem puppis paulatim assurgit inflexa, atq; aureum anserculum supernè habens impositum: è regione autem æqua proportione prora prominet, in anteriorem partem longè porrecta, cognominem naui deam, Isidem videlicet, vtrinq; additã habens. Nam cætera quidem ornamenta, vti picturæ, & veli flammeus ille atque parasius color, & ante hæc anchoræ quoque, & vertendi circumagendíq; instrumenta, & habitationes illæ post puppim, omnia admiratione digna visa mihi sunt. Iam & nautarum multitudo, cum exercitu cõparari posset. Dicebatur autem tantum frumenti numerum portare, quãtus in annuum victũ sufficere omnibus in Attica facilè posset. Atque hæc omnia paruus quidam homuncio, senex iam, conseruabat, tenui adeò pertica tanta gubernacula conuertens. Commonstratus enim mihi fuit caluaster quidam crispus, Heron, opinor, nomine. TIM. Mirabilis, quod ad artem attinet, ille, quemadmodum di-

* Pallenẽ hîc pagum Atticũ accipio. Locus est in primo Thucyd. vbi de coloniis Ionũ tradit τῶν κεφαλληνίων ἐπηλυσίαν.

Ornamentum in anseris modũ effigiatum, vide Lazarum de nauium partibus.

Fortasse quali Parasius vsus fuit.

cebant ii qui cum eo nauigant,& rerũ marinarũ ſupra Protea illum doctus. Audiſtis autem quomodo huc appulerit nauem?qualia acciderint nauigantibus? aut quemadmodũ ſtella ipſos ſeruarit?LYC. Haudquaquam Timolae. Quin hoc ipſum abs te libenter nunc audierimus.TIM. Ipſe nauclerus narrauit mihi,homo probus,& ad conuerſandum ingenuus.Aiebat autem,cùm à Pharo ſoluiſſent,flatu non admodũ vehementi ſeptimo die eò fuiſſe prouectos, vt iam Acamantem viderent. Exinde Zephyro ex aduerſo ſpirante tranſuerſos abreptos fuiſſe ad Sidonem vſque. Inde autem tempeſtate magna iactatos,decimo tandem die per anguſtias illas ad Chelidonias peruenìſſe, vbi parum abfuit quin omnes ſubmergerẽtur. Noui autem,aliquando ipſe etiã naui prẽteruectus Chelidonias,quanti ſe eò loci attollãt fluctus,& maximè flante Africo,ſi quando aſſumpſerit & Auſtri partem aliquã ſecum. Nam ab eo loco contingit diuidi Pamphylium mare à Lycio,& fluctus ipſi, vtpote multis ac variis vndis circa promontorium illud velut interſecti(præruptæ autem rupes ſunt,& acutæ,& incurſionibus aquarum exaſperatæ) & procellas excitant terribiliores,& fragorẽ edunt immenſum. Ac fluctus ſæpenumero tanti extolluntur,vt ipſius ſcopuli altitudinem exæquent. Talia igitur ſe quoq; tum deprehendiſſe, atq; expertos eſſe nauclerus aiebat:inſuper etiã nocte exiſtente tum,& tenebris profundis. Cæterùm cùm adploratum ipſorũ dii tandem flexi atq; inclinati fuiſſent,ignẽ apparuiſſe ipſis ex Lycia, ita vt locum illum manifeſtè cognoſcere poſſent,& ſtellã quandam ſplendidam,Dioſcurorũ videlicet alterum,in ſumma parte mali cõſediſſe, nauémq; ad ſiniſtram in altum iterum direxiſſe, cùm iam præceps in rupẽ deferretur. Atq; ex eo,cùm iam ſemel à recta via excidiſſent,per Aegæum nauigantes,ſeptuageſimo die quàm ex Aegypto ſoluerunt,aduerſus Eteſias per obliquũ & tranſuerſè actos,in Piræum heri appulſos huc eſſe, eò vſque videlicet ad inferiorem partem abreptos, quos conueniebat Creta ad dexteram relicta, ſupra Maleam tenendo curſum, iam in Italia eſſe. LYC. Per Iouem, mirabilem quendam gubernatorem narras,Heronem iſtum, aut Nerei potius æqualem , qui tantùm à via aberrarit. Sed quid hoc?an non Adimantus ille?TIM. Admodũ Adimantus ipſe. Vocemus igitur hominem. Adimante. Te inquam Myrrhinuſium illum Strobichi filium.LYC. Ex duobus alterũ illi accidit videlicet:aut enim ſuccenſet nobis,aut obſurduit. Nam omnino Adimãtus ille eſt,neq; alius quiſquam. Admodũ igitur planè iam video, & veſtẽ ipſius,& inceſſum agnoſco. Etiam tõſura illa ad viuum vſq;,arguit hominẽ. Sed tamen acceleremus obambulationem hanc & greſſum , vt aſſequamur hominem. Quòd niſi veſte apprehenſum te conuertiſſemus,Adimante, nunquam puto hodie clamantes nos exauditurus fuiſſes. At etiam cogitabundo ſimilis videris , neſcio quid magnum,ac minimè contemnendũ, tecum ipſe animo & cogitatione,vt videre, volutans. ADI. Nihil equidem acerbũ aut graue, Lycine,ſed mihi noua quędam cogitatio inter eundum in mentem veniens,vt ne audirẽ vos fecit,dum intentè adeò ac tota mẽte in illam velut defixus incumbo.LYC. Quænã iſta? ne enim graueris dicere, niſi omnino ex arcanis iſtis aliqua fuerit. Atqui initiati ſumus & nos,vt ſcis,& celare quæ audimus,didicimus. ADI. At erubeſco equidẽ apud vos dicere : adeò iuuenile vobis videbitur , ſat ſcio,id quod nunc cogito.LYC. Num amatoriũ quiddam eſt?Neq; enim hoc profanis nobis narrabis,ſed ſplendida admodũ face etiã ipſis luſtratis,initiatiſq;.ADIM. Nihil,ô præclare,iſtiuſmodi , ſed opulentiam quandam mihi ipſi fingebã, quam inanem felicitatem pleriq; vocare ſolent: atque in ipſa adeò acie opum & deliciarũ verſanti mihi,ſuperueniſtis.LYCIN. Próinde illud quod in proeliui eſt,Cõmunis Mercurius,aiunt. Ac in medium allatas huc diuitias iſtas depone. Aequum enim eſt nos quoque parte aliqua frui voluptatũ Adimanti,amici cùm ſimus.ADI. Relictus equidẽ à vobis fui ſtatim à principio cùm primùm nauem conſcendiſſemus, poſtquam te, Lycine,in tuto collocaſſem. Nam metiente me anchoræ magnitudinem,neſcio quorſum vos à me diſceſſiſtis. Attamen cùm omnia perluſtraſſem, interrogaui quendam ex nautis , quantum mercedis ac lucri communibus rationibus nauis ea referret domino in ſingulos annos. Ille autem,duodecim,inquit,talenta Attica,etiam ſi quis cõmuniora tantùm computaret, & ad minimam ſummam redigeret. Exinde igitur rediens mecum ipſe cogitabam, Quòd ſi nunc deorum quiſpiam nauem hanc derepente meam eſſe faceret, qualem & quàm beatam vitam acturus eram?qui & amicis benefacturus, & interdũ quidem ipſe in ea nauigaturus, interdum autem ſeruos emiſſurus,déinde ex duodecim illis talentis & domum ædificaturus eſſem in loco maximè opportuno , paulò videlicet ſupra porticum pictam,relicta paterna illa,quam apud Iliſſum habeo,& ſeruos coempturus,& veſtes, & vehicula, & equos. Iam autem nauigabã quoq;,& felix ab omnibus iis qui nauem conſcenderant, prædicabar,à nautis autẽ formidabar,& tantùm non rex quiſpiam exiſtimabar,cùm intereà dum ea quæ in naui ſunt compono,& ad portum álonge aſpicio,ſuperueniens,Lycine,opulentiã hanc omnẽ ſubmerſiſti mihi,nauémq; ipſam bene ac ſecundo voti vento labentẽ,ſubuertiſti. LYC. Próinde,ô generoſe,correptũ me abduc hinc ad Imperatorem,veluti piratam aliquem,aut demerſorẽ, vt qui tantum naufragium effecerim,ſdque etiã in terra,in via videlicet qua ex Piræo in vrbem itur. At vide tamen quo pacto te conſolabor pro hoc lapſu. Quinq; enim,ſi placet,pulchriora adeò , & maiora Aegyptio iſto nauigia poſſidere te facito:&,quod maximum fuerit , etiam talia , quæ demergi non poſſint. Déinde etiam quinquies tibi ex Aegypto per ſingulos annos frumentũ fortaſsis importent. Atq;, ô nauclero optime,iam nunc præ te fers quàm nobis tũ intolerabilis futurus ſis. Nam cùm vnius etiã nauigii iſtius dominus exiſtens,exaudire clamãtes nos haud volueris , quid ageres ſi quinque poſſideas

Chelidoniæ,& quã difficilis circa eaſdẽ nauigatio.

Ita Græcis appellãtur Caſtor & Polluxnauigantium numina.

ſideas? vltra hoc, tribus velis inſtructa, & tempeſtatibus inuicta? nempe ne aſpiceres quidē amicos. Próin tu quidem ſecunda nauigatione vtere, ô præclare, nos autem in Pireo ſedebimus, eósq; qui vel ex Aegypto vel Italia nauigabunt, interrogabimus, eccubi magnū illud Adimanti nauigium, Iſidem puta, quiſpiā viderit. ADIM. Vides: propterea equidem grauabar dicere quidnam eſſet quod in animo mecū ipſe cogitabam, ſat ſciens quòd riſu & dicacitate proſecuturi eſſetis votū meum. Quare ſubſiſtens hic aliquantulum, dum vos progreſsi fueritis, cū naue mea iterū hinc nauigabo. Nam multò ſatius eſt cum nautis me colloqui, quàm hic à vobis irrideri. LYC. Nequaquā: nam tecū illam conſcendemus etiā ipſi ſubeuntes. ADIM. At ſcalas ſubtraham, ingrediendo vos præuertens. LYC. Próinde nos adnatādo ſequemur vos. Ne enim putes tibi quidem facile eſſe tāta nauigia poſsidere, cùm neq; emeris illa, neq; ædificaueris: nos autē non poſſe à diis petere vt per multa ſtadia indefeſsis nobis liceat natare. Atqui primùm etiā in Aeginā ad feſtū Dianæ, ſcis quàm parua nauicula omnes ſimul amici, quatuor quiſq; datis obolis traiecerimus, & tamen nihil ægrè ferebas quòd tecum nauigaremus: nunc autem indignaris quòd tecū conſcenſuri ſumus, & ſcalas præingreſſus ſubtrahis. Nimirū luxu diffluis Adimante, & in ſinum nō inſpuis, neq; agnoſcis quīnā ipſe ſis, qui nauclerū nunc agis. Adeò te ſublimē euexit domus iſta, in pulcherrimo vrbis loco ædificata, & ſeruorū multitudo. Atqui ô præclare, per Iſidem, quæſo, etiam Niliaca ſalſamenta, tenuia iſta dico, memineris nobis huc ex Aegypto apportare, aut vnguentū à Canopo aliquod, aut Ibin ex Memphide: quòd ſi verò nauis etiam ſufficiet, ex pyramidibus quoq; vnam. TIM. Satis iocorum, Lycine. An non vides quo pacto erubeſcere Adimantum feceris, multo adeò riſu nauigio inundato, ita vt iam ſuperfluat, neq; amplius ad id, quod influit, reſiſtere poſsit? Et quoniam adhuc multum nobis viæ ad vrbem vſq; reſtat, diuiſo in quatuor partes itinere, ſuo cuiq; attributo ſtadio, poſtulemus à diis quæ cuiq; maximè videbuntur. Ita enim & nos laborem eundi fefelleri mus, & pariter lætitia quadā afficiemur, périnde ac ſomnio aliquo ſuauiſsimo vltro nobis obiecto, quod nos quoad ipſi voluerimus, beet. Nam penes vnumquenq; ipſum menſura voti erit, & dii omnia exhibendo ſubminiſtrent, etiam ſi alioqui naturā incredibilia fuerint. Et quod maximū eſt, demonſtratio quædā erit hæc res, quīnam omniū optimè diuitiis ac votis vſurus ſit. Indicabit enim quiſq; qualiſnā futurus fuerit, ſi ei diuitiæ tantæ cōtigiſſent. SAMIP. Pulchrè me hercle Timolae, atq; adeò obſequor tibi, & cùm tempus vocauerit, optabo quæcunq; videbitur. Nam ſi Adimantus vult, ne interrogandū quidē opinor, vt qui in naui alterū pedem habeat. Oportet autem & Lycino idem videri. LYC. Accidi teſtamus ſanè, ſi hoc potius, ne inuidere etiam cōmuni fortunæ videar. ADIM. Quis igitur primus incipiet? LYC. Tu Adimante, deinde ſecūdo loco Samippus hic, poſt quem Timolaus. Ego verò paulò antè quàm ad Dipylum perueniemus, circa extremū ſemiſtadium videlicet votū meū incipiā, idq;, quoad fieri poteſt, breuiſsimè percurram. ADIM. Próinde ego quidem neq; nunc à naui diſcedam, ſed ſi modò licet, etiā amplius aliquid voto adiiciā, Mercurius autē* quæſtuoſus ille annuat omnibus. Sit enim nauigium, & quæ in eo ſunt, mea omnia, & onus quod fertur videlicet, & mercatores, & mulieres, & nautæ, & ſi quid aliud ſuauiſsimū fuerit ex cunctis facultatibus. SAMIP. At te ipſum oblitus es in naui habens. ADIM. Puerū iſtum, inquis, Samippe, comatum? Et ille igitur meus ſit: quantū autem frumenti eſt, totus ille numerus in aurū ſignatū vertatur, fiántque totidem Darici. LYC. Quid hoc Adimante? Submergetur tibi nauigiū: non enim idem pondus eſt tritici, & æqualis numero auri. ADIM. Ne inuideas quæſo Lycine, ſed poſtquā ad te peruenerit votum, Parnethen, ſi placet, to tam auream facias, licet: atq; ego tum tacebo tibi. LYC. At ego, quò magis in tuto ipſe nauigares, hoc agebam, ne videlicet vnà cum auro omnes periretis. Ac quantū ad veſtras quidem res attinet, mediocre periculum hoc futurū erat: adoleſcentulus autem ille formoſus ſuffocabitur miſer, cùm natare neſciat. TIM. Bono animo ſis Lycine. Delphines enim ipſum tergo ſubeūtes, in terram deportabunt. An tu putas citharœdum quempiam ab illis ſeruatum eſſe, accepiſſéque mercedem hanc carminis ſui: deinde & alium quendam puerū mortuum, in Iſthmum à Delphine eodem pacto apportatum? Adimanti autem ſeruum hunc nouitium nullum habiturū Delphinem amatorem? ADIMAN. Etiam tu Timolae imitaris Lycinum hunc, & ingeris conuicia, & hoc, cùm tu ipſe huius rei dux & caput ſis. TIMOL. Melius enim fuerat veriſimilia magis te fingere hæc, & alicubi theſaurum ſub lecto effodere aliquem, ne tibi negotium ipſe exhiberes, dum aurum è naui in vrbem transferes. ADIMANT. Rectè dicis. Effodiatur igitur theſaurus ſub Mercurio illo marmoreo, qui nobis in aula eſt, medimna videlicet mille auri ſignati. Statim itaq;, iuxta Heſiodum, ædes principiò quàm maximè inſignes habitarem, déinde quæ circa vrbem ſunt, omnia iam coemiſſem, præterquàm quæ in Iſthmo, & apud Delphos, & Eleuſine ſunt. Prætereà quæ ad mare iacent, & circa Iſthmum nonnulla quoque certaminum gratia, ſi quando ad Iſthmia proficiſci lubitū eſſet, & Sicyonium campum: & in ſumma quicquid vſquam in Græcia foret vel conſitum nemoribus, vel irriguum fontibus, vel fœcundum frugibus, id omne breui adeò tempore Adimanti ſit. Aurum autem coneauum nobis ſit ad cibū ex eo capiendum, pocula verò haudquaquam leuia, vt Echecratis illa, ſed duorum talentorum vnumquódque pondere. LYC. Quo pacto ergo pocillator plenum porrigat tibi poculum adeò graue? aut quomodo tu accipies ab eo, niſi cum magno negotio, non ſcyphum illo, ſed Siſyphiū quoddam pondus attollente? ADIM. Mi homo, ne mihi diſturba votum. Ego verò etiam menſas totas aureas futurus ſum, & lectos aureos; ſi verò

* κόφινον cognomentum Mercurii eſt, ἀπὸ τῆς κέρδους, eò quòd lucris præſit.

Scilicet auri, vt Philippici.

Mons eſt Atticæ.

ſi verò tacueris, etiam ipſos miniſtros. LYC. Vide modò ne quemadmodũ Midæ, & panis tibi, & potus aurum fiat, & diteſcendo miſer pereas, fame iſta pretioſa enectus. ADIM. Tua igitur magis veriſimiliter compones paulò pòſt Lycine, poſtquam ipſe optare incipies. Cæterùm ad hæc veſtis quoque purpurea mihi ſit, & victus quàm maximè delicatus: ſomnus, quoad fieri poteſt, ſuauiſsimus, amicorũ ſalutationes, & petitiones: &, quod vulgò faciunt, omnes me vereantur & adorent: atq; alii quidem primo ſtatim mane ad fores ſurſum ac deorſum obambulent, inter ipſos autem & Cleænetus & Democrates, illi ſupra modum. Atq; accedentibus quidem ipſis, & ante alios intrò recipi volentibus, ianitores ſeptem adſtantes, ingentes barbari, in frontem ſtatim impingant ianuam, périnde atq; ipſi nunc aliis faciunt. Ego verò, quando viſum fuerit, proſpiciens quemadmodum Sol, illorum quidem nonnullos ne aſpiciam quidẽ: ſi verò pauper quiſpiam, qualis ego videlicet fui ante repertũ theſaurũ, illum humaniter complectar, ac lotum ad cœnam ſub tempus venire iubebo. Diuites autẽ iſti rumpentur, aſpicientes vehicula, equos, & pueros formoſos circiter bis mille, ex omni ætate delectos, vt quiſq; fuerit maximè floridus. Déinde & cœnas in auro appoſitas (vile enim argentum, & nihil ad noſtram fortunam) ac ſalſamentum quidem ex Hiſpania, vinum autẽ ex Italia, oleum verò & ipſum ex Hiſpania, mel autẽ noſtrate nouum, & igni nondum admotũ. Prætereà obſonia vndequaq; allata, ſues videlicet, & lepores, & quæcunq; volatilia, gallina ex Phaſide, & Pauo ex India, & gallus Numidicus. Qui verò vnumquodq; apparant, ſophiſtæ quidã ſint, circa bellaria, & ſapores exercitati. Quòd ſi cui autem præbibero, ſcyphum aut phialam poſcens: ille qui ebiberit, auferat ſecum & poculum. Diuites verò iſti qui nunc ſunt, præ me Iri videlicet & mendici omnes videantur: neq; amplius tum argenteam iſtam ſcutellam, aut ſcyphũ Dionicus in pompa ſpectandum præbebit, & maximè poſtquam videbit ſeruos etiam meos tam multo argento vti. Ciuitati autem hæc apud me velut exemptitia erunt. Ac pecuniarum quidem diſtributiones, ſingulis menſibus drachmas ciui quidem centum, inquilino autem quinquaginta dabo. Publicè verò ad ornamentum vrbis theatra ædificabo, & balnea: & mare vſq; ad Dipylum intromittam, atq; ibi portum aliquẽ exeruam, aqua per foſſam magnam introducta, vt nauigium meum propius appelli, & ex Cerámico apertè conſpici poſsit. Amicis autem vobis, Samippo quidẽ viginti medimna auri ſignati ad numerare diſpenſatorem iubebo: Timolao autem quinque chœnices: Lycino verò chœnicem ſolam, eámque etiam circunſcriptã, eò quòd loquacior eſt, & votum meum irrideat. Atq; hanc viuere vitam volebam, ſupra modũ diteſcens, & delicatè agens, omnibúſq; voluptatibus copioſè fruens. Dixi. Ac mihi Mercurius perficere ea, & ad euentum perducere velit. LYC. Scis igitur, Adimante, vt tibi ex tenui admodũ trama puer iſte Plutus ſuſpenſus ſit: ac ſi fors aliqua rupe-

rit illam, omnia euaneſcent, & carbones tibi theſaurus iſte erit? ADIM. Quomodo dicis hoc Lycine? LYC. Quoniam, ô optime, incertum eſt, quantũ temporis victurus ſis. Quis enim ſcit, an adhuc appoſita tibi menſa iſta aurea, priùs, quàm manum admoueas, & pauonẽ aut gallũ Numidicum deguſtes, exhalata animula abiturus ſis, vulturibus & coruis omnia illa relinquens? An vis vt enumerem tibi alios quidẽ ſtatim priùs, quàm diuitiis fruerentur, mortuos, alios autẽ etiam viuos, iis quæ poſsidebant, ſpoliatos atq; exutos à deo aliquo qui huiuſmodi rebus inuidebat? An non audis Crœſum & Polycratem, multò te opulentiores cùm fuerint, breui adeò tempore à bonis illis omnibus excidiſſe? Sed vt tibi miſſos hos faciam, num tibi valetudinẽ adeò firmam putas fore, atq; conſtantem? An non vides multos diuitũ infeliciter ætatẽ agere, doloribus ac morbis vexatos? ac alios quidem ne vadere quidem poſſe, alios autem cæcos eſſe, aut intus labore aliquo affectos? Nam quòd ne alterã quidem tantam opulentiã poſsidere velis, atq; eadem cum Phanomacho diuite iſto pati, paritérque vt ille mulieroſus eſſe, ſat ſcio, etiã ſi nullus ipſe dixeris. Omittã interim dicere, quàm multas inſidias cum diuitiis cõiunctas norim. Prætereà & prædones, & cædes, & odium quod apud multitudinem obeundũ eſt. Vides nimirum cuiuſmodi rerum cauſa exiterit tibi theſaurus iſte. ADI. Semper tu mihi, Lycine, aduerſarius es: quare neque chœnicem etiam accipies, vt qui perpetuò votũ meum inſecteris. LYCI. Atqui hoc quidem iam communi diuitũ more detrectas, & promiſſum reuocas. Sed tu Samippe iam opta. SAMIP. Ego verò (Arcas enim ſum ex Mantinea, vt ſcitis, in continente vitam agens) nauem quidem haudquaquam poſtulabo mihi contingere, vt quam ciuibus meis ſpectandam exhibere impoſsibile ſit: neq; ſcrupuloſè adeò cum diis rationẽ ineibo, theſaurum petens, & aurum ad menſurã accumulatum: ſed (poſſunt enim omnia dii, etiã ea quæ maxima videntur eſſe, & lex voti quã Timolaus tulit, iubet nihil vereri poſtulare, tanquam illis nihil non annuentibus) poſtulo videlicet rex eſſe, non qualis Alexander Philippi filius, aut Ptolemæus, aut Mithridates, aut ſi quis alius accepto à patre regno imperauit, ſed mihi principiò à prædandi cõſuetudine exorſo, ſocii & coiurati circiter triginta fideles admodum & audaces adſint. Déinde paulò pòſt trecenti accedentes nobis alii ſuper alios. Poſteà mille, & nõ multò pòſt decies mille, poſtremò tota armatorum ſumma quinquaginta millia. Equitum atem circa quinque millia ſit. Ego verò ſuffragiis cunctorum antepoſitus & electus, Imperator optimus eſſe videar, qui & hominibus præeam, & rerum adminiſtrationem geram. Vt hoc vtique ipſo iam maior ſim cæteris regibus, vtpote qui virtute cæteris antepoſitus, exercitui imperem, non per ſucceſsionem hæreditariam ab alio in regnum introductus. Nam hoc Adimanti theſauro non diſsimile foret, & ipſa res haudquaquam eodem modo ſuauis, vt cùm aliquis videtur ipſe per ſe ipſum potentiã ac principatũ aſſecutus

Votum imperii & potentiæ.

cutus eſſe. LYC. Papæ Samippe! haudquaquam exiguum aliquid tu quidem, ſed ipſum adeò caput bonorum omniũ poſtulaſti, videlicet aciei tantæ optimus ipſe iudicatus à quinquaginta millibus. Talem ſcilicet nobis Mantin ea, & tam admiratione dignum regem, atq; Imperatorẽ, interim dum non animaduertit, enutriuit. Verùm age, regna, præi militibus, & exorna equeſtrẽ exercitum, pariter & viros clypeum geſtantes. Cupio enim ſcire quónam profecturi ſitis tã multi ex Arcadia, aut contra quos miſeros primos expeditionem facturi. SAMIP. Audi Lycine. Imò verò ſi tibi placet, ſequere vnà nobiſcũ. Præfectum enim alæ conſtituam te equitũ quinq; millium. LYC. At pro honore quidem iſto, ô rex, gratiam tibi habeo, ac Perſico more procũbens adoro te, circumactis poſt tergum manibus venerando tiaram rectam iſtam, atq; ipſum diadema. Tu verò ex validis iſtis aliquem, præfectum equitum deſigna. Nam ego tibi à re equeſtri valde alienus ſum, neq; omnino equũ vllum aſcendi ante hunc diem. Próinde metuo ne tubicine claſsicum intonante, decidens ego, in tumultu à tot vngulis conculcer, aut etiã equus ferocior exiſtens, arrepto freno in medios hoſtes efferat me, aut deniq; oporteat me alligari ephippio, ſi manere ſuper illud debeam, frenúmq; tenere. ADIM. At ego tibi Samippe ducam equites, Lycinus autem dextrũ cornu habeat. Meritus autem ſum qui maximos honores abs te conſequar, vt qui te tam multis medimnis auri ſignati donaueris. SAMIP. Ipſos interrogemus equites, Adimante, num recipere te velint præfectum ſuum. Cui igitur placet, equites, Adimantum hunc præfectum veſtrum eſſe, manum attollat. Omnes, vt vides, Adimante, ſuffragantur tibi. Próin tu quidem equitatui præſis, Lycinus autem dextrũ cornu ducat. Timolaus porrò hic ad ſiniſtram ordinabitur. Ego verò mediã aciem regam, pro eo atq; legitimum eſt Perſarum regibus, quando ipſi aſsidere ſibi aliquos volunt. Sed progrediamur iam rectà verſus Corinthũ, quà per mõtana itur, cõprecati Iouem Regium. Ac poſtquam ea quæ in Græcia ſunt, omnia ſub poteſtatem redegerimus (neq; enim quiſquã erit qui nobis reſiſtet, aut arma opponet, tum tã multi ſimus, ſed abſq; ſudore ac puluere vincemus) conſcenſis triremibus, & equis in naues impoſitis (apparatum autem eſt in Cenchreis & frumentum ſatis multum, & nauigia quę ſufficiant, cęteráq; ad hanc rem omnia (traiiciamus per Aegeum in Ioniam, & éxinde ibi ſacris Dianæ peractis, ac ciuitatibus nullo defendente captis, præfectiſq; ibidem facilè relictis, in Syriam pergamus, per Cariam itinere facto, indè per Lyciam, & Pamphyliam, & Piſidas, & vtranque Ciliciæ oram, maritimam videlicet & mõtanam, donec ad Euphratem peruenerimus. LYC. At me, ô rex, ſi placet, ſatrapam aliquem Græcis relinque. Formidoloſus enim ſum; neq; domo longiùs abire facilè ſuſtinuero: tu verò videris etiam contra Armenios & Parthos exercitum ductura eſſe, gentes bellicoſas, & ſagittandi perquàm peritas. Quare alteri aliqui dextrum cornu committe: me verò Antipatrum quempiã in Græcia relinque, ne quis etiam ſagitta me transfigat ea parte, qua nudus maximè ero, miſerum me feriens, circa Suſa vel Bactra alicubi phalangem ducentem tibi. SAMIP. Aufugis Lycine, ac deſeris ordinẽ, meticuloſus videlicet exiſtens: atqui lex iubet caput amputari ei, ſi quis ordinẽ deſeruiſſe deprehendatur. Sed quoniam apud Euphratem iam ſumus, & fluuius ipſe ponte iunctus eſt, & quæcunque à tergo reliquimus, bene ac tutò nobis ſe habẽt, omniáq; à præfectis tenẽtur, qui à me cuiq; genti impoſiti ſunt, alii autẽ etiã abierunt, Phœniciam intereà nobis & Palæſtinen, & éxinde Aegyptũ quoq; adiuncturi: age tu primus Lycine tranſi, dextrum ducens cornu. Déinde ego ſequar, & poſt me Timolaus hicce: poſtremus autem equeſtrem duc exercitum Adimãte. Ac per Meſopotamiam quidem nullus nobis obuiã fuit hoſtis, ſed vltro ſeipſos & arces, homines dediderunt. Etiam ad Babylonẽ accedentes, præter ſpem intra muros recepti ſumus, ac vrbẽ ipſam tenemus. Rex autẽ ad Cteſiphontem cõmorans, aduentũ noſtrum accepit. Próinde Seleuciam profectus, exercitum comparat, & equites quàmplurimos vndecunq; accerſens, & ſagittarios, & funditores. Renunciant itaque ſpeculatores, ad centum myriadas hominũ bello aptorũ congregatas eſſe, & ex his viginti qui ex equis iaculantur. Neque tamen adhuc neque Armenius adeſt, neq; ii qui ad Caſpium mare habitant, neq; Bactriani, ſed ii tantùm, qui in vicino degunt, & in ipſo quaſi ſuburbio regni. Adeò facilè tot myriadas ille recepit*. Tẽpus igitur iam eſt vt videamus quídnam oporteat nos facere. ADIM. Ac ego quidem cenſeo, oportere vos, pedeſtrem videlicet exercitum, proficiſci hinc ad Cteſiphontem; nos autem, equites puta, manere hic, & Babylonem aſſeruare. SAMIP. Etiam tu metu effœminaris Adimante, poſtquam propius periculo ventum eſt. Sed quid tibi videtur Timolae? TIMOL. Omnibus copiis eundum hoſti obuiàm eſſe, neque expectandum dum illi melius ſeſe pararint, auxiliis vndique ipſis accedentibus: ſed dum adhuc in itinere ſunt hoſtes, adoriamur ipſos. SAMIP. Rectè dicis. Tu verò Lycine quid cenſes? LYC. Equidem tibi dicam. Poſteaquàm defeſsi iam ſumus contendendo, & abſque intermiſsione iter faciendo, quando in Piræum manè deſcendimus, & nunc autem triginta propè ſtadia proceſsimus, déinde & ſolis ardor frequens (nam iam circa meridiem maximè eſt) hìc alicubi ad oleas ſuper columnam iſtam inſcriptionibus inſignitã reſidentibus, quieſcendum pauliſper eſſe. Déinde reſurgentibus inde iterum eundum, & reliquum viæ ad vrbem abſoluendum eſſe. SAMIP. Etiámne Athenis, ô beate, tibi eſſe videris, qui circa Babylonem in campo ante muros inter tot mílites ſedes de bello deliberans? LYC. Submonuiſti. Ego verò ſobrium eſſe me putabam, at tu in eo, vt ſententiam proferrem. SAM. Accedamus igitur, ſi tibi videtur. Ac vt viri fortes in periculis ſitis, facite, neq; prodatis patrios ſpiritus. Iam enim & hoſtes videlicet pugnã capeſſunt

Vt ille, cui Macedoniam cõmiſit Alexander dũ in Aſiã traiiceret.

*καλέσε Græcè, quod aliàs fregit ſignificat.

Martii cognomentũ est ἀπὸ τοῦ ἐνυᾶν.

sunt. Quare tessera quidem Enyalius esto. Vos autem postquam classicũ cecinerit tubicen, cum clamore inuadentes, & clypeos hastis pulsantes, properate cum aduersariis manum conserere, ac cominus pugnate, atque intra teli iactum consistite, vt ne plagas accipiamus, dum illis spatium feriendi eminus concedimus. Et quoniã ad manus mutuò iam ventum est, sinistrum quidẽ cornu & Timolaus in fugam verterunt eos, quibúscum congressi sunt, Medos. Media autem acies, & quod circum me est, æquo adhuc Marte pugnat. Persæ enim sunt, & inter eos ipse rex. Vniuersus autem equitatus Barbarorum in dextrum cornu nostrũ fertur. Quare, ô Lycine, & ipse vir fortis sis, & eos qui tecũ sunt, exhortare ad fortiter excipiendã & sustinendam impressionẽ. LYCI. O fortunã! Aduersum enim me equites cuncti, solúsque idoneus ipsus visus sum qui contrà ferar. Ac mihi videor, si vim adhibeant, transfugiturus esse, in palæstram, hinc currens, belligerantes etiamnum vos relinquens. SAMIP. Nequaquã. Vincis enim & tu ipsos iam parte quadam. Ego verò, vt vides, etiam singulari prælio cum rege congrediar. Prouocat enim me, & pugnam detrectare omnino turpe fuerit. LYC. Per Iouem etiam vulneraberis statim admodum ab eo. Nam hoc quoq; regium est, vulnerari de regno dimicantem. SAMIP. Bene dicis. Leue tamen, & vix summam cutem perstringens vulnus hoc; neq; etiam in aperta corporis parte, vt ne cicatrix quidem deformis apparitura sit postea. Cæterùm vides quo pacto ipse incursando vna adeò plaga & ipsum & equũ emissa hasta transegerim: deinde amputato capite, & ablato diademate, rex adeò ipse factus iam sim, & ab omnibus adorer? Barbari igitur adorent nos, ego verò iuxta Græcorum legem imperabo, atq; vnus Imperator nominabor. Post hæc igitur cogitate quàm multas quidem ciuitates cognomines mihi ipsi conditurus sum, quàm multas autẽ etiam destructurus per vim captas, si quæ contumeliose aliquid in regnum fecerint. Omnium autem maximè Cydiam istum diuitem persequar; qui cùm mihi vicinus tã esset, eiecit me agro, transcendens paulatim in interiora finium. LYC. Desine tandem Samippe. Tempus enim est, vt quidem post pugnam tantam superatam, Babylone conuiuium celebrare, & victoriæ sacra peragere (iam enim extra præscriptũ stadium, opinor, processit tibi imperium) Timolaũ autem vicissim optare quicquid voluerit. SAMIP. Quid igitur Lycine? qualia tibi postulasse videor? LYC. Longè, ô præclarissime regum, laboriosiora & violentiora, quàm quæ Adimantus: quippe cùm ille quidem in deliciis versaretur, & duorum talentorum pocula aurea compotoribus porrigeret, tu verò etiam vulneraberis singulari prælio dimicans, & metuebas, & curis distinebaris, noctu, interdiúque. Non solùm enim ea, quæ ab hostibus fierent, formidanda tibi erant; sed & insidiæ innumerabiles, & inuidia eorum quibúscum viuebas, & odium, & adulatio. Amicus autẽ nullus verus, sed ad metum omnes vel spem benuolentiam simulantes. Fruitio certè voluptatum ne per somnium quidẽ, sed gloria solùm, & purpura auro variegata, & fascia candida circũ frontem, & satellites præeuntes. Cætera autem, labor intolerabilis, & acerbitas. Et aut respõsa dare ab hostibus venientibus oportet, aut ius dicere, aut mittere ad subditos edicta. Et vel gens aliqua defecit, vel incursiones fiunt ab iis qui extra imperium degunt. Timere itaq; oportet omnia, & habere suspecta. Et in summa, ab omnibus magis quàm à te ipso beatũ prædicari. Nam illud quoque an non humile & abiectum, quòd & ægrotas eodem modo cum priuatis, & febris in nullo discrimine habet te regem, neque etiam mors metuit satellites tuos, sed superueniens quandocunq; ipsi lubitum fuerit, ducit plorantem te, nihil verita diadema istud? Tu verò ille sublimis adeò ex alto decidens, abreptus è solio regio, eandem viam abis cum multitudine, eodémque honore cum cæteris inter gregẽ mortuorũ agitaris, tumulum excelsum supra terram, & columnã in longũ porrectam, aut pyramidem æquis ac rectis angulis assurgentem post te relinquens, sero tina videlicet & tum insensibilia magnificentiæ spectacula. Statuæ autem illæ & templum quæ ciuitates erigunt colentes, & magnum illud nomen, omnia paulatim defluunt atq; abeunt neglecta. Quòd si autem quàm maximè etiã in longissimum perdurarint, quis quæso fructus eorum amplius fuerit, cùm sensu careas? Vides qualia quidem etiam viuus negotia habiturus sis, metuendo videlicet, & cogitando, & laborando: qualia verò & illa quoque quæ post mutationẽ sequentur. Sed iam tuum erit, Timolae, optare: ac vt superes istos, vide, quemadmodum decet virum intelligentem, & rebus vti scientem. TIMOL. Attende igitur, Lycine, num quid reprehensione dignum optabo, & quidnam arguere quispiam meritò possit. Nam aurum quidem, & thesauros, & medimna nummorum, aut regna, & bella, & terrores pro imperio, quæ tu meritò reprehendisti, haudquaquam postulabo. Caduca enim hæc, & multis insidiis referta: & plus molestiæ in ipsis est, quàm dulcedinis. Cæterùm Mercurium ego volo obuiàm mihi venientem dare nonnullos annulos, qui huiusmodi vim habeant, primùm quidem vt rectè semper valeam, & corpore sanus sim, & insauciabilis, & nulli perturbationi obnoxius. Secundum autẽ, vt ne conspici possit is, qui eum induerit, qualis ille Gygis fuit. Deinde alium quendam, vt robore superem virorum decem millia: atque onus quod alioqui decem millia hominũ mouere simul vix possent, ego solus facilè in humeros attollere possim. Præterea autẽ & volare possim, lõgè à terra in sublime sublatus, & ad hoc quoq; annulum quendam habeã. Iam verò & in somnũ resoluere quos voluero, & omnem ianuam accedenti mihi aperiri, laxata sera, & dimoto obice: hæc ambo vnus annulus possit. Et quod maximum est, alius quispiam sit, supra omnes suauissimus, qui me amabilem faciat indutus, & pueris formosis, & mulieribus, & populis totis, neq; quenquam amoris expertem esse sinat, & qui non desiderabilissimus ipse videar, atque in ore

Votum omnis fortunæ & felicitatis.

sim,

sim, ita vt multæ mulieres dum amore pati nequeũt, se ipsas etiam suspendant, & adolescentuli ad insaniam redigantur mei desiderio, adeóq; se ipsos beatos esse putent, si quem ipsorum vel aspiciam solùm: si verò contemnã, etiam illi mœrore pereant: & in summa, supra Hyacinthum, aut Hylam, aut Phaonẽ Chium illum sim. Atq; hæc omnia habeam non in breue tempus ac statim moriturus, neq; etiam ad mensuram humanæ vitæ viuens, sed annos mille, subinde iuuenis ex iuuene renascens, viuendo exigam, circa decimum septimũ quenq; annum exuens senectutem, périnde atq; serpẽtes. Nihil enim deerit mihi, cùm hæc habebo. Siquidẽ omnia quæcunque alii habent, mea futura essent, quatenus & fores aperire possem, & sopire custodes, & ipse ingressus inuisibilis esse. Quòd si apud Indos aut Hyperboreos spectaculum aliquod mirũ ac nouum foret, aut res aliqua pretiosa, aut quicquid esu vel potu dulce: nihil veritus, sed ipse eò aduolans, fruerer omnibus ad satietatẽ vsq;. Et quia Gryps alata fera, aut Phœnix auis apud Indos à cęteris videri nequit, ego verò etiam illud viderem. Et fontes Nili quoq; solus scirem, & terræ quicquid inhabitabile est, & si qui Antipodes ex aduerso nobis habitant, Australem terrę partem dimidiam tenentes. Prætereà autem & stellarũ naturam, & Lunæ, & ipsius Solis, facilè nossem, vt qui ab igne illorum lædi nõ possem. Et quod omnium suauissimũ fuerit, vno eodémq; die annuntiare Babylonem possem, quíssnam in Olympiis vicisset: & si fortè in Syria prãsus essem, cœnare in Italia. Si quis autem inimicus mihi foret, vlciscí etiam istum, ex obscuro iecto in caput eius saxo, ita vt diminueretur ei cerebrum. Amicis autem contrà benefacere, offundendo dormientibus ipsis aurum. Ac sanè si quis superbus foret, aut tyrãnus diues contumelioſus, sublatum ipsum ad stadia viginti per præcipitia supernè deiicerem. Cum pusionibus autem, nemine prohibente conuersari mihi liceret, quippe cùm & videri non possem ingressus, & omnes in somnum resoluerem, solis illis exceptis. Quale verò etiam illud foret, quòd belligerantes tutò spectare possem, extra teli iactum in altum sublatus? Et si visum fuisset, adiungendo me victis, & sopiendo victores, fugientibus victoriam submi nistrarem, ex fuga videlicet reuersis. Et in summa, ludum quendam facerem vitam humanã, omniáq; adeò mea forent, ac deus viderer cæteris. Atq; hæc summa felicitas est, quæ neq; perire, neq; insidiis peti potest, & maximè cum bona valetudine per longam ætatem. Quid igitur est, Lycine, quod in hoc voto culpare queas? LYC. Nil, Timolae: neq; enim tutum fuerit aduersari viro alato, & qui robore multa hominum millia superat. Veruntamẽ illud interrogabo te, ecquẽ alium víderis inter tot gentes quas volãdo oberrasti, senem iam virum mẽte à statu suo ita dimota, qui annulo exiguo vectus, totos adeò mon tes digito mouere potuerit, amabilem omnibus, ídq; cùm caluus esset, & nasum haberet simum? At verò etiam hoc respondẽ mihi: Cur tandem non vnus annulus omnia tibi ista potest, sed tam multis reuinctus incedes, sinistra grauata per singulos digitos? imò verò excedit numerus, & necesse erit etiam dextram ferendo oneri succedere. Atqui vno adhuc necessario maximè opus est, qui te indutum à stultitia cohibeat, multa ista insolentia detersa: aut an hoc quidem etiã elleborus abundè potest, meracior videlicet haustus? TIM. At prorsus Lycine etiam ipse optabis tandem iam aliquid, quò discamus qualia tu postulaturus sis, irreprẽhensibilia videlicet, & quæ accusari nequeant, quandoquidem cęteros calumniaris omnes. LYC. At non opus habeo voto ego. Venimus enim iam ad Dipylum, & optimus hic Samippus, dum circa Babylonem singulari prælio dimicat, & tu Timolae dum in Syria quidem prandes, in Italia autem cœnas, etiã ea studia, quæ ad me pertinebant, assumpsistis, rectè sanè facientes, præsertim cùm non probem in breue tempus ditescere opulentia quadã quasi subuentanea, déinde post paulum mœrore affici, dũ nudam aliquam massam panis comedam: quale vobis non multò pòst accidet, postquã felicitas quidem ista vobis, multæq; diuitiæ auolantes euanescent, ipsi autem digressi à thesauris & diadematibus istis, tanquam ex suauissimo aliquo somnio excitati, domi dissimilia omnia reperietis, périnde vt histriones regum personas agentes, qui ex theatro regrediẽtes, pleriq; fame conficiuntur, ídque cùm paulò antè Agamemnones aut Creontes fuerint. Mœrore igitur afficiemini, vti consentaneum est, ægróq; animo ea quæ domi vobis sunt aspicietis, & maximè tu Timolae, quando necesse tibi erit idem pati quod Icarus olim, vt soluta videlicet pennarũ textura, de cælo delapsus, humi incedere cogaris, amissis annulis illis omnibus, vltro de digitis effluentibus. Mihi verò etiã hoc abundè satis erit, pro omnibus thesauris, ipsáq; adeò Babylone, suauiter admodũ ridere ad ea quæ vos optastis, tã præclara scilicet, & hoc, cùm ipsi philosophiã laudetis.

TRAGOPODAGRA,

Ioanne Sinapio Interprete.

ARGVMENTVM.

Argumentũ fabulæ tale est. Peragũt encomiũ & laudes podagræ, sacerdotes, potestatem deæ carminibus celebrantes. Ad quorum inuocationẽ cùm ipsa quoq; dea adesset, suúmq; numen vt insuperabile & inuictũ prædicaret: nuntiatur intereà medicos quosdam Syros deam contemnentes, ac vires ipsius eleuantes, medicinam, à patre videlicet acceptã, contra illam vulgò polliceri. Indignata itaq; dea, arrogantiámq; ac temeritatẽ hominum non ferens, immißis torturibus suis miserè illos excruciare atq; vexare cœpit. Qui cùm medicina sua frustrà adhibita, doloris vehementiã atq; acerbitatẽ ferre non possent, supplicantes deæ, victos sese, artémq; suã nullam esse confitentur. Exorata igitur dea tortores suos reuocat, ac victrix palmam refert. Proloquitur Podagricus quidã, malum & cruciatũ immedicabilẽ detestãs. Fabula verò in vniuersum idem illud innuit, quod Ouidius, cùm inquit:

Tollere nodosam nescit medicina podagram.

tum

tum quòd & vanitatem Iudæorum ac Syrorum nonnihil taxare videtur, vt qui contra omnes morbos quantumuis incurabiles, medicinam pollicerétur: quale & hodie quidam ex eadem gente vulgò faciunt.

PERSONAE,
Podagricus, Chorus, Podagra, Nuntius, Medici, Tortores.

LOQVITVR PODAGRICVS.
Trimetri Iambici.

O Triſte nomen, ô diis odibile,
Podagra, lacrymoſa, Cocyto ſata,
In Tartari ſpecubus opacis edita,
Erinnys vtero quã Megæra ſuo tulit,
Et vberibus aluit, cuíque paruulæ
Amarulentæ, in os lac Alecto dedit.
Ergo quis abominabilem te dæmonum
Produxit in lucem exitio mortalibus?
Quòd ſi luunt errata manes mortui,
Si luce commiſſi rationem nox petit,
Nec tantalus ſiti, nec Ixion rota
Volubilis, nec Siſyphus onere lapidis
Cruciandus in Stygii fuit Ditis domo,
Tuis ſed omnes omnium ſcelerum reos
Aptare decuit membrifragis cruciatibus.
Vt corpus affectum & fatigatum meum
Manibus ab extremis ad infimas pedum
Plantas ſanie tetra, fluentéque fellea
Per membra bile, & impetuoſo flamine,
Suis vbique ſtringitur meatibus
Porríſque clauſum me premit doloribus!
Per ipſa currit ignea peſtis viſcera,
Carnémque vorticibus populatur ignium,
Aetnæ velut crater facibus exæſtuans:
Aut Sicula vallis æquorearum rupium,
Aeſtibus ineuolubilibus, vbi fluctuans
Sinuoſa ruinas vnda ſcopulorum ferit.
O omnium mortalium opinionibus
Incogitabile malum, vt omnes perditè,
Quicunque vana ſpe ſtolidi, te leniter
Mulcere, medicarique cupimus, fallimur!

CHORVS.
Dimetri cataléctici omnes.

Iuga Dindymi Cybeles
Phryges vlulante voce,
Tenero frequentare Atti
Solent, modíſque ſiſtri
Phrygii, ſuper iuga Tmoli
Comon celebrare Lydi,
Et perciti furore
Reſonant ſuis in armis
Euantis Orgia rhythmis
Cretenſibus Corybantes,
Clangit quoque tuba duro
Marti, modulans tumultus
Depreſſa bellicoſos:
Sed nos tui podagra
Myſtæ, tibi ſacramus
Ineunte vere, luctus,
Vbi graminifera paſsim
Herbis virere prata,
Et in arboribus tenellæ
Zephyro reflante frondes
Incœperint vigere,
Malè nuptáque cùm per ædes
Hominum ſtrepens hirundo,
Nocturna pérque lucos
Itin gemit, querelis
Vbi triſtibus philomela.

Vernũ tempus aptum podagræ. Celſ. lib. 4. cap. 24.

PODAGRICVS.
Trimetri Iambici.

O ægritudinis opifer, & comes meæ,
O tertii gerens Bacule vicem pedis,
Tremulum mihi ſuffulcias oro gradum,
Itérque dirigas, leuia & veſtigia
Firmes pedum, poſsint vt inniti ſolo.
Age miſer ex ſtratis tua membra corripe,
Et culmen ædium relinque vmbratile,
Nigrámque ab oculis excutiens caliginem,
Prodi foras, & ad rutilum Solis iubar
Auram ſerenam ſpiritu læto trahe,
Ter quinque præteriere nunc ſolidi dies
A Sole cùm procul in tenebris abditis
Incompoſito in lecto cubans diſtorqueor.
Adeſt animus, adeſt voluntas ſæpius
Vt in pedes me coniiciam, fores petens,
Sed corpus imbecille vota deſerit.
Atenim propera mea mens, quoniã te non latet
Egena vita podagrici, qui cùm velit
Obambulare, non queat, viuentium
Hunc exime numero, & refer inter mortuos.
Sed eia.
At qui veniũt hic qui baculos manibus mouẽt?
Capita coronati foliis ſunt Actææ,
Cuiúſve dæmonum celebrant feſtum chorum?
An Phœbe Pæan numen extollunt tuum?
At Delphica nulla cingit illos laurea.
An fors canitur laus aliqua Bacchanalium?
Sed non adeſt ſignum comis hederaceum.
Age qui, vel vndénam venitis hoſpites,
Exponite nobis, veráq; fateamini:
Et quam deam celebretis amici, dicite.
At tu quis es, vel vnde nos interrogas? CHO.
Vt enim baculus greſſúſque nobis indicant,
Myſten videmus inſuperabilis deæ.
Vnus quidem & ego ſum, deam non dedecens. POD.

CHORVS.
Dimetri partim cataléctici, partim acataléctici.

Venerem ſacræ deam Cypri
Ex æthèris ortam ſemine
Nutriuit in æquoreis aquis
Nereus decentem fabricam,
Iunóque coniunx & ſoror
Tonantis, vlnas candida,
Apud Oceani fontes vagis
In ſinubus educata
Nutrice fuit à Tethyde.
Summóque vertice cerebri
Eſt virginis interritam
Enixus indolem, pater
Cæleſtium Saturnius,
Virtute claram Palladem.
Sed hanc deam beatam
Primam cubitis Ophion ſenex
In delicatis protulit.
Cùm deſit tenebroſa lux,
Et orta lucifera fuit
Aurora, iubárque lucidum

Solis

Solis podagræ tum ſimul
Apparuit potentia.
Te prodeuntem ex ilibus
Parcæ, ſtatim Clotho abluit,
Totúſq; riſit ætheris
Fulgor, tonuítq; ſerenum
Cælum, beatus at aluit
Hanc in papillis lacteis
Largus pater ipſe Pluton.

PODAGRICVS ET CHORVS.

POD. Sed qualibus ſacris miniſtros excitat?
CHO. Nihil cruoris ab ore ferri fundimus,
Nec vlla ſeta de ceruice vellitur,
Nec terga talis perſtrepunt ſonantibus,
Nec fruſta crudæ paſcimur carnis boum.
Cum vere florem tenuis vlmus germinat,
Et inſidet ramis loquacula merula,
Acuta tunc myſtis ſagitta figitur
Per membra, clàm, latens, & intima penetrans,
Pedem, genu, cauóſq; nodos oſsium,
Talóſq; coxarúmq; vertebra, femora,
Manus, ſcapulas, & brachia, & imas artuum
Cauernulas, tumidáſq; digitorum baſes,
Omnia vorat, depaſcitur, vrit, occupat,
Inflammat, emollit, dea donec iuſſerit
Aufugere morbum, & eſſe modum doloribus.
POD. Ergo vnus & ego, neſcius licet, fui
Deæ ſacratæ numine tali percitus,
Ergo benigna veniat apparens dea,
Simúlq; cum myſtis, & ego hymnos ordiar
Solitum podagricis modulaturus melos.

CHORVS.

Dimetri.

Tranquilliter igitur & ſine
Ventis ſit æther, quilibet
Laudes canat podagricus.
En ſtrata diligens dea,
Suas ad aras aduenit
Baculo gradum ſuffulciens.
Salue deûm mitiſsima,
Tuóſq; benigna reſpice
Lætante lumine famulos,
Huiúſq; veris tempore
Paulùm dolores mitiga.

PODAGRA.

Trimetri Iambici.

Quis eſt hominum, cui non ego inſuperabilis
Regina morborum Podagra nota ſim?
Quam nulla thura, nulla fumigatio,
Nec fuſus apud aras cruor, aut donaria
Suſpenſa templis diuitum placabilem
Reddunt: nec ipſe vincere ſummus omnium
Pæan deorum medicus arte ſua poteſt,
Apolliniſve filius Aeſculapius.
Ex quo ſiquidem mortalium fuit genus,
Omnes meas retundere vires geſtiunt,
Omnemq; turbant pharmacorum induſtriam.
Plantaginem terunt, apiiq; ſemina,
Foliáque lactucarum, & agreſte peplion,
Et marrubium, amnicolamq; potamogeitona.
Alii Cnidas terunt, aliiq; ſymphyton,
Lentes alii de ſtercore lectos illinunt,
Hos cocta paſtinaca, foliáque perſica,
Hyoſcyamus, papauer, & bulbi iuuant,
Cortéxq; pomi punici, malicorium,
Et pſyllion, thus, ellebori radix, nitrum,
Et miſta vino telis, & collamphacos,
Et gyrine, ſimulq; galla cupreſsina,
Et panis hordeaceus, atque braſsicæ
Crudæ folia, gypſus gari liquaminis,
Et ſtercora ſylueſtris capræ, fimus hominis,
Farina fabarum, flos quoque lapidis Aſii.
Alii rubetas, quíque vocantur aranei
Mures, lacertas atque muſtelas coquunt,
Ranas, hyænas, tragelaphos, vulpeculas.
Cuius metalli non pericla ſumpta ſunt?
Quis non probatus humor eſt mortalibus?
Aut cuius inexplorata lacryma eſt arborum?
Animalium omnium oſſa, nerui, tergora,
Adeps, cruor, medulla, lotium, merda, lac,
Bibunt alii numero quaterno pharmacum,
Alii per octo, perq; ſeptem plurimi.
Alius bibens ſacram, repurgari ſtudet,
Aut carminibus animum adhibens illuditur.
Iudæus excantat fatuum nactus alium.
Rurſus alius à fonte remedium petit.
Sed omnibus illis nil niſi plorare impero:
Et ſic facientibus vel iritantibus
Occurrere ſoleo magis iracundior.
Qui verò contra me nihil eius cogitant,
Illis facilem & tractabilem me præbeo.
Nam qui meis communicat myſteriis,
Primùm quidem ſtatim bona verba dicere
Docetur, oblectaréq; ſalibus & iocis
Dictíſq; facetis ſe ſalutantes ſolet.
Deinde cum geſtatus intrat balnea,
Fit ridiculus, fit & voluptas omnibus.
Aten enim quam dixit Homerus, illa ſum
Ego, per hominum capita molliter ambulans,
Plantas pedum teneras habens: veruntamen
Pleriq; me mortalium podagram vocant,
Quoniam pedum captura ſum, ποδῶν ἄγρα.
Sed agite Myſtæ, qui mea colitis ſacra,
Celebrate laudibus inſuperabilem deam.

CHORVS.

Dimetri Anapæſtici.

O nympha ingenium adamantinum habens
Multipotens, animo dea valido,
Audi vota tuorum ſupplicum
Magna potentia, vis tua magna,
O Regina opulenta Podagra,
Quam Iouis horret pernix telum,
Quamq; profundi fluctus pelagi
Trepidant, quam quoque trepidat, ſceptra
Qui gerit infera Stygius Pluton,
O gaudens nodis, lectigrada,
Curſiuetans, talorum tortrix,
Calcicrematrix, malehumitanga,

Oſsitremenda,genufraga,pernox,
Articulos cruciandi cupidà,
Curuigenuflexa,potens Podagra.
Trimetri Iambici.

PERSONAE.

Nuntius. Podagra. Medici. Tortores.

NVN. Domina peropportuna te fers obuiam:
Audi,neque enim tibi nuntium fero friuolum,
Sed ſocia verbis ipſa res adiungitur.
Nam ciuitates,vt ſtatueras,vndiq;
Lento pede veſtigans,tibi ſcrutabar domos
Cunctas,vt aduerterem ſi quis tuam
Potentiam non debito more coleret,
Alióſq; tuarum vi manuum ſat repperi
Regina domitos,mente bona quieſcere.
Iſti ſed audaces duo,confidentia
Freti ſua,non deſierunt dicere
Ac deierare,vim tuam venerabilem
Non eſſe,ſed exortem volunt mortalium
Te generis ac vitæ. Religans igitur pedes
Mox faſciis,vehementer approperans,die
Iam denique quinta veni,laſſus itinere.
Nam tota fermè duo ſtadia pertranſii.

POD. Quàm ſubitus ades ô nuntie velociſsime!
Sed cuius obſecro regionis terminos
Duros & inuios reliqueris,explica
Claréq; refer,vt celeritatem intelligam.

NVN. Quinque graduum ſcalas reliqui primitus,
Tremulas quoq;,luxatis trabium compagibus.
Deinde ſternax me excipit mox area,
Duris renitens ad pedes impultibus.
Quod iter vbi confeci grauibus veſtigiis,
Stratam ſilicibus ingrediebar ſemitam,
Itúque ſcrupulis acutis aſperam.
Hinc incidens in lubricam & planam viam,
Dum propero progredi,ſolutum retrahit
Calces malè firmas illico cœnum retro,
Qua tranſeunti liquidus è membris mihi
Sudor fluebat,æger vt feſſum gradus
Deficeret: inde laſſus omni corpore,
Latam quidem,aſt turam minus inſiſto viam,
Variis & hinc & inde me vehiculis
Vt currerem,cogentibus & vrgentibus.
Quare celeriter ſubleuans ſegnem pedem,
Tranſuerſus occurſum fugiens,ceſsi loco,
Donec citis quadriga tranſiret rotis.
Myſtes enim tuus nequibam currere.

POD. Non gratis hæc rectè tibi res geſta ſit,
Mi nuntie. tuæ nanq; promptitudini
Parem rependam gratiam pretio pari.
Atque hoc adeò gratum tibi ſit præmium,
Poſthac triennio ſemel modò leues
Tentare te noſtros dolores perferam.
Sed vos ſceleſti,diis & inuiſiſsimi,
Quínam,vel à quibus parentibus editi,
Audetis obniti Podagræ potentiæ,
Cuius ſuperare vim nequit Saturnius?
Heus dicite peſsimi: quoniam heroas ego
Quàm plurimos domui,ſapientes vt ſciunt;
Heroes podagrici. Priamus pede celer ille,canitur podagricus.
Periit Achilles podagricus ille Pelei,
Et Bellerophontes podagricus me pertulit.
Podagricus & Thebanus erat dux Oedipus,
Et ex Pelopidis podagricus erat Pleſthenes:
Et filius Pæantis etiam podagricus
Dux præfuit claſsi. fuit & alius celer
Dux Theſſalorum,qui ſimul atque prælio
Victus ceciderat Proteſilaus,præfuit
Claſsi,podagricus licet & æger foret.
Ithacæ quoque principem Laertæ filium
Vlyſſem,ego,non ſpina nectit trigonos.
Nunquam ergo gauiſuri ô calamitoſiſsimi,
Pœnam patiamini meritis veſtris parem.

MED. Syri quidem genere Damaſceni ſumus:
Multa fame verò coacti & inopia,
Terram & mare peragramus,errantes,vagi.
Habemus autem quod pater vnguentum dedit,
Per hoc mala conſolamur ægrotantium.

POD. Cedo,quod vnguentum? quis illius habitus?

MED. Sacrum tacendi ius mihi iurandum datum,
Me talia dicere tibi planè non ſinit,
Nec vltimum morientis edictum patris,
Qui iuſsit hanc celare nos vim pharmaci,
Quod ſæuientem te quoque ſcit compeſcere.

POD. An igitur,ô execrabiles,malè perditi,
Vllius vſquam tanta vis eſt pharmaci,
Meam quod inunctum vim ſciat compeſcere?
Sed ſine,paciſcamur agè tali fœdere,
Et experiamur ánne virtus pharmaci
Futura ſit ſuperior,an flammæ meæ.
Huc ô ſeuera ſtatim vndique conuolantia
Tormenta,præſides meæ veſaniæ,
Ocyus adeſte,tuq; ſoleas infimas
Pedum,ſub ipſos vſque digitos vrito,
Tu calcibus inſili,profundam tu riges
A feminibus ad genua tabem felleam,
At vos manuum repentè flectite digitos.

TOR. En imperata ſingula tibi fecimus.
Iacent,miſeríque clamitant gratiſsimè,
Per omnia torti membra tuis complexibus.

POD. Nunc agite ô hoſpites,videamus optimè,
An illitum vos nunc muniet hoc pharmacum.
Nam ſi palàm aduerſum fuerit illud mihi,
Mundum relinquens,abditos terræ ſinus
Subibo,& infimos abyſſos Tartari,
Obſcura & ignota omnibus mortalibus

MED. En vnximus,leuat neque dolores tamen.

POD. Heu proh dolor, heu tabeſco miſer atq; pereo.
Omnia populatur membra mea cæcum malum,
Non Iuppiter fert tale telum fulminis,
Non vlla ſic procella ſæuit æquoris,
Non impetuoſi tanta vis eſt turbinis.
An aſperos ſuſtineo morſus Cerberi?
Num virus Echidnæ membra mea depaſcitur?
An tunica ſanie tincta Neſsi ſanguinis?
O dea miſerere. nam neque meum pharmacum,
Nec aliud inhibere poterit curſum tuum:
Victrix ſed omnium omnibus es ſuffragiis.

POD. Deſinite nunc tormenta,dolores cedite:
Mecum quia cœptæ litis illos pœnitet,
Et norit vnuſquiſque me ſolam omnium
Illacrymabilem & immedicabilem deam.

CHORVS.

Hexametri μετ' ἐγοι & Anapæſtici Dimetri.
Non vis Salmonei contendere cum tonitribus.
Auſa Iouis,pœnas euadere ſalua potuit:
Verùm animo repreſſa,repentéque fulmen Dei
Fumigero Stygias detruditur icta ſub aquas,

Nec ſatyrus Phœbo congreſſus Marſya tulit
Inde voluptatem, cum diripit vndique cutem
Pythius illius, non præmia grata referens
Litis habet memorem, luctu quoq; fœta Niobe,
Nanq; & adhuc lugens Sipylū, rigat vda lacrymis
Mœonis ad lites Arachne, quia Pallada vocat
Perdita, nunc ſcelus id teſtantia ſtamina plicat,
Impar enim eſt diuorum affectibus humana vis:
Vt Iouis, vt Latonæ, vt Pallados, vt Pythi.
Mites ergo feras cruciatus atque faciles,
O celebris, cunctiſq; locis dea nota podagra,
Ferq; leues, & acutos, & breuiter noxios
Abſque dolore, nec intolerabiliter, bene ſuos
Qui teneant fines, ſint exiguumq; validi,
Quiq; gradum non impediant facientibus iter,
Multæ ſunt formæ miſerorum,
Sed podagricos ſoletur morbi
Exercitium & conſuetudo.
Quare æquaminiter nobiſcum
O quotquot in hac eſtis naui,
Cruciatus ex animo eiicite.
Quòd ſi quæ placeant, non fiunt,
Et iter non placitis dii inueniunt,
Quiſquis es hic cui morbus grauis eſt,
Te ludi rideríque feras,
Nam hæc huius ludi natura eſt.

OCYPVS, IACOBO Micyllo interprete.

Nimeſis eſt grecorū grammaticorū, qui huiuſmodi inſcriptiones fabularum præmittunt, vt apud Euripidē, Ariſtophanem &c. videre licet.

ARGVMENTVM.

Ocypus Podalirij & Aſtaſiæ filius fuit, pulchritudine ac viribus præſtans, gymnaſiorumque & venationum in primis ſtudioſus. Hic cum ſæpe videret eos qui à rigida podagra detinerentur, irridere illos cœpit, dictitās nihil eſſe prorſum, cur illi tātos dolores præſe ferrent. Indignatur itaque dea, ac pedes illius inuadit. Qui cum ab initio conſtanter ferret, ac morbum detrectaret, tādem à dea totus proſternitur, & ſupinus decumbit. Scena quidē ſiue actio fabulæ apud Thebas eſſe intelligitur. Chorus autē ex populariibus eius loci podagricis conſtituitur, qui omnes Ocypum pariter coarguunt. Fabula eſt ex iis quæ pro valde vrbanis habentur. Interlocutores fabulæ ſunt, Podagra, Ocypus, Nutritor, Medicus, Labor, Nuntius. Proloquitur autē Podagra. Poema imperfectū & mendoſum eſt, &, vt Eraſmus addit, ne micā quidē Lucianici ſalis habēs.

POD. GRauis hominibus, & inauſpicati nominis
Podagra vocor, mortalibus dirū malū:
Quæ vinculis adſtrīgo neruorū, pedes
Ingreſſa clàm ſub artuum compagines.
Ridere verò ſoleo eos quos torqueo,
Dum proloqui veram mali cauſam haud volunt,
Aliámq; fictam in promptu habent, qua ſe tegant.
Quilibet enim ſe decipit mendacio,
Luxatum alicubi, aut grauiter alliſum pedem
Dum dictitat, veramq; cauſam ſupprimit.
Quod enim ipſe celat, & latere alios cupit,
Hoc tempus inuito arguit eo pòſt tamen:
Ac tum domitus, veróq; nomine me vocans,
Geſtatur ab amicis, triumphus omnibus.
At verò ad hanc rem adiutor eſt Labor mihi.
Neq; enim ſine hoc ego ſola quicquam potuero.
Proinde mordet me illud, & præcordia
Tangit mihi, quòd cum ille cauſa ſit omnibus
Malorum, & omnes excruciet, nemo tamen
Inceſſat ipſum maleficis conuiciis,
Sed ab omnibus (ita eſt dementia)
Me proſequuntur imprecationibus,
Quaſi hoc mea modo effugere poſsint vincula.
Verùm quid iſta nugor, & non protinus
Qua gratia huc aduenerim ad vos, proloquor,
Iram euomens hanc intus omnem, vt eſt, meam?
Nam curſor hic (ſi diis placet) generoſus,
Elatus animo præter alios Ocypus
Contemnit, & nullam eſſe me demens ait.
Ego autem, vt mulier, ira acerbè percita,
Illum viciſsim acerbo & immedicabili
Adorta malo, vt mos eſt meus,
Ictu illico talum pedis certo petens.
Ac nunc quidem dirus labor locum eum tenet,
Plantámq; terebrat infimam ſtimulis ſuis.
At ille, ceu curſu aut palæſtra offenderit
Pedem, magiſtrum decipit, miſerum ſenem,
Sed bilioſum ægrè mouens captum pedem
Progreditur infelix domo ipſus huc foras.
Vnde autem acerbus iſte per pedes mihi
Sine vulnere improuiſius accidit dolor,
Qui neque gradi me, neque loco ſtare patitur?
Intendo verò neruum, vt arcum olim ſolet
Iaculator, inde dum ſagittas emouet:
Cogíq; tandem vis iniqua proloqui.
Cedit dolentium vltimum iam tempori.

OCYP.

NVT. Attolle te ipſum quæſo fili, & alleua,
Ne fortè concidens pro eo atque claudus es,
Tecum pariter & me trahas pronum ſolo.

OCYP. En teneo te abſque pondere, & tibi pareo:
Aegro pedi inſiſtens, doloremq; opprimens.
Nanq; iuniori turpe, pueros inter, eſt,
Obmurmurans miniſter, inualidus ſenex.

N. Ne ne quid huius ſtultè, ne mihi obiice,
Ne faſtuoſe me laceſſe vti iuuenis,
Illud ſciens, quòd iuuenis eſt quiuis ſenex
Quoties neceſsitas & opus hoc poſtulant:
Ac crede dicenti, vltimum hoc ſi ſubtraham,
Stabo ſenex, at tu iuuenis cades humi.

O. At tu, parum ſi offenderis, ſenex, cadis,
Et hoc, dolor cum nullus etiam te premit.
Siquidem parata in ſene voluntas ſemper eſt,
Sed res & opus haud quaquam in eo itidem vigent.

N. Quid hæc ſophiſticando ineptias agis?
Quin potius vnde morbus hic cauam pedis
Aduſque plantam venerit tibi, diſſeris?

O. Dum curſitando exerceo me, atque ibi leuem
Pono pedem, currens retorſi, atque incidi
In hoc malum, implicitus dolore quo vides.

N. *Denuò igitur curre, vti monebat qui ſedet
Barbamq; ſub tonſore vellit hiſpidus.

O. Ergo vbi palæſtra exerceor, *parembolam
Dum iacere luctando volo, hanc plagam tuli.
Hoc vtique tandem credere volo te mihi.

N. At qualis ipſe miles es, cedo, vt iacens
Parembolam, percuſſus hanc plagam feras?

Mendacium nectendo, falſa prædicas.
Eadem iſta diximus aliquando nos quoque,
Fatendo veritatem amico nemini.
At nunc vides vt cuncta*
Quaſſansq; facilè intorquet huc illhuc labor,

*De hoc loco Eraſmum vide in prouerbio: Curre denuo.

*Quid parēbo le inter palæſtritas proprie ſit, alibi non repperio. Videtur tamen equiuocatione hic vti, et priore loco taciturnitatem & ſubdolā luctantium interſitionem pedū ſignificare, poſteriore autē vel vallum, vel cohortē aut manū ſubſidiariā, qua in ipſa pugna cæteris vrgentibus inferatur: de qua ſignificatione Suidas & Heſychius meminerūt, & Pollux quoque.

*Haud ſcio an hic quoque deſit quippiam, cum poſteriora verba à choro magis, quā à Nutritore fieri videātur: & Medicus quoque poſtea non vnum, ſed multos cōpellat.

MED. At vbi, vbi reperiam inclytum Ocypum, viri,
Ex pede laborantem, & vacillantem gradu.
Medicus enim cum sim, ex amico quopiam
Audiui eum vehementer affici malè
Dolore, qui consistere pede ipsum haud sinit.
Sed ipsus hic propè iacet ante oculos meos,
Stratus supino per cubile corpore.
Saluere inbeo per deos te, ac tuum.
Quid istud Ocype? dic mihi, forsan
Si fortè enim cognoro, forsan remedium
Adhibebo tam sæuo dolori, atque istius
Tantam mali causam leuabo scilicet.
OCYP. At me vides, ô *soter, & Soteriche
Tubæ ipsius nomen gerens, Soteriche.
Sæuus dolor pedem mihi arrodit malè,
Gressumq; timidè facio, & haud planum pede.
MED. Vnde, aut quid accidit expedi, aut quibus modis?
Nam medicus audiens rem vt est, dempto metu
Melius adit: non audiens, errat ferè.
OCYP. Dum genere cursus nescio quo exerceor
Arti studens gymnasticæ, plagam tuli
Percussus à quodam meorum æqualium.
MED. Cur tristis igitur cessat inflammatio
Locum per ipsum? aut cur neq; impositas habes
Tinctas salubri fascias aspergine?
OCYP. Quoniam haud amo ex lana illigata vincula,
Vt quæ afferant deformitatem inutilem.
MED. Quid ergo tibi videtur? incîdam pedem?
Nam si hoc feres, scias licet, quàm plurimum
Exhauriam tibi secando sanguinem.
OCYP. Fac quicquid inuenire nunc nouum potes,
Vt me hoc pedum dolore quàm citò liberes.
MED. Et sectionem acutam, & æriferream,
Cruoribibulam, semicuruam infero tibi.
OCYP. Heus, sine, sine.
NVTR. Soter quid agis? vt ne tibi Soteria
Contingat vlla, qui facinus istud facis.
*Id est seruator, sic enim demulcendi causa medicum vocat: & Soterichus à Soter deductitiũ est, aliàs propriũ quoque.
Adhibere ferrisatum laborem sustines?
Malumq; nil planè sciens, infers pedi?
Falsus etenim audisti opera quæ audisti modó.
Nam neque palæstra iste, neq; cursu, vt dicitat,
Certando læsus est. id ex me ergo audias.
Principiò enim saluus quidem venit domum,
Pòst autem edens multum, & bibens miser,
Solus, super lectum cadens, somnum capit:
Ac deinde noctu expergefactus occipit
Clamare quasi perculsus aliquo dæmone,
Vt omnibus clamore eo incuteret metum.
Dicebat autem, vnde hoc malũ mihi? heu miser.
Fortasse dæmon potitur aliquis pede.
Noctu insuper solus quoque residens toro,
Ceu præco, lamentando prosequitur pedem.
Ast vbi diem iam gallus intonat tuba,
Accessit, & tristem mihi imposuit manum,
Plorans, febricitans, corpori innitens meo.
Tibi verò, quæ dixit prius, mentitus est,
Sæua hæc volens morbi tegere mysteria.
OCYP. Verbis senex armatus omnis semper est,
Nil iactitans non, ast opere præstans parum.
Nam qui dolet, falsumq; amicis disserit,
Similis edenti mastichen famelico est.
MED. Deludis omnes tu, aliaq; aliis implicas,
Dicens dolere te, ast vbi doleas, tacens.
OCYP. Quónam ergo pacto ediſſeram causam tibi
Huiusce morbi, qui doleo grauiter quidem.
Verùm nihil scio, nisi quòd doleo modó?
Atenim absque causa cum dolet aliquis pedem,
Posthac inania verba fingit, vt lubet,
Sciens graue illud, quo implicatus est malo.
Ac nunc quidem consistis in acie mali:
Vbi verò & alterum pedem inuadet dolor,
Flebis gemens. at dicere vnum tibi volo,
Hoc illud est, nolis, velis, hoc illud est.
Quod illud autem? quódve nomen habet? cedo. OCYP.
Nomen quidem habet è duplici factum malo. NVTR.
Hei mihi, quid hoc? dic obsecro te, dic senex. OCYP.
Ab eo loco principium habet, vbi nunc doles. NVTR.
Pedis igitur principium habet, quantum dicis. OCYP.
Huic adde sæuæ nomen Agræ, Doricum. NVTR.
Quo me ergo pacto miserum adhuc? OCYP.
Est sæua nempe, nanq; parcit nemini. NVTR.
Soter, quid ais? quid me autem? OCYP.
Sine me parum, stulte, tui ego gratia. MED.
Quid hoc mali autẽ, aut quid tibi accidit graue? OCYP.
In graue malum incidisti & incurabile. MED.
Proin claudicantem viuere hinc necesse me est? OCYP.
At esse claudum, nihil erat, néve hoc time. MED.
Quid peius autem? OCYP.
Iacere vtroque te impeditum pede etiam. MED.
Heu, vnde nouus inuasit hic mihi dolor OCYP.
Etiam alterum pedem, huicq; compatitur malé?
Quóve penitus modo obrigui vt ire hinc volo?
Formido verò dimouere pedem nimis,
Stultus, quasi infans derepente exterritus.
Sed obsecro te per deos Soteriche,
Vt si quid ars potest tua, nihil inuidens
Medeare mihi. sin minus, ego pereo funditus.
Nanque intus excrucior, doleóq; per pedes
Tanquam sagitta fixus ex arcu leui.
Equidem remota ambage verborum procul MED.
Hac, qua medici alii solent vtimodò,
Ipsaque re nullam salutis ferre opem,
Cuncta patienti breuiter exponam tibi:
Principiò ineuitabile in malum miser
Planè incidisti. non enim compactilem
Ferróq; fictam pede subisti compedem,
Sed sæuam & aditam omnibus prorsus malam,
Cuius hominum natura non tulerit onus.
Eheu miser, væ væ mihi, OCYP.
Vnde hic mihi tacitus pedem terebrat dolor?
Suscipite me manibus priusquam concidam
Perinde vti Satyri sub vlnas Bacchicos.
Equidem senex sum: at ecce tibi pareo tamen, NVTR.
Iuuenemq; te longæuus ipse manu rego.

Cætera deficiunt.

DIALOGI METRICII, Iac. Micyllo Interprete.

ARGVMENTVM.

Vt in superioribus dialogis, breuioribus quidẽ illis, Lucianus cum superorum tum inferorum res irridet, sumpta, vt videtur, occasione partim ex Homero, & ceteris epicis, partim ex Tragœdiarum quoque scriptoribus, ita in hisce meretricum colloquijs, mulierum quoque vitia, amores, variáque lasciuiam persequitur, idq; accepta eius rei occasione atque materia ex Menandro, & eius ætatis comœdis. Eadem enim & illhic argumenta tracta ta esse,

ta eſſe, ex Latinorum Terentij ac Plauti conuerſionibus coniecturã facere licet. Quod ſi autem in re non vſquequaque adeo graui aut periculoſa etiã diuinare licet, videtur Lucianus exercitandi quoque gratia huiuſmodi inſtituiſſe, quippe qui iis quibus aliquando rhetoricam tum alibi, tũ in Gallia quoq; profeſſus eſt, huiuſmodi quaſi exempla quædam propoſita voluerit. Ita enim accurate hic vbique Atticam elegantiam ac proprietatem cuſtodiuit, vt prorſus ad imitationem hæc compoſuiſſe videatur. Neque verò hoc loco crimini nobis verterit quiſpiam, quaſi meretricia hæc, & infanda etiã nõnulla, Latina facta iuuentuti legenda proponamus. Nam præterquam quòd ſuſcepto operi ſeruiendũ fuit, etiam illud defendere nos debet, quod ex ſapientioribus quoq; dixiſſe quidã fertur, Mala cognoſcenda eſſe, nõ vt faciamus, ſed vt facilius euitemus.

GLYCERA & THAIS. GLYCERA.

MIlitem iſtũ, Thais, Acarnanem qui dudum quidẽ Abrotanum habebat, póſt autem me amauit, purpuratum iſtum dico, noſtine ipſum, an oblita es homi his? THA. Quid ni noſſem Glycerium? nam & potauit nobiſcũ ſuperiori anno in feſtis Arualibus? Sed quid iſtud? videris enim neſcio quid de illo narratura eſſe. GLYC. Gorgona ipſum, ſceleſtiſſima iſta, quæ ſe amicam eſſe meam ſimulabat, ſubductum verbis, à me abſtraxit. THA. Et nunc tibi quidem ille amplius non conuerſatur, Gorgonam autem amicam ſibi parauit? GLYC. Ita eſt ô Thais: atque hæc res nõ mediocriter dolore me afficit. THA. Malũ quidem hoc eſt, Glycerium, haudquaquam nouum aut mirum tamẽ, ſed conſuetum adeò, ac fieri à nobis meretricibus ſolitum. Proinde neque mœrore affici nimium decet, neque accuſare Gorgonam. Neque enim tibi Abrotanũ ob hoc priùs ſuccenſuit, quanquam amicæ inter vos eratis. Cæterùm illud miror, quidnam adeò laudet in ea miles iſte, niſi ſi omnino cæcus eſt, qui non viderit capillitium illam rarũ habere, & in multam vſque frontẽ deductum: deinde & labia liuida, atque emortua, collum autẽ exile, & extãtes in eo venas, longúmq; naſum. Vnũ ſolum habet, quòd procera eſt, & recta, & ridet admodum illecebroſum quiddam. GLYC. An tu putas, ô Thais, propter pulchritudinem amaſſe illam Acarnanẽ? an neſcis quòd venefica eſt Chryſariũ, mater illius, Theſſalas neſcio quas incantationes ſciens, ac lunam deducens? Aiunt autem ipſam volare quoque noctu. Illa igitur in infanſam vertit hominem, pharmaco quodam ei temperato, ac bibere dato: & nunc vindemiant ipſum. THA. Tu quoque Glycerium, alium aliquem vindemiabis, iſtum autem valere ſine.

MYRTIVM, PAMPHILVS, & DORIS.

MYRTIVM.

DVciſne Pamphile, Philonis naucleri iſtius filiã? Iam enim vxorem duxiſſe te aiunt. Tot autem iuramenta quę iurasti, & lacrymæ iſtæ, breui adeò momento omnia euanuerunt? & nunc Myrtii oblitus prorſum es? idque etiam Pamphile, cum octauum iam mẽſem ex te prægnans ſim? Quippe hoc vel ſolum ex tuo amore conſecuta ſum, quòd mihi tantum impleuiſti vterum, & me nõ ita multò pòſt liberos alere oportebit, rẽ meretrici grauiſſimã. Neque enim exponã infantem, & maximè ſi maſculus naſcatur, ſed Pamphilo ei nomine impoſito, ego quidem ſolamen quoddã amoris habebo: tibi verò exprobrabit aliquando accedens ad te ille, quòd perfidus fueris in miſeram ipſius matrem. Cęterùm Pamphile, haudquaquã formoſam virginem ducis. Vidi enim nuper ipſam in Theſmophoriis vnà cũ matre, nõdum etiã ſciens quòd propter ipſam Pamphilum viſura amplius non eſſem. Proin tu quoque antea ipſam contemplare, faciémq; & oculos ipſius vide, ne te poſteà diſcruciet, quòd cælios eos admodum habet: neque etiam quòd diſtorti ſunt, & ſe mutuò aſpiciunt. Imò verò Philonem vidiſti, patrem puellæ. Faciem igitur illius noſti? quare nihil amplius opus erit filiam quoque videre. PAM. Adhuc, Myrtium, nugãtem te audio, virgines, ac nuptias neſcio quas nauticas commemorãtem? Egón autẽ ſimam aliquam, aut formoſam ſponſam noui? aut omnino quòd Philon Alopecenſis (illũ enim opinor te dicere) filiam habet nubilem? At neque patri amicus ille eſt. Memini enim de pacto nautico non multò antè iudicio illum cum illo contendere. Nam talentum, opinor, debens patri, exoluere nolebat. Pater autem apud eos qui controuerſias nauticas diſceptant, accuſauit illum: adeóque ægrè tum exoluit illud, imò neque totum, vt pater dicebat. Quòd ſi autem vxorem dicere etiam decretum mihi eſſet, Demeæ ſcilicet filia relicta, eius qui ſuperiore anno exercitum duxit, idq; etiam cum conſobrina ea mihi ſit, Philonis iſtam neſcio quam vxorem ducerẽ? Tu verò vnde iſta audiſti? an fortè ipſa hoc effinxiſti, nouas quaſdum zelotypias meditando, & cum iis perinde vt cum vmbris nequicquam digladiando? MYRT. Proinde vxorem Pamphile nõ ducesne? PAM. Inſanis Myrtiũ, aut certè temulenta es. Ac qui heri non ita multum inebriati fuimus. MYRT. Doris hæc mœrore iſto affecit me. Nam cum fortè miſſa eſſet vt lanas coemeret mihi ad ventrem, & vota pro me faceret, Lesbiam ait fortè conuenire ſe ſe. Quin potius ipſa huic, Dori, narra quæ audieris, niſi tute finxiſti ea. DORIS. At malè diſpereã, hera, ſi quicquam mentita fui. Nam poſtquã eò loci vbi curia eſt, venerã, obuiam fit mihi forte Lesbia, ſubridens, atque ait: Amator veſter Pamphilus vxorem ducit, Philonis filiã. Ac ſi credere nollem, iuſſit vt in angiportum veſtrum intrò aſpicerem, vbi omnia corollis & ſertis ornata eſſent, præterea & tibicinæ, & tumultus, & qui Hymenæũ canerent, nõnulli. PAMP. Quid igitur? aſpexiſti intrò? DOR. Atque admodũ, vidíq; omnia quę illa dixit. PAM. Intelligo errorem: neque omnia tibi Dori mentita Lesbia eſt, & tu vera Myrtio quoque renunciaſti, niſi quòd metu fruſtra ambæ territæ eſtis. Neq; enim nuptiæ illæ apud nos fiunt, ſed in mentem nunc venit mihi quod ex matre audiui quando à vobis heri domũ reuerſus fui. Nam illa mihi, Pamphile, inquit tum, æqualis hic quidem tuus Charmides, vicini huius Ariſtęneti filius, vxorẽ iam ducit, & reſipiſcit. Tu verò quouſque tandem cum amica cõſuetudinem habebis? Talia ego tum audiens, per negli

gentiam tranſmittebam, atque in ſomnum prolabebar. Deinde mane exurgens, domo ſtatim exiui, vt nihil eorum ſciam quę Doris poſtea vidit. Quòd ſi autem mihi non credis, denuò abiens hinc Dori diligenter inſpice, non porticum, ſed ianuam ipſam, vtra coronis ac ſertis exornata ſit. deprehẽdes enim non noſtram illã, ſed vicinæ eſſe. MYR. Seruaſti me Pamphile. Strangulaſſem equidem me, ſi quicquã tale factum fuiſſet. PAM. At factum non eſt, neq; ita inſaniero ego, vt Myrtii oblitus eſſe videar, præſertim iam vterum ex me ferentis.

MATER & PHILINNA. MATER.

INſanàne fuiſti Philinna, aut quid tibi accidit tandem in conuiuio heri? Venit enim ad me Diphilus mane lacrumans, & narrauit mihi ea quę indignè à te paſſus fuerit. Ebriam enim fuiſſe te, & in mediũ progreſſam ſaltaſſe ait ipſo prohibente, poſtea autem etiam oſculatam fuiſſe Lampriam ſodalem ſuum, ac poſtquã ſuccẽſuerit tibi, relicto ipſo ad Lampriam tranſiiſſe, illumq; amplexatam eſſe. Seſe verò diſperiiſſe cum hæc fierent. Sed neque noctu, opinor, cõcubuiſti cum eo, relicto autem lacrumante ſola in proximo grabatulo iacuiſti, cantillans, atque ægrè faciẽs illi. PHIL. At ea quę ipſe fecit, mater, haudquaquam narrauit tibi. neque enim patrocinareris ipſi, contumelioſo adeò exiſtenti, qui me quidẽ dimiſſa, ſermones ſubinde cõferebat cũ Thaide Lampriæ amica, cum ille nondum adeſſet. Poſtquam autem videbat indignè ferre me, atq; ego nutu admonebam hominem eorũ quæ faciebat, ille ſumma auricula apprehenſam, & ceruice ad ſe reclinatã Thaidem etiam oſculatus eſt, ita impreſſo ore, vt vix inde labia retraheret. Proinde ego quidem lacrumabar, ille verò ridebat, ac Thaidi multa in aurẽ clàm ſuſurrabat, de me videlicet. Et Thais quoq; ad me aſpiciens, ſubridebat. Vbi autẽ aduenire Lampriam animaduertebãt, ac tandem mutuis oſculationibus explerant ſeſe, ego quidem cum ipſo tamẽ accubui, vt ne in poſterum etiã hoc cauſari poſſet. Thais autem exurgens, ſaltauit prima, nudatis in multũ vſq; talis, perinde ac ſi ſola pulchros eos haberet: ac poſtquam deſiit, Lamprias quidem tacebat, neque quicquã verbis addidit: Diphilus autem ſupra modum laudabat concinnitatem, ac geſtus æquabilitatem, eò quòd in nullo adeò defeciſſet, quódq; aptè ad citharã & motus & planta reſpondiſſent, & alia infinita, perinde ac ſi Calamidis Soſandram laudaret, & non Thaidem, quam tu quoq; ſatis noſti, cũ nobiſcum lauaret nuper, qualis ſit. Ipſa autẽ Thais qualia in me ſtatim probroſe dixit? Si quam enim, inquit, non pudet gracilium cruũ quæ habet, exurgens ſaltet etiam ipſa. Hic tibi quid dicã mater? ſurrexi equidem, atq; ſaltaui. Quid enim facere cõueniebat? perferre ſcilicet; & illentio ſcomma illud tacitè confiteri? ac Thaidem permittere ita in conuiuio regnare? MAT. Aemulatio hęc quidẽ, filia, grauior paulò fuit. Nã ne curare quidẽ iſta oportebat. ſed tamẽ dic quæ poſt hæc cõſecuta ſunt. PHIL. Cæteri quidem igitur laudabant, Diphilus autẽ ſolus, ſupinus in tergũ iacens, ad lacunar ſurſum aſpiciebat ſcilicet, donec ſaltando defeſſa ego quieui.

De Calamidis ſtatuario Plinius lib. 34. capi. 8.

MAT. Quid autem quòd Lampriam oſculata eſſe diceris, verúmne iſtud fuit? quid taces? Non enim hoc quoque venia dignũ eſt. PHIL. Atqui viciſſim illi ægrè facere volebam. MAT. Deinde neque concubuiſti vnà cum illo, ſed etiã cantillaſti lacrumante illo. An non intelligis filia, quòd mendicæ atque inopes ſumus? neque meminiſti quàm multa ab illo accepimus, aut quo pacto ſuperiore hyeme viuendum nobis fuiſſet, niſi hunc nobis ipſa adeò Venus obtuliſſet? PHIL. Quid tum igitur? an ob id tolerarẽ hæc, & cõtumelia ab ipſo afficerer? MAT. Iraſcere quidem, ne autem viciſsim contumelioſa fueris. An neſcis quòd cõtumelia affecti amatores, amare deſinũt, & ſe ipſos obiurgant? Tu verò omni no difficilis ſemper erga hominem fuiſti. Ac vide, ne iuxta prouerbium, funiculũ nimis intendendo, abrumpamus aliquando.

MELISSA & BACCHIS.

SI quam fortè noſti, Bacchi, anum, quales multæ Theſſalæ perhibẽtur eſſe incantatrices, & amabiles videri facientes, etiã ſi qua prorſum odio digna mulier exiſtat, eam acceptam ad me adducas quæſo. ita tibi rebus tuis optatò frui liceat. Nã ego veſtes omnes, atque omne aurum hoc libenter amiſerim, ſi ſolùm videam iterum ad me reuerti Charinũ, odio Simmichen perinde habentem, atque me nunc habet. BAC. Quid ais Meliſſa? non amplius tecũ conſuetudinem habet, ſed ad Simmichen diuertit Charinus, cuius gratia tantas iras parentũ ſuſtinuit, cum diuitem illam vxorẽ ducere negaret, quæ quinque in dotem talenta, vt dicebatur, illi allatura erat? memini enim me iſta ex te audire. MELIS. Cũcta hæc euanuerunt, Bacchi, & iam quintus dies eſt ex quo illũ prorſus ne vidi quidem: ſed potant apud æqualem Pammenem ipſe & Simmiche. BAC. Acerba ſanè hæc Meliſſa tibi accidunt. Sed quid adeò diſsidium hoc inter vos cõciliauit? Videtur enim haudquaquam exiguũ iſtud eſſe. MELIS. Quod ad ſummã rei attinet, prorſum ne dicere quidem poſſum. Paulò autem antè, cum ex Piræo rediret (deſcenderat enim opinor eò, vt debitum quoddã exigeret, à patre miſſus videlicet) neq; me aſpicere volebat ingreſſus, neq; etiam recipiebat accurrentem me, vti conſuetum inter nos erat, ſed repellens à ſe, amplexari volentem, Abi, inquit, ad nauclerum Hermotimum, aut ea quæ in parietibus in * Ceramico ſcripta ſunt, lege, vbi nomina veſtra columnis inciſa ſunt. Tum ego: Quemnam, inquam, quem mihi Hermotimum narras? aut quas columnas dicis? Ille autem nihil reſpondens, atque etiã incœnatus dormiebat, auerſus à me iacẽs. Quàm multa hic me putas machinatam fuiſſe, amplectendo, conuertendo, atque etiam oſculando auerſi illius ceruicem? At ille ne vllo quidem pacto ſe deliniri paſſus eſt, ſed ſi mihi, inquit, plus ſatis moleſta fueris, abibo hinc, etiam ſi nox intempeſta ſit. BAC. At tamen noras Hermotimum? MEL. At me videas ô Bacchi miſeriorem multò quàm nunc ſum, degere, ſi vllum ego nauclerum Hermotimum vſquam noui: niſi quòd ille quidem ſummo mane à me abiit, ſtatim ad galli cantum expergefactus, ego verò memineram quod in

* Locus fuit Athenis, vbi meretrices habitabant, & alter, vbi bello cæſi ſepelieban tur. Suid.

in pariete quodam in Ceramico ſcriptũ aiebat nomen iſtud eſſe, atque ob id miſi ſtatim Acidem, quæ illud videret. Illa verò aliud quidem nihil reperit, niſi hoc ſolum inſcriptum ad dexteram ab ingreſſu ſupra Dipylum, Meliſſa amat Hermotimum. & rurſum inferius paulò: Nauclerus Hermotimus amat Meliſſam. BAC. O aduleſcentes curioſos ac petulantes! Intelligo enim. Aegrè facere quiſpiã Charinovolẽs, inſcripſit hæc, zelotypũ videlicet ipſum eſſe ſciens. Ille autẽ ſtatim vt legit, credidit. Quòd ſicubi igitur ipſum viderem, dicerem: Imperitus rerum eſt, ac puer adhuc. MEL. Vbi verò videas illũ, qui cum Simmiche conuerſatur, ſe ipſum cum illa concludens? Parentes autem etiamnũ apud me quærunt ipſum. Sed ſi quam anum habere, Bacchi, vt dixi, poſsim, ea apparens fors ſeruaret me. BAC. Eſt quædam venefica, mea tu, ad hanc rem maximè idonea, Syra natione, cruda adhuc, & bene compacta, quæ mihi aliquando Phaniam, cũ & ille mihi temere ita ſuccenſeret, recõciliauit, idq; poſt totos menſes quatuor, cũ ego iam planè deſperaſſem. Ille autem incantationibus compulſus, rurſum ad me rediit. MELIS. Quid igitur poſcebat anus ea, ſi modò adhuc meminiſti? BAC. Nõ magnã accipit mercedẽ, Meliſſa, ſed drachmã, & panem: & impoſitos præterea oportet eſſe cum ſale obolos ſeptem, & thyum, & facem. Iſta verò anus accipit, & cratêrem quoque miſceri illi oportet, biberéq; illam indelam. Oportebit autem & ipſius viri aliquid adeſſe, vti veſtem, aut crepidas, aut pauculos crines, aut id genus aliud quippiam. MELIS. Habeo crepidas illius. BAC. Hiſce igitur ex palo ſuſpenſis, infrà ſuffitum thyo facit, aſpergens igni ſalem quoque. Pronuntiat autẽ amborum nomina ad hæc, & illius videlicet, & tuũ. Deinde è ſinu proferens rhombum, huc illhuc cõuertit, incantationem quandã dicens volubili lingua, barbara videlicet atque horrenda nomina. Hæc illa tum fecit, ac nõ multò pòſt Phanias, cum illũ pariter & æquales ob hoc reprehenderent, & ipſa Phœbis, quícum rem habebat tum, multũ poſtularet, venit mihi incantatione iſta prorſum attractus. Præterea autem etiam odii concilian di medicamentum hoc contra Phœbidem docuit me, vt videlicet veſtigium ab illa impreſſum obſeruarem, & in ſiniſtrum illius, pede meo dextero inſiſterem, cõtrà autem in dexterũ illius, ſiniſtro meo, atque ita dicerẽ, Conſcendi te, ac ſuperior ſum: feciſque ita vt illa tum præcepit. MELIS. Ne morare Bacchi, ne morare, ſed voca iam Syram illam. Tu verò Aci panẽ & verbenas, & cætera omnia ad incantationem quæ pertinent, appara.

θύω, ὄσμας δᾴδεσσι, inquit Heſychius. huius ſuffitu in ſacris vtebantur.

CLONARIVM & LEAENA.

NOVA quædã de te audimus Leæna, Lesbiam videlicet Megillã diuitẽ illã amare te perin de vt virũ, & coire vos, neſcio quid mutuò vobis facientes. Quid iſtud? Erubuiſti? Sed dic mihi, veràne iſta ſunt? LEAE. Vera, Clonarium: pudet autẽ dicere. Alienũ enim quiddã eſt. CLON. At per Cererem, quid hoc negotii? aut quid ſibi vult mulier? Quid autẽ etiam agitis quando coitis? Vides, haudquaquam anas me: neque enim celares me talia. LEAEN. Amo equidem te, quantum vllam aliam. Mulier autem illa, virilis ſupra modũ eſt. CLO. Non intelligo quidnam etiã dicas, niſi ſi Tribas quæpiã eſt. Tales enim in Leſbo perhibent mulieres eſſe, quæ à viris quidem pati illud nolint, cum mulieribus autem ipſæ perinde ac viri ſolent, congrediantur. LEAEN. Tale quippiam eſt. CLO. Proin mea Leæna, iſtud ipſum etiã expone, quo pacto videlicet ab initio ſolicitauerit te, quóque modo etiam adduci te vt illi morem gereres, paſſa fueris, & quæ deinceps conſecuta ſunt. LEAEN. Compotatiunculam quandã inſtituerant ipſa & Demonaſſa Corinthia iſta, diues ipſa quoq;, & in eadem arte cum Megilla exercitata: aſſumpſerantq; me, vt cithara ipſis canerem. Poſtquam autẽ ſatis cecineram, & iam intempeſta nox erat, cubitúmque ire conueniebat, ipſæ autẽ iam ebriæ erãt: tum Megilla, Age, inquit, Leæna, iam enim dormire æquum eſt, hic nobiſcum vnà cuba, media inter vtranq;. CLO. Concubuiſtíne? Quid tum poſtea factum eſt? LEAEN. Oſculabantur me primò perinde atq; viri ſolent, non ipſa modò labia applicãtes, ſed os ſubaperiẽtes quoq;. Deinde & amplexabantur, & papillas atterebant mihi. Demonaſſa autem etiam mordebat inter deoſculandum. Ego verò quídnam rei eſſet, haudquaquam etiam coniectura conſequi poteram. Cæterùm parua interiecta mora, Megilla cum iam incaluiſſet, comã, vt illam quidem fictitiam habebat, à capite reiecit, ipſa autem iacebat omnino ſimilis atque æquiparanda gladiatori alicui vehementer virili, atque robuſto, ad vitium vſque eute detonſa. Ac ego quidem vbi aſpexi, perterrita ſum. Illa verò, Leæna, inquit, ecquem adoleſcentem vnquam vidiſti ita pulchrum? At nõ video, inquam ego, vllum hic adoleſcentem, Megilla. Tum illa, Ne me, inquit, effœmines, aut mulierem facias: Megillus enim vocor ego, & iam olim Demonaſſam hanc vxorẽ duxi, eſtque ea vxor mea. Riſi equidem ad hæc, Clonarium, atque, proinde Megilla, latuiſti, inquam, tu nos, vir exiſtens, quemadmodum Achillem aiunt inter virgines abſconditum latuiſſe: habéſque virile illud, ac Demonaſſæ facis idem quod viri ſolent? Idem ego Leæna, inquit, non habeo, ſed neque opus eo admodum habeo. Peculiari autem modo ſuauius aliquantò conuerſari me videbis. At num Hermaphroditus es, inquam ego, quales multi perhibentur eſſe, vtrunque membrum habentes? (Adhuc enim, Clonarium, ipſam rem ignorabam) Neque hoc, inquit illa, ſed per omnia vir ſum. Tum ego, Audiui, inquam, ex Bœotia tibicina quadam Iſmenodora nomine, cũ illa quæ* Epheſtria apud ipſos dicuntur, enarraret, fuiſſe Thebis quendam ex muliere virum factum, qui idem & vates optimus fuerit. Nũ igitur & tibi tale aliquid accidit? Haudquaquam Leæna, inquit, ſed nata equidem ſum ſimilis vobis aliis, ſententia autem & lubído, cæteráque omnia virilia mihi ſunt. Proinde ſufficiẽs tibi, inquã, lubido eſt? Tum illa: Præbe igitur Leæna inquit, & cognoſces me nihilo inferiorem viris eſſe. Habeo enim quiddam aliud pro virili illo. Sed præbe, vide bis enim. Præbui itaque, Clonarium, cum illa diu multúmq; ſupplicaret, atq; etiam monile daret ex pretioſioribus illis quoddam, & velamina aliquot

Epheſtris, veſtimenti genus militaris eſt, vnde epheſtria deriuari videtur. vtrũ autẽ poema, aut cãticũ, aut etiam feſtũ aliquod apud Thebanos fuerit, dubitari poteſt.

tenuiora. Atq; exinde ego quidem illam perinde ac virum complectebar. Illa autem & faciebat, & oſculabatur, & anhelabat, videbaturq; mihi ſupra modũ adeò voluptate affici. CLO. Quid faciebat Leæna? aut quo modo? hoc enim quæſo vt maximè dicas. LEAEN. Ne quære accuratius omnia. turpia enim ſunt. quare equidẽ, per Vraniã, haud facilè dixero.

CROBYLE & CORINNA.

QVOD igitur Corinna mea, haudquaquam ita graue fuerit, ceu tu putabas, ex virgine mulierem fieri, id iam didiciſti videlicet, quippe quæ cum adoleſcente quidem formoſo fueris, minam autem pro prima mercede abſtuleris, pro qua ſtatim monile comparabo tibi. COR. Ita amabo. Habeat autem & lapillos aliquos pellucidos, quale Philænidis eſt. CRO. Erit ſanè tale. Sed audi etiam cætera ex me, quæ te oportet facere, & quo pacto accommodare te viris. Nam alia nobis victus ratio nulla eſt, filia, ſed per duos hoſce annos, ex quo pater tuus piæ memoriæ defunctus eſt, an neſcis quo pacto vitam egerimus? At quando ille adhuc viuebat, abunde nobis omnia ſuppetebant. Artem enim ferrariam exercebat, magnumq; adeò nomẽ eius erat in Pyræo: ac pleroſq; audire licet deierantes, quòd poſt Philinum ferrarius talis opifex alius amplius non ſit futurus. Poſt mortem autem eius, principiò quidem diuenditis forcipibus, & incude, & malleo, duabus minis, ex illis tum vitam ſuſtentauimus. Poſtea autem, aliàs quidem texendo, aliàs autem tramam deducendo, interdum etiam ſtamina nendo, ægrè victũ parabã. Te verò, filia, enutriebam, ſpem expectans. COR. Minam iſtam dicis? CRO B. Non, verùm ita rationem inibam, quòd cum ad iſtam ætatem peruenifſes, & me facilè alere poſtea, & te ipſam exornare poſſes, diues videlicet ipſa futura, & veſtes habituta purpureas, & ancillas pediſequas. COR. Quomodo hoc, mater? aut quid dicis? CROB. Si cũ adoleſcentibus rem haberes, & vnà potares cum ipſis, & pro mercede concumberes. COR. Quemadmodum Daphnidis filia Lyra? CRO. Ita. COR. At illa meretrix eſt. CRO. Nihil graue hoc. Nam & tu perinde vt illa, opulenta eris, multosq; amatores habebis. Quid lacrumaris Corinna? An non vides quàm multæ ſint, & vt ab omnibus magno ſtudio ambiantur meretrices? Deinde & quãtum pecuniæ accipiant? Daphnidem igitur, ô chara Adraſtia, noui ego, cum pannoſa ac lacera incederet, priuſquã videlicet illa ad adultam ætatẽ peruenifſet. At nũc vides qualis prodeat, vt illi aurum, & veſtes floridæ, & ancillæ quatuor. COR. Quo pacto autem hæc acquiſiuit Lyra? CRO. Principiò quidem exornando ſe ipſam eleganter, deinde facilem atque hilarem gerendo ſe erga cunctos, non eò quidẽ vſq; vt in cachinnum facilè ſolueretur, quemadmodum tu ſoles, ſed arridendo ſuaue ac blandum quiddam. Poſtea autem & conuerſando ſapienter ac dextrè, neq; decipiẽs ſi quis eam accedit, aut accerſit, neq; etiam obiurgans atq; increpans viros. Ac ſi quando ad cœnam quoque abit acceptа mercede, neq; inebriatur (ridiculum enim hoc, & oderunt viri tales) neque ineptè ac ruſticè oppletur obſonio, ſed attingit quidem ſummis digitis: tacitè autem edendo non obturat vtranque maxillam ingeſtis buccellis. Præterea autem & bibit modeſtè, non affatim, & velut ore dehiſcente, ſed remiſſe ac placidè. COR. Etiam ſi forte ſiti afficiatur, mater? CRO. Imò præcipuè tum, Corinna: & neque plus æquo loquitur, neque acerbè vllum ex iis qui vnà adſunt, perſtringit. Ad ſolum autem eum à quo conducta eſt, aſpicit. Et ob hoc illi amant ipſam. Ac poſtquam cubitum eundum eſt, nihil neque petulans nimis, neque ineptum & incõpoſitum facilè admittit, ſed ex cunctis vnum hoc maximè obſeruat, vt illum alliciat ad ſeſe, & amatorẽ ſui faciat. Hoc enim nomine cuncti ipſam laudant. Quòd ſi igitur & tu eadem hæc didiceris, beatæ nos quoq; erimus. Nam cætera quidem multò ipſa. Sed nihil ô chara Adraſtia addam amplius: viuas modó. COR. At dic mihi mater, ii qui mercede nos conducunt, omnéſne tales ſunt, qualis eſt hic Eucritus, cum quo heri cõcubui? CRO. Non omnes, ſed alii quidem meliores, alii autem etiam duriores, magisq; viriles: nonnulli verò non adeò liberali forma quoque præditi. COR. Et cum hiſce igitur concumbere oportebit? CRO. Maximè verò, filia. Nam hi quidẽ plura quoque dant. formoſi autem, hoc ipſum ſolùm formoſi videri volunt. Tu verò eius quod plus eſt, rationem ſemper habeas, ſi breui cupis cunctas demonſtrare digito te, ac dicere: An non vides Corinnam Crobylæ filiam, vt excellenter diues eſt, & terque quaterque beatam matrem ſuam reddidit? Quid ais? faciéſne iſta? Facies, noui ego, facileque adeò cunctis anteibis. Nunc autem abi vt laues, ſi forte veniat etiam hodie adoleſcens ille Eucritus. ita enim pollicitus eſt.

MATER & MVSARIVM.

ERGO ſi talem amatorẽ poſthac inueniamus, Muſarium, qualis Chærea hic eſt, immolare oportebit nos, *Publicę quidẽ Veneri caprã candidã, Cæleſti autẽ, & ei quæ in hortis eſt, iuuencã vtrique: ſertis prẽterea coronare etiã opũ largitricẽ: & in ſumma, beatæ ac ter felices erimus. Quippe vides nũc ab adoleſcẽte iſto quàm multa accipiamus, qui obolũ quidẽ nunquã vllũ tibi dedit, neq; veſtem, neq; ſoleas, neq; vnguentum, ſed excuſationes apud illum ſemper, & pollicitationes, & ſpes longæ, & illud crebrum, Si pater, &, ſi dominus fiã paternarũ poſſeſſionũ, &, omnia tua. Tu autẽ etiam iuſurandum dediſſe ipſum ais, quòd legibus vxorẽ te ſibi facturus ſit. MVSA. Iurauit enim, mater, per Cererem & Proſerpinam, & Mineruam. MAT. Et credis illi ſeilicet? & ob hoc paulò antè, cum non haberet vnde daret ſymbolum, annulum dediſti illi, me ignorante: ille verò vendito eo, potando abſorbuit. Et rurſum duo monilia iſta Ionica, quorum vtrunque pendebat duos Daricos, quæ tibi Chius ille nauclerus Praxia attulerat, Eſſeſi commercatus. Debebat enim tum Chærea cœnam collatitiam vnà cum adoleſcentibus æqualibus dependere. Nã vela & tunicas quid attinet dicere? Et in ſumma, lucrum adeò quoddam nobis, & magna vtilitas iſte obuenit ſcilicet. MVSA. At pulcher eſt, & imberbis, & amare ſe ait, & lacrymatur. Præterea & Dinomaches, Lachetiſque filius eſt Areopagitæ illius, dicítque vxorem me ducere velle ſe: denique magnæ ſpes ab ipſo nobis factæ ſunt, ſi ſenex

*τῇ παιδὶ μᾶλλον ἢ τῇ ἑρμαφροδίτῃ ἢ τῇ χάριτι. Cognomenta autem Veneris ſunt, Pãdemus, Vrania, & Hortenſis. Priorũ etymõ reddit Pauſanias in Bœoticis. Hortẽſis autem à loco dicitur, cuius item Pauſanias meminit in Atticis.

ſi ſen ex ille ſolùm oculos clauſiſſet. MAT. Proinde Muſarium, vbi ſoleis aut crepidis opus erit, & ſutor didrachmam popoſcerit, dicemus & nos illi, Argentum quidem non habemus, tu autem ſpes quaſdam modicas à nobis accipe. Et rurſum ad piſtorẽ eadem hęc. Et cum penſionem domus depoſcemur: expecta dicemus, videlicet dum Laches*Colyttenſis moriatur. Exoluemus enim tibi tũ poſt nuptias. An non pudet te, quòd ſola meretricum neq; inaureis habes, neque monile aliquod, neque veſtẽ*Tarentinam? MVS. Quid igitur mater, fortunatioréſne lucida quæ illæ me, & pulchriores ſunt? MAT. Non, ſed prouidã fuit, vt dentiores, norúntque meretricari, neq; credunt veribis modò, & adoleſcentulis, in ſummis labris iuſiurandum gerentibus. Tu verò fidelis es, & amans viri, neque admittis alium quenquam, prętерquam ſolum hunc Chæream. Ac nuper quando agricola ille Acarnenſis veniebat duas minas ad te afferens, imberbis ipſe quoque (vini autem pretium hoc retulerat, à patre ad id miſſus) tu verò etiam ſubſannaſti hominem: dormis autem cum Adonide ſcilicet iſto tuo Chærea. MVS. Quid igitur? An decebat relicto Chærea recipere me operarium iſtum fœtidum, atque hircum olentem? Leuis mihi, vt aiunt, Chærea, & porcellus Acarnanius. MAT. At eſto ſanè ille agreſtis, & malè oleat, quid autem? Cur neque Antiphontem Menecratis filium, minam tibi pollicentem, recipere voluiſti? An non formoſus erat, & vrbanus, æqualis Chæreæ? MVSA. At interminatus fuerat Chærea ambos nos iugulaturum eſſe ſe, ſi me cum illo vnquam depræhenderet. MAT. Quàm multi autem & alii eadem hæc minantur! An tu igitur ſine amatoribus ob hoc manebis? & pudicè ages, perinde ac ſi non meretrix, ſed Cereris ſacerdos quæpiã fores? Ac cætera omitto, hodie verò*Aloa ſunt: quid tibi igitur dedit, quin celebritatem hanc peraſis, ſeu tritu geres? MVSA. Ah, non habet, mater mea. MAT. Quid? an ſolus iſte artem nullam aduerſus patrem inuenire poteſt? nõ ſeruum immittere, qui illũ decipiat? non à matre ipſe poſtulare, minitando ſe in militiam hinc nauigaturũ eſſe, niſi accipiat? Verùm ſedet nos atterens, ac vana ſpe producens, neque ipſe quicquam dans, neque à dantibus accipere ſinens. Tu verò, ô Muſarium, an putas te octodecim annorum ſemper fore, aut eodem animo futurum Chæream? Quando ipſe quidem dives erit, mater autem opimas aliquas ac bene dotatas nuptias ipſi inueniet, an ille tum, putas, meminerit lacrymarum iſtarum, aut ſuauiorum, aut etiam iuriſiurandi alicuius, cum dotem quinque fortaſsis talentorum aſpiciet? MVS. Meminerit ille: cuius rei argumentum illud vtique, quòd neque nunc vxorem duxit, ſed cũ à patre cogeretur, ac vim propè pateretur, tamen negauit ducere. MAT. Vtinam non decipiaris, ſed tamen admonebo te, Muſarium, aliquando horum.

*Pagi Attici nomẽ eſt Colytta.

*Hæc tenuis ac pellucida quæ illæ me, & pulchriores ſunt? MAT. Non, ſed prouidã fuit, vt dentiores, norúntque meretricari, neq; credunt veribis modò, & adoleſcentulis, in ſummis labris iuſiurandum gerentibus. Tu verò fidelis es, & amans viri, neque admittis alium quenquam, prętерquam ſolum hunc Chæream. Ac nuper quando agricola ille Acarnenſis veniebat duas minas ad te afferens, imberbis ipſe quoque (vini autem pretium hoc retulerat, à patre ad id miſſus) tu verò etiam ſubſannaſti hominem: dormis autem cum Adonide ſcilicet iſto tuo Chærea. MVS. Quid igitur? An decebat relicto Chærea recipere me operarium iſtum fœtidum, atque hircum olentem? Leuis mihi, vt aiunt, Chærea, & porcellus Acarnanius. MAT. At eſto ſanè ille agreſtis, & malè oleat, quid autem? Cur neque Antiphontem Menecratis filium, minam tibi pollicentem, recipere voluiſti? An non formoſus erat, & vrbanus, æqualis Chæreæ? MVSA. At interminatus fuerat Chærea ambos nos iugulaturum eſſe ſe, ſi me cum illo vnquam depræhenderet. MAT. Quàm multi autem & alii eadem hæc minantur! An tu igitur ſine amatoribus ob hoc manebis? & pudicè ages, perinde ac ſi non meretrix, ſed Cereris ſacerdos quæpiã fores? Ac cætera omitto, hodie verò*Aloa ſunt: quid tibi igitur dedit, quin celebritatem hanc peraſis, ſeu tritu geres? MVSA. Ah, non habet, mater mea. MAT. Quid? an ſolus iſte artem nullam aduerſus patrem inuenire poteſt? nõ ſeruum immittere, qui illũ decipiat? non à matre ipſe poſtulare, minitando ſe in militiam hinc nauigaturũ eſſe, niſi accipiat? Verùm ſedet nos atterens, ac vana ſpe producens, neque ipſe quicquam dans, neque à dantibus accipere ſinens. Tu verò, ô Muſarium, an putas te octodecim annorum ſemper fore, aut eodem animo futurum Chæream? Quando ipſe quidem dives erit, mater autem opimas aliquas ac bene dotatas nuptias ipſi inueniet, an ille tum, putas, meminerit lacrymarum iſtarum, aut ſuauiorum, aut etiam iuriſiurandi alicuius, cum dotem quinque fortaſsis talentorum aſpiciet? MVS. Meminerit ille: cuius rei argumentum illud vtique, quòd neque nunc vxorem duxit, ſed cũ à patre cogeretur, ac vim propè pateretur, tamen negauit ducere. MAT. Vtinam non decipiaris, ſed tamen admonebo te, Muſarium, aliquando horum.

*Hoc eſt feſta meſſis, ſeu tritu rationis, ea dẽ quæ ſuprà Aruaſia expoſui mus.

AMPELIS & CHRYSIS.

SI quis, ô Chryſi, neque zelotypus eſt, neque iraſcitur, neque alapas inflixit aliquando, aut capillos conſcidit, aut veſtes lacerauit, pro amatoréne adhuc habendus videtur? CHRY. Proinde iſta ſola amantis, Ampeli, indicia? AMP. Maximè: ſi quidem hæc viri feruentis ſunt: Nam cætera illa, oſcula, & lacrymæ, & iuſiurandum, & crebrò ventitare, incipientis & adhuc creſcentis amoris ſigna. Cæterùm totus hic ignis zelotypia conſtat. Quare ſi te, quemadmodũ dicis, Gorgias alapis cædit, & zelotypus eſt, benè ſperes licet, optéſque vt eadem ſemper faciat. CHR. Eadem autem? quid ais? vt ille me ſemper percutiat alapis? AMPE. Non, ſed vt ſemper illi ægrè ſit ſi nõ ad ſolum ipſum aſpicias: quoniam certè niſi amaret te, cur quæſo iraſceretur etiam ſi quem alium amatorem habeas tu? CHRY. At equidem non habeo: ille verò nequicquam ſuſpicatus eſt diuitem iſtum me amare, ex eo quòd mentionem eius fortè aliquando feci. AMPE. Atque hoc ſuaue ſanè eſt, putare illum à diuitibus obſeruari ac coli te. Ita enim maiori dolore afficietur, magíſque æmulabitur & contendet, ne potiores ipſo apud te ſint riuales. CHRY. At verò ille quidẽ ſolùm iraſcitur, & alapis cædit, nihil autem dat. AMP. At dabit poſtea. Nam zelotypi vel maximè dolore afficiuntur. CHRY. Neſcio quo pacto alapas accipere me vis, ô mea Ampeli. AMP. Haudquaquam ego: ſed, vt arbitror, maximi amores inde naſcũtur, etiam ſi audiat ſe negligi. Quòd ſi autem perſuaſum illi fuerit, ſe ſolum habere te, elangueſcet neſcio quomodo lubido illa. Atque hæc tibi dico, quæ iam annos viginti toros meretricium quæſtum exercui. Tu verò annos, vt arbitror, decem & octo nata es, aut pauciores etiã. Quod ſi autem vis, narrabo etiam quæ mihi acciderunt aliquando, non adeò multos ante annos. Amabat me Demophantus, fœnerator ille, momẽtaneo ac leui quodam amore, neque ingemiſcens, neque lacrumans, neque etiam intempeſtiuè ac ſera nocte ad fores ventitans, ſed illud ſolum, interdum dormiẽs mecum, ídque etiam poſt longum interuallũ. Poſteaquam autem venientem aliquando excluſi (nam tũ Calliades pictor intus erat, datis decem drachmis) principiò quidem abiit, verbis me inſectatus. Poſtquam autẽ multæ dies iam tranſiiſſent, neque ego ad illum mitterem (rurſus autem tum Calliades intus erat) incaleſcens tum tandem Demophantus, etiam ipſe ad rem inflammatur. Atque adſtans aliquando, cum ianuam obſeruaſſet apertam, flebat, percutiebat, minabatur ſe occiſurum eſſe, lacerabat veſtem, omniáque faciebat. Et poſtremùm talento dato habebat me ſolus totos octo menſes. Vxor autẽ ipſius cunctis dicebat, medicamentis à me ipſum ad inſaniam redigi. At hoc igitur medicamentũ zelotypia erat. Quare ô Chryſi, & tu vtere contra Gorgiam eodem medicamento. Porrò dives adoleſcentulus hic erit, ſi quando patrem ipſius mori continget.

DORCAS, PANNYCHIS, PHILOSTRATVS, POLEMON.

DORCAS.

PEriimvs ô hera, periimus. Polemõ ex militia reuerſus eſt, diuitiis onuſtus, vt aiunt. Vidi autem & ego ipſum ſago purpura prætexto & fibulato indutum, & ſeruos pediſequos vnà cum eo multos. Ac amici vt aſpexerunt, concurrebant ad ipſum, ſalutaturi videlicet. Interea autem ſeruum conſpicata à tergo ſequentem, eum qui cum ipſo profectus fuerat,

interrogabam, ac, die mihi Parmeno, inquiebam, ſalutato prius ipſo, quo pacto nobis egiſtis? & nunquod operæpretium bellorum conſecuti, huc reuerſi eſtis? PAN. Non decebat hoc ſtatim, ſed illa primùm, Quòd quidẽ ſeruati eſtis, multa diis gratia, & in primis Ioui Hoſpitali, & Mineruæ militari. Cæterum hera ſemper rogitare ſolebat quidnã ageretis, & vbi eſſetis. Quòd ſi autem etiam hoc addidiſſes, quòd & lacrumaretur, & mentionem Polemonis faceret ſemper, ſatius id fuerat multò. DOR. Præfata equidẽ ſum ſtatim à principio cuncta hæc: ad te autem non putaui opus eſſe, verùm illa dicere volui, quę audiui. Nam ad Parmenonem certè ita incœpi: Eccubi, Parmeno, tinnierunt vobis aures? Semper enim reminiſcebatur veſtri hera cũ lacrymis, & maximè ſi quando ex pugna venerat quiſpiam, multíq; mortui eſſe dicebantur, euellebat tum crines, & pectus percutiebat, & lugebat ad vnumquodque nuntium. PAN. Rectè Dorcas. ita decebat. DOR. Deinde non multò pòſt interrogabam illa quoque ordine. Ille autem, Admodum ſplendidè, inquit, reuerſi ſumus. PAN. Ita autem etiã ille, nihil præfatus quòd meminerit mei Polemon, aut deſiderio affectus fuerit, aut optauerit ſaluam atque incolumem me iterũ deprehendere? DOR. Atq; adeò multa huiuſcemodi dicebat. Quod igitur caput rei eſt, narrauit diuitias multas, aurũ, veſtes, ſeruos, ebur. Nam argentum quidem afferre ipſum dicebat non ad numerum, ſed ad menſuram, multos videlicet medimnos plenos. Habebat autem & ipſe Parmeno annulum in digito paruo maximum, ac multangulum, lapillúſq; incruſtatus in eo erat ex tricoloribus illis quidam, rubebátque ſuperné. Reliqui autem ipſum, cum adhuc pararet mihi dicere, quo pacto Alyn tranſiiſſent, & vt occidiſſent Tiridatem quendã, & quomodo verſatus ipſe Polemon in pugna contra Piſidas eſſet: accurríque domum, vt hæc tibi renuntiarẽ, vt quid de omnibus rebus faceres, deliberares ipſa tecum. Nam ſi veniens Polemon (veniet enim haud dubiè poſtquam à ſe notos ac ſalutãtes illos amouerit) ac reſciſcens, deprehenderit Philoſtratum apud nos intus, quid putas quæſo facturum ipſum eſſe? PAN. Inueniamus Dorcas ex re præſenti tum conſiliũ, atque ſalutem aliquam. Nam neque hunc ablegare honeſtum fuerit, vt qui talentũ nuper dederit, & præterea mercator quoque eſt, & multa pollicitus: neque rurſum vtile, Polemonem talẽ ac tantũ redeuntem non recipere. Nam præter hęc etiam zelotypus eſt: & cum pauper adhuc intolerabilis adeò fuerit, quid nunc non putes illum facturum? DOR. At etiã accedit. PAN. Deficio ò Dorcas, conſilii inopia, ac tremo. DOR. Sed & Philoſtratus accedit. PANN. Quæ igitur fiam? quomodo me autem terra abſorbeat? PHI. Quid? cur nõ potamus Pannychi? PAN. Perdidiſti me, ô homo. Tu verò ſalue Polemon, poſt longũ adeò oculis oblatus iterum meis. POL. Hicce igitur quiſnam eſt, qui huc ad nos accedit? taces? Euge abi ò Pannychi. Ego verò ex Pylis intra quintum diem huc aduolaui, approperans videlicet ad talem mulierẽ. Ac meritò ſanè hæc mihi acciderunt, tibíque adeò gratiam habeo, neque enim poſthac amplius abs te diripias. PHI. Tu verò quiſnam es, bone vir? POL. Nimirum audis, quòd Polemon ego, Sterienſis ille, ex tribu Pandionis, qui Tribunus militum à principio fui, nunc autem totius dux legionis, amator Pannychidis, cum eam adhuc humana ſapere putarẽ. PHI. At nunc, Tribune*, Pannychis hæc mea eſt, talentúmq; à me accepit. Accipiet autẽ & alterũ iam, vbi onera ſeu merces diſtraxerimus. Ac nũc Pannychi ſequere me, iſtũ autẽ apud Odryſas Tribunatũ gerere ſine. DOR. Libera hæc quidem eſt, ſequetúrque non, niſi volet. PAN. Quid faciam Dorcas? DOR. Intrò ire melius. Nam Polemoni adeſſe irato, haudquaquam facile aut tutũ eſt, & magis incendetur æmulando. PAN. Si placet, eamus intrò. POL. At prædico vobis, quòd hodie poſtremum potabitis, aut ego fruſtra adſum, tantis cædibus exercitatus, Thracas huc Parmeno. PAR. Armati adſunt, cingentes angiportum phalange. Ac in fronte quidem, qui grauis armaturę ſunt, in vtroque autem latere funditores & ſagittarii, cæteri à tergo locati. PHI. Tanquam infantibus nobis hæc ò ſtipendiarie minitaris, ac laruis nequicquam nos terrltas. An tu verò vnquam gallum aliquem gallinaceũ occidiſti? aut etiam bellum vidiſti? Caſtellũ, vt multũ, præſidio tenuiſti, fortaſſe dux manipularis* quiſpiam, vt tibi hoc interim gratificando concedam. POL. At verò cies paulò pòſt, vbi nos acie in dextrum conuerſa aduẽtare ſpectabis, armis reſplendentes. PHI. Aduentate modò conferti, atque inſtructi. Ego verò & Tibys iſte (nam hic ſolus me ſequitur) iaciendo cum ſaxis, tum teſtis oſtraceis, ita diſpergemus vos, vt neque quò vertamini, ſcire tũ poſſitis.

*Ξεναγὲ, Græcè, hoc eſt externi & cõductitii militis ductor proprié. Suidas tamen ξεναγίαν & χιλιαρχίαν pro eodem ſumi ait.

*δημοσίης à δημοσίη, quam eandem & ἴλην Suidas vocat.

CHELIDONIVM, & DROSE.

NON amplius ventitat ad te, Droſe, adoleſcentulus ille Clinias? Non enim vidi longo iam tempore apud vos ipſum. DRO. Non amplius Chelidonium. Nã præceptor prohibuit ipſum amplius ad me accedere. CHE. Quinam iſte? num exercitorem iſtum puerorum Diotimũ dicis? Nã is certè amicus mihi eſt. DRO. Non, ſed perditiſsimus iſte philoſophorum, Ariſtæneus. CHELID. Tetricum iſtum dicis & hirſutum, profunda barba, qui cũ adoleſcentibus conſueuit deambulare in porticu picta? DROS. Illum equidem, vanum iactatorem, quem vtinam peſsimè perire videam, barba tractum à carnifice. CHE. Quid autem accidit illi cur talia perſuaderet Cliniæ? DROSE. Neſcio, Chelidonium. Sed cum antea nunquam vllam noctem intermiſerit quin mecum dormiret, ex quo rem cum muliere habere cœpit (primùm autem mecum habere cœpit) tribus iſtis diebus proximis ad angiportum hoc ne vnquã acceſsit quidem. Poſtquam autem ex eo contriſtari cœpi (nam neſcio quo pacto mihi ægrè quiddam ob illum accidit) Neuridem miſi, quæ illum circunſpiceret, aut in foro commorantem alicubi, aut in palæſtra*. Ea autem rediens, deambulantem vidiſſe ſe ait cum Ariſtæneto, atque innuiſſe illi alonge. Illum autem erubuiſſe, deiectis in terram oculis, neque aſpicere amplius ad ipſam voluiſſe. Atque exinde ambos ad vrbem iiſſe. Ipſa verò ad Dipylum vſque ſecuta, cum ille prorſus neque conuerteret ſeſe, domum rediit, nihil planum aut certum habens quod renũtiaret. Quo me igitur pacto poſt illa tum affectam putas? quæ coniecturam facere nequaquam poteram, quidnam eſſet quod adoleſcenti huic

*Aliàs poticu, πωλικῇ enim Græcè habetur, quod vt corruptũ puto, ſic rurſum πωλικὰ, vel πωλικὰς legẽdũ puto

Eædem Thermopylæ aliàs,

huic accidiſſet: ſed ita mecum dicebam: Númnam ægrè illi aliquid feci? aut num quam aliam amat, me perosus? aut num pater vetuit ipſum? Multa adeò huiuſmodi mecum ipſa voluebam. Porrò autem circa multam veſperam venit Dromo, literas has ab illo afferens: Accipe Chelidonium, ac lege. Scis enim literas videlicet. CHE. Age videamus. Ac literæ quidem ipſæ non admodum planè ſcriptæ, ſed incompoſitæ, & malè coagmentatæ, properantiam quandã ſcribentis indicant. Sic autem ſonant: Quo quidem pacto amarim te, mea Droſe, teſtes facio deos. DRO. Væ vę miſeræ mihi, neque ſalutationẽ à principio adſcripſit. CHE. Et nunc autem non odio aliquo, ſed neceſsitate coactus defero te. Nam me pater Ariſtæneto tradidit, vt philoſophiæ dem apud illum operam. Atque ille (cognouit enim cuncta quæ ad nos pertinent) multis admodum obiurgauit me, inhoneſtum eſſe dictitans, cum meretrice rem habere me, Architelis & Eraſicleæ filium. Longè enim melius eſſe, virtutem anteponere voluptati. DRO. *Vt nunquam ad maturitatẽ perueniat nugator ille, qui talibus adoleſcentem inſtituit. CHE. Quamobrem neceſſe mihi eſt parère illi. Aſſequitur enim me, diligenter vbique obſeruans: & in ſumma, ne aſpicere quidem aliũm quenquam pręter ipſum ſolum mihi licet. Quòd ſi verò temperanter & pudicè viuã, ipſique per omnia obtemperem, pollicetur prorſus beatum fore, præclarúmque ac fortem me redditurum eſſe, laboribus ad hoc antè pręexercitatũ. Hæc tibi vix adeò ſcripſi, me ipſum ſuffuratus paululũ. Tu verò feliciter mihi vale, & memineris Cliniæ. DRO. Quid igitur videtur tibi epiſtola hæc, Chelidonium? CHE. Quod ad cætera quidẽ attinet, Scythica, vt aiunt, oratio: illud autem, Memineris Cliniæ, ſpem quandam adhuc reliquã præ ſe fert. DRO. Etiam mihi ita videtur. Proinde pereo amore. Cæterùm Dromo dicebat etiam pæderaſtem quendam eſſe Ariſtænetum, & prætextu doctrinæ conſuetudinẽ habere cum pueris venuſtiſsimis, & priuatim orationem habere cum Clinia, pollicitationes quaſdã faciendo, quòd videlicet diis ſimilem illum redditurus ſit. Quin & amatorios quoſdam ſermones philoſophorum veterum ad diſcipulos ſuos idem, inquit, cum illo legit, & in ſumma, totus circa adoleſcentem eſt. Interminatus autem etiam eſt, patri Cliniæ iſta ſe dicturum eſſe. CHE. Oportebat, Droſe, Dromonem ipſum ineſcare, ac lautius paulò accipere. DRO. Ineſcaui hominem, & præter hoc autem etiam meus eſt. Nam & ille guſtauit Neuridẽ. CHE. Bonum animum habe. Omnia rectè fient. Ego verò etiam inſcribere in pariete volo in Ceramico, vbi Architeles deambulare ſolet, Ariſtænetus corrumpit Cliniam. vt ex hoc quoque aliquid concurrat ac faciat ad delationem Dromonis. DRO. At quomodo id clàm facies, ne deprehendaris? CHE. Noctu, Droſe, carbone alicunde ſumpto. DRO. Rectè ſanè. Commilita modò, atque auxiliare, mea Chelidonium, aduerſus arrogantẽ ac vanũ iſtum Ariſtęnetũ.

*μὴ ὥρα σοι ἴκοιτο, Græcè.

TRYPHAENA, & CHARMIDES.

AMICA autem quiſpiam accepta, & quinque drachmarum mercede data, auerſus dormit, lacrumans ac gemens. Sed neque potaſti lubenti animo, opinor, neque cœnare ſolus voluiſti. Flebas autem etiã inter cœnandum. aſpiciebam enim, & nunc autem non deſinis vlulare, perinde atque infans aliquis. Iſta igitur, ô Charmide, cuius gratia facis? Ne quæſo me celes, vt vel hac parte conſequar aliquid ex nocte hac, quam totam hucuſque tecum vigilaui. CHARMID. Amor me perdit Tryphæna, neque malum hoc amplius ſuſtinere poſſum. TRYPHAE. At quòd me quidem non ames, manifeſtum eſt. neque enim ita negligeres me, cum probè habeas: atque abs te repelleres, quoties amplexari te volo, denique etiam quaſi quodam ſepto interpoſita veſte intercluderes, metuens videlicet ne te tangam. Sed tamen quænam illa eſt, dic mihi. Fortaſſis enim etiam ipſa nonnihil ad amorem iſtum tibi contulero. Scio enim quo pacto cõueniat huiuſmodi res adminiſtrare. CHAR. At verò noſti atque admodũ probè ipſam, & rurſum illa te quoque: neque enim obſcura adeò meretrix eſt. TRYPH. At nomen mihi cedo, Charmide. CHARMI. Philematium, ô Tryphæna. TRYPH. Vtram dicis? duæ ſi quidem ſunt. Illámne ex Piræo, quæ nuper adeò mulier facta eſt, quam Damyllus amat, eius qui nũc exercitum ducit, filius: an alteram, quam cognomento decipulam vocant? CHAR. Illam equidem, atque adeò captus ab ea & cõprehenſus miſer ſum. TRY. Ob illam itaque plorabas? CHAR. Atque admodum. TRYPH. Multum autem temporis amaſti illam, an nuper adeò cœpiſti? CHARMI. Haud nuper adeò, ſed menſes propè ſeptem ſunt, à Dionyſiis vſque videlicet, ex quo primùm illam vidi. TRY. Vidiſtíne autem totam ipſam diligenter, an faciem ſolùm, eáſque corporis partes quæ in aperto ſunt? & quæ vidiſti, Philematiíne erant, atque ita vti conueniebat eſſe mulierem quinque & quadraginta annos iam natam? CHARMI. At verò dicerat illa, ſecundum ſupra vigeſimum modò ad proximum Decembrem completuram eſſe ſe. TRYPH. Tu verò vtrum credis iuriiurando illius, an propriis oculis? Contemplare enim diligenter, ſuſpiciens aliquando ad tempora illius, quo loco ſolo ſuos crines habet: nã cætera, impoſtura mera. Circa tempora autẽ quoties medicamentum quo infici ſolet, langueſcit, ac vim ſuam remittit, albeſcit plerunque. Quanquã quid hoc attinet? Coge aliquando vt nudam quoq; ſpectandam ſe tibi exhibeat. CHARMI. At nunquã mihi in hoc conſentire voluit. TRYPHAE. Meritò ſané. Sciebat enim abominaturum eſſe te canos ipſius capillos. Cæterùm tota à collo ad genua vſque pardali ſimilis eſt. At tu lacrumabaris, quòd cum tali non coires? Fortaſsis autem etiam ægrè tibi faciebat, & ſuperbam gerebat ſeſe. CHARMI. Sanè verò Tryphæna: & hoc quanuis tam multa à me acciperet. Ac nunc quidem poſtquam mille petenti, facilè ac ſtatim dare non potui, vtpote qui patrẽ habeam parcum & tenacem, Moſchione intrò ad ſe recepto, me excluſit. Ob quæ, dum illi viciſsim ægrè facere volo, te aſſumpſi. TRYPH. At ego, per Venerem, haud quaquam veniſſem, ſi quis prædixiſſet mihi, ob id ſolum aſſumptam eſſe me, vt alteri ægrè facerem, præſertim Philematio huic, capulo videlicet. Verùm abeo. Iam enim tertium hoc cecinit gallus. CHARMI. Ne tu vtique tam ſtatim, mea Tryphæna. Nam ſi vera iſta ſunt quæ de Philematio

tio dicis, coma videlicet ſuppoſititia, & quòd tingitur, & vitiligines illæ, ne aſpicere quidem amplius illam potuero. TRYP. Interroga matrem, ſi quando cum illa lauit forte. Nam de annis etiam anus narrare tibi poterit, ſi modò viuit etiamnũ. CHAR. Proinde poſtquam talis illa eſt, auferatur quidem iam è medio ſeptum hoc, amplexemur autẽ mutuò, atque oſculemur nos, ac tandem verè coeamus, Phlematium autem longè valeat.

IOESSA, PYTHIAS, & LYSIAS.

IOESSA.

INSOLESCIS igitur ô Lyſia, aduerſum me? Et rectè ſanè, quandoquidem neque argentum vnquam abs te poposci, neq; venientem excluſi, alterum intus eſſe dictitans, neque decepto patre, aut ex matris rebus aliquo ſubtracto, coegi te mihi afferre quippiam, perinde atq; aliæ facere ſolent: ſed ſtatim ab initio inde, nulla data mercede, atque aſymbolũ recepi te intrò. Noſtíne quàm multos amatores reiecerim? Ethoclem videlicet, eum qui nũc inter ſenatores eſt, Paſsionem nauclerum, & coæqualem tuum Meliſſum, quanquam etiam nuper adeò pater eius mortuus eſſet, ac dominus ipſe factus bonorum omnium. Ego verò te, Phaonem ſcilicet meum, ſolum habebam, neque aſpiciens neque admittens alium quenquam præter te. Arbitrabar enim ſtulta ac demens, vera illa eſſe quæ iurabas, & ob hoc animum tibi aduertens, perinde ac Penelope illa, pudicè ac caſtè agebam, clamante atque increpante ob hoc matre, & apud amicas accuſante me. Tu verò poſteaquam intellexiſti me obnoxiam habere te, vti quæ iam ex te peperiſſem, nunc quidem ad Lycænam alludebas intuente me nimirum vt ægrè mihi faceres: nunc autem iuxta me accumbens, Magidium laudabas, pſaltriam iſtam videlicet. Ego verò ob hæc lacrymor, & ſentio contumeliam. Paulò autem antè, quando compotabatis Thraſo & tu & Diphilus, aderant & tibicina Cymbalium, & Pyrallis, ea quæ inimica mihi eſt. Tu verò cum hoc ſcires, Cymbalium quidem quinquies oſculatus es, id quod nõ admodum curæ mihi erat, (te ipſum enim afficiebas contumelia, talem oſculando) Pyrallidi autem quàm multa innuebas, ac bibens illi quidem poculum commonſtrabas, puero autem reddens, in aurem iubebas, vt niſi Pyrallis id poſtularet, alteri nemini infunderet. Poſtremò autem etiam demorſo malo, quando Diphilũ alias res agere videbas (loquebatur enim cum Thraſone tum) inclinans te quodam modo, collimatè adeò iaculabaris illud in ſinum ipſius, ne latère quidem me cupiens. Illa autem exoſculata, inter mamillas ſub faſcia inſertabat illud. Iſta igitur cuius gratia facis? Qua te autem ſiue magna ſiue parua iniuria affeci aut etiam offendi ego? quem alium cunque intuita ſum? an non ad vnius ingenium & morem tuum viuo? Haud ſanè præclarum aut magnum hoc, Lyſia, facis, miſeram mulierculam, & in te inſanientem, mœrore implicans. Eſt dea vtique aliqua Adraſtia, ac talia videt. Tu verò aliquando mœrore afficieris, vbi fortaſſe audieris de me aliquid, quòd iaceam videlicet aut laqueo à me ipſa ſuffocata, aut in puteũ præcipitata, aut quemcunque tandem mortis modum inuenero, dum ne amplius ita coràm & ob aliorum oculos moleſtiis afficiar. Ac tum pompam vtique duces tu, perinde ac re magna ſplendidáque peracta. Quid me toruè aſpectas, ac dentibus infrendis? Nam ſi quicquam eſt cur me accuſes, dicas licet. Pythias hæc inter nos iudicet. Quid hoc? ne reſponſo quidem dato abis hinc, me relicta? Vides mea Pythias qualia patiar à Lyſia. PYTHI. O feritatem. Nam quòd nullis neque lacrymis flectitur, lapis ſanè, non homo eſt. Quanquam ſi vtique veritatem conuenit dicere, tute Ioeſſa perdidiſti ipſum, quæ ſupra modum amaſti hominem, ídque etiam palàm feciſti illi. Oportebat autem non nimis æmulari ipſum: inſolentes enim fiunt cum hoc ſentiunt. Aſi deſine lacrymari miſera: & ſi me audies, ſemel atque iterum exclude venientem. Videbis enim inflammari ipſum denuò prorſus, & viciſsim inſanire vero pacto. IOESSA. At ne dixeris quidem, apage. Vt ego excludam Lyſiam? Vtinam ne ipſe à me deficiat modó. PYTHI. At rurſus huc reuertitur. IOES. Perdidiſti nos, Pythias: fortaſsis audiit te de excluſione verba facientem. LYSIA. Non huius cauſa, Pythias, huc reuerſus ſum, vt quã ne aſpexero quidem amplius, talis cum ſit, ſed tua gratia, vt ne damnares me, ac diceres fortè: Irreconciliabilis hic Lyſias eſt. PYTHI. Atque equidem dixiſſem Lyſia. LYSIA. Ferre igitur me vis Pythias Ioeſſam hanc, quæ nunc lacrymatur, cum ipſe ſuperuenerim ei aliquando cum adoleſcente concumbenti, & à me deſciſcenti? PYTHI. Lyſia, in vniuerſum quidem meretrix eſt. Cæterùm quando verò deprehendiſti ipſos concumbentes? LYSIA. Sextus, ni fallor, dies hic eſt, per Iouem, ſextus vtique. fuit enim ſecunda menſis incipientis, hodie verò eiuſdem ſeptima eſt. Pater igitur cum ſciret me iam olim amare, probam hanc ſcilicet, concluſit me domi, dato ianitori mandato, ne aperiret. Ego verò (non enim ferebam ab huius congreſſu prohiberi me) Dromonem iuſsi, acclinantem muro atrii, qua parte humillimus erat, in tergum recipere me. Nam hoc pacto minore negotio aſcenſurus eram. quid multis opus eſt? tranſcendi, veni, atrium offendi occluſum diligenter. Iam enim nox erat media. Itaque neque pulſaui tum, ſed attollens ſenſim ianuam (iam autem & antea idem aliquoties feceram) tranſuerſum acto cardine, tacitè ac ſine tumultu ingreſſus ſum. Dormiebant autem omnes, atque ego exinde contrectato pariete (vt fit in tenebris) ſuper lectum adſtiti. IOESSA. Quid narras, ô Ceres? propè enim deficio. LYSIAS. Poſtquam autem animaduertebam non vnum eſſe anhelitũ, principiò quidem putabam Lyden cum ipſa vnà dormire, cæterùm aliter multò res erat, Pythias. Nam vbi contrectare cœpi, deprehendi imberbem quendam, admodum tenerum, ad cutem vſque detonſum, vnguenta etiam ipſum olentem. Hoc vbi ſenſi, ſi quidem & gladium veniens mecum attuliſſem, non ita quieſſem tum, ſat ſcitote. Quid ridetis Pythias? an verò riſu digna dicere vobis videor? IOE. Hoccine igitur Lyſia acerbum adeò tibi fuit? Pythias hæc mecum dormiebat. PYTHI. Ne dicas illa, Ioeſſa. IOES. Cur non dicã? Pythias erat, ô chariſſime,

riſsime, à me accerſita tum, vt vnà mecũ dormiret. Aegrè enim erat mihi, quòd te non habebam. LYS. Pythias autem? ille ad cutem vſque detonſus? atque exinde intra ſex dies hoſce tantam iterum produxit comam? IOES. Ex eo cum morbo laborauit, tonſa eſt, Lyſia. defluxerant enim illi tum crines, nũc autẽ fictitiã comã impoſuit. Oſtende Pythias, oſtẽde ita rem habere ſe, ac fidẽ illi fac. Ecce tibi aduleſcentulum iſtũ mœchum, quem zeloſypia proſequebaris. LYS. Quid igitur? an non conueniebat hoc? præſertim amantem, & qui ipſe contrectauerat? IOES. Proinde tu quidem iam perſuaſus es vt credas. Vis autem & ipſa viciſsim tibi ægrè faciam, vt quæ meritò viciſsim iraſcar tibi? LYS. Nequaquam, ſed bibamus iam, Pythiáſque hæc vnà nobiſcum. Aequũ enim eſt adeſſe ipſam reconciliationi faciendæ. IOES. Aderit. Qualia autem propter te paſſa ſum, ô generoſiſsime aduleſcentum Pythias? PYTH. At idem ipſe reconciliaui quoque vos: quare non eſt cur mihi ſuccenſeas, niſi iſtud quæſo vide Lyſia, ne cui de coma quicquam dixeris.

LEONTICHVS, CHENIDAS, & HYMNIS.

LEONTICHVS.

IN pugna autẽ contra Galatas, dic Chenida quo pacto ipſe quidem ante cæteros equites curſu præuectus fuerim, equo inſidens candido, Galatæ autem, tametſi fortes alioqui bellatores, trepidarint continuò vbi aſpiciebant me, neque quiſquam amplius ſubſiſtere ſuſtinuerit. Ibi igitur tum ego lancea quidem emiſſa transfixi præfectum alæ ipſorum vnà cum equo. Contra eos autem, qui cõferti adhuc reſiſtebant (erant enim nonnulli qui perſiſtebant, phalange quidem ſoluta, in quadrangulam autem aciem aggregatis ipſis) progreſſus, arrepto gladio, ac totis animis facto in illos impetu, in fugam quidem conuerto circà ſeptem eorum qui in prima acie pugnabant, equi incurſu: gladio autem impacto manipularii vnius ducis caput in duas partes diſſeco vnà cum ipſa galea. Vos autem Chenida paulò poſt ſupereniſtis, fugientibus iam illis. CHEN. Nam cum, Leontiche, circa Paphlagoniam ſingulari prælio cum ſatrapa illo congreſſus es, an non tum quoque præclarum facinus ac magnum edidiſti? LEON. Pulchrè cõmonuiſti facinoris haudquaquam etiã illius ingenioſi. Nam ſatrapa ipſe cum corpore quidem eſſet maximus inter grauis autem armaturæ milites pugnator haberetur optimus, contemptis videlicet Græcis, in mediũ proſiliebat, & prouocabat ſi quis cum ipſo ſingulari prælio decertare vellet. Ibi igitur tum cæteri quidẽ perculſi atque perterriti erãt, Manipularii videlicet, Præfecti, & Centuriones, & ipſe etiam Imperator, quanquam homo eſſet minimè alioqui ingenioſus aut ignauus. Nam Ariſtarchus tum Imperator exercitum ducebat, Aetolus, idémque iaculator optimus. Ego verò tribunatum adhuc tum gerebam, ſed tamen nihilò minus fidens animo, & dimotis à me ſociis, qui me increpando retinebant. Metuebant enim mihi, aſpicientes Barbarum quidem ipſum reſplendentem armis inauratis, magnam autem atque terribilem indutum galeam, & præterea lanceam quoque vi multa librantem. CHENID. Nimirum ego quoque tum metui Leontiche, & ſcis quo pacto inſtabam tibi precando, ne præ aliis periculo committere te velles. Nam mihi vita hæc ingrata futura erat te morte amiſſo. LEONTIC. At ego tum præ cæteris auſus, proceſsi in medium, non pelta neque ipſe Paphlagone illo armatus, ſed totus adeò auro collucens. Quare clamor ſtatim coortus eſt & à noſtra parte, & à barbaris. Agnoſcebant enim etiam illi me videntes, & maximè ex pelta, & phaleris, & criſtis. Dic quæſo Chenida, cuſnam me tum omnes aſsimilabant? CHENID. Cui autem alteri, quàm Achilli per Iouem Thetydis & Pelei filio? Ita decebat quidem te galea, efflorebat autem purpura: pelta verò etiam fulguris modo coruſcabat? LEONTI. Poſtquam autem ad manus ventum eſt, Barbarus ille prior vulnerat me modicè, quaſi perſtringens haſta paulum ſupra genu. Ego verò adacta per clypeum lancea, totum vtrinque pectus illius tranſuerbero: atque exinde accurrens, ceruicem quoque gladio amputo facilè: armáque illius referens inde redeo, caput quoque vnà ſumma fixum lancea portans, cæde videlicet lotus ac madens. HYMN. Apage Leontiche, fœda ſceleratáque hæc, atque adeò horribilia de te ipſo narras: neque verò te amplius ne aſpexerit quidem aliquis, cruore ac tabo ita gaudentem, ne dum bibat tecum, aut concumbat. Ego certè igitur hinc abeo. LEONTI. Quin duplam accipe mercedem. HYMN. Non potero cum viro cædibus polluto concumbere. LEONTI. Ne metuas, Hymni. Nam illa tum in Paphlagonia geſta ſunt, nunc autem pacem hic ago. HYMNIS. At homo deuotus & execrabilis es, & cruor ex capite Barbari illius, quod in lancea fixum portabas, in te deſtillabat. Egóne igitur vt talem virum amplectar & oſculer? abſit, ô Charites. neque enim iſte talis carnifice melior. LEONTI. At verò ſi me vidiſſes in armis, ſat ſcio, amaſſes Hymni. HYMNIS. Audiens ſolùm hæc, Leontiche, nauſeo, atq; horreo, ipſaſque illas vmbras videre mihi videor & ſimulacra occiſorum, & præcipuè miſeri illius manipularii præfecti, cuius tu caput in duas partes diſſecuiſti. Quid putas igitur ſi ipſum opus aſpicerem, & cruorem manantem, & iacentium cadauera? Emoritura certè mihi videor, vt quæ nunquam ne gallum quidem gallinaceum occidi viderim. LEONTI. Adeóne autem ingenioſa Hymnides, & puſillanimis? Ego verò oblectatũ iri te putabam audiendis iſtis. HYMN. At huiuſmodi narrationibus oblecta ſi quas Lemniades inueneris, aut Danaides. Ego autem hinc ad matrẽ curriculò abibo, dum adhuc dies eſt. Sequere & tu Gramme. Tu verò vale, Tribunorum optime, & occiſor, quotquot etiam volueris. LEON. Mane quæſo, Hymni, mane. Abiit. CHEN. Nempe Leontiche puellam ſimplicem territaſti, concutiendo criſtas, & incredibilia quædam præclarè facta commemorando. Ego verò ſtatim videbam quo pacto expalleſcebat, cum tu adhuc illa quæ circa manipularium facta eſſent, narrares: contrahebátque vultum, & exhorrebat aliquantum, poſtquam etiam diſſecuiſſe te caput illius dicebas. LEONTI. At ego me illi amabiliorem eò viſum iri putabam. Sed & tu me perdidiſti Chenida, qui vltra hæc etiam de ſingulari certamine ſubmonuiſti.

monuiſti. CHEN. An non decebat me quoque mentiri tecum, quando cauſam arrogantiæ iſtius videbam? Tu verò lõgè terribiliora omnia feciſti. Eſto enim amputaris infelicis iſtius Paphlagonis caput, cur idem etiam lanceæ affixiſti, ita vt cruor in te deſtillaret? LEON. Vnum hoc impurum ac deteſtabile re vera, Chenida. Nam cætera quidem non omnino malè conficta fuerant. Abi igitur, ac perſuade illi vt redeat, mecúmque dormiat. CHEN. Quid igitur? dicámne quòd omnia iſta mentitus fueris, dum generoſius ipſi videri affectas? LEON. Turpe hoc, Chenida. CHEN. At verò alio pacto non redibit facilé. Proinde alterum ex his elige, vt vel odio habearis, dũ præclarus bellator videri cupis: vel mentitum eſſe te iſta confitearis, & cum Hymnide dormias. LEON. Difficile ſanè vtrunque eſt, ſed tamen Hymnidem habere malo. Abi itaq;, ac dic illi, Chenida, mentitum quidem eſſe me, non tamen omnia.

DORIO & MYRTALE.

NVNC me excludis ſcilicet Myrtale? nunc, quando ad inopiam perueni propter te? At quando tam multa ad te affe rebam, amator, vir, dominus, denique nihil non eram. Poſteaquam igitur ego quidẽ exhauſtus ac ſiccus planè iam, tu verò Bithynum iſtum mercatorem inueniſti, qui te amet, ego quidem excludor, & ante fores ſto lacrumans: ille autem tota nocte oſculatur, & ſolus intus eſt, & quaſi quoddam ſacrum peruigilium tecum peragit, iámque etiam prægnantem ex eo eſſe te ais. MYRT. Iſta me enecant, Dorio, & maximè quando dicis quòd multa dederis mihi, & ad inopiam propter me redactus ſis. Rationem igitur ſubduc quæſo omnium eorum quæ iam inde à principio ad me attuliſti. DOR. Rectè ſanè, Myrtale, ſubducamus rationem. Principiò igitur calceos attuli tibi Sicyonios, duarũ drachmarum pretio, pone duas drachmas. MYR. At concubuiſti quoque noctes duas. DOR. Et quando ex Syria veniebam, alabaſtrũ vnguenti ex Phœnicia, duarum etiam iſtud drachmarum, ita me ſeruet Neptunus. MYR. At ego tibi, cũ hinc nauigares, paruam illam tunicúlam dedi ad femora vſque demiſſam, quò remigando vtereris, quam Epiurus proreta, quãdo dormierat mecum, per oblitionẽ hic intus reliquerat. DOR. Verùm cognitam illam in Samo nuper à me rurſum abſtulit Epiurus, nõ ſine multo (prò dii) certamine. Cepas autẽ ex Cypro, & ſaperdas quinque, & percas quatuor, quando ex Boſporo nauigauimus, attuli tibi quoque. Quid ergo? etiam panes octo nauticos in caniſtro, ſiccos, & cortinam caricis plenam ex Caria, & poſtea ex Pataris ſandalia inaurata, ò ingrata. Etiam caſeum aliquando memini afferre me tibi ex Gythio. MYR. Quinque fortaſsis drachmarum, Dorio, omnia hæc. DOR. O Myrtale, quantum equidẽ potui, homo nauta, & mercede operam nauibus locans. Nunc enim etiam lateri præfectus ſum dextero, & tu nos cõtemnis? Nuper autem quando *Aphrodiſia celebrabantur, an non drachmam quoque ante pedes Veneris pro te poſui auream? & rurſum matri pro calceamentis drachmas numerauí duas, & Lydæ huic in manum aliquoties, nunc duos, nũc quatuor obolos? Hęc omnia in vnũ cõputata, ſubſtantia certè viri nauitæ fuerunt. MYR. Cepæ illæ videlicet, & ſaperdæ, Dorio? DO. Ita certé. Neque enim plura aut maiora ferre potui. Non enim remis locarem operam, ſi diues forem. Cæterùm matri meæ ne caput quidem vnum allii vnquã attulit. Libenter autem ſcirem, quænam tibi à Bithyno iſto dona darentur. MYR. Principiò tunicã hãc vides? eam ille emit, & monile hoc craſsius. DOR. Illéne? An non ego te iam olim habere noram? MYR. At quod tu noras, multò tenuius erat, neque vllos ſmaragdos habebat. Deinde & inaureis has, & tapetem. Nuper autem etiam duas minas. Et penſionem domus quoque pro nobis exoluit, non ſandalia Patarica, & caſeum Gythiacũ, & id genus nugas. DOR. At illud non dicis, cum quali ipſo concumbas, qui annos omnino ſupra quinquaginta natus vxorem duxit, caluus videlicet, & colore ſimilis carabo. Neque etiam dentes illius vides? Nam gratiæ quidem, ò Dioſcuri, illius multæ, & præcipuè quoties cantat, & delicatior paulò eſſe cupit, aſinus ad lyram, vt dici ſolet. Sed tu fruere eo digna vtique exiſtens, ac puer vobis naſcatur patri ſimilis. Ego verò etiam ipſe inueniam Delphidem aut Cymbalium aliquam, meæ conditionis, aut etiam vicinam veſtram hanc tibicinam, aut omnino vllam aliquam. Tapetas autem, & monilia, & duarum minarum mercedem nõ omnes habemus. MYRT. Beatam igitur illam, quæ te amatorem habebit Dorio. Cepas ſiquidem illi feras ex Cypro, & caſeum ſcilicet quando ex Gythio nauigabis.

*Id eſt, Veneris feſta, vel ſacra.

COCHLIS & PARTHENIS.

QVID ploras Partheni? aut vnde fractas haſce tibias affers? PAR. Miles Aetolus iſte magnus, qui Crocalen amat, alapis cecîdit me, cum deprehendiſſet canentem apud Crocalen, à riuale ſuo Gorgo conductã, idémque tibias haſce fregit mihi, ac menſam inter cœnandum euertit, craterémque effudit quoque irrumpens: ipſum autem agreſtem illum Gorgum ex ſympoſio capillis abſtractum, verberarunt circunſtantes, ipſe miles (Dinomacho, opinor, nomen illi eſt) & commilitonum ipſius alter quidam. Quare equidem neſcio an ſuperuicturus etiam homo ſit. Nam illi pariter & cruor multus è naribus manabat, & tota facies eius intumuerat, ac liuida erat. COC. Quid? inſaniſtne homo, an hæc temulentia quędam fuit, & ex ebrietate inſolentia? PAR. Zelotypia quędam Cochli fuit, amórque adeò enormis. Crocale autem duo, opinor, talenta popoſcerat ab eo, ſi ſe ſolam habere vellet. Ea igitur poſtquam Dinomachus non dabat, ipſum quidem venientem excluſit, illiſa illi etiam ianua, quemadmodũ ferebatur: Gorgum autem, Oenoenſem quendam agricolam prędiuitem, iandiu ipſam amantem, hominem videlicet facilem ac probum, intromittens, potabat cum eo, me quoque aſſumpta, vt tibia canerem apud ipſos. Cęterùm cum iam procederet conuiuium, ego quidem perſonare cœpi carmen quoddam Lydii generis, ac toni: ruſticus autem ille ſurgebat iam vt ſaltaret, & Crocale autem etiam manibus applaudebat, omniáque adeò iucunda ac ſuauia erant. Interea verò ſtrepitus exauditur, & clamor quidã, ianuáq; domus exterior effringitur. Nec multò pòſt irruerunt adoleſcẽtes quaſi octo, admodũ robuſti ac validi, & Megarenſis ille vnà inter ipſos. Illico igitur euertebantur

tebantur omnia, & Gorgus, quemadmodum dixi, verberabatur, humíque iacens etiam pedibus proculcabatur. Crocale autem, neſcio quo pacto, clàm ſubduxerat ſeſe, & ad vicinam Theſpiadem effugerat. Mihi verò Dinomachus inflictis alapis, Diſpereas, inquit. & ſimul tibias confractas abiecit. Et nũc currens abeo vt hæc dicam hero meo. Abit autem & agricola, circunſpecturus amicos quoſpiam in vrbe, qui Megarenſem illum magiſtratibus tradant. COC. Hoc nimirum eſt frui militaribus iſtis amoribus, plagas & actiones ſuſtinere: cætera verò, Duces eſſe ſe & Tribunos iactitant, & ſi quid dandum ſit, expecta, aiunt, dum tributum conferatur, dúmque ipſe ſtipendium accipiam, atque omnia tibi conficiam. Pereant itaq; arrogantes iſti iactatores. Nam ego certè rectè facio, quæ ipſos penitus non admitto. Piſcator mihi quiſpiam obueniat, aut nauita, aut agricola, æqualis conditionis, qui adulari ſciat parum, & afferat multum. Criſtas autem concutientes iſti, & prælia commemorantes, nihil aliud, Partheni, quàm inanes crepitus.

DE MORTE PEREGRINI,

Vincentio Obſopœo interprete.

ARGVMENTVM.

Inſectatur hic Lucianus id quod aliàs quoque libenter facit, arrogantiam & inſanam gloriæ cupiditatem, præcipuè Philoſophorum, vt cuius gratia plerique omnia audeant, neque quicquam intentatum relinquant. Atque eius rei exemplum, Peregrini huius mortem deſcribit, qui vt famam aliquam ſui relinqueret, in Olympiis conſtructo rogo ſe ipſum in ignem vltro coniecerit, atque ita extinxerit. Quanquam autem potiſſimùm ea commemorat, quæ circa mortem illius acta ſunt, id quod etiam inſcriptio ac titulus pollicentur, interim tamen & vitam eiuſdem & facinora perſequitur, à quibus progreſſus ille, ad hoc genus ſtudiorum poſtremò ſeſe contulerit, & hoc ſub aliena perſona, à qua ipſum etiam modũ & cauſam mortis, in qua præcipuè nitebantur ſectatores illius, refelli ac refutari facit, nimirum vt eam inuidiam à ſe ipſo remoueret. Apparet enim illis tum temporibus Peregrini nomen non ita leue aut vile apud multos fuiſſe, præſertim imperitiores, quibus facti huiuſce nouitas admirationem incuſſerat, quemadmodum & ex A. Gellio animaduertere licet, qui ipſe quoque honorificam illius mentionem facit libro 12. cap. 11. Videtúrque omnino Stoica quadam animi pertinacia, vitæque tædio mortem vltro ſibi conſciuiſſe, quemadmodum & alios quoſdam eiuſdem profeſſionis viros feciſſe aliquando legimus. Sed quòd idem hoc in Olympys potiſſimùm, & frequentiſſimo hominum conuentu fecit, ambitionis argumentum præ ſe fert, ac reprehenſioni locum dedit. Et eſt ſanè eiuſmodi res ambitio, vt multos eò dementiæ adigat, vt dum gloriam nimis auide captant, in ſummam interim temeritatem & infamiam præcipitentur, nihil neque penſi neque moderati habẽtes, dummodo famam tantopere ambitam poſt ſe relinquant: cuiuſmodi Proteos vtinam nec noſtra ætas quoſdam tuliſſet, ἀλλὰ τάυτην καμαξίνην μὴ κινητέον, φασί. Cæterùm fuit hic Peregrinus, Philoſophus quiſpiam ex ſeuerioribus illis Stoicæ diſcip'inæ profeſſoribus (Lucianus Cynicum videri vult) patria Parianus, ex Ponto, temporibus Traiani viuens, æqualis Epicteto, Dioni, Muſonio, & cæt. quem ſe Gellius vidiſſe quoque ait Athenis extra vrbem in tugurio quodam habitantẽ. A principio Chriſtianorum quoque religionẽ aliquandiu ſecutus fuit. ſed mox ad philoſophiam relapſus, ab illis, vt Luciano placet, propter ritus ipſorum neglectos atque præteritos repudiatus.

LVCIANVS CRONIO SALVTEM.

INFELIX ille Peregrinus, aut (quo nomine potiſſimũ delectari viſus eſt ſe ipſe nominãdo) Proteus, illud ipſum Homerici Protei paſſus eſt. Nihil enim non gloriæ gratia fieri ſuſtinuit: cúmque infinitis mutationibus trãsformatus eſſet, poſtremùm ignis quoque factus eſt. Vſqueadeò gloriæ cupiditate tenebatur. Et nunc optimus ille in carbones & fauillas redactus eſt poſt Empedoclem, niſi quòd hic temerarium facinus celare conatus, clanculum in cratêras ſe dedit præcipitem: porrò generoſius ille populoſiſſimo Græcorum cõuentu obſeruato, ingentiſsimáque pyra conſtructa, tot ac tantis teſtibus conſciis inſiluit, ac orationes nonnullas ſuper hac re ad Græcos habuit aliquanto antè quàm hoc auſus eſt. Videor itaque mihi videre te nimium huius ſenis deridentem arrogantiam, aut potius exclamantẽ, qualia par eſt te exclamare: O inſipientem inſipientiã, ô ærumnoſam gloriam: aliáque quæ de illis ferè dicere conſueuimus. At tibi quidem hæc eminus & longè tutius dicta ſunt: ego verò iuxta rogũ ipſum, inſuper antè quoque in copioſa auditorum multitudine eadem dicere non reformidaui, nonnullis equidem grauiter ferentibus, quotquot ſenis arrogans cõſilium admirationem incuſſerat. Erant autẽ aliquot alii, qui & ipſi huius gratia ridebant. At ego propemodum à Cynicis diſcerptus eſſem, velut Actæon à canibus, aut conſobrinus eius Pentheus à Bacchis. Cæterùm totius rei apparatus talis erat. etenim Poetam haud dubiè qualis fuerit noſti, tum quantas per omnem vitam tragœdias in lucem dederit, ſupra Sophoclem & Aeſchylũ. Ego verò vbi primùm in Elin veniſſem, illorum certamine eò illectus atque perductus, ſtatim Cynicum quendam inaudiui, magna & aſpera voce conſueta illa ac virtutem ex triuio intonantem, omnéſque indiſcriminatim dicteriis & conuiciis inuadentem: tandem verò in Proteo eius vociferatio deſiit. Hæc quemadmodum dicebantur, pro mea virili cuncta tibi ex ordine percenſere conabor. Tu verò hæc planè ita ſe habere cognoſces, quippe qui ipſis vociferantibus non ſemel adſtitiſti. Proteum, inquit, audet quiſpiam ambitioſum dicere, ô terra, ô Sol, & flumina, & mare, & patriæ, Hercules? Proteum, qui in Syria vinculis colligatus fuit, qui in patria quinque millia talentorum vltro reliquit, qui ex vrbe Roma eiectus eſt, quem Sole longè illuſtriorem eſſe conſtat, qui cum ipſo Olympio commiſſus decertare poſsit. At quia ignis adminiculo è viuis ſe ſubducere ſtatuit, hoc ambitioni eius & vanæ gloriæ quidam imputant. Nónne verò ad hunc modum è terris diſceſsit & Hercules? nónne ita Aeſculapius & Dionyſius fulmine? Nónne poſtremùm & Empedocles ita in cratêras ſemet immiſit præcipitem? Hæc vbi dixiſſet Theagenes (hoc enim nomine vociferator ille vocabatur) rogabam quendam ex aſsiſtẽtibus, quid hoc de igne aut Hercule aut Empedocle ad Proteũ attineret. Atqui, inquit ille, breui ſemet

met ipse flammis absumpturus est Proteus. Quomodo, inquam ego, aut cuius gratia? Deinde cum ille omnem rem mihi exponere insisteret, Cynicus in tantum vociferabatur, vt nullo pacto eius audiendi copia mihi relinqueretur. Audiebam itaque reliqua ipsum effundentem, ac laudibus mirificis Proteum extollentem. Etenim Sinopea, aut præceptorem eius Antisthenem, ne conferre quidem cum illo dignatus est, sed neque ipsum Socratem. Prouocabat autem & ipsum Iouem in certamen, deinde cum visum esset illi similes eos quodam modo inter se ipsos seruare, eiusmodi finem orationi imposuit. Duo hæc, inquit, præstantissima opificia ætas nostra vidit, nimirum Iouem Olympiũ, & Proteum: quorum quidem illius architectus fuit Phidias, huius verò opifex natura. At nunc ex hominum commercio ad superos hæc statua migratura est, cæterùm per ignem abiens, nos orphanos in terris destituet. Hæc vbi cum multo sudore disseruisset, lacrymatus est satis ridiculè, capillósque vellebat è capite, subparcens tamen, ne radicitus extraheret. Ad postremum abductus est à quibusdam Cynicis tristem ac lacrymantem consolantibus. Hoc abducto alius illico concionaturus ascendit, non cunctatus donec multitudo dilaberetur, sed ardentibus adhuc sacris turbam continebat. Ac sub initiũ quidem effusissimè ridebat, videbatúrque illud ex intimis præcordiis facere: deinde ad hunc modum orationem suam exorsus est: Posteaquam maledictus Theagenes sceleratissimis orationibus suis lacrymando finem imposuit, ego diuersa ratione à risu Democriti exordiar. Ac iterum sublatis cachinnis, in risum vberem solutus est, adeò vt nostrũm plerosque ad communem risum pertraheret. Deinde sedato risu, conuertens se ipsum: Et quídnam aliud, inquit, ô viri nobis peráque faciendum est, adeò ridiculas orationes audientibus, videntibúsque viros ætate decrepita vilissimę gloriolę gratia tantùm nõ saltantes in medio? Vt autem rectius intelligatis cuiusmodínam illa sit statua, quæ flammis abolebitur, audite me, qui ab initio eius mentẽ callidè animaduerterim, omni eius vita diligenter obseruata. Nonnulla verò à ciuibus quoque suis memorata percepi, quibus non potuit non exactissimè perspectus & cognitus esse. Etenim hoc naturæ figmentum & opificium, Polycleti canon, vbi firmata iam ætate in virum adolescere incœpisset, multis in Armenia vitiis per adulterium mulierculis, non parum multa suscepit verba, Denique verò per tectum exiliens & elapsus, fuga salutem redemit, raphano oppletas nates auferens. Exin puero quopiam formoso per vim constuprato, tribus nummorum millibus à pueri parentibus, cum tenuis essent fortunæ, fœditatis impunitatem mercatus est, ne ad præfectum Asiæ duceretur. Hæc atque eiusmodi missa mihi facienda esse videntur. Etenim lutum adhuc informe erat, ac nondum perfecta statua nobis formata. Cæterùm quibus iniũriis confectum ætate parentem affecerit, admodum auditu dignum esse opinor, & memoratu necessarium. Et sanè omnibus vobis compertum atque auditum esse reor, quomodò senem prę-focauerit, nequaquam sustinens eum vltra sexaginta annos iam senescentẽ. Postea verò quàm tanti sceleris fama diuulgata est, arreptáque fuga se ipse condemnasset, incertis vagans sedibus oberrabat, terrã terra commutando. Qua in peregrinatione & mirificam illam Christianorum sapientiam perdidicit, circa Palæstinam sacerdotibus & scribis illorũ conuersans. Ac sanè non multo in tempore pueros omnes illos præse esse ostendit, propheta, ac sacrificiorum princeps, & Synagogæ socius, breuiter omnia solus existens. Præterea librorum nonnullos exposuit, nonnulli verò & sua industria conscripti sunt. Ac veluti Deum hunc ipsum perhibebãt: nam eo & legum authore vtebantur, & præfectum illum declarabant. Itaque etiamnum magnum illum hominem reuerenter colunt, nempe illum qui in Palæstina crucifixus est, quoniam primus nouum illud mysterium in hominum vitam inuexerat. Tunc verò comprehensus etiam ob hoc ipsum Proteus in carcerem illapsus est. Quę quidem res ipsi non mediocrem dignitatem cum ad insequentem vitam, tum ineptias & gloriam, quarum erat amantissimus, conciliauit. Itaque postquam in carcerem coniectus est, Christiani hanc rem grauiter & indignè ferentes, nullam non impendebant operam, & planè mouebant omnia, tentantes si quo modo illum furtim possint eripere. Deinde animaduertentes hunc conatum frustra esse, nihil tamen ex altero quo captiuus egebat obsequio intermittebant, verùm omnia cum magna fide & diligentia præstabant. Ac mane quidem illico videre erat iuxta carcerem præstolantes anus viduas quaspiam, & orbos pueruIos. Illorum verò pars etiam vnà intus cum illo somnum capiebant, corruptis pecunia custodibus. Exin omnis generis cœnæ inferebantur variæ, ac sacri inter sese sermones dicebantur. Atqui optimus ille Peregrinus (adhuc enim hoc nominis obtinebat) nouus quoque Socrates ab illis nominabatur. Quin etiam in Asia pleraque vrbes fuisse constat, à quibus venerunt quidam laturi auxilium, Christianis mittentibus ex publico, neque non collocuturi, & virum consolaturi. Incredibile verò est, quantum studium & celeritatem in hoc ostendant, si quid tale vulgo innotuerit. Illico enim nulli rei parcũt. Proinde Peregrino quoque multæ tũc opes ab illis mittebantur, sub vinculorum prætextu, nec vulgarem rerum prouentum lucrifaciebat. Etenim haud dubi tanter sibi persuaserunt infelices illi, se omnino immortalitate fruituros, perpetióque victuros esse. Quam ob rem & mortem magno contemnunt animo, ac non pauci sua sponte semet occidendos offerunt. Deinde primus quoque illorum legislator eorum persuasit animos, quemadmodum omnes inter se fratres essent. Postea verò quàm semel à nobis desciuerunt, Gręcorum Deos constanter abnegant, solum autem Crucifixum illum impostorem adorantes, secundum illius leges viuendi rationem instituunt. Proinde apud illos omnia ex æquo habentur contemptui, existimantúrque esse communia, quæ citra fidem exactè exploratam in communem vsum à quoquam deferente suscipiunt. Quòd si quis præstigiator, aut alioqui homo promptus & versutus, & rei faciendæ appositus eos accesserit, breui admodum opulentus efficitur, quippe qui hominum idiotarum simplicitate callidè queat abuti. Cæterùm Peregrinus tandem liber dimissus est ab eo, qui id temporis præsidem agebat in Syria, viro non

Vita Peregrini, & res actæ.

non mediocriter Philoſophiæ commercio gauden
te. Qui cum illius ſubolfeciſſet arrogantiam, quòd
iam ſtatuiſſet mortem oppetere, vt per hoc præcla-
ræ famę gloriam apud poſteros relinqueret, dimiſit
illum, ne dignum quidem ratus eundem eſſe ſuppli-
cio. Ille verò exin domum regreſſus, comperit pa-
ternæ cædis memoriam nõdum fuiſſe ſopitam, ſed
multos ſupereſſe, qui mira peruicacitate accuſatio-
nem aduerſus illum adornarent. Diſſiparat itaque
maiorem poſſeſsionum ſuarum partem in peregri-
nationem, ac tantùm relicti erant agri ferme quin-
decim talentorum. Nam tota ſubſtãtia quam pater
reliquerat, triginta talentorum ſummam non ex-
ceſsit, non, vt omnibus modis ridiculus Theagenes
illam tribus millibus dignã falsò cõfirmauit. Tanti
enim neque tota Parianorum vrbs, tametſi quinque
ciuitates ſibi vicinas adiungeret, venderetur, vnà cũ
ipſis hominibus & iumentis, & reliqua ſupellectile.
Vigebat itaque eius etiandũ flagitium & accuſatio
in recenti hominum memoria. Nec ita diu habita-
uit in patria, ſed ſtatim aduerſus eum quiſpiam in-
ſurrexerat. Potiſsimùm verò ipſe populus indigna
batur, ſenẽ frugi, vt illi quibus viſus erat, perhibent,
familiariter lugentes, qui tam crudeliter & impiè
fuerat occiſus. Sedenim ſapiens ille Proteus ad hęc
omnia non oſcitanter intentus erat, quinam aliquid
inuentum cõminiſceretur, vnde vim & periculum
à ſe declinaret. Progreſſus ergo in mediam Pariа-
norum multitudinem, nutriebat verò iam comam,
ſordido amictus pallio, pera ex humeris ſuſpẽſa, &
baculum manu tenebat: erat autem omnino inſtru-
ctus more tragico. Talis itaque cùm ciuibus ſuis
apparuiſſet: Vniuerſam, inquit, ſubſtantiam, quam
ſibi beatę memoriæ pater reliquiſſet, ſe velle illis pu
blicam dimittere. His auditis, homines egeni & in-
opes, neque non ad diſtributionem auidè inhiãtes,
protinus exclamauerunt, illum vnicum eſſe Philo-
ſophum, vnicum amantem patriæ, vnum qui verè
Diogenis & Cratetis eſſet æmulus. Porrò autẽ ini-
mici neceſsariò quieſcebant. Etenim ſi quis cona-
tus eſſet mentionem paternæ cædis facere, illico
petebatur lapidibus. Secunda itaque ſuſcepta pere-
grinatione egreditur vagaturus, ſatis ſibi viatici in
Chriſtianis repoſitum eſſe exiſtimans, à quibus qua-
quauerſum incedebat, ſtipatus, in omni agebat rerũ
abundantia. Atque ad hunc modum aliquantũ tem-
poris alebatur. Tandem admiſſo neſcio quo aduer-
ſus illos flagitio (ſiquidem viſus erat, vt opinor, ali-
quid ex interdictis comediſſe) non recipientibus
amplius illis, magna rerum difficultate perplexus,
per recantationem opinabatur opes ſuas iterum à
ciuitate repetẽdas eſſe: miſsíſque literis, voluit iuſſu
regis denuò cuncta auferre. Contrà deinceps miſſa
legatione etiam à ciuibus, nihil actum eſt, ſed iuſſus
eſt ſtare rebus ſemel ab ipſo conſtitutis, præſertim
à nemine ad hoc per vim cõpulſus. Poſt id tertiam
in Aegyptum peregrinationem inſtituit ad Agatho
bulum iter faciens, vt admirando ſtudio ſemet ex-
erceret, tondens capitis dimidium, ac vultum limo
oblinens. Poſtea in magna circunſtantis populi co-
rona, tractans in manibus virilia, hoc tanquam me-
dium & indifferens eſſe demonſtrabat. Exin verbe-
rabat, & verberabatur ferula circa nates. Multáque
alia iuueniliora more mirifico ac præſtigioſo deſi-
gnabat. Cæterùm ad hunc modum inſtructus & ex-
ercitatus hinc ſoluit in Italiam: egreſſuſque è naui,
ſtatim omnes homines inſectatus eſt linguæ petulan
tia, cum primis verò regem, quem nouerat natura
placidiſsimum & manſuetiſsimum: qua re impulſus,
tutiori debacchabatur in omnes audacia. Etenim re
gi, vt par erat, parum curæ erant conuicia & blaſphe
miæ, neque vllum ex iis qui philoſophiæ ſe tradi-
derãt, propter verba ſupplicio afficere dignabatur,
cum primis verò eos qui rationem conuiciis impe-
tendi alios artem ſibi peculiarẽ feciſſent. Porrò au-
tem Peregrinus tanta dicendi licentia non media-
crem ſibi gloriam comparabat. Itaque apud homi-
nes idiotas in magna erat admiratione & reuerentia
propter arrogantiam, donec is qui Reipub. procu-
rationem obibat, vir ſapiens, eiectũ eum ablegaſſet,
cum præter modum hac libertate nimíſque petulan
ter abuteretur, dicens, vrbi nihil opus eſſe tali philo
ſopho. Quare hoc quoque de illo memorabile eſt,
dum in ore erat omnibus, philoſophus propter di-
cendi libertatem, ac immodicam linguæ licentiam
eiectus. Atenim iã exactus oppido, cum Muſonio ac Muſonius.
Dione & Epicteto cõſuetudinẽ habuit, cúmq; aliis Dion.
quotquot non diſsimili infortunio multatos eſſe Epictetus.
nouerat. Ad extremum ita regreſſus in Græciam,
modò probroſis dictis Elienſes impetebat, modò
Græcos vt aduerſus Romanos arma ſumerent, ſoli-
citabat, modò virum induſtrium, & multa dignita-
te præditũ turpiter inuadebat, propterea quòd ille
præter alia quibus de Græcis erat optimè meritus,
etiam hac in re non vulgarem præſtitiſſet Græciæ
& opem & operam, quòd aquam in Olympiam de-
duxiſſet, ac primus populũ ad feſtiuitatem conflue-
re ſolitum, ſiti pereuntem ſubleuaſſet. In hunc ergo
Peregrinus linguæ procacitate adductus, turpia ver
ba euomere non ceſſabat, quaſi Græcos hac mollí-
tie effœminaret: Oportet ſpectatores Olympiorũ
ſitim fortiter tolerantes perdurare. Ac per Iouem
non pauci illorum mortem oppetebant, vehemen-
tibus morbis impliciti, interea propter loci ſiccitа-
tem in magna & promiſcua multitudine emergenti-
bus. His ita dictis, de eadem aqua potare ſolebat,
adeò vt propemodum ab omnibus accurrentibus
lapidibus fuiſſet obrutus, niſi tunc commodùm ad
Iouis ſimulacrum arrepta fuga generoſus ille ſe cõ-
tuliſſet, ac ita præſenti diſcrimini vitata morte ſe
ſubtraxiſſet. Cęterùm in proxima Olympiade ora-
tionem per quadriennium quod interfluxerat, mul
ta cura meditatam atque compoſitam, ad Græcos
habuit, laudes eius qui aquam deduxerat, ac fugę ſuę
tunc factæ defenſionem complectentem. Iam verò
ab omnibus certatim cõtemptus negligebatur, nec
erat amplius perinde in pretio & admiratione. Si-
quidem friuola & exoleta erant quæ moliebatur o-
mnia, nec quicquam poterat amplius nouiter com-
mentum aut excogitatũ producere, quod ſtuporem
& admirationem incuſsiſſet accedẽtibus, & quo ille
ſibi dignitatem atque authoritatem conciliaſſet, cu-
ius ſub initium amore non dicendo extremè ambi-
tioſus flagrabat. Ad extremum hoc temerarium &
audax de pyra facinus commẽtus eſt, eáque de re in
Græcorum multitudinem ſermonem iam ſparſit,
quòd ſtatim à prioribus Olympiis veluti in diem
poſterum flãmis ſemet ipſe traditurus eſſet. Et nũc

hæc ipſa multis adornat præſtigiis, vt fama eſt, eruẽ da foſſa, ligniſque comportandis, ac miram & inuſitatam tolerantiam promittendo. Erat verò illi, vt mea fert ſentẽtia, omnino mors expectanda, nullóque modo è vita profugiendũ. At ſi immobili propoſito prorſus cõſtitutum habet mortem cum vita commutare, conſentaneum mihi videbatur, ne hoc igne fieret, neque his quæ ſunt in tragœdiis, vteretur, ſed alia aliqua mortis permutatione, quum infinitæ ſint, electa, è viuis diſcederet. Quòd ſi tamen igne, tanquam re quapiam Herculea, tantopere delectatur, cur non potius per ſilẽtium electo quopiam monte multis arboribus conſito, in eo ſe ipſe concremauit ſolus, vno aliquo, cuiuſmodi eſt Theagenes, Philoctete aſſumpto? Ille autem in Olympia præſente magna hominum frequentia, non in tabernaculis ſe ſolum videbit, alioqui haud indignus exiſtens per Herculẽ, ſicut par eſt homines parricidas ac impios malefactorum pœnas dare. Quin etiam nimium cunctanter ac ſerò illud facere videtur, quẽ iam dudũ oportebat in Phalaridis taurũ illapſum, dignum nefariis factis exhauſiſſe ſuppliciũ, nec tantùm ſemel in flamma hiſcentem ſubitò expirare. Etenim à multis hoc pro certo confirmari audio, nullam mortem eſſe velociorem aut properantiorem, quàm eam quæ per ignem illata fuerit. Solum enim os aperiẽdum eſt, & ſtatim efflatur anima. Atqui & ille, vt opinor, eam quoque ſpectaculi dignitatem ſecum volutat in animo, rem videlicet grauẽ & præclaram eſſe, ſacro in loco comburi, vbi ne ſepelire quidem alios morientes religioſum ducitur. Audiuiſtis enim, niſi fallor, quemadmodũ iam olim quidam cupiẽs glorioſum & celebre apud poſteros nominis ſui monimentum relinquere, cum nullam aliam videret ſibi relictam eſſe innoteſcendi rationem, Epheſiæ Dianæ templum abſumpſit incẽdio. Tale quippiam & hic ſecum molitur in animo. tanta gloriæ cupiditate tantùm non miſer ille contabeſcit. Sedenim aiunt illum hęc ipſa hominum gratia facere, vt eoſdem mortis contemptum doceat, ac in rebus arduis tolerantiam. Ego verò perlibenter interrogarem non illũ, ſed vos, nunquid etiã maleficos & facinoroſos eius diſcipulos fieri cupiatis in eiuſmodi tolerantia perdiſcenda, ac morte contemnenda, tum afflictionibus & cæteris terroribus fortiter perferẽdis? Atqui certè compertum habeo iſta vos minimè velle aut cupere. Quo igitur pacto hoc Proteus diſcernit, vt bonis tãtùm hac in re ſit profuturus, nec malis & nefariis hominibus maiorem ad contẽnenda pericula, & ſceleratiora audendi animum additurus? Eſto ſanè ad hoc tantùm concurſuros eſſe, qui in optimam partem hanc rem ſaltem ſpectaturi ſint, proinde ego vos iterũ rogabo: Cupitíſne liberos veſtros illius æmulos fieri? Haud quaquam dicetis. Atqui hoc ipſum quærebam, num quis ex diſcipulis eius eundem imitaretur? Theagenem itaque in hoc quiſpiam iure optimo accuſare poſſit, quòd cũ in aliis per omnia viri æmulus eſſe ſtudeat, hac in parte tamen præcedentem præceptorem minus ſequatur, itérque cum eo faciat, ad Herculem, veluti perhibent, abeunte, præſertim cum in breui poſſit ſummè ac omnibus numeris felix euadere, per præceps ſaltem in ignem illapſus. Neque enim in pera aut baculo, aut ſordido pallio circunferendo, æmulationis ſumma ſita eſt, ſed hæc extra periculum poſita ſunt, & imitatu facilia, & cuiuſuis hominis. Ipſum finem & caput æmulari conuenit, ingenti videlicet pyra ex truncis ficulneis & maximè viridibus congeſta, fumo ſemet præfocari. Siquidem ignis non tantùm Herculis & Aeſculapii proprium æſtimandum eſt, ſed ſacrilegorum quoque & parricidarum, quos iudicio cõdemnatos, hoc ipſo ſupplicio affici videmus: ita vt longè præſtabilius eſſe putem, vobis fumo præfocatis oppetere. Hoc enim vobis tandem vt peculiare & proprium adſcribi poteſt. Alioqui etſi Hercules tale quippiã auſus eſt, doloris & morbi impatiẽtia impulſus hoc fecit, dum à ſanguine Centaurico, veluti teſtis eſt tragœdia, infectus abſumeretur. Cæterùm ille qua cauſa incitatus ſe ipſum in ignẽ ferens præcipitat? Per Iouem ſcilicet vt animi tolerantiam hoc argumento notam faciat, non ſecus atque Brachmanes. Illis enim Theagenes præceptorem ſuum aſſimilare contendit. Quaſi verò non etiam apud Indos inueniantur homines vecordes & ſtolidi, vanæq; gloriæ extremè dediti. Attamen quandò ita fert animus, imitetur illos: Atenim illi ignem inſiliendi morem non habent, veluti Oneſicritus claſſis Alexandrinæ gubernator ait, cum Indum ardẽtem, ſicut fama eſt, conſpexiſſet. Verùm poſteaquam congeſta atque incenſa pyra conuenerint, propè aſſiſtentes immobiles lentè aſſari fortiter ſuſtinẽt. Deinde ingreſſi iuxta habitum, ardent, ne tantillum quidem poſt accubitũ ſe auertẽtes. Cæterùm ille quid adeò magni aut præclari deſignat facinoris, ſi illapſus ſuffocatur, à flammis ſubitò & violenter diſcerpitus? Neque enim eam, vt opinor, ſpem concepit in animo, vt ſemiuſtus ab igne reſiliat, niſi hoc, quod à nonnullis audio, inſidioſe ſtruat, vt infrà quoque in foſſa pyra profunda ſit. Sunt præterea qui illum transformatum iri confirment, eíque rei comprobandæ iam percenſent ſomnia, tanquã Iupiter conceſſurus non ſit vt ſacer locus cæde contaminetur. Atqui eã ob rem planè ſecurus ſit animi. Eſto enim iurare non dubito, nullum profectò Deorum grauiter & indignè laturum, ſi Peregrinus malo & infelici fato peſsimè interierit. Sedenim neque facile neque promptum iam illi eſt à propoſito regredi. Siquidem qui cum illo habent conſuetudinem, miſerum omnibus modis incitant, & in ignem compellunt, non ſinentes eundem timore conſternari aut trepidare: quorũ ſi duobus diſcerptis in ignem incideret, ſolum hoc proclarè & cum multorum gratia faceret. Quinetiam hoc inaudiui, ſe amplius Proteum nominari nolle, ſed Phœnicem, quòd & Phœnix auis Indica iam ſummo confecta ſenio, pyram dicatur inſcendere. Sedenim vana comminiſcitur mendacia, oracula quædam vetera percenſens, ac ſi Deum quempiam noctis cuſtodem illum fieri oporteat. Ac iam non obſcurè aras quoque deſiderare videtur, aureíſque donariis ſe honoratum iri planè ſperat. Et per Iouem haudquaquã abſurdum factu æſtimãdum eſt, ſi in tanta ſtultorum hominum multitudine inueniantur etiam qui prædicare non vereãtur quòd per ipſum quartana ſint liberati, quódque noctu in dæmonem nocturnũ inciderint. Porrò autem execrandi illius diſcipuli oraculum quoque, vt opinor, & adytũ iuxta pyram machinabuntur,

tur, propterea quòd & Proteus ille Ioue natus, huius nominis propater, vaticinio celebris habitus est. Neque testari dubito certò futurũ confirmans, vt sacerdotes quoque illi constituantur flagellorũ, aut incendiorũ, aut alicuius alterius rei monstrificę. Aut per Iouẽ festiuitas illi nocturna sacrificabitur, aut festũ facibus iuxta pyrã celebrãdum. Cæterùm Theagenes nuper, vt quidam mihi ex familiaribus retulit, ait Sibyllã quoque ea de re ista prædixisse. Et cur non ipsos percenseamus versiculos?

Aſt vbi iam Proteus Cynicos longè optimus inter,
Per loca sacra Ioui rutilum succenderit ignem:
Tunc omnes quotquot fructu vescũtur agrorũ,
Noctiuagum, vt iubeo, placate heroa colentes
Cõcessa Alcidæ ac Vulcano sede propinquum.

Hæc quidẽ Theagenes ex Sibylla se audisse falsò prædicat. Cæterùm ego illi Bacidis oraculum contrà memorabo. Ait autem adhũc modum Bacis nimium verè vaticinatus:

Postquam multiplici Cynicus cognomine Proteus
In flammam sese per præceps iecerit acrem,
A furiis vanum propter compulsus honorem,
Protinus occisi, viuum quicunque sequuntur,
Vulpicanes alios imitari fata decebit.
At quicunque metu trepidus vitauerit ignem,
Quàm primum saxis populo lapidetur Achiuo:
Ne dum friget iners, nugas producat acutas,
Vsuram exercens, & plena & diuite pera,
In patria nũmosus habens ter quinque talenta.

Quid vobis videtur viri? nũquid Bacis deterior visus est vates esse quàm Sibylla? Sed iam tempus est admirandis illis discipulis Protei circumspiciendi, vbi potissimùm semeripsos purgent in aërem. Hoc enim ipsi combustionem vocãt. Hæc cum dixisset, certatim ab omnibus circunstantibus succlamatum est, Comburãtur iam illico flammis dignissimi. At ille quidem descendit vbertim ridens: porrò Nestorem, nempe Theagenem, non latebat vociferatio, verùm exaudito clamore venit illico. Cùmque dicturus ascendisset, magna voce exclamauit innumera mala de eo percensens qui descenderat. Minimè verò compertum habeo quódnam illi optimo nomen fuerit. Cæterùm ego relicto illo vociferatione se rumpente, abibã visurus athletas. Iam enim certaminũ iudices & arbitri in circo esse dicebant. Et hæc quidem acta sunt in Elide. Cum autem venissemus in Olympiã, maior ibi multitudo aderat Proteum accusantium, quàm eius inceptum laudantium, adeò vt nõ pauci illorum contrixãtes ad manus deuenerint: donec progressus ipse Proteus infinita hominum frequẽtia deduceretur, relicto à tergo præconum certamine: vbi orationes quaspiam de se ipsẽ habuit, nimirum quibus exercitils vitam suam transegisset, quibúsque in periculis versatus fuisset, tum quantas & quàm duras difficultates philosophiæ gratia per omnem ætatem pertulisset. Itaque multa eius generis erãt, quę ille disseruerat. Ego verò saltem pauca quædam præ circumstantium multitudine audiebam. Deinde metuẽs ne in tãta turba cõprimerer, posteaquam multos idem patientes cernerem, abij, longũ valere iubens sophistam semet perimentem, sibique funeris epicaphium ante mortem recitantem. Sedenim tunc etiam hoc inaudieram. Dixerat enim, aureæ vitæ, aureã quoq; se velle imponere coronidem. Consentaneũ autem esse, vt qui Herculeam vitam exegisset, Herculeam quoque mortem oppetẽs è viuis discederet, aëríq; misceretur. Ac eam quidẽ vtilitatem, inquit, stami præstandam esse hominibus, vt commonstrem illis, qua ratione & mentis constantia mortis acerbitas respuenda sit. Itaque oportet omnes homines mihi morièti Philoctetas præstò esse. Iam qui imprudentiores erant ex illis, lacrymas profundebant, exclamantes: Serua te Græciæ saluum atque superstitem. Cordatiores verò vociferabantur: Perfice quæ facienda decreuisti. Horũ itaque diuerso studio senex non mediocriter perturbatus èst, sperãs omnino se ab omnibus retentũ iri quò minus in ignẽm se mitteret præcipitem, sed inuitum & nolentem illis resistentibus in vita se mansurum. Ac sanè cum præter spem atque sententiam accidisset, vt illi quæ arrogantia inductus facienda decreuerat, ea quoq; opere comprobanda forent, maiorem in modum expalluit. Cumq; iam mortui cadaueris speciem vultu ac colore præ se ferret, per Iouem timore impendidò magis perculsus, subtrepidauit etiam. Ego verò, vt opinor, iam quæris quantum riserim. Neque enim commiseratione mihi dignus videbatur, homo ita miserè ambitiosus, ita anxiè gloriæ cupidus supra omnes quotquot vnquam hoc vitio laborauerunt. Nihilo secius tamen à multis stipatus deducebatur, ac gloriæ amenti desiderio in præceps rapiebatur, subinde oculos in multitudinem admirantium reiiciens, ignarus miser quòd eos quoq; qui ad crucem ducerẽtur, aut in carnificis manibus tenerẽtur iam occidendi, multo plures subsequerentur. Finitis autem certaminibus Olympicis, quæ omniũ pulcherrima fuisse cognoui (iã enim quater præsens interfui) cum currus inopia laborarem, multis discedentibus inuitus relinquebar. Cæterùm Proteus exitio sum sibi spectaculum subinde protrahens, noctem demum postremum tempus ei rei destinauit, quãdo se ipsum esset cõcrematurus. Sub noctem itaq; mediam assumptus à quodam familiari, cum è strato surrexissem, cõcessi rectà in Arpinã, vbi pyra erat. Ad id loci viginti erãt stadia ab Olympia per Hippodromum ad auroram euntibus. Quum primum verò eò ventum est, offendimus pyram altè congestam, in profundum verò ad magni cubiti altitudinem egestam. Crebræ faces præstò erant, aridis insuper sarmẽtis & stipulis pyra erat intexta, vt quàm primùm igne suscepto in flammam erũperet. Postea verò quàm luna exorta est (oportebat enim & hanc huius pulcherrimi facinoris spectatricem adesse) prodiit ille eo quo semper more solebat exornatus, ac cum illo reliqua Cynicorũ multitudo. Hic generosus quisque ex patribus facem in manu tenens, non segniter subministrabat. Insuper ipse quoque Proteus face armatus iticedebat. Mox aggressi alius aliunde admotis facibus maximũ ignem succenderunt, nempe facibus & sarmentis copiosè igni suppeditantibus. Ille autem (nunc verò hæc maximè attento sis animo) depositis pera & pallio, ac baculo illo Herculeo, in extremè sordido adstitit amiculo. Deinde postulato thure, vt in ignem spargeret, quidam illi porrexit: quo in ignem conjecto,

& verſis ad meridiem oculis (etenim ipſe quoque meridies ad huius tragœdiæ partem attinebat) ſic exorſus eſt: O materni atque paterni dæmones, ſuſcipite me propitii. Quibus dictis actutum in ignem inſiliit, nec amplius à quoquam viſus eſt, ſed à flamma, quæ multa erat, circunfuſus diſparuit. Iterum te optime Cronie, fabulæ cataſtrophen ridentẽ video. Ego verò maternos dæmones inclamantem per Iouem non admodum accuſabam. At cum paternos quoq; inuocaret, recordatus eorum quæ de patris interfecti cæde dicta fuerãt, riſum continere non potui. Porrò autem Cynici rogum circunſtantes, nullas quidem profundebãt lacrymas, cæterùm ipſo ſilentio non vulgarem perturbati animi ægritudinem indicabant ignem inſpicientes, donec vnà cum illis affectus graueolentia, abeamus, inquam, ô ſtolidi. Neque enim voluptuoſum hoc eſt ſpectaculum, ſenem aſſatum videre, præſertim cùm ita malo odore omniũ nares impleantur. An expectatis dum pictor quiſpiam accedens vos depingat, quemadmodum in carcere iuxta Socratem ſocii depicti ſunt? His auditis illi indignabantur, & me conuiciis proſcindebant. A nonnullis quoque illorum ad fuſtes concurſum eſt. Deinde verò cum eſſem illis comminatus, me correptos per vim quoſpiam in ignem, præcipitaturum, vt præceptoris ſequantur veſtigia, à cœpto deſtiterunt, & pacem egerunt. Ego autem à pyra regreſſus, equidem varia meo cum animo, ô amice, voluebam, identidem mecum reputans cuiuſmodinam res eſſet gloriæ ſitis & cupiditas, quippe qua ſola quoque magni alioqui viri & admirandi omnes ex æquo caperẽtur, nedũ hic Proteus, cuius omnis vita parum prudẽter inſtituta, eò tantùm tendebat, vt aliis admirationi eſſet, & ſtupori, prorſus flammis nõ indigni. Exinde multis occurrebam, & ipſis ſpectatũ euntibus. Etenim exiſtimabant adhuc ipſum vnum relictum iri. Siquidẽ & hoc priori die fama ſparſerat, tanquam ad ſolem orientem ſalutaturus, quemadmodum aiunt factitare Brachmanas quando pyram ſint inſcenſuri. Itaque multos illorum ab incœpto itinere abſterrui, dicẽs omnẽ rem iam eſſe confectam, quibus ne hoc ipſum quidẽ digaum erat diligentia & ſi ipſum vidiſſent locum, ac nõ nihil ab igne reliquiarũ inueniſſent. Hic mihi, ô amice, infinita erant negotia, dum omnibus percenſeo quærentibus, & ſingula exactè indagantibus. Quoties ergo videra eminentis authoritatis & gratiæ virum, illi omnẽ rem nudè & ſimpliciter vt acta erat, quemadmodum tibi, commemorabam. Cæterũm erga homines bardos & ſtupidos, & ad audiendum ſuſpenſo animo inhiantes, magnificis & tragicis verbis efferebat, quòd poſteaquam pyra fuiſſet incenſa, & ſemet Proteus iniecíſſet, facto ſubinitiũ ingenti motu, cum horrendo concuſſæ terræ fragore, vultur è flamma ſubuolans, rectà in cælũ iuiſſet, magna voce humana dicẽs: Reliqui terrã, in Olympum commigro. Illi his auditis obſtupeſcebam animis, ac adorabant perhorreſcentes, néque interrogabant, vtrónam, ad auroram, an ad occaſum verſus ſubductus eſſet vultur. Ego verò quodcũque fortè ſuccurrebat, reſpondebam illis. Porrò vbi ad frequentem hominum celebritatem veniſſem, in virum eanum incidi, & per Iouem, quantum ad vultum & barbam, & reliquam grauitatem attinebat, quãdiu pretii, qui cum alia de Proteo circunſtantibus percenſeret, etiam hoc adiecit, quòd cum poſteaquam combuſtus eſſet, aliquanto antè in veſte candida vidiſſet, ac nunc eundem hilarum in porticu Heptaphono, hoc eſt, ſeptem vocibus perſtrepente, obambulantem reliquiſſet, oleaginis ſertis coronatũ. Ad extremum ſuper omnia addidit etiam vulturẽ, perſanctè deierans quòd ipſi ex pyra ſubuolans fuiſſet conſpectus, quem ego paulò antè volantem dimiſeram, in hoc, vt hominum ſtolidorum & ſtupidorum mentem dementaret atq; deluderet. Conſidera verò reliqua, quæ propter ipſum (vt veriſimile eſt) breui euentura ſint. Qualeſnam apes Iotã non ſunt frequentaturæ? Quæ verò cicadæ non acceſſuræ? Quæ cornices non aduolaturæ, quemadmodum ad ſepulcrum Heſiodi, & ſimilia? Sed enim imagines quoque ab ipſis Elienſibus reliquiſque Græcis miſſas eſſe confirmabat. Hoc profectò ſat ſcio, breui non paucas erectum iri. Aiunt præterea omnibus ferme ciuitatibus celebrioribus ipſum ſcriptis epiſtolis miſiſſe teſtamenta quædam, & exhortationes ac leges: ac quoſpiam propter hæc ipſa legatos ex familiaribus elegiſſe, funeris ſui nuntiis & curſoribus declaratis. Hic finis vitæ fuit infelicis illius Protei, viri, vt breui oratione cuncta perſtringam, qui ad veritatem nunquã reſpexit: propter gloriam verò & hominum laudem aucupandam, omnia ſemper & dixerit & fecerit, adeò vt in ignem quoque ſe per præceps ſalui miſerit, quãdo laudum titillatione haud quaquam amplius perfruiturus erat, quippe quas mortuus ſentire non poterat. Vnum adhuc ſi addidero, verborum finem faciam, vt abũde habeas quod rideas. Siquidem illa iam olim noſti, quippe quæ ſtatim vt ex Syria domum veni, ex me denarrante audiſti; vt à Troade vnà cum illo nauigarim, præter alias quas exercebat inter nauigandum delicias, etiam puerum formoſum perſuaſit vt Cynicæ ſectæ ſe addiceret, videlicet vt eſſet etiam illi Alcibiades. Et quemadmodũ cõcerritus ſit ſub noctem in medio Aegæo, oborta caligine, magníſque fluctibus inſurgentibus, vtque cum mulieribus turpiter eiularit admirãdus ille, viſus ſibi potior eſſe, quàm vt mortem oppetere debeat. Atqui aliquanto antè quàm diem ſuum obiit, ante noctẽ ferme dies plus quàm ſat erat, vt opinor, cũ anariter deuoraſſet, ſubnoctẽ vomuit, ac febricula valde vehemẽti ſubitò correptus eſt. Hæc mihi Alexãder medicus denarrauit, accerſitus in hoc, vt eum inſpiceret. Ait ergo ſe illum ſemet humi voluentẽ deprehendiſſe, æſtuantem morbum perferre nõ valẽtem, ac frigidã valde deſideranter poſtulantem: ſe verò non dediſſe. Dicebat quoque ita ad illum dixiſſe ſeſe: quòd ſi prorſus mortis amore & cupiditate teneretur, ipſum vitro breui ad ianuam eſſe venturam, ita vt ignis ſibi ſuperuacaneus ad hanc maturandam eſſe videretur. Ad quæ ita reſpondiſſe Proteũ aiebat. Atqui haudquaquam perinde celebris & gloriola oppetenda mortis futura eſt ratio, cum omnibus cõmunis ſit. Hæc quidẽ Alexãder. Cæterùm ego quoque illum non ita multos ante dies vactum conſpexi, quemadmodum præ pharmaci amarulentia fleneric. Vtí déſino vt non vnanimo Acatus cæquiẽtes ſuſcipiat? Non abſimile ſi quis iamiam in crucem aſcenſurus digiti, vulnuſculo medeatur. Quid tibi facturus fuiſſe

Peregrini mors.

fuiſſe videtur Democritus, ſi horum ſpectator contigiſſet? Nunquid pro dignitate virum deriſiſſet? Et vnde tantus miſero riſus ſuppetiſſet? Proinde, ami ce, ride & tu ipſe, ac tum maximè & effuſiſsimè, quoties alios eundem admirantes audieris.

FVGITIVI,

Bilibaldo Birkheimero interprete.

ARGVMENTVM.

Rurſum inuehitur hoc dialogo Lucianus in Philoſophos, quos ſub fugitiuorum nomine non ſolùm ipſos per ſe homines facinoroſos ac perditos pleroſque oſtendit, verùetiam à turpibus principijs, nullis honeſtis ſtudijs, nulla diſciplina inſtitutos, ſed ſolùm ventris & otij gratia, quò cũ maiori ignauia ac ſecuritate, libidini atque alijs vitijs inſeruire poſſint, ad hanc profeſſionem prorumpere docet. Fingitur autem Iupiter cum Mercurio de eo quod nuper in Olympijs circa Proteum acciderit ſermone habere (quæ occaſio dialogo eſt) atque ibi inter narrãdũ Philoſophiã aduenire, multa queretẽ ac deteſtãtẽ de moribus & vitijs recẽtiorum ac nuper natorum philoſophorũ, vt quinõ ipſi modo nihil dignũ hac profeſſione agãt aut tractent, verùetiã iniuriã ac fraudes, quibus alios circunueniãt ſub hoc ſpecioſo titulo tegãt: expoſita interim prima origine, qua de cauſa Philoſophia primũ in terras à Ioue demiſſa fuerit, qui homines philoſophari primùm cœperint, & quale poſtremum hoc hominum genus ſub hac profeßione ſeſe venditare ſoleat. Qua querela Iupiter, pro eo ac par erat, commotus, Mercurium & Herculem vnà cum Philoſophia ad puniendos huiuſmodi impoſtores demittit, qui, ducente Philoſophia, in Thraciam deueniãt atque ibi fugitiuos quoſdam ſeruos, philoſophorũ nomine ſeſe tuentes, & quandam Laconici cuiuſdam vxorem, libidinis cauſa ſecum circunferentes, indicante & adiuuante ad hoc etiam Orpheo poeta, cõprahẽdunt, & malè mulctatos dominis ſuis in ſeruitutem reſtituunt. Vtrum autem ex vero aliquo facto occaſionem argumenti huius Lucianus traxerit, incertũ eſt: loci certè ac nominis mentio, quam ille ſubobſcurè facit, tale aliquid innuere videtur. Et fuere illis tum temporibus præter Epictetum & Menippum, de quibus notum eſt, & Macrobius quoque libro Saturnalium primo meminit, etiam alij quidam, qui à ſeruis ad philoſophiam progreſſi ſunt, quorum haud dubiè nonnulli non tam virtutis ſtudio, quàm ignauiæ & ſecuritatis gratia, quemadmodũ & noſtra ætate non paucos vidimus, ad hoc vitæ genus excitati fuere.

Interlocutores, Apollo, Iupiter, Philoſophia, Hercules, Mercurius, Viri, Dominus, Orpheus, Fugitiuus, Maritus.

APOLLO.

VEràne quæ dicũt, Pater, quòd in ignem quidam ſe ipſum coram Olympiis iniecerit, homo iam ſenex, nec ingeneroſius ad talia præſtigiator? Siquidẽ ita nobis Luna retulit, ſe illum ardentem vidiſſe dicẽs. IVP. Et admodum vera, ô Apollo, atque vtinam nunquam facta fuiſſent. APOL. Num adeò bonus ſenex erat, & indignus qui in igne periret? IVP. Et illud forſitan. Cæterùm multam me tum memini inſuauitatem, ob nidoris, qualem ab toſtis humanis corporibus exhalare par eſt, fœtorem pertuliſſe. etenim ni confeſtim in Arabiam, vt habebam, diſcedens abiiſſem, ob fumi, certè ſcias, fœditatem periiſſem: & tamen in fragrãtia tanta, aromatumque copia, necnon thuris abundantia, vix mihi nares odoris obliuiſci, & graueolentiam illam dediſcere volebant: ſed & nunc cum tantùm recordor, quaſi nauſeo. APOL. Quídnam ô Iupiter, volebat cum ita ſe ipſo abuteretur? aut quódnam inde bonum, ſi in rogum incideret, ac carbonatim deflagraret? IVP. Atqui fili, nónne in hoc Empedoclem ante ipſum criminari videris, qui in Sicilia & ipſe in cratêras inſiluit? APOL. Melancholiam quandam moleſtã dicis. Cæterùm iſte quãnam tandem deſiderii cauſam habebat? IVP. Ipſius tibi ſermonem referam, quem coram Panegyri, cum mortis genus defenderet, habuit. dicebat enim, ſi memini: Sed quænam eſt iſta quæ accelerans aduentat, perturbata, lacrymaris? magna videtur iniuria affecta. Atqui Philoſophia eſt, ac nomen meum, ſe ipſam deplorans ærumnis plena, inuocat. Cur filia lacrymaris? aut cur vi tam relinquens aduenisti? num tibi rurſus Idiotæ, vt olim, ſtruxere inſidias, cum Socratem ab Anyto accuſatum interfecere? ideóne illos fugis? PHIL. Nil tale, ô pater, verùm turba illa ingens me laudat, honoréque dignam cenſens veneratur, & tantùm non adorat, tametſi non admodùm quæ dico intelligat. Hi verò, quónam modo dicam? familiares, & qui ſe amicos eſſe aſſerunt, ac nomen meum induêre, illi me grauiſsimè læſerunt. IVPIT. Philoſophíne tibi inſidias quaſdam ſtruxere? PHIL. Minimè, pater. nam & illi pariter mihi iniuria ſunt affecti. IVPIT. A quibus igitur iniuriam perpeſſa es, ſi nec Idiotas, neque philoſophos incuſas? PHIL. Sunt nonnulli, ô Iupiter, inter multitudinem & philoſophantes medii, forma, aſpectu & inceſſu nobis ſimiles, híſque ornati. hi mihi ſubeſſe gloriantur, ac nomen noſtrum præ ſe ferunt, diſcipulos, ſectatores ac contubernales ſe noſtros eſſe dicentes: at vita eorum ſceleſtiſsima, ignorantia, temeritate & petulãtia penitus eſt referta: nobis iniuria haud parua. ab illis ô pater iniuria affecta profugi. IVPIT. Moleſta hæc, filia. verùm qua re potiſsimùm te læſere? PHIL. Conſidera pater, num parua. etenim cum vidiſſes humanam vitam iniquitate & iniuſtitia plenam, tanquam ignorantia & violentia agitatam, & perturbatã, tu rerum humanarum, quòd tãta caligine conflictarentur, miſeratus, me in terram demiſiſti, iniungens vt omnem adhiberem diligentiam, quò homines à violentia & mutuis deſinerẽt iniuriis, ac non belluarum ritu viuerent, ad veritatémque reſpicientes, pacatius inter ſe degerent. Dicebas etenim cum me demitteres, quæ nam homines agunt, qualitérque, ô filia, ob ignorantiam ſint affecti, tute quoque cernis. Ego verò, quoniam eorum me miſeret, te, quam ſolam tantis erroribus mederi poſſe arbitror, ex omnibus nobis elegi, ac vt illos cures, demitto. IVPIT. Noui, multa talia tum dicebam: at tu iam dicere perge quomodo ſub initium te deuolantem homines ſuſceperint, & quæ nunc ab ipſis pertuleris. PHIL. Perrexi igitur pater, non confeſtim ad Græcos, ſed quod longè mihi difficilius opus eſſe videbatur, Barbaros

videlicet inſtituere & docere, hoc primum aggrediendum eſſe cenſebam. Intermiſsis igitur Græcis, tanquã qui facilè ſubigi poſſent, ac celeriter, vt putabam, frenum ſuſcepturi, iugóque collum ſubditu-

Qui primi philoſophari cœperint. Brachmanes,

ri forent, ad Indos primò moui, gentem omnium quæ viuunt, maximam: illíſque haud grauatè perſuaſi, vt ab elephantis deſcendentes, mecum cõuerſarentur: quemadmodnm Brachmanes, felix hominum genus, Nechræis & Oxydracis finitimi, qui omnes mihi ſubduntur, ac noſtris viuunt inſtitutis, ac omnibus circumhabitãtibus honorati, mortíſq; genere moriuntur admirando. IVPIT. Gymnoſophiſtas dicis: de quibus inter cętera & hoc audio, quòd in rogum ingentem aſcendentes, ſponte comburuntur, minimè vel forma aut cathedra excidentes. ſed nihil magni hoc. nã & ego nuper in Olympiacis ſimile quiddã fieri conſpexi. quin & te, cum ſenex conflagaret, adeſſe decuiſſet. PHI. Haud ad Olympia, pater, aſcendi, execrandorum illorum quos dicebam, metu, quoniam multos eorum abire vidi, tanquam concilio maledicerent, latrantéſque domus poſteriora clamore implerent: ita vt nec illũ quemadmodũ occubuerit viderim. Poſt Brachmanes igitur cõfeſtim in Aethiopiã inde in Aegyptũ deſcẽdi, & cũ ſacerdotibus & prophetis illorũ congreſſa ſum. Quos cũ diuina docuiſſem, in Babylonẽ perrexi, Chaldęos & Magos initiãs. Inde in Scythiã, poſtea in Thraciã, vbi Eumolpus & Orpheus mecum congreſsi ſunt, quos etiam in Græciam præmiſi, Eumolpũ quidẽ vt Græcos initiaret (etenim cuncta diuina à nobis didicerat) Orpheum autem vt in cantando muſica eos cogeret: quorum veſtigia confeſtim inſecuta ſum: ac ſub initium cum veniſſem, non admodum Græci me amplectebantur, nec tamen penitus excludebant. Paulatim verò cũ eis conuerſata, ſeptem ex omnibus amicos & diſcipulos collegi, & alium ex Samo, aliũ verò ex Epheſo, ex Abdera quoque aliũ, omnino paucos. Quibuſcum Sophiſtarum genus, neſcio quo pacto, mihi ſubpullulauit, neque mea abſolutè æmulans, nec tamen penitus diſcrepans, ſed tãquam Hippocentaurorum genus, compoſitum quid, & miſtum, in medio ſuperbiæ & philoſophiæ errans, neque ignorãtiæ finem imponens, neque fixis oculis nos intueri valens, ſed tanquam hebetudine cæcutientes, obſcurum quid, & dubiam noſtri imaginem vmbrámve quandoque cernens, nihilominus tamen exactè cũcta ſe noſſe exiſtimat. Hinc illa inutilis & ſuperuacanea apud eos ſapientia, & vt ipſi arbitrantur, inexpugnabilis, accẽditur: ar rogantes quoque & dubię, necnon abſurdæ reſponſiones: inextricabiles præterea & labyrintheæ interrogationes. Quòd ſi ab amicis meis prohibentur & redarguuntur, indignãtur, ac contra illos conſpirant, tandémque in ius rapiunt, & ad cicutam bibendam tradunt. Et quanuis fortaſſe tum confeſtim fugere, nec amplius eorum conuerſationem tolerare oportuiſſet: Antiſthenes tamen, & Diogenes, ac paulò pòſt Crates, Menippus quoque, mihi, vt parumper diſceſſum meum differrem, perſuaſere: quod vtinam nunquam factum eſſet. non enim tanta poſtea fuiſſem perpeſſa. IVP. Sed nondum mihi, ô Philoſophia, enarras quemadmodum iniuria ſis affecta, verùm tantummodo indignaris. PHIL. At qualiter, nunc, ô Iupiter, audi:

Gymnoſophiſtæ.

Ægyptii.

Chaldæi. Scythæ. Thraces. Græci.

Sophiſtæ quales, & vnde.

Sceleſtum quoddam hominum genus eſt, & vt plurimum ſeruile ac mercenarium, haud nobiſcum ob negotiorum multitudinem à pueris conuerſatum. ſeruitutẽ enim ſeruiuit, aut ſub mercede operã locauit, aut alias artes exercuit, quales par eſt homines tales addiſcere, coriariam, fabrilem, fullonicam, aut lanam excutere, vt mulieribus ſit accõmoda, & ad filandum apta, ductiliſque, cum illæ tramam vertũt, vel licium circũuoluunt. talia igitur in puerili exercentes ætate, nec nomẽ cognouere noſtrum. Poſtquam verò annos viriles ingredi cœpere, ac reuerentiam, quæ à quàm plurimis amicis exhibetur meis, conſpexerunt, quemadmodúmque homines loquendi eorum libertatem tolerant, & correpti gaudent, ac conſulentibus obtemperant, increpantes denique formidant: hæc omnia tyrannidem haud paruam eſſe arbitrabantur. Verùm addiſcere quæ profeſſioni huic conueniunt, longum erat, ſeu potius impoſsibile valde: artificia verò tenuia, & quæ vix cum ſummo etiam labore neceſſaria ſuppeditare poſſent: nonnullis etiam ſeruitus moleſta, & quomodocunque erat, intoleranda videbatur. Re igitur diligenter perpenſa, ancoram nouiſsimam, quam nauigantes ſacram appellant, viſum eſt demittere. Ad optimam itaque ſocordiam declinãtes, audaciam quoque & ignorantiam ac impudentiam in auxilium aduocarunt, quæ potiſsimùm cum eis in certameu irent. Conuicia præterea noua excogitauerunt, vt prompta eſſent, ac ſolas decertationes has in ore haberent. Qualianam ad philoſophiam cernis viatica? proinde & formæ ſtudent, ac oppidoquàm eleganter ſe exornãt, planéque ita mecum agunt, quemadmodum Aeſopus Cumanum illum aſinum feciſſe refert, qui cum leoninam induiſſet pellem, & aſperè derudiſſet, ſe quoque leonem eſſe videri cupiebat: & erant fortaſsis nonnulli qui ei crederent. Noſtra verò admodum, vt noſti, ſunt facilia, & ad imitandum leuia (de externis loquor) haud enim magni eſt negotii, vel veſtem ſibi tritã circumdare, aut peram collo ſuſpendere, ſeu lignum in manibus geſtare, vel vociferari, aut potius rudere, ſiue latrare, ac omnibus maledicere. Equidem ſecuritatem, quòd nihil ob talia paſſuri eſſent, formæ reuerentia præſtare tenebatur. Libertas verò etiam inuito domino prompta. qui ſe comprehenſos abducere conabatur, baculi experiebatur violentiam. Cæterùm farina non amplius pauca, neque placenta vt antea tenuis, obſonia verò nequaquam ſolita, cepéve agreſte, ſed carnes omnifariàm, & vinum quod ſuauiſsimum: quin & aurum cum volũt, paratum: etenim circumerrantes tributum colligunt, vel vt ipſi dicũt, pecora detondent, multóſq; dare exiſtimant vel habitus veneratione, aut metu ne malè audire cogantur. Siquidem & hoc quoque, vt arbitror, præuidere, quò ex æquo inter rectè philoſophantes collocarentur, nec eſſet qui talia diſcerneret & diiudicaret, ſi tantùm exteriora eſſent ſimilia, quandoquidem nec principium redargutionis ſuſtinent: veluti ſi dicatur, quis ille ſic ornatus, & tam repentè? ſed confeſtim clamitant, & ad eorum arcem, maledicentiam ſcilicet, cõfugiunt, lignúmque promptum eſt. Proinde ſi opera quæris, ſermones multi: quòd ſi à ſermonibus iudicare velis, vitam conſiderandam eſſe cenſent. Tali igitur impoſtura

ſtura ciuitas repleta eſt vniuerſa, & maximè ſub Diogenis, Antiſthenis, & Cratetis titulo, necnõ canum prætextu. Cæterùm quod natura optimum eſt in canibus, veluti cuſtodia, vel domus tutela, aut herilis amor, ſiue memoria, minimè imitantur, verùm latratu, guloſitate, rapina, venereis, crebris adulationibus, dantium blanditiis, menſarum denique frequẽtatione, his perquam diligenter elaborant. Atqui paulò pòſt quónam hæc euadant, videbis. Omnes enim ex officinis exilientes, artes relinquent deſertas, cum cernunt ſe laborantes, & operibus deſudãtes, ab aurora ad veſperum vſque defatigatos, vix tamen mercede tali vitam ſuſtentare poſſe: ſegnes verò & ſubdolos homines, abunde in omnibus viuentes, tyrannicè quidem poſtulantes, ac promptò accipientes, & cum non acceperint, indignantes, neque ſi acceperunt, laudantes. Hoc Saturnium eis videbitur ſeculum, ſpontéque mel ipſum ex cælo in ora influere. Proinde res minus eſſet moleſta, ſi cum tales ſint, nulla alia nos afficerent iniuria. Nũc verò cum admodum caſti & ſeueri ab extra & in publicis appareant, ſi puerum nacti fuerint formoſum, vel mulierem ſpecioſam, aut quid ſilentio dignum ſperant, qualiánam faciunt? Nonnulli verò & hoſpitum ſuorum adulteratores vxores abducũt, Ilienſis illius iuuenis inſtar, tãquam & ipſæ quoque philoſophaturæ eſſent. Inde communiter illas vniuerſis coeuntibus proſtituentes, Platonis ſe legem implere arbitrantur, haud intelligentes quo pacto ſacer ille mulieres communes eſſe debere cenſuit. Quæ verò in conuiuiis agunt, quemadmodum inebrientur, longum eſſet reſcenſere: & hæc faciunt, quomodo putas, dum ipſi ebrietatem, adulteria, luxuriam, & auaritiam reprehendunt. Nil igitur magis inter ſe inuenies contrarium, quàm illorum ſermones & opera: quemadmodum cum adulationem odio habendam aſſerunt, & tamen adulandi gratia gnathonicam vel aſſentationem ipſam exuperent. Alios vera loqui hortantur, cum ipſi nec linguam niſi mentiendo mouere poſſint. Voluptates omnibus ſermone inimicæ, Epicurúſque hoſtis, opera verò omnia propter illas patrare audent. Iræ præterea vehementia, leuiſsimarúmque rerum pertubatione, necnon indignationis facilitate, etiam nuper genitos infantulos ſuperant. Non paruum igitur riſum ſpectatoribus mouent, cum quouis etiam fortuito caſu adeò illis ira ebullit. Colore autem liuidi videntur, impudens quid & abominabile præ ſe ferentes. Os verò ſpuma vel potius veneno eſt refertum: ne tu illhic cũ fœda illa euomitur illuuies, deprehendaris, caue. Proin aurum vel argentum. Hercules, neque poſsidere dignantur. obolus ſufficit vt lupinos emant. nam potum fons ſeu riuus ſuppeditabit. At paulò pòſt non obolos vel drachmas pecas, ſed totas poſtulant diuitias, adeò vt mercator quiſpiam tanto impleri onere poſſet, quantum illis ad quæſtum Philoſophia confert. Inde poſtquam ad ſatietatem vſque corraſere, ac frumentati ſunt, infelicem illam abiicientes lacernam, agros nonnunquam, ac veſtes molles, pueros quoq; cincinnatos, necnon inſtructas domos totas emunt. Cratetis peræ, Antiſthenis lacernæ, ac Diogenis dolio, longum valere dicentes. Talia cũ idiotæ cernunt, Philoſophiam iam conſpuunt, omnéſque tales eſſe arbitrantur, ac doctrinam meam reprehendere non deſinunt, adeò vt longo iam tempore impoſsibile mihi fuerit vel vnum ex eis conciliare: ſed planè Penelopes illud patior. etenim quantum ego texo, tantum rurſus eueſtigio diſſoluitur. Ignorantia verò & iniuſtitia, cum opus noſtrum inextricabile, laborémque cernunt inanem, minimè à riſu temperãt. IVP. Proh ô dei, qualia nobis Philoſophia ab execrãdis illis perpeſſa eſt? quapropter conſiderandi tempus adeſt, quid faciundũ, vel quo pacto è medio ſint tollendi. Cæterùm fulmẽ eos iaculatione vnica, mórſque auferet cita. APOL. Ego tibi pater aurẽ vellam. nam & ipſe iam arrogantes, & à Muſis alienos, Muſarum gratia indignatus, odi. fulmine ſiquidem aut tua dextra minimè illi digni ſunt. Mercurium autem, ſi videtur, pœnæ exactorem ad illos demittemus. is, tanquam qui & ipſe inter diſciplinas verſatur, celerrimè eos qui rectè philoſophantur, & qui minus cognoſcet: dein hi quidem, vt par eſt, laudabuntur, illi verò quemadmodum ex tempore videbitur, plectentur. IVP. Rectè dicis Apollo. ſed & tu Hercules, vnà Philoſophiã ipſam pariter ducentes, properiter in vitam abite, certaménque decimũ tertium iſtud, nec paruum, te abſoluere putato, ſi tã ſceleſta & impudentiſsima extirpaueris animalia. HER. Atqui pater Augiæ fimum repurgare præſtaret, quàm cum talibus manus cõferre. eamus tamẽ. PHI. Inuita quidem: ex patris tamẽ ſententia ſubſequendum eſt. MER. Deſcendamus, quando quidẽ haud paucos ex illis hodie conteremus. Cæterùm ô Philoſophia, quónam tendere oportet? tu enim vbi verſantur, noſti. an perſpicuũ eſt quòd in Græcia? PHI. Minimè, niſi admodum pauci, qui rectè ô Mercuri philoſophantur. illi verò Attica haud indigent paupertate, ſed vbi auri & argenti eruitur copia, ibi nobis ſunt quærendi. MERC. Nunquid igitur confeſtim in Thraciam abeundũ? HERC. Bene dicis. ego vos in via deducã. nam cuncta Thracũ, vt pote qui ſæpius illhuc acceſſerim, cognoui. & nũc huc mihi flectatis. MERC. Quónã dicis? HER. Videtiſne Mercuri & Philoſophia, montes duos maximos, omniúmque pulcherrimos? maior Hæmus eſt, oppoſitus verò Rhodope: at cãpus interiectus, perquam fertilis, ab vtriuſque confeſtim radice ſe pandens, & colles quoſdam tres perpulchros aſſurgentes, minimè aſperitate deformes, tanquam ſubiectæ ciuitatis arces varias, & iam vobis ipſa appareret. MERC. Ita per Iouem ô Hercules, maxima, & omnũ formoſiſsima. etenim alonge illius reſplendet pulchritudo. quin & fluuius quidam maximus præterlabitur, opportunè illã alluens. HERC. Hebrus eſt, ciuitas verò Philippi illius opus: proinde nos iam contege, nebuláque inuolue, vt bona deſcẽdamus fortuna. MERC. Ita fiet. Cæterùm quid facere oportet vt animalia indagentur? HERC. Hoc quidem tuum iam Mercuri opus. nam præco es. Ne igitur præconium enuntiare cunctaris. MERCV. Haud difficile hoc, verùm illorum nomina ignoro. tu igitur Philoſophia, quo nomine ſint appellandi, inſuper & ſigna profer. PHI. Sed neque ipſa manifeſtè quínam vocentur noui, quoniam nullum mihi cum his conſortium. Cæterùm non aberrabis ſi eos à poſsidendi deſiderio, vel Poſsidonios, aut Poſsidippos, ſeu Poſsicleos, vel Poſsifundos, aut

Thraciæ hypotypoſis.

Philippi ciuitas.

Posidoros nominaueris. MERC. Bene dicis. Sed quinã hi sunt, qui & ipsi circunspectant? atqui accedũt, & quid loqui velle videtur. VIRI. Potestis ne ô viri, vel tu optima, nobis indicare, nũ ternos pariter videritis præstigiatores, ac mulierẽ quandã Laconicè corpus ornatã, aspectu masculo, ac penè virili? PHI. Papæ! hi nostra quærunt. VIRI. Quomodo vestra? Etenim Fugitiui illi omnes: nos verò præcipuè mulierem pro mancipio ab eis abductam desideramus. Intelligetis autem cúrnam ipsos quæramus. MERC. Igitur pariter enunciemus præconium. Num quis mancipium Paphlagonicũ, ex Sinopẽsibus barbaris, nomine tale, quale à possessionibus imponitur, perpallidũ, corpore hirsutum, barba horridum, pera instructũ, lacerna indutum, iracundum, inerudituin, voce asperũ, maledicum, sub imaginaria libertate viuens, indicare potest? DOMINVS. Noui, heus tu, quod prædicas mãcipium. Illi enim apud me Scarabeus nomen erat, caluastrum: barbámque vellebat, & artem meam noluerat. in fullonia enim sedens officina, flocculos abradebat, qui ex vestimentis superflui pullulabant. PHI. Ille ipse seruus tuus est, ac nunc philosopho similis videtur, ac perbellè seipsum fullonia expoliuit. DOMINVS. Proh audaciam, Scarabeus philosophari dicitur? VIRI. De nobis verò nullus sermo. MER. Atqui omnes inueniemus, quoniam, vt aiunt, indifferẽter cum muliere concumbunt. PHI. Sed quissnam, ô Hercules, ille alter est, qui contrà tẽdit, pulcher, & citharã gestans? HERC. Orpheus, qui mecum Argos nauigauit, omniũ nautarum iucundissimus. Nam ad cantum suum remigãtes, nullatenus laboramus. Salue, optime & perquã canore Orpheu, qui nullibi vnquam Herculis oblitus es. ORPH. Nequaquã, sed & Philosophia, Hercules, & Mercuri saluete. sed tempus est vt mihi prẽmium indicii persoluatis. ego enim planè quẽmnam quæratis, noui. MERCV. Nõnne igitur, Calliopes fili, vbinam sit monstrabis? cùm enim sapiens existas, minimè, vt arbitror, auro indiges. ORPH. Rectè dicis. proin ego vobis domum quam inhabitat, ostendero, ipsum verò minimè, ne malè ab eo audire cogar. summè enim scelestus est, ac vni huic rei studet. MERC. Ostẽde solùm. ORPH. En proxima hæc. ego verò, ne ipsum videam, è pedibus vobis abeo. MERC. Attende, an non mulieris vox est, Homeri quid connectentis? PHI. Ita per Iouem. sed quidnam dicat, audiamus.

PVGI. Non minus ille mihi est hostis, quàm ianua Ditis,
Aurum mente colens, verbis contraria sentit.
MER. Nõnne igitur cantharus * tibi odio habendus, qui
Praua gerens hospes, quanuis simularet amicũ?
MARIT. De me carmen hoc, cuius vxorem
Abduxit fugiens, fuerat qui acceptus amicè.
PVG. Ebrius, atque canis facie, sed pectore ceruus.
Consilio ignauus, sed longè ignauior armis,
Thersites vecors, prauarúmq; optima pica,
Regibus illicitè & frustrà contendere suetus.
DOMI. Iure execrandi carmina hæc.
PVG. Ante canis, retróq; leo, medióq; chimæra,
Impetum exhalans grauiter trinicanis acris.
MARI. Hei mihi vxor, qualia à tot perpessa es canibus? quin ipsam ex ipsis concepisse ferunt. MERC. Confide, Cerberum tibi quemdam aut Geryonem pariet, vt Hercules ille rursus aliũ habeat laborem. Sed obuiã pergunt, ita vt fores pulsare necesse non sit. DOMI. Teneo te Scarabee? tiles iam, age videamus quid tibi pera contineat, lupinos forsitan, vel panis frusta. MERCV. Minimè per Iouem, verùm zonam auream. HERCV. Ne mireris. nam sub initium in Græcia se Cynicum esse dicebat, hîc autem planè Chrysippeus est: igitur nõ diu posthac Cleanthem ipsum videbit. â barba etenim, cũ tã scelestus sit, suspẽdetur. DOMI. Tu verò, ô scelerate, nonne Doliolum* fugitiuus meus existis? certè, non alius. proh risu digna res! quid dehinc haud fiet? & Doliolum * quoque philosophatur. MER. Nunquid tertius ille domino caret? DO. Minimè, verùm ego dominus sponte in rem malã ipsum dimisi. MER. Quamobrem? DOMI. Quoniam reterrimè fœtet, nomine verò Odorispirũ appellabamus. MERCV. Hercules malorum depulsor, audísne? déin pera & baculum. Atqui tu vxorẽ recipe. MARI. Minimè, quandoquidem nec si mihi libellum ex veteribus in vtero gestaret, reciperem. MER. Quomodo libellum? MAR. Aliquid est vir optime, triceps libellus. MERC. Haud absurdè, quandoquidem ex Comicis trigaleatus quidam. HERC. At dehinc tuum est iudicare. MERC. Ita mihi videtur, mulierem hanc, ne monstrum aut multicaput pariat, retrò in Græciam ad virum reuerti debere, & fugitiuulos hos duos dominis reddi, vt discant quæ antea: Doliolum * quidem sordidos abluere panniculos, Odorispirũ autẽ rursus vestimẽta resarcire lacera, malua tamẽ prius flagellatũ. Inde & hũc picatoribus tradi, vt pereat, vulsus primò: insuper pudẽda pice inquinari, postea in Hæmum sublatum nudum, pedibúsq; colligatum, in niue destitui. SCARA. Heu malorũ, ah, ah, papæ. eheu. DOMI. Quid hoc est? tragicas interseris voces? sed ad picatores iam sequere, prius tamen leoninã exue pellẽ, vt planè asinus esse cognoscaris.

* Scarabeus.

* λικυθίων.

* λικυθίων.

* λικυθίων.

SATVRNALIA,

Erasmo Reterod. interprete.

ARGVMENTVM.

Saturnalia, festa Romæ fuerunt in honorem Saturni instituta, quæ mense Decẽbri, initio à decimosexto calen. Ianuarij facto, per proximos dies septem peragebãtur. In ijs neque bella gerenda suscipiebantur, neque pœnæ à nocentibus sumebantur, sed licebat seruis, pileatis (quod signum libertatis erat) per vrbem liberè vagari, atque aleæ vacare, & cum ipsis dominis etiam cibum capere. Pauperes autẽ à diuitibus conuiuijs quoque accipiebãtur, ijdémque inter se dona mittebant: quorũ, quæ mittebantur, xenia: quæ verò referebantur, apophoreta vocabant. Id quod cum ex alijs scriptoribus, tum ex Martiale præcipuè apparet, qui postremos suos libros illorũ titulis inscripsit quoq. Quoniã igitur tũ (vt est verisimile, omniáque in deterius abeunt tempore) pauperes à diuitibus non eodem modo, vt à principio, æqualiter accipiebantur, vinóque alij viliore, atque epulis vix dũ gustatis, semjeiuni & esurientes interim è conuiuio discedebant, deinde neque munera eodem pretio, quo olim, referebãt: occasionem inde sumpsisse Lucianus videtur, vt cõsuetudinem illam pro suo iure ac modo exagitaret, atque hac, tanquam & ipsa

ipſa Saturnalitia quædam munera, legenda proponeret. Quanquam neque hic ab ingenio ſuo quicquam recedit, pariterque & Deos & homines more ſuo inceſſit. Nam Saturni fabulam quoque perſequitur, & recordiã ipſius coarguit, vt qui pro liberis ſaxa deuorarit, & compedibus vinctus degat, à Ioue regno depulſus. Et Ioue ipſum accuſat, vt qui citra delectum & inæqualiter bona fortunáſque hominibus diſtribuat, malos euehendo, & contrà bonos deprimendo. Atque hæc ſummatim per tota Saturnalia tractantur. Caterùm primo hoc dialogo ritum & originem ſacri huius potiſsimùm tradit, ficto Sacerdotis & Saturni colloquio, quorũ alter quidem diuitias à Deo poſtulat: alter autem dum diuitias largiri, ſuæ poteſtatis eſſe negat, interea quatenus ipſe regnet, & quid præſtare ſoleat, denique cur hoc feſtum inſtitutum ſit exponit, refutata interim etiã fabula quæ de liberis deuoratis, & amiſsione regni, & captiuitate ipſius vulgò iactatur. In ſequenti autem Chronoſolone, leges Saturnaliorum conſtituit, primam videlicet de ritu ac modo peragendi feſti, & de ys quæ in eo agere fas ſit. Secundam de accipiendis atque tractandis pauperibus, déque muneribus à diuitibus iſdem mittendis. Poſtremam de modo & ratione conuiuiorum, quæ apponi videlicet debeant, & quantum à quoque bibi, & quouſq; ludo vtendũ ſit. Et hæc omnia cum longa præfatione, qua legibus hiſce authoritatem à perſona & mandato ipſius Dei parat, Inſcribitur autem Chronoſolon, vt videtur, ab exemplo, quòd eodem modo & apud Athenienſes olim Solon ille leges dictauit. Poſt hæc epiſtolis in prioribus quidem de mutandis rebus, & inſtituenda æqualitate agitur. Nam pauper quiſpiam petit à Saturno, vt cum diuitibus agat, quo depoſitis in medium opibus, ex æquo ſe quoque frui illis patiantur, aut certas vtique veſtes & pecunias, & cætera ad feſtum peragendum pauperibus mittat. Primùm quia abſurdum & inconueniens ſit, ita inæqualiter agere: deinde quòd contra vetus exemplum, quo Saturni temporibus omnia æqualia fuiſſe perhibeantur: addita etiam collatione diuitum, & hypotypoſi quadam morũ ac vitæ illorum. Poſtremò comminantes ſe omnia mala illis imprecaturos eſſe, niſi hæc quæ petant, fiant. Contrà autem Saturnus increpat pauperem, qui ea à ſe poſtulet, quæ ſuæ poteſtatis non ſint, ſed tamen reſpondet ſe cũ diuitibus hoc nomine agere velle, addita poſt hæc longa commonitione, qua pauperes, vt ſua ſorte contẽti ſint, hortatur, oſtendẽs plus moleſtiæ & periculorum diuitias, quàm voluptatis ſecum habere. In poſterioribus autem agunt inter ſe Saturnus & diuites de æqualitate in cœnis habenda: ac prior quidem Saturnus exponit diuitibus, quæ á pauperibus ad ſe ſcripta ac poſtulata fuerint, admonens illos, vt benigniores erga ipſos ſe gerant, atque æqualitatem recipiant, argumentis à ſigno & conſequẽtibus: tum commodis, ſi faciant, tum periculis, ſi detrectent, adhibitis. Contrà autẽ diuites extenuata accuſatione pauperum à conſueto, reſpondent, ſe quidem feciſſe pro eo atque æquũ & honeſtum fuerit, ſed illos ita immodeſtos & intemperantes ſe gerere, vt eos decatero omnino excludẽdos cenſuerint. Veruntamen ex illius conſilio denuo admiſſuros ſe eos eſſe, ſi ex pacto recipiant, ſe nihil cõtumelioſè aut intẽperanter poſthac facturos eſſe.

SACERDOS ET SATVRNVS.

DIC mihi, Saturne, quandò tu quidem hoc tempore regnare videris, tibíque & ſacrificatum & litatum eſt à nobis, quid potiſsimùm abs te pro immolatis hoſtiis poſtulare debeam, quod poſtulatum feram? SAT. Iſtud quidem te ipſum perpendere oportuit, quid tibi foret optãdum: niſi qui princeps ſit, eundem & vatem eſſe vis, vt norit quid maximè collubitũ ſit animo tuo petere. Ceterùm ego, quantum facultas feret, non abnuam votis tuis. SAC. Quin iſtud iam olim mihi perpenſum eſt: deſidero enim vulgaria iſta, ac paſsim obuia, videlicet opes, multã auri vim, vtque viris imperem, vtque multa poſſideam mancipia, veſtes ſplendidas ac delicatas, tum argentũ & ebur, breuiter ſi quid eſt præterea rerum pretioſarũ. Hæc igitur mihi da, optime Saturne, vt & ipſe nonnihil emolumẽti ex tuo ſentiam imperio, néve ſolus per omnem vitam earum rerum ſim expers. SATVR. Illud vide, iam poſtulas quod non eſt meæ poteſtatis. Neque enim mearum partium eſt iſta diſtribuere. Quare ne grauiter feras, ſi quæ petis, non aſſequeris: quin magis iſta à Ioue poſtulato, quum ad eum imperii vices redierint, id quod breui futurum eſt. Nam ipſe præſcriptis conditionibus rerum adminiſtrationem ab illo ſuſcipio. Eſt autem vniuerſum imperium meum, ſeptem dũtaxat dierum, quorum ſi ius exceſſerit, illico priuatus reddor, ac velut vnuſquilibet de plebeia multitudine, Nec tamen in his ipſis ſeptem diebus ſerium quippiam aut publicum tractare mihi permiſſum eſt, verùm potare, inebriari, vociferari, ludere, certare teſſeris, creare reges, famulos in conuiuium adhibere, canere nudum, laſciuo corporis motu ſaltitare, nonnunquam & in gelidam aquam dare præcipitem, facie fuligine oblita. Hæc vti faciam, permiſſum eſt. Cæterùm magna illa, puta diuitias & aurum, Iupiter ipſe dilargitur, quibus illi viſum fuerit. SAC ER. Imò ne ille quidem, Saturne, admodum facilè ac lubẽs id facit, adeò vt me iam vox defecerit, magno clamore hæc ab illo flagitantem. At is nihil prorſus audit, verùm ægidem obuibrans, ac fulmen intentans, toruúmque obtuens, pauefacit inſtantes. Quòd ſi quando etiam annuerit alicui, diuitémq; reddiderit, mirum quàm id nullo delectu facit, vt aliquoties præteritis probis ac ſapientibus viris, ſceleratis ac ſtultis hominibus opes offundat, verberonibus atque effœminatis, cuiuſmodi ſunt iſti plerique. Quanquam equidem cupio cognoſcere quænam ſint iſta tuæ poteſtati permiſſa. SATVR. Haud quaquam parua, neque omnino contemnenda, ſi quis vniuerſi imperii vim expendat: niſi fortè tibi paruum eſſe, videtur, vt in teſſerarum ludo vincas, cum quæ cæteris alea in vnionem voluatur, tibi ſenionem ſemper in ſummo latere oſtendat. Nam hinc ſibi plerique victum parant vel ad ſaturitatem vſque, quibus propitia ac ſecunda aſpirarit teſſera. Rurſum alii nudi enatarunt, naue eliſa, fracta ad tam minutum ſcopulum, puta aleam. Adde his, potando quàm maximè hilareſcere, ac modulatius alio videri canere in conuiuio. Præterea reliquis miniſtris in aquam præcipitatis (nam ea pœna eſt parum dextrè miniſtranti) te & victorem pronuntiari, atque ei quem viceris, præmia præripere. Vides nimirum quàm ingens ſit bonum, quemadmodum & illud, quum talo victor ſolus omnibus rex præficeris, vt non ſolùm ipſe non feras vlla ridicula imperata, verumetiam ipſe poſsis aliis imperare: huic vt turpe quiddam de ſe ipſo vociferetur: illi vt ſaltet nudus, vtq; ſublata in humeros tibicina

Ritus Saturnaliorum.

ter domum obambulet. An non hæc quoque munificentiæ meæ non exiguæ sunt argumenta? Quòd si causaberis regnum hoc nec verum esse, nec stabile, insciteè feceris, quum videas me ipsum, qui ista dilargior, exigui temporis imperium tenere. Ex his igitur quæ meæ facultatis est præstare, nempe de taxillis, de regnando, de canendo, déque reliquis, quæ modò recensui, audacter quæ voles petito, nihil veritus ne te ægide aut fulmine territē. S A C. Atqui istis nihil mihi est opus, Titanum optime. Tu tamē illud mihi respondeas velim, quod maximè cupiebam cognoscere: quod si mihi dixeris, satis magnā gratiam pro sacro persolueris, quin & in reliquum tempus quæ debueris cōdono. S A T. Roga modò, equidem respondebo, si fortè quod rogaris, sciero. S A C. Illud in primis, num vera sunt ista, quæ de te audimus, quemadmodum deuoraris liberos tibi ex Rhea natos, vtque clam illa subducto Ioue, saxum infantis loco suppositum, tibi deuorandum tradiderit: deinde puer adultus te regno expulerit, bello superatum, mox arreptum in tartarum præcipitarit, vinculis iniectis tum tibi, tum omnibus copiis auxiliaribus quæ tecū in acie steterāt? S A T. Quid dixti? Nisi festum celebraremus, essétque licitum inebriari, atque in dominos impune conuicia iacere, intelligeres profectò mihi permissum esse irasci, qui qui dem istiusmodi roges, nihil reueritus adeò canum ac senem deum. S A C. At ego hæc Saturne, non ex me ipso dico: quin & Hesiodus & Homerus (nolo enim dicere, reliqui propè mortales omnes) eadem de te credunt. S A T. An tu putas vel pastorem illum, vel hunc ampullosum, verè quippiam de me scisse? Rem ad hunc considera modum. Estné quisquam homo, non dicam deus, adeò durus, vt possit ipse volens suos deuorare liberos? nisi si quis esset Thyestes, qui ab impio circunuentus fratre comederet. Sed finge esse qui possit, quî fiat vt ignoret sese saxum edere vice pueri? nisi fortè dentibus sit huiusmodi, vt dolere non queant. Imò neque bello confliximus, neque Iupiter per vim imperium occupauit, sed ego illi volens & vltro rerum administrationem tradidi, cessíque. Porrò neque vinctum esse me, neq; in tartaro esse, vel ipse vides, opinor, nisi prorsus oculis captus es, quemadmodum Homerus. S A C. Sed quid tibi accidit Saturne, vt imperium deponeres? S A T. Ego tibi dicam in summa: Senex iam & podagrosus quum essem ob ætatē (vnde etiam factum est vt plerique mihi compedes esse finxerint) impar eram viribus ad tam multa huius ætatis facinora punienda. nam erat assiduè mihi sursum ac deorsum cursitādum obarmato fulmine, quo sacrilegos, periuros, ac raptores exurerē. Erátque negotium plenum laboris, quódque iuuenem desideraret. Itaque mihi consulens, Ioui locum dedi. Quanquam & alioqui rectè facturus mihi videbar, si partitus filiis (nam erant) imperium, ipse pleranque vitam conuiuiis per otium traducerē, nihil necesse habens, neque vota facientibus operam dare, nec ab iis qui cōtraria petunt, molestia affici, neque tonare, neque fulminare, neque grandinem aliquoties immittere. Sed senilem hanc ac iucundissimam dego vitam, meracius bibens nectar, atque interim cum Iapeto reliquísque æqualibus diis confabulans. At regnat quidem ille mille distractus negotiis, nisi quòd hos pauculos quos dixi dies mihi visum est excipere, in quibus recipio principatum, vt mortalibus in memoriam reducam cuiusmodi fuerit me regnante vita, cum citra sementem citráque arationem cuncta illis prouenirent. Haud tum quidem aristæ, sed panis paratus, carnes apparatæ, ac vinum fluminum instar fluebat, tum fontes mellis, lactísq;, propterea quòd mortales omnes probi essent, & aurei. Hæc, inquam, mihi causa fuit cur exigui temporis imperium gerā, atque ob id vndique plausus, cantiones, lusus, æqualitas omnibus seruis æquè ac liberis. neque enim me regnante quisquam erat seruus. S A C. At ego Saturne coniecturam istā ad seruos, & eos qui boias terunt, referebam, quasi ob eam causam tibi fabula tribueret erga hos humanitatem, quòd memor te ipsum aliquādo seruitutē seruisse, ac gestasse cōpedes, eos magnificaceres, qui simili essent fortuna. S A T. Nō tu desines istiusmodi nugari nugas? S A C. Bene mones, itaque desino. Quin illud etiam mihi respondes, talis ludere, in vsu fuit tui quoque seculi mortalibus? S A T. Erat sanè, at non depositis talentis, ac decem nummûm millibus, quemadmodum vos facitis, verùm vt plurimo nucibus, ne videlicet discruciaretur qui victus esset, néve semper ploraret sese vnum omnium non habere quod ederet. S A C. Et rectè quidem illi. Nā quo tandem præmio certassent ipsi talis, quum ipsi toti essent aurei? Itaque te loquente, tale quiddam mihi venit in mentem, si quis vnum aliquem ex aureis illis viris, in hanc nostram ætatem adductū vulgo ostenderet, quid illi tādem eueniret? Nempe mi serum (sat scio) discerperent, haud aliter incursantes, quàm in Pentheum Mænades, aut in Orpheū fœminæ Thraciæ, aut in Acteonem canes, intérq; sese decertarent, quantam quisque maximam posset portionem auferre, vt qui ne in festo celebrando à lucri studio temperent, quin ipso etiam festo ad lucri abuntur incrementum. Itaque alii quidem tibi primitias immolant, amicos in conuiuio deprædantes. Alii verò tibi conuiciantur, cum nihil ad rem pertineat: tum ipsas comminuunt tesseras, perinde quasi illis sit imputandum, quod illi suapte sponte faciunt. Sed dic mihi & illud, quid tādem causæ fuit vt deus vsqueadeo imbecillis ac senex, tempus inamœnissimū delegeris, cum iam nix omnia occupat, plurimus sæuit Boreas, cúmque nihil non gelu concretum est, arent arbores nudę decussis frondibus, squallent horréntque vacua floribus prata, quum incurui contractíque mortales, perinde quasi extremo confecti senio, ad focum ferme desident, interea tu festū diem agis? neque enim accommodum seni tempus, neque satis idoneum genio indulgentibus. S A T V R. Sed heus tu, permulta quidem à me sciscitaris, quum potare iam oporteat: Itaque nō exiguam temporis portionem tuis rogationibus mihi de festo perdidisti, dum ista mecum philosopharis, non admodum ad rem pertinentia. Quare nūc istis tandem omissis, conuiuiū agitemus, plaudamus, ac liberam agamus vitam. Deinde prisco more depositis nucibus, ludamus tesseris, ac reges suffragiis creemus, ipsíque vltro pareamus. Siquidem ad eum modum effecerimus vt verum videatur prouerbium, quod dicunt, Senes repueraſcere. S A C E R D O S. Imò cui ista quæ dicis,

Vide Macrobiū lib. 1. Sat. ca. 8.

Digressio in præsentes mores.

cis, non probantur Saturne, precor vt ei nec tum bibere liceat, cum sitit. Itaque bibamus, quando quidem & primo colloquio satis à te responsum est. Proinde videor mihi rectè facturus, si nostram hanc confabulationem, & quæ ipse interrogarim, & quæ tu propitius responderis, literis prodita tradã amicis legẽda, si qui sunt digni qui tua dicta accipiant.

CRONOSOLON, ID EST, SATVRNALIVM Legumlator, Erasmo Roterodamo interprete.

HAec ait Cronosolõ sacrificus, & idemvates Saturni, earúmq; legum conditor, quæ quidem ad festum pertinent. Quid pauperes facere oporteat, id alio misso libro illis ipsis prescripsi. Neque dubito quin eas leges seruent, alioqui obnoxii futuri pœnis quæ grauissimæ decretæ sunt in eos, qui minùs paruerint. Vos autem diuites, videte ne hæc mandata prætergredia mini, neque negligatis. Nam si quis secus fecerit, is sciat se nõ me neglecturum legislatorem, sed ipsum potius Saturnum, qui me condendis festi sui legibus delegit, haud ille quidem in somnis visus, sed nuper cum vigilante palàm congressus. Erat autẽ neque compedibus vinctus, neque situ obsitus, qualem eum pictores fingunt, exemplar à deliris poëtis mutuati, verùm falcem quidem tenebat præacutã, cætera verò & hilaris erat, & validus, regióque apparatu. Atque hac quidem specie mihi visus est. Cæterùm quæ locutus est, planè diuina sunt, & in his hæc digna quæ vobis prius exponam. Nam vbi me vidit animo mœstum inambulantem, mox intellexit, quippe deus, quænam esset molestiæ causa, videlicet grauiter me ferre paupertatem, vt qui nõ pro temporis ratione vnicam vestem haberẽ, cum iam esset gelu, multúsq; flaret Boreas, glacies, ac nix, aduersus quæ egò minimè communitus eram. Multo magis autem, quòd cum festum instaret iam proximè, reliquios viderem apparentes quæ ad victimas, quæque ad conuiuia requirebantur, mihi verò ipsi res non admodum ad festum instructas esse. Iam à tergo accedens, auréque prehensa, ac vellicata (nã hac specie sese mihi cõsueuit ostẽdere) Quid istud sibi vult (inquit) Cronosolõ? videre mihi solicitus. An nõ æquũ, inquã, here, cũ impios ac sceleſtos homines opibus superfluere, & solos deliciis frui videam, ipse verò, mecúmque complures alii docti, cum inopia, summáque rerum penuria vitam degimus? Ne tu quidem here curas his rebus finem imponere, & ad æqualitatem reuocare. Tum ille, Cætera quidẽ, inquit, haud facile fuerit innouare, quæ vobis à Clotho reliquíſque Parcis accidunt: porrò paupertatis malum vobis corrigam, quatenus ad festum attinet. Sit autem hæc corrigendi ratio. Abi Cronosolon, ac mihi leges aliquot conscribito, ostendens quid obseruandum sit in festo, vti ne diuites inter sese festum celebrent, sed vobis sua bona impertiant. At non noui, inquam, leges conscribere. Quin ego, inquit, docebo te. Móxque ingressus, ordine me docuit. Deinde cũ cũcta perdidicissem: Et illud, inquit, illis dicito, nisi seruarint hæc, tum ego profectò sine causa falcem hanc acutam circũfero. Alioqui ridiculus sim, si cum patrem Cælum execuerim, nõ item castraro diuites istos, quicunq; leges meas violauerint, vt iam euirati, Cybeli matri sese adiungant cum tibiis ac cymbalis. Hæc ille minabatur. Quare rectè facietis, si leges nõ prætergredi amini. Lex prima: Ne quis quid intra festi tẽpus agito, neque publicum, neque priuatum, nisi quæ ad lusum, ad voluptatem, animíque oblectationẽ pertinebunt. Obsoniorum & bellariorum artifices soli in opere sunto. Aequalitas omnibus esto, seruis, liberis, pauperibus, diuitibus. Irasci, indignari, minarive ne cui liceat. Rationẽ exigere ab iis qui res curãt Saturnalitias, ne id quidem fas esto. Ne quis argentum vestémve expendito, néve inscribito solennitatis tempore. Ne quis exerceatur, néve literis operam dato, aut recitato, nisi si quæ sint vrbana lepidáque, quæ dicacitatem resipiant ac iocũ. Lex secunda: Multò ante festum diuites singulorum amicorum nomina in tabella scribũto. Porrò pecuniã paratam habento ad decimam partem annuorũ fructuum. Præterea quicquid illis supereſt vestium, & quicquid est cultus pinguioris, quàm vt ipsis conueniat. Ad hæc argenteorum vim non modicam. Atque hæc quidem in promptu sunto. Cæterùm ante solennitatem porcellus circumagitor, atque ex ædibus eiiciũtor sordes, auaritia & quæstus, & si quæ id genus alia sunt pleríſque diuitum domestica. Deinde vbi domum perpurgarint, tum rem diuinam faciunto Ioui diuitiarum largitori, ac Mercurio munifico, atque Apollini magna donanti. Deinde circa vesperam tabulam illam amicorũ nomina tenentem relegunto. Distributis autem pro cuiusque dignitate muneribus, ante solis occasum amicis mittũto. Porrò qui deferãt, ne plures tribus quatuórve sunto, atque hi certissima ex famulis fide, iámq; natu grandes. Asscribatur autem in literis & quid mittatur, & quantum, vt ne vtrique suspectos habere possint eos qui perferunt. Atque ipsi ministri vnico quisque calice epoto, domum recurrunto, neque præterea quicquam ab eis postulanto. Doctis omnia dupla mittuntor. Nam hos æquum est geminam accipere portionem. De muneribus quàm modestissima simul & quàm pauciſsima verba fiunto, neque graue quicquam in literis quisquã asscribito, nec odiosè laudato quæ mittuntur. Diuiti diues ne quid mittito. Neque locuples Saturnalibus æquali sorte quempiam conuiuio accipito. Ne quid eorum quæ in hoc deprompta fuerint vt mittatur, seruanto. Néve cui muneris pœnitentia subito. Quòd si quis anno superiore peregrè fuit, eáque causa munerum expers fuit, & illa accipito. Quinetiam pro tenuibus amicis æs alienũ diuites soluũto: atque etiam conductarum ædium pretium, si qui fortè & hoc debent, neque sunt soluendo. In summa verò, multò antè illud illis esto curæ, vt cognoscant qua re maximè his sit opus. Rursum qui accipiunt, ne de missis donis vt exiguis queruntor: & quicquid mittetur, qualecunque fuerit, id magni ducunto. Vini cadus, aut lepus, aut pinguis auis, inter munera Saturnalitia ne habentor. Néve Saturnalia dona in risum vertunto. Remittito vicissim diuiti pauper: si doctus est, libellum aliquem veterem, aut si quid ipse conscripsit, quod fausti sit ominis, & conuiuiis accommodum, qualecunque potuerit: atque id diues læto admodum hilaríque vultu

accipi

accipito, acceptum protinus perlegito. Quòd si recusarit, reiecerítve, sciat sese iis quæ de falce minatus sum, obnoxium esse, etiam si miserit quicquid alioqui mittẽdum erat. Porrò reliqui, coronas alii, alii thuris frustula mittunto. Quòd si pauper aut vestẽ, aut argẽtũ, aut aurũ supra facultatẽ diuiti miserit, id quidẽ quod missum fuerit, publicũ esto, cõflatúmque in Saturni thesaurum infertor: ipse verò pauper postridie plagas à diuite, manibus ferulæ suppositis accipito, non pauciores quinquaginta supra ducentas. Leges conuiuales: Lauãdum est vbi linea sex erit pedum. Ante lauandũ, nucibus ac talis lusitandum. Vbicũque casus cuique locum dederit, ibi accũbito. Dignitas, aut genus, aut diuitiæ parũ momenti habento vt prius alicui ministretur. Eodẽ de vino omnes bibunto, neque prosit diuiti si causetur vel stomachi vel capitis dolorem, vt ideo bibat de meliore. Carnium omnibus æqua portio. Ministri ne cui quid fauore danto, neque cõtãtor, neq; prætermittunto, donec ipsis visum fuerit, quæ tollenda erunt. Neque huic quidem magna, illi verò perexigua apponunto. Néve huic coxa suis, illi maxilla apponitor, sed in omnibus æqualitas esto. Pocillator acutis oculis vnumquẽque obseruato, minus tamen herum. Acutius etiam exaudito. Calices omnis generis sunto. Ad potandum inuitare si quis voluerit, ius esto. Omnes omnibus præbibunto, si libeat, vbi præbiberit dines. Neque quisquam bibere compellitor, qui nõ ualeat ad compotationem. Ne liceat ipsis neque saltatorem neque citharœdũ inducere, nisi qui nuper discere cœperit. Quòd si cui libeat dicteriis vti, liceat, sed hactenus adhibeatur modus, vt ne sine molesta. Super omnia, pro nucibus ludunto talis. Si quis deposita pecunia talis luserit, in posterum vsque diem ieiunato. Et maneto quisque & abito cum voluerit. Porrò cum diues famulos suos conuiuio accipiet, tum amici quoque vnà cum ipso ministranto. Leges hasce singuli diuites, æreæ columnæ inscriptas, in aulæ meditullio habento, ac legunto. Atque id quidem sciẽdum est, quoad ea columna manebit, neque fames, neque pestilentia, neque incẽdium, neque quicquam alioqui molestum, in illorum domum subibit. Quòd si quãdo (id quod dii prohibeant) tollatur, abominanda sunt quæ illis tum euentura.

EPISTOLAE SATVRNALES.

EGO SATVRNO SALVTEM.

QVIDEM & antea tibi scripsi, significans quonam in statu essem, & quemadmodũ ob inopiam mihi periculũ esset, ne solus omniũ expers relinquerer solennitatis quam indixisti. Addidi & illud (nam memini) iniquissimum esse, si nostrûm alii opibus ac deliciis superfluerent, nihil ex suis facultatibus impertientes pauperioribus, alii rursum fame cõtabescerent, atq; id quidem institutis Saturnalibus. Verùm quoniã tum ad meas literas nihil respondisti, operæpretiũ existimaui, te denuò iisdem de rebus commonefacere. Tuum erat, optime Saturne, sublata hac rerum inæqualitate, bonísque in medio depositis, postea celebrandum festum edicere. Nam vti nunc res habent, formica camelus, quemadmodũ aiunt prouerbio. Quin magis tragœdię histrionẽ animo cõcipe, qui altero pede prælatis cothurnis sublimis insistat, cuiusmodi sunt tragica calceamenta: altero verò sit incalceatus. Is si ad hunc modum instructus ingrediatur, vides necessariò futurum, vt nunc excelsus sit, nunc humilis, prout hunc aut illum pedem vicissim promouerit. Nec minor est in vita nostra inæqualitas, dum illi cothurnis fulti, adornante fortuna tragœdias in nos agunt. Contrà magna pars pedibus atque humi ingredimur, quum & ipsi, scias velim, nihilo deterius illis fabulam agere possimus, atque ingredi, si quis nos quoque ad eundem istum modum adornarit. Atqui ex poëtis audio, nihil harum rerum inter homines fuisse olim, quum tu solus adhuc imperium teneres: verùm tellus illis citra serendi arandíque laborem bona progignebat, cœnam vnicuique paratam, vel ad satietatem vsque. Porrò flumina partim vinũ, partim lac, erãt autẽ & quæ mel manabãt. Quodq; est omniũ maximũ, aiũt illos ipsos homines aureos fuisse, cæterùm paupertatem omnino procul ab illis abfuisse. Nos contrà non satis idonei sumus qui vel plumbũ videri possimus, aut si quid etiam plumbo vilius, vt quorũ plerisque victus labore quæritur, ac passim paupertas, egestas ac desperatio, & illud: Hei mihi! &, vnde inueniam? &, ô fortunam, atque id genus alia permulta apud nos nempe pauperes abundant: quanquam his de rebus leuius discruciaremur, nisi diuites conspiceremus tanta fruentes felicitate, qui quidem quum tantum auri, tantum argenti conditũ habeãt, tantum vestium possideant, tot mancipia, tot currus, familias, agros, atque harum rerum omnium magnam vim teneant, tamẽ adeò nobis nihil vnquã de eis impertiunt, vt plebeios homines ne aspectu quidem dignentur. Hæc, inquam, sunt Saturne, quæ nos enecant maximè, planéque rem intolerandam arbitramur, hunc in purpura accumbentem, tantis opum deliciis affluere, ructantem interim, & applaudentibus amicis perpetuò festum diem agere: me verò, meíque similes, somniorum coniecturas interpretari, sicunde fortè quatuor oboli contingant, quò videlicet pane polẽtáve expleti dormire queamus, nasturtium, aut porrum, cepáve, alliúmve opsonii vice arrodentes. Aut hæc igitur Saturne ad æquabilitatem vitæ mutes corrigásque necesse est: aut quod est postremum, illis ipsis interdicas diuitibus, ne soli bonis fruantur, verùm è modiis auri tã multis vel heminã in omneis nos dispergant. Porrò ex vestibus, si quas iam à tineis exesas, citra suũ incommodum dare possint, malímque hæc prorsus vetustate situque peritura, nobis dare qui induamur quàm sinere vt in cubilibus ac scriniis multa caries cõputrescãt. Præterea vt cœnẽt singuli, nũc quaternis, nunc quinis pauperibus ad conuiuiũ adhibitis. Haud isto quidẽ pacto, quo his temporibus cõuiuia peragũtur, verùm popularius, vt æqua sit omnium portio, neque vt hic opsoniis ingurgitet sese, famulo interim adstãte atque opperiẽte donec herus vorãdo præfocetur. Cęterùm vbi ad nos venerit, quũ vix etiã apparauerimus admouere manũ, protinus ad alios trãsferatur patina tãtùm ostẽsa, vel si quid de placẽta reliquũ est. Neque illatũ aprũ ita partiatur, vt domino totum dimidium apponat vnà cum capite, reliquis autem ossa tecta apponat. Vtque

præmo

præmoneantur pincernæ, ne contẽtur donec vnuſquiſque noſtrûm ſepties poſcat bibere, ſed ſemel iuſſi protinus infundant, & ingentem calicem impletum tradant æquè atque ipſi domino, vtque vnũ & idem vinum conuiuis ſit omnibus. Alioqui vbinam iſta lex ſcripta fuit, aut receptus mos, vt hic vinõ odorato generoſóque temulentus ſit, mihi contrà muſto diſrumpatur aluus? Hęc ſi correxeris, nouariſque Saturne, tum demum effeceris vt vita verè vita ſit, feſtum verè feſtum: ſin minus, illi quidẽ epulentur, nos autem interim ſedentes precabimur, vt ſimul atque loti venerint, puer ſubuerſam amphorã rumpat, vtque coquus ius aduratque per obliuionem muriam piſcium in lentem infundat, vtque canis in dõmum irruens, opſoniorum artificibus alibi intentis, exta deuoret vniuerſa, præterea placentæ dimidium: vtque ſus ac ceruus, neque non ſuculæ inter aſſandum idem faciant, quod Homerus de Solis bobus commemorat: imò vti nõ ſerpant ſolùm, verùmetiam vnà cum ipſis verubus in montẽ abripiant ſeſe, fugiántque: vtque ipſæ etiã aues pingues, tam ademptis plumis, & ad coquendum apparatæ, volatu aufugiant, ne ſoli illis fruantur: quòdque ſummum eſt illis grauiſsimum, vt formicæ tales, quales ferũtur Indicæ, aurum è theſauris effoſſum, noctu in publicum efferãt, vtque veſtis curatorum indiligentia ita ab optimis moribus perforetur, vt cribrum videri poſsit, nihilque differat à caſſe venatorio: vtque formoſi illorũ comatique puelli (quos Hyacinthos, aut Achilles, aut Narciſſos appellare ſolent) dum ipſis poculum porrigũt, ſubitò defluente coma calui fiant, & acutam edant barbam, cuiuſmodi in comœdiis induci ſolent Sphenopogones, quibus à cuneata barba nomẽ inuẽtũ eſt: vtque ex illis aſperis ac pũgẽtibus pilis ſit hirtus, reliqua capitis parte nuda. Hæc atque his etiam plura illis imprecabimur, niſi deſinant vſqueadeo ſuis priuatim ſtudere cõmodis, vel ſi ntq; in cõmune diuites eſſe, nobis quoque quantũ æquũ eſt impartientes.

SATVRNVS MIHI CHARISSIMO SAL.

Vid tu, obſecro, nugas iſtas ad me, ac de rebus huiuſmodi ſcribis, iubeſque vt de integro bonorum faciã partitionẽ? quod quidem alterius munus fuerit, penes quem nunc eſt imperiũ. Etenim demiror te, ſi ſolus omnium ignoras quemadmodum iampridem regnare deſiterim, hic priuatus eſſe cœperim, liberis partiti imperiũ: quanquã Iupiter præcipuè rerũ iſtiuſmodi curã gerit. Porrò mea poteſtas nõ niſi ad taxillos vſq; ſaltationes, cantiones, & ebrietatẽ valet, idque ſæpè non amplius diebus. Itaq; grauioribus in causis, de quibus ſerimis, videlicet de tollenda rerum inæqualitate, vtque ex æquo omnes aut opibus abundent, aut egeant, Iupiter vobis operam dabit. Quòd ſi quid in his quæ ad feſtum pertinẽt, vel fraude detractum eſt alicui, vel additum, id erit meã tum partem iudicare. Iamque ſcribo diuitibus de cœnis, deque auri hemina, neque non de veſtibus, vt vobis quoque ad celebrandum feſtum nihil militent: quandoquidem æqua ſunt iſta, decétque illos facere quemadmodum prædicatis, niſi forte habent iſti quòd probabiliter ad hæc reſpondeant. In ſumma tamen illud ſcitote pauperes, vos longè falli, neque rectè iudicare de diuitibus? Siquidem illos felices arbitramini, ſoloſque ſuauem vitam viuere, propterea quòd illis liceat opiparè cœnare, vino ſuaui inebriari, formoſis frui mulieribus, veſtibus vti delicatis: verùm iſtam felicitatem cuiuſmodi ſit, ignoratis. Siquidem hæ res non mediocribus curis eos diſtorquẽt, ſed ſingulis inuigilare coguntur, ne quid rerum domeſticarum diſpenſator fraudet, aut clanculùm ſuffuretur, ne vinum aceſcat, ne frumentum vermibus corrumpatur, ne latro tollat pocula, ne populus credat calumniatoribus, ſi illum dixerint affectare regnum. Atqui hæc quidẽ quota pars eſt eorum quæ iſtos diſcruciant? Quòd ſi noſſetis metus & curas quibus obnoxii ſunt, planè fugiẽdas vobis eſſe diuitias exiſtimaretis. Alioqui creditis vel me ipſum vſqueadeo inſanum, vt ſi præclara res eſſet opulentia, aut regnum, depoſiturus hæc aliiſq; ea ceſſurus fuerim, paterérque vt nunc priuatus alieno parerem imperio? Quin potius quum nõ eſſem ignarus huiuſmodi malorum quæ plurima diuitibus ac regibus adſint neceſſe eſt, imperiũ depoſui, idq; ſapienter. Nam quòd tu nunc apud me deos obteſtans deplorabas, illos apris ac placẽtis expleri, vos contrà naſturtium porrumve aut cepe per feſti tempus opſonii loco arrodere, cuiuſmodi ſit, conſidera. Etenim in præſens quidem vtrunque dulce eſt illis, minimèque moleſtum: at poſtea res inuertitur quandoquidem vobis deinde non accidit vt poſtridie ſurgatis capitis dolore grauati ob temulentiã, quemadmodum illi, neque ob immodicam ingurgitationem, grauẽ olentem & acrem ſpiritum ructatis. At illi hoc quoque fructus ferunt, vt quoniam magnam noctis partem vario coitu pro libidinis arbitrio trãſigũt, facilè ſibi vel tabem, vel tuſsim, vel morbũ intercutẽ, ex intẽperato voluptatũ vſu colligan. Alioqui quotumquenque potes oſtendere, qui non planè palleat, ac faciem cadaueroſam præ ſe ferat? Quotumquenque autem, qui cùm ad ſenectutem peruenerit, ſuis ipſius pedibus ingrediatur, ac non potius à quatuor baiulis geſtetur? foris quidem totus aureus, intus putris ac pannoſus, cuiuſmodi ſunt tragica indumenta, ex pannis admodum vilibus conſarcinata. Vos autem quum moleſtum eſt quòd de piſcibus guſtare non liceat, quòd inedia laboratis, non illud item cogitatis, eoſdem & podagræ & tuſsis expertes eſſe, aut ſi quid aliud aliã ob cauſam illis incommodi contingit. Quanquam nec illis ipſis æquè dulce eſt, quotidie, ſupráque ſatietatem iſtis veſci: quin potius videas eos nonnunquam ita olus ac lupinum appetere, vt tu non æquè leporem appetas aut aprum. Vt de reliquis interim ſileam, quæ illos diſcruciant, puta ſi filius ſit luxurioſus, ſi vxor vel amans, vel amata à famulo, coacta magis quàm ex animo cum illo dormiat. In ſumma, multa alia ſunt, quæ vos ignorantes, tantùm aurum illorum ac purpuram videtis. Tum ſi quando videtis eos albo prouehi curru, inhiatis, & adoratis. Quòd ſi illos contemneretis, negligeretiſque, neque ad argenteum currum oculos haberetis intentos, neque inter colloquendum, ſinaregdum annulo incluſum reſpectaretis, neque veſtes obſer-contemptrices, mollitiẽ admira-

remini

semini, sed sineretis eos ipsos sibi diuites esse, haud dubiè futurum sit vt ipsi vos vltrò adirent, ad cœnam rogarent, nimirum vt vobis ostendere possint lectos, mensas, ac pocula. Quarum rerum nulla sit vtilitas, si sine teste possideantur. Certè reperiretis pleraq; hęc illos vestra causa parare, non quò vtantur ipsi, sed vti vos admiremini. Hæc ad consolandos vos scribo, vtranque vitam cognitam habens. Conuenitque ita festum agere, vt cogitetis omnibus breui decedendum è vita, & illis depositis opibus, & vobis relicta paupertate. Quanquam & illis scribam, sicuti sum pollicitus. verum scio eos non neglecturos literas meas.

SATVRNVS DIVITIBVS S.

PAuperes nuper ad me datis literis incusarũt vos, qui nihil ipsis ex facultatibus quas possidetis impertimini: atq; omnino postularunt vt omnia bona facerem omnibus communia, vt ad singulos illorum sua pars rediret. Aequum enim esse, vt rerum æqualitas constituatur, neque decere vt huic superfit, ille nullo modo sit particeps voluptatũ. Ego verò respondi, hisce de rebus rectius Iouem consideraturum. Cæterùm de præsenti negotio, deque iniuriis quibus sese per festos dies affici putant, videbã mei officii esse sententiam ferre, sumque pollicitus me vobis scripturum. Sunt autem quæ postulant, hæc, vt mihi quidem videtur, æqua. Nam quo pacto, inquiunt, tanto frigore horrentes, tantæq; obnoxii esuritioni, postea diem etiam festum celebrare possimus? Quare si vellẽ & illos festi participes esse, postularunt vt cogerẽ vos, vt & de vestibus illis impertiamini, si quæ supersint pinguiores quàm quæ vobis cõueniant, vtque de auro nõnullas guttulas in illos destilletis. Quòd si ista feceritis, inquiũt, nõ erit amplius disceptatio inter vos de bonis apud Iouẽ. Sin minus, minitantur sese ad nouam rerum partitionem prouocaturos, vt primùm Iupiter pro tribunali sedere cœperit. Atque hęc quidem facere vobis nequaquã graue fuerit, impertiri nonnihil de tantis opibus quas possidetis, & rectè possidetis. Quin de cœnis quoque, vt vobiscũ cœnarent, & hoc literis addendum putarũt, quemadmodum vos in præsentia foribus occlusis, soli deliciis fruemini. Quod si quãdo vobis visum fuerit & illorum quẽpiam post longum tempus conuiuio adhibere, plus esse molestiæ in cœna, quàm voluptatis, multaque illhic in pauperum contumeliam fieri: velut illud, cum non eodẽ de vino bibant. Oli boni, quàm illiberale: planè dignum in quo & illi debeant accusari, qui non surgant potius, abeántq; toto conuiuio vobis solis relicto. Quanquam negãt sese etiam ad satietatem ex illo quallcũque vino bibere, propterea quòd vestri pincernæ aures habeant cera obturatas, quemadmodum olim Vlyssis socii. Porrò reliqua vsqueadeò sint turpia, vt pigeat cõmemorare, quæ de earum partitione criminantur, déq; ministris, qui eum vobis assistãt donec plus quàm ad plenũ expleamini, ipsos prætercurrunt, aliáq; huius generis permulta sordida, miniméque digna viris ingenuis. Proinde æqualitas res est omnium iucundissima, maximéque conuiuiis congruẽs. Atq; hac de causa vobis neque illo partitor in cõuiuiis præficitur, vt æquã omnes habeant portionem. Videte igitur ne posthac vos iterum accusare possint. Quin potius honorabunt vos, & amabunt, si paucula ista à vobis acceperint, quorum impẽdium à vobis nec sentiretur quidem, penes illos muneris in tẽpore dati memoria semper mansura est. Præterea nec Remp. administrare possitis, ni pauperes vnà vobiscum in ea versentur, milléque modis felicitatem vestram adiuuent. Neque enim habituri estis qui diuitias vestras suspiciant, si soli atq; apud vos ipsos in tenebris eas possideatis. Videat igitur vulgus, miretúrque vestrum argentum, mensas, & quemadmodum præbibentes ad potandum inuitetis. Dein illi inter bibendũ poculum vndiq; contemplentur, ac pondus expendant, manu librantes. Tum argumẽti absolutam cælaturã. Tum auri vim, vicissim artem cõdecorãtis. Nam in istum modũ non solùm illi vos probos viros & humanos prædicabunt, verumetiã inuidiam illorũ effugietis. Quis enim inuideat impertiẽti dantíq; quod æquũ est. Quis non potius optet, vt quã diutissimè viuẽs, bonis suis fruatur? Verùm vt nunc res vobis habẽt, & felicitas vestra teste caret, & diuitiæ inuidiosæ, & insuauis vita. Neque enim perinde iuuat, opinor, si quis solus expleatur, quemadmodũ aiunt leones facere, & ex luporum genere quos solitarios vocant, quàm si cum lepidis hominibus, ac per omnia gratificari paratis, conuiuatis: qui primùm nõ sinent cõuiuium surdum aut mutum esse, verùm cõsuetudine sua fabulas conuiuiis aptas, dicteriaq; minimè molesta, variásq; voluptates adferẽt: quibus rebus tempus iucũdissimè transigitur. Idq; gratũ est Baccho, gratum Veneri, gratũ etiam Gratiis. Deinde postero die, dum comitatem vestrã referunt, beneuolentiam vobis cõciliant. Hæc etiã magno fuerãt emẽnda. Nam illud à vobis scisciabor, si pauperes abeãt tacitè, sic enim fingamus, nónne vos ea res vreret, cum non haberetis quibus ostentaretis purpureas vestes, comitum multitudinem, annulorũ magnitudinem? Neque iam libet referre, necessariò futurũ vt pauperũ insidiæ atq; odia in vos oriantur, si soli deliciis frui velitis. Nam quæ minantur vobis imprecaturos sese, prorsus abominãda sunt: ac dii prohibeant, ne vnquam ad eiusmodi imprecationes venire cogantur: quandoquidẽ si id fiat, neq; interdum posthac gustabitis, neq; placentã, nisi si quid carnis reliquum fecerit. Præterea lenticula saperdæ liquamen vobis habebit. Porrò sus aut ceruus interdum assanatur, è veru in montes aufugere parabunt. Tum aues quoque pingues abíq; alis fugam molientes, ad pauperes auolabunt. Denique quod est omnium grauissimũ, pocillatores formosissimi repetè vobis calui fient, idque etiã fracta amphora. Super his rebus cõsultate, quæ & festo sint digna, & vobis quàm maximè vtia, atq; illis paupertatis onus subleuare, exiguo vectigali illos amicos habituri, neutiquam malos.

DIVITES SATVRNO SALVTEM.

NVmquas Saturne, de rebus istis ad te solum scripsisse pauperes? Quin potius Iouis ipsius aures iam obsurduerunt illorum querelis, dum hæc eadem vociferantur, & nouam rerum partitionẽ flagitant, ac simul facta incusant, quòd non æqualiter distribueric &

rit: & nos, quòd nihil ipſis velimus impertiri. Verùm nouit ille, quippe cũ ſit Iupiter, penes quos ſit culpa, eóque illos plerunque obaudit. Nihilominus tamen purgabimus nos tibi, quandoquidẽ hoc certè tẽpore princeps noſter es. Nos enim omnia iſta quę ſcribis, ob oculos habentes, quàm ſit honeſtum de magna rerum copia opitulari iis qui indigent, quantóque ſit iucundius, ſimul cum pauperibus verſari, & conuiuium agitare, ad eum modum aſſiduè facimus, adeóque in ratione vitæ nos æquamus, vt nihil poſsit incuſare is quem ad conuictum admitti mus. Verùm illi primùm aiunt ſibi paucis opus eſſe: deinde vbi ſemel illis fores aperuerimus, nuhquam deſinunt alia ſuper alia poſtulare. Quòd niſi protinus omnia, ſimúlque cum dicto acceperint, mox paratum odium, in promptu conuicia, etiam ſi quid de nobis ſit mentiendum. Porrò qui audiunt, fidẽ illis habent, rati videlicet illos probè ſcire quæ dicunt, propterea quòd nobiſcum conſuetudinem habuerint. Ita fit, vt in alterutrũ incidamus, vt aut ſi nihil demus, illos prorſus habeamus hoſtes: aut profuſis omnibus, ipſi protinus egeamus, iámque in pauperum gregem veniamus. Ac cætera quidem vtcunq; ferenda ſunt, verùm inter cœnas ipſas non ſatis habent ingurgitari cibis, atq; aluum explere, ſed iidem vbi plus ſatis adbiberint, tum vel puellæ formoſæ cyathum porrigentis manum vellunt, aut concubinam vxorémve ſolicitãt. Poſtremò conuomito cõ uiuio, poſtero die nobis obtrectant, narrantes quẽadmodum ſitierint, eſurierintque. Quòd ſi hæc aduerſus illos mentiri videmur, veſter ille paraſitus Ixion in memoriam redeat, qui ad cõmunis menſæ honorem admiſſus, ac vobis dignitate æquiparatus, iam ebrius vir ille egregius, Iunonem adortus eſt. Hæc atque huiuſmodi ſunt, propter quæ in poſterum ſtatuimus, quò res noſtræ ſint in tuto, ne poſthac illis in domum aditum præbeamus. Quòd ſi te authore, pacto recipiant, ſeſe moderatè petituros, quemadmodum nunc aiunt, neque quicquam flagitioſe in compotationibus admiſſuros, age, conuiuãt nobiſcum, ſimúlque cœnent bonis auibus. Ac de tunicis, ſicuti iubes, mittemus, & de auro, quantum facultas patietur, ac ſumptus augebimus: in ſumma, nihil omittemus officii noſtri, modò viciſsim deſinãt ipſi arte nobiſcum viuere, ſintque pro paraſitis & adulatoribus amici. Ita nihil erit quod in nobis deſideres, ſi ipſi quoque ſuo fungi volent officio.

SYMPOSIVM, VEL LAPITHAE,

Eraſmo Reterod. interprete.

Eraſmus Roterodamus Ioanni Eutychio ſuo S. D. Quanquam hic Luciani Dialogus, Eutychi doctiſſime, plurimum habeat artis, ob decorum mirè ſeruatum in perſonis tam multis, támque diuerſis: tamen aliquot reperi, qui dicerent eſſe premendum, quòd liberius ac velut ἐξ ἀμάξης philoſophorũ omne genus laceret. At mihi videtur iuſtius eſſe ſtomachandum in huius ſeculi mores, quo videmus Philoſopherum ſcholas multò puerilius etiam inter ſe diſſidere, nec minus atrociter digladiari, tum inter ſectarum profeſſores nihilominus cruentã eſſe pugnam, quàm in eo cõuiuio fuiſſe Lucianus vel finxit, vel retulit. Hunc igitur libellũ, quoniã fortè ἀδέσποτον reperi, & tamen patrono videbatur egere, Eutychio dicaui. Bene vale, καὶ εὐτύχει, vt planè ſis quod diceris. Antuerpiæ anno M. D. XVII.

ARGVMENTVM.

Rurſum depingit hoc loco philoſophorum mores & vitã Lucianus, atque illa quæ fictionibus ac fabulis alibi de illis prodidit, hic nunc exemplo ac vero facto comprobat. Eſt autem hiſtorica quædam rei geſtæ commemoratio, qua exponit quo pacto diuerſarum profeſſionum Philoſophi aliquot ab Ariſtæneto ad cœnam & nuptiarum celebritatem vocati, poſteaquam vino incaluere, pro ſecta quiſque ſua inter ſe verbis primò contenderint, mox ad manus quoque & ad vulnera venerint, adeò vt saucij nonnulli ac mutilati è conuiuio aſportati fuerint. Rurſum autem ex alijs qui vocati non fuerãt, quidam, Cynicus videlicet, vltro veniens, cœnantibus ſeſe obtruſerit, magna præſentia & impudentiæ ſuæ importunitate. Alius autem per literas cum Ariſtæneto expoſtularet, tragicè propè in eum debacchatus, quòd præteritus, & cæteris poſtpoſitus fuiſſet. Ex quo apparet, iſtud hominum genus, quod foris virtutem prædicat, & ſpecie religionis in ſe vulgi ora conuertit, non hac ætate modo (quod tamen graueſsimum eſt, quandò & Chriſtianos eſſe plerique ſe, & alijs vitæ morúmque honeſtate præire profitentur) verùm olim quoque eadem ſimulatione, iſdemque præſtigijs vſos eſſe, nimirum vt verbis quidem multa de pietate, de officijs, de vera viuendi ratione iactitarent, cæterùm ipſa re à virtute ac honeſtate omni quàm longiſsimè abeſſent, libidini & gulæ & cæteris vitijs turpiſsimè interim ſeruientes. Et accidere ſanè etiam noſtra memoria huiuſmodi quædam exempla, conuiuio huic non admodum diſsimilia, vbi iſti in ſpeciem graueſsimi ſanctiſsimique viri, vel pro leuibus ac puerilibus rebus acerbiſsimas ſæpenumero contentiones incœpere: vel quia alicubi præteriti atque neglecti viderentur, graueſsima odia exercuere: vt non immeritò quiſpiam crediderit philoſophos illos veteres (quanquam indignum adeò eſt tam venerabile nomen in tam turpibus perſonis habere) in noſtræ ætatis homines quoſdam immigraſſe. Vſque adeo noſtri iſti à veteribus non alia re, quàm ſolo titulo ac nomine differunt. Cæterùm tametſi hæc omnia cum ſumma feſtiuitate pro ingenio atque facundia ſua tractet Lucianus, interim tamen ſerio quoque ac verè idem monet, nullum eſſe pretium operæ: ſi quis diſciplinas omnes perdiſcat, niſi ſimul & vita rationes ad id quod optimum eſt, accommodet, eóſque illos qui ſolos libros ſpectant, quique ſolicitudine ac cura quam illi afferũt perpetuò tenentur, à recta ratione, boniſque inſtitutis ferme abduci, &c. Inſcribitur autem dialogus hic Conuiuium, vel Lapithæ, quorum prior titulus ab argumento & re ipſa ſumptus eſt: alter à collatione, quòd vt hic Philoſophi, ita à Poetis Lapithæ & Centauri in nuptijs Pirithoi inter ſe funeſto certamine congreſſi quoque feruntur.

PHILON. LVCIANVS.

NOVAM quandam & variam diſputationem, Luciane, vobis fuiſſe narrãt ſuper cœnã apud Ariſtænetum, tum philoſophicos quoſdam ſermones dictos, ac ſuper his ſummam contentionem exortam fuiſſe: quod ni mentitus eſt Charinus, etiam ad vulnera vſque rem proceſsiſſe: denique ſanguine conflictum fuiſſe diremptum. LVC. Atqui vndénam, Philon, iſta reſciuit Charinus? neque enim is nobiſcũ aderat in conuiuio.

uiuio. PHIL. E Dionico medico aiebat audiſſe ſe-
ſe. porrò Dionicus etiã ipſe è conuiuarum numero
fuit opinor. LVCIA. Fuit maximè: verùm ne is
quidem ab initio rebus omnibus fuit præſens, ſed
ſerius aduenerat, media ferme pugna, paulóque ante
vulnera. Proinde demiror ſi quid comperti certíve
referre potuit, qui nõ ordine ſpectarit illa vnde in-
ter illos nata lis, poſtea ad ſanguinem vſque deducta
eſt. PHIL. Proinde, Luciane, Charinus etiam ipſe,
ſi rem compertius vellẽ cognoſcere, & quo ſingula
modo ſint geſta, doceri, te adirem iuſsit. nam Dioni
cum etiam ipſum faſſum fuiſſe, ne ſe quidẽ toti ne-
gotio præſentem adfuiſſe: te verò, quicquid eſſet
actum, id omne compertò certóq; ſcire: tum etiam
quæ dicta inter illos fuerint, meminiſſe: quippe qui
eiuſmodi nõ obiter neque neglectim audire, ſed per
otium atque attentè auſcultare ſis ſolitus. Proinde
nunquã effugies, quin nos hoc ſuauiſsimo accipias
epulo: quo mihi quidem haud ſcio an vllum poſsit
accidere iucundius: præſertim quod ſobrii per otiũ
tutò ac citra ſanguinem, extráque teli, quod aiunt,
iactum conſtituti, ſumus epulaturi,

Siue ſenès aliquid
Super cœnam ſunt debacchati,
Siue etiam iuuenes

à mero compulſi ſunt, quæ neutiquam fas erat, tum
dicere tum facere. LVC. Iuuenilius tu quidem Phi-
lon; atq; inconſultius hæc nos iubes in vulgus effer
re, eáq; referre quę inter pocula ab ebriis ſunt acta:
quum hæc magis oporteat obliuioni tradere, eáque
omnia Baccho Deo velut authori imputare, qui
quidem haud ſcio an quenquam ſuis non afflatum
Orgiis, & Bacchanalium expertem pręterierit. Pro
inde vide ne hominis ſit parum benè morati, eiuſ-
modi ad amuſsim exquirere, quæ rectius erat in cõ-
uiuio reliquiſſe, atque ita diſcedere. Siquidẽ odi (ſi-
cut inquit verſus poëticus) memorem compotо-
rem. Ne à Dionico quidem rectè factum, qui hæc
apud Charinum effutiuerit, immodicámq; & pridia
nam diſsiparit temulentiam hominum philoſopho-
rum. Cæterùm ego abſit vt iſtiuſmodi quippiã ſim
dicturus. PHIL. Nugas agis Luciane cũ iſta dicis.
Quin haudquaquam oportebat ad iſtum modum
apud me præſertim agere: vt qui certò ſciam te mul
to cupidiorem eſſe narrandi, quàm ego ſim audien-
di, adeò vt mihi videaris, ſi deſint qui te audiant, vel
ad columnam aliquam aut ſtatuam libenter acceſſu-
rus, quò cuncta pariter euomas. Quòd ſi nũc coner
diſcedere, non ſines, ni te prius audiero, abire: ve-
rùm vltro aderis, cõſectabere, rogabis. At tum ego
te viciſsim luſero. Iámq; adeò, ſi ita vis, abimus, ex
alio quopiam hæc eadem audituri. Tu verò ne di-
cito. LVC. Agè ne quid ſuccenſeas, equidẽ dicam,
quandoquidem vſqueadeo cupidus es audiendi: ve-
rùm heus ea lege, ne paſsim in vulgus efferas. PHI.
Ni prorſus ignoro Lucianum, tute iſthuc potius fe-
ceris. Nam prior ipſe denarrabis omnibus, vt me
quidem ad id nihil futurum ſit opus. Sed illud mihi
primo reſponde loco: Ariſtænetus num filio Ze-
noni dabat vxorem, atque ita in nuptiis eius vos ac
cepit? LVC. Non, imò filiam ſuam elocauit Clean-
thidem, ídque Eucriti nummularii filio, qui philo-
ſophiæ dat operam. PHI. Formoſo admodum per
Iouem adoleſcentulo, tametſi tenero adhuc, & vxo-
riæ rei non admodum maturo. LVC. Verum: at non
inueniebat, opinor, alterũ generũ magis idoneum.
Hunc igitur, qui tum modeſtus videretur, tum ad
philoſophiæ ſtudium propenſus, pręterea autẽ vni-
cus Eucriti diuitis, ex omnibus delegit filiæ ſuæ ma
ritum. PHI. Cauſam neutiquã leuem dixiſti, nempe
quia dives ſit Eucritus. Verùm heus Luciane, qui-
nam erant conuiuæ? LVC. Reliquos illos quorſum
attinuerit tibi recenſere? Verùm è Philoſophorum
numero, ac literatorum, quos potiſsimùm, opinor,
audire cupis, Zenothemis erat, ſenex ille Stoicus,
vnáque cum hoc Diphilus, cui cognomen Labyrin
thus: & hic quidem quòd eſſet Zenoni Ariſtęneti fi
lio præceptor. Deinde Peripateticæ factionis Cleo
demus: noſti hominem, nempe dicacem illum & ar-
gutum, atque ad refellendum inſtructum. Diſcipuli
gladium ac bipennem nominant. Quin & Hermon
aderat Epicureus. Verùm hunc, quũ ingrederetur,
Stoici toruis obtuebantur oculis, & auerſabantur,
palámque perinde quaſi parricidã quempiam atque
impium ac funeſtum deteſtabantur. Et hi quidem
tanquam Ariſtæneti ipſius amici familiaréſque fue-
rant ad cœnam vocati, quos comitabatur & Iſtiæus
grãmaticus, & Dionyſidorus rhetor. Iam verò pro
pter ſponſum Chæream vnà cum illo ad cõuiuium
acceſſerat Ion ille Platonicus, quòd is iuueni præ-
ceptor eſſet, vir venerandus aſpectu, ac maieſtatis
quiddam præ ſe ferens, multúmque dignitatis ipſo
oſtendens ore: vnde nonnulli propter animi cõſtan
tiam ac rectitudinem, regulam illum appellãt. Huic
ſimul vt ingrediebatur, aſſurgebant omnes, ac veluti
præcipuum quendam ac primarium hominẽ comi-
ter atque officioſè exceperunt: adeò vt planè numẽ
aliquod aduenire videretur, cum adeſſet Ion admi-
randus ille. Tandẽ verò cum iam omnes ferme con
uiuæ præſentes eſſent, tempus erat vt diſcumberetur. Itaque ed dextram ingreſſus, totam illam ſpon-
dam mulieres (erant autem complures) occupabãt.
Inter quas erat & ſponſa ſummo ſtudio culta, hinc
atque hinc ſtipata fœminis. Porrò ex aduerſo oſtii
altera turba, pro cuiuſq; dignitate locis diſtributis.
Porrò è regione mulierum primo loco accũbebat
Eucritus, ſecũdo Ariſtænetus. Sub hęc ambigi cœ-
ptum, vtrum altero priórem oporteret accumbere,
Zenothemínne Stoicum, quippe ſenem, an Hermo
nem Epicureum. nam hic erat Caſtoris ac Pollucis
ſacerdos: tum autem nobiliſsimæ inter ciues fami-
liæ. Verùm eam hęſitationem ſuſtulit Zenothemis:
Si me, inquiens, Ariſtænete, minoris ducis Hermo-
ne, viro videlicet iſto, vt ne quid aliud mali dicam,
Epicureo, diſcedo, totúmque conuiuium vobis re-
linquo. Et puerum protinus aduocat, diſcedere pa-
rans. Tũ Hermon: Imò habeto, inquit, tibi priores
partes Zenothemi. Quanquã etiã ſi nihil aliud, vel
hoc nomine par erat mihi concedi, quòd ſacerdos
ſim, vt planè contemnas Epicurum. Rideo, inquit
Zenothemis, ſacerdotẽ Epicureum. Simúlque eum
dicto accũbebat. Poſt hunc tamẽ Hermon. Deindè
Cleodemus Peripateticus: pone hunc Ion, proximè
hũc ſponſus, poſt eum ego, iuxta me Diphilus, huic
aſsidebat Zenon diſcipulus, poſtremò rhetor Dio-
nyſidorus cum Iſtiæo grammatico. PHIL. Papæ
Luciane! Muſarum conuentum quendam mihi nar
ras fuiſſe iſtud cõuiuium, quippe plurimis ſapienti-
bus

bus ac doctis viris refertum. Ego verò laudo Aristænetum, qui quùm optatissimam illam ac splendidissimam solennitatem celebraret, præcæteris sapientissimos viros adhibere voluerit: idq; adeò delectis ex vnaquaque philosophiæ secta præcipuis, nõ hos aduocans, illos præteriens, verùm promiscuè vocans omneis. LVC. Is verò nequaquam est è vulgarium istorum diuitum numero, verùm & literarũ est studiosus, ac maximam vitæ partem in his rebus

Cœnæ descriptio.

versatur. Cœnabamus igitur initiò quidem taciti & quieti, variúsq; erat apparatus, & omniiugus. Neq; enim arbitror operæpretium vt numero recensẽa etiam illa condimenta, cupedias, aromata, atque id genus illectamenta. Cuncta siquidem affatim suppetebant. Inter hæc Cleodemus admoto ad Ionis aurem ore, Non vides, inquit, senem illum, Zenothemim dicebat (subauscultabã enim) vt sese opsoniis ingurgitat, vtque iure vestem oppleuit: tum quàm multa puero à tergo stanti porrigit, putans interim se aliorum oculos fallere: neque meminit post sese accumbentiũ? Hæc igitur fac & Luciano commonstres, quò testis esse possit. Mihi verò nihil Ione mõstratore opus erat: quippe qui hæc multò antè limis iam oculis præuideram. Hæc simul atque dixisset Cleodemus, irruit in conuiuium & Alcidamas Cynicus, atque is quidem inuocatus, vulgatum illud festiuitatis gratia præfatus de Menelao, qui vltro ad fratris conuiuium accessisset. Itaque plerisque turpiter atque impudenter visus est fecisse: & quod cuique tum fortè in mentem veniebat, in eum torquebant: alius illud,

Cynici interuentus, & occasio turbæ.

Insanis Menelae.

Alius rursum,

Verùm Agamemnoniæ menti non ista placebãt. Ad hæc alia quæ pro tempore falsè lepidèque dici poterant, in eum obmurmurabant. Nam palàm nullus audebat quicquam dicere, propterea quòd metuerent Alcidamantem, vtpote conuiciatorem egregium, vnúmque è Cynicis omnibus clamosissimũ: qua quidem re adeò visus est reliquis antecellere, vt nulli non esset formidandus. At Aristænatus collaudatum illũ quòd inuocatus aduenisset, iussit accepta sella iuxta Istiæum ac Dionysidorum accumbere. At ille, Apage, inquit, muliebre quiddã ac molle dicis, vti in scamno aut sella sedeam, quemadmodum facitis vos, mollibus in stratis penè supini recumbentes, purpura suffulti. Quin ego tibi vel stãs cœnauero, in ipso interim conuiuio etiam obambulans. Quòd si defatigatus fuero, tum humi substrato pallio, cubito innixus cubuero: qualẽ videlicet Herculem pingunt. Ita fiat, inquit Aristænetus, si quidẽ isthuc mauis. Sub hæc Alcidamas in orbem conuiuium lustrãs, cœnabat, Scytharum ritu ad vberiora pascua subinde sese transferens, vnáque cum his qui inferebant edulia, circumiens atque obambulans. Atque interim tamen dum cibum caperet, haudquaquam negotio vacabat, de virtute obiter, de vitio disserens, tum in aurum atque argentum dicteria iaculans: iámque Aristænetum percontabatur, quídnam sibi vellent tam multa, tam magna pocula, quũ non minus vsui possent esse fictilia. Verùm Aristænetus iam obturbantem, molestúmque esse pergentem, in præsens quidem compescuit, ministro inuens, vt ingentem calicem, infuso meraciss imo vino, illi porrigeret. Atq; id quidem visus est optimè excogitasse, nondum etiã intelligẽs quantorum malorũ is calix esset author futurus. Hũc igitur vt accepisset Alcidamas, aliquantisper silentium agebat, ac solo sternens sese cubabat seminudus, quemadmodũ facturũ sese fuerat pollicitus, cubito humi fixo innitẽs, simúlq; dextra scyphum sustinens, qualem Herculem apud Pholum pictores effingunt. Iam verò & inter alios calix assiduè circumagebatur: tum inuitatiuncula ad bibendum, & confabulationes ortæ, demũ & lucernæ illatę. Interim ego cùm puerũ qui iuxta Cleodemũ adstabat (erat autem is pocillator egregiè formosus) subridentem vidissem (nam, arbitror, quicquid obiter inter cœnandum obtigit, cõmemorari oportere, maximè si quid sit elegantius ac scitè factum) iam admodum attentus obseruare cœpi quídnam rei rideret. Ac paulò pòst accedebat puer tanquam calicem à Cleodemo recepturus. At ille simul & digitũ illius substringebat, & drachmas puto duas vnà cum calice tradebat. Porrò puer ad substrictũ digitũ rursus arridebat: cæterùm de pecunia, quũ non sensisset, opinor, eóq; non reciperet, in terram delapsis drachmis strepitus est concitatus, móxque ambo pariter rubore suffundebantur, ídq; ita palàm, vt nemo non animaduerteret. Ambigebatur igitur inter eos qui proximè sedebant, cuiúsnã essent illi nummi, cùm & puer negaret à se proiectos, & Cleodemus item, iuxta quem strepitus acciderat, sibi excidisse dissimularet. Verùm ea res tum neglecta est, ac cõniuenter omissa, propterea quòd id quod acciderat, non ita multi vidissent, præter vnum (vt mihi quidẽ visum est) Aristænetũ. Nam is paulò pòst puerum loco mouit, clanculum ablegãs, & alii cuidam innuit vti Cleodemo pocillator assisteret, videlicet ex exoletis illis ac robustis mulioni aut equisoni cuipiam. Ad hunc modum ea res vtcũq; abiit, summum alioqui allatura pudorẽ Cleodemo, si quidem ad omnes permanasset, ac non protinus occupans Aristænetus eam sopisset, ciuiliter dextréq; admodũ inducta temulentia. Cæterùm Alcidamas (iam enim potus erat) percõtatus quódnam esset nomen puellæ nubenti, tum clara voce indicto silentio, simul & ad fœminas conuerso vultu, Præbibo, inquit, tibi Cleanthi, Herculis *Archegetæ nomine. Sub hæc cùm risissent omnes: Ridetis, inquit, sacrilegi, quòd sponsæ, Herculis dei mei nomine propinauerim? Imò illud scito opus est, ni scyphum à me traditum acceipiat, nunquam futurũ vt illi filius obtingat talis, qualis ego sum, virtute interritus, animo liber, tum corpore adeò robusto: simúlq; cum dicto sese magis etiam renudabat, etiã vsq; ad illa quæ sunt maximè pudenda. Ad ea cùm iterũ arrisissent conuiuę, indignatus ille surrexit, toruis iãatq; efferatis obtuens oculis, vultúq; ipso testãs iam neq; pacem neq; quietem arcturũ ampliús. Forsitan & baculũ illisisset alicui, ni cõmodùm id tẽporis placenta prægrandis fuisset illata. Nã hanc simul atq; conspexit, senior ac mitior esse cœpit, ac stomachari desiit, obambulãs interim, ac placentam auidè vorans. Iam verò pleriq; te-

*Ita vocat ducem Musarum.

mulenti esse cœperant, & clamoribus vndique perstrepebat conuiuium. Nam & Dionysidorus rhetorem illhic agens, orationes quasdam pronuntiabat, laudabatúrque à ministris qui à tergo assistebant. Et Istiæus Grammaticus vicissim qui post illũ accumbebat, versuum centones quosdam recitabat, Pindari, Hesiodi, & Anacreontis carmina simul cõtexens atque consarcinans: ita vt ex omnibus vnicam redderet cantilenam, oppidóque ridiculam, in primis autem illa, perinde quasi vaticinans de his quæ postea acciderunt,

Commisere simul clypeos.

Tum illud quoque:

Tum verò clamórque virûm luctúsque coortus.

At verò Zenothemis libellulum quempiam minutis conscriptum literulis, à puero acceptũ legebat. Verùm quum ii, quorum partes erant edulia inferre, aliquantisper, ita vt solent, cessarẽt morarentúrque, Aristænetus sedulò curãs ne vel id interea temporis aut otiosum esset, aut voluptatis expers, accersitum intrò morionem iussit ridiculum aliquid vel dicere, vel facere, quò magis etiam exhilararentur conuiuæ. Móxque ingressus deformis quidã, deraso capite, pauculos capillos in vertice gestans, eósque cristæ in morẽ erectos, hic saltabat, atq; inter saltandũ, quò maiorẽ cõcitaret risum, rotatu sese circumagebat, distorquebátque. Tum cymbalo concusso, sonabat interim quiddam, linguam imitans Aegyptiorum. Postremò dicteria quædam iaculabatur in eos qui aderant. Ac reliqui scommate tacti ridebãt: verùm vbi & in Alcidamantem simile quiddam torsisset, catulum illum Melitæum appellans, indignatus ille (iandudum autem præ se ferebat quòd intuderet illi, dum probaretur, ac conuiuarũ oculos retineret) abiecto pallio, vt secum luctarentur prouocauit. Quod ni faceret, hunc, inquit, baculum tibi impingam. Atque ita miser ille Satyrion (nam id erat morioni nomen) congressus cum eo, paneratio decertabat. Erat id spectaculi multò iucundissimum, quippe cum viderent hominem philosophum cum morione compositum, cum ferire, tum vicissim ferirí. Proinde qui aderant, partim pudore tangebãtur, partim ridebant: donec iam ictus Alcidamas, pugnã detrectaret, ab homuncione omnium plausu comprobato certamine superatus. Hæc igitur cũ essent non mediocri risu excepta: ibi tandem ingressus & Dionicus medicus haud multò post peractam concertationem. Aiebat autem in mora fuisse Polypreponten tibicinem, dum hunc phreneſi correptũ curandi gratia viseret. Ac planè quiddam risu dignũ commemorabat. Dicebat enim in ædes illius venisse sese ignarum etiam hominem iam eo morbo teneri. At illum protinus surrexisse, foribúsque occlusis, ac nudato gladio, tibias ipsas sibi tradidisse, issq; vti caneret iussisse. Deinde vbi id non posset, illum percussisse, scuticam sublata manu gestantem. Sese porrò in tanto periculo tale quiddã fuisse commentum, nempe ad canendi certamen prouocasse hominem: idque ea lege, vt victus præscriptum corámq; plagarum numerum acciperet. Ac sese priorem cecinisse, prauè atque imperitè: deinde traditis illi tibiis, scuticam ab illo recepisse: gladium autẽ extemplo per fenestras in aream abiecisse. Dein cũ minore iam discrimine cum illo luctaretur, auxilio aduocasse vicinos. Eos reuulsisse belluam, atque ita illorum opera seruatum sese. Ostendebat autem & plagarum vestigia quędam, nonnullaque in facie tubera liuentia. Ergo cum Dionicus ob huiusmodi fabulam non minus placuisset, quàm morio ipse: proxime Istiçum reclinans sese, de reliquiis cœnabat. Atque hic quidem haud absque numine quodam nobis aduenerat, imò prorsũ vsui futurus ad ea quæ postea contigerunt. Nam prodiens in medium conuiuiũ puer quidam, qui se ab Etœmocle Stoico venire diceret, epistolium quoddam adferens, aiebat ab hero sibi mandatum, vt eo palàm omnibus audientibus perlecto, rursus domum sese reciperet. Hic igitur permittente Aristæneto, admotus ad lucernã legebat.

PHI. Num orationem Luciane in sponsæ laudẽ compositam, aut carmen nuptiale, quod genus permulta faciunt?

LUC. Videlicet nos quoq; tale quippiam existimabamus. Verùm ne accedebat quidem ad id, vt aiunt. Cæterùm in literis ita scriptum erat: Etœmocles philosophus Aristæneto: Quàm non mouear cõuiuiis, omnis anteacta vita mea fuerit testis, qui quidem quũ quotidie mihi cõplures ea causa molesti sint, te multo ditiorẽs, tamen haud vnquã illis morem gessi: perpendens nimirum, quãtum sit in eiusmodi compotationibus tumultus, quantum licentiæ, petulantiæque: verùm aduersus vnũ te mihi videor meo iure stomachatus, qui tantum temporis à me officiosissimè cultus & obseruatus, tamen indignum habueris, quem vel inter reliquos amicos tuos numerares, sed solum ex omnibus præterieris, idque quum vicinus essem. Proinde tua causa magis discrucior, qui quidem te tam ingratum præbueris. Nam ipse felicitatem nequaquam in hoc statuo, si quis mihi impartiat vel suem syluestrem, vel leporem, vel placentã: quæ mihi affatim contingũt apud alios, qui officia norunt: quandoquidem etiam hodie quum apud discipulum Pammenem cœnare mihi licuerit opiparam (vt vocant) cœnam, non annui tamen vehementer obsecranti, tibi scilicet demens ego memetipsum reseruans. At tu nobis præteritis, alios accipis conuiuio. Idq; meritò facis. neque enim vllo modo potes quid sit rectius dignoscere, nec apprehensiuam illã phantasiam habes. Cæterùm haud sum nescius vnde mihi ista sint profecta: nempe ab egregiis istis philosophis tuis Zenothemi de ac Labyrintho: quibus equidem (absit inuidia dicto) vel vnico syllogismo mihi videor os protinus obturare posse. Alioqui respondeat istorum aliquis, quid sit philosophia, aut hæc quæ inter elementa tradũtur, quid habitio differat ab habitu: vt ne quid interim de perplexis illis rogationibus proponã, quid sit syllogismus cornutus, quid acernalis, quid metens. Verùm tu quidem istis fruaris licet. Nam ego qui solum in bonis ducam quod sit honestum, facilè tulero cõmeliam. Atqui ne possis posthac ad istã excusationem confugere, vt dicas te mei oblitũ fuisse, nimirum in tanto rerum strepitu, tantísque occupationibus: bis te hodie sum allocutus, primùm mane domi tuę: deinde rursum in Castoris ac Pollucis templo rem diuinam facientem. Ac his quidẽ de rebus hæc respondeam. Quòd si tibi videor cœnæ gratia succensere, quid Oeneo acciderit cogitato. Videbis nimirum ipsam etiam Dianam indignantẽ quòd ille se solam non adhibuerit ad sacrificium,

cum

cùm reliquos deos omneis acciperet conuiuio. Nã hac de re ſic alicubi meminit Homerus:

Seu quia non norat, ſeu non ſuccurreret illi:
Acriter eſt offenſa tamen.

Item Euripides:

Calydon quidem hæc Pelopeii regio ſoli:
Qua parte ſæuum ſpectat aduerſa fretum,
Agros habens tum diuites, tum fertiles,

Rurſum Sophocles:

Immanis apri triſte monſtrum in Oenei
Immiſit agros gnata Latonæ dea
Docta eminus miſsis ferire ſpiculis.

Hæc tibi è plurimis pauca citaui, vt intelligeres cuiuſmodi præterito viro Diphilum ad cœnam adhibeas, cui & ipſi filium commiſeris tuum. Idq; rectè. Eſt enim iucundus adoleſcenti, & ita cum eo viuit, vt placeat, atque obſequatur: atque adeò ni mihi turpe dictu fuerat, addidiſſem & aliud quiddam: quod quidem tu, ſi libebit, è Zopiro eius pædagogo verũ eſſe cognoſces. Verùm non conuenit obturbare in nuptiis, neque accuſare quenquã: præſertim criminibus vſqueadeò fœdis ac pudendis. Tametſi Diphilus dignus in quem facerem, quippe qui duos iam diſcipulos à me retraxerit: ego tamen ipſius philoſophiæ cauſa reticebo. Porrò famulo huic mandaui, vti ſi quam partem dare velles vel apri, vel cerui, vel placentæ, mihi deportandam, vt iſthoc pacto te mihi de cœna purgares, ne reciperet, ne ad hoc ipſum à nobis miſſus fuiſſe videatur. Hæc, amice, dum legerentur, ſudor interim vtique mihi manabat præ pudore, ſimúlque iam illud quod vulgò dici ſolitum eſt, optabam, vt terra mihi dehiſceret, quum viderem eos qui præſentes aderant, ad ſingulas epiſtolæ partes inter ſe ridentes, potiſsimùm autem hos qui nouerant Etœmoclem, virum canum, tantúmque ſeueritatis præ ſe ferentem. Admirabantur igitur, quòd eiuſmodi vir eſſet, hactenus fugiſſe ſeſe, barba videlicet ac vultus auſteritate deceptos. Cæterùm Ariſtenetus mihi quidem haud videbatur hominem contẽptu negligentiáve præteriiſſe, verùm quòd deſperaſſet, ſi fuiſſet inuitatus, vnquã adduci poſſe vt annueret, vtque ad eiuſmodi res ſe morigerum præberet, eóque ne tentandum quidẽ eſſe putaſſe. Ergo poſteaquã puer iam legere deſiiſſet, vniuerſum conuiuium in Diphilum ac Zenonẽ torquebant oculos, quòd hi iam metu trepidi ſederẽt, ac pallidi, ipſáque vultus inconſtantia ac perplexitate crimen agnoſcentes ab Etœmocle intentũ. Porrò Ariſtænetus quanquam eſſet ſanè perturbatus, vehementérque conſternatus animo, tamen nos iubebat bibere, conans nimirũ id quod euenerat, commodè vertere, ſubridẽs interim: ac puerũ redire iuſſit, reſpondens ea ſibi curæ fore. Paulò autem pòſt ſurgens & Zeno clanculum ſeſe abduxit è cõuiuio, ſubmonitus à pædagogo, vt diſcederet, innuẽte, idque tanquam patris iuſſu. Ibi verò Cleodemus, qui iamdudum occaſionem quæritabat (nam geſtiebat omnino cum Stoicis conflictari, verùm dirumpebatur quòd non reperiret cauſam ad id ſatis idoneam) tum igitur anſam præbente epiſtola, Huiuſmodi, inquit, facit egregius ille Chryſippus, & Zenõ ille mirabilis, neque non Cleantres, verbula miſera, neque quicquam præter rogatiunculas, & vmbras duntaxat philoſophorum: cæterùm Etœmocles ſum; pleriq; omnes. Videtis quàm & ipſæ epiſtolę graues ſint ac ſeniles. Poſtremò Ariſtænetus hic Oeneus eſt, Etœmocles Diana. Dii boni, quàm bene auſpicata omnia, quámque congrua celebrandæ feſtiuitati! Ita per Iouem, inquit Hermon, ſupra hunc accumbens: inaudierat autem, vt opinor, aprũ quendam Ariſtæneto paratũ, vt in conuiuio proponeretur, eóque putabat non intempeſtiuè factã mentionem apri illius Calydonii. at per Lares Ariſtenete, fac quamprimũ ſacri partẽ mittas, ne ſenex interim ille fame pereat, tanquam Meleager tabefactus. Tametſi nihil queat acerbum accidere, quandoquidem Chryſippus hæc indifferentia cenſet eſſe. Itáne vos Chryſippum nominatis? inquit Zenothemis, erigens ſeſe, maximáq; voce intonans: An ex vno homine, qui non legitimè philoſophiã exercet, nempe præſtigiatore iſto Etœmocle, Cleanthẽ ac Zenonẽ metimini, viros ſapiẽtes? At qui tandẽ eſtis ipſi vos, qui hęc dicitis? an nõ tu Hermon Caſtoris & Pollucis cæſariẽ, quã habebant auream, circuntondiſti? Cuius quidem facti pœnam dabis carnifici traditus. Tu porrò Cleodeme, nónne Soſtrati diſcipuli tui vxorem ſtupraſti? Nónne in adulterio eo depræhenſus, nefandiſsima paſſus es? An non igitur ſilebitis, cũ huiuſmodi dedecorum vobis ſitis conſcii? Atqui non ſum meæ ipſius vxoris leno, Cleodemus inquit, quemadmodum tu: neque diſcipuli diuerſantis apud me viaticum ſuſtuli quod is depoſuerat, eóque facto rapuiſſe me per Palladem deierans abnegaui: neque quaternis drachmis fœnero, neque diſcipulos obtorto collo in vincula duco, niſi in tempore mercedẽ perſoluerint. Verùm illud, inquit Zenothemis, haudquaquã poſsis inficias ire, te Critoni venenum quo patrem necaret, miniſtraſſe. Atque intereà fortè bibebat: quicquid autẽ erat in calice reliquum (erat autem ferme ſemiplenus) in duos illos profundebat. Porrò conſperſus eſt pariter & Ion, idque præmii tulit, quòd illis vicinus accumberet, alioqui eo malo nõ indignus. Hermon igitur demiſſo vertice merum è capite abſtergebat, eos interim qui præſentes erant, atteſtans, quòd id genus contumeliis eſſet affectus. Cleodemus autem cùm non haberet calicẽ, inuadens primum conſpuebat Zenothemin: deinde læua cõprehenſum à barba, plagam in tempus erat illiſurus, ac ſenẽ fortaſſe necaſſet, ni Ariſtænetus dextram ſublatam retinuiſſet. Is mox tranſcẽſo Zenothemide, inter vtrunque medius aſſedit, vt eo veluti muro dirempti, pacem inter ipſos agerent. Hæc igitur dum gerebantur, Philon, equidem varia meo cũ animo voluebam. Primùm illud ſtatim occurrebat, nullũ eſſe operæpretiũ, ſi quis diſciplinas perdiſcat, ni ſimul & vitæ rationes ad id quod eſt optimum, accommodet. atque componat: cùm viderem illos qui verbis alios antecellerent, quàm factis ipſis ſeſe ridiculos exhiberent. Deinde & illud veniebat in mentem, ne fortè verum eſſet quod vulgò plerique dictitarent, videlicet eruditionẽ à recta ratione bonáque inſtitutis abducere iſtos, qui ſolos libros ſpectarent, quíq; ſolicitudine curáque quã illi afferrent, perpetuò tenerentur: quandoquidẽ quum ibi tam multi præſentes eſſent philoſophi, ne caſu quidem vllũ erat cernere à peccando immunem: verùm alii faciebant turpia, alii dicebãt turpiora. Neque enim iam poteram eorum quæ fiebant culpam

Quomodo & quatenus philoſophandũ ſit.

vino authori imputare, mecum reputans ciuiusmodi essent quæ Etœmocles neq; cibo neque potu etiã dum gustato scripserat. Ita rerum vices præposteræ atque inuersæ videbantur. si quidem vidisses idiotas illos summa cum modestia conuiuium agitantes, neque vino petulantes, neque indecorè sese gerentes: at ridebant duntaxat, & iam damnabãt eos opinor, quos dudum suspexerant, ex habitu iudicantes eos alicuius esse pretii. Contrà sapientes illi, & in libidinem ferebantur: & conuiciis certabant, & supra modum sese potu cibísque explebant: postremò vociferabantur, & ad manus vsque conserendas rapiebantur. Cæterùm admirandus ille Alcidamas, etiã mebat sub oculis omniũ, nihil reueritus fœminas. Ac mihi quidem, si quis hæc quæ in eo conuiuio gerebantur, rectissimè voluisset cõferre, simillima videbantur iis quæ de Eride dea poetæ fabulantur: nempe hanc, quòd non esset ad Pelei nuptias aduocata, malum in mediũ conuiuium abiecisse, ex quo tam ingens apud Troiam bellũ fuerit ortum. Itidẽ Etœmocles mihi visus est epistola illa quasi malo quopiã in medium proiecta, non minus malorũ, quàm Ilias habebat, excitasse. Neque enim finem contentionis faciebant Zenothemis ac Cleodemus: quanquã medius inter vtrunque interceſſerat Aristænetus. Age, inquit Cleodemus, impræsentiarum quidem sat est si literas nescire conuincamini: sed crastino die vos vleiscar quibus cõueniet modis. Respõde mihi Zenothemi, vel tu, vel elegãtissimus iste Diphilus, qua tandem gratia pecuniæ possessionem inter indifferentia ponendam esse censetis, cùm ex omnibus nil aliud spectetis, quàm vt ipsi quamplurimũ pecuniæ possideatis, atque ob id causæ semper apud diuites hæretis, fœneratis, atque vsuris incumbitis, neque non mercede docetis? Rursum cur voluptatem detestemini, atque hac de causa Epicureos in ius vocetis: cùm ipsi voluptatis gratia, turpissima cum facitis, tum patimini: indignè ferentes si quis vos nõ vocarit ad cœnam. rursum si vocemini, non satis est tantum vorare vt cibo turgeatis, nisi & famulis tantum donetis. Atque hæc cum diceret, pariter & linteum reuellere conatus est quod Zenothemidis puer tenebat, omni carniũ genere refertũ: planéque futurũ erat, vt apertum illud ac solutũ medium in solũ abiiceret, nisi quia puer non omittebat è manibus, gnauiter aduersus trahentẽ retinens. Hic Hermon: Euge Cleodeme, respondeant qua gratia damnent voluptatem, cum ipsi supra cæteros omneis studeant voluptati. Quin magis, inquit Zenothemis, tu Cleodeme respondetõ quamobrem diuitias inter indifferentia numeres. Imò ru potius. Atq; hunc ad modum diutius est altercatum, donec Ion capite tandẽ in apertum prolato, Desistite, inquit. Ego, si libet, sermonum argumenta proponã in medium, conuiuio nuptiísque digna. Vos porrò citra contentionẽ vicisim & dicite, & auscultate: quemadmodum & apud Platonem nostrũ alternis dicendi vicibus res vt plurimùm agitatur. Id dictum probabant cum omnes qui aderant, tum in primis Aristænetus atque Eucritus, nimirum in spem erecti fore vt eo pacto ab odiosis illis cõtentionibus discedi posset. Et Aristænetus priorem in locum sese recepit, iam partam esse pacem ratus. Iámque nobis inferebatur ea conuiuii pars, absolutam cœnam vocant, singulæ singulis aues, carnes aprugnæ, pulpa leporina, pisces Tagenicus, placentæ: breuiter illa, quæcúque liberum est seu velis in alium condere, seu domũ asportare malis. Apponebatur igitur nõ sua cuique quadrula, verùm Aristæneto atque Eucrito eadem in parte mensæ vna ambobus communis, ita vt de sua vtriq; parte quæ se spectaret, esset edẽdum, aut tollendum. Deinde altera Zenothemidi Stoico & Hermoni Epicureo, & his item inter ipsos communis. Deinceps Cleodemo atque Ioni. Post hos sponso ac mihi. Porrò Diplio duorum pars apposita, propterea quòd Zeno iam discesserat. Hæc facito Philon vti memoria teneas. nam paulò pòst ad intellectum narrationis erunt vsui. PHI. Meminero sanè. LUC. Tũ Ion, Primus igitur exordiar, inquit, si quidem videtur. Deinde vbi paulisper intersiluisset, Conueniebat, inquit, fortasis, vt apud eiusmodi viros de ideis, atque incorporeis substantiis, déque animi immortalitate sermo haberetur: verùm ne mihi cõtradicant ii qui diuersam philosophiæ sectam sequuntur, de nuptiis dicam ea quæ cõgruunt. Atque illud quidem optimum fuerat futurum, si nuptiis opus nõ haberemus, sed Platonis ac Socratis dogma secuti, à fœminarum cõmercio nos penitus abdicaremus. Etenim qui ita fecissent, ii demum ad absolutam illam virtutem pertingere potuissent. Quòd si viris omnino ducendæ sint vxores, vt eas iuxta Platonicam sententiam inter se cõmunes habeant, videlicet quòd Zelotypia vacemus. Hæc quum essent risu excepta, vt quæ nimis intempestiuè dicerentur, tũ Dionysodorus: Non tu desines, inquit, barbarica ista nobis occinere? Nam vbi zelotypiam istam reperias, aut apud quẽ? At tu etiam hiscere audes, inquit, sterquilinium? Ad hæc Dionysodorus opinor, iam erat conuicia quę conueniebat, regesturus, verùm Grammaticus Istiæus vir optimus ille, Desinite, inquit, ego vobis epithalamion recitabo. simúlque cœpit legere. erant autẽ Elegiaci versus hi, si satis meminis

Nuper Aristæneti in ædibus vnica summo
Nutrita est studio diua Cleanthis hera,
Virginibus cunctis reliquis præstantior vna,
Vel potior Phœbe, vel potior Venere:
Salue & tu iuuenum validissime sponse valenssi,
Nereo prior, ac fortior Æacida.
At rursum vobis hoc carmen sæpius olim
Commune ambobus coniugiale canam.

Hæc, ita vt est consentaneum, risus est consecutus. Reliquum erat, vt cibi tollerentur. Iámque tollebãt Aristænetus atque Eucritus ex his quæ sibi fuerant proposita, suam vterque partem. Tum ego quæ mihi, & Chæreas item quæ sibi erant proposita. Eundẽ ad modũ Ion & Cleodemus. Porrò Diphilus etiam Zenonis digressi partem tollere parabat, affirmans vni sibi ea fuisse proposita: atque hac de causa cum ministris dimicabat, ac vicissim inter sese trahebãt, manibus vtrinque in auem iniectis, nõ aliter quàm Patrocli cadauer hinc atque illinc attrahere conantes. Postremò vicit ille, atque abstulit, plurimũ interim risum præbens cõuiuis: maximè cum eam ob rẽ postea grauiter stomachantur, perinde quasi atroci affectus iniuria. Iam verò Zenothemis atq; Hermon, qui pariter, vt dictum est, accumbebant, alter superiùs, puta Zenothemis, infra hunc, reliqua quidem, quoniã æqualia fuerant apposita, citra pugnã

sustulse

ſuſtulerant, cęterùm auis quæ iacebat ad Hermonis partem, erat altera paulo pinguior: idq; ita caſu euenerat, opinor. Iamq; ſuam vterque ſublaturus erat, ibi Zenothemis (ſed tu mihi nũc quàm maximè fac animum aduertas: iam enim ad ipſum negotii caput peruenimus) Zenothemis, inquã, omiſſa ea quę ſeſe ſpectabat, eam quę ante Hermonem iacebat, tollere eſt aggreſſus: quæ quidem (vt iam diximus) erat pinguiuſcula. At ille contrà nitens retinebat, haud ſinens vt ea in-re potiores ferret. Inter hæc clamore coorto, vtrique in alterum irruentes, ipſis auibus faciem mutuò cædebant: ac barbis inuicem præhenſis, auxilio aduocabant, hic quidem Cleodemum, puta Hermon: ille verò, nempe Zenothemis, Alcidamantem ac Diphilum. Ac cæteri quidẽ ad partes acceſſerunt, partim huius, partim illius, præter vnum Ionẽ, qui ſeſe neutrum atque ancipitem ſeruabat. Cæterùm illi inuicem conſerti pugnabant, ac Zenothemis quidem ſcyphũ è menſa ſublatum, eum qui coram Ariſtæneto ſtabat, abiecit in Hermonem,

Atque hunc haud tetigit, aliò ſed flexus aberrat: Verùm ſponſi caput diſſecuit alto grauiſsimóque vulnere. Itaque mulierum coorta vociferatio, quæ medium in prælium inſiliebant: cum primis autẽ adoleſcentuli mater, cum iam ſanguinẽ eius aſpexiſſet: præterea & ſponſa metu territa proſiliit. Inter hæc Alcidamas ſtrenuum virum præſtitit, cum Zenothemidi ferreo opẽ, & illiſo ſuo baculo, Cleodemi quidem caluariam, Hermonis verò maxillam comminuit: ad hæc è famulis aliquot opitulari parãtes, vulnerauit: quanquã illi nihil his rebus territi ceſſerũt: verùm Cleodemus intentato digito Zenothemidi oculũ effodit: tum admotus narem mordicus auulſit. Porrò Hermon Diphilum Zenothemidi ſuppetias ferre conatum, è ſponda in terram præcipitem dedit. Sauciatus eſt & Iſtiæus grammaticus, dum interuentu ſuo eos ſtudet dirimere: calice videlicet in dentes illius illiſo, idque à Cleodemo, cum hunc Diphilum eſſe credidiſſet, non Iſtiçum. Iacebat igitur miſer ille iuxta ſuũ ipſius Hostrum, ſanguinem ab ore vomẽs. Præterea tumultus atque lacrymarũ plena vndique erant omnia, dum & mulieres eiularent Chæreæ ſponſo circunfuſæ, dumque alii has ſtudent compeſcere. Porrò maxima malorũ omniũ pars erat Alcidamas, poſteaquam ſemel ad ſuum rediſſet ingenium, feriens quicunq; fortè in ipſum incidiſſet. Neque verò pauci in eo prælio cecidiſſent, ſcito, ni baculum is fregiſſet. Ego porrò iuxta parietem erectus aſſiſtens, ſpectabam omnia, neque me ei negotio admiſcebã, nimirũ Iſtiæi iam doctus exemplo, quàm eſſet periculoſum eiuſmodi conflictus velle dirimere. Lapithas itaque, Centaurósque vidiſſes, euerti menſas, effundi ſanguinem, proiici ſcyphos. Demũ Alcidamas ſubuerſa lucerna magnas induxit tenebras. Iámque res, vt eſt coniectu facile, atrocior etiam multò eſſe cœpit, præſertim cũ haud eſſet procliue luminis copiam alicunde recuperare: ſed multa interim ac ſæua patrata ſunt in tenebris. Pòſt vbi accederet neſcio quis lucernã tandem apportans, Alcidamas quidẽ repertus eſt tibicinæ veſtem ſuſtollens, víque cũ illa cõgredi pugnans. Dionyſodorus autem in alio quodam ridiculo facinore deprehenſus eſt. Nam vt ſurrexerat, ſcyphus è ſinu illius elapſus in ſolum decidit: poſtea excuſans aiebat Ionem in tumultu calicem ſublatũ ſibi tradidiſſe, ne periret. Id ita factum, Ion admodum ſolicitè quaſi patronũ agẽs aſſeuerabat. His rebus dimiſſum eſt conuiuium, à lacrymis denuò in ridiculum exitũ conuerſum, idque Alcidamantis, Dionyſodori, atque Ionis gratia. Porrò qui erant ſaucii, ſublati ſarcinæ ritu foras deportabãtur miſeris affecti modis, maximè ſenex ille Zenothemis, pariter tum oculo tum nare mutilatus, enecari ſe præ cruciatu clamitãs: adeò vt Hermon, quanquam ne ipſe quidem expers malorum, (nam huic duo dentes fuerant excuſſi) palàm atteſtaretur, Memineris, inquiẽs, ô Zenothemis, ne poſthac dolorẽ in mediis habẽdũ ducas. At ſponſus iam vulnere à Dionico curato, domum reuectus eſt faſciis reuincto capite, eidem impoſitus vehiculo, quo ſponſam fuerat abducturus. Atque ita miſer ille nuptias acerbas celebrarat. Deinde & aliis item Dionicus pro ſua virili remedium adhibuerat. Poſtremò poſtquam iam dormierant, aſportati ſunt plerique mediis in viis vomentes. Cęterùm Alcidamas inibi remanebat. Neq; enim valebant hominem extrudere, poſteaquam ſemel ſeſe in ſpondam abiecerat, atque ibi tranſuerſus accubuiſſet. Hic erat, ô bone Philon, eius exitus conuiuii, de quo rectiſsimè illud dici poſsit, quod in fine Tragœdiarum nonnunquam accinitur:

Sunt fortunæ varii caſus.
Plurima quæ haud ſperaueris vnquam,
Ea conficiunt numina diuũm.
Rurſum quæ certò ſperaris,
Ea fruſtratò non contingunt.

Siquidem & hæc planè præter expectationem atq; inopinatò exierunt. Præterea & illud iam didici, non eſſe tutum, cui non ſit opus, cum eiuſmodi philoſophis agitare conuiuium.

DE SYRIA DEA,

Iacobo Micyllo interprete.

Argvmentvm.

Argumentum operis ipſe titulus indicat. Deſcribit enim Syriæ deæ & templum, & ſacra, & effigiem quoque, facto narrationis initio à collatione reliquorum templorum ſacrorúmq; quæ in Syria ſunt. Ac primùm quidem in genere commẽdat templi deæ huius, à ſanctitate, miraculis, & opulentia. Deinde ſpeciatim commemorat & de origine eius, quando videlicet, & à quibus conditũ tradatur, & quanã ipſa dea eſſe à pleriſque putetur. Poſt hæc de ede tẽpli, à quibus ea extructa fuerit, quæ eius forma, qui ſitus ſit. Item de ſignis ac ſtatuis quæ tum intra ædem, tum extra viſantur. Poſtremò autem & de ſacerdotibus deæ, de lacu & piſcibus ſacris, ad quos ſimulacra deorum veluti per pompam quandam viſendi cauſa quotannis exeunt. Præterea & de panegyricis conuentibus qui ibi celebrentur, de Gallis, & eorum ceremonijs, déque ſacrificandi ritu ac legibus, inſertis ſuo loco & Antiochi & Combabi hiſtorijs, quorum alter Stratonicen nouercam amauit: alter ob euitandam eiuſdem rei ſuſpitionem ſibi ipſi virilia præcidit. Atque in his nonnulla, vt videlicet illa de area Nec (quẽ Lucianus, vt ceteri Græci quoque, Deucalionem hic vocat) de Gallorum & ſacerdotum purificatione, de vetito porcorum eſu, & id genus

alia ita tradantur, vt propemodum credi possit ex Iudeorum obseruationibus ac sacris pleraque illa transsumpta, sed tempore postea vsuq; adulterata ac depranata fuisse, siue hoc populorum vicinitate atque commercio factum demus, siue Barbari isti ad eorum exempla quæ à Iudæis tunc cum in Assyria captiui erant, videbant fieri, suos quoq; ritus conformarunt. Assyriorum enim & hæc ciuitas fuit, in qua tam prodigiosa dea culta est, ea parte quæ Cœlesyria à Plinio dicitur, condita: cuius nomen Stephanus quidem Hieram, hoc est sacram absolute, Strabo autem & Plinius iuncta voce Hierapolin vocat, quod hic Lucianus Ionica dialecto, qua per totam hanc descriptionem vtitur, in polin hieram, hoc est ciuitatem sacram per tmesin diuisit: Eandem autem & Bambycem vocat, & Edessam, quod posterius nomen Strabo addit, & à Syris ipsis Magog, vt Plinius habet, appellari tradunt, ipsamque deam quam Lucianus simpliciter Syriam vocat, proprio nomine Atergatin, & à Græcis decreto quoque nominari scribunt. Cæterum de Atergatide nō alienum opinor fuerit etiam illa huc apponere, quæ apud Athenæum leguntur, quando & ipsa ad vberiorem intellectum eorum quæ hic à Luciano dicuntur, nonnihil facere videntur. Verborum eorum sententia hæc est: Antipater Tarsensis, inquit, professione Stoicus, libro περὶ θεσμῶν, hoc est de religione, quarto, dici à quibusdam tradit, quod Gatis Syrorum regina, ita gulæ dedita fuerit, vt per præconem edixerit ne quis piscem aliquem absque Gatide comederet. Per ignorantiam igitur plerosque Atergatin ipsam vocare, atque à piscibus abstinere. Mnaseas autem in secundo de Asia ita ait: Mihi quidem Atergatis videtur regina adeo intolerabilis fuisse, ac multa diuiti populis suis imperasse, ita vt lege quoq; cauerit illis, ne quæ pisces ederent, sed ad ipsam afferrent, eò quod hoc cibi genere delectaretur. Atq; inde etiam in sacrificiis solenne hoc manasse, vt quoties deam precarentur, pisces illi argenteos aut aureos offerrent, sacerdotes vero etiam tota die veros deæ pisces in mensa paratos ac coctos apponere, elixos pariter & assatos, quos ipsi postea sacerdotes deæ absumat. Ac paulo post ide addit: Atergatis autem, quemadmodum Xanthus ille Lydus tradit, à Mopso quodam Lydo capta vnà cum filio Ichthye, in lacu Ascalone contumeliæ causa submersa, & à piscibus deuorata est. Hæc Athenæus lib. 8. Præterea neque illud omittendum videtur, quòd Edessam tradit Volaterranus eam esse vrbem, in quam Tobias olim filium suū ad Gabelum quendam, apud quem pecuniam deposuerat, misit. Quod si verè ab illo traditur, eademque Edessa & Hierapolis dicitur, vt Straboni placet, manifestum ex eo iam apparet, & Iudæos ibi captiuos vixisse, & illorum obseruationum vestigia quoque quædam eodem loco hæsisse, sed hæc in medio relinquamus.

ἄτεργατιδος, id est absque Gatide, quæ verba iuntia Atergatidis nomē facere.

EST in Syria ciuitas non longè ab Euphrate flumine, vocatur autem Sacra, & est quoque sacra Iunonis Assyriæ: cæterum nomen hoc videtur mihi non statim ab initio vrbi, cum condita est, impositum fuisse, sed antiquitus quidem aliud fuisse, postea verò cum sacra ibi magna subinde peragerentur, in hoc cognomentum euasisse. De hac igitur ciuitate venio dicturus, quæcunque videlicet in ipsa sunt. Dicam autem & leges, quibus in sacris vtuntur, & solennes conuentus, quos celebrant, & sacrificia quæ peragunt. Dicam autem & quæcunque de illis traduntur qui templum hoc consecrarunt, & de ede ipsa quo pacto condita fuerit. Scribo autem Assyrius ipse existens: & eorum quæ narro, alia quidem ipse coràm vidi, alia verò à sacerdotibus edoctus sum. Quæcunque igitur antiquiora me sunt, ab iis narrationem incipiam. Primi itaque hominum, quos nos scimus, Aegyptii, dicuntur & deorum notitiam percepisse, & templa constituisse, lucósque & conuentus solennes edidisse. Primi autem & nomina sacra intellexerunt, & sermones sacros docuerunt. Deinde verò nō multo tempore pòst, ab Aegyptiis Assyrii doctrinam de diis acceperunt, & sacra templaque erexerunt, in quibus & simulacra posuerunt, & statuas dedicarunt. Antiquitus autem etiam apud Aegyptios absque simulacris & statuis templa erant. Et sunt in Syria quoque templa non multo Aegyptiis ætate posteriora, quorum ego plurima ipse vidi. Herculis vtique æquæuum est illud videlicet quòd Tyri est non huius Herculis quem Græci carminibus celebrant: sed quem ego dico, multò vetustior est, & Tyrius heros. Est autem & aliud templum in Phœnicia, magnū, quod Sidonii celebrant, Astartæ, vt quidem ipsi dicunt. Astarten autem ego puto Lunam esse. Cæterùm vt mihi ex sacerdotibus quidam narrauit, Europæ illud est, Cadmi sororis. Hanc autem fuisse ferunt Agenoris regis filiam, & postquam amplius non comparuit, Phœnices ipsam templo honorarunt, & sermonem de ea sacrum euulgarunt, quòd videlicet pulchra cū esset, Iupiter amore eius captus fuerit, & mutata in taurum forma, rapuerit eam, & in Cretam inde abierit deportarit. Atque hæc quidem etiam à cæteris Phœnicibus audiui: & nomisma quoque quo Sidonii vtuntur, Europam habet insidentem tauro, Ioui videlicet. Cæterùm ipsam ædem non omnes confitentur Europæ esse. Habent autem & aliud templū Phœnices, non Assyrium, sed Aegyptium, quòd ex Heliopoli in Phœniciam peruenit: quod ego quidem ipse non vidi, sed tamen magnum etiam hoc & peruetustum est. Porrò & Bybli vidi templum magnum Veneris Byblię cognomento, in quo & ritus quosdam in Adonidem peragunt. Cognoui autem & ipse ritus eos. Dicunt igitur factum illud quo ab apro percussus Adonis fuit, in sua terra contigisse, & in memoriam rei verberantur annis singulis, & lamentantur, & ritus solennes peragit, ac ipsis magni adeò luctus per totam regionem indicuntur: Postquam autem iam verberandi ac deplorandi finis factus est, principiò quidem inferias Adonidi peragunt, perinde ac mortuo tum existenti, postea autem sequenti die & viuere ipsum dicitant, & in aerem sursum mittunt, & capita deraudent, quemadmodum Aegyptii quādo apud ipsos Apis mortuus est. Ex mulieribus autem quæcunque tonderi non volunt, talem pœnam exoluunt: vnum quidem diem ad quæstum corpore faciendum præstant. Forum autem illud solum peregrinis exhibetur & quod inde mercedis auferunt, hoc Veneri in sacrificium datur. Sunt autem ex Byblis nonnulli qui dicūt apud sese humatum esse Osirim Aegyptium, luctusque & ritus hosce non Adonidi, sed Osiridi omnes fieri. Dicam autem & vnde fidem eius rei ibi faciant. Caput vnoquoque anno ex Aegypto Byblum defertur, septem diebus, quātum spatii ex illa in hanc est, enatans. Ac venti ipsum ferunt diuina quadam remigatione. Vertitur autem nusquam aliò, sed solùm

Hercules Tyrius.

Astarte.

Venus Byblia.

lùm Byblum perfertur, & eſt in ſumma mirũ quiddam. Et hoc quouis anno fit, quemadmodum & me præſente tum Bybli factum eſt, & caput ipſum ſpectaui è papyro effigiatum. Eſt autem & aliud miraculoſum in terra Bybliorum. fluuius quidam ex Libano monte in mare defertur, fluuio nomẽ eſt Ado
Adonis fluuius. nis. Hic quotannis cruore inficitur, & colorẽ amittit, & in mare exiens, ipſum quoque pelagus magna ex parte purpureum efficit, Bybliiſque lugendi tempus indicat. Fabulantur autem quòd illis tum diebus Adonis per Libanum ſaucietur, & cruor illius in aquam delatus, fluminis colorem mutet, eidémque nomen præbeat. Atque hæc quidem vulgò dicitant: cæterùm mihi vir quidam Byblius, qui vera dicere viſus eſt, aliam quandam huius rei cauſam narrauit. Dicebat autem hoc paſto: Fluuius hic Adonis, ô hoſpes, per Libanum defertur. Libanus autem ipſe terram habet admodum rubeam. Venti igitur vehementiores illis tum diebus exorientes, terram in fluuium deferunt, quæ tum maximè minio ſimilis eſt, ea poſtea illum cruentum videri facit. Atque ita rei huiuſce cauſa haudquaquam cruor eſt, vti ferunt, ſed terra. Ac Byblius quidem tantum narrabat. Quòd ſi autem vera iſta dixit, mihi quidem videtur diuinus adeò etiam venti iſte tum ortus incidere. Cæterùm aſcendi & in Libanum ex Bybli, itinere vnius diei, cum audiſſem ibi antiquum templũ Veneris eſſe, quod Cinyras dedicaſſet. Ac vidi ſanè templum, erátque peruetuſtum. Atque hæc quidem in Syria ſunt templa antiqua, & magna. Quæ cum multa adeò ſint, nullum tamen, quantum mihi videtur, maius eo eſt quod in Sacra ciuitate habetur, neque etiam ædes alia ſanctior, aut terra magis ſacra vſpiam eſt. Sunt autem & opera in eo pretioſa, & donaria antiqua, & miraculoſa multa, & ſtatuę religioſæ, & dii quoque ex ipſis manifeſtam adeò ſui ſignificationem dantes. Siquidem & ſudorem ipſis emittunt ſtatuæ, & mouentur, & oracula edunt, & clamor ſæpenumero in æde coortus eſt cùm templum iam clauſum eſſet, multíque audierunt. Iam verò & diuitiis inter ea quæquidem ipſi vidi, primùm atque præcipuum eſt. Nam multæ afferuntur ipſis opes tum ex Arabia, tum à Phœnicibus & Babyloniis, & aliæ item ex Capadocia, & quæcunque Cilices afferunt, & quæcunque Aſſyrii. Vidi autem ego etiam ea quæ ſecretò in æde poſita ſunt, veſtes videlicet multas, & alia quæcunque argento aut auro ſeorſim deputata ſunt. Nam feſta quidem & ſolennes conuentus haud vllis aliis hominibus æquè multum peraguntur. Porrò inquirenti mihi de annis, quàm diu templum hoc duraſſet, & de Dea, quámnam ipſi eam eſſe putarent, multi ſermones ferebantur, quorum alii ſacri tradebantur, alii aperti ac plani erant, alii contrà valde fabuloſi: rurſum alii Barbari, alii cũ Græcis conſentientes: quos ego omnes quidem referam, haudquaquam autem approbo. Complures igitur Deucalionem Scytham illum tradunt templum hoc conſecraſſe, eum puta Deucalionem, cuius temporibus aquarum diluuium fuit. Cæterùm de Deucalione inter Græcos ſermonẽ quem illi de eo referũt, audiui. Habet autẽ ſermo ille hoc pacto: Hanc hominum generationẽ quæ nunc eſt, ab initio haudquaquam fuiſſe, ſed eam quæ tum fuit, totam interliſſe. Hos autem homines qui nunc
Deucaliõ, & de diluuio.

ſunt, ſecundi generis eſſe, eius quod rurſus à Deucalione in tantam multitudinem excreuit. De illis autem hominibus, huiuſmodi quædam traduntur. Cùm contumelioſi admodum eſſent, nefaria opera eos perpetraſſe. Neque enim iuſiurandum obſeruaſſe, neque hoſpites recepiſſe, neque ſupplicum miſertos eſſe. Ob quam rem, maximam calamitatem ipſos mox conſecutam eſſe. Statim enim & tellus multam aquam effudit, & imbres magni fuerunt, & flumina ſolito maiora decurrerunt, & mare quoque in multum aſcendit, eò vſque, dum omnia aquis inundarentur, atque omnes perirent. Deucalion autem ſolus hominum relictus fuit, in ſecundam videlicet generationem, prudentiæ ſimul & pietatis gratia. Seruatus autem fuit hoc pacto: Arcam quandam magnam, quam ipſe habebat, impoſitis in eam & liberis, & vxore ſua, conſcendit. Cæterùm cum ipſe ingrederetur, venerunt eódem & apri, & equi, & leonum genera, & ſerpentes, aliáque quæcunque tellure paſcuntur, bina ex vnoquoque genere cuncta. Ille autem recepit ad ſe omnia, atque ea ipſum haudquaquam lædebant, ſed magna inter eos, Ioue ita diſpenſante, concordia erat, vnáque in arca omnes naulgabant quandiu aqua ſuperabat. Atque hæc quidem de Deucalione Græci tradunt. De iis autem quæ mox conſecuta ſunt, fertur alius quidam ſermo ab iis qui Sacram incolunt ciuitatem, magna certè admiratione dignus: quòd in ipſorum videlicet terra hiatus quidam factus fuerit, ac totam illam aquam abſorbuerit. Deucalion autem, vbi hæc ita facta ſunt, & aras conſtituit, & ædem ſupra hiatum illum Iunoni ſacram erexit. Ego verò etiam hiatum vidi, & eſt ſub æde illa, admodum exiguus quidem. Vtrum autem antiquitùs etiam maior fuerit, & nunc in tam paruum redactus ſit, equidem neſcio. Is vtique quem ego vidi, paruus eſt: ſignum autem quo fidem hiſtoriæ huic faciant, hoc peragunt: Bis vnoquoque anno ex mari aqua in ædem defertur. Ferunt autem illam non ſacerdotes modò, ſed tota Syria, & Arabia: & qui trans Euphratem incolunt, multi homines ad mare deſcendunt, atque omnes inde aquam afferunt. Ac primò quidem in æde effundunt illam, poſtea autem in hiatum defluit, recipíſque lacus ille quamuis exiguus immenſſam vim aquæ. Atque hæc ita facientes, Deucalionem ritum ac legem templi iſtam inſtituiſſe ferunt, ad teſtandam cladis pariter & beneficii memoriam. Veuſtior igitur ſermo de templi origine talis quidem fertur. Alii autem Semiramidem Babyloniam illam, cuius multa paſſim opera per Aſiam extant, etiam hanc ſedem conſecraſſe putant, cæterùm non Iunoni, ſed matri ſuæ, cui nomen Derceto fuit. Dercetus autem imaginem in Phœnicia vidi, ſpectaculum planè peregrinum, altera quidem parte mulierem, altera verò, quantum à femoribus ad imos pedes protenditur, in piſcis caudam deſinentem. At hæc, quæ in Sacra ciuitate eſt, tota mulier eſt. Porrò argumenta quibus huic narrationi fidem faciunt, non ita clara habent. Piſces rem ſacram exiſtimant, neque vnquam piſces attingunt. Deinde & aues, alias quidem edunt, columbam autem ſolam non edunt, ſed hæc ſacra ipſis eſt. Et quòd hæc ita fiant, placet ipſis Dercetus & Semiramidis gratia fieri: alte-
Derceto.

rum quidem, quòd Dercetò piſcis formam habet: alterum autem, quòd Semiramis ad poſtremum in columbam verſa eſt. At ego ipſam quidem ædem Semiramidis opus eſſe, fortaſsis permiſerim, Dercetus autem ſacram eſſe haudquaquam credo, quandò & apud Aegytios nonnulli ſunt qui piſcibus non veſcuntur, idque in gratiam Dercetus minimè faciunt. Fertur autem & alius ſermo ſacer, quem ego à ſapiente quodam viro audiui: quòd videlicet ipſa dea Rhea ſit, templum autem Attæ opus. Atten vocat, quẽ alii Atyn tertia declin. Porrò Attes genere quidem Lydus fuit, primus autem ſacrorum ritus quibus Rhea coleretur, tradidit. Ac quibus Phryges & Lydi & Samothraces in ſacris vtuntur, ea omnia ab Atte acceperunt. Poſtquam enim ipſum caſtrauit Rhea, vitam quidem virilem agere deſiit, formam autem fœmineam aſſumpſit, veſtémque muliebrem induit. Atque ita per omnem terram obambulans, & ſacra peragebat paſsim, & quæ paſſus eſſet, narrabat, Rheámque celebrabat. Inter quæ & in Syriam venit. Cæterùm cum illi qui trans Euphratem incolunt homines, neque ipſum, neque ſacra eius reciperent, hoc in loco templum conſtituit. Ac multa ſigna adſunt deæ, quæ ipſam Rheam videri faciunt. Nam & leones ipſam ferunt, & tympanum habet, & coronam in capite turritam geſtat, qualem & Lydi Rheam effigiant. Dicebat autem & de Gallis idem, qui in templo ſunt, quòd Galli Iunoni quidem haudquaquam, Rheæ autem caſtrari ſoleant, & Atten imitentur. Cæterùm hæc mihi conuenientia quidem videntur eſſe, vera autem non, quoniam de caſtratione aliam quoque audiui cauſam, multa hac fide digniorem. Placent verò mihi hæc quæ de templo dicunt, in quibus cum Græcis conſentiunt, deam quidem Iunonem putantes eſſe, ipſum autem opus Dionyſii, eius qui ex Semele natus fuit. Nam & Dionyſius in Syriam venit, eo videlicet itinere, quo in Aethiopiam eſt profectus. Et ſunt multa in templo eius indicia, quæ ipſum authorem comprobant: inter quæ & veſtes Barbaræ, & lapilli Indici, & Elephantorum cornua, quæ ille ex Aethiopia tulit. Etiam Priapi ſtant in veſtibulis, duo admodum magni, qui tali Epigrammate inſcripti ſunt:

Hos poſui Bacchus tibi Iuno nouerca Priapos.

Ac mihi quidem vel iſta ſufficiunt. Cæterùm dicam & aliud, quo ritu videlicet Dionyſii ſacra in æde peragant. Priapos Græci (quos Phallos ipſi dicunt) Dionyſio erigunt, in quibus & tale quiddam portant, viros puta exiguos, ex ligno effigiatos, magnam virilia habentes. Vocantur autem *Neuroſpaſta hæc. Eſt igitur & hoc in templo illo. Nam ad dextram ædis partẽ ſedet exiguus vir ex ære factus, habens virile magnũ. Ac tantũ de illo, quod ad conditores templi attinet, tradunt. Iam verò & de æde dicã, & de ſitu eius, quo pacto ædificata ſit, & quiſnã illam ædificauerit. Dicunt igitur ẽdẽ illã quæ à principio fuit, haudquaquam eam eſſe quæ nunc eſt, ſed antiquiorem illam quidem ſucceſſu temporum collapſam eſſe, hanc autem quæ nunc eſt, Stratonices opus eſſe, vxoris regis Aſſyriorum. Videtur autem mihi Stratonice illa eſſe, quæ à priuigno amata fuit, cuius amorem medici induſtria deprehendit. Poſtquam enim ipſum ægritudo hæc inuaſerat, dubius animi, propterea quòd illi malum hoc turpe videretur, ſilentio rem premens, morbò decumbebat. Iacebat autem nullo quidem certo dolore affectus, veruntamen & color eius omnino immutabatur, & corpus in dies marceſcebat. Medicus autem vt ipſum aſpexit, nullum manifeſtum morbi indicium præ ſe ferentem, amorem eſſe morbum cognouit. Amoris autem occulti multa indicia ſunt: oculi videlicet languentes, & vox, & color, & lacrymæ. Quæ omnia cum ille in hoc animaduertiſſet, huiuſmodi quædam facit. Manu quidem dextera adoleſcentuli cor tenebat: eos verò qui in domo erant, omnes intrò in cubiculum vbi ille decumbebat, vocabat. Ille igitur cæteris quidem ingredientibus omnibus cum ſumma quiete iacebat: at vbi nouerca adueniebat, tum demum & colorem mutare, & ſudorem emittere incipiebat, tremoréque corripiebatur, & ei cor ſubſultabat. Quæ cum ita fierent, manifeſta amoris indicia medico præbebant. Ac ipſum hoc pacto ſanitati reſtituit. Aduocato adoleſcentis patre, qui admodum tum filii cauſa ſolicitus erat: Hic morbus, inquit, haudquaquam morbus eſt, ſed iniuria quædã. Nam ille quidem dolore neutiquam premitur, ſed amor ipſum & vecordia tenent. Expetit autem ea quæ illi haudquaquã aſſequi licet. Vxorem enim meã amat, quam ego minimè dimiſſurus ſum. Atque hac ille tum prudentia mentiebatur. Pater autem continuò precari cœpit: Per prudentiam ego te tuam, péreque ipſam medicinam obteſtor, ne mihi perditum eas filium. Non enim ſua ſponte hoc malo tenetur, ſed morbus illi inuito hic accidit. Quare tu nequaquam æmulando velis luctum toti regno concilire: néue, medicus cum ſis, hanc homicidii notam inurere medicinæ. Atque hoc pacto ignarus ille, tamen precabatur. Alter autem reſpondens ei rurſum, Nefaria, inquit, moliris, coniugem meam à me auferre quærens, & homini medico vim faciens. Tu verò quónam pacto ipſe affectus eſſes, ſi quis vxoris tuæ deſiderio teneretur, quandò nunc iſta à me poſtulas? Tum ille ad hæc reſpondit, quòd neque ipſe vxori vnquam parſurus fuiſſet, neque filio ſalutem inuideret, etiam ſi nouereæ deſiderio teneretur. neque enim parem iacturam eſſe, vxorem, ac filium amittere. Quę cum medicus audiſſet, Quid igitur me, inquit, obteſtaris? Etenim tuæ ille vxoris deſiderio tenetur. Et quæ ego tibi modò dicebam, omnia falſa fuere. Adducitur itaque hiſce pater, ac filio quidem & vxorem relinquit, & regnum: ipſe verò in terram Babyloniam abiit, & ciuitatem ſupra Euphratem, cognominem ipſi, condidit, vbi & mortem poſtea obiit. Atque hoc quidem pacto cum medicus amorem cognouit, & curauit. Stratonice verò hæc, cum adhuc priori merito cohabitaret, ſomnium tale vidit: Viſa eſt ei Iuno iubere ædem illam in Sacra ciuitate extruere ſibi, & ſi minus parèret, multa malaque ipſi comminari. Illa verò principiò quidem nullam ſomnii huius rationem habuit: poſtea autem vt ipſam grauis morbus corripuit, & viro viſionẽ expoſuit, & Iunonem placare cœpit, ædémque ſe illam condituram eſſe promiſit. Aceſtatim vbi conualuit, maritus ipſam in Sacram ciuitatem miſit, cum ipſa autem vnà & pecunias, & exercitum magnum, partim ædificandi cauſa, partim enim ſecuritatis gratia.

*Quo nomine & imagũculæ vocãtur apud Græcos quæ fidiculis tractæ vel ſaltant, vel alios motus referunt. Vide Vale. lib. 5. ca. 7.

gratia. Vocato autem quopiam ex amicis, homine adoleſcente admodum formoſo, cui nomen erat Combabo, Ego te, inquit, Combabe, vtpote probum, ex omnibus amicis diligo maximè, & cum ob prudentiam, tum ob beneuolentiam erga me tuam, quam & præſtitiſti, laudo in primis. In præſentia autem opus mihi eſt magna fide: quare te volo cum vxore mea hinc profectum, & ædificium abſoluere mihi, & ſacra peragere, & exercitui præeſſe. Cæterùm vbi reuerſus fueris, magnis à nobis honoribus afficieris. Ad hæc igitur Combabus ſtatim precari cœpit, multis obteſtans Regẽ, ne ſe mitteret, néve ſibi crederet pecuniam multo ſuis facultatibus maiorem: déinde & vxorem, & opus ſacrum. Cæterùm illud formidabat, nequãdo progreſſu temporis zelotypia erga Stratonicen ipſi pareretur, vt quam ſolus inde abducturus erat. Cæterùm vbi illum haudquaquam permouit, ſupplicare iterum cœpit, quò ſibi ſpacium ſeptem dierũ permitteret, ac déinde vbi ea perfeciſſet quibus maximè opus haberet, ablegaret. Quod cum facilè impetraſſet, domum ſuam abit, & procidens in terrã, huiuſcemodi quædam cum fletu eiulauit: O me miſerum, quò mihi hac fide! quò mihi autem via iſta, quam nunc poſtremùm aſpiciam! Adoleſcens equidem ego, & cum muliere formoſa proficiſcar! Hæc mihi magna verò calamitas erit, niſi omnem mali cauſam à me amoueam. Quare neceſſe eſt magnum peragere me facinus, quod mihi metũ omnem hũc ſubleuet ac curet. Hęc ita effatus, ſe ipſum inutilem ac mancum reddidit, amputatiſque virilibus, in anguſtum quoddam vaſculum ea incluſit, myrrha pariter & melle, aliiſque odoramentis additis. Déinde vbi & annulo, quem geſtare ſolebat, obſignaſſet illud, vulnus curabat. Poſtea verò cum ipſi iam tempus videretur vt proficiſceretur, ad regem veniens, multis aliis præſentibus dat illi pariter & vaſculum, & dicit in hunc modum: Hoc ego vaſculum, Domine, inter prečioſiſsima domi repoſitum habui, ídque in primis amabam. Nunc autem, quando magnum adeò iter ingredior, apud te deponam. Tu verò fac vt tutum ac cuſtoditũ mihi præſtes, nam hoc auro potius mihi eſt, eodémque precio cum anima ipſum æſtimo: vt poſtquam rediero, ſaluum & incolume iterum recipiam. Ille verò acceptum altero quoq; annulo obſignauit, & quæſtoribus aſſeruandum & cuſtodiendum tradidit. Combabus igitur poſt illa ſecurum iter peragebat. Cæterùm cum iam ad Sacram ciuitatem veniſſent, ædem ſumma cura extruxerunt: atque ipſis dum in opere ſunt, anni tres elabuntur: intra quos illa quæ Combabus tantopere metuerat, euenere. Nam Stratonice, poſtquam ille multo iam tempore cum ea conuerſaretur, amare illum cœpit, mox etiam grauiter in illum ex amore inſaniit. Et ferunt, qui Sacram ciuitatem ineolunt, Iunonem eius rei cauſam extitiſſe: ac Combabum quidem vt bonum virum haudquaquam latuiſſe: Stratonicen autem vltam eſſe, eò quòd non ſtatim ac facilè ædem illam promiſiſſet. Porrò illa principiò quidem modeſtè ac temperanter ſe gerebat, morbúmque celabat: poſtea verò vbi malum illi hoc in maius quàm vt tegi ſilentio poſſet, accreuit, manifeſtè adeò conficiebatur, flebatque continuè, ac Combabum vocabat. Atque illi tum omnia Combabus erat. Poſtremò autem cum inopia conſilii nullum huic malo remedium inueniret, honeſtam atque idoneã compellandi illius viã quærere cœpit. Próinde eũ alteri quidem vlli amorem fateri abhorreret, ipſa autem aggredi illum coram verecundia prohiberetur, huiuſcemodi quædam animo cogitare cœpit, vt poſtquam videlicet vino ſeſe inebriaſſet, in colloquium cum illo veniret. Pariter autem cum vino ingrediente, & loquendi fiducia accedit, & non impetraſſe quod poſtularis, non ita magnus pudor eſt, ſed eorum quæ aguntur, ſingula in obliuionem retrò abeunt. Poſtquam igitur apud ſe iſta conſtituerat, faciebat quoque: & cum cœna peracta diſceſſiſſent, ad ædes, in quibus Combabus diuertebatur, veniens, obteſtabatúrque illum, & genua eius præhenſabat, & amorem fatebatur. Ille autem orationem eius ægrè ac difficulter admittebat, ipſúmque opus detrectabat, denique & ebrietatem illi exprobrabat. At verò cùm illa neſcio quod magnum malum in ſe ipſam facturam eſſe ſe minitaretur, adductus metu, totam illi rem manifeſtam fecit, & quicquid à ſe ipſe paſſus eſſet, enarrauit, ipſúmq; opus in lucem protulit. Videns igitur Stratonice ea quæ nunquam futura putaret, à furore quidem illo in præſens ita deſtitit, amoris autem haudquaquam oblita eſt, ſed per omnia conuerſando illi, hanc quaſi quandam conſolationem amoris, cuius effectum conſequi nequiuerat, quærebat. Eſt autem amor hic in Sacra ciuitate, & etiã nunc durat, vt Gallos quidem concupiſcant mulieres, & viciſsim Galli in mulieres depereant, neque tamen quiſquam zelotypia ſiue æmulatione aliqua commoueatur, ſed ipſis res hæc in primis ſacra cenſetur. Porrò hæc in Sacra ciuitate circa Stratonicen ita geſta, regem haudquaquam latuere, ſed complures venientes, accuſabant illos, & quæ facta eſſent, commemorabant. Quocirca dolore accenſus, ab opere, quanquã adhuc imperfecto, Combabum reuocauit. Alii autem ſermonem quendam neutiquam verum recenſent, quòd videlicet Stratonice poſtquam ea conſequi quæ expetiuerat, nõ potuiſſet, ipſa ad virum ſcribens, Combabum vltro accuſarit, tanquam qui ad ſtuprum ipſam ſolicitaſſet. Et quod Græci de Sthenebœa dicunt, & de Phædra Cretenſi, hoc idem & Aſſyrii de Stratonice confitentur. Ego quidem igitur neq; Stheneboeam credo, neque Phędram talia perpetraſſe, ſi modò Hippolytum Phædra verè amauit. ſed hæc in medio, ita vt ſunt, relinquamus. Cæterùm vbi nuncius in Sacram ciuitatem peruenit, Combabus & cauſam reuocationis agnouit, & animo fidente ad regem abiit. nam illi defenſio domi relicta erat. Ac veniẽtem ipſum continuò rex compræhendi iuſsit, & in cuſtodia tenuit. Poſtea autem præſentibus amicis; qui tum quoque vnà adfuerant quando Combabus emittebatur, adductum illum in medium accuſare cœpit, adulteriúmque & intemperantiam vitæ obiecit. Admodum autem grauiter commotus, & fidem inuocabat, & amicitiam, dicens tripliciter Combabum iniuriam feciſſe, vt qui & adulterium commiſiſſet, & fidem fregiſſet, & in deam impius fuiſſet, in cuius opere huiuſcemodi perpetraſſet. Multi autem adſtantes coargue-

bant ipſum, quòd videlicet manifeſtè vidiſſẽt ipſos mutuò congredientes. Omnibus itaque poſtremò videbatur quamprimũ morte afficiendus eſſe Combabus, vt qui capitalia peregiſſet. Ille verò hactenus quidem ſtabat nihil dicens: poſtquam autem ad ſupplicium & cædem iam ducebatur, tum demum loqui cœpit, & depoſitum vaſculum repopoſcit, illud addens, quòd non contumeliæ aut nuptiarum cauſſa interficeret ipſum rex, ſed quòd ea quę abiẽs apud illum depoſuiſſet, hoc pacto retinere cuperet. Ad hæc igitur rex, vocato quæſtore, iuſsit afferre ea quæ cuſtodienda ei tradidiſſet. Ille vbi attulit, reſignato Cõbabus ſigillo, ea quæ incluſa fuerant, commonſtrauit, & quæ ipſe paſſus eſſet, expoſuit, atq; ita dixit: Nimirum iſta, ô rex, veritus ego quando me primùm ad hoc iter ſuſcipiendum mittebas, inuitus ibam: ac poſtquam magna neceſsitate à te compulſus fui, talia peregi, vtilia quidem domino, mihi verò nõ ita felicia ac bona. At verò talis cùm ſim, tamen contumeliæ in virum coniugem accuſor. Ille autem ad hæc ſtupefactus, amplexatus pariter ipſum eſt, & dixit: O Combabe, cur magnũ hoc malum perpetraſti? cur autem teipſum indigno adeò facinore ſolus virorum deformaſti? Non ita prorſum laudo hæc, ô infelix, qui talia quidem ſuſtinuiſti, qualia vtinam neq; te pati, neq; me aſpicere vnquam contigiſſet. Neq; enim iſta apologia mihi opus erat. Veruntamen quandò deus quiſpiã hæc ita voluit, principiò quidem tibi vltio à nobis erit, mors videlicet ipſorum ſycophantarum: poſtea autem maxima dona tibi venient, aurúmq; multum, & argentum immenſum, & veſtes Aſſyriæ, & equi regii. Accedes autem ad nos inuocatus, neque te quiſquam à noſtro conſpectu prohibebit, ne ſi cum vxore quidem vnà cõcumbam. Atq; hæc quidem dixit pariter & fecit. Ac illi quidem continuò ad ſupplicium & cædem ducebantur, huic autẽ dona dabantur, amicitiáq; hæc maxima cõciliata fuit. Videbatur autem nullus Aſſyriorũ amplius Combabo neq; ſapiẽtia neq; felicitate ſimilis eſſe. Poſtea verò cum poſtulaſſet vt ſibi liceret ædem, quantum eius reliquũ erat, abſoluere: imperfectam enim ipſam reliquerat, rurſum mittebatur: ac ædem quidem ille abſoluit, & reliquam ætatem ibi peregit. Dedit autem illi rex, virtutis pariter & beneficentiæ cauſa, vt æreus in templo ſtatueretur. Stat itaq; præmii & honoris cauſa in templo Cõbabus æreus, Hermoclis Rhodii opus, forma quidem mulieri ſimilis, veſtitum autem virilem gerens. Feruntur autem & amici illius, ii qui maximè erga ipſum beneuolentia affecti fuere, in ſolatium eius quod paſſus ille fuit, eiuſdem affectionis ſocietatem vltro ſibi elegiſſe. Nam & ſeipſos caſtrarunt, & eandem cum illo viuendi conſuetudinem tenuerunt. Alii autem inter ſermones ſacros de hoc facto ita tradunt dicentes, quòd Iuno quum amaret Combabum, multis caſtrandi cupiditatem in mentem immiſerit, ne videlicet ſolus ille ob virilitatem amiſſam lugeret. Cæterùm conſuetudo illa poſtquam ſemel cœpit, etiam nunc manet, & multi quotannis in templo hoc caſtrantur & emaſculantur, ſiue Combabum hoc pacto conſolantes, ſiue etiam Iunoni gratificãtes. Caſtrãtur autem illi, veſtitum verò virilem amplius non habent, ſed & muliebria indumenta gerunt, operáque mulierum perficiunt. Cæterùm vt ego audiui, refertur & huius rei cauſa in Combabum. Nam illi etiam hoc accidiſſe traditur. Peregrina quædam mulier ad ſolennem conuentum veniens, cùm vidiſſet & corpore formoſum eſſe, & veſtem præterea virilem habere illum, magno eius amore capta eſt. Poſtea autem vbi cognouit euiratum atque inutilem eſſe, ſibi ipſi mortem conſciuit. Ob quæ Combabus mœrore affectus, quòd ea quæ ad Venerẽ pertinent, infeliciter illi cederent, veſtẽ muliebrem induit, nequa mulier poſtha[illegible] eodem modo deciperetur. Et hæc cauſa eſt cur Galli veſte muliebri vtuntur. Ac de Combabo quidem tantùm mihi dictum ſit. De Gallis autem iterum in ſequentibus mentionem faciam, puta de caſtratione ipſorum, quo pacto execentur, & de ſepultura, quali ſepeliantur: præterea & cuius gratia in templum non ingrediantur. Prius autem animus mihi eſt & de poſitu ædis dicere, & de magnitudine. Atq; igitur dicam. Locus quidem ipſe in quo templum conſecratum eſt, modicus quidam collis eſt. Iacet autem in media quaſi ciuitate, cingitúrque muro duplici, quorum alter quidem vetuſtus eſt, alter autem non ita multò ante noſtram ætatem factus. Veſtibula verò templi verſus Aquilonem vẽtum ſeorſim directa ſunt, altitudine centum propè paſſuum. In his & Priapi ſtant quos Dionyſius dedicauit, trecentorum etiam iſti circiter paſſuum. In horum vnum vir quiſpiam ſingulis annis bis aſcendit, habitátque in ſummitate eius per tempus ſeptem dierum. Aſcenſus autem iſtius cauſa talis refertur: Complures quidem putant quòd in ſublimi cum diis ſermones conferat, & toti Syriæ bona ab illis poſtulet. Nam illos ex propinquo preces facilius exaudire. Cæteris autem placet etiam hæc Deucalionis gratia fieri, in memoriam eius calamitatis, quando homines paſsim in montes & in altiſsimas arborum aſcenderunt, aquarum inundationem metuentes. Mihi quidem igitur etiam iſta non ſatis veriſimilia videntur. Exiſtimo enim certè Dionyſio ipſos etiã iſta facere. Coniecturam autem inde capio, Phallos ſiue Priapos quicunque Dionyſio erigunt, in ipſis etiam viros quoſdã ligneos collocant, cuius id autem gratia, in præſentia non dicam. Videtur mihi itaque etiam hîc ad imitationem lignei illius viri aſcendere. Porrò aſcenſus iſte in hunc modum illi fit. Catena longa ſeipſum pariter & Priapum circundat: deinde aſcendit in ligna quædam ex ipſo Priapo prominentia, ſpacio, quantum ad ſummum capiendum pedem ſufficit. Aſcendens autem pariter & catenã vtrinque attollit, hanc perinde vt auriga habenas, moderans. Quòd ſi verò quiſpiam iſtud non vidit, vidit autẽ eos qui palmas conſcendunt, ſiue in Arabia, ſiue in Aegypto, ſiue alio aliquo loco, intelligit facilè quod dico. Cæterùm poſtquam ad ſummum peruenit, aliam quandã catenam, quam ipſe ſecum habet, demittens, longam quidem illam, attrahit ſurſum quæcunque libet, ligna videlicet, & veſtes, & vaſa: ex quibus ſedem componens, perinde ac nidum aliquem, in illa ſe collocat, manéteque ad id tempus dierum quod dixi. Multi autem venientes, aurúmque & argentum, quidam etiam æs afferunt, deinde ante illum appoſitis atque ibi relictis illis abeunt, vnuſquiſque

quiſq; nomen ſuum edentes. Adſtans autem alius quidã, ſurſum renuntiat. Ille igitur accepto nomine, preces pro vnoquoq; facit. precãdo autem pariter & æreũ quoddã tintinabulũ pulſat, quod motum, grauiter atq; aſperè ſonat. Dormit autẽ haudquaquam. nam ſi ſomnus ipſum capiat aliquando, Scorpius aſcendens excitat ipſum, atq; indignè afficit. & hęc illi pœna ſomni propoſita eſt. Quæ igitur de ſcorpio tradunt, ſacra quidem ſunt, & diis conueniẽtia: vtrum autem vera ſint, dicere nõ poſſum. Cæterùm quantum mihi videtur, non parũ ad vigilantiam conducit & cadendi metus. Ac de conſcenſoribus Priapi tantum dixiſſe ſatis eſt. Porrò ædes ipſa ad ſolem quidem aſpicit orientem: forma autem & opere talis eſt, quales ſunt quas in Ionia ædes ædificant. Baſis magna protenditur, altitudine duorũ paſſuũ, ſupra quã ædes poſita eſt. Aſcenſus autẽ in ipſam lapideus eſt, nõ ita lõgus: verùm vbi aſcenderis, admirationẽ quidẽ & porticus ante ædẽ nõ paruam præbet, ianuiſq; exornata aureis eſt. Intus autẽ ipſa ædes auro multo reſplẽdet, & tectũ totum aureũ eſt. Odorẽ autem effragrat diuinũ quendam, qualis fertur & terræ Arabiæ eſſe. Ac tibi alonge aſcendenti auram aſpirat admodũ ſuauẽ, & ſi rurſus inde abeas, haudquaquam ceſſat, ſed & veſtes tuæ in longum vſq; eandem retinẽt, & tu in perpetuũ quaſi quandã memoriã eius tecũ referes. Cæterùm ipſa ædes intus ſimplex non eſt, ſed & penetrale quoddam alterum intra ſe factum habet, in quod & ipſum aſcẽſus modicus eſt. Foribus autẽ exornatũ non eſt, ſed ex aduerſo totum patet. In magnam igitur ædem omnibus ingredi licet, in penetrale autem ſiue cellam illam ſolis ſacerdotibus, neq; verò iis omnibus, ſed illis tantùm, qui diuini maximè ſunt, quibuſq; omnis cura & ſtudium in templum impenditur. In hoc autem adyto ſimu-
Simulacra Iouis & Iunonis. lacra deorum poſita ſunt, Iunonis videlicet, & quẽ Iouem exiſtentem ipſi alio neſcio quo nomine appellant. Ambo autem aurei ſunt, ambóque ſedentes finguntur. Sed Iunonem quidẽ leones portant, Iupiter autem tauris inſidet. Atq; adeò & Iouis quidem ſimulacrum per omnia Ioui aſſimilatũ eſt, & capite, & oculis, & ſedendi habitu: neq; ipſum alteri, ne ſi velis quidem, aſſimilare potueris. Iuno autem, ſi propius contempleris, haudquaquam vnius ſpeciei formã præ ſe fert. Nam in vniuerſum quidem, quod verè dixeris, Iuno eſt: cæterùm habet quippiã & Mineruæ, & Veneris, & Lunæ, & Rheæ, & Nemeſis, & Parcarum. Ac altera quidem manu ſceptrum tenet, altera autẽ colum, & in capite radios gerit, & turrim, & cæſtũ habet, quo ſolam Venerem cognomẽto cæleſtem exornant, foris autẽ & aliud illi aurum circumpoſitum eſt, & lapilli valdè pretioſi, quorum alii quidem candidi, alii autem cærulei, multi verò etiam rufi. Præterea autem & Sardonyches multi, & Hyacinthi & Smaragdi: quæ omnia afferunt Aegyptii, & Indi, & Aethiopes, & Medi, & Armenii, & Babylonii. Quod igitur maximè memorabile eſt, id dicam: Lapidem in capite gerit, qui Lychnis vocatur. Nomen autem illi dedit operis effectus reſpondens. Ab hoc multus fulgor noctu reſplendet, totaque ædes ab eo perinde atque lucernis collucet. Interdiu autem ipſum quidem lumen emarceſcit, ſpeciem autem præ-

admodum igneam. Iam verò & aliud admiratione dignum in ipſo ſigno deę eſt. Si ex aduerſo ſteteris, ad te aſpicit. quod ſi inde tranſeas, vltu te ſequitur. & ſi alius quiſpiam aliunde ipſam intuetur, eadem erga illũ quoq; facit. Porrò in medio inter vtrũq;, aliud quoddam ſimulacrũ ſtat aureũ, cæteris haudquaquam ſimile. Formam quidem propriam non habet, aliorum autem deorum ſpecies gerit. Vocatur autem ſignum etiam ab ipſis Aſſyriis, neque illi nomen aliquod proprium poſuere: ſed neque de generatione ipſius, neq; de ſpecie quicquã dicunt. Atque ipſum alii quidem ad Dionyſium, alii ad Deucalionem, alii ad Semiramidem referũt. Quãdò enim & in vertice eius columba aurea inſidet, ob eam videlicet rem tradunt Semiramidis illud ſignum eſſe. Proficiſcitur autem bis quotannis ad mare, ad afferẽdam aquam eam de qua dixi. In ipſa autem æde ad ſiniſtram ingredienti, ſtat principiò ſolium Solis, ipſius autẽ effigies non adeſt. Solius enim Solis & Lunæ ſimulacra non exhibent: cuius autem gratia faciendum ita putent, didici id quoq; ego. Nam cæteris quidem diis fas eſſe aiunt ſimulacra fieri, neque enim illorum ſpecies aut formas manifeſtas omnibus apparere: Solem autem & Lunam omnibus eſſe manifeſtas, neque quenquam illos non videre. Quare quàmnam cauſam illorum effigiandorum eſſe, cum in aere appareant? Ac poſt ſolium hoc, ſignum Apollinis poſitum eſt, non quale vulgò conſueuit fieri. Nam cæteri quidem omnes Apollinem & iuuenem putant, & cum prima lanugine effingunt: ſoli autem iſti Apollinis barbati ſimulacrum effigiant. Atque hoc facientes, ſibi ipſi laudi ducunt, Græcos autem reprehendunt, & alios quicunque Apollinem puerum fingunt & colunt. Cauſa verò ipſis videtur inſcitia magna eſſe, cur imperfectæ deorum formæ ac ſpecies fingantur. Nam iuuenem eſſe ipſi adhuc imperfectum exiſtimant. Cæterùm & aliud quiddam nouum Apollini ſuo affingunt. Soli enim Apollinem veſtibus exornant. De operibus autem ipſius multa quidem dicere poſſim, ſed tamen ea modò dicam, quæ maximè admiratione digna ſunt. Principiò itaque oraculi mentionem faciam. Atque oracula quidem multa tum apud Græcos, tum apud Aegyptios ſunt, multa autem & in Africa, & in Aſia item multa, ſed illa quidem neque abſque ſacerdotibus neque abſque interpretibus reſponſa dant: hic autem Apollo & ipſe per ſe mouetur, & vaticinia ad plenum vſque per ſe peragit. Modus autem eorum talis eſt: Poſtquam illi placitum eſt vaticinari, in ſede ſua primùm mouetur, ſacerdotes autem ipſum continuò in ſublime attollunt: quòd ſi non attollant, ille & ſudorem emittit, & ſe in medium etiam emouet. At poſtquam illi ſubeuntes portant ipſum, tum & illos ſecum agit, circumcirca vertendo ſeſe, & ab alio in alium ſubinde tranſilit. Poſtremò princeps ſacerdotum ſupplicans interrogat illum de omnibus rebus. Ille verò ſi quid non vult fieri, retro recedit: contrà autem ſi quid appetebat, agit in anteriorem partem geſtantes, perinde ac ſi currus habenas moderaretur: atque ita illi colligunt oracula, & neque ſacram rem vllam, neque priuatam abſque hoc gerunt. Prædicit

Soliũ Solis & Lunæ.

Apollinis vaticinia.

dicit autē illis & de anno, & de tēpeſtatibus omnibus,& quando amplius futuri nō ſint. Prædicit itē & de ſigno illo, quando proficiſci illud oporteat profectionem eam de qua dixi. Dicā autē & aliud, quod me præſente fecit: Sacerdotes attollentes ipſum ferebant:ille autem illos quidem in terra infrà reliquit,ipſe verò in aere ſolus ferebatur. Porrò autem poſt Apollinem ſimulacrum Atlantis eſt, deinde Mercurii,& Lucinæ:atq; hæc quidem intra ædem ita exornata ſunt:foris autē ara quoq; poſita eſt magna ærea,atq; ibi etiā alia ſimulacra innumera ærea regum & ſacerdotum. Recenſebo autē quæ mihi maximè memoratu digna videtur. Ad ſiniſtrū ædis,Semiramidis ſignum ſtat,eadem ipſam dextera demonſtrantis. Stat autem talem ob cauſam:Hominibus quicunq; Syriam incolunt,legem illa tulerat, vt ſe ceu deam colerent, cæterorum autem deorū, atq; ipſius etiam Iunonis nullam rationem haberēt. Atq; illi tum ita faciebant. Poſtea autem vbi deorum indignatione & morbi venerūt,& clades,aliāq; mala, ab inſania deſtitit, ſeſeq; mortalem agnouit, ac ſubditis iterum præcepit vt ad Iunonem conuerterentur. Ob eam igitur cauſam adhuc tali ſpecie ſtat, indicans aduenientibus Iunonem colendam eſſe, ſeq; ipſam non amplius deam eſſe, ſed illam confitens. Vidi autem & Helenæ ſimulacrum ibi, & Hecubæ,& Andromaches,& Paridis, & Hectoris, & Achillis. Vidi itidem & Nirei formam, filii Aglaiæ, & Philomelam, & Prognen, adhuc dum mulieres, & ipſum Tereum in auem iam conuerſum. Præterea & aliud Semiramidis ſimulacrum, & Combabi,id de quo iam antea dixi, & Stratonices, admodum pulchrum, & Alexandri, ipſi illi ſimile. Iuxta autē & Sardanapalus ſtabat, alia quadam forma,aliāq; etiam veſte exornatus. Intra ſepta autem templi, liberi ac diis conſecrati paſcebantur boues magni,& equi,& aquilæ, & vrſi,& leones:atque illi homines haudquāquam lædunt, ſed omnes & facti ſunt,& manſueti. Sacerdotes autem ipſis mulci eliguntur, quorum alii quidem hoſtias mactant, alii autem libamenta ferunt, rurſus alii flammiferi vocantur,& alii aræ miniſtri. Mea autem ætate plures etiam trecentis ad ſacrificia ventitare ſolebāt. Veſtis autem illis tota candida eſt, & pileum in capite geſtant. Summus autem ſacerdos alius ac nouus vnoquoq; anno ſurrogatur, ſolúſq; hic purpuream veſtem gerit,& tiara aurea redimitur. Eſt autem & alia multitudo hominum ſacrorum, tibicinum videlicet,& fiſtulatorum,& Gallorū,& præterea mulieres furibundæ,ac mente captæ. Sacrificium autē bis quotidie peragitur,ad quod omnes veniunt. Iorii quidem igitur cum ſilentio ſacrificant,neq; cantantes,neq; tibia modulantes. At poſtquam Iunoni primitias celebrant, & voce modulantur, & tibiis canunt,& tintinabula pulſant. Ac de aere planum mihi dicere nihil potuerunt. Eſt autem lacus ibi non ita longè à templo,in quo piſces ſacri aluntur,multi ac varii naſcuntur autem ipſorum nonnulli admodum magni, atq; ii nomina quoq; habent, & cū vocantur,præſtò veniunt. Meis autem temporibus erat quidam inter ipſos aurum ferens: cæterùm in pinna opus iſtud aureum ipſorum ſuſpendebatur, atq; ego illum ſæpenumero vidi, & habebat opus illud. Altitudo autem lacus magna eſt, quanquam ego experimentum eius non ceperim. Dicunt autē etiam ducentorum amplius paſſuum eſſe. Cæterùm in medio ipſius ara lapidea ſtat. Putares autem ſi ex improuiſo videres,& natare illā, & in ſumma aqua vehi:& multi ita exiſtimant. Mihi verò videtur columna ſubeſſe magna,aramq; ſuſtinere. Semper autem ſertis coronata eſt, & odoribus crematur. Ac multi quotidie precandi cauſa ad ipſam enatantes, coronas portant. Fiunt autem ibidem & conuentus ſolennes maximi, vocantúrq; deſcenſus in lacum, quoniam in iis ad lacum deorum ſimulacra omnia deſcendunt:inter quæ Iuno prima aduenit piſcium gratia,ne Iupiter illos primus aſpiciat. Nam ſi hoc fiat,ferunt omnes illos emori. Atq; ideo ille quidē vadit inſpecturus,Iuno autem anteriore loco ſtans, & prohibet ipſum,& precibus obteſtando dimittit. Maximi verò conuentus ipſis illi ſunt,quòd ſolenni inſtituto ad mare cōueniunt. ſed ego de illis certum ac planum aliquid dicere non poſſum. neque enim ipſe eò veni, neq; vnquā profectionis iſtius periculum feci. Quæ verò redeuntes faciunt, vidi, eāq; commemorabo. Vas vnuſquiſq; aqua repletum portat,idq; cera obſignatur. Nemo autem ſuū ipſe reſoluens effundit, ſed Gallus quidam ſacer eſt,habitat autem ad lacum,qui poſtquam vaſa illorum accepit, & ſigillum inſpexit, mercede quoque accepta & vinculum reſoluit,& ceram repoſcit. Et multæ adeò minæ ex hoc ſacro Gallo accumulantur. Atq; hinc in ædem ipſi ferentes, poſtquam libarunt ac ſacrificarunt, retro domum reuertuntur. Feſtorum autem omnium quæ noui, maximum incipiente vere peragūt,atq; illud pyram alii, alii autem facem appellant. Sacrificium autem in eo tale perficiunt:Arbores magnas cædentes, intra ſeptum templi collocant. poſtea autem adducentes capras & oues, aliāque animantia bruta ex arboribus illis ſuſpendunt,inter hæc autem & volucres, & veſtes, & aurea argenteāque opera collocant. Ac poſtquam omnia perfectè ac rite compoſuerunt, deorum ſimulacra circum arbores portant, atque exinde pyram accendunt, illa autem continuò omnia cremantur. Ad hoc feſtum multi homines aduenium, cum ex Syria, tum ex circumiacentibus oris omnibus, afferúntque & ſua quique deorum ſimulacra, & ſigna quæ ad imitationem illorum ſinguli facta habent. Diebus autem hiſce ſolennibus multitudo quidem ad templum congregatur, Galli autem frequentes, & ii quos dixi, homines ſacrati peragunt ſacrificia; vulnerantúrque ambitis, & interea à ſe mutuò verberantur. Multi autem adſtantes ipſis tibiis accinunt, & tympana pulſant, alii autem diuinitus inſpirata ſacraque carmina cantant. Atque hoc opus extra ædem peragitur, neque ingrediuntur in ædem quicunque iſta faciunt. Hiſce diebus & Galli fiunt. Poſtquam enim cæteri tibiis canunt, & ſacrificia peragunt, ad multos alios interea furor iſte peruenit: & multi qui ad ſpectaculum ſolummodo venerant, poſtea eadem fecere. Recenſebo autem & quæ faciunt. Adoleſcens quicunque fortè ad hoc paratus venit, abiectis veſtibus magna voce in medium progreditur, atque enſem diſtringit (hæc autem multis annis, vt mihi videtur, per hoc ſteterunt) Accepto autem eo continuò ſe ipſum

Semiramidis ſtatua.

Lacus extra templū ſacer.

Panegyrici cōuentus.

ſeipſum ſecat, curritq; per vrbẽ, & manibus ea quæ reſecuit, portat. In quancunq; autẽ domũ hæc abiicit, ex ea & veſtem fœmineã, & ornatũ muliebrem accipit. Atq; hæc quidẽ in caſtrationibus faciunt. Quando autẽ moriuntur Galli, haudquaquã eandẽ cum cęteris ſepeliendi rationẽ habent: ſed poſtquã Gallus quiſpiã mortuus eſt, ſocii ſublatũ ipſum in ſuburbana efferũt. Ibi depoſito ipſo, & feretro quo elatus fuit, lapides ſuperne iniiciunt: atq; hæc poſtquam fecerũt, retrò domũ abeũt. Obſeruato autẽ ſeptẽ dierum numero, exinde in templũ ingrediuntur. Nam ſi antea ac citius ingrediantur, nephas faciunt. Legibus autẽ ad hæc vtũtur talibus. Si quis ipſorũ cadauer aliquod aſpexerit, illo die ad templum non accedit. Poſtero autẽ, vbi ſe ipſum purgando luſtrauit, ingreditur. Eorũ autẽ qui ex familia mortui ſunt, vnuſquiſq; nõ niſi poſt triginta dierum numerũ, raſoq; capite, ingreditur. Antea verò quàm hoc fecerũt, fas illis introire non eſt. Immolant autem boues maſculóſq; & fœminas, præterea capras & oues: ſues autẽ ſolos pro ſceleratis habẽtes, neq; ſacrificãt, neq; manducant. Alii autẽ eos non ſceleratos, ſed ſacros exiſtimant. Præterea ex auibus columba ipſis videtur res ſanctiſsima eſſe, & ne tãgere quidẽ ipſam fas habent. Quòd ſiquando inuiti etiã attingunt, ſcelerati & execrabiles illo tũ die habentur. Ob quã rem & compaſcuæ ipſis ſunt, & ad domos ipſorũ veniunt, & plerunq; in terra paſcuntur. Porrò autẽ & illa dicam quæ ab iis qui ad conuẽtus ſolennes veniunt, factitantur. Vir quiſpiã quãdo primùm in Sacram ciuitatem abit, caput ille quidem & ſupercilia tondere ſolet, poſtea autẽ mactata oue, cætera quidẽ in fruſta concidit, & conuiuatur, vellus autẽ humi ſternens, ſuper hoc in genua procumbit: pedes autẽ & caput animãtis, ſuo ipſius capiti imponit, & ſimul precando poſtulat, vt præſens ſacrificiũ acceptũ ſit, maiúsq; aliud in poſterũ pollicetur. His ita peractis, caput ſuum corona induit, itidémq; aliorũ omniũ qui eandẽ ſibi ipſo viã proficiſcũtur: atq; ita attollens ſe, ex terra ſua proficiſcitur, vtens & frigidis aquis, lauãdi cauſa pariter & potus, & omnino humi quoq; dormiẽs. Neq; enim fas illi eſt conſedere lectũ, donec iter illud peregerit, domũq; ſuã reuerſus iterũ fuerit. In Sacra autem ciuitate recipit ipſum publicus hoſpes ignotũ. Certi enim vniuſcuiuſq; ciuitatis hoſpites ibi ſunt, & quod ex patria cuiuſq; venit, id denuò apud ſe recipit. Appellantur autem ab Aſſyriis iſti doctores, quorũ ipſis omnia expoſuunt & enarrãt. Sacrificant autem nõ in ipſo templo, ſed poſtquam adduxit ad altare hoſtiam, libatione inſuper facta, rurſus eandem domum ducit: deinde vbi redijt, ſecum ipſe domi ſacrificat, & precatur. Eſt autem & alius quidam ſacrificandi ritus talis. Poſtquam animalia immolationi deſtinata coronarint, ex veſtibulis templi ea demittunt, illa verò præcipitata, ex caſu moriũtur. Quidam autem & pueros ſuos ex eodem loco demittunt, non tamen eodem modo quo pecudes, ſed in peram ſuæ ſæcum inclu ſos, manu deducunt, ſimul autem & acerbè increpantes illos, dicẽdo quòd nõ pueri, ſed boues ſint. Certis autem notis compungũtur omnes, alii quidem in vola manus, alii autem in cruribus. Et inde eſt quòd cuncti Aſſyrii notas inuſtas habent. Faciũt autem & aliud quiddam, in quo cum ſolis Græcorũ Trœzeniis conſentiunt. Dicam autem etiam quæ illi faciunt: Trœzenii virginibus & adoleſcentibus legem ſtatuerunt, ne quis ipſorum connubio ſeſe illigaret prius quàm Hippolyto comas totõ diſſent. faciũntque hoc pacto. Adeũ igitur & in Sacra ciuitate fit. Ac adoleſcentes quidem barbas ſuas conſecrant: iunenibus autem capillos ſacros à natiuitate vſque conſecratos demittunt, quos poſtquam in templo ſunt, reſecant, & in vaſa depoſitos, alii quidem argentea, multi verò etiam aurea, in ædẽ affigunt, atque abeunt, inſcripto vniuſcuiuſque nomine. Atque hoc ego quoque cum iuuenis adhuc eſſem, feci, & in templo meus capillus adhuc meũq; nomen reſtat.

DEMOSTHEnis Encomium,

Philippo Melanchthone interprete.

Argvmentvm.

Et hic titulus argumenti ſummam indicat. Eſt enim encomium Demoſthenis oratoris, ſed nouo quodam colore tractatum. Non enim ſimplici via, aut vulgaris laudandi rationibus, quæ à rhetoribus præſcribuntur, vtitur, ſed illis quodammodo poſtpoſitis & reiectis, à conſeſſione hoſtis potiſſimam encomij partem abſoluit, hoc videlicet ordine. Principio narrat quo pacto cum de ambabus ſũ eſſet, in Therſagoram poetam incideret, encomium Homeri meditantem. Ibi igitur cum de Homero alter, alter autẽ de Demoſthene laudando inter ſe agerent, Therſagoras contenderet longè difficilius eſſe Homerũ laudare quam Demoſthenem: non quia id verſibus faciendum eſſet, ſed quia ipſa materia locorum ſterilior foret, idem hoc ipſa re comprobare illum cœpiſſe. Eaq; encomij huius occaſio eſt, & quaſi quoddam operis proœmium. Fingitur itaque exinde Therſagoras ſub comparatione quadam Homeri & Demoſthenis, & eorum quæ ad vtriuſque laudem ab arte ſumi poſſunt, omnes eos locos percurrere, ex quibus cum perſona Demoſthenis, tum cætera virtutes & res geſtæ amplificari poterant. Quo loco & illud obiter videre licet, quid in authorum lectio ſpectandum ſit, & qua ratio in encomijs texendis potiſſimùm ſequenda, Therſagora iſta omnia quaſi digito, quod dici ſolet, indicante. Atque hæc prior encomij pars eſt, quæ ex locis technicis à Therſagora homine poeta perficitur. Altera autem ex atechnis quæ vocant, ſumitur, ſed quam ſummæ prudentiæ atque arte Lucianus, vtpote orator, ac ſerio agens tractaſſe ita videtur. Interpellatis enim ſermone Therſagoræ, vt qui in vulgatis & in ſchola exercendi ſolitis rationibus verſaretur: deinde & carminis illius auſcultatione, vt fingitur, iuſtum perfecta, ipſe accepto ab eodem Macedonicarum rerum commentario, in quo & acta Antipatri & Demoſthenis quædam continebantur, ex eo reliquam inde orationem pertexit, illi videlicet inſuper commemorando quæ hoſtes quoque de eloquentia Demoſthenis, de magnitudine animi eius, & de rerum geſtarum excellentia, ſcripta atque teſtata reliquiſſent. Quo argumento neque grauius aliud, opinor, neque firmius quicquam afferri potuit. Eſt enim ea demum vera at ſolida laus, quæ ab hoſte proficiſcitur, quippe qui nihil laudationis facilè in eo quem odit, fuerit, niſi

ad quæ

ad quod ipſa virtutis ac veritatis natura cõpellitur, quæ eiuſmodi ſanè eſt, vt quod infrà ipſe Antipater ait, honeſta res etiam apud hoſtes honeſta ducantur: & virtus laudem ſuam vbiuis locorum inueniat. Sed de hac re alibi dictum eſt.

VM in porticu deambularẽ, exeunti ad ſiniſtrã die decimo ſexto paulò ante meridiẽ, fortè ſe mihi Therſagoras offert. exiſtimo eũ pleriſq; veſtrũ notum eſſe. puſillus eſt, naſo aquilo, ferè candidus, virili ſpecie. Hunc eũ procul accedentẽ videre, dixi: Hic Therſagoras poeta eſt. Et interrogaui quorſum, aut vnde iret. Ille inquit domo ſe huc veniſſe. Num, inquam, deambulandi gratia? Tum ille: Omitte hoc interrogare. nocte intempeſta ſurrexi, vt ad Homeri natalẽ carmẽ ei dedicarẽ. Præclarè, inquã, facis, quòd illi ſtudes gratiã inſtitutionis referre. Hoc cũ inſtituiſſem, ait ille, huc veni, neq; animaduerti me deambulationẽ ad meridiem vſq; produxiſſe. Tum ego: Et mihi opus eſt deambulatione. Sed ille, Multo antè, inquit, oportuit me illũ ſalutare. monſtrabat autem manu Homerũ. Scitis enim in templo Ptolemæi ad dexterã collocatũ eſſe, prolixa coma inſignem, inquit, ad hũc eundum mihi eſt, vt eum ſalutẽ, & orẽ vt mihi magnã verſuũ copiam largiatur. Ego contrà inquã, Si quid votis proficitur, & ego iam olim Demoſtheni obſtrepo, vt mihi ſuppeditet orationẽ ad natalem eius ornandũ. Si igitur ſatis erit vota facere, adiunge me tibi ſocium, nam cõmune, inquit, lucrũ auferre cupimus. Ego, inquit, habeo poema lucubratũ hac nocte & hodie, quod Homero propter beneuolentiam dedicaturus ſum. Nam diuino quodã furore cõmotus ad poeticã rapior, vt indicabis ipſe. Gero enim mecũ libellũ in hoc paratũ, vt oſtendã ſodalibus, cùm in aliquẽ otioſum incidero. O te felicẽ, inquã, qui videris mihi perindè facere, atq; aliquis qui poſtquam curſu vicit in ſtadio, redit abluto puluere, vt oblectet ſe ſpectando, & cum luctatore iocatur expectante, vt iã in certamen vocetur. Cui reſpõdet ille, At paulò antè cùm à meta procurrendũ eſſet, nõ erat otium ad iocandum: Sic tu velut in curſu poetico victor, facis me ludos ac delicias, metuente ſtadii fortunã. Scilicet, ait ille ridẽs, quaſi rem difficilem ſuſceperis. Fortaſsis, inquam, Demoſthenes videtur tibi indignus qui ad Homerum conferatur, & videri vis in argumento graui ac difficili poſuiſſe operã, cum Homerum laudaſti: me verò exiſtimas leue argumentũ de Demoſthene ſumpſiſſe. Cauillaris, inquit ille. nam ego nolim heroas illos inter ſe cõmittere, tametſi magis faueo Homero. Bene, inquã, an nõ putas me Demoſtheni magis fauere? Sed quoniã nõ recuſas hac de re mecũ colloqui, apparet te ſolam poeticã admirari, & ſolutã orationẽ prorſus contemnere, ſicut eques peditẽ præteruectus aſpernatur. Tũ ille, Dii prohibeant ne ſic inſaniã, tametſi non leui furore opus eſt iis qui ad poeticas fores accedãt. Verũm & Oratoribus, inquã, opus eſt afflatu quodam diuino ad efficiendam orationem non humilẽ aut frigidam. Nec hoc, inquit, ignoro, ac ſæpe me

Collatio comparatio cũ aliorũ oratorũ, tum Demoſthenis Homeri & cum Homero, delectat, cũ ſimilem video vim, acerbitatẽ & impetũ. Vt Homerus Agamemnonẽ appellat vinolentum, ita Demoſthenes in Philippi ebrietatẽ, ſaltationes, petulantiã inuehitur. Et quale illud eſt apud Poetam, Vnum augurium optimũ eſt, pugnare pro patria: tale illud eſt apud Demoſthenem: Oportet bonos viros bona cum ſpe Yuſci pere defenſionem Reipub. Et illud, Demoſthenis.

Forſitan ipſe ſenex deploret talia Peleus,

ſimile eſt huic ſentẽtiæ: Quàm grauiter ingemiſcerent illi fortes viri qui propter gloriã & patriæ libertatẽ in acie perierũt! Confero & magna vi fluẽtem Pythonis orationẽ ad hybernas niues, quarũ ſimilis oratio Vlyſsis eſſe ſcribitur: & illud,

Ni foret hæc hominum natura obnoxia morti,

ſimile eſt huic loco: Omnes homines natura morti obnoxii ſunt: etiã ſi quiſpiã conetur ſe incluſum in caueã ſeruare. Deniq; infinitæ ſunt ſimiles utriuſq; ſententiæ. Delectant autẽ me & affectus, tum vehementiores, tum leniores, & orationis varietates & metaphoræ tædiũ læuãtes, & tempeſtiui ex digreſſionibus reditus, & concinnæ collationes, denique totius vrbanitas orationis. Et mihi ſæpe viſum eſt (neq; enim diſſimulãda eſt veritas) plus eſſe grauitatis in Demoſthene caſtigãte ſegnitiẽ ſuorũ ciuiũ magna libertate, quàm in Homero cũ Achiuos Achaidas appellat. Et Græcorũ tragœdias grandiore ſono repræſentat, quàm Homerus, qui fingit colloquia in mediis pugnis, & certamina iactu lapidis dirimit. Sæpe etiam apud Demoſthenem membra ſuos habent numeros ac menſuras, quales ſunt in poetica: ſicut neq; deſunt in Homero antitheſes, cõparia, figuræ aſperiores aut cãdidiores. Nam ingenia videntur ſua ſpõte ſimiles virtutes etiã in diſſimilibus ſtudiis gignere. Quare igitur tuã Calliopen aſpernarer? Quanuis autẽ hanc valde admirer, tamen mea cauſa duplo plus habet negocii, quàm Demoſthenis encomium: non ob illã cauſam, quia mihi carmẽ ſcribendũ eſt, ſed etiam propter argumentũ, nullã habeo materiã ſatis ſplendidã ad inchoandas laudes, præter ipſam poeticã: cætera ſunt ignota, patria, genus, ætas. nam ſi hæc nota eſſent, nullæ extitiſſent inde diſſenſiones. Alii patriã ei aſſignãt vrbem Ionicã Colophona, alii Cumam, alii Chium, nõnulli Smyrnam, quidam Thebas Aegyptias, & innumeras alias. Patrẽ Mæonẽ Lydũ, aut fluuium, matrem Melanopen, aut aliquã nymphã. ſiquidem humanum genus ignoratur. Alii exiſtimant eum temporibus heroicis fuiſſe, alii Ionicis: nec ſatis conſtat vtrũ Heſiodus ſit antiquior. Quidam etiam contendunt prius ei nomen Meleſigenę fuiſſe, quàm hoc quod nunc in vſu eſt Homeri. Nec de fortuna eius aliquid cõſtat, de paupertate, de ciuitate: vt ſatiùs eſſet fortaſſe omittere iſta, cùm ſint ignota: Valde igitur anguſta erit encomii materia, ſi nullæ res geſtæ, & carmen tantùm laudandum erit, & ſapientia ex verſibus æſtimanda. Tibi verò amplißima materia ad manum & in promptu eſt, dicenti de rebus certis & celebratiſsimis: tantùm verbis opus eſt, tanquam condimento ad obſonium parato. Quid enim non magnum & ſplendidum fortuna Demoſtheni conceſſit? Quid non celebratiſsimum? Nónne patria Athenæ opulentæ & nobiles, & Græciæ propugnaculum? Quòd ſi mihi Athenæ contigiſſent, poetica conſuetudine recitarem

tarem amores deorum, iudicia, cõmigrationes, dona, Eleuſinem. Porrò de legibus, iudiciis, cõcionibus, Piræeo, coloniis, trophæis terra mariq; partis, ne Demoſthenes quidẽ ipſe pro dignitate dixerit. Ex his magna mihi copia ſuppeteret. Idq; encomiũ non exiſtimarẽ prætermittendũ eſſe, cum in præceptis laudationũ hoc contineatur, vt laudes ex patriæ ornamẽtis cumulẽtur. Iſocrates Helenæ præconio inſeruit Theſeum. Poetis verò conceſſa eſt maxima libertas. Sed tu fortaſsis irrideri te metuis, ſi initium orationis iuſto grandius ſit, & vereris ne quis iuxta prouerbiũ dicat, Epigrãma maius eſſe catho. Itaq; etiam ſi omittã Athenas, occurret pater præfectus claſsis, aureũ, vt Pindarus ait, fundamẽtum. Nulla enim Athenis maior dignitas eſt, quàm præfectura claſsis. Quòd verò extinctus eſt Demoſthene adhuc puero, nõ eſt calamitas iudicanda, ſed gloriæ occaſio, retegẽs generoſam indolẽ. Iam Homeri inſtitutionẽ & ſtudia nuſquã legimus, ſed ſtatim oportet nos attingere poemata eius, cũ de educatione déq; ſtudiis eius nullæ extẽt hiſtorię. Neq; licet fingere eum à Muſis accepiſſe poeticã, ſicut de Heſiodi Lauro ferũt, quæ otioſis paſtoribus poeticam inſpirabat. Tu verò Calliſtratũ habes, & longũ & magnificũ catalogũ, Alcidamãtẽ, Iſocratẽ, Iſęũ, Eubulidem. Et cum innumeræ illecebræ Athenis ad ſe inuirent etiã illos qui ſunt in cuſtodia patrũ, cumq; adoleſcẽtia per ſe procliuis ſit ad voluptatẽ, ac Demoſtheni liceret propter tutorũ negligentiã voluptates ſequi, tamen continuit eum amor virtutis ac doctrinæ, & duxit nõ ad Phrynæ ianuam, ſed Ariſtotelis, Theophraſti, Xenocratis, Platonis. Hic poteris philoſophari, duplicẽ amorem eſſe in animis humanis, alterũ mari ortũ, varium, ferocem ſcilicet, venereos fluctus in animo, qui mouentur exæſtuantibus cupiditatibus iuuenũ, naturã planè marinã. alter amor eſt aurea catena cælo demiſſa. Hic nõ habet faces aut tela, quæ faciãt lethalia vulnera, ſed bonũ furorẽ immittit mentibus, quæ ſunt cognatæ diis, incitantem ad natiuã & incorruptam pulchritudinis formã compræhendendam. Omnia hæc amori facilia fuerũt, tonſuræ, latebræ ſubterraneæ ſpecũ, corrigere linguæ vitia, actionẽ in ætate virili diſcere, exercere memoriam, aſſuefacere animũ ad contemnẽdos populi fremitus, cõtinuare ſtudia per diem & noctem. Vnde quis neſcit qualis extiterit orator Demoſthenes? quomodo orationẽ verbis & ſententiis ornauerit, argumẽtis adſperſerit affectus, quãtus in copia ſplẽdor ſit, quãta vis & impetus, quãta verecũdia & parſimonia ſit in verbis & ſentẽtiis, quãta varietas figurarũ? Itaq; Leoſthenes inquit ſolum illũ ex omni Oratorũ numero viuã orationẽ habuiſſe, nõ fabricatã malleo. Nõ enim cõponebat orationes ebrius, vt Calliſthenes Æſchylũ ait tragœdias inter pocula ſcripſiſſe, cũ vino incaluiſſet. At Demoſthenes ſcribẽs aliquid, aquam bibebat. Et extat hac de re Demadis iocus, qui dixit alios ad aquã dicere, Demoſthenem verò etiã ſcribere ad aquã. Et Pytheas inquit orationẽ Demoſthenis lucernã olere. Hũc campũ habes, ait ille, de Demoſthene dicendi, qui conueniet etiã ad meum argumentũ, cum erit de poetica Homeri dicendũ. Sed poſtea tranſibis ad benefacta & liberalitatẽ & dignitatẽ quam in Repub. aſſecutus eſt. Hic cum iret cõnecterétq; reliqua, plura dicturum ego interpellaui, ac ridens inquã, Hauríſne modò tanquam balneator, vt reliqua oratione perfundas mihi aures? Etiam, inquit ille, cõgiaria, ludos ex propriis facultatibus vltro factos, inſtructas naues, murum, foſſam, redemptos captiuos, virgines dotatas, conſilia optima in Repub. legationes, leges. Cumq; incidiſſet in magnitudinem rerum geſtarum, cœpi ridere hominem ſupercilia contrahentẽ, & timentem ne deficeret eum oratio de rebus geſtis Demoſthenis: ac, fortaſſe me, inquam, putas vnũ ex omnibus qui eloquentiæ dederunt operam, nihil audiſſę de rebus geſtis Demoſthenis? Imò, ait ille, opus eſt nobis mutuo auxilio in ſcribendo, quemadmodum paulò antè dicebas. Verùm niſi fortaſſe aliter affectus es, exiſtimo tibi perſtringi oculos fulgore Demoſthenicæ gloriæ, nec poſſe te tam claram lucem inſpicere. Mihi quidem accidit hoc initiò in Homero. Penè igitur abieceram argumentũ, quia non potui intueri: poſtea neſcio quomodo recepi in manus, & paulatim aſſuefeci oculos, ne reformidarent aſpectum, néve quiſquam me accuſare poſsit cæcutientem in Sole, nothum gentis Homericæ. Quanquam tua cauſa facilior eſt quàm mea. Nam cum in Homero nihil præter poeticam laudare poſsimus, tota illa laus ſimul in animo concipienda eſt. Tibi verò cum totum Demoſthenem conſideras, ingens copia ſe offert, vt dubites húcne an illhuc te vertas: nec poſsis ſtatuere quid primum ſumere velis, ſicuti delicati in Syracuſanis menſis, aut auidi ſpectatores & auditores, cum varia ſpectacula & carmina offeruntur, dubitant quò potiſsimùm applicent animum. Itaque opinor te ex alio in aliud deſilire, nec poſſe in vna re commorari, cum te ſubinde alia ad ſe rapiant, videlicet natura liberalis, ingenium ardens, temperantia, eloquentia, magnitudo animi in rebus gerendis, multa & præclara facinora, fortunæ deſpicientia, iuſtitia, humanitas, fides, audacia, prudentia, ſingulæ actiones in Republica. Fortaſſe hinc intuens decreta, legationes, concionēs, leges: inde claſſes, Eubœam, Megara, Bœotiam, Chium, Rhodum, Helleſpontum, Byzantium, dubitabis quò te potiſsimùm vertas in tanta copia, cum in vnaquaque re emineat peculiare quiddam laude dignum. Vt igitur Pindarus alicubi dubitat, multa videns ſibi propoſita eſſe, cum inquit:

Num mea Iſmenum, Meliámve nympham,
Seu magis Cadmum, genus aut virorum
Dentibus ſæui genitum Draconis
Carmina dicent?
Seu canam Thebas, celebréſve pugnas
Herculis? ſeu Bacche tuos honores?
Seu prius nunc Harmoniæ puellæ
Dicam hymenæos?

Idẽ tibi accidet, vt dubites, vtrum orationes, an res geſtas, aut eloquentiã, aut doctrinã, aut authoritatẽ, aut mortẽ viri ſumas laudandam. Verũ non erraueris quicquid ſumes. Si ſolam eloquentiam elegeris, argumentũ copioſum habebis. Hic ſatis erit eum cũ Pericle conferre. Nam illius fulgura, tonitrua, & aculeos relictos in animis audientium, fama tantùm accepimus, ſed nullæ extãt eius orationes. Quare conſtat eas præter actionẽ nullam habuiſſe

ſolidam

ſolidam aut durabilem laudem, quæ promereretur admirationem apud poſteros. At Demoſthenis ſcripta extant. ſed hoc relinquam tibi dicendum, ſi hoc argumentum tractaueris. Si conuerteris te ad mores eius, & ad res geſtas, poteris excerpere vnũ locum, aut ad ſummum duos. hi tibi ampliſsimam materiam ſuppeditabunt. Res enim ſunt ſplendidiſsimæ. Quòd ſi non vis totum argumentum pertractare, ſumes partem aliquam, Homeri exemplo, qui heroas ex partibus laudat, prædicat pedes, aut caput, aut comam, aut veſtes, aut clypeum. Et ne dii quidem huiuſmodi laudes aſpernantur, ſumptas à telis, arcu, clypeo, nedum ab aliqua corporis aut animæ parte. Beneficia verò deorum nemo complecti ſemel poteſt. Itaque neque Demoſthenes ægrè ferret, ſi virtutes eius non cõprẽhenderis vna oratione. Nam ne ipſe quidem ſuas laudes omnes vna oratione complecti poſſet. Hæc dicentem Therſagoram interpellaui: ac, puto, inquam, hæc te narrare, vt eloquẽtiam tuam apud me oſtentes. nam cum initiò tantùm volueris declarare quantus poeta ſis, nunc oſtendis etiam quãtum in ſoluta oratione valeas. Tum ille, Volui, inquit, hoc argumentum percurrere, cum viderem te ſegniorem eſſe, ſi tamen cura pauliſper remiſſa audires me poema meũ recitantem. Ego verò reſpondi illum non facere operæ pretium: ac, Vide, inquã, ne magis etiam perturbatum me dimittas. Tum ille: Facile remedium erit, ſi nondum etiam tibi ſatisfactum eſt. At neſcis, inquã, quæ res me angat. Deinde vt medicus ignorans morbi genus, aliena remedia adhibebis. Tu enim inſtituiſti me iuuare tanquam rudem aliquẽ, & nunc primùm ad hæc ſtudia accedentem, verùm hæc mihi iam olim detrita ſunt. Proinde remedia tua nihil ad meam ſolicitudinem faciunt. At hoc, inquit, remedium fuerit: Trita via tutiſsima eſt. Mihi uerò diuerſum, inquam, placebat. Aiunt Annicerin Cyrenaicum quendam philoſophum ſe aurigantem Platoni oſtentaſſe ante Academiam, quòd in eadem orbita ſubinde duceret & reduceret currum, nihil deerrans, vt veſtigia tantum vnius perpetui curſus viderentur. Ego contrà ſtudeo tritã viã & vetera veſtigia effugere. Verùm difficile eſt nouam viam relicta vetere excogitare. Ad hæc Therſagoras ait: Placet igitur Paſſonis conſiliũ? Quod? inquam. Non enim audiui. Tum ille: Ferunt quendam cum Paſſone pactum eſſe, vt equum pingeret volutantem ſe, iſte currentem pinxit, & circa equũ exuſcitatum puluerem. Cumque adſtaret apud pingentem ille qui locauerat equum pingendum, & cũ pictore expoſtularet, quia aliud pactus eſſet, exhibet pictor tabulam puero, & iubet inuertere, ac picturã illi oſtendere: ita videbatur equus in tergo iacere, ſeque volutare. Feſtiuè, inquã: verùm putas me tot annis non ſæpe conatum eſſe vt materiam verterẽ? Ego verò multifariàm verti ac reuerti, & vereor ne mihi ad extremum accidat idem quod Proteo. Quidnam? ait ille. Hic fertur conſumptis omnibus formis quas ſolebat induere, videlicet beſtiarum, plantarum, elementorum, rurſus penuria peregrinę formæ Proteus factus. Tu, inquit ille, magis varias formas excogitas quàm Proteus vt effugias meam recitationem. Ego verò, inquam, libenter præbebo me auditorem, & eiiciam curam excogitandæ orationis ex animo. Forſan enim cum lecto poemate deſines partum tuum curare, me quoque parturientem adiuuabis. Itaque cum perfeciſſem tandem, ſedimus in proximo ſaxo. Hic ego audio recitantem egregium poema. At inter legendũ repentè velut furore percitus, clauſo libro, Aufer, inquit, mercedem huius auſcultationis, ſicut Athenis ſportulæ dabantur in concionibus ac iudiciis. Sed vide etiam atque etiam, vt gratiam mihi habeas. Egóne, inquam, gratiam habeam, cum nondum intelligam quid dicas? Verùm quid eſt quod promittis? Incidi, ait ille, in domeſticos commẽtarios regum Macedoniæ, quæ res incredibilem mihi lætitiam attulit: quare librum illum nõ ſine magno negotio mihi comparaui. huius mihi iam venit in mentẽ. Continet autem cum reliquã interiorem Antipatri vitam, tum etiam quædam de Demoſthene, quæ cupidè lecturus videris. Ego verò iam, inquam, refero gratiam pro Euangelio. dabo tibi operam reliquos verſus recitanti, neque dimittam donec promiſſum præſtiteris. Nam vt Homeri encomio magnificè me delectaſti, ita delectaberis haud dubiè & Demoſthenis encomio. Poſtquam igitur perlegit reliquos verſus, pauliſper ibi commorati ſumus, donec pro poemate debitas laudes repẽderem. Deinde ad ædes Therſagoræ imus. Ibi vix tandem reperit librũ, ſed reperit tamẽ: quẽ ego accipiens domũ redii: & cũ legiſſem, decreui nihil mutare, ſed totã hiſtoriã vobis ad verbũ recitare. Non enim minor honos habetur Aeſculapio cũ Aliſodemi & Sophoclis verſus ei decãtantur, ſi deſit nouũ poema ſacrificantibus. Et Baccho iam olim deſiit mos noua poemata faciendi: ſed aliis compoſita non minorẽ gratiam merentur his qui ea tempeſtiuè proferunt ad Bacchum celebrandum. Liber autem hęc continebat (licet enim mihi interdum addere commentarium) Narratio autẽ libri erit. Sic igitur ait, Antipatro indicatum eſſe quòd adeſſet Archias. Verũ ſi quis adoleſcentium hoc ignorat, Archias fuit is cui rex mandauerat exules capere. Habebat autem & de Demoſthene mandatum, vt nulla vi adhibita perſuaderet ei vt ex Calauria diſcedens, ad Antipatrum veniret. Porrò Antipater in tantam ſpem erectus anxiè expectabat Demoſthenis aduentũ. Quare cum audiuiſſet Archiã ex Calauria venire, mox iuſsit eum intrò vocari. Poſtquam ingreſſus eſt. ſed ipſe liber narret iſta. ARC. Salue Antipater. ANTI. Quid ni ſaluus ſim, ſi quidem Demoſthenem adducis? ARC. Adduco vt potui. nam vrnam aduecho in qua ſunt exuuiæ Demoſthenis. ANT. Magna de ſpe deiectus ſum. quid enim mihi cum vrna & oſsibus, ſi non contigit Demoſthenes? ARC. Non fuit poſſibile, Rex, viuum in hoſtium poteſtatem redigere. ANTI. Cur non in Bœotia aut hic accepiſtis aurum ad eum corrumpendum? ARC. Nos verò citius Byzãtium vi aut machinis, quàm Demoſthenem auro expugnaremus. ANT. Egó, Parmenio, ſi quis Athenienſis in cõſiliis Reipub. pluris facit me quàm patriam, huic argentum offerre ſoleo, amicitiam non offero. Si quis autem propter patriam mihi inimicus eſt, aduerſus hunc bellũ gero, vt aduerſus arcẽ, mœnia, portus, foſſam. Admiror autem virtutẽ, & vrbem beatam eſſe duco, cui talis ciuis contigit. At proditores, cum eorum opera nõ indigeo amplius, perdere

perdere cupio. Illum autē incorruptū ciuē malim apud me habere, quàm equitatū Illyricorū, & Triballorū, aut quicquid est mercenariorū militū. Nec postpono his eloquentiā ac prudentiam talis viri. Cum hæc ad Parmenionē dixisset, rursus mecū loqui cœpit. Ego enim, inquā, curaui diligenter eos qui cū Diopithe Athenas missi sunt. Ille verò scitè admodum ridens, Tu verò, inquit, nobis ab Athenienſi duce aut milite metuis? Triremes, Piræeus, portus, nugæ sunt. Quid enim facerent homines in spectaculis, ludis, conuiuiis vitā omnē consumentes? Si vnus Demosthenes non fuisset Athenis, facilius potiti essemus vrbe, quàm Thebis aut Thessalia, dolo, vi, opprimētes, & corrūpentes: verùm vnus ille vigilat in omnes intētus occasiones, & nostros obseruat impetus, & instructus est aduersus nostra consilia. Nunquā fallere neq; insidiādo, neq; agendo, neq; consulendo possumus. Hic velut murus est aut scopulus obsistens quo minus omnia primo impetu capiamus. Nam quantū in ipso fuit, non potuissemus Amphipoli, non Olyntho, non Phocensibus, non Pylo, non Cherroneso, non ora Hellesponti potiri. Ille inuitos incitat, & tanquam mandragora sopitos expergefacit, ac velut secans & vrens castigat ignauiam summa libertate, nihil ad gratiā dicens. Publicas pecunias quæ antea dissipabantur in ludis, confert in stipendium, conscribit classem, quæ penè perierat confusione veterū tributorū. Et vrbem, quæ iam nihil generosum cogitabat, tantùm sportulas & sesquidenarios captabat, restituit in pristinā dignitatē, & excitauit fractos & abiectos ciues ad imitationē gloriæ maiorū, & rerū ad Marathonē & Salaminē gestarum. Et Græcos inter se societate & fœderibus deuinxit. Hic non potest falli, non arte decipi: corrumpi verò nō magis potest, quàm Aristides à rege Persarū corrūpi potuit. Hunc igitur, Antipater, magis formidare oportuit, quàm omnes triremes, & vniuersam classē. Quod enim apud veteres Athenienses Themistocles & Pericles fuerunt, id nunc est istis Demosthenes, prudētia par Themistocli, magnitudine animi Pericli. Itaq; redegit in ipsorum potestatē Euboeā, Megara, orā Hellesponti, Bœotiā. Et feliciter accidit quòd Athenienses Charetem, Diopithē, & Proxenū, & similes quosdā præficiunt exercitui, Demosthenē verò domi retinent in suggestu. Quòd si hic in potestate haberet arma, naues, exercitus, occasiones rei bene gerendæ, & pecuniā, vereret ne de Macedonia iam periclitaremur. Nunc enim decretis tantùm pugnans, nos vndiq; adoritur, occupat, conficit pecuniā, exercitus. Sed cur nō cōprehendistis viuū? AR. Cepimus viuū. AN. Num in itinere extinctus est? AR. Non, sed in Calauria, vbi erat. AN. Forsan hoc accidit negligentia vestra, quia non bene tractastis hominē. AR. Imò non fuit in potestate nostra. ANT. Quid ais? mera sunt ænigmata quæ dicis. viuum cepistis, nec tamē fuit in potestate vestra. Non mādasti initiò ne quis ei vim afferret? AR. Nihil profuit quòd nemo ei vim attulit. hoc enim curæ nobis fuit. AN. Non accidit igitur vestra negligentia, sed fortasse vos ipsi interfecistis eū. AR. Nō interfecimus: neq; opus erat ei vim afferre, cū verbis impetraremus vt imperata faceret. Quid autē prodesset si viuū adduxissemus? Quid faceres de eo aliud, quàm quòd occideres? AN. Dii meliora, Archia, non satis animaduertisti aut qualis vir fuerit Demosthenes, aut quod meū sit de his iudiciū: sed putas perinde esse Demosthenē inuenire, & hos proditores, qui malè perierunt, Himerçū, Aristonicū, Eucratē, qui nihil differunt à fluctibus qui perpetuò huc atque illhuc agitantur, homines sordidi, qui per occasionē subitò in tumultibus inclarescunt, & ad leuē spē motus alicuius valde insolentes ac superbi fiunt: verùm breui tanquā vespertini flatus metu perterriti diffugiunt. Nū similē putas Demosthenē improbo Hyperidi, perfido assentatori vulgi? quē nō puduit iniquo iudicio Demosthenē, vt gratiam apud vulgus iniret, circūuenire: & assentari multitudini ea in re cuius statim illos pœnituit? Etenim nō multò post hanc calumniā cōtigit ei reditus clarior reditu Alcibiadis. Istū autē nihil puduit lingua incessere homines quondā amicissimos, quam conueniebat ei propter ingratitudinē præcidere. AR. Quid audio? non oderas Demosthenē maximè omniū hostium? AN. Non, si quidē rationē habeā morū & fidei eius, & amē vbiq; integritatē & constantiā. Nam honestæ res etiam apud hostes honestæ ducendæ sunt, & virtus vbiq; digna laude est. Neq; velim esse deterior quàm Xerxes, qui Bulidi & Sperchidi Lacedæmoniis pepercit propter admirationem virtutis eorum, cum posset eos occidere. Ego verò, si quem alium, Demosthenem maximè admiratus sum, tum quia bis cum eo Athenis congressus sum, tum quia eius laudes ex aliis cognoui. Neque verò tantùm propter eloquentiam (vt arbitretur aliquis) magnifeci eum: quanquam Python ad hunc collatus, nullus erat, & Attici oratores ludus erant cū isto congressi: tantùm vincebat actione, sono, compositione, sententiarum luminibus, densis argumentis, cōciliandis & impellendis animis. Itaque valde pœnituit nos consilii, cum Græcos Athenas conuocassemus, vt Athenienses obiurgaremus, freti promissis Pythonis. Sumus enim circúnuenti Demosthenis argumentis, qui erat insuperabilis in dicendo. Sed hanc eloquentiæ laudem non duco in illo summam fuisse (erat enim organi vice) sed magis admiratus sum eum propter magnitudinem animi & consilii, & constantiæ quam in periculosissimis tempestatibus retinebat, nunqnam cedens aduersis rebus. Ac memini Philippū de illo sic sentire, qui cum afferretur quædam concio in qua Demosthenes in Philippum inuectus erat, & Parmenio vehementer stomacharetur, & Demostheni conuiciaretur, Hic vir, inquit, dignus est quem liberè loqui sinamus. Nam huic vni omnium Græciæ oratorum nihil fertur expensum in meis rationibus, cum quidem ego malim ei confidere, quàm naualibus scribis. Nullus est autem istorum, cui non inuenias in meis rationibus perscriptum esse aurum, ligna, reditus, agros: at Demosthenes classes armat, comparat exercitus, & subinde reparat. Talia dicebat ad me Philippus tunc & sæpe aliàs de hoc viro: & in quadam felicitatis suæ parte numerabat, quòd Demostheni non esset commissa summa imperii apud exercitum, cum omnia sua consilia perturbarentur illius orationibus, quæ ex Athenis velut arietes vel catapultæ mittebantur. De pugna ad Chæroneam

facta, nec poſt victoriam deſiit prædicare quantum hic vir creaſſet periculum ipſi. Niſi enim præter ſpem, inquit, propter ducum inſcitiam, & aciẽ malè inſtructam, & inſperatam fortunam, quæ multa nobis conficere ſolet, viciſſemus, vno die non modò regnum, ſed & vitam meam in diſcrimen adduxerat. Coniunxerat potentiſsimas vrbes, coegerat omnes vires Græciæ, Athenienſes, Thebanos, Bœotios, Corinthios, Euboœenſes, Megarenſes: & effecit vt periculum ſimul omnes ciuitates ſubirent, & mihi tranſitum in Atticam intercluſit. Tales erant huius de Demoſthene ſermones perpetuò: & cum diceretur ad eum quòd magnum antagoniſten haberet populum Athenienſem, reſpondebat ſe vnũ habere antagoniſten Demoſthenem. Nam quod abſque Demoſthene ſit, Athenienſes ſimiles eſſe Aenianenſium & Theſſalorum. Et quando legatos ad vrbes mittebat, ſi quos alios miſerant Atheniẽſes, facilè vincebat ipſe, ſed Demoſthene præſente fruſtra inquit ſe legatos mittere: Non enim poſſunt contra Demoſthenis eloquentiã erigere trophæũ. Sic Philippus dicebat. Itaque ego, qui quidem longè inferior ſum Philippo, ſi cepiſſem talem virum, num velut bouem ad cædem abducerem, an verò potius in conſilium de toto regno Græciæ conſtituendo adhiberem? Nam initiò natura ei bene affectus fui, propter res eius geſtas, ac magis propter Ariſtotelis teſtimonium, qui ſolebat eum ſæpe ad Alexãdrum & ad nos ducere. Et cum tot eſſent qui ad eum venire conſueuerant, neminem ſic admirabatur, propter magnitudinem ingenii, temperantiam, grauitatem, acumen, libertatem, & tolerantiã. Vos, inquit Ariſtoteles, ſimilem putatis eſſe Demoſthenem Eubulo, Phrynoni, & Philocrati, & conamini hunc quoque pecunia corrumpere, qui vniuerſum patrimonium in Athenienſes priuatim & publicè contulit: & quia nihil proficitis pecunia, minas adhibetis, cum iſte nihil dubitet pro patria mortem oppetere. Et ſi quid in vobis reprehendit, ægrè fertis: at ille ne populum quidem metuit. Nõ videtis eum amore patriæ Rempub. gerere ac ducere, hanc adminiſtrationem tanquam philoſophię ac virtutis ſcholam quandam eſſe, quam non conueniat ad quæſtum aut alias cupiditates conferre? Propterea, Archia, valde optarem mihi eius conſuetudinem contigiſſe, vt conſilio eius vti poſsim in præſentia, & audire vocẽ liberæ mẽtis, tot alioqui circumfuſus aſſentatoribus. Ac mihi ſanè videtur hoc nomine reprehendendus eſſe, quòd vitam ſuam in diſcrimẽ adduxit pro tam ingratis ciuibus, cum poſſet alios inuenire amicos fideliores & conſtantiores. A R. Alia quidem ô Rex rectè dixiſti, ſed hoc fruſtra dixiſſes illi. adeo furebat amore patrię. A N. Sic eſt, ô Archia. quid enim manifeſta negem? Sed quomodo mortuus eſt? A R. Magis etiam mireris eum ô Rex, ſi hoc ſcias. Nam & nos qui aſſuimus, non minus obſtupuimus, quàm alii ſpectatores. Videbatur enim iam olim apud ſe conſtituiſſe de hoc exitu vitæ: quod intelligi poteſt ex apparatu. Sedebat enim intus in templo, ac fruſtra ſuperioribus diebus cũ eo collocuti eramus. A N. Quales fuerunt veſtri ſermones? A R C H. Multa humaniſsimè proponebam, promittebam ei veniam abs te, non ſanè expectans. non enim noram hanc tuam voluntatem, ſed arbitrabar te huic vehementer iratum eſſe. tantùm iſta dicebam perſuadendi cauſa. A N. Quomodo accepit ille veſtram orationem? & nihil me celes. Vellem enim me coràm audiuiſſe: ſed tu nihil omittas. Magna res eſt tanti viri mores ſub exitum vitæ contemplari, vtrum ſpiritus defecerit, vtrum expalluerit, an conſtantiam animi retinuerit. A R C H. Nullam ſignificationẽ pauoris edidit. A N. Quomodo? A R. Suauiter enim riſit, ac luſit in priorem vitam meam. dixit me ineptum hiſtrionem eſſe tuorum mendaciorum, nec poſſe cõmouere ſpectatorem. A N. Itaque non credens tuis promiſsis, deſpondit animum? A R. Non. quòd ſi audies reliqua, non tantùm videbis fidem non habuiſſe, ſed etiam acrem obiurgationem attigiſſe. Dicam enim quia iubes. Non, inquit, indignum eſt aut nouum Macedonibus ſic capere Demoſthenẽ, vt Amphipolin, Olynthum, Oropum. Talia multa dixit. Adhibuimus enim ſcriptores, qui eius dicta exciperent. Ego, inquit, metu tormentorũ aut mortis non moueor, vt ſpe vitæ propoſita promittã me ad Antipatrum venturum eſſe. Sed ſi hæc vera ſunt quæ dicitis, multo magis cauere debeo ne mẽs mea videatur ab Antipatro corrupta, néve videar deſeruiſſe ordinem in quo ad Græciæ defenſionẽ collocatus ſum, & transfuga factus ad Macedones conceſsiſſe. Si mihi honeſtum eſt viuere, Piræeus præbeat, & triremis quã inſtruxi, & murus & foſſa meo ſumptu facta, & tribus Pandionis, cuius cauſa vltro ludos feci, & Solon, & Draco, libertas conciuiũ, & liber populus, & decrera, & leges claſsiũ, & maiorũ virtus ac trophæa, & ciuium beneuolentia, qui me ſæpe coronauerunt, & Græcorum authoritas, qui hactenus à me ſeruati ſunt. Quòd ſi mihi vita debeat contingere alterius miſericordia, quãquam id turpe eſt, tamen hoc beneficium malim accipere à meis ciuibus, quorum redemi captiuos, aut à patribus, quorum elocaui filias, aut quibus donaui pecunias. At ſi me nec inſularũ imperiũ, nec mare defendet, petã ab hoc Neptuno auxiliũ, & ab hac ara, & à ſacris legibus. Sin autẽ Neptunus non poteſt defendere immunitatẽ templi, nec pudet eũ prodere Demoſthenẽ Archiæ, moriar, nec mihi Antipater pro deo colẽduſerit. Liceret mihi amiciores habere Macedones quàm Athenienſes, & frui felicitate veſtra, ſi imitari vellem Callimedontẽ, Pytheam & Demadem. Liceret animum vel ſerò mutare, niſi verecundia Codri, & filiarum Erechthei prohiberet. Non igitur volui transfugam fortunam ſequi. Honeſtum enim effugium mors eſt quæ eſt extra omne periculũ turpitudinis. Et nunc Archia, quãtum in me eſt, non volo dedecorare Athenas, ſeruitutem accipiens abiecta libertate, in qua mori eſt honeſtiſsimum. Verùm conuenit te meminiſſe Tragœdiarum. nónne grauiter dictum eſt,

At illa iam moriens, tamen
Decenter vt caderet, cauebat ſedulò?

Ex Euripidis Hecuba.

Hoc cum fecerit puella, quãto turpius erit Demoſtheni præferre inhoneſtã vitã honeſtæ morti? ac obliuiſci Xenocratis & Platonis diſputationũ de immortalitate animarũ? Addidit etiã quædã, inuectus in eos qui calamitatẽ exprobrant. Verùm quid attinet me nũc recitare, cũ ego ad extremũ partim precarer, partim minas adhiberẽ, & blãditiis terrores miſ

res miſcerẽ? Ego, inquit ille, perſuaderi mihi paterer, ſi Archias eſſem: ſed quoniã Demoſthenes ſum, peto vt ignoſcas mihi, qui non conſueui inconſtãs eſſe. Hic cum eum vi abducere vellẽ, ídq; ipſe ſentiret, cœpit me irridere: & deum aſpiciens ait, Archias putat tantùm arma & exercitus præſidia vitæ eſſe, & meum apparatũ contemnit, quem expugnare neq; Illyrici, neq; Triballi, neq; Macedones poſſint. Firmior eſt enim quàm ille murus ligneus quẽ olim nobis Apollo reſpondit inexpugnabilem fore. Nam vt prudentia me in adminiſtratione Reipub. ſecurum præſtitit, ita me aduerſus Macedones ſecurum reddet. Nunquam formidaui Euctimonẽ, aut Ariſtogitonem, aut Pytheam & Callimedontẽ, aut Philippum, neq; modò hunc Archiam formido. Cum hæc dixiſſet, Age, inquit, ne afferas mihi violentas manus. non enim prophanabo templum, quantum in me eſt. ſalutato deo ſpontè ſequar. Ego ſic ſperabam facturum, cùm ille manum ori admouet: neq; ego ſuſpicabar eum aliud facere, quàm orare deos. ſed quid egerit, poſtea ex ancilla per tormenta cognouimus, diu eum habuiſſe paratum venenum, vt morte libertatẽ redimeret. Neq; extra templi limen peruenerat, cũ lapſus inquit, Hoc cadauer ad Antipatrũ vehes, Demoſthenẽ verò non vehes, non per. Et videbatur ſuo more iuraturus per illos qui in Marathone occubuerũt, ſed valedicens auolauit. Hũc ego finẽ, Rex, affero expugnati Demoſthenis. AN. Demoſthenis ſcilicet. O inuictũ animũ & beatũ, quàm generoſum facinus. Prudentia eſt, in manu retinere libertatis poſſeſsionẽ. Sed deceſsit victurus in beatorũ inſulis apud heroas, vt dicitur, aut in cœlũ peruẽturus, vt Deus factus comes ſit Iouis liberatoris. Corpus verò nos remittemus Athenas, futurũ honeſtius ornamentũ patriæ, quàm illi qui in Marathone occubuerunt.

Bello Perſico videlicet, cùm ad Salaminem pugnatum eſt.

Mors Demoſthenis.

DEORVM Concilium,

Vincentio Obſopœo interprete.

ARGVMENTVM.

Rurſum hoc loco Lucianus deorum gentilium vanitatem atq; ſtultitiam more ſuo deridet: hominumq; ſuperſtitionem tacitè reprehendit, qui ridicula adeò atque abſurda de illis ſibi ipſis perſuadeant ac credant. Eſt autem feſtiua quædam imitatio, qua ad exemplar Athenienſis Reipub. concilium Deorum haberi fingit, ſuper ijs videlicet qui ceu nothi ac peregrini in ciuitatẽ ac cœtũ deorum irrepſiſſent. Accuſatoris igitur vicem Momus generalis deorum cæterorum ſugillator ſuſcipit: qui principiò quidem communi nomine in eos qui partim ex dijs, partim ex hominibus nati, in cælum recepti fuerant, tanquã nothos ac peregrinos inuehitur. Præcipuè verò Dionyſium accuſat, vt qui nõ ſolùm ipſe aduentitius in cælo ſit, uerùm etiã alios quoſdam barbaros & informes, numeroq; deorum prorſus indignos ſecum introduxerit. Atq; huius rei tanquam authorem & cauſam Iouem quoq; in crimen vocat, quòd is cum mulieribus mortalibus, nunc hac, nunc illa ſpecie transformatus cõcumbat, ac poſtea ex illis procreatos liberos inter deos referat, & in cælo collocet. Itaq; iam illius exemplo etiam deas cum viris hominibus congredi cœpiſſe, acliberos ex ijſdem ſuſtuliſſe. Secundo autẽ loco eos qui & Barbari, & ex ſolis hominibus procreati, pro dijs haberentur, inſectatur, illorum indignitatem, cum ob perſonarum ac linguæ fœditatem, tum ob ea quæ ex eo quòd in cælum recepti eſſent, conſecuta ſint, exaggerans. Inter quos præcipuè Ægyptiorum abſurditatem perſequitur, quorum alij canum, alij boum, alij aliorum turpium atq; brutorum animantium ſpecie colerentur. Poſtremò etiam philoſophorũ illa plauſibilia ac vulgò iactata nomina arripit, puta Virtutem, Fatum, Naturam, &c. vt quæ non noua ac peregrina ſint, ſed ne vſquam quidem exiſtant. Quo loco & temporum ſuorum vitia, & philoſophorum vanitatem ſimul notaſſe videtur, vt qui verbis quidẽ multa de virtute iactarint, ipſo autem opere quiduis potius quàm virtutem & honeſtatem præſtiterint. Quod autem fati & naturæ quoq; meminit, eò pertinet, quòd cultus deorum paulatim ſublatus fuit, quãdo homines à philoſophis edocti, fato quodã, & naturali rerũ ordine ac ſerie, nõ deorũ benignitate fieri ac geri omnia, opinari cœperunt. Atque ad hũc modũ accuſatione ſua peracta, Momus decretum quoq; à ſe cõpoſitum proponit ac recitat, quo ipſo quoq; ad exemplum Athenienſium pſephiſmatum, qualia multa temporibus Demoſthenis, & paulò ſuprà quoque facta ſunt, efficto, iubentur dij cognitiones diuinitatis & originis quiſque ſuæ ad proximum concilium afferre, vt qui peregrini & aduentitij reperti fuerint, è cœtu ac ciuitate deorum remoueantur.

IVPITER.

NE poſthac clanculũ conſuſurretis, ô Superi, neq; ad angulos couuerſi, in aurẽ alter cum altero colloquamini, indignãtes multos parũ dignos noſtri ſympoſii eſſe participes: verùm poſteaquã coactũeſt conciliũ, quiſq; propalã in mediũ ſuã adferat ſententiã, & quæ accuſatione digna ſunt, accuſet. Cæterũ Mercuri præconiũ illud ex lege clara voce promulgato. MER. Arrige aures, vocem cõprime: Quis ex diis ſenioribus & perfectis, quibus permiſſum eſt, in concione verba facere vult? Ipſa deliberatio de inquilinis & hoſpitibus futura eſt. MO. Ego Momus, ô Iupiter, ſi fandi copiã mihi feceris. IVP. Iã ipſo præconio loquẽdi libertas tibi facta eſt: itáq; meo permiſſu nihil opus eſt. MO. Aio itaq; nõnullos noſtrũ vitioſe & improbé facere, quibus nõ ſatis eſt ſemet deos ex hominibus factos eſſe, niſi ſuos quoque pediſequos & famulos nobis honore pares eſſe oſtẽderint. qua in re nil magnũ aut iuuenile ſe feciſſe exiſtimãt. Volo verò ô Iupiter, vt interrita loquẽdi libertas mihi cõceſſa ſit. Neq; enim aliter, quæ ſentio, effari poſsim. Sed me omnes ex æquo nouerũt, quàm liberæ linguę deus ſim, & quã nihil eorũ quæ parũ honeſtè & decorè fiũt, reticere ſoleã. Etenim omnia in reprehenſionẽ rapio, ac propalã, quæ mihi optimè aut ſecus facta vidẽtur, proloquor, neq; reformidãs cuiuſquã authoritatẽ, neq; præ verecũdia ſententiã meã cõcelans. Quapropter & oneroſus multis eſſe videor, & natura ſycophãticus, dũ popularis quiſpiã & cõmunis omniũ accuſator ab illis vocor. Sedenim poſteaquã licitũ eſt, atq; ita iã proclamatũ, & tu Iupiter cũ libertate loquẽdi facultatẽ mihi cõceſſeris, nihil diſſimulãter tacitũ aut præteritũ dicturus ſum. Multi

ſunt, inquã, nõ contenti quòd ipſi in deorũ concilium admiſsi, noſtri contubernii ſint participes, quódq; pari ſorte nobiſcũ conuiuantur, præſertim cum ex dimidio homines eos eſſe cõſtet: adhuc etiã miniſtros ſuos & chori ſocios in cælũ ſubduxerũt, eósq; deos fecerũt adſcriptitios: & nũc æqualẽ cũ aliis diſtributionẽ auferũt, & ſacrificiorũ cõſortes ſunt, neq; penſionẽ in inquilinos conſtitutã nobis perſoluẽtes. IVP. Ne quid obſcuris ambagibus inuoluas, ô Mome, verùm perſpicuè & dilucidè, quæ ſentis, eloquere, additis quoq; nominibus. Iã enim in mediũ ita oratio tibi proiecta eſt, vt multos pariter in ſuſpicionẽ rapiamus, ac aliũ alio modo tuis dictis obnoxiũ inſimulemus. Oportet verò liberũ concionatorẽ nihil ob metũ reticere. MO. Euge ô Iupiter, quandoquidẽ me ad linguæ libertatẽ cohortaris, fit verò hoc abs te animo prorſus regio & magnifico: próinde nominatim quoque tuo iuſſu eoſdẽ perſtringã. Ille enim generoſiſsimus Dionyſius, ſemihomo exiſtẽs, neq; à materna ſtirpe Græcus, ſed Syrophœnicis cuiuſpiã mercatoris, nẽpe Cadmi nepos, poſteaquam immortalitate donatus eſt, cuiuſmodi quidẽ ille ſit, nõ dico, neq; mitram, neq; ebrietatẽ, neq; errantẽ eius inceſſum vituperabo. Omnes enim, vt opinor, videtis quàm mollis ſit & effœminatus deliciis, dimidio inſaniẽs, ſtatim à ſummo mane merũ ſpirãs. Ille verò totã fratriã nobis induxit, & toto choro aduecto præſtò eſt, deósque declarauit & Pana, & Silenũ, & Satyros, agreſtes quoſpiã & caprarios permultos, homines ſaltationi deditos, & forma mõſtroſa ſpectabiles: quorũ hic quidẽ gerẽs cornua, dimidia parte corporis caprã referẽs, barbãq; profundã nutriẽs, parum ab hirco diſcrepat: alter verò ſenex caluitio & ſimis naribus deformatus, plurimùm ſuper aſinum inequitãs, genere Lydus eſt. Cæterùm Satyri acutis auribus, & ipſi calui & cornigeri, qualia ferè hœdis nuper natis excreſcũt cornua, Phryges quidam exiſtẽtes. Sunt verò caudati omnes. Videte cuiuſmodi deos nobis facit generoſus ille. Mitto enim dicere quòd & duas mulieres adduxerit, alterã amicam ſuã exiſtentẽ, nempe Ariadnen, cuius etiã coronã ſtellarũ choro annumeratã addidit. Alteram verò Icari agricolæ filiã. Et quod omniũ eſt ridiculoſiſsimũ, ô Superi, Erigones quoq; canẽ illum adduxit, ne triſtitia afficeretur puella, ſi familiarem ſuũ in cælo nõ haberet, & eam quã in deliciis habuit caniculam. Hæc verò nõ videntur nobis eſſe contumelioſa, quæq; nec inſania nec riſu careant? Audite etiã alios. IVPIT. Caue, Mome, quicquã dixeris aut de Aeſculapio, aut de Hercule. Video enim quòd orationis tuæ impetu rapiaris. Etenim horum alter agit medicum, & ægrotos morbis leuat, eſtq; planè multis aliis anteferendus. At Hercules filius meus exiſtens, nõ paucis laboribus immortalitatem adeptus eſt. Itaque caue ne hõſce accuſes temerè. MO. In tui quidem gratiam tacebo, ô Iupiter, etſi multa dicenda habeam: atque ſi nihil aliud, adhuc tamen ſigna igne inuſta in corpore retinent. Porrò ſi liceret & aduerſum te dicendi libertate vti, multa habẽ quæ poſsim oratione reprehendere. IVPIT. Atqui in me maximè tibi licet dicere. Nunquid igitur & me vt deum inquilinum in ius vocas? MO. Equidem in Creta non tantùm hoc audire licet: verùm aliud quoq; de te dictitant, atq; etiam ſepulcrum tuum commonſtrant hoſpitibus. Ego verò neque illis fidem habeo, neq; ex Achiuorum numero Aeginenſibus ſubditicium te eſſe affirmantibus. Cæterùm quæ cumprimis reprehenſione digna ſunt, ea in medium adducam. Enimuero horum delictorum principii, & concilii noſtri nothorum multitudine adulterandi, cauſam tu Iupiter adeò primus induxiſti, cum puellis ac mulieribus mortalis conditionis rem habere ſuſtinẽs, ac alio ſubinde habitu ad eas deſerto cælo deſcendens. Itaq; perſæpe in metu ſumus, ne quis te comprehenſum ſacrificet, quoties taurus factus es. Aut quiſpiam ex aurifuſoribus te conflatum perimat, quoties auri ſpeciem indueris, ac nobis pro Ioue aut ſegmentum, aut armilla, aut inauris factus fueris. Sedenim hiſce ſemideis cælum iam compleuiſti. neque enim aliter poſſum dicere. Eſtq; res planè abſurdiſsima, ſi quis ex improuiſo audierit Herculem in deorum numerum eſſe aſſumptum, Euryſthea autem qui illi imperauit, fatis functũ eſſe. Et Herculis templum cerni in proximo miniſtri exiſtentis, Euryſthei verò illius domini ſepulcrũ. Et rurſus ex Thebanis Dionyſus deus factus eſt: eius autem conſobrini, nimirum Pentheus, & Actæon, & Learchus, homines fuerunt omnium inſeliciſsimi. Ex quo verò tu, Iupiter, ſemel illis hanc licentiæ ianuam aperuiſti, & cum mortalibus commercium habere cœpiſti, omnes tuum inſtitutum imitantur. Neq; tantùm dii tui ſunt imitatores, ſed etiam deæ hac in parte tuum æmulantur ingenium. Quis enim ignorat Anchiſen, & Tithonũ, & Endymiona, & Iaſonem, & complures alios? Itaq; hæc mihi miſſa facienda videntur. Multi enim laboris eſſet hæc cuncta ſingulatim reprehendere. IVPIT. At vide Mome, ne quid de Ganymede dixeris. Malè enim me habebit, ſi adoleſcentem verbis conturbaueris, affecto contumelia genere. MO. Próinde neq; de aquila quicquam dicturus ſum, quòd & illa in cælo verſatur, regio ſceptro inſidens, ac tantùm non ſuper capite tuo nidificãs, & deus eſſe geſtiens: aut illam quoq; in Ganymedis gratiam præteribimus? Atqui, ô Iupiter, Attis ille, & Corybas, & Sabazius vnde nobis tandem accerſiti veniunt? Aut etiam Mithres ille Medus, qui indumẽto Perſico amictus, & tiara redimitus eſt, neq; græcã vocem ſonans, adeò vt ſi quis illi nectar propinet, præbibentem nõ intelligat? Itaq; & Scythæ & Getæ hæc videntes, nobis longum valere iuſsis, ipſi immortalitate donant homines, ſuiſque ſuffragiis deos quoſcunque libuerit conſtituunt, non alia ratione quàm Zamolxis ſeruilis conditionis homo exiſtens, diuinitatem adeptus eſt, & deorum numero aſcriptus, haud ſcio quo modo nobis impoſuerit. At ſanè hæc omnia, ô Dii, adhuc mediocria, & aliquo modo ferenda ſunt: cæterùm tu, ô canino rictu hians Aegyptie, qui ſindone amictus es, quiſnam eſſe glóriaris, ô optime, aut quomodo deus eſſe contendis latrando? Quid autem ſibi vult & Memphites taurus ille verſicolor, qui & precibus deueneratur, & reſpondet oraculis, neq; non prophetas habet? Pudet verò me ciconias percenſere, & ſimias, & hircos, atque his longè abſurdiora, quæ neſcio quomodo ex Aegypto in cælum vſq; conſcender

ſcenderunt. Illa itaque, ô Dii, quomodo ſuſtinetis æquali vobiſcum honore, aut etiã amplius adorari? Aut tu, Iupiter, quo ferre potes animo, poſteaquam arietis cornua tibi produxerint? IVP. Turpia profectò ſunt quæ dicis de Aegyptiis: attamẽ pleraq; illorũ in ſe myſtica complectuntur ænigmata, quæ non prorſus à phophanis deridẽda ſunt. MO. Planè nobis Iupiter opus eſt myſteriis, vt deos, deos eſſe cognoſcamus: & caninis capitibus præditos, canes eſſe intelligamus. IVP. Mitte de Aegyptiis in præſens dicere, nos verò de his alias per otium deliberabimus. Itaq; alios, ſi qui notãdi ſuperſunt, adducito. MO. Trophoniũ, ô Iupiter, & quod me præfocat, Antilochũ. Ille, inquã, ſceleſti & matricidæ hominis filius vaticinatur in Cicilia, multa impudenter ementiens, & duorũ obolorũ gratia præſtigiis incãtans homines. Quocirca nõ amplius tu, Apollo, ob vaticinii prædicationẽ haberis in precio, ſed iam omnis lapis, & quæuis ara reſponſa dat oraculũ petentibus, dũmodo oleo perfuſa fuerit, & coronas habuerit, & homine præſtigiatore abundauerit, cuiuſmodi iam permulti ſunt. Iam etiã Polydamãtis athletæ ſtatua medetur febre laborantibus in Olympia, & Theagenis in Thaſo. Quin Hectóri quoq; ſacra faciũt in Ilio, & è regione Proteſilao, nẽpe in Cherroneſo. Ex quo igitur in tantũ numerum ſubinde auẽti excreuimus, magis in vſu fuit periuriũ & ſacri egiũ, & omnino nos deſpectui habere ceperunt rectè facientes. Et hæc quidẽ de nothis & ſuppoſititiis dicta eſſe volui. Cęterùm ego & peregrina nomina permulta audiens eorũ qui neq; degunt apud nos, neq; vllo modo poſſunt eſſe, admodũ, ô Iupiter, propter hęc rideo. Vbi enim gentium eſt multis modis iactata illa virtus, & natura, & fatum, & fortuna, intoleranda & vana rerũ vocabula ab inertibus hominibus philoſophiæ titulo ſemet venditantibus excogitata? Quæ quanquã ipſorum cõmenta ſunt, ſic tamẽ ſimpliciũ animos perualerũt, vt nemo amplius nobis ſacrificare dignetur, certò perſuaſum habẽs, quòd etiam ſi infinitas hecatombas nobis obtulerit, fortunã tamen nihilo ſecus ea facturã quæ à fatis decreta ſunt, & quæ ſub initiũ cuiq; naſcentiũ Parcæ fatalibus fuſis adneuerint. Perlibẽter itaq; te, Iupiter, interrogarẽ, vbinã gentiũ tibi viſa eſſet aut virtus, aut natura, aut fatũ? Quòd enim & tu talia ſubinde in philoſophorũ diſputationibus audias, mihi dubiũ non eſt, niſi fortaſſe quiſpiã ſurdis ſit auribus, vt eoſdẽ vociferãtes inaudire nequeat. Multa equidẽ adhuc dicẽda ſuperſunt, ſed finẽ verborũ faciã. Video enim quoſdam ob dicta mea doleter perturbari, & iam ſibilare, maximè verò eos qui orationis libertate tacti ſunt. Itaq; pro cõcludenda oratione, ſi ita ſedet animo tuo Iupiter, decretũ quoddã de illis iã cõſcriptum legã. IVP. Recita. Neq; enim omnia abſurdè aut de nihilo reprehẽdiſti. Et ſanè multa ex illis inhibẽda & coercẽda ſunt, ne in immẽſum excreſcãt.

DECRETVM BONA FORTVNA.

Et hoc ad exẽplũ Athenieſium pſephiſmatum factũ. Sic enim & ex peregrinis, nõ Græci tãtùm, verùm etiã Barbari, nequaquã digni exiſtẽtes cæleſtis Reipub. cõmuni nobiſcum participatione, nothi & ſubditicii, haud ſcio quónã modo etiã dii eſſe cõtendentes, cælum angulatim cõpleuerunt, ita vt Tympoſiũ tumultuoſis turbis plenũ ſit, obſtrepẽte paſsim diuerſi lingui & vndiq; accerſita multitudine. defecit autem ambroſiæ & nectaris copia, adeò vt mna iam coemẽdus ſit ſextarius, propter bibentiũ multitudinẽ: ſed enim illi, qua ſunt procacitate & immodeſtia, diis veris & antiquis loco motis, ſemet ipſi primis dignantur accubitibus præter omnẽ morẽ patriũ: ad hæc in terris quoq; ante alios honorari contẽdũt: Deviſum eſt curiæ & populo, vt ad hvberna ſolſtitia cogatur in Olympo conciliũ: ſeptẽ autẽ ad cognoſcendũ appoſiti eligãtur Dii perfecti, tres quidẽ ex curia veteri, quæ Saturno regnante conſtituta eſt: quatuor autẽ ex duodecim, quorũ in numero vnus erit Iupiter. Cæterùm qui electi erunt arbitri, ipſi ad cognoſcẽdum cauſas ſeſſum eant, dicto prius iuramento legitimo, nimirum Styge. At Mercurius proclamato præconio vniuerſos in concionẽ congreget, quicũq; in deorũ cõcilium legitimè admitti poſtulant. Veniant autẽ illi adductis iuratis teſtibus, & certi generis indiciis. Deinde illi in vnũ locum cõmeent: verùm arbitri accuratè expẽdentes, aut deos illos declarabũt, aut ad ſua ſepulcra & maiorũ tumulos ablegabũt. Si verò quiſpiã ex obſcuris & reprobatis cõprehenſus fuerit, & ſemel ab arbitris condemnatus in cælum aſcenderit, ille per præceps in Tartarũ corruat. Præterea quiſq; exerceat ſua cõmercia, neq; Minerua rei medicæ intenta ſit, neq; Aeſculapius dãdis oraculis vacet aut ſeruiat, neq; Apollo tanta ſoli ſibi obeunda vendicet, ſed vna re quapiã electa, aut vatem, aut citharœdũ, aut medicũ agat. Porrò autẽ philoſophis dicetur, ne noua ſubinde fingendo cõminiſcantur nomina, neq; de iis quorũ imperiti ſunt, nugentur. In quorumcunq; autẽ honorẽ aut cultum templa aut ſacra conſtituta ſunt, illorum imagines ſubuertantur, earumque loco, aut Iouis, aut Iunonis, aut Apollinis, aut alterius cuiuſpiã erigatur. Illis autẽ vrbs congeſta terra ſepulcrũ accumulet, & aræ loco ſtatuam reponat. Quòd ſi quis præconio dicto audiens eſſe noluerit, arbitrorũq; examẽ & cenſurã ſubire recuſarit, ille indicta cauſa condemnetur. IVP. Iuſtiſſimum equidẽ decretũ eſt iſtud, ô Mome: & qui ſuffragatur huic, manum protendat. Atqui potius ita fiat. Complures enim noui futuros, qui ſua nõ ſunt adiecturi ſuffragia. Verùm in præſens abite. Cæterùm in concionẽ accerſiti à Mercurio, venite adferentes vnuſquiſq; cognitiones claras, & manifeſtas cõprobationes, matris & patris nomen, & vnde oriundus ſit, tum quomodo diuinitatẽ adeptus ſit, ad hæc tribũ quoque, & curiales. Verùm enimuero qui præſtò non fuerit, parum curæ erit arbitris, tametſi ille in terris ingens delubrũ habuerit, ac homines eundem deum eſſe exiſtimauerint.

apud illos aliquoties de peregrinis vrbe eiiciendis in Senatu decretum, leges ſq; latæ fuere, vt cũ alibi, tũ ex orationibus quibuſdã Demoſthenis patet.

CYNICVS,

Thoma Moro interprete.

ARGVMENTVM.

Diſputatio eſt Luciani inter Cynici, qua alter Cynicam vitam vt ſordidam ac ferinam, & à natura hominis

abhorrentẽ reprehendit, alter vt frugalem & modeſtã, & virtuti maximè cõuenientem defendit. Luciani argumenta ſumũtur à modo & deſcriptione vitæ victuq; Cynicorum, quòd illi vt mendici incedant: vt canes, quibuſus reiectamentis victitent: & vt feræ, nullas certas ſedes, nulla certa habitacula teneant: deinde & contra naturam faciant, quæ ob id omnia crearit, vt illis ad corporũ alimenta, deſenſionem, & voluptatem quoq; vtamur: quæ cum illi contemnant ac negligant, ipſam naturam ac Deum negligere atq; contemnere videri. Contrà autem Cynicus à finitione opulentiæ & inopiæ oſtendit ſe neq; mendicum eſſe, neq; quicquã ſibi deeſſe. Deinde quod alter de natura, & rebus omnibus ad vſum noſtrũ creatis affert, id ſimilitudine quadam diluit. Et primo, quod ad victum attinet, oſtendit, vt in conuiuio lauto nõ omnia ab omnibus arripi et vorari, ſic neq; in rebus creatis omnia ab omnibus vſurpari cõuenire: alia agrotantibus & inualidis, alia valentibus et robuſtis magis accommoda eſſe. Atque eo loco in diuitias, vt quæ magna moleſtia multisq; periculis pariuntur, deinde & ipſæ vicißim multorum malorũ cauſæ ſint, inuehitur. Et quod alter de Cynicis vſurparat, hoc in diuites ipſe retorquet, videlicet quòd contra quàm à natura omnia creata ac facta ſint, ipſi illis vtantur. Denique vitam ſuam etiam deorum exemplo atque authoritate comprobat. Deinde verò, quod ad habitum & cultum pertinet, oſtendit ea quoque parte naturam magis ſequi ſeſe, quàm diuites, ex officio & fine veſtium, cæterarumq; id genus rerũ. Nam ſe, quatenus vſus poſtulat, illis vti: contrà diuites vt cinædos & mulieres incedere, glabros & delicatos, et perinde vt torrente aliquo, ſic libidine ſua præcipites ferri. Poſtremò etiã deos pleroſq; barbatos ac nudos fingi, ſibiq; quàm diuitibus illis habitu ac cultu ſimiliores apparere.

LVCIANVS & CYNICVS.

LVCIANVS.

QVID tu tandem? barbam quidem habes & comam, tunicam non habes, nudus conſpiceris, ac ſine calceis, delecta nimirũ vaga inhumanáq; ac ferali vita: tum proprio corpore contrà quàm faciũt cæteri, ſemper vſus incommodè, nunc huc, nunc illuc circumis, in aridо præterea ſolo cubans, adeò vt plurimum etiã ſordium, tritum iſthuc pallium referat, alioqui nec ipſum vel tenui filo, vel molle, vel florulentum. CYN. Neq; cuim indigeo. ſi quid eſt huiuſmodi, vt comparetur facillimè, dominóq; minimũ exhibeat negocii, id, inquã, mihi ſufficit. At tu per deos dic mihi, putásne eſſe in luxu vitium? LVC. Imò admodum. CYN. Contrà in frugalitate virtutem? LVC. Admodum. CYN. Cur igitur tandem quum me videas viuentem frugalius quàm vulgò faciunt homines, eos verò ſumptuoſius, me, non illos arguis? LVC. Quia non frugalius per Iouẽ videris mihi, ſed egentius viuere, imò vitam omnino egenã atq; inopem. Nam tu nihil à mendicis differs, qui cibũ mendicant in diẽ. CYN. Vis ergo videamus (quandoquidem huc proceſsit oratio) quídnam inopia ſit, quídque rurſus copia? LVC. Si tibi quidem ita videtur. CYN. Nonquid ergo ſatis id cuique eſt, quicquid ipſius explet neceſsitatem? an aliud quippiam dicis? LVC. Eſto iſtud. CYN. Indigentia verò, quicquid cuiuſquam vſui deeſt, nec eò quò ſit neceſſe, peruenit? LVC. Scilicet. CYN. Nihil igitur meis in rebus deeſt. Nihil enim in his eſt, quod neceſsitatem non expleat meam. LVC. Quo pacto illud ais? CYN. Scies, ſi conſideres in quem vſum eorum quodque paratum eſt, quorum egemus: vt domus, an non tegumenti gratia? LVC. Maximè. CYN. Quid veſtis, cuius gratia? nónne tegumenti etiam ipſa? LVC. Sanè. CYN. At ipſo per deos tegumento, cuius rei gratia indiguerimus? nónne vt melius ſe habeat id quod tegitur? LVC. Mihi quidem ſic videtur. CYN. Vtrum igitur tibi peius ſe habere videntur pedes? LVC. Neſcio. CYN. Atqui hoc pacto didiceris: quódnam pedum officium eſt? LVC. Ingredi. CYN. An deterius ergo ingredi pedes tibi videntur mei, quàm aliorum? LVC. Illud verò fortaſſe non. CYN. At non poſſent, ſeu ſeſe melius ſeu deterius haberent, officium ſuum præſtare? LVC. Fortaſſe. CYN. Pedibus ergo nihil peius affectus videor, quàm alii? LVC. Non videris. CYN. Quid corpus verò meum? Num deterius quàm reliquorum? Nempe ſi deterius ſe haberet, eſſet idem imbecillius: corporis quippe virtus robur eſt. An meum ergo debilius? LVC. Non videtur. CYN. Neque pedes ergo tegumento videntur egere, neque reliquum corpus. Quippe ſi egerent, malè haberent. Egeſtas etenim omnino mala, ac peius habere ſe facit eà quibuſcunque adfuerit. At ne ali quidem deterius opus videtur meũ, quod quibuſlibet cibis alitur. LVC. Manifeſtum eſt id quidem. CYN. Nam nec vegetum eſſet robuſtúmque, ſi aleretur malè. Mala ſiquidem alimenta corpus tabefaciunt. LVC. Iſta quidem ita ſe habent. CYN. Quo pacto igitur, dic mihi, his ita ſe habentibus, me arguis, vitámq; improbas meã, ac miſeram prædicas? LVC. Ideo per Iouem, quòd cum natura (quam tu colis) ac ſuperi terram in communi ſtatuerint, ex eáque multa nimirum ac bona ediderint, vt nobis omnia ſupereſſent abunde non in neceſsitatem modò, verùm in voluptatem quoque: tu tamen horum omnium aut maximæ ſaltem partis expers es, nec eorum quoquam frueris nihilo certè magis, quàm feræ. Nempe aquam bibis, quam etiam bibunt feræ: comedis verò quicquid offenderis, quemadmodum canes: tum cubile nihilo melius canibus habes, quandoquidem gramen tibi ſufficit, quemadmodum & illis: pallium præterea circumfers nihilo mendico decentius. Quanquã ſi tu his contẽtus rectè ſapis, tum Deus profectò neutiquam rectè fecit, primùm quòd oues effecit pingues, deinde vites dulcis vini feraces, ac reliquum deinde apparatum varietate mirabilem, & oleum, & mel, & reliqua omnia vt nos haberemus, edulia quidem omnigena haberemus, potum dulcem haberemus, pecunias haberemus, mollem lectum haberemus: præterea pulchras domos, ac reliqua demum omnia mirum in modum præparata. Nam & ipſa quoque artium effecta, deorum dona ſunt. At viuere omnibus hiſce bonis priuatum, id fuerit profectò miſerum, etiam ſi ab alio quopiam priueris, quemadmodum hi qui ſeruantur in vinculis: longè verò miſerius, ſi quis ipſe ſeſe omnibus bonis priuet. Nam ea demum manifeſta inſania eſt. CYN. Et rectè quidem fortaſſe dicis. Verùm iſthuc dic mihi: Si quis diuite quopiam alacriter atque humanè, quin prolixè

sinè quoque exhibente cõuiuium, tum hospites excipiente & multos simul & omnigenos, alios quidẽ imbecillos, alios autem robustos, deinde apponente multa atque omnigena, si quis, inquã, omnia corripiat, omniaque deglutiat, non ea tantùm quæ vicina sunt, sed ea quoque quæ procul absunt, præparata videlicet inualidis, ipse tamen valens, quũ vnã duntaxat ventrem habeat, nec multis vt nutriatur indigeat, diutius tamẽ quàm alii multi immoretur, hic vir cuiusmodi tibi videtur esse? probúsne? LVC. Non mihi quidem. CYN. Quid verò, num temperans? LVC. Ne id quidem. CYN. Quid verò si quis eiusdem mensæ particeps, multa illa ac varia negligat, vno quopiam ex his quæ proximè apponuntur, electo, cum satis in suam habeat necessitatem, id decenter edat, eóque solo vtatur, cætera illa ne respiciat quidem: an non hunc temperatiorem & meliorẽ virum illo putabis? LVC. Ego certè. CYN. Verum ergo iam intelligis, an me oporteat dicere? LVC. Quidnam? CYN. Quòd Deus illi quidẽ pulchrè conuiuium instruenti similis est, vt qui apposuerit multa ac varia, atq; omnigena, vti essent quę cuique cõuenirent, alia quippe valentibus, alia rursus ægrotantibus, atque alia quidem robustis, alia verò inualidis: non vt omnibus vtamur omnes, sed vt his vtantur singuli, quæ suæ cuiusque naturæ cõueniunt, & ex his ipsis, quæcunq; re maximè quenq; indigere contigerit. At vos illum qui per insatiabilitatem atque incontinentiam omnia corripit, refertis, vt qui rebus vti velitis omnibus, & vndecunque partis, non solis contenti præsentibus, existimantes propriam quidem neque terram, neque mare sufficere, sed imporrantes ab ipsis vsq; terræ finibus voluptates, parriísq; rebus peregrina præferentes, sumptuosaq; frugalibus, atque ea quę difficilè comparantur, his quæ sunt comparatu facilia: in summa deniq; molestias malaque potius eligentes, quàm absque molestiis viuere. At isti quidẽ plurimi ac precioſi beatíq; apparatus quibus exultatis, per magnam ad vos miseriam ærumnamque perueniunt. Aurum ipsum tam optabile, si libet, argentúmque considera: domus considera sumptuosas, vestes operosa considera: atque eius generis omnia, quanto negotio emũtur, quot laboribus, periculis, imò sanguine ac cęde, quantóque hominum interitu: non ideo solùm, quòd dum nauigant, propter ista pereunt complures: ac dum quærunt parantq;, grauia perferunt: sed ob id quoq;, quòd digladiationes multas pariunt, quódq; ob ea insidiãtur inuicem & amicis amici, & parentibus liberi, & maritis coniuges. Sic opinor Eriphylen quoq; auri gratia prodidisse maritum. Atque hæc quidem omnia fiunt, quum tamen vestes illæ variæ nihilo magis quicquam queant calefacere, auratáque illa ædificia nihilo prorsus magis tegant, nec pocula illa argentea potui quicquam magis cõducant, sed nec aurei illi nec eburnei item lectuli somnum suauiorem præbeant, imò videbis frequenter in eburneo lecto, sumptuosísque stromatibus, beatis illis somnum contingere non posse. Præterea omnigenæ illæ circa edulia curæ, nihilo magis alunt, quin tabefaciunt potius corpora, iisdémque morbos ingenerant. Quid autem dicere attinet, libidinis gratia quantas molestias mortales & faciunt, & patiuntur? Quãquam facile est isti cupiditati mederi, nisi quis velit indulgere deliciis. At ne hæc quidem insania corruptelaque sufficere videtur mortalibus, sed iam rerum etiam vsum peruertũt, singulis rebus ad id vtentes, ad quod minimè paratæ sunt, quemadmodum lecto si quis vti carpenti loco velit, ac tanquam curru. LVC. Quísnam is est? CYN. Vos, inquam, qui hominibus tanquam iumentis vtimini. Nam eos iubetis, vt lecticas tanquam currus in ceruicibus ferant, ipsi verò in sublimi residetis delicati, atque illinc homines perinde tanquam asinos aurigamini, imperantes vt hac, non illac eant: & qui hæc facitis maximè, iidem maximè beati videmini. Tum hi qui piscium carnibus non tantùm vt alimentis vtuntur, verùm tincturas etiam quasdam ex his machinantur, eos dico qui purpuram tingunt, nõnne & hi præter naturam his vtuntur quæ à deo præparata sunt? LVC. Non per Iouem, siquidem tingere etiam potest, non comedi tãtùm, purpuræ caro. CYN. At non in id tamen nata est. Nam & cratere quispiam, si præter naturam detorqueat, ollæ loco posset vti, nec in id tamen paratus erat. Sed quo pacto posset quispiam vniuersam illorum infelicitatẽ percurrere, quæ tanta est? At tu me quoq; quòd nolo eius esse particeps, incusas: viuo ego tamen quemadmodum modestus ille, his videlicet duntaxat, quæ mihi apponuntur, vescens, ac frugalissimis vtens: variis verò illis atq; omnigenis minimè inhians. Ac déinde quum paucis egeam, ac minimè multis vtar, ferinam tibi videor vitam viuere. Atqui hac ratione tua Dii profectò in periculum veniunt ne & ipsi sint feris etiam deteriores, quippe qui rei nullius indigent. Verùm vt exactius intelligas cuiusmodi horum vtrunque sit, vel paucis videlicet egere, vel multis, considera quòd pluribus egent primùm pueri quàm adulti, déinde mulieres quàm viri, tum ægroti quàm valentes: atq; omnino in summa, inferiora quælibet præstantioribus plurium indigent: próinde Dii omnino nullius egent rei: qui verò ad Deos accedunt proximè, quã minimis egent. An Herculem putas omniũ hominum præstantissimũ, quippe diuinum virũ, deumq; rectè creditum, miserum tunc fuisse, quum circumiret nudus, pelle duntaxat indutus, harum rerũ nostrarum nihil desiderans? At ille miser profectò nõ erat, quippe qui miseriam ab aliis propulsabat: neq; rursus pauper, qui terra maríq; dominabatur. Nẽpe quocunque intendisset impetum, omnes quaquauersum superabat: nec in quenquam sui temporis incidit, qui se vel æquarit vnquã, vel vicerit, quoad ex humanis excesit. At tu illi stromata putas calceósq; defuisse, atque ob id mundum obambulasse tantum virum? Dicendum profectò non est: sed continens erat ac fortis, & moderatè viuere volebat, non indulgere deliciis. Quid Theseus eius discipulus? An non rex erat Athenienſium omnium, ac filius etiam, vt ferunt, Neptuni, sua certè tempestate fortissimus? Attamen ille quoque voluit sine calceis esse, ac nudus ingredi: barbámque & comam nutrire placuit ei: nec ei tamen solùm, sed omnibus etiam veteribus placuit: nempe meliores erant quàm vos: atque adeò ne sustinuisset quidẽ eorum quispiam aliquid huiusmodi, nihilo profectò magis quàm leo quispiam sese tonderi. Siquidẽ

carnis mollitiē ac lævorem decere mulieres existimabant, ipsi verò ſicuti erant, ita videri quoq; viri volebant: ac barbam quidem culcum viri ducebāt, quemadmodum in equis iubam, in leonibus barbā, quibus deus ſplendoris quandam atque ornamenti venuſtatem dedit. ſic & viris barbam adiunxit. Illos igitur ego æmulor, veteres, inquā, illos imitari volo. Huius verò tempeſtatis homines non æmulor mirabilis huius felicitatis nomine, quam in epulis & veſtibus habent, dum poliunt ac lænigant ſingulas corporis partes, ac ne ſecretiorum quidem vllā, ita vt inſtituit natura, dimittētes. At mihi certè pedes opto vt nihil equinis differant, quales Chironis fuiſſe ferunt. Tum vt ipſe ſtromatis non egeam more leonum, nec cibo egeā magis exquiſito quàm canes. Cōtingat præterea mihi, vt terra quæuis mihi per ſe pro cubili ſufficiat. Domum verò vt mundiſſimā hanc exiſtimem. Alimenta demum vt ea deligam, quæ facillimè cōparari poſſint. Aurum verò argentūmque ne deſiderē vnquam, neq; ego, neq; meorum amicorum quiſquam. Omnia namque mala inter homines ex horum cupiditate naſcuntur, & ſeditiones, & bella, & inſidiæ, & cædes. Hæc omnia fontem habent plus habendi cupidinem. At hæc à nobis abſcedat procul, ne vnquam plus ſatis appetam: minus verò cum habeam, ferre æquo animo valeam. Noſtra quidem ita ſe habent. Plurimū profectò à vulgi ſententiis iſta diſſentiunt. Neq; quicquam ergo mirandum eſt, ſi ab his differimus habitu, à quibus tantum differimus inſtituto. Sed te miror, quónam pacto, quum ſuam quandam citharœdo veſtem tribuas, cultúmq;, atq; adeò tibicini ſuū, & tragœdo ſuū: bono viro cultum veſtemque propriam nullam exiſtimas, ſed eandem ei cum vulgo habendam cenſes, idq; qtū vulgus malū ſit. Quòd ſi bonorum cultus proprius debet eſſe vllus, quinā deceat magis quàm hic meus, qui maximè luxurioſis pudendus ſit, quémque illi maximè auerſentur? Cultus ergo meus huiuſmodi eſt, ſqualidum eſſe, hirſutum eſſe, tritum pallium indui, comam producere, ac ſine calceis ingredi. Veſter verò, cinædorum ornatui ſimillimus eſt, nec dignoſcere vos quiſquam ab illis poſſit neq; colore veſtiū, neq; mollitie, neq; camiſiarū numero, neq; lacernis, neq; calceis, neq; capillorū cura, neque odore. Nam & redoletis vt illi, iam præſertim vos, qui eſtis feliciſſimi. Et quidem quid facias, quum vir eundem cum cinædis odorē oleat? Etenim in ferendis laboribus nihil illis præſtatis, voluptatibus verò nihilo minus quàm illi ſuperamini: eadē comeditis, eodē modo dormitis atq; inceditis, imò verò incedere nō vultis, ſed geſtari potius tanquam ſarcinæ, alii ab hominibus, alii verò à iumentis. At me pedes ipſi geſtāt, quòcunq; ſit opus: egóq; & frigus tolerare ſufficio, & calorē patiēq; quæ dii obtulerint, minimè moleſtè ferre, ideo videlicet, quia miſer ſum. Vos verò propter hanc felicitatem nulla eſtis fortuna contenti, ſed omnium pœnitet: ac præſentia ferre non poteſtis, abſentia deſideratis, hyeme quidem optātes æſtatem, æſtate rurſus hyemem: atque in calore frigus, in frigore viciſſim calorem: quemadmodū ægrotantes, moroſi ſemper & queruli, quod in illis quidem facit morbus, in vobis verò mores. Atque hæc ita quum ſint, iam nos in vitam veſtram traducere æquum cenſetis, noſtramq; corrumpere, quū ſæpe malè conſulta ſint quæ facitis, ipſiq; litis in veſtris ipſorum negociis minimè circunſpecti, nihilq; eorum iudicio ac ratione, ſed conſuetudine cupiditatis faciatis. Quamobrem nihil profectò differtis vos ab his qui torrēte feruntur. Illi quippe quocunq; fluxus intenderit, eò rapiuntur: & vos iisdem quocunq; libidines. Ac ſimiliter quidem vobiſcum agitur, vt cum quodam qui equum inſanum aſcenderat: equus igitur virum corripiens abſtulit, hic verò amplius iam deſiſtere equo currente non poterat: quidam verò cū occurriſſet ei, rogauit quónam tenderet, hic reſpondit, quocunque huic videtur, æquum demonſtrans. Quòd ſi vos quiſquā rogem, quò feramini: ſi verum vultis dicere, dicetis: in vniuerſum quidem, quocunq; videatur affectibus: ſigillatim verò, interdū quocunq; voluptati, interdum quocunq; ambitioni, interdum rurſus quò lucri ſtudio. Quin interdum ira, interdum meus, interdum aliud quippiam huiuſmodi vos auferre videtur. Neq; enim vnūquenquam equū vos, ſed multos inſilientes, nunc hunc, nunc illum, furioſos quidem omnes, arripimini. Auferunt ergo vos in barathrum ac præruptа: vos tamē priuſquam cadatis, caſuros vos eſſe neſcitis. Ac hoc detritum pallium quod vos ridetis, comaq;, habituſq; meus tantā habet vim, vt vitam mihi quietam præbeat, vtq; agam quicquid volo, verſerq; cum quibus volo. Nempe ex indoctis atque ineruditis hominibus nemo me adire voluerit, ob hunc habitum: at molles etiā qui ſunt adhuc admodum procul, declināt: congrediūtur verò ſciſſimi atq; modeſtiſsimi: & qui virtutem cupiunt, hi potiſsimùm congrediuntur mecū. horū ego conſuetudine delector. Eorū verò fores qui homines vocantur, nō obſeruo, tū coronas aureas ac purpuram pro faſtu habeo, atque homines ipſos derideo. At vt cultū hūc intelligas nō bonos modò viros, ſed ipſos etiam deos decere, atq; eum déinde, ſi libet, irrideas, deorū ſtatuas cōſidera, vtri videātur, vobisne, an mihi ſimiliores. Neq; Græcorū ſolùm, ſed barbarorū etiā tēpla circūſpicias, vtrū ipſi dii, vt ego, comati barbatiq; ſunt, an quēadmodū vos, rali fingūtur atq; pingūtur. Quin plurimos etiā ſine tunicis conſpicies, vt me nūc eſſe vides. Quo pacto igitur audeas poſthac hunc habitū vitio dare, quum deos etiam decere videatur?

PSEVDOSOPHISTA, ſeu Soloecista,

Iacobo Micyllo intetprete.

ARGVMENTVM.

Quanquam neque hic dialogus, vt ſuprà Lexiphanes ille, vertendus fuerat, quòd ſingula commodè ac ſuo modo Latinè reddi non poſſent, pro ſuſcepto tamen opere audendum aliquid longius, & periculum qualecunque faciendum fuit. Quo aquiorem nobis lectorem fore puto, ſi quæ etiam hic offenderit quæ expectationi ipſius non omnino reſpondebūt, præſertim cùm ipſum quoque exemplar quo nos vertendo vſi ſumus, in quibuſdam locis non ita ſyncerum & caſtigatū appareret. Tractat autē de Soloeciſmo Lucianus, quem veteres Latini, vt Gellius indicat, ſtribiliginem vocarūt, Graci etiam Soloecon. Atque illud innuit, haudquaquam ita expeditum aut obuium cuiuis eſſe, planè ac purè dicere, & ab omni vitio ſermonis temperare,

rum, idque exemplo cuiusdam quem Pseudologistam, à falsis, ne videtur, facundiæ atque doctrinæ persuasione, Solœcistam autem ab ipsa re appellat: qui cum profiteretur se & loqui pure, & multos in sermone peccantes deprehendere facile posse, interim ipse etiam illa quæ nota ac manifesta sunt, ignorare fingitur. Ac principio quidè varias Solœcismi formas exemplis cum suis tum aliorum proponit, postremo autem & quaddam explicat, & quod in quo vitium & peccatum sit, ostendit. Propriè autè ad grammaticum hoc Dialogus pertinet: quem si multi illorum iam diligenter perpendarent, quàm facilè sibi persuadent & Latinè & Græcè. Interim sæpissimè: imperitique haud dubiè minus essent arrogantes, & arrogantia ineptiæ.

LVCIANVS & SOLOECISTA.

LVCIANVS.

NVM igitur qui agnoscere solœcissantem potest, idem etiã cauere potest ne solœcisset? SOL. Mihi quidem ita videtur. LVC. Qui verò cauere nõ potest, ille nec agnoscere potest eum qui talis est? SOL. Rectè dicis. LVC. Tu verò teipsum negas solœcissare, aut quo pacto de te dicamus? SOL. Indoctus equidem essem, si cum tantæ ætatis sim, adhuc solœcissarem. LVC. Proinde & alium deprehendere poteris qui hoc facit, & negantem conuincere? SOL. Prorsus itaque. LVC. Age nunc, cõuince me solœcissantem. Iampridè enim solœcissare gestio. SOL. Proinde dic. LVC. At equidem iam graue istud commisi: tu verò non agnouisti. SOL. Ludis tu nunc? LVC. Non per deos: Nam solœcismo commisso latui te, perinde ac nesciens. Rursus autem contemplare. Neque enim te puto intelligere posse: quoniam alia quidem nosti, alia autem non nosti. SOL. Dic modò. LVC. Sed & nunc solœcismus à me commissus est, tu verò non cognouisti. SOL. Nam quomodo cognoscerem, cum tu nihil dicas? LVC. Ego quidem dico, & solœcisso: tu verò non assequeris istud facientem: quoniam vtinam etiam nunc assequi possis. SOL. Mira dicis, si nequeam solœcismum quis sit, intelligere. LVCIA. Et quo pacto vnum intelligeres, quando iam tres non animaduertisti? SOL. Quos tres? LVC. Totos recèns natos. SOL. Ego te quidem ludere puto. LVCIA. At ego te ego ignorare eum qui in verbis peccat. SOL. Et quomodo quis intelligat, quando nihil dictum est? LVC. Dictum est, & solœcismus iam quadrifariam commissus: tu verò nõ cognouisti. Magnum igitur præmium confecturus fueras, si cognosses. SOL. Non magnum quidem, sed necessarium confitenti. LVC. Sed neque nunc cognouisti. SOL. Quando nunc? LVC. Quando præmiũ confeciſſe te dixi. SOL. Nõ intelligo quid dicas. LVC. Rectè dicis: neque enim intelligis. Ac procede sanè in anteriorem partem; non enim vis assequi. Intelligam enim si modò volueris. SOL. At ego volo: tu verò nihil dixisti eorum quę homines solent cum solœcismum faciunt. LVC. An tibi hoc quod modò dictum est, parũ ali quod malorum videtur esse? Sed tamen sequere denuo, quoniam non animaduertisti cursu digredientem. SOL. Ita per deos, ego equidem non. LVC. At verò dimisi currere leporẽ celeriter. Num præterii sti? sed & nunc licet videre leporem. Si verò non, multi inde lepores facti latebunt te in solœcismo iacentes. SOL. Non latebunt. LVC. At verò latuerũt cersè. SOL. Mira dicis. LVC. Tu verò præmia eruditione corruptus es, vt neque ipsum hoc solœcissantes intelligere possis. Deest enim ipsi distributiua vox τινά, id est quendam. SOL. Hæc quidem nõ intelligo quo pacto dicas: ego verò multos iam solœcissantes perspexi. LVC. Et me igitur scies tunc, quando puer quispiam eis eorũ videlicet qui mammam adhuc sugunt. Aut si nunc non cognouisti solœcissantem me, neque crescentes pueruli solœcissimum facient nihil intelligenti. SOL. Vera dicis. LVC. Atqui si hæc ignorabimus, nihil cognoscemus nostrorum propriorum: quoniam & hic solœcismus quem nunc feci, fefellit te. Ne igitur dixeris amplius quòd possis perspicere solœcissantem, & ipse solœcismum non committere. Atque ego quidem hoc pacto. Socrates autem, qui à Mopso genus ducebat, cui in Aegypto conuersatus sum, huiusmodi dicere solebat citra inuidiam, neque apertè arguebat eum qui sic peccasset: verùm ad eum qui interrogabat, πηνίκα ἔξει, hoc est quando exibit? Quis enim, inquit, respondeat tibi de hodierna die tanquam exiens? Alio autem dicente, ἱκανά ἐχω τὰ πατρῶα, id est satis habeo paternorum bonorum: Quomodo ais, inquit, an tibi pater mortuus est? Alio autem rursus dicente, συμταλαίπωρός ἐστί μοι, hoc est conterraneus meus est: Latuisti igitur nos, inquit, barbarus existens. Alio autem quodam dicente, ὁ δᾶνά ἐστι μεθύσης, hoc est, iste nescio quis ebrius est: Matrísne, inquit, aut quomodo dicis? Alio autem, λέοντας: Duplicas, inquit, leones. Cum autem quidam dixisset, λήμμα πάρεστιν αὐτῷ, duplici videlicet μέτρῳ, id est quæstus siue captura ineſt ipsi: Próinde, inquit, capiet, si captura ipsi ineſt. Alio autem dicente, προσιὼν ὁ μήραξ ὁμώνυμος φίλος, ideſt accedit adolescens meus amicus: Et conuiciaris illi, inquit, cum sit amicus? Ad eum autem qui dixerat, δειλοῦμαι τὸν ἄνδρα, καὶ φεύγω, hoc est terreo, pro timeo, virum, & fugio: Tu, inquit, etiam quando timebis aliquem, persequêris. Alio autem dicente, τῶν βίλων κορυφαῖος τυγχάνει, id est amicorum maximè summus: Festiuum sanè, inquit, quod supra verticem seu summam aliquid vltrà etiam ponis. Et ὀρούμενον quopiam dicente, hoc est inuado siue irrumpo: Et quisnam est, inquit, quem ὀρούμενος; hoc est impellis. Ἐξεπιπολῆς autem quodam dicente, hoc est de superficie: subiecit, ἀπὸ τῆς ἐπιπολῆς ὡς ἀπὸ τῆς πιθάκνης, hoc est ex superficie vt ex doliolo. Dicente autem quodam, συνετάξατό μοι, hoc est composuit mihi, vel eiusdem ordinis mecum fuit, & manipulũ, inquit, Xenophon συνέταξατο, id est coordinauit. Alio autẽ dicente: περιέσχηκεν αὐτὸν, ὥστε λαθεῖν, ideſt circũsteti, seu circũdedi ipsum, vt laterem: Mirum, inquit, si tu, cũ vnus, fis, περιέχῃς, id est circunsteteris vnum. Alio rursum dicente, συνεκέκινητο αὐτῷ, quod & cõparabatur ipsi, & contendebat cũ ipso, significat, subiecit καὶ διεκέκινητο πᾶς, hoc est diiudicabatur seu dirimebatur quoq; omnino. Solebat autem & contra eos qui solœcismũ Atticè loquendo committebant, eadem festiuitate ludere. Nam ad eũ qui dixerat τοῖ τὸ δοκεῖ, hoc est, nobis hoc videtur: Tu, inquit, etiã τοῖν dices, vt peccamus. Alio autẽ seriò narrante quippiã eorũ quæ in patria sua acciderãt, & dicẽte, Illa verò Herculi μιχθῆσα, hoc est concũbens: Non igitur, inquit, Her

cubes ἐπικοίτῃ αὐτῇ, hoc est, ipse concubuit, siue cōmixtus fuit. Porrò dicente quopiam quòd haberet opus κάρωτος, hoc est tonderi: Quidnam graue adeò, inquit, & quod dignum ignominia ista sit, abs te factum est? Et ξυγομαχεῖν, hoc est (vt Hesychius exponit) cum domesticis & familiaribus contendere, dicente quopiam: Tunc aduersus hostem, inquit, ξυγομαχῇς; Alio autem quodam dicente puerum suum morbo decumbentem βασανίζεσθαι; hoc est torqueri: Cuius gratia, inquit, torquetur? aut quid vult ille qui torquet? Προκόπτειν verò eum quidem dicerret ἐν τοῖς μαθήμασιν, hoc est, proficit in discipulis, respondit: At Plato ταπεινοῦσθαι, hoc est, crescere, vocat. Interrogante autem quopiam, ἀ μελετήσει ὁ δεῖνα, hoc est an declamaturus nescio quis esset: Quomodo ergo, inquit, interrogans me an declamaturus sim, dicis ὁ δεῖνα, hoc est in tertia persona iste. Volente autem quodam Atticismum exprimere, & dicente, τεθνήξει, hoc est, morietur in diem tertium: Satius, inquit, foret etiam hic non Atticissare adeò te, quando malum imprecaris. Ad eum autem qui dixerat, φείσομαί σου τῆδε, pro φείδομαί σου τῆδε, hoc est parco ipsi: Nunquid, inquit, aberrasti iaculando? Quodam verò ἀφιστᾶν dicente, & altero ἀφιστάνειν, pro eo quod est ad defectionem solicitare: Vtrumque, inquit, non noui. Ad eum autem qui dicebat πλὴν ἐμοῦ, hoc est, nisi sit: Hec, inquit, dupla gratificantur. Et χρᾶσθαι cum quidem diceret, Pseudatticum, inquit, verbum est. Rursum dicenti ἔκλοτε, pro ex eo tempore: Pulchrum, inquit, fuerit & ἐπέρυσιν, hoc est, ex superiori anno dicere. Nam plato εἰς τοτε, hoc est, in id tempus, dicit. Ei verò qui ἰδοὺ pro ἴδε, hoc est vide, vtebetur: Alia pro aliis, inquit, significas. Cum quidam autem ἀναλαμβάνομαι pro συνίημι (hoc est intelligo) diceret, mirari se ait quo pacto ὁ ἀντιπαιμένος τὸ λέγοντος, id est qui cum dicente certaret, siue competitor eius foret, diceret ἀντιποιεῖσθαι, id est concertare vel competere se. Βράδιον autem dicente quopiam, Non est simile, inquit, verbo τάχιον, quod celerius significat. Et rursum βαρῦναι pro grauare dicente quopiam: Non est, inquit, βαρύνειν, quemadmodum putasti. Λέλογχα item pro ἔλαχα (id est sortitus vel nactus sum) dicente quodam, Modicum, inquit, etiam apud quos peccatur; Multis autem ἵπτασθαι pro πέτασθαι (quod est volare) dicentibus, Quòd ἀπὸ τῆς ἰόσεως (hoc est à volatu) quidem verbum hoc descendat, planè scimus. Περιστερὸν autem quodam dicente (hoc est columbum masculino genere) Quasi hoc Atticum verò foret, etiā τὸν φάττον (id est palumbum masculino genere) dicamus, inquit. Rursum dicente quodam se φακὸν comedisse (hoc est lentem) Et quomodo, inquit, φακὸν aliquis comederit, quod & algam, & lentiginem, & vas quoddam vnguentarium, & alia item quędam significat. Atque hæc quidem Socratica illa sunt. Redeamus autem, si videtur, ad certamen priorum verborum. Ac ego quidem citabo ea quæ optima videntur esse tota, tu verò cognitionem fac. Arbitror enim vel nunc posse te, quippe qui tam multa ordine iam audieris, S O. Fortassis ne nunc quidem potero te dicente: sed tamen dic. L V. Et quomodo ais te non posse? Nam cognitionis ipsorum propè ianua tibi aperta est. S O L. Dic igitur. L V C. At iam dixi. S O L. Nihil certè quod ego intelligam. L V C. An nō intellexisti quod dixi ἀνέῳγεν, (id est, aperuit, pro aperta est. S O L. Non intellexi. L V C. Quid igitur patiemur, si ne nunc quidem assequeris ea quæ dicuntur? Atquí secundum ea quæ ab initio abs te dicta sunt, ego quidem putabam me equites in campum prouocare: tu verò equites cogitasti. Sed videris non curare verba, maximè quæ inter nos ipsos prosecuti sumus. S O L. Ego quidem curo, tu verò obscurè ipsa prosequeris. L V C I A. Nempe omnino obscurum est quod dixi, καὶ ἅ σοι ἀνῆκα, cum de nobis mētionem facerem. Sed hoc quidō manifestū est. Te verò nullus deorum ab ignorantia liberauerit, nisi fortassis Apollo. Vaticinatur enim ille omnibus interrogantibus: tu verò neque ipsum μαντεύεσθαι intelligis. S O L. Per deos equidem: non enim didici. L V C. Si ergo καθεῖς latet te circumiēs. S O L. Videntur* certè. L V C. At καθεῖς iste quo pacto præteriit? S O L. Neque hoc didici. L V C I. Nosti autem quempiam sibi ipsi γάμων μνηστευόμενον, (hoc est, nuptias stipulantem vel despondentem?) S O L. Quorsum igitur hoc? L V C. Quòd necesse est solœcismum committere τὸν μνηστευόμενον αὐτῷ, id est, eum qui sibi despondet. S O L. Quòd igitur ad meū negotium hoc, si solœcismum committit qui spiam despondens? L V C. Quòd ignoratis, qui se scire diceritabat. Et hoc quidem ita se habet. Si verò quispiā dicat tibi accedens, ὡς ἀπολάποι τὴν γυναῖκα, hoc est, quòd repudiare velit vxorem, num permittes hoc illi? S O L. Quid ni permittam, si videatur iniuria affectus esse? L V C. Si verò solœcismum committere videatur, atiamne hoc permittes illi? S O L. Haud equidem. L V C. Rectè dicis: Neque enim concederem dendū amico vt solœcisset, sed docendus potius est, vt hoc ne patiatur. Quòd si quis autem nūc crepare faciat ianuam ingrediens, aut exiens pulsset, quid dicemus tibi accidisse? S O L. Mihi quidem nihil: illū verò vel exire velle, vel introire. L V C. Tibi verò, cum ignores τὸν κόπτοντα, hoc est qui pulsat, aut τὸν τὸ φθόγγα, hoc est qui crepare faciat, nihil omnino accidisse putabimus indocto adeò existenti? S O L. Contumeliosus es. L V C. Quid dicis? Ego contumeliosus verò nunc γενήσομαι (id est fiam) qui tecū disputo? Videtur autem solœcissare etiā ipsum γενήσομαι, quo nunc vsus sum: tu verò nō cognouisti. S O. Desine, quæso per Minerua, ac dic potius tale aliquid, quod etiam ego intelligam. L V C. Ac quo pacto intelligas? S O L. Si mihi omnia ista percurras quæ modò dixisti à te cum solœcismo dicta, à me autem nō animaduersa esse, & quo pacto in singulis peccatum sit exponas. L V. Nequaquam, ô optime, longū enim hoc modo facturi essemus dialogum: sed de horum quidem vnoquoque licebit tibi singulatim quęrere. Nunc autem alia quędā persequamur, si videtur. Ac primùm ipsum hoc ἄτιλα, absq; aspiratione, & cū tenui spiritu, vtrū rectè videatur dictū cū verbo ἕτερα compositum. Non enim ita præter rationem fuerit. Deinde & τὸ τ' ὕβρεως, id est dē contumelia, qua te à me affectum ais, si non hoc pacto dicā, sed ἐς σέ, hoc est in te contumeliosum (fuisse me scilicet) dicam, proprium id esse ego quidem non possum dicere: quoniam σὲ quidem ὑβρίζειν, hoc est te contumelia afficere: idem est quod corpus tuum, siue plagis, siue vinculis, siue etiam aliquo pacto. At ἐς σὲ (hoc est in te contumeliosus esse dicor) quando alicui

tuorum

tuorum contumelia fit. Nam & qui vxorem tuam contumelia afficit, in te contumelioſus eſt, & qui puerum tuum, & amicum, & certè qui ſeruum quoque. Nam præterquam de rebus, ita tibi ſe res habet: quoniam & in res contumelioſum eſſe dictum eſt, vt in prouerbium, quemadmodum Plato dicit in ſympoſio. S O. Intelligo differentiam. L V C. Num igitur & hoc intelligis, quòd ſi dicam, τῶτα ὑπαλλάττειν. ſolœciſmum vocant? S O L. At nunc ſcribo. L V C I. Ipſum autem dici debere ἐναλλάττειν? S O L. Mihi quidem videtur idem vtrunque dicere. L V C. At quomodo idem fuerit ὑπαλλάττειν & ἐναλλάττειν, quandò illud quidem eſt alterum cum altero commutare, videlicet id quod rectum non eſt, cum eo quod rectum eſt: hoc autem, id quod non eſt, cum eo quod eſt? S O L. Intelligo quòd ὑπαλλάττειν quidem ſit, id quod proprium non eſt, pro eo quod propriũ eſt, dicere: ἐναλλάττειν verò, aliquando quidem eo quod proprium eſt, aliquando verò eo quod proprium non eſt, vti. L V C I. Habent quandam & hæc conſiderationem non iniucundam. κατηγορεῖν autem πρός τινα, id eſt ſatagere vel obſequioſum eſſe erga aliquem, propriam vtilitatem eius qui ſatagit, indicat: cum autem dico περί τινα, circa aliquem, illius indicat, circa quẽ quis ſatagit, ſiue obſequioſus eſt. Atque hæc quidem fortaſſe confundũtur à quibuſdam, fortaſſis autem etiam obſeruantur: melius autem eſt obſeruare vnumquenque. S O L. Rectè dicis. L V C I. καθέζεσθη verò à καθίσαι, & κάθιζον à κάθησο ſcis quo pacto differant? S O L. Haud ſcio. καθέσθητι quidem audiui te dicere quòd ſit alienum. L V C. Et rectè quidem audiſti. Sed κάθισον à κάθησο differre aio. S O L. Et quo tandem inter ſe differunt? L V C I. Quòd κάθισον quidem ad eum qui ſtat, dicitur: alterum autem ad eum qui ſedet, vt:

ἧσο ξᾶν, ἡμᾶς δὲ καὶ ἀλλόδι δόμοιν ἔδρην.

Hoc eſt, Sede vel quieſce hoſpes, nos autem etiam alibi inueniemus ſellam. Rurſum itaque dictum ſit, quòd qui hæc commutat, vitium incurrit. καθίζω autem à καθέζομαι, num tibi parum diſtare videtur? Siquidem κατίζειν dicendo, alterum ſedere facimus: καθέζεσθη verò, noſmet ipſos ſolos. S O L. Et hæc ſufficienter proſecutus es. Atque igitur dic: ita enim oportet te docendo præire. L V C I. Nam me alio pacto dicente, non intelligis. Non noſti quale ſit ξυγγραφεὺς ἀνήρ (hoc eſt, vir hiſtoriarum ſciptor aut commentator.) S O L. Admodum noui, vt qui te audierim hæc dicentem. L V C. Quoniam & καταδεδαλλάδθη tu quidem fortaſſis idem cum καταδεδαλλάδθη putaſti: ego verò ſcio differentiã non paruam habere. S O L. Quámnam hanc? L V C. Quòd hoc quidem alteri, καταδεδαλλάδθη autem ſibi fit. S O L. Pulchrè dicis. L V C. Etiam alia verò multa licet tibi diſcere, ſi modò non ipſe tibi ſcire, cum neſcias, videbere. S O L. Non videbor facilè L V C I A. Proin reliqua in poſterum reiiciemus, in præſentia autem dialogum diſſoluamus.

Vide num & de his in ſuperioribus deſit quippiam.

Id eſt, in ſeruitutem redigere, & redigi.

SCHOLIA IN PRAECEDENtem Dialogum.

Graue iſtud commiſi) Fortaſſis quia dixit ἐξ ἰσελοιχῶ, *id eſt modo vel paulo antè ſolœciſſare gerio.* nam Gaza *id aduerbium cum præterito conſtrui dicit.* *Solœciſmus à me commiſſus eſt.)* *In eo, vt videtur, quod dixit,* ἃ μὲν & ἃ δὲ, *pro* τὰ μὲν & τὰ δὲ, *id eſt alia quidem, alia verò.* *Quando iam tres.)* *Tertium, cum dicit,* ὄφελον δυνάσῃ, *id eſt vtinã poſſis: quoniã* ὄφελον, *vt cætera optandi, cum optatiuo poni poſtulat.* *Quadrif. commiſ.)* *Suprà ter, quarto autem in verbo recèns natos, opinor, quod Græcè* ἀρτιγενέτας *dixit pro* ἀρτιγενεῖς. *Præmiũ conſeciſſe)* *nam certamen cõfeciſſe dicere debuerat, hoc eſt in maſculino genere* ἄθλον, *non in neutro.* *Quod modo dictũ eſt)* *videlicet, ſi modò volueris. id enim Græcè dixit* εἴπερ δὲ λύσειας, *præterito tempore, cum præſenti vel futuro potius debuerat.* *At verò latuerunt certè)* *quoniam vox* λαγὼ *& ſingularis numeri & dualis eſt, & item pluralis ſi ſubdas* ἰὼτα. *Deeſt enim ipſi diſtributiua vox* τινὲ) *quòd dicendum videlicet erat,* λαγὼ τινε μάδικα. *Aut ſe nunc non cog. ſolœciſſantem)* *vel quia dixit,* ὅταν τι τῶν παιδίων γένηται, *quaſi in intellectu ibi peccatum ſit. vel quia* τὰς τίτθας θηλαζόντων, *id eſt nutrices ſugentiũ pro* τιτθία *dixit.* *Et hic ſolœciſ. quem feci, fefellit te)* *In eo opinor cum dixit* ἀξιάνοητα παιδία, *actiuo pro paſſiuo vſus.*

Qui interrogabat, πυνίκα ἔξεσι, *&c.)* *Exempla quæ ſequuntur, Græcè omnia poſui, vt quiſque per ſe videat ac iudicet in quo vitium orationis ſiue ſolœciſmus ſit.* *Sunt enim huiuſmodi quædam, vt non cuiuis ſtatim appareat quid vbique ambiguum aut immutatum, aut plus minúſve dictum ſit: quale ſtatim à principio hoc eſt quòd reprehendit eum qui dixerat,* πυνίκα ἔξεσι & *infrà* προσεσιν ὁ μέραξ ὀνικὸς φίλος, *& alia quædam.* *Alia autem λέοντας)* *videtur nonnihil deeſſe.* λῆμμα πάρεστιν αὐτῷ) *volverat autem* λῆμμα *dicere, quod prudentiam vel φόνημα ſignificat.* *Alio au. dic.* τῶν φίλων κορυφαιότατος) *alludens eò quod ſuperlatiuum à* κορυφαῖος *fecerat.* *Et* ἐξορμῶ *quo di. &c.* *Et quiſnam eſt inquit, &c.)* *altero abſolutè dicente, altero accipiente.* *Subiecit,* ὁκ τῆς ὑπατικῆς, ὁκ τῆς παιδάκνης) *quaſi dicat vno itidem vt altero vtendum eſſe.* *Dicente autem quodam* συνετάξατό μοι) *ad ambiguitatem reſpiciens videlicet.*

Mirum, inquit, ſi tu, &c.) *quaſi non ſatis proprium fuerit.* *Non igitur, inquit, Hercules* ἐμίχθη αὐτῇ) *quaſi hoc verbum de viris tantum, & non de mulieribus vſurpandum fuerit.* *Alio autem qua. di. pu. ſu. mor. dec.* βασανίζεσθαι) *quòd verbo impropriè vſus eſſet, vt ſuprà quoque, & mox infrà.* προκόπτει *vero &c.)* *quaſi quod non ſatis atticum foret.* *Dicis, ὦ δέσποτα, &c.)* *quoniam atticè in ſecunda perſona intelligatur.* *Qui dixerat* προχάζομαι αὐτῷ) *nam* προχάζεσθαι *ſcopum petere ſignificat, & aliàs etiam obſeruare & colere.* περίεργον *autem quodam, &c.)* *nam illi fœminina quædam maſculino genere proferunt, vt* ὁ θεός. φανὸν *comediſſe)* *eadem ratione vt ſuprà pro* φανὸν. *Quod dixi* ἀνέωγον) ἀνέῳγον *in verbo medio dixit pro paſſiuo, id eſt aperta eſt.* κατὰ σφᾶς αὐτούς) *vbi* σφᾶς *tertiæ perſonæ pro prima ponitur.* *Vaticinatur enim &c.)* μαντεύῃ, *quod de conſulentibus, non de reſpondente dicendum fuerat.* *Si ergo* καθεὶς *latet te circumiens)* *videntur vel abeſſe quædam, vel hæc ipſa corrupta eſſe: id quod infrà apparet.* *Significat autem* καθεὶς, *vt hic ponitur, idem quod demittens vel deſcendens.* *Ac primùm ipſum hoc* ἄτλα *abſque aſpiratione) interdum enim & aſpirari ſolet, vt cum interrogatiuum eſt, vt,* πῶς καὶ ἄτλα διελέχθη, *id eſt quomodo & quanam dixit? Quemadmodum Plato dicit in ſympoſio)* *Locus eſt ſtatim à principio, vbi Homerum ait* ὑβρίσαι εἰς τὴν παροιμίαν, *quòd deteriorem finxerit ad conuiuium melioris inuocatum venire, cum prouerbium ſonet, bonos ad bonorũ conuiuia vltro venire.* κατέδηκε *quidem audiui te dicere quòd eſt alienum.)* *Et hinc eſt quòd ſuprà notaui quædam vel abeſſe, vel corrupta eſſe videri.*

PHILO

PHILOPATRIS,
SEV QVI DOCETVR,
Iacobo Micyllo interprete.

ARGVMENTVM.

Lucianine ſit Dialogus hic, an alterius cuiuſpiam, dubitari poteſt. Nam quod ad argumentum attinet, non abhorret ab illius ingenio & dicacitate: pariter enim & Gentilium deos, & Chriſtianorum religionẽ, vt ſæpe aliàs, inceſſere videtur. Phraſis autem & tota adeò compoſitio, cæteris illius ſcriptis haudquaquam ſimilis eſt. Nam quor ſum pertinet excurſus iſte, reliquo propè toto corpore longior? aut quid adeò grãde & affectuoſum ſequitur, quod tragico iſti exordio reſpõdeat? Sed de his doctiores iudicẽt. Cæterùm cuiuſcunque ſcriptũ hoc fuit, videtur is Traiano Cæſari ob victoriam in Oriente partã potiſſimùm gratulari voluiſſe, contra eos qui per id tempus ſiue ipſi vrbi, ſiue alteri alicui loco (nam patriam ſolum vocat) periculà & clades præſagiebant: quos ipſe à principio ſophiſtas appellat: ad finẽ tamen ita deſcribit, vt propemodũ Chriſtianos intelligere videatur. Eò enim pertinet quod in fine de Perſico ſupercilio, de Suſis, & de tota Arabum regione meminit. Omnia enim illa à Traiano deuicta, in populi Rom. poteſtatem illis tum temporibus rediere, vt apud Dionem & Eutropium & cæteros qui eius ætatis hiſtoriam ſcripſerunt, videre eſt. Et hinc alterius tituli cauſa eſt, quo Philopatris dialogus hic inſcribitur. Quòd autem ad didaſcomenum pertinet, fingitur is, qui patriæ fortunæ ac proſperitati tantopere ſtudet, tum ab eo quicum ſermonem habet, de Deo vero & religione recta informari, tum ab ijs qui patriæ malè ominabantur, eiuſdem inſtitutionis cauſa in communem cœtum ac ſocietatem introductus fuiſſe, vnde & catechumenus in ipſo dialogo infrà vocatur, quo nomine Chriſtiani vocare ſoliti ali quando fuere eos quos pietate & religione ſua informare nuper cœpiſſent. Porrò ſcribit in quadam epiſtola Ponticus Virunius, Lucianum etiam Euangeliũ Ioannis inſectatum alibi fuiſſe. quod ſi eſt, non immeritò de hoc dialogo intelligi poteſt. Ita enim hic de luce, de verbo, & cæteris quibuſdam meminit, vt ex principio Euãgelij illius ſumpta videri queant. Niſi ſi quod aliud eius generis ſcriptum ab hoc editum fuit, quod ad noſtram ætatem non peruenit. Quod autem ad verſionem attinet, quanquam fortaſſis referret huiuſmodi ſcripta, quæ vel contemptum religionis aliquem parere poſſent, vel alioqui impietatem præ ſe ferunt, omnino non verti: tamen quia argumento operis ſeruiendum fuit, rurſus hic lectorem oratum volo, vt ſi quid minus perſpicuè, aut aliter quàm debuit, conuerſum deprehendet, veniam hanc exemplari noſtro det, quod in quibuſdam locis ita depraua tum fuit, vt neſcias vtrum de induſtria obſcurata quædam fuerint, an librariorum vitio alia corrupta, aliáque omiſſa.

TRIEPHON, CRITIAS, CLEOLAVS.

TRIEPHON.

QVID hoc ô Critia? totum te ipſum immutaſti, & ſupercilia deorſum contraxiſti, profundum autem quippiam, & quaſi in intimo pectoris receſſu tecum ipſe cogitas, ſurſum atque deorſum inambulans, aſtutias & vaframenta meditanti ſimilis, quemadmodum poeta ait: pallórque genas tibi recepit. Num alicubi Cerberum aſpexiſti, aut Hecaten ab inferis huc egreſſam? aut etiam deorum alicui ex prouidentia quadam occurriſti? Nondum enim talia tibi accidere conueniebat, etiam ſi ipſum audiuiſſes mundum aquis obrutum iri, quemadmodum Deucalionis tempore factum eſt. Tibi dico, heus optime Critia, an non audis me tantopere inclamante, & breui adeò appropinquante? vtrum indignatione aliqua aduerſum nos percitus es, an obſurduiſti, an verò etiam expectas dum te elata manu impellam? CRI. O Triephon, magnum quendam & admirabilem audiui ſermonem, multíſque viis tractatum. Ac nugas iſtas adhuc memoria repeto, auréſque obturo, necubi etiam amplius audiam talia, & inſania nimia dirigeam, fiámque poetis fabula, perinde vt Niobe olim. Quin præcipitium in caput deuoluerer alicubi, veluti vertigine quadam actus, niſi, ô amice, inclamaſſes mihi, adeóque & Cleombroti ſaltus, Ambraciotæ illius, de me fabula ferretur. TRIE. Papæ, quàm mirabiles iſtæ apparitiones ſiue auſcultationes fuere ſcilicet, quæ Critiam adeò perculere! Quot enim attoniti poetæ, & præſtigiatores philoſophi, percellere mentem tuam non potuere, ſed nugæ tibi fuere omnia? CRIT. Deſine pauliſper, ô Triephon, neque moleſtus amplius ſis. Neque enim contennendus aut negligendus mihi eris. TRIE. Scio equidem quòd neque paruam, neque contemptu facilem rem apud te voluis, ſed admodum etiã arcanam. Nam & color, & quòd taurinum quiddam tueris, quódque pedibus conſiſtere nequis, ſed ſurſum atque deorſum inambulas, conſpicuum te facit. Verùm enim reſpira aliquantulum à malis, & nugas iſtas euome, ne quid fors patiare mali. CRI. Tu quidem, ô Triephon, quantum iugeri ſpacium extenditur, tantum à me hinc curriculò abi, ne te ſpiritus in ſublime attollat, & ſupra terram elatus pleriſque appareas, atque alicubi etiam decidens, Triephõteum pelagus de te nominari facias, quemadmodum Icarus de ſe Icarium olim. Nam quæ audiui hodie à ter execrabilibus iſtis ſophiſtis, maximopere mihi ſtomachum commouerunt. TRIE. At egò quidem retro curſu, abibo, quantum etiam voles. Tu verò reſpira à malis iſtis. CRITI. Phy, phy, phy, phy, nugas illas. Heu, heu, heu, heu, conſultationes malas. Væ, væ, væ, væ, ſpei inani. TRIE. Papæ, qualis euaporatio, quantus tumor in inteſtinis latuit? Quantus autem tumultus, quantáque agitatio ventrem concuſsit tibi? Auritum ſanequam teipſum oſtẽdis fuiſſe, qui tam multa audieris, adeò vt etiam iuxta monſtroſum illud, per vngues exaudiſſe videaris. CRITI. Atqui mirabile non eſt, ô Triephon, per vngues audiſſe, quandò & tibiam ventrem ſpectaſti eſſe, & caput parere: & virilem naturam in muliebrem effectu tranſire, deinde & ex mulieribus aues transformari: & in ſumma, prodigioſa vita ipſa eſt, ſi poetis credere voles. Sed quia te primum offendi hocce loco, abeamus, ſi vis, eò vbi platani Solem abercent, luſcinię autem, & hirundines canora perſterpunt, quò videlicet auium concentus aures exhilarans, & aqua leniter ſuſurrans, animos demulceat: TRIE. Eamus ſanè Critia. Verùm illud metuo, ne fors incantatio quædam ſit id quod audiſti, & me piſtillum, aut portarum obicem aliquem, aut ſimile quiddam rerum inanimatarum efficiat

De hoc apud Ciceronẽ in Tuſcu. quæſt. mentio fit, & apud Ouidium in Ibin.

efficiat præclara iſta tua conſternatio. CRIT. Ita me amet cæleſtis Iupiter, vt nihil tale in te fiet. TRI. Amplius etiam terrefeciſti me, cùm Iouem deieraſti. Quid enim ille poterivleiſci te, etiam ſi fidem iurisiurandi tranſgrediaris? Arbitror enim neq; te de Ioue iſto tuo ignorare. CRIT. Quid ais? an non poterit Iupiter in tartarum præcipitare me? An ignoras quòd deos omnes deiecit à diuino *illo ætheris pauimento? & Salmoneum, qui contrà tonare auſus fuerat, paulò antè fulmine præcipitauit, & vt petulantiſsimus quiſque eſt, etiam nunc? A poetis autem & Titanum victor, & Gigantum interfector carminibus celebratur, quemadmodum apud Homerum. TRI. Tu quidem Critia, omnia ea percurriſti, quæ Ioui tribuuntur: ſed ſi tibi ingratum non eſt, auſculta. An non Cygnus ille fuit & Satyrus ob petulantiam, imò & Taurus? Ac niſi ſcortillum illud celeriter in humeros ſuſtuliſſet, & per pelagus effugiſſet, fortaſsis araret etiam nunc, vbi in agricolam aliquam fortè incidiſſet iſte tuus tonitrua faciens, & fulmina iactans Iupiter: & pro eo quòd nunc fulmina iaculari dicitur, ſtimulo impelleretur. Illud autem quòd cum Aethiopibus conuiuatur, hominibus nigricantibus, & vultum obſcuratis, & in duodecimũ vſque ſolem ab illis non diſcedit, ſed apud ipſos vino madefactus deſidet, idque cum barbam tantam habeat, an non quæſo pudore dignum fuerit? Quod autem ad aquilam attinet, & ad Idam, & quòd imprægnari per totum adeò corpus ſolet, etiam dicere erubeſco. CRI. Quid igitur? num Apollinem deierabimus, vt qui vates optimus ſit, & præterea medicus quoque? TRIE. Vanum atque mendacem iſtum vaticinatorem dicis, qui Crœſum paulò antè perdidit, & poſt ipſum etiam Salaminios, alióſque innumeros, obliqua atque ambigua omnibus illis reſpondendo? CRI. Neptunum autẽ quid? qui & tridentem manu tenet, & in bellis immenſum atque terribile quiddam clamat, quantum alii viri mille, aut etiam decies mille: præterea & Siſichthon, hoc eſt terræ tremefactor, ô Triephon, appellatur? TRIEPH. Adulterum iſtum dicis, qui Salmonei filiam Tyro paulò antè vitiarit, & adhuc etiam mœchatur, liberatórque & patronus huiuſcemodi vitiorum eſt? Nam Martem, cùm vinculis permeretur, & nodis quibuſdam inſolubilibus arctaretur, cæteris diis omnibus præ pudore ſilentibus, equeſtris iſte Neptunus exoluit, in lacrymas profuſus ſcilicet, perinde vt puerili mágiſtros formidantes, aut quemadmodum anicula puellas decipientes. Inſtabat autem precibus Vulcano, vt ſolueret Martem. Ac claudicans iſte Deus, miſertus videlicet Dei ſenioris & veteris, liberauit Martem: quare & mœchus eſt, vt qui mœchos conſeruet. CRIT. Quid igitur? Mercurium? TRIE. Apage mihi veteratorem iſtum, improbum Iouis libidinoſiſsimi ſeruum, ipſum quoque libidinẽ inſanientem in adulteria. CRITIAS. Proinde neque Martem aut Venerem recepturum eſſe te ſcio, vt qui iam antea abs te calumniis impetiti fuerint. Quapropter miſſos & hos faciamus. Mineruæ autem adhuc mentionem faciam, virginis videlicet armatæ, & terribilis deæ, quæ & Gorgonis caput pectori applicatum habet, deam Gigantum interfectricem. Non enim, ópinor, habes quod de ipſa dicas. TRIEP. At dicam tibi etiam de iſta, ſi mihi reſpondere voles. CRIT. Dic quicquid volueris. TRIEP. Dic mihi igitur Critia, quæ Gorgonis huius vtilitas eſt? & cur pectori geſtamen hoc dea applicatum habet? CRIT. Vti terribile quoddam ſpectaculum, & quòd mala auertere poſsit. Sed & hoſtes perterrefacit, & *victoriam vtroque inclinantem, quocunque ipſa vult, aduertit. TRIEP. Num ob hoc ipſa quoque Glaucopis inuicta atque inſuperabilis eſt? CRITI. Atque admodum. TRIEP. Cur igitur non illis potius qui ſeruare poſſunt, quàm qui ſeruantur, femora adolemus taurorum atque caprarum, vt nos quoque inſuperabiles atque inuictos reddant perinde atque Mineruam? CRITIAS. Atqui ipſi poteſtas non eſt à longè auxiliari, perinde vt diis: ſed ſolum ſi quis ipſam geſtat. TRIE. Et quídnam hoc ipſum eſt? Volo enim ex te ſcire, vti qui inueneris talia, & quàm maximè perfectè affecutus ſis. Ignoro enim omnia quæ de ipſa feruntur, præterquàm nomen. CRITI. Ipſa quidem puella fuit elegans & amabilis: Perſeus autem cum huic dolo caput amputaſſet, vtpote vir generoſus, & qui in arte magica laudatus, carminibus illam quibuſdam incantaſſet, in præſidium & quaſi quoddam propugnaculum dii ſibi ipſam retinuerunt. TRIE. Hoc igitur præclarum tandem me latuit, quòd dii hominum quoque indigent. Quæ autem viuentis vtilitas fuit? meretricabatur nimirum per cauponas, aut latenter vitiabatur, deinde ſe ipſam virginem appellabat. CRIT. Non per *ignotũ Athenis: ſed virgo permanſit vſque ad decollationem. TRIEP. Ergo ſi quis virgini caput amputauerit, terriculamẽtum hoc ipſum erit multitudini? Noui enim innumeras membratim & per partes diſſectas inſula in circunflua, Cretam illam nomine dicunt. Quòd ſi igitur cognouiſſem hoc, ô optime Critia, quàm multas tibi Gorgonas ex Creta huc attuliſſem, téque ducem inuictum & inſuperabilem reddidiſſem! Poetæ autem & Oratores multò me Perſeo antepoſuiſſent, vt qui plures Gorgonas inueniſſem. Verùm quoniã in Cretæ mentionem incidi, adhuc memini qui mihi ſepulcrum Iouis tui iſtius demonſtrabant, & occultas valles, *quæ matrem eius enutrierant, quanquam adhuc viridia ipſa ea arbuſta eſſent. CRITI. At neſciebas incantationem & ſacrificia quibus vtendum fuiſſet. TRIE. Si hæc, ô Critia, per incantationes facta ſunt, fortaſsis etiam ab inferis excitaſſet illã, & in lucem dulciſsimam reduxiſſet. Sed nugæ iſta, ac ludicra & fabulæ ſunt à poetis præſtigioſè conficta. Quapropter & hanc omitte. CRITI. Iunonem autem, vxorem Iouis, & ſororem eandem, an non recipis? TRIE. Tace obſecro, propter intemperantiſsimum concubitum, & iſtam ex manibus pedibúſque extentam, curſu præteruehe. CRITI. Quémnam igitur tibi iurabo? TRI. Deum altè regnantem, magnum, ætherium, atque æternum, filiũ patris, ſpiritum ex patre procedentem, vnum ex tribus, & ex vno tria. Hæc tu Iouem puta, hunc exiſtima Deum. CRIT. Numerare me doces, & iuſurandum arithmatica tibi eſt. Nam & numeras perinde vt Nicomachus ille Geraſenus. Neque enim intelligo quid dicas: Vnum tria, tria vnum: num quaternionem dicis Pythagoricum illum, an octernionẽ, an numerum ex triginta conſtantem? TRIE. Tace ea quæ

Cõfutatio deorũ gentilium.

Θεαντοπὲρβη λὲ alludit ad fabulã Vulcani, quem Iupiter è cælo præcipitauit, Iliad. 1. Iouis.

Apollinis.

Hero. li. 1.

Neptuni.

Mercurii.

Martis & Veneris.

Mineruæ.

ἑτεραλκία νίκην.

*Deũ ſcilicet, cuiusaræ etiam in ſcriptura mentio fit.

*ὀλόχμια Græcè quod obliquia profriè ſignificat.

Iunonis.

Vt apud Aristophanē Socrates fingitur.

ea quæ infrà sunt, quæque silentio digna. Non licet hoc pacto metiri pulicum vestigia. Ego enim docebo te quid sit vniuersum, & quis fuerit ante omnia, & quæ item constitutio quódve corpus vniuersi. Quando autem me Galilæus ille conuenit, recaluaster, naso aquilo, qui in tertium vsq; cælum per aerem ingressus est, quæque optima atque pulcherrima sunt, inde dedicit, per aquam nos renouauit, in beatorum vestigia insistere fecit, & ex impiorum regionibus nos redemit. Ac te faciam, si me audieris, verè hominem. CRI. Dic quæso, doctissime Triephon. Timore enim quodam iam correptus sum. TRI. Legistine aliquādo Aristophanis Comici poetæ fabulam, Aues? CRIT. Atque admodum. TRI. Scriptum ab eo tale quippiam ibi est:

A principio chaos, & nox, & tenebræ nigræ erāt & tartarus altus,
Nulla autē terra, nec aer, aut polus vllus adhuc &c.

CRI. Rectè dicis, quid autem postea? TRI. Erat lux incorruptibilis, inuisibilis, incōprahēsibilis, quæ dissoluit tenebras, & informitatē istā abegit, verbo solodicto ab ipsa, quemadmodū tardilinguis iste descripsit: Terram firmauit super aquas, cælum explanauit, stellas formauit fixas, cursum ordinauit, quas tu veneraris vt deos. Terram autē & floribus exornauit, hominem ex nihilo ad essentiam produxit. Estque in cælo aspiciens iustos pariter & iniustos, & in libris describens cuiusque res & actiones. Rependet autem omnibus, *quam diem ipse præcepit.

Desit fortè quid.

CRI. Quæ autē à Parcis agglomerata cunctis sunt, etiámne illa inscribunt? TRI. Qualiánam? CRIT. Ea quæ ad fatum pertinent. TRI. Dic mihi, ô optime Critia de Parcis. Ego verò discere gestiens, de te libenter audierim. CRIT. An non Homerus poeta celebris ait:

Iliodos Z. At fatum effugit nemo (mihi crede) virorum.

De magno autem Hercule idem ait:

Iliados Σ. Nec vis Herculea Percam vitauit amaram,
Quanquam diis charus foret, & Iouis inclyta proles:
Sed fato, atque ira domitus Iunonis iniquæ est.

Quin & totam vitam, omnésque in ea mutationes, fato constitutas atque ordinatas esse idem innuit cum ait: Vbi illi déinde

Odyss. H. & Iliados Y. Illa ferat, quæcunque Deus, Parcæque malignæ
Neuerunt genito cum matris prodiit aluo.

Etiam in peregrino solo retentiones ab eadem illa fieri, vt cum Vlysses ait:

Odyss. Φ. Atque vti susceptum placido rex Aeolus ore,
Miserit in patriam, sed nondum fata sinebant.

Quare omnia à Parcis fieri poeta testatus est: Iouē autem neque filium voluisse ab infanda defendere

Iliados Π. morte, sed potius
Sanguineas cælo guttas diffudit ab ako
Ob natum, quē Patroclus prope mœnia Troiæ
Occisurus erat.

Quamobrem, Triephon, ob hæc nihil amplius addere de Parcis volueris, etiā si fortassis in sublime sublatus fuisses vnà cū præceptore, & arcanis illis initiatus. TRI. Et quomodo ipse ille poeta, ô optime Critia, duplex allegat fatū, & ambiguum, vt qui hoc quidem fecerit, talē exitum sortiatur: aliud autē faciens, in aliū euentū incidat, vt de Achille, cū dixit:

Iliados I. Nam me mater ait, niueis Thetis inclyta plantis,
Sortitum geminas obeunda ad funera leges.
Nam si hic persistā, pugnémq; ad mœnia Troiæ,
Eripitur reditus mihi, at inclyta fama sequetur.
Sin autem patriam repetam, charósque penates,
Fama perit, verùm in longū mihi ducitur ætas.

Sed & de Euchenore ait:

Iliad. N. Qui non ignarus fati, conscenderat æquor.
Namque huic sępe senex Polyidus dixerat antè,
Aut morbo in patria periturū, atq; inter amicos:
Aut manibus Teucrorū, atq; inter Dorica castra.

An non apud Homerū hæc scripta sunt? aut nō ambigua hęc, atque adeò anceps deceptio? Quòd si placet, etiam Iouis orationem tibi addam. An non Aegistho dixit quòd si ab adulterio & insidiis Agamēnonis sese contineret, fato illi constitutum esse vt in longum tempus viueret: si verò in animum induceret facere ista, mortem effugere non posse? Atque ad eum modum ego quoque vaticinatus sæpe sum: Si occideris proximum, morti condemnaberis iudicio. si verò hoc non feceris, viues rectè,

Nec te fas adeò festinam incurrere mortem.

An non vides quàm minimè correcta aut emendata sunt quæ à poetis dicuntur? quámque item ambigua & obliqua, neque vnquam certa aliqua sede stabilita? Quare omnia isthæc missa fac, vt & te in cælestibus bonorum libris inscribant. CRITI. Bene omnia reuoluis ac repetis, Triephon, sed mihi illud respondē: Vtrum & Scytharum res in cælo describuntur? TRIE. Omnes, si quidem & inter gentes *Chrestus fuerit. CRIT. Multos sanè scribas in cælo narras, quandò cuncta describūtur. TRIE. Bona verba, Critia, neque quicquam contemptum aut vile de Deo dextero loquaris, sed Catechumenus existens, persuaderi à me tibi sine, si modò viuere cupis in æuum. Nam si cælum explanauit vt pellem, terram autem firmauit super aquas, stellas formauit, hominémque ex nihilo, vt esset, in lucem produxit: quid mirum adeò si res quoque omnium ibi describantur? Nam & tu si domunculam aliquam ædificasses, ancillas autem & seruos in ea multos congregasses, nunquam te lateret quicquam eorum quæ ab illis gererentur, quanuis abiectum & vile. Quanto igitur magis probabile est, eum qui omnia creauit, Deum, cuncta expeditè ac facilè percurrere, & vniuscuiusque cōsilia & actiones animaduertere? Nam tui dii pro Cottabis, *ab iis qui rectè sapiunt, habentur. CHIT. Rectè omnino dicis, & mihi nunc diuersum accidit atque Niobe olim: ex statua enim in hominem conuersus sum. Quare iam Deū istum tibi appono, & iuro quòd mali à me nihil patiere. TRI. Si modo ex corde me diligis, ne quid alienum aut nouum in me facias,

*Ita per cōtemptū Christum vocarunt, vt & apud Suetoniū alibi quodam loco appellatur.

Néve aliud celes animis, aliúdque loquaris.

Verùm age mirabilem illam auscultationem tuam tandem profer nobis, vt & ego expallescam, & prorsus immuter, & non quemadmodum Niobe, obmutescam, sed vti Philomela in auiculam conuertar, & mirabilem istam consternationem tuam in prato vi ridi tragico quodam modo decantem. CRIT. Ita per filium ex patre, haud quaquam istud fiet. TRIE. Dic modo, à spiritu potestatem ac vim dicendi accipiens. Ego verò sedebo

Aeacidem expectans, dum cautum finiat ille.

CRI. Abierā in viam publicā, emptturus videlicet ea quibus

*Hoc est pro ludo habentur. fuit enim ludi genus apud Græcos cottabus. de quo apud Athenæum, Pollucē & Suidā. Vel pro inani strepitu, qualis in hoc ludo fiebat, quo pacto & apud Plautum ponitur: Ne credbri in te Cottabi sonent &c.

quibus maximè opus habebam: atque ibi video multitudinem admodum magnam in aurem mutuò susurrantes: audiendi autem studio etiam labiis inhærebant. Ego verò oculos per cunctos circunferens, & manum superciliis incuruam supernè obducens, inspectabam quàm acutissimè sicubi amicorum aliquem contemplarer. Video autem Cratonem Politicum illum, qui mihi à puero vsque amicus fuit, & in conuiuiis vnà consuetus. TRI. Intelligo quẽ dicis, *inspectorem videlicet illum: sed quid postea? CRI. Multis itaque oppositò cubito dimotis, in anteriorem partem penetraui, & matutinum illud Aue præfatus, accedebam ad ipsum. Cæterùm homũcio quidã nomine Charicenus, vetulus, emarcidus, & naso stridens, tussiebat primò intimum quiddam, excreabatque languidum & inconditum. Erat autem sputum morte ipsa liuidum magis. Deinde cœpit loqui voce attenuata & exili admodum. Hic, vt antè dixi, inspectorum relinquit elapsmos, *& debita fœneratoribus reddet: & pensiones omnes tam priuatas quàm publicas, præterea & aramangas *capiet, non inquirens aut perpendens cuiusque artem. Atque etiam amariora his nugabatur. Illi autem qui circa ipsum erant, delectabatur verbis hisce, & nouitati eorum quæ audiebant, aduertebant animum. Alius autem quidam, cui nomen Chleuocharmus, pallium habens admodum putre, sine calceis & tegmine capitis incedens, interloquebatur, dentibus applaudens, vt demonstrauit mihi malè vestitus quidam, qui ex montibus aduenerat, detonsa coma, in theatro perscriptum nomen literis hieroglyphicis (hoc est sacris & arcanis notis) quòd iste auro inundaturus esset viam publicã. Ego verò inquam, At iuxta Aristandri & Artemidori præcepta non ita bonum euentum habebunt hæc inter vos somnia, sed tibi quidem debita multiplicabuntur secundum proportionem pensionis: iste autem quàm plurimùm obolo etiam carebit, tanquam qui multo auro tam dives fuerit. Ac mihi quidem videmini super Leucadem petram & somniorum populũ consopiti, tam multa somniare, nocte quasi in pũcto existente. Illi verò cachinnos sustulerunt vniuersi, ita vt risu propè suffocarentur, méque ignorantiæ condamnarunt. At ego ad Cratonem conuersus inquã, Num perperam omnia *ἀλεξάνδρισα, vt comico modo dicam aliquid, & non iuxta Aristandrum Telmidensem, & Artemidorum Ephesium inuestigaui somnia? Tum ille, Tace, inquit, Critia. Sienim silentiũ ages, edocebo te sacrorum pulcherrima, & quæ nũc futura sunt. Nõ somnia hæc sunt, sed res ipsa. Euentum autem capient in mensem qui dicitur Mesori. Hæc postquam audissem à Cratone, & lubricam ipsorum mentem cognouissem, erubui, & tristitiam præ me ferens abii, multis Cratonem incusando. Vnus autem illorum acerbum & Titanicum quiddam obtuens, arreptum me veste, vellicabat, conuentionem feciſſe & credens, & ab inueterato illo numine instigatus: verbis autem hæc extendendo, persuadet mihi infelici, vt ad prestigiatores istos homines accederem, & in diem atram, quod dici solet, incurrerem. Dicebat enim se omnia ex ipsis quę ad sacra & arcana pertinerent, edoctum esse. Atque ita pertransiuimus ferreásque portas, & ærea limina. Multis autem superatis scalis, in domum aurato fastigio insignem ascendimus, qualẽ Homerus Menelai fingit esse. Atque ipse quidem omnia illa contemplabar, quæ *insularis ille adolescens. Videoautem nõ Helenen mehercle, sed viros in faciem inclinatos & pallescentes. Illi autem vbi me conspexerunt, gauisi sunt, & ex aduerso ad nos accesserunt. Dicebant enim, num quod triste nuntium afferremus. Nam videbantur isti quàm pessima optare, gaudebántque tristibus & malis, perinde atque in theatro furiæ. Capita autem inter se iuncta tenentes consurrabant. Postea interrogabant me:

Quisnam hominum, aut vnde es, quæ patria, quisque parentes Sunt tibi? Nam Chrestus quidem esse appares vtique ex habitu. Tum ego, Pauci, inquam, Chresti, hoc est frugi sunt, quemadmodum vbique video. Critias autem nomen mihi est: ciuitas verò inde, vnde & vobis. Vt autem sublimes illi & in aere gradientes interrogarunt quo pacto se res ciuitatis, & mundus adeò totus haberet, respondens ego, Bene, inquam, habent, & insuper etiam habebunt. Illi autem abnuentes superciliis, Haud ita, inquiunt. malè enim parturit ciuitas. Tum ego secundum ipsorum mentem, Vos, inquam, supra terram & in sublime sublati, & ceu ex alto cuncta intuentes, acutissimè & hæc intellectu assecuti estis scilicet: sed quo pacto ea quæ in æthere sunt, habent sese? Num deficiet Sol, & ad perpendiculum Luna interponetur? Num Mars quadrãgulo aspectu Solem aspiciet, & Saturnus ex diametro eundem? Num Venus cum Mercurio congredietur, & Hermaphroditos procreabunt, quibus vos delectamini? num pluuias impetuosas ac vehementes demittẽt? num densa niue terram insternent, grandinem autem & rubiginem deuoluent? Num pestem ac famem immittent? num vas illud fulminiferum exundat, & tonitruficum receptaculum repletum est? At illi, quasi cunctis præclarè gestis, deblaterabant sua ista amabilia, quòd videlicet res statim immutandæ essent, perturbationes autem & tumultus ciuitatem inuasuræ, & exercitus ab hostibus mox superandi. Ob hæc itaque animo conturbatus, & quemadmodum ilex incensa, intumescens, magna voce exclamaui, O miseri hominum, ne vana adeò lequacitate efferamini, acuentes dentes aduersus viros *leonum animos præ se ferentes, spirantes hastam & lanceas, & ἵππους, quouer candicantes cristis galeas: sed ista in vestrum caput bo Homecõuertantur, quandò ita patriam vestrã deprimitis. rus vtitur. Non enim in aere gradientes ista audiuistis, neque negotiosam mathematicam perfectè adeò assecuti estis. Quòd si verò vaticinia vos & præstigiæ huc induxerunt, duplex ignorantiæ nomen sustinetis. Nam hęc mulierum atque anicularum inuenta sunt, & ludicra. Plerunque enim huiusmodi res muliebres curæ prosequuntur. TRIEP. Quid autem ad hæc responderunt, ô optime Critia, isti mente pariter & sententiis detonsi? CRITI. Cuncta hæc præterierunt, ad cogitationes illas à se inuentas & exercitatas confugientes. Dicebant enim, Soles decem ieiuni & absque cibo perseuerabimus, & ad hymnos tota nocte decantandos vigilantes, talia somniamus. TRIEP. Tu verò quid ad ipsos dixisti? Magnum enim & attonitum quiddam responderant. CRIT. Confide, nihil ignauum. Contrà enim respondi pulcherimè. Nam quæ vulgo ab vrbanis, inquam,

*ἠχισωτὶῶ Græcè, id est ἐπόπτην. vide Suidã

*Forte legendũ καταλέλοιπε λεπασμούς, quasi dicat delebit residua, vel summas restantes.

*Hoc est, verbis indagaui, seu olfeci.

Mesori.

*Telemachus scilicet, vt Odyss. γ.

*βυσσολόφους

inquam, de vobis iactantur, quãdo somniatis, huiuscemodi scilicet proferuntur. Illi autẽ quasi quiddã caninum subridentes, extra lectulum aliquantum progrediũtur. Ego verò, si vera sunt, inquã, talia, ô Aetherii, haud vnquã sanè tutò ea quæ futura sunt, inuestigabitis, sed persuasi ab ipsis nugabimini quæ neque sunt, neque futura sunt. Verùm hæc quidem nescio quo pacto nugamini somniis credentes, & quæ optima sunt, abominamini, malis autem delectamini, haud sanè quicquã abominatione ista promouentes. Quamobrem missas facite alienas istas imaginationes, & praua cõsilia vaticiniáque, nécubi deus vos in malam rem hinc eiiciat, eò, quòd patrię mala imprecamini, & verbis adulerinis ac perditis illam affamini. At isti vnum eundémque omnes animum habentes, me multum increpabant. Ac, si placet, ista quoq; tibi addam, quæ me etiam perinde vt statuam, elinguem, ac mutum reddiderũt, donec me frugi ista tua loquela, cum iam propè in lapidẽ conuersus essem, resoluit, & in hominem rursus restituit. TRI. Tace Critia, neque nugas istas longius extenderis. Vides enim quomodo intumuerit mihi venter, & quasi impręgnatus eã. morsus enim sum verbis à te modo dictis, perinde vt à cane rabiosa: ac nisi medicamentum aliquod obliuionem inducens hausero, atque ita conquiescam, memoria hæc mecum cohabitans, & quasi domi apud me residẽs, magnum aliquod malum procreabit. Quamobrem missos istos facito, precationem à patre incipiens, & celebre illud carmen ad finẽ apponens. Sed quid hoc? an non Cleolaus hic est, is qui pedibus longũ adeò incedit? seriò autem venit & accedit. Num alloquemur ipsum? CRI. Atque admodũ. TRI. Cleolae, ne quid cursu prętereuehare, neq; prætereas nos: sed accede lętus, si quidem nuntium aliquod affers. CLEOLA. Saluete ambo, ô præclarum par amicorum. TRIEP. Quæ autem est festinatio ista? permultum enim anhelas. num nouum aliquid gestum est? CLEOLAVS.

Videtur victoriã traiani intelligere, qui Ctesiphontẽ & Babylonẽ & alia multa Orientis in potestatẽ redegit.

Cecidit supercilium illud olim Persidis
Fama celebratum, atque Susa vrbs inclyta,
Cadet autem & omnis terra nobilis Arabum,
Valida impẽrantis dextera, & vi roboris.

CRIT. Hoc illud est, vt semper Deus non neglegit bonos, sed auget, prouehens in melius. Nos autem ô Triephon, pulcherrima inuenimus. Solicitus enim mecum ipse eram, quidnam in morte liberis meis testamento relicturus essem. Nosti enim paupertatem meam, quemadmodum ego tuas res quoque. Hoc igitur sufficit liberis, dies videlicet imperatoris. Neque enim diuitiæ nos deficient, neq; nos populus perterrebit. TRI. Et ego, ô Critia, hæc relinquam liberis, vt videant Babylonem perditam, Aegyptum in seruitutem redactam, Persarum liberos seruilem ætatem agentes, excursiones Scytharum sedatas, vtinam igitur & prorsus propulsatas. nos autem illum Athenis ignotum inuentum adorantes, & manus in cælum tendentes, gratias illi agenus, vt qui digni facti fuerimus huiusmodi potestati atque virtuti subiecti esse. Reliquos autem istos nugari sinamus, contenti pro ipsis dicere notum illud, quod prouerbio dici solet: Non est curæ Hippoclidi.

HIC DIALOGVS INTER nothos Luciani refertur.

CHARIDEMVS, siue de pulchritudine.

Iacobo Micyllo interprete.

ARGVMENTVM.

Neque hic dialogus Luciani videtur esse: id quod Aldus quoque annotauit, & cũ ex stilo, quanquam is multo simplicior hic quàm in superiore est, tũ ex reliquo totius corporis contextu apparet. Continet autẽ encomiũ pulchritudinis seu formæ, tribus orationibus diuisum, vtpote à tribus personis in conuiuio tractatum, quarũ priores duæ præstantiam ac dignitatem pulchritudinis commendant, multis ad hoc Deorum pariter & hominum adhibitis exemplis. Postrema autem etiam vim & effectum illius ex mutua collatione reliquarum virtutum, & eorum quæ vulgò inter bona recensentur. Cætera plana sunt.

HERMIPPVS & CHARIDEMVS.

HERMIPPVS.

DEambulabam fortè heri in suburbio, Charideme, simul vt ex agrorũ aspectu me aliquantulũ reficerem, simul etiam quietis & otii gratia: fortè enim tum meditabar quippiam. Obuiã igitur mihi fit Proxenus Epicratis filius. Allocutus autem ipsum, quemadmodũ consueueram, interrogabã vnde veniret scilicet, & quò iturus esset. Tũ ille, venire se quidẽ etiã ipsum respondit huc oblectationis gratia, quam ex agrorum aspectu percipere consueuisset, refici autem velle etiam temperata ac leni aura quæ illos afflaret. Cæterũ redire se à cõuiuio, quod pulcherrimũ peractũ fuisset in Pirçeo apud Androclẽ Epicharis filium, qui ob partã victoriã Mercurio sacrificasset. Vicisse autem ipsum in Diasiis, libro quodã recitato. Cõmemorabat autẽ cũ alia multa quæ ibi acta essent vrbana & festiua, tum verò & pulchritudinis encomia à viris dicta aiebat, quæ ipsum quidẽ nõ posse referre, obliuiscentem eorũ præ senectute videlicet: deinde etiã alioqui non ita multũ circa orationes dicendas versatũ. Tę verò facilè commemoraturũ, vt qui & ipse encomium dixisses, & cæteris per totũ conuiuiũ animum aduertisses. CHA. Facta sunt hæc Hermippe, vt dicis. Veruntamen neq; mihi facilè fuerit accuratè cuncta persequi. Neq; enim possibile erat omnia exaudire, multo adeò tumultu excitato & ab iis qui ministrabant, & ab iis qui conuiuabantur, & alioqui etiã ex difficilioribus hoc est, meminisse eorũ verborum quæ in cõuiuiis fiũt. Nosti enim quàm obliuiosos reddant etiam eos qui alioqui plurimũ memoria valent. Sed tamen tui gratia, quoad potero, cõmemorare tibi illa conabor, nihil eorũ prętermittens, quæcunque memoria consequi potuero. HER. Proinde ob hanc rem gratiam tibi habeo. Verùm enim si mihi totam à principio narrationem repetieris, puta & quis liber fuerit quẽ recitauerat Androcles, & quẽ recitato eo superauerit, postremò & quósnam vos ad conuiuiũ vocarit, ita demũ plenam apud me gratiam inibis. CHAR. Ipse quidem liber encomium Herculis erat, ex somnio quodam, ceu dice

Festa Iouis fuere Athenis Diasia, ἀπὸ διαφυγῆς ἀνθρώπους σὺν χαῖς τὰς ἄσας, vt Suidas ait, appellata.

dicebat,ab ipſo compoſitũ, Vicit autem Diotimum Megarenſem illum,pro ſpicis,imò verò pro gloria cum eo certans. HERM. Quid autẽ libri erat quod ille recitauit? CHAR. Encomium Caſtoris & Pollucis. Dicebat autem ſe quoque ex magnis periculis ab illis ſeruatum,hanc illis quaſi quandam gratiã perſoluiſſe: præſertim cum ab illis etiam confirmatus fuiſſet,de ſummis nauium velis in extremo diſcrimine ipſi apparentibus. Aderant autem in conuiuio & alii multi,partim cognati ipſius, partim aliàs familiaritate iuncti: qui verò memoratu digni ſunt, quíque totum cõuiuium cohoneſtarunt, laudéſque pulchritudinis verbis perſecuti ſunt, Philo erat Diniæ filius,& Ariſtippus Agaſthenis,tertiúſque ipſe. Accumbebat autem nobiſcum & Cleonymus formoſus ille,Androclis nepos, adoleſcentulus tener & delicatus, qui mentem tum habere vtique videbatur. Admodum enim attentè auſcultabat quæ dicebantur. Primus itaque Philo de pulchritudine incipiebat dicere,facto in hunc modum exordio: HER. Nequaquam,amice,ne mihi prius ipſa encomia exordiare,quàm cauſam quoq; expoſueris,qua adducti ad hoc argumentum tractandum proceſſeritis. CHAR. Præter rem moraris nos,ò optime,qui tibi iandudum potuiſſemus vniuerſa oratione expoſita iterum hinc abire. Veruntamen quid agas quando quiſpiam amicus exiſtés tantopere vrgeat? Neceſſe enim eſt quiduis etiam amici cauſa perpeti. Cauſa igitur quam quæris qua ad hoc argumentum compulſi ſumus, ipſe Cleonymus formoſus ille fuit. Cum enim medius inter me & Androclẽ, cuius nepos erat,ſederet,multus ab idiotis ſermo de eo fiebat,qui & reſpiciebant ad ipſum,& ad formam eius plus quàm obſtupeſcebãt. Propemodum igitur cæteris omnibus poſtpoſitis,ſedebant encomia adoleſcentis perſequentes. Nos autem admirati illorum erga pulchritudinem amorem ac ſtudium, & ſimul collaudatis ipſis,ſegnitiem quãdam arbitrati ſumus eſſe verbis ab idiotis ſuperari,præcipuè de pulcherrimis dicẽdo,quo ſolo nos illis præſtare putaremus. Atque ita de pulchritudine verba facere cœpimus. Viſum igitur nobis eſt haud nominatim dicere laudes pueri (neque enim honeſtum fore,nam hoc pacto præcipitaturos nos ipſum in maiorẽ inſolẽtiam eſſe)ſed tamen neque illas incompoſitè adeò, & vt cuiq; fortè ſuccurriſſet, ſed ſeorſim ſingulos quæcunque de re propoſita commeminiſſent. Atq; ita Philo primus exorſus,in hunc modum verba fecit. Quàm indignum verò eſt, quod cum quæcũque in ſingulos dies agimus,pro iis tanquã pulchris omnẽ operam ac diligentiam adhibeamus, de ipſo pulchro ſermonem nullum habemus, ſed perinde ſilentes ac taciti ſedemus, ac ſi metuamus ne fortè verbũ aliquod de iis pro quibus tantopere laboramus, vel imprudentibus nobis excidat! Atqui vbínam aliquis oratione meritò vtatur,ſi, cum de illis quæ nullius pretii ſunt,tantopere contẽdat, de eo quod omnium pulcherrimum eſt,planè conticeſcat? Aut quomodo id quod in verbis pulchrum eſt, rectius quàm omnia alia ſeruari poterit, ſi de ipſo fine eorũ quæ quotidie aguntur,dicere prætermittamus? Verùm ne videar monere quidẽ ſcire quo pacto oporteat nos circa pulchrum affectos eſſe, dicere autem ipſe de eo nihil poſſe: quoad fieri poteſt, de eo breuiter commemorare conabor. Nam pulchritudine omnes quidem cupierũt potiri: pauci autem omnino fuerunt qui illam aſſecuti fuiſſent. Qui verò do num hoc fortè adepti fuere,illi omnium beatiſsimi fuiſſe viſi ſunt,& apud Deos & apud homines merito honore affecti. Atque huius rei argumentum tale fuerit. Nam eorum qui ex Heroibus in numerum Deorum recepti ſunt,Hercules,& Dioſcuri,& Helena,Iouis filii ſunt: quorum ille quidem fortitudinis cauſa honorẽ hunc conſecutus eſſe dicitur, Helena autem pulchritudinis gratia cum ſe ipſam in Deam mutaſſe,tum fratribus Dioſcuris cauſa fuiſſe vt ante ipſam in cælum aſcenderent,iis quibus cæteri vita functi ſub terra obnoxii premuntur,exoluti. Quanquam etiam quicunque hominum dignus vnquam iudicatus fuit vt Deorũ conſuetudine frueretur,alium reperire non licet quàm qui pulchritudinis particeps fuiſſet. Nam & Pelops eadem hac cauſa cum diis Ambroſiæ particeps fuit, & Ganymedes ille Dardani hoc pacto miſcuiſſe nectar dicitur omnium ſummo Deorum. Quare etiam ipſum neq; vllum Deorum cæterorum alium voluiſſe ſecum venationis huius, amorum ſuorum videlicet, participem fieri: ſed ſibi ſoli decorum arbitrari eſſe in Gargarum Idę deuolare,atque inde amaſiũ ſuum in eum locum vbi per omne tempus cum illo conſuetudinem haberet,ſubducere. Tantam autem curam ille ſemper habuit pulchrorum, vt non ſolùm cælo dignatus eos fuerit,illhuc ipſos attollens: ſed & ipſe in terram quocunque fors tulit, deſcẽderit, vt cum amatis ſingulis locis cõgrederetur. Ac eam quidem ob rem in cygnũ conuerſus,cum Leda rem habuit: ob eandem autem & tauri facie Europam rapuit. Aſſimilatus autẽ Amphitryoni, procreauit Herculem: multáque alia Iouis vaframenta enumerare quiſpiam poſsit, quibus ille eorum congreſſu quorum deſiderio tenebatur,potitus fuit. Quod autem maximum eſt, quódque meritò aliquis admirari poſsit, cùm ille cum diis verſaretur (neque enim hominum vlli conuerſatus eſt præterquam pulchris) quoties inter illos concionem aliquam habuit,ita auſteris fingitur à cõmuni Græcorũ poëta, vt in priore quidẽ oratione Iunonem, quãquam illa antea vbique increpare ipſum cõſueuiſſet, nihilominus tamen ita perterruerit, vt ea ſatis habuerit quòd nihil grauius pateretur, & intra verba duntaxat,illius ira conſiſteret. In poſteriore autem Deos vniuerſos nõ minore terrore affecerit, terram vnà cum ipſis hominibus & mare quoq; in ſublime ſublaturũ ſeſe minatus. At verò quoties cum pulchris congreſſurus eſſet,ita manſuetus & blandus,omnibúſque æquabilis redditur,vt apud omnes alios etiã ipſo eo quod Iupiter eſt depoſito, videlicet ne moleſtus aut ingratus cuiquam eorũ quos amat, videatur,alienam aliquam formam induat, eámque pulcherrimam, & qua maximè putat intuentem allici poſſe. Tantum reuerentiæ & honoris pulchritudini exhibet. Ac non ſolùm ipſe quidem Iupiter ita pulchritudine captus eſt,cęterorum autem Deorũ nullus,vt hæc magis accuſationem Iouis continere videãtur, quã pro pulchritudine dicta eſſe: ſed ſi quis diligenter cõſiderare volet, omnibus etiam diis eadem hæc accidiſſe videlicet deprehendet, vt verbi gratia, Neptunum Pelopis forma captum fuiſſe,

Iliad.1.

Iliad.8.

Hyacinthi autem Apollinẽ, & Mercurium Cadmi. Præterea neque Deas pudet pulchritudine superaras ac captas videri, sed hãc quasi æmulationẽ quandam honoris inter se habent, puta eam quæ cũ pulchro aliquo rem habuit, narrare posse, hominibus sese dedisse. Iam verò cũ ex cæteris omnibus vnaquæq; suæ ac certæ rei præses sit, de iis quibus quæque præest, nulla cum altera contẽdit, sed Minerua quidẽ cum hominibus ad bella gerẽda præit, haudquaquam cum Diana de venatione pugnat; eodémque modo & illa Mineruæ de re militari concedit: de nuptiis autem Iuno Veneri, neq; hæc illi molesta est ob ea quibus illa præsidet. At contrà singulæ ob formam & pulchritudinem eò vsque animo efferuntur, omnésque alias excellere sibi videntur, vt cũ Eris ipsas inter se mutuò discordes & inimicas reddere vellet, nihil aliud obiecerit illis, quàm pulchritudinem, rata hoc pacto facillimè sese hoc quod volebat, effecturam esse. Ac prudenter sanè hoc excogitauit: animaduerterítque vel indè aliquis pulchritudinis potestatẽ. Nam postquam pomum illud accepissent, & inscriptionẽ legissent, cum vnaquæque suum illud esse censeret, neque tamen vlla contra se ipsam suffragiũ ferre sustineret, quòd videlicet altera turpior esset, ad Iouem, harum quidem patrem, illius autem etiam fratrem & coniugem, deueniunt, litem hanc illi disceptandam committentes. Ille autem cum & per se ipse sententiam, quænam earum pulcherrima foret, proferre posset, & multi fortes & sapientes & prudentes cum in Græcia tum inter Barbaros essent, quibus eadẽ causa delegari potuisset: iudicium hoc Paridi Priami filio commisit, manifestum adeò calculum ferens, quòd & prudẽtiam & sapientiam & vires pulchritudo anteiret. Porrò tanto semper studio tantáque cura formosæ audire expetiuere, vt & heroũ pariter & Deorũ exornatori poëtæ persuaserint, non aliunde magis quàm à pulchritudine sese appellare. Proinde libẽtius audierit λευκώλενος (hoc est niueis lacertis) Iuno, quàm πρέσβα Διὸς & δυνατὴ μεγάλου κρείοντος (hoc est, antiqua Dea, & Saturni magni filia) Minerua autem neque Tritogenia, quàm Glaucopis vocari maluerit. Et Venus vniuerso etiam redemerit nominari χρυσῆν, hoc est aurea. Quę cuncta ad pulchritudinem pertinent. Atqui hæc non modò argumento atque iudicio sunt, quo pacto illi qui potiores habentur, circa hanc se gerant: sed & testimonium perhibent neutiquam fallium, quòd cæteris omnibus præstantior eadem sit. Proindé Minerua quidẽ fortitudine pariter & prudentia præstare illam suffragatur, vtriq; enim harum præsidet ipsa. Iuno autem vniuersa dominatione atque potentia expetendam magis esse, sententia sua declarat, in partem etiã Ioue tanquam patrono aduocato. Quòd si igitur diuina adeò res & veneranda pulchritudo est, deindé & diis tantopere ambita & affectata, quomodo tandẽ honestum nobis fuerit, si non & ipsi Deos imitantes, cũ rebus tum verbis, quibuscunq; modis poterimus, pulchritudini patrocinemur? Atque hæc quidem Philo de pulchritudine perorauit, hoc quoq; ad finẽ addens, quòd etiam plura hîc dicturus fuisset, nisi sciret verbositatem in conuiuiis longiorem improbari. Cæterùm post illũ statim Aristippus verba facere cœpit, multis antea ab Andocle inuitatus. Neque enim volebat primo, veritus proximo post Philonẽ loco dicere. Exorsus autẽ inde est: Multi sæpe homines (inquit) omittentes de rebus optimis & nobis conducentibus dicere, ad alia nescio quæ argumẽta abripi consueuere, ex quibus sibi quidem famam cõparaturos se putant, auditores autẽ verbis nihil conferentibus obtundunt. Ac dicere solent alii quidem de iisdẽ rebus inter se verbis cõtendẽtes: alii autem ea quę non existunt, commemorantes, alii etiam de iis de quibus minimè necesse est, verba facientes. quos sanè decebat omnibus hisce relictis, quo pacto conducibile aliquid dicere fortè possint, apud animum cogitare. Hos igitur quandò nunc ego de iis quæ existunt, nihil sani cognouisse existimo, & alioqui autem etiam aliorum ignorantiã de rebus optimis, reprehendentẽ, in eadem vitia incurrere, omnino stultitiæ cuiusdam esse puto: idem argumentum orationis vtilissimum atque pulcherrimum audientibus proponam, quódque omnis quicunque etiam fuerit, fatebitur scio dignissimũ esse quod pulcherrimum quoque vocetur. Quòd si igitur de alia aliqua re verba faceremus, & non de pulchritudine, satis fuisset vnum aliquem dicẽtem audisse, & exinde argumento eo relicto, ad alia transisse: nunc autem præsens hoc tantam dicendi copiam præbet iis qui de eo orationem instituunt, vt haudquaquam si quis pro dignitate ipsum non tractarit, ob id infeliciter sibi successisse rem arbitrari debeat: sed si post multos alios nonnihil ad priores laudes etiam ipse cõferre potuerit, benigniorem fortunam experiri putetur. Nam quod manifestè adeò à superioribus in honore habitum semper est, ab hominibus autẽ ita pro re diuina & operæ pretio digna existimatum, omnibúsque quicunque viuunt, peculiare ornamentum existit, præterea & eos quibus adest, ab omnibus amari & coli, illos autem quibus abest, odio haberi, neque dignos adeò quos aspicias, videri facit: quísnam dicendi facultate præditus tanta fuerit, vt id pro eo ac dignum est, laudare sufficiat? Verumtamen quoniam ita multis ipsi opus est laudatoribus, vt vix vnquã pro dignitate tractari queat, nihil alienum aut indecorum fuerit etiam nos aliquid de eo dicere conari, quanquam verentes nonnihil verba facere post Philonem. Adeò autem omnium quæ sunt, veneratione dignissima, maximéq; diuina res pulchritudo est, vt etiã si omittamus dicere quibus honoribus Dii pulchros affecerint: superioribus certè tẽporibus illis Helena ex Ioue nata, in tanta apud omnes homines admiratione fuit, vt cum adhuc infra ætatem esset, Theseus ob aliam quandam rem in Peloponnesum profectus, cõspecta illius forma, in tantam admirationẽ ipsius venerit, vt cũ & regnum haberet maximè tutum, & gloria excelleret nequaquam vulgari, nihilominus tamen putarit sibi vitam vitalem, vt ille ait, nõ esse si illa carere deberet: rursum autem se omnes alios felicitate supergressurum esse, si secum illam cohabitare contingeret. Atque hoc modo cũ apud sese animatus esset, à patre quidem ipsius accipere illam desperauit. neq; enim eo caturum ipsum illam, cum nondũ ad iustam ætatem perueniisset. cæterùm imperio illius contempto atq; despecto, spretisq; insuper etiam omnibus qui tum in Peloponneso agebant potẽtibus, assumpto Pirithoo, qui ipsi in raptu adesset, à patre vi abreptam in

Exordiũ simile Isocratis proœmio in orationem de laudibus Helenæ: vnde etiã huius orationis pleraq; sumpta videntur.

Aphidnam Atticæ regionis oppidum aſportauit. Tantam autem gratiã habuit Pirithoo pro hoc auxilio præſtito, vt ipſum per omne deinde tẽpus ita amarit, vt etiam poſteris in exemplũ abierit Theſei & Pirithoi amicitia. At poſtquã etiam illum oportebat ad Plutonis proficiſci regnum, ambientem filiam Cereris Proſerpinam, poſtquã multis ipſum dehortatus à propoſito ne quid tale tentaret, auertere non potuit, vnà cum ipſo profectus eſt, arbitratus debere ſe hanc illi referre gratiã, vt pro eo etiã animam in periculum poneret. Cæterùm vbi hoc profecto peregre, illa Argos mox rediiſſet, poſtquã ætate nubilis facta eſt, quanquam principes Græciæ & formoſas alias, & ex parentibus præclaris natas, ex tota ea terra ducere vxores ſibi poſſent, nihilominus tamen conuenientes, huius proci facti ſunt, cæteris omnibus perinde vt vilioribus cõtemptis. Scientes autem quòd nõ abſque certamine ab vno aliquo ducenda eſſet, metuentéſque ne pugnantibus inter ſe aliquibus, bellum inde toti Græciæ oriretur, de communi ſententia in hæc verba iurarunt, quòd omnes auxilium ferre vellent ei, quicunque vxorem hanc ducere dignatus fuiſſet: neque cuiquã concedere, qui iniuria aliqua afficere illũ aggreſſus eſſet: exiſtimantes videlicet quiſque ſibi auxilium & ſocietatem hanc parari. Propria quidem igitur ſententia fruſtrati omnes ſunt præter Menelaum: communis autem pacti experimẽtum ſtatim adeò dederunt. Non enim multò pôſt, cum contentio inter deas de pulchritudine orta eſſet, diſceptatio eius litis Paridi Priami filio delegata fuit. Qui cum iudicio inferior eſſet, quàm vt inter corpora Dearum cognoſcere poſſet, donorum autẽ cogeretur iudex fieri, ac Iuno quidem offerret illi totius Aſiæ imperium, Minerua robur & vires ad bella, Venus autem Helenæ huius nuptias: ipſe verò contrà ſecum ita cogitaret, quòd imperia quidem etiã vilibus & contemptis hominibus obuenire poſſent, Helena autẽ non ſtatim vllus poſterorum dignus futurus eſſet: nuptias huius cæteris rebus omnibus antepoſuit. Poſtea verò exorta celebri illa expeditione contra Troianos, & Europa tunc primùm contra Aſiam bello concitata, cum Troiani poſſent Helena reddita, ſine periculo ac metu terram ſuam retinere, Græci autem hanc illis habendam permittentes, omnibus illis difficultatibus quæ ex bello & expeditionibus percipiuntur, liberari: neutri conſulere ſibi ipſi voluerũt, rati non aliam pulchriorem belli cauſam ob quam morerentur, inuenire ſe poſſe. Iam verò & dii cum certò ſcirẽt liberos ſuos in eodem bello perituros eſſe, haudquaquam illos ab eo abſterruerunt, ſed ad id vltro proficiſci fecerunt, rati non minorem illi gloriam conſecuturos eos eſſe ſi pro Helena mortem obiiſſent, quàm quòd Deorum filii procrati eſſent. Et quid attinet de filiis Deorum dicere, cum ipſi dii maiore grauioréque certamine inter ſe eodem bello congreſſi fuerint, quàm tunc cũ contra Gigantes bellum geſſere? Nam in illo cõtra Gigantes communibus ac mutuis auxiliis dimidicarunt: hîc autem ipſi contra ſe ipſos arma tulerunt. Quo ſanè argumento, quódnam aliud manifeſtius aut clarius eſſe poteſt, quanto etiam ipſis diis iudicibus, cæteras mortaliũ res omnes antecellat pulchritudo? Nam cum pro aliarum quidem rerum nunquam vlla vllo modo inter ſeſe diſcordes fuerint, pro pulchritudine autem non ſolùm filios ſuos in mortẽ obtulerint, ſed ipſi inter ſe dimicarint, nonnulli autẽ etiam vulnerati fuerint: an non omnibus adeò calculis cenſuerunt pulchritudinẽ cæteris rebus vniuerſis auteponendam eſſe? A tenim ne penuria quadam de pulchritudine dicendi, circa hunc locum commorari diutius videamur, ad alium hinc trãſire volo, haudquaquam his quæ antè dicta ſunt, ad comprobandam pulchritudinis dignitatem, inferiorem, nempe ad Hippodamiam Arcadis illius Oenomai filiam. Quàm multos enim ille pulchritudine huius captos oſtẽdit mortem ſubire voluiſſe potius, quàm ab hac diſſociatos, lucẽ intueri? Nam poſtquam adultam ætatem attigit puella, illãmque pater non paruo interuallo cæteras omnes anteire conſpexit, ipſe quoq; forma illius captus eſt. Tanta enim hæc in illa excellebat, vt etiam eum à quo nata fuerat, præter naturam illexerit. Proinde cũ ipſe quidem illam apud ſeſe retinere cuperet, elocare autem velle ei qui dignus illa foret, ſimularet, vt hominum accuſationem puta euitaret, technam quandam machinatur cupiditate ſua multo iniuſtiorem, per quam putabat, id quod animo intendebat, facillimè ſeſe conficere poſſe. Nam currui, quem quoad fieri maximè potuerat, ad celeritatem arte compararat, equis, qui ea tum ætate in Arcadia omnium velociſsimi erant, iunctis, cum procis puellæ aurigatione certabat, ei videlicet qui certamine ſuperaſſet, ſponſam illã proponens: qui verò victus eſſet, illum capite priuandũ edicens. Iubebat autem etiã ipſam vnà cõſcẽdere currũ, quò videlicet illi dũ vultu in illã defixi hærerẽt, interea aurigãdi currus obliuiſceretur. Cæterũ cũ qui primus certamen hoc iniiſſet, ſucceſſu caruiſſet, & præterquã quòd à puella, etiam á vita excidiſſet, reliqui cum ad certamen obeundũ cunctari, & eorũ quæ ſemel decreuiſſent, quicquam detrectare, futile ac iuuenile quiddam eſſe cenſerẽt, rurſum autem crudelitatem Oenomai deteſtarẽtur, alius alium præuertit moriendo, perinde ac ſi metuerent ne nõ pro puella illa mori poſſent. Ac proceſſit cædes ea, donec tredecim eorum iuuenum interficerentur. At dii cum illum ob prauitatem hãc odio haberent, pariter autem & eos qui mortui fuerant, & puellam miſerarẽtur, alteros videlicet quòd tantæ rei poſſeſsione priuari eſſent: puellam autem, quòd formoſa ſua per ætatem frui non poſſet: pro iuuene eo quicunque mox certaturus eſſet (erat autem is Pelops) curam aduertentes, & currum illi donant pulchriorem arte factum, & equos immortales, quorum ope puella potiturus, ac dominus illius futurus eſſet. Et ſanè factus quoque eſt, ſocero ad metam & terminos victoriæ occiſo. Adeò pulchritudo ipſa cum hominibus diuinũ quiddam eſſe videtur, & ab omnibus coli conſueuit, tum à diis quoque ſæpenumero cum ſummo ſtudio obſeruata eſt. Quam ob rem neque nos quiſpiam reprehendere meritò poterit, quòd quaſi quoddam operæ pretium putamus hæc de pulchritudine diſſeruiſſe. Atque ad hunc modum & Ariſtippus orationem ſuam peregit. HER. At tu iam reſtas Charideme: quare fac vt quaſi quandam coronidem imponas orationi tuæ pulchris hiſce de pulchritudine dictis. CHA. Nequaquam, per Deos quæſo, vlterius progredime

cogas. Satis enim sit indicasse tibi & quo pacto conuersati fuerimus, & hæc quæ modò dixi: præsertim cum ne illa quidem satis adhuc meminerim, quæ modò commemoraui. Multo enim facilius ea memoria repetiueris, quæ ab aliis dicta sunt, quàm quæ ipse dixisti. HERMIPPVS. Hoc igitur illud est videlicet quod ab initio consequi me cupiebam. Neque enim mihi tantopere orationes aliorum ac tuam audire cura fuit. Quare si me hac priuaueris, etiam illa frustrà laborasse te scias. Sed per Mercurium quæso, totam adeò orationem quemadmodum à principio exorsus fueris, mihi recita. CHARIDEMVS. Satius quidem fuerat, contentum his quæ dixi, à difficilioribus abstinere me: attamen quandò ita cupis & nostram audire orationem, in hoc quoque morem tibi gerere necesse est. Proinde hoc pacto ipse quoque verba feci. Si primus ipse cœpissem de pulchritudine dicere, procœmiis fortasse frequentibus & densis opus haberem: nunc autem quandò post multos alios qui ante me verba fecerunt, dicturus sum, nihil alienum puto fuerit, si illorum antè dictis, perinde ac procœmiis quibusdam vsus, sequentem orationem subiungam, præsertim cum non alio loco, sed hoc in conuiuio, eodémque die, orationes istæ habeantur, ita vt liceat & præsentes latere nos, perinde ac si non quisque priuatim verba faceret, sed eandem singuli per vices prosequantur orationem. Proinde alteri quidem sufficerent ad laudem vtique comparandam, ea quæ vestrûm vnusquisque seorsim de pulchritudine dixit. At verò hic adhuc tantum supereſt, vt & iis qui post nos venturi sunt, extra ea quæ nunc dicta sunt, satis laudum ad prædicandam illam supperat. Plurima enim vndique circunstant, quæ & ipsa eam de se opinionem præbent, quasi singula eorum primo loco dici debeant, non aliter atque in prato aliquo floribus fœcundo, vbi semper ea quæ nouissimè apparent, carpentes potissimùm alliciunt. Ego verò ex omnibus illis delectis, quæ mihi videbuntur minimè prætereunda fuisse, quàm breuissimè potero dicam, vt & pulchritudini debitum suum reddam, & vobis omissa verborum prolixitate morem geram. Proinde illi quidem qui vel ob fortitudinem, vel ob aliam aliquam virtutem præstare nobis videntur, si non quotidie honestis actionibus beneuolentiam sibi concilient, & nos quodam modo ad amandum se cogant, inuidemus illis magis: vndecunq; etiam eis negotia quæ geruntur, minus bene procedunt. Pulchris autem non modò non inuidemus formam suam, sed statim etiam vbi aspeximus tãtùm, capimur, & plus quàm amamus eos neque grauamur, tanquam superioribus, quantum nobis licitum fuerit, & seruire quoque illis. Libentius igitur quispiam obedierit formoso alicui; quam imperauerit ei qui talis non est: maiorémque gratiam habuerit formoso multa iubenti, quàm si nihil quicquam præcipiat. Ac cæterorum quidem bonorum quibuscunque caremus, vlteriorem assequendi curam nullam gerimus, at pulchritudinis nulla vnquam nobis satietas oboritur: sed siue Aglaiæ filium illum, qui cum Achiam, vt Iouis ad Troiam profectus fuit: siue Hyacinthum formerus ait mosum illum, siue etiam Lacedæmonium Narcissum pulchritudine superemus, tamen nobis ipsi minimè satisfacimus, sed semper timemus ne fortè videamur apud posteros ab aliis superati fuisse. Propemodum autem omnium eorum quæ inter homines geruntur, vt ita dicam, quasi quoddam commune exemplum pulchritudo proposita est. Nam neque duces negligunt ad pulchritudinem exercitus suos instruere, neque oratores ad eandem orationes suas componere, neque etiam pictores imagines ac tabulas suas secundùm illam depingere. Et quid attinet ista recensere, quorum finis quoque pulchritudo est? Quin illa quoque quibus necessariò vtimur, haudquaquam prætermittimus quin omnia quàm maximè fieri potest, cum summo studio quàm pulcherrimè apparemus. Nam Menelaus quidem non tantum curauit vsum & necessitatem ædium, quantum vt pulchritudine earum ingredientes quasi attonitos redderet: & ob hoc sumptuosissimas pariter & pulcherrimas eas ædificauit. Neque etiam sententia falsus est. Nam Vlyssis filius ita admiratus eas fertur, cum ad percontandum de patre eò loci veniſſet, vt ad Pisistratum Nestoridem in hunc modum dixerit: Odyss. 4.

Talis & ætherii forsan Iouis aula renidet.

Et ipse adolescentis pater non aliam ob causam minio infectas duxit naues, cum vnà cum Græcis ad Troiam proficisceretur, quàm vt aspicientes earum aspectu obstupefacere posset. Et ferme si quis singulas artes perpendere volet, reperiet omnes eas ad pulchritudinem tendere, eámque consequi pro summo ducere. Adeò autem pulchritudo cæteras res cunctas excellere videtur, vt iis quæ vel cum iustitia, vel sapientia vel fortitudine aliqua fiunt, multa alia inuenias maiori pretio vel existimatione digna censeri: at verò quæ cum hac specie commune aliquid habent, iis nihil quicquam melius inuenire licet: vt rursum & illis quibus hæc coniuncta non est, nihil quicquam inhonestius, atque indignius. Quippe solos eos qui pulchri non sunt, turpes vocamus, perinde quasi pro nihilo habendum sit, quicquid tandem aliquis habuerit in quo cæteros antecellat, si idem pulchritudine careat. Proinde & eos quidem qui vel in republica degentibus imperio præsunt, vel tyrannorum potestati subiecti viuunt, alteros quidem populares * vocare solemus, alteros autem adulatores. Solos autem eos qui huic potestati subiecti sunt, & admiramur videlicet, & cum philoponos tum, philocalos nominamus, adeóque communes benefactores censemus esse eos, qui pulchrorum quasi quidam procuratores sunt. Quandò igitur ita venerabilis res pulchritudo est, ita autem ab omnibus etiam votis expetitur, & quasi pro lucro putatur huic ministrare saltem aliquid potuisse: quomodo non meritò reprehenderit nos quispiam, quòd cum tantum lucrum lucrifacere possimus, vltro illud prodamus, ne hoc ipsum quidem verentes damnum videlicet quod mox accipiemus? Ac tantam quidem ego quoque orationem habui, multis quæ mihi de pulchritudine amplius dicere licebat, omissis, postquam conuersationem hanc in longum adeò progressam videbam. HERMIPPVS. Felices sanè vos, quibus tali conuersatione frui licuit. Ferme autem iam etiam ego non minus voluptatis quàm vos, per te videlicet, accepi.

* Λημαγω-γὸς, κόλα-κας.

Nireũ intelligit, quo pulchrior alter nõ ve-nit ad Troiam. Iliados 2.

Neq;

Neque hic videtur Luciani esse.

NERO, SIVE DE FOSSIONE Isthmi, si modò germanus est Luciani,

Iacobo Micyllo interprete.

ARGVMENTVM.

Totus hic dialogus, cuiuscunq; tandem est (nam Luciani esse, neq; asseriputo posse, neque prorsus negari) quasi quædam in Neronem inuectiua est, qua potissimum dementia illius exagitatur, quam cum in Isthmo fodiendo, à quo & tituli ratio sumpta est, tum in obeundis scenicis certaminibus Imperator Romanus exercuit. Estq; veluti perpetua facti commemoratio, paucis quibusdam & ceterorum ipsius facinorum exemplis amplificandi causa adiectis, quæ tota Musonio philosopho tribuitur, qui Tuscus genere, vt Tacitus ait, cùm studia iuuenum præceptis sapientiæ foueret, à Nerone postremò, cùm in omnes bonos & claros æquè grassaretur, ob linguæ libertatem, vt Suidas addit, interfectus fuit. Huius & alij meminere, & Gellius lib. XVI. cap. I. Cæterum fuerunt & in hoc dialogo multa ex coniectura magis, quàm ex fide, ob exemplaris, velut apparebat, vitiositatem, vertenda: quam ob rem, vt in postremo operis, eam saltem à lectoribus veniam postulo, quæ cæteris hactenus in claris & manifestis etiam impingentibus, data fuit: præsertim cum in nullo hactenus, quod equidem sciam, legentium fidem fefellerim, vbiq; cùm hoc loco, tum in superioribus, eo circa quod vel ignorantia, quam & ipsam agnosco, vel alia aliqua de causa hæsitassem, aut asteriscо, aut annotatiũcula aliqua signato. Qui si nihil aliud, illud certè tamen existimo, occasionem & quasi quandam ansam ad vlteriora ac veriora indaganda alys me tradidisse.

MENECRATES & MVSONIVS.

MENECRATES.

AT Isthmi fossio, quæ in manu adeò, vt aiunt, tyranno fuit, & tibi, Musoni, mentem habere Græcam videbatur. MVSO. Scio Menecrates etiam meliora cogitasse Neronem. Nam & circuitus Peloponnesi illos supra Maleam, tollere nauigantibus volebat, Isthmo ad viginti stadia interrupto. MENE. Hoc autem & emporiis profuturũ erat videlicet, & ciuitatibus cùm maritimis, tum etiam illis quæ in mediterraneis sitæ sunt. Nam si maritima loca bene habeant, etiam illis quæ interiora sunt, domesticus agrorum prouentus sufficiet. Sed hæc narra quæso Musoni nobis: omnes enim audiẽdi cupidi sumus, nisi si quid aliud feriæ rei fortè est, cui tu nunc incumbere cogitas. MVSO. Narrabo, quandoquidem vultis. Nam sat scio quòd plus etiam gratificabor, iis vtique qui ad iniucundam adeò curarum (vt ita dicam) officinam hanc studendi causa venerunt. Neronem igitur in Achaiam via ducebat, & illud item, quod sibi ipsi vehementer persuaserat ne Musas quidem dulcius modulari. Volebat autem & Olympiis (quod certamen omnium maximè exercitiis frequentatur) cantando coronari. Nam quæ in Pythiis aguntur, eorũ plerunq; ad se magis quàm ad Apollinem pertinere putabat. Neq; enim neq; illũ aduersus se citharã aut carmẽ aliquod mouere audere. Cæterùm Isthmus haudquaquam ex illis erat de quibus hic diu aut longè antè cogitasset, sed cum fortè naturam loci conspexisset, magnificum opus hoc animo concepit, Achiuorum videlicet regem, eorum qui ad Troiam olim profecti fuere, animo proponens, qui ipse Eubœam quoque à Bœotia resecuit, medio circa Chalcidem Euripo immisso. Deinde autem & Darium, vt à quo & Bosporus ponte iunctus fuerit cum is contra Scythas proficisceretur. Nam Xerxis factum etiam ante ista fortasis animo cogitarat, quod magnificentissimum operum magnificorum omnium fuit. Supra omnia autem hæc etiam illud putabat, Græciam per hoc quòd breui adeò omnes inter se misceri possent, contra exteros splendidè adeo stabilitum iri. * Nam tyrannorum ingenia ebria quidem sunt, tanguntur autem alicubi vbi vocem hanc audiunt. Porrò progressus in scenam, hymnum quidem Amphitrites & Neptuni cecinit, & canticum quoddam non magnum Melicertæ & Leucotheæ. Cum autem aureũ ipsi ligonem porrexissent, Græciámque tanquam in tutelam commendassent, ad fodiendum profectus est, plausu cantúque prosequentibus illum tum omnibus. Atq; vbi terram ter, opinor, tetigisset, deinde & quibus præfecturæ atque imperia credita erant, opus vnà capessere iussisset, Corinthum rediit, Herculis adeò res gestas omnes sibi visus superasse. Illi igitur qui in vinculis fuerant, pertricosis atque difficilibus conficiendis exercebantur: exercitus autem ea quæ terrea ac plana erant, fodiebat. At vbi iam septimum & quintum diem quasi alligati Isthmo fuissemus, rumor quidam è Corintho venit, non ita tamen manifestus aut planus, quòd Neronem pœnituisset Isthmi incisi. Dicebant autem Aegyptios geometras altitudinem metientes, haudquaquam eandem atque æqualem vtriusque maris superficiem deprehẽdisse: sed cum eam partem quæ *Lechæum aspicit, altiorem iudicarent, de Aegina in timorem venisse. Nam si tantum pelagus contra insulam effunderetur, periculũ esse ne illa aquis obruta in profundum demergeretur. At Neronem à fodiendo Isthmo ne Thales quidem absterriturus fuerat, quanquam sapientissimus, & naturalium rerum peritissimus. Nam incidendi illius maiore studio tenebatur, quàm publicè canẽdi. Sed motus occidentalium gentium, & asperrimus qui illas nunc excitat & incendit (Vindex autem nomen ipsi est) reuocauit ex Græcia & ab Isthmo Neronem frigidè adeò maria dimensum. Nã æquè altè à terra vtrunque assurgere, eandémque superficiem habere scio. Aiunt autem ipsi & Romanas res paulatim iam labi & declinare. Id quod & ipsi ex Tribuno heri, qui impegerat, audistis. MEN. At vox, Musoni, propter quam in Musas ita deperit, & Olympiadas pariter & Pythiadas amat, qualisnam tyranno est? Nam eorum qui ad Lemnum nauibus veniebant, alii quidem admirabantur ipsum, alii autem etiam deridebant. MVSO. At ille, quod ad vocem attinet, neque admiratione dignus, neq; risu est. Nam ipsum natura inculpabilem, atque adeò mediocrem formauit. Sonat autem concauum quiddam, non na-

* ἐριᾶσθαι quod à nomine ἔριον deriuasse videtur. Nam alterum ἐριᾶν, quod contuuio accipere significat, etenui scribitur.

Portus est ad occidentẽ vergens, quẽ ex Italia nauigãtes petunt.

Vindicis, qui primus contra Neronem in Galliis surrexit Suetonius & Tacitus quoque memi-nit.

tura tamen, & graue, impendente atq; vrgente hoc gutture: ac carmina quidē hoc pacto accurata quodammodo etiam personat. Voculationes autem sonorum leuigant hunc, postquam sibi ipsi non confidit: *Chromatum verò humanitate & modulatione facili quidem illa, & ad citharæ cantum accommodata: & vbi tempus est, ire & stare, & de loco transire, deinde & nutum cum membris exæquare, hæc ac curatè facere, eius est qui pudore solo eo afficitur, quòd rex videtur. At rursum si imitetur superiores, huic quàm multis spectatoribus risus excidit! quanquam infinito adeò metu impendente, si quis ipsius causa rideat. Nutat enim plus æquo, & cum spiritū attrahit, stat summis pedibus distentus & refractus, périnde vt ii qui rotam circumagunt. Iam verò natura rubicundus existens, multo magis etiam rubescit, cum ipsi facies incenditur. Spiritus autem modicus, & ægrè alicubi sufficiens. MEN. Qui vero certamine cum ipso conferuntur, Musoni, quo pacto se gerunt? Nam arti gratificantur scilicet. MVSO. Arti quidem Musoni, quemadmodum & qui luctando subseruiūt: sed cogita Menecrates tragicum histrionem illum, quo pacto in Isthmiis perierit. Paria enim pericula & circa artes sunt, si qui in iis ostentandis impendiò elaborant. MENE. Quid hoc autem Musoni? admodum enim ignarus eius sum quod dicis. MVSO. Audi igitur rem absurdam quidem & insolentem, attamen in conspectu Græcorum actam. Nam cum in Isthmiis lex esset, vt neque comœdia certaret quispiam, neque tragœdia: Neroni placuit tragœdos superare. Ac prodierunt ad hoc certamen plures quidem: Epirota autem ille, vt qui voce optimè valeret, & ob eam autem etiam celebraretur, & in admiratione esset, clarius solito fingebat & coronam amare se, & nihil de studio remittere velle priusquam à Nerone decem talenta pro victoria acciperet. At ille exasperabatur, simul & insani more ferebatur: nā & auditus iā sub scena fuerat, in ipso videlicet certamine. Acclamantibus autem Græcis, Epirotæ mittit scribam, qui iuberet hunc submittere sibi sese. Sed pergente eo, & supra modum attollente vocem, popularitérque ac liberè cum ipso contendente, immittit Nero in pulpita suos histriones, tanquam qui ad hoc negotium pertinerent. Nam & libellos elephantinos & duplices habebant, quibus præ se intentis, veluti pugionibus vtebantur. Atq; hi Epirotam ad proximam columnā erigentes, guttur ipsius fregerūt, cædentes obuersis in rectum libellis. MENE. Tragœdia autem vicit, Musoni, sceleratū adeò facinus in oculis Græcorum ausus? MVSO. Quid putas? ludus hic adolescenti fuit, qui matrem occidit quoque. MENE. Si verò inter tragœdias histrionem occidit exacta illius voce, quid adeò attinet demirari, quando & Pythicum os, vnde voces inspirare solebant, obturare conatus fuerit, vt videlicet neque Apollini vox aliqua esset? quāquam ipso Pythio recensente eum inter Orestas & Alcmæones, quibus id quòd matres occidêre, etiam laudis aliquam famā præbuit, postquam id in vltionem patrum fecerant. MVSO. Hic autem cùm nullo modo dicere posset quémnam vltus esset, contumelia à Deo affectum sese putabat, cum tamen mitiora quàm veritas exigebat, audiisset. Sed interea dum sermones cedimus, quænam nauis ista est quæ huc propinquat? Vt autem boni aliquid afferre videtur! Nam coronati capitibus omnes sunt, périnde vt chorus quispiam, qui faustum aliquid nuntiaturus ingreditur. Et quidam ex prora manum protendit quoque, iubens & confidere nos, & gaudere: clamátq;, nisi non satis rectè percipio, Neronem periisse. MENE. Clamat enim Musoni, & manifestius vtiq;, quo propius terram contingit. MVSO. Euge, ô dii. MEN. Sed ne gloriemur. Nam mortuis, vt aiunt, non decet conuiciari.

Et sunt qui tradāt Paridem histrionē occisum ab eo, quasi graue aduersarium. Suetonius.

PALINVRVS.

ARGVMENTVM.

Duo hi dialogi sequentes, Luciani nō sunt, neq; Græcè scripti etiam: sed quia à doctis Italiæ cum Lucianicis, eodem titulo coniunctos accepimus, ne horum quidem lectione fraudare quenquam voluimus, præsertim cum ad exemplum Lucianicorū aliquo modo efficti & ipsi essent.

INTERLOCVTORES, PALINVRVS, CHARON.

PALINVRVS.

OBsecro te ô Charon, sine me vt iam nauim conscendā. CHA. Quis me appellas? PAL. Ego nauita quōdam illius quem nuper viuentem transuectasti, Aeneæ Troiani. CHA. Túne ille es qui apud portus Velinos inhumatus iacebas? PAL. Ille ipse sum. Sed crede cælestium nutu fieri vt transuehar, quorum prodigiis longè latéque actæ finitimæ gentes, & ossa mea iam expiauerunt, & tumulum mihi, tumulóque insuper solennia statuerunt. Quare te oro ô iustissime Charon, patere tādem vt ingrediar. sic prospera semper sit nauigatio tua, sit solida nauis tua, atq; inconcussa. CHA. Rem iustam petis Palinure. ingredere vt libet. Vos verò tam confertæ vmbræ, quid fatigatis me precibus? quid fatigatis? quænam hæc vis desiderii? Expectate tantisper, dum trans flumen hunc porto. regrediar quàm primùm. PAL. Habeo tibi Charon immortales gratias, qui me his tandem eripuisti è malis, qui me dira hac tandem qua detinebar transfretandi cupidine liberasti. CHA. Amo te equidem Palinure, tum propter Aeneam regem quem mihi nominasti, qui & super omnes, quos vnquam viderim mortales, visus est mihi singulari quadam præditus pietate: tum propter meum etiam, quod olim cōmune fuit tibi, magisteriū. par enim sibi quisque parē affectat, delectatq; magis quæ inter pares fit vel cōfabulatio, vel vitæ actio. Afficiebar porrò non modico dolore, quum videbam iandudum te in citeriore hac ripa errantem, incertúmque sedis tuæ. Neq; licebat tibi succurrere, propter legem mihi datam, ne quenquam nisi humato prius corpore transportē. Sum enim ego minimus inter infernos habitatores, subiectúsq; alienæ potestati, cui parêre non tam pulchrū mihi, quàm aliās necesse sit. Gaudeo autem nunc & lætor, quòd ea aliquando se sors tibi obtulerit, qua & tuum implere desiderium, & meum releuare dolorem salua lege officii mei possum. PAL. Imò ego non minus propter te dolebam ô Charon, quia perspiciebā tot te graues assiduósq; labores

labores perferentem ſine vlla relaxatione. Neque enim me latet, quot quantiſque vexari malis ſolent nauium gubernatores, qui nihil aliud in vita quàm nauigationem exercui: atq; ita exercui, vt nihil illa grauius, nihil periclitatius cõtingere mortalibus putem: propter quod credibile magis tibi videri poteſt ſi angebat me vtiq; fatigatio tua, repetẽtem animo antiquas, quas iuuenis etiam ſuſtinebam, nauticas fatigationes meas: quarũ experientia iam edoctus ſciebam probè pari malo tuo condolere. CHA. Fruſtra propter me dolebas, Palinure. nam nihil moleſta mihi eſt ars mea. PAL. Quid ais? CHA. Aio gratã me habere & iucundam artem meam. Vides vt cruda viridiſq; ſenectus eſt mihi? Memini haud vnquã ab ipſa, qua iam omnium annos ſupero, longæua ætate mea pertæſum me eſſe laboris mei, qui quotidie inſto alacrior atq; valentior. Sed intelligo cur tu aliter tibi perſuadeas. Eſt enim communis hic morbus mortalium, vt ſortis ſuæ quenq; diſtædeat ſemper, viuátque contentus nemo ſtudiis ſuis, laudent verò longè, ac beatiores exiſtiment omnes qui diuerſas à ſe artes atq; actiones ſequuntur: verùm falluntur maximè opinione ſua. Nam ſi rectè intueri velint, cognoſcent perſpicuè nullum eſſe in vita eorum ſtatum qui non magnis ſcateat miſeriis, quem non magnæ grauéſq; perturbent vndiq; moleſtiæ & vexationes. Et ſi detur aliquando vt alter in alterius ſtudia transferatur, quàm videas tunc ſua cuiq; leuia videri, quæ prius præ grauitate accuſabat: cohtráq; ea grauiora, quæ prius leuia videbantur? Itaq; ſi bene conſideres, Palinure, nõ eſt ita grauis mea conditio vt cenſes, neq; propterea quòd nauclerus ſim, ſum eò miſerabilior. Sed tu (vt video) ſequeris vanos errores mortaliũ, ego verò integritatẽ tantũ, iudiciiq; veri lucẽ ſecutus, dego cõtentus ac lętus ſorte mea, neq; adſcribo mihi calamitatem, quòd deſudẽ quotidie nauigando, & defatiger. Neq; ob hoc arbitror quempiam horũ qui mecum ſimul vltimas ſedes colunt, me eſſe beatiorẽ, non ipſos iudices, Minoem, Rhadamanthum & Aeacũ, quanquã magna omnes emineãt poteſtate: nõ ipſum Ditẽ, quanquã ſceptro potens ſit, atq; regna iſta moderetur. Sunt nanq; & illis ſui labores, ſuæq; moleſtiæ, & maiores fortè, quò & maiore regiminis ſarcina premuntur. PAL. Potes de te tibi Charon perſuadere vt libet. mihi enim de me nunquam perſuadere poteris, quin ars noſtra ſine vlla comparatione cæteras laboribus & periculis excedat. quod liquidò tibi probarem, niſi quòd vereor ne tædio te afficeret fortaſſe longior narratio noſtra. CHA. Imò ſumma me afficeret recreatione. Nã & delectat me tecũ ſermocinari, & nauigantibus etiam magnam animorum refocillationem afferre ſolent huiuſmodi cõfabulationes. PAL. Quandò igitur non eſt tibi iniucundum, proſequar ſuſcepti ſermonis noſtri rationẽ, vt intelligamus, nõ eſſe duriorẽ vllã, quàm nautarũ ſortẽ: quod tibi facilè perſuadebo, ſi animaduertas quos æſtus & frigora tolerare eos, quos perhorreſcere tonitrus & fulgura, quibus perfundi imbribus, qua ventorum rabie agitari quotidie neceſſe ſit. Si cognoſcas quoties eos torqueri fame & ſiti, quoties ſqualloré etiã teterrimo conſumi contingat. ſi attendas habitationem eorum inſtar carceris, ſupellectilem vel nullam, vel ſordidiſsimam, ſtrata dura, cibaria aſpera, potum immundiſsimũ, indumenta ſpurca, incõmoditatem rerum omniũ, noctes inſomnes, & ſub diuo ſemper, & inquietas. Taceo perpetuũ alioqui quoddam eorum exilium, quos patriæ eorũ exteros, profugos, vagos, palantes, ignaros quietis, priuatos omni (quo nihil eſt in vita dulcius) cõiugis ſoboliſq; fructu ac iucunditate, quis nõ abiectiſsimos, lõgéq; omnium mortaliũ miſerrimos eſſe iudicabit? Prætéreo Scyllam, Charybdim, Syrtes, Symplegades, tot infeſta nauigantibus maris pericula. Omitto tẽpeſtates, quibus nec viſu quicquam eſt triſtius, nec hõrribilius, quibus & ad ſummũ vitæ vſq; diſcrimẽ quotidie iactantur, quatiuntur, & (quod ſæpe accidit) ſubmerſi tandẽ obruuntur. In qua re nemo eſt qui idoneus magis, quàm ego, teſtis adhiberi queat: qui cùm multis fuerim quaſſatus tempeſtatibus, tum ea maximè quę me ex Sicilia in Italiam nauigantem inuaſit, tam ſæua atq; horrens, vt horrori ſit adhuc mihi eius recordatio. Nõ poſſum certè vt par eſſet, explicare tibi acerbitatẽ illius tempeſtatis, ſed quanta extiterit, ex hoc facilè cõiecturam facere potes, quòd Aeneam ducem, cuius ſumma conſtantia & animi fortitudo vbique decantatur, vidi ego contrementem grauiter atque ingementem, extentiſq; ad cælum manibus beatos longè inclamantẽ eos quibus ad Troiam oppetere cõtigiſſet, lamentantémq; pari ab eorum morte, ac fortiſsima, à Diomedis gladio ſe ereptum extitiſſe, crudelem equidem diem illuxiſſe omnibus vltimum, neque ex numero noſtro quenquam putaui euaſurum, non ipſum Aeneam, non Ilioneum, non Achatem, non Abantem, grandęuúmve Alethem, quorum naues longè diſiectas, ad ſummúmq; penè exitium adductas, neſcio quæ vis illa niſi diuina liberauit. CHA. Non incognita mihi narras: hæc ea ipſa die reſciui. PAL. Quo id modo? CHA. Quo id modo, rogas? An acrem illum fidúmq; Orontem ignoras, ductorem Lyciæ nauis? Is quidem tunc ſubmerſus conceſſit ad me illico, exponens mihi ex ordine omnia quæ tu diſſeruiſti, implorans deinde opem, rogitánſq; multum vt ſe vlteriore in ripa ſiſterem: quod nũquam paſſus fui, quum inter fluctus adhuc corpus ſuum ſine ſepulcri honore iactaretur. Núc agit ſeſe circum hæc ſtagna mœſtus atq; errabũdus. vidiſti illum? PAL. Et tum vidi, & vnicum meorum ſolatium habui, dum tantiſper in ripa moratus, pari cum eo detinebar infelicitate. Nec enim falſa de triſti eius interitu retuliſti, cuius adhuc imago ſubit mihi, dum excuſſum è puppi, contortúmq; ter eum atq; circumactum (horrendum) à fluctu, rapidus tandem æquore vortex abſorpſit. Sanè quod ad me pertinet, nihil ediſſeram: qui licet eam euaſerim tempeſtatem, amarum tandem aliquando etiam vitæ meæ finem inueni, excuſſus & ipſe pariter atque iactatus inter vndas: quod deerat, inſuper ferro præterea obtruncatus. Ex quo nec tantum mihi timui, quàm Aeneæ meo, ne tantis vndis ſurgentibus ſpoliata magiſtro nauis deficeret. Hæccine eorum deliciæ, opes, tranquillitas? ſic illis viuitur, ſic moritur. Tu i nunc, & aliorum defende ſtudia & artes, contendéq;, ſi libet, maiorem eſſe etiam eorum miſeriam & calamitatem, qui patrias incolentes ſuas, vxorúmq; ac filiorũ ſocietate beati, quieſcunt, gaudent, ludunt, hortantur, amicitias colunt, exercentur commodè, habitant magnificè,

veſtiuntur cultè, conuiuantur lætè, cubant molliter, iucundos ſuos ac geniales agunt dies, Adde qui in vrbibus optimates & primarii magnam ſibi vendicant authoritatem, habentúrque ſummo in pretio atq; honore, qui ius dicunt, qui cauſas agunt aliorũ, qui faſces gerunt, qui ducunt exercitus, qui vel aſsiſtũt principibus, vel principes ipſi magni illaſtréſq; ſunt: quibus nec optabilius quicquam in vita eſſe video, neq; beatius. CHA. Falleris longè Palinure. nã quos beatiores eſſe arbitraris, miſeriores illi ſunt vlla ſine dubitatione. Neq; enim negauerim ſortẽ ſubiectã eſſe nautarũ magnis malis: ſed ita ſubiectã, vt comparatione aliarum, quæ maioribus etiam grauantur incommodis, minus certè miſera iudicanda ſit. Quid enim triſtius, vt ad tuos veniã qui patrias ſuas colunt, quid miſerabilius, quàm domi ſuæ agere, & ita agere, vt iucundiorem aliquando quàm vitam mortẽ optes? Quæ vlla maior calamitas, quàm circundari vrbem hoſtibus, ingruere bellum, volitare tela, ſtringi enſes, perfodi muros, fremere tormentis, ſaxo dirui, domos tremefieri & concuti? quemq; fame ſitíq; deficere corrumpi aërem, occupari mœnia, ſpoliari templa, diripi patrimonia, publicari bona, incendia parari, malos exultare, bonos torqueri, affici conuiciis, expelli domibus, vulnerarĩ, carcerari, relegari, deportari, trucidari filios ante parentum ora, vim pati vxores, ſtuprari gnatas? Videntur an hæc tibi mala Palinure, & an his quæ tu meminiſti, vlla ex parte comparanda? PAL. Quàm vera narras ô Charon! quàm nunc vel audiens iſta perhorreſco! Venit enim mihi in mentem grauis illa & deploranda patriæ meæ deſolatio, Troiæ inquam, tam præpotentis olim atque prædiuitis, cuius euerſione nihil credo referri poſſe crudelius aut lachrymabilius: tantáq; fuit calamitatis eius magnitudo, vt longè plura etiam atq; triſtiora quàm tu ſuprà memoraueris, ſibi contigerint: quæ ſi velis, omnia tibi, vt rem certiùs agnoſcas, explicabo. CHA. Haud opus eſt Palinure, quoniam & tempus non patitur, & ego hæc omnia non ſecus ac tu nota atque comperta habeo. Nã & mihi renuntiauerũt vt quęq; aduentabant animæ ex illo bello profectæ. Nihil certè, vt nunc tu dixiſti, peruenit ad aures meas crudelius aut lachrymabilius. PALIN. Faxo vt iubeas: ſed aduertas Charon, grauiſsima licet hæc ſint, rariora tamen contingere, quàm ea nautarum quæ ſuprà expoſui. CHA. Referam ergo alia frequentiora, & ex ipſis quidem met ciuitatibus, quarũ relatio augebit etiam earum miſeriam. Vade oro, & per ciuitatem, plateas porticúsq; diſcurre: quid aliud offendes, quàm oblatrantium maledicta, inſimulationes peſtilentiſsimas, optimi cuiuſque dilacerationem, quid non? exploratorum inſidias, inuidentiúmque venena. Diuerte modò greſſum, & artificum mercatorúmque tabernas ac conuentus pete: quid aliud deprehendes, quàm ſermonum nebulas, fucos, mendacia, deceptionéſque manifeſtas? Transfer dehinc te in fora publica, ſedéſque iudiciarias: quid aliud audís quàm vndique omnia magno ſtrepitu ac clamore miſceri? Quid intelliges aliud, quàm cædes, hominum compilationes, furta, graſſationes, conſpirationes, proditiones? Quæ alia occurrent tibi, niſi litigatorum iurgia & contentiones, teſtium periurationes, cauſidicorum præuaricationes, iudicum corruptiones, præſidũ ambitiones ac rapinæ? Quos ibi alios obuiam tibi habebis, quàm exultantes improbos, lugentes bonos, oppreſſas viduas, proculcatos pupillos, egentes proſtratos? Attolle poſtea altiùs oculos, & atria principum perſcrutare, quàm non videbis ibi aſſentatorum exaltationem, ſpeculatorum acceptionem, militum audaciam, fœneratorum voracitatem, quæſtorum improbitatem, quàm non potentum hominum in tenuiores vim atq; inſolentiam? Quas nõ concuſsiones? quas non populationes? quos non innocentes accuſari, criminari, carcerari, proſcribi? PAL. Grauia hęc nimis ac miſerabilia. CHA. At reſtant alia, quæ non minùs tibi grauiora & miſerabiliora videbuntur. PAL. Perge. CHA. Quæ fortaſsis etiam grauiora & miſerabiliora iudicabis, quoniam domeſtica ac frequens magna eſt eorum peſtis. PAL. Fare. CHA. Nolo tibi Palinure afferre in medium graues longóſque artificum & negotiatorum labores: non eos quibus afficiuntur agrorum cultores, non quibus milites, nõ quibus cauſidici, cæterarúmq; diſciplinarum ſectatores, æſtus, algores, inediam, peregrinationes, anxietates vel pericula, vulnera, cædes, diſtrictas habitationes, infinitáq; agendi, cubandi, veſcendi incommoda vel faſtidia, laſsitudines, vigilias, ſolicitudines, odia, & infamationes. Nam ſi complecti cuncta ſermone meo atq; exequi voluerim, tot tantáq; dicenda ſe offerent, vt præ longitudine malorum ac mole, citiùs nauigatio noſtra quàm oratio finẽ poſſit inuenire. Omittam itaq;, & commemorabo tantùm quas inter domeſticos parietes, tum ſeruorum, tum vxorum ac filiorum moleſtias ac turbationes peſsimas perferre ſolent qui gubernationi præſunt rei familiaris. Quam ſi ita vt nauali expertus eſſes, facilè quicquid dicturus ſum, me etiam tacente & intelligeres & approbares. Nam ſeruorũ primò in dominos ſemper prompta maledicta, furta, impoſitiones, fugas, arrogantiam, negligentiam rerum dominorum, temulentiam, edacitatem, ſomnolentiam, tarditatem, ignauiam, nemo eſt qui non videat magnam afferre his qui patiuntur, infelicitatem. Deinde filios, quorum amore nihil dulcius eſſe fertur, quanta animi cum amaritudine aſpiciant parentes vel ægrotare, vel mortem obire, quod frequenter admodum fit, ſatis exiſtimo etiam te intelligere. Quàm vero grauem & anxiam credis eſſe eorũ vel parturitionem, vel educationem, vel inſtitutionem? Quoties pro eis bonos parentes gemere, ſuſpirare, dolere, torqueri? Quanta etiam putas perturbatione affici, dum quos progenuerunt, immenſaq; adeo cura aluerunt, vel parum ſibi audientes, vel rebelles ac infeſtos poſteà habere contingat? quàm dolenter eos ferre arbitraris dum inſani & vecordes ſunt, dum hebetis & craſsi ingenii, dũ effœminati & molles, dum dilapidant & euertunt patrimonia, dum nulli bono operi & ſtudio intendunt, dum per præcipitia vitiorum omnium vitam ducunt ſuam? Quid de vxoribus loquar, quas dos tumidas, genus inſolẽtes, forma ſuſpectas, deformitas reddit inuiſas? Quarum lingua nihil pernicioſius, quarum audacia nihil prodigioſius, quarum improbitate nihil execrabilius. Quæ iurgiis ſemper & contentionibus obtundunt viros, quę ſemper conquerũtur, ſemper exprobrãt, ſemper inſidiantur. Quibus quum deſint cętera, nũquam

quam tamen lacrymæ, gemitus & ſuſpiria. Quæ cæca ſua (qua tantùm ardent) ornamentorum ambitione exhauriunt opes, labefactant domos, cogunt maritos in malos quæſtus, in dira ſcelera. Non refero turpiſsima adulteria, quibus nec punitur minùs, nec peccatur magis quicquam. Ea quanto dolore afficiant bonos coniuges, nemo ſatis vnquam meo iudicio enarrare poſſet, ſed magnum doloris argumentum præſtant, & grauiſsimas cædes, & ingentia quę ſæpe propter corruptas vxores bella exarſerunt. PALINVRVS. Hoc plus quàm vellem, ſcio: nam arduum illud quod ego vidi Græcorum & Troianorum bellum propter Helenæ raptum, in eam excreuit rabiem, quam nulla mundi regio ignorauit. CHA. Quæ toti mundo manifeſta ſunt, ea tantùm noſti Palinure: at ſi ſingula, quorum nihil me latet, intelligeres, adducereris in tantum ſtuporem, vt ſtupeſcés etiam præ miſeratione coniugalem vitam lacrymares. PALINVRVS. Hui quid narras? CHARO. Narro quæ quotidie video & pertracto. PALINVRVS. Ergo connubia putas polluta & coinquinata? CHA. Minimè: id nunquam dixerim. PALINVRVS. Atqui multas memini me vidiſſe ea præditas honeſtate, ea religione, ac vitæ integritate, vt diuinum quiddam magis quàm humanum redolere viderentur. CHARON. Et multas vtique eiuſcemodi eſſe confiteor, ſed eas quidem, quæ optimis honeſtiſsimiſque ortę parentibus, ebiberũt à primis annis ſobrios & caſtos mores: quæ ſanctis parentum ſuorum exemplis educatæ, vitam inſtituerunt, peccare caſtigatæ, ſapiẽter ad manſuetudinem edoctæ, ad pietatem, ad fidem, ad diuinum cultum, ad rectum compoſitúmque regimen rei familiaris. Quæ ſe à thyaſis, ſaltibus, iocis, quæ ſe à ſpectaculis: ab immodeſtiore cultu, ab licentiore colloquio abdicarunt. Cæterùm quæ contra ſanctitatem, quæ malis inſtitutis, peruerſiſque parentum exemplis imbutæ, molliter vixerint, aſſuefactæ deliciis atque turpi otio, quæ nihil niſi ſaltare, canere, fides pulſare didicerunt, quæ præterea oculis ſuis hauſerunt matrum præſertim obſcœnitates & immunditias: haſce qua fide & integritate eſſe putas erga maritos? Illabuntur ſiquidem tanquam venena tenellis mentibus parentum exempla: inde rarior etiam quã reris, eſt hymenalis honeſtas, quo qui eas vel emendatis inſtituant moribus, vel ſancto inuitent exemplo, parẽtes ſimul rariores habeãtur. Prodeũt poſtea in publicum quæque etiam procaciores, aperta fronte, directo greſſu, quaſi pudicitiam ipſæ conſecraſſe videantur. Et quæ ſecretum intra cubile probra geſſerunt: cùm veſtem induerint, illa contexiſſe atque occultaſſe exiſtimant. Vóſque ea, vanum vulgus, ita vt cernitis, vera ducentes eſſe arbitramini. At ego nihil quàm quod res habet, de eis iudico, nuda enim hic omnia atque aperta ſunt. Non veſte hic teguntur maculæ, non pallio obnuuuntur ſcelera. exertos omnes ac nudatos, rerúmque omnium vacuos prorſus huc ingredi oportet. Quicquid in vita malè tentatum, maléque actum eſt, hic fronte coràm ipſa demum geſtatur, diſpoliatur, oſtentatur. Quare non mirum tibi videatur ſi quorumcunque nota habeo crimina, qui quorumcũque etiam nudas, ita vt prædixi, tranſueho vmbras. Quã proinde ingentem video earum turbam, quæ cùm impudicitiam longè apertam oſtendant ſuam, pudiciſſimæ tamen in vita habeantur! Quantas ſecum in maritos fraudes gerunt, quot ſimulationes, quot proditiones, quantam hypocriſim, quot aliorum obſcœnos amores, quot pollutiones, quot ſuppoſititios partus, quot mentitas enutritiones, quot alieni ſeminis ſuſceptas meſſes! At, quod ridiculum magis eſt, lugent poſtea ignari mariti haſce ſibi extinctas vxores. Laudant inter cœtus & prædicant quaſi pudicitiæ principes: ſtatuunt mauſolea: plurimi quoque epigrammata condi, orationes ſcribi & pronunciari curant in laudem ac memoriam caſtitatis fideíque earum ſempiternam. An hæc triſtia & amara eſſe cenſes Palinure? Et an comparationem vllam habere putas cum his nautarum, quæ ea ſeueritate & acrimonia recenſuiſti, vt cætera læta, fauſta, deliciarúmque plena (ſi tibi fides daretur) exiſtimanda eſſent? PAL. Haud equidem tanta in ciuitatibus priuatíſque domibus, quãta modò enumeraſti, mala regnare credidiſſem. CHA. Ita proficit inexpertos ſermonem aliquãdo inire cum his qui multarũ rerũ vſum atq; experientiã habẽt. PAL. Ita fit. CHA. Quòd ſi animaduertas, labores quos perferunt nautæ, corpori magis quàm animo infenſos ire, concedes ampliùs etiam ſententiam meam. Nam huiuſmodi res duræ aſſiduo quodam vſu & aſſuefactione mitiores fiunt, & quodammodo domantur: quas verò ego memoraui, cùm animum magis affligunt, non ita vſus & aſſuefactio mitigare atque edomare poteſt. PALIN. Conſentio tibi iam, gaudeóque in eam lucem te illuſtrante peruenisſe, vt intelligam tam magnam aliorum & maiorem etiam quàm nautarum miſeriam. Sed illud non poſſum intelligere, quin principes ſaltem ac magni viri, nõ dicã nautis, ſed cæteris inſuper quibuſcũq; mortalibus beatiores ſint. CHA. Cur? PAL. Quoniam omnibus abundent atque affluãt bonis. CHA. Quibus? PAL. Honore, gloria, opibus, deliciis, amicis, potẽtatu, imperio. CHA. Hiſce? PAL. Hiſce, & multò pluribus. CHAR. Erras. PALIN. Errorem hunc optaſſem in vita mihi. CHA. Deliras. PAL. Maluiſſem ita delirare, quàm tua cum ſententia ſapere. CHA. Quid ſi nihil illis miſerius? PAL. Quid ſi nihil beatius? CHA. Haud vnquam hoc mihi demonſtrabis. PAL. Non tibi ii beati videntur, qui quicquid ad explendas voluptates optari poteſt, aſſequuntur? quibus conuiuandi, cubandi, vrgendi, lauandi, ludendi, venandi, aucupandi, ad omnem nitorem atque ſatietatem ſemper facultas ſit? Quibus quotquot velint concubitus fœminarum, quotquot velint arua, equi, canes: quibus tot ſunt ſerui, tot exculta palatia, tot munitæ arces, oppida? Qui tantum poſſideant auri, gemmarum, veſtium, ſupellectilis? Quibus audiant omnes, aſſurgant, inclinent? Quos populi vereantur, timeant, laudent, decantent? Qui leges dicant, mandent, exerceant, proſcribant, puniant, extollant amicos, vindicent inimicos, trucident rebelles? CHARON. Non eſt tam magna vt exiſtimas Palinure, eorum beatitudo. Nam parit certè faſtidium tanta bonorum continuatio, tantáque affluentia, neque ſapit tantum, quæ non aliqando intermittitur voluptas. Prætereà quomodo eos tu beatos iudicare potes, qui tantis opibus atque deliciis ſuis nunquam fruuntur cum iucundi-

tate, nunquam cum gaudio? qui in tãta rerum copia nunquam exhilarent ſe, nunquam releuẽt animum, nunquam exultent? Qui tanta licet bonorum vbertate redundantes, triſtitia tamen ſemper obducantur, ſolicitudine premantur, anxietate torqueãtur? Non tibi multo optabilior videtur priuatorum conditio, quorum & vita ſecurior, & voluptates etiam, ſi mentem intendes, maiores ſunt? quos ſumma ſemper condit hilaritas, mulcet feſtiuitas, explet alacritas? Quantam putas afferre delectationem, quæ communis cum vxoribus & filiis vita exigitur, dum cubãt tutè, veſcũtur lætè, iocantur modeſtè? Quàm dulcem eſſe arbitraris amicorum inter ſe & æqualium parem vitam, domeſticum vſum, frequentem conuentum? Quid eorum amore ſuauius, confabulatione gratius, curis melius atq; commodius? Quantum credis lætitiæ & exultationis habeant eorum conuiuia, ludi, cantus, ſaltationes? quantum dilatent animos & permulceant? quantum emanet mellis? cuius nec ſtillam principum aliquis deguſtauit. PAL. Haud intelligo Charon hanc quam refers regum triſtitiam atq; anxietatem, qui inter riſus tantùm, blanditias iocóſq; verſentur, quibus ſemper pſallatur, cánatur, plaudatur: & quicquid ad trãſigendã hilarem vitam excogitari poteſt, exhibeatur. CHA. Etiam, vt video, iudicas Palinure quæ oculis tantùm patent: quo errore decepti mortales, plurimum ſeduci ſolent: ſed quod certum afferre poſſunt iudicium exteriora corporis, quæ velamenta quædam magis ſunt veritatis? Aut quid certi promittere & oſtentare poteſt frons hominum, quæ plures quàm Proteus ſpecies mẽtiri, atq; in plures mutari queat? Conſiderandę ſunt ſecretæ animi fibrę: perſcrutandæ ſunt interiores mentis latebræ: quas ſi peruidere ita vt frontem poſſes, proh dolor quantam ibi malorum turbam, quantam formidinum atq; ſtrepitationum aciem introſpiceres? quot angores, ſolicitudines, ſuſpiciones? quot peſtilentes morbos & perturbationes? quanta aperirentur vlcera, quot plagæ & cædes, quot inſidiæ, quot enſes, & telorum infinita genera? quæ nec ſomnos eorum quietos, nec cibos placidos, nec opulentiam dulcem, nec imperiũ iucundum, nec delicias iocóſque lætos eſſe permittant. PAL. Neſciebam adhuc hæc eorum qui dominantur mala: ſed cur illis contingant tanta, non capio. CHAR. Contingunt tanta propter graues inimicitias, acerbáq; odia quæ continuè cum finitimis ciuitatibus, cum ſubditis ſibi populis, cũ ſemet ipſis etiam gerunt: quo fit vt ingraueſcentibus odiis, increſcentibúſque iniuriis, quibus quotidie afficiunt quenq;, neceſſe ſit illos torqueri & affligi grauiter, confidere nemini, ſuſpicari omnia. Poſſunt extimere muſcas etiã (vt aiunt) volantes, gaudere & lætari nunquam, triſtitia & mœrore detineri ſemper. PAL. Adducis me facilè vt credã ſuſpectas eos habere finitimas ciuitates, cum quibus & infenſa odia confiteor, propter continua quæ exercentur bella, & dominandi libidinem, qua plurimum incenduntur. Cum ſuis verò quibus imperant populis, nihil accipere poſſum niſi amorem, & dulciſsimã pacem. Porrò ſi cum finitimis ſint inimicitiæ, ſi oriantur bella, ſic demum etiam augentur imperia, ſubducuntur oppida, profligantur acies, ſpoliãtur & captiuantur hoſtes, populationes magnæ fiunt, trophæis decoratur patria, victoriis celebratur, triumphis extollitur. Ob quæ & principum gloria, & vrbium ornatus, & inimicorum timor, & populorum inter ſe lętitia, atq; erga principes fides & amor creſcit. CHA. At tantùm narras quæ proſpera ſunt & læta, ac quę frequentius accidũt aduerſa & triſtia prætermittis, quaſi ſemper eos putes debellare hoſtes, potiri victoria, triumphis exultare, nunquã verò vinci, proſterni, agros ſuos populari, bona ſua diripi, & è ſuis ſe oppidis deiici. Sed maiora hæc prætereamus, de minoribus tantùm dicatur. Quippe ſi conferas quas ſtrages ſuorum & cædes ſuſtinent, comperies longè maiore damno quàm lucro partas eorum victorias cõſtare, diſcuſſaq; ratiõe deceſsiſſe plus illis, quàm acceſsiſſe. His adiicias, vt populorum etiã ſuorum odia, nedum finitimorum intelligas, quòd ad inferenda bella & perſequendos hoſtes opus illis eſt ingenti & munito exercitu, multo nauigio, longa armorum & machinarũ præparatione: quæ quum magno & inæſtimabili conſtent ſumptu, nec proprii ſuppeditent reditus, neceſſe eſt nouis vectigalibus vexare populos, nouas indicere præſtationes, nouas angarias: augere tributa, multiplicare onera, exhaurire æs omnium, eradere marſupia, imò viſcera pauperum, paruos atq; magnos diripere, ſpoliare, conculcare. Inde fit, vt quũ inuiſos manifeſtè ſe cunctis intelligant, ſuſpectum tũ ſibi incipiãt habere quẽq;: nullius fidei, nullius amicitiæ credere, coniectare omnia in malam partem. Habet enim hoc in ſe peſsimum malefactorũ conſcientia, vt quos iniuria affecit, nunquam reuocari in amicitiam, nunquam mitigari, & ad veniã moueri poſſe putet: próinde magis inſurgitur, grauiores itur in iniurias. Hunc proſcribunt, illum carcere includũt: quorundã patrimonia publicant, alios iugulari aut ſtrangulari iubent. Voluntate pro ratione vtuntur. Eorũ quoq; quos tantis læſerunt malis, cognatos, affines, amicos, ſocios, ſeruos, quaſi fidei ſuæ diffidentes, perſequuntur. Tũ cæteri qui chariores etiã videbantur, exempla aliorum proponunt ſibi, acuúntq; ipſi non minus odia. Nam non minus rebus ſuis ac ſaluti ſuæ timent. Ita pedetentim ciuitas omnis indignatur, obmurmurat, rapitur ira, odiis incenditur, coquit nouas cogitationes, noua conſilia molitur. Mox eò deueniunt, vt hæc intelligẽtes videant quãtæ ruinæ quantóque præcipitio ſubiaceãt, quàm tenuiſsimo quaſi quodã filo pendeant imperia ſua. Tunc cernas eos pallere, triſtari, cõſumi, expauere omnia, torqueri ſcelerum ſuorum conſcientia, (quæ prima eſt pœnarum omnium) timere hoſtium inſidias, ciuium conſpirationes, domeſticorum proditiones, oppreſſorum vindictas. Tunc ſecurum nihil exiſtimare, niſi quod vi ac ferro tueantur. Propterea non credunt ſe tutò cuiquam, non miniſtris, non neceſſariis, non germanis, quorum maiorem etiam, quàm aliorum, authoritatem magis formidant. Arcent ſe ab aſpectu & præſentia omnium, cingunt ſe foſsis & aggeribus, claudunt ſe arcibus, quaſi ad perpetuos damnati carceres. Cuſtodibus etiam tanquam ad expeditionem belli paratis, vt obſideri eos putes, circunuallantur. Nihil illis dulce, nihil apertum, nihil iucundum. Dormiunt cum magna inquietudine, cum maiore etiam vigilant. Terret illos conuentus hominum, angit ſolitudo: timent colloquia, timent

ment ſaluationes, timent dona. Suſpecti illis aditus, ſuſpectę ſellæ, ſuſpecti cibus & potus, qui nec etiam niſi præguſtati ſumuntur. Suſpecti pellicum & item vxorum tori: quibus mirum eſt cur ſine cuiuſquam præguſtatione congrediantur. Ipſos verò quorum ſe cuſtodiæ commiſerunt, non minus extimeſcunt: quibus quum carere nequeant ob tutelam ſuam, eò magis augetur eorum timor & miſeria, quò armatos pro firmiore illos præſidio eſſe neceſſe ſit. Quare alienigenas & Barbaros homines, atque abiectiſsimos quoſque ſibi deligunt, eóſque frequentius comitãtur. Deiiciunt ſæpius ac exterminãt, quò ſaluti ſuæ ſi non alia, at ſaltem hac via conſulere poſsint. Quid fœdius & ignauius dici queat, quàm hominibus immanibus ac flagitioſis ſe cõmittere: ſuos verò, prudentes, ſobrios, iuſtos ſpernere atque deuitare? Quanta iſta tyrannorum felicitas, quos continuus & ingens ſemper angore afficit metus, quo nõ modò animi grauiter excruciantur, ſed cuncta inſuper dulcia Mundi dona fugantur & diſsipantur? Quantæ iſtæ eorũ deliciæ, quanta gaudia, qui tranquillitatem nunquã & pacẽ ſibi, ne dicã populis ſuis aut hoſtibus conceſſerint, expertes omnino tam ſanctiſsimi atque omnium dulciſsimi boni? Quæ nam vbertas iſta bonorum, quæ diſtracti aliunde, neque ſciant, neque viſant, neque pertractent, neq; guſtent vnquam? Quanta iſta imperii bona, quæ quum ipſi videre & attrectare non poſsint, commit tant neceſſe eſt aliorum curæ & gubernationi? ignari rerum ſuarum, neſcii omnium ferme quæ ſub ſe geruntur, fraudati quotidie & decepti, ab his præſertim, quos præ cæteris auxerunt: quibus tamen quum ſe credant, quot innocentium criminationes, quot facinoroſorum falſas cõmẽdationes audiũt? Quoties eorum fidem ſequuti, bonos pro malis, malos pro bonis ducunt, atque hos beneficiis, illos pœnis afficiunt? Quódq; grauius eſt, quoties ipſis etiã videntibus, hi quos tantum extulerunt, pro ſententia ſua in foro quoſque lædunt, concutiunt, opprimunt, atque dilaniant? Quid mirum ſi exardeſcunt poſtea populorum odia? ſi labefactatur poſtea eorũ ſtatus atque deſolatur? Quanta iſta, quámq; optanda imperia, cum quibus & ſeruitutem peſsimam degant? ſubiecti tãtis perturbationibus, tantis inſidiis: ſubiecti ipſis etiam quos ſibi ſubiecerunt: conſtricti quaſi quibuſdam regni compedibus: clauſi intra arces, quaſi magni alicuius criminis rei: coarctati inſtar ferarum: excluſi ab omni quæ foris capitur recreatione: priuati libertate, quod eſt tam dulce & omnibus optabile bonum, non hominibus modò, ſed cæteris inſuper quibuſcunque animantibus: cuius priuatione quid eſt quod triſtius aut infelicius contingere poſſit? PALIN. Non credis Charon bonos aliquos, mitiſq; & moderatæ naturæ Tyrannos eſſe? CHAR. Imò multos credo: ſed tanta eſt dominandi libido, tantus ardor, tanta neſcio quæ peſtis ingenita, vt quos ſemel inuaſerit, ſint ſumma quantuis bonitate præſtantes, adeò illiciat eos, illiciénſq; deprauet, vt vita potius quã imperio quod iam occupauerunt, carere poſsint. Vel ad conſeruandum, vel amplificandum contendunt vnguibus dentibúſque: ac propterea nemo eſt tam bonus tyrannus, cui non conſeruationis amplificationiſq; ſuæ gratia, multis magnas inferre iniurias, atque ob eas illatas non plurimum timere, plurimáſve pati anxietates contingat. PALIN. Miror cur tantis in malis, quæ planè ita vt narraſti, vera eſſe puto, appetant tantopere mortales imperium, niſi id fortaſſe faciunt cupidine honoris & gloriæ: quod nimirũ tam præſtans atque excellens bonum, tolerabiliores reddit tantas quas modò expoſuiſti miſerias. Dulce quippe eſt mandare aliis, præferri omnibus, eminere, præcellere, venerari, timeri, ſuppliciter exorari, aſſurgi ſibi, via decedi, inclinari ceruicem, flecti genua, audire laudes ſuas, & rerum bene geſtarum decantationes. Quæ quum & diuina numina plurimum capiant, facilè intelligi poteſt quantum & his quoque mortalium mentes capiantur. CHA. Quæ tanta capere poteſt tyrannos vllos honoris aut gloriæ exhibitio, qui ſe certò inuiſos omnibus eſſe ſciunt? A quibus ſi laudentur, ſi audiantur, ſi ſibi aſſurgatur atque incuruetur, intelligunt palàm vel aſſentationis vel timoris cauſa id fieri. Quare non eſt ita dulcis vt putas, huiuſmodi honoris & gloriæ exterſio magis quàm exhibitio. At verò dulcior is eſt qui in priuatos homines ab amicis & beneuolis honor exhibetur propter aliquod eorum egregium facinus, aut excellentem virtutem. Vera iſta gloria, verus iſte honor, ac dignus quidem quo & diuina numina capiãtur. PAL. Nullam ergo video cauſam cur tantoperere imperia deſiderentur, deſideratáq; conſeruentur: niſi quòd habendi cupido, qua tantum trahitur humanum genus, in his maximè expletur. Quò enim quiſq; plus auri, agrorum, ædificiorum, oppidorum, acquirere poſsit, nullo parcit labori, quantumuis magno & intolerabili: neque vllus tam amarus labor, quin propter quæſtum & maiorem rerum cumulationẽ dulceſcat. Ita quũ tyranni ſuper omnes plus poſsideãt, ſuper omnes etiã beatiores videntur, licet cætera eis triſtia ſint atq; peracerba. CHA. Neq; iſtud quidem affert vllam beatitudinem. Nam in primis non efficit diuitem maior abundantia, ſed minor cupiditas. Qui enim paruo contentus eſt, id tantùm cupit, quod neceſsitati vitæ ſufficiat. Is abunde eſt locuples, propter honeſtum, quod facilius implere poteſt, deſiderium: quod quum & impleuerit, liberatus eſt ab omni qua alii rapiuntur habendi anxietate. Qui verò quantumlibet diues plura concupiſcit, pluribus indiget, quia perſeuerante acquirendi inſatietate efficitur minus voti compos. Quò enim magis creſcit multarum rerum poſſeſsio, magis etiam cupiditas: neq; finem vnquam habet vorago illa cupiditatis. Deinde non eſt iudicandus quiſq; vel locuples multitudine, vel pauper paucitate diuitiarum: ſed vel rerum magis implemento, vel neceſsitate. Nam ſi multitudinem excedunt ſumptus, quomodo poteſt is credi diues, qui minus habet quàm neceſſe eſſet? Quare quum neceſsitatem ſæpius magnam patiantur qui tantam imperii molem adminiſtrant, indigentiores etiam putandi ſunt priuatis hominibus: quibus licet tenues ſint opes, at neceſsitatibus ſaltem ſuis vel pares ſunt, vel ſuperiores. Taceamus graues quas quotidie expilationes vel rapinas perferunt à quæſtoribus ſuis, & ab his maximè quorum fidei magis credunt: qui quò maiora etiam nacti ſunt imperia, eò maiora vtique furta, maioremque próinde rerum ſuarum diminutionem patiuntur,

à quib

à quibus priuatos ſaltem homines liberos eſſe conſtat, qui & diligentiùs patrimonia ſua ipſi per ſe curare, & attentiùs omnia intueri poſſunt. Dicamus verò curas & labores quos in adminiſtrandis tantis opibus, gubernandóque tanto potentatu tolerare eos oportet, quorum fortiores quàm Herculis humeros eſſe neceſſe eſt ad ſuſtentandam tantam molem: plures etiam quàm Argi oculos ad tantam rerum varietatem peruidendam atq; diſtribuendam: plura quoq; quàm Iani aut Vertumni capita, ad intelligenda, examinandáque tot ac tanta cùm hoſtium tum populorum ſuorũ quæ illis negotia deferuntur. Quæ tanti animi vis, quæ non debilitetur? quæ tanta ſoliditas, quæ non concutiatur? quæ tanta promptitudo, quæ non remittatur? Cuius eſt tanta valetudo, tantum robur, qui ſe tam vaſto curarum ponderi parem audeat polliceri? Cuius eſt adeò æquabilis & moderatus animus, adeò perſeuerans, quin tam multis támque continuis laboribus non defatigari, non quaſſari, nunquam quoq; confringi poſsit? Omittamus mortales: de nobis tantùm, qui hæc vltima loca colimus, loquamur. Vtrũ putas Palinure beatiorem eſſe, vel me, qui pauperrimus ſum omnium, qui nihil præter hanc quam cernis puſillam lintrem poſsideo: vel Plutonẽ, tam lati támq; immenſi regni tyrannum? Intelligo, etſi taceas, quale de hoc ſis iudicium prolaturus. Crede mihi, minimè meum cum ſuo ſtatu commutarem. PAL. Quare? CHAR. Quia lætus ago, & ſumma cum quiete. Non vllius rei vllam gero, niſi tranſuehendi haſce huc deſcendentes animas, & conſeruandi incolumẽ hunc faſelum meũ, ſolicitudinem: in quo dicam tibi quicquid eſt quod me grauet. Quum enim propter vetuſtatem fatiſcat aliquando rimis, curare me oportet vt reſtituatur integritati ſuæ. quare eum confuo ſæpius, & obſtruo ſi quid rimarum eſt, hæc omnis mea cura eſt, hic omnis labor. At Pluto cum tantis diuitiis ſuis, ac regno tanto, nunquam lætatur, nunquam quieſcit. tot curis carpitur, quot repletur hic vmbris locus. Implicatum ſemper habet vbiq; animũ. Hinc fertur, illhinc rapitur, omnibus intentus locis, omnibus occupatus miniſtris. huic mandat, illum terret, alios acciri iubet. Metum illi omnia incutiunt. nunc terræ hiatus, nunc motus formidat. Sæpe illum trepidare cogit lampas Phœbi, ne vlla ex parte irradiet regno ſuo. Sæpe & fulmen magni fratris, ne penetret Auerna atque labefactet. Quoties vidi ego illum, dum rebus ſuis timet, inuectum ſummo curru peragrare omnem hanc regionem, luſtrare fines, ſcrutari omnia diligenter, aſcendere etiam in ſuperum orbem, circumire terras, perueſtigare quodcunq; periculum perferre poſſet, nihil omnino incauti & inexplorati relinquere! quæ quum multis in locis, tũ maximè ea ſolet efficere in terris Siciliæ, quæ magis etiam eum terrent, propter magnas reluctationes Typhœi gigantis, quibus totam conquaſſat illam patriam. Nam poſtquã ipſe auſus fuit bella inferre cælo, iniecere ſuperi eius corpori Trinacriã, ſub qua ab omnibus vndique montibus preſſus & grauatus, conatur ſæpe ſe attollere, impoſitáque ſibi reiicere: proindéq; magnos concitat motus, ac tantos quidem, vt hæc loca noſtra concutiat grauiter & tremefaciat. Cogita nunc quàm læta & optanda ſit ſors huius inferni tyranni, cuius tot diuiditur animus curis, tot propellitur tumultuationibus: quem tot oporteat præcauere pericula, tot diſpenſare miniſteria, omnia percenſere, omnia corrigere, omnia vel ipſum gubernare, vel aliis gubernanda commitere. Attende rogo, & vel ex hoc vno collige eius felicitatem. Nam ſi me deficere contingeret huic nauicularío miniſterio, quod ita neceſſarium eſt vt vides, neceſſe eſſet eum vices meas ſubire, ne alioquin deficiente portitore, regno ſuo malè ſuccederet. PALIN. Hoc profectò non modò verum eſſe video, ſed manibus etiam ipſis (vt aiunt) tango. Nam ea nocte qua aliàs ſomno grauatus è puppi in mare excuſſus fui, id continuò ſenſit Aeneas meus, qui errantem ſine magiſtro nauem intelligens, gubernauit eam tota ipſa nocte, non indignatus quòd quæ ſceptrum geſtare ſolebant, remum etiam manus attrectarent. CHAR. De magno eius germano nihil loquor: non me latet quantos & ille labores ac curas ſuſtinet: ſed id præcipuè ſcio, quum temeritate Phaëthontis totus penè orbis conflagraſſet, quantum tunc regno ſuo timuit, quantum tota cæli mœnia circuit, & ne quid labefactatũ viribus ignis corrueret, explorauit. Prætereo tertium fratrem, moderatorem vndarum, cuius plurimæ etiam ac maximæ curæ non facilè explicari poſſent, ſed præſertim quæ ſub illa quoq; Phaethontea conflagratione ad ſummum penè vſque exitium cum toto regno ſuo eum affecerunt. PAL. De hoc poſſum, quod oculis meis vidi, afferre teſtimonium. Vidi equidem tempore illius quam ſuprà retuli, horrendæ apud Siciliam tempeſtatis, commotum grauiter Neptunum, & ex alto proſpicientem vocaſſe ad ſe Eurum & Zephyrum, & increpatis acriter eis pro tanta ſuſcitata tempeſtate, placaſſe ocyus omnia, atque tranquilla reddidiſſe. Quod argumentũ præſtat mihi euidens plurimarum, vt inquis, ac maximarum, quòd omnia in latiſsimo imperio ſuo paria ſint, curarum ſuarum. CHA. Dic oro Palinure, putáſne iam beatam eſſe tyrannorum vitam? PALIN. Minimé. CHA. Optaréſne viuens eorum ſortem? PAL. Vt quid optarem, in quo nihil omnino optandũ eſſe manifeſtè intelligo? CHA. Ergo certò eos arbitraris miſeros? PAL. Non miſeros modò, ſed omniũ etiã miſerrimos. CHA. Mirũ quòd modò eos tanta frui beatitudine prædicabas. PAL. Quid mirũ ſi cæcus laudet tenebras, quas poſtea luci reſtitutus damnet? CHA. Vis vt & alia eorum mala tibi referã? PAL. Reſtant item alia? CHA. Et alia, & grauiora. PAL. Quid audio grauiora? haud vnquam iſtud credam, poſſe his quæ modò dixiſti, grauius aliquid addi. CHA. Credes quum audieris. PALIN. Dic ergo. CHAR. Vides vt appropinquamus iam ripæ: non poſſum longiora tecum iam facere verba. PALIN. Rogo te mi Charon, ne fallas auidiſsimam expectationem meam. CHAR. An cæterarum vmbrarum quas in litore reliqui, auidiſsimam etiam expectationem vis vt fallam? PAL. Non diu moraberis, perge ô mi Charon. CHAR. Imò diutius quàm ſoleo, demoratus ſum: ſed lentus etiam nauigaui propter te, cuius confabulatione delectabar. PAL. Agè ergo, vt facis, lentiorem protrahe nauigationem, vt quæ reliqua ſunt dicenda, proſequi poſſis. CHAR. Ea tandem tanta eſt tibi audiendi cupiditas?

piditas? PAL. Tanta. CHAR. Morem tibi geram: qua in re illud te ſcire velim, quod plurimum miſeram reddit mortalium vitam inſtabilitas ſcilicet, & ruina rerum. Nam certum nihil & permanens in vita quiſquam ſibi polliceri queat. Quomodo is beatus cenſebitur, cuius ſummam quantumuis & plenam beatitudinẽ minima omnis diſturbatio vio lare & auferre poteſt? Sanè quum omnia apud mortales infirma atq; mutabilia ſint, nulla tamen infirmior ſors eſt atq; mutabilior, quàm tyrannorum, quorum etiam quo maior ſit exaltatio, & ſublimata magis ſtatus altitudo, magis eſt proinde, quũ mutari eos contingit, caſus & ruina. Inde tantæ tyrannorũ proditiones, euerſiones, trucidationes, vt nemo eorum ferè vnquam euaſerit, qui non vel regno depulſus, vel veneno necatus, vel cruenta aliqua & peſsima morte cæſus vel peremptus ſit. Quis talem eorum vitam optarit, quæ pro modici temporis felicitate (ſi tamen illa felicitas appellanda ſit) tã triſti poſtea tamq; amaro fine conſumatur? Horret animus dicere. Nam ne credas iis tãtùm mortales ſubiectos malis eſſe, ſenſimus & horum magnam partẽ aliquando nos inferi, licet tam valida nobis & munita ſit ciuitas, tã firma & præpotens, atq; omnibus vndiq; præſidiis circunſepta. Non poſſum ſine dolore meminiſſe illius diei, qua Hercules heros ille fortiſsimus hæc regna penetrauit: perfregit fores, inuaſit regem, exterruit reginam, quam & antè ſocii eius rapere adorti erant, abſtraxit Cerberum, vinctumq; eum catena tum magna vi in orbem duxit, concuſsit loca omnia, trepidare omnes vmbras atq; ipſos iudices fecit: me quoq; non modicum læſit, quem erepta cymba conto hoc meo percuſsit, impulſumq; grauiter in mediam paludem exturbauit. Timui equidem tunc deſolatum iri barathrum totum. Credidi tunc ſupremum Plutoni finem aduenisſe regni ſui: neq; minus illum cũ coniuge in prædam duci ad ſuperos, quàm tartareũ canem: ſed paulo humanius cum eo actum eſt, quàm opinabar. Nã tandem ſibi ac regno ſuo bene conſultum eſt: neq; tamen ita conſultum eſt, quin tricipiti cuſtode ſuo, qui tam perneceſſarius erat, ſpoliaretur. Quòd ſi opinionem meam, quæ communis erat, fata coæquaſſent, tunc cernere fuiſſet vtrũ beatior vel meus vel Plutonis tanti regis ſtatus eſſet. Ego quidem nihil ambigo, priuatus fuiſſem hac naucula: hoc enim habeo tantùm quod adimi mihi poſsit. priuatus etiã fuiſſem rege meo: ſed quotquot alios voluiſſem reges, procul dubio inueniſſem, qui miniſterio meo indigentes, ſeruitium meum perlibenter ſibi delegiſſent: & fortaſſe hoc lucri feciſſem, quòd pro vetuſto & attrito, qualem hunc intueris, nouum mihi & magis ſolidum lembum acquiſiſſem. At Pluto quantas opes, quantos honores, quantum regnum amiſiſſet? quantam in egeſtatem, quantam in calamitatem decidiſſet? Qui neq; parem aliud regnum, vti parem ego vel meliorem nauim: neq; parem alium famulum, vti parem ego vel meliorem dominum inueniſſet. Excedo iam modum dicendi: ſed ſi tempus ſineret, narrarem & quibus olim curis vexatus, quantóque timore perculſus propter bella Gigantum fuit ſummus Olympi rector: cuius narratio maiorem etiam augeret eorum quæ ſuprà dixi, malorum confirmationem. PALINV. Haud opus eſt mihi. Nam nemo mortalium fuit qui maiora quàm ego vnquam viderit eorum malorum exẽpla. Quid enim extitit his temporibus Troiano rege maius? quod opibus ſuis cumulatius? quid operibus munitius & pulchrius? & quid demum exitu tantorum bonorum triſtius? quid crudelius? quid flebilius? Vidit infelix pater tam arduum & longũ bellũ, tot cruentas mortes natorum ſuorum. Vidit euerſam funditùs & incenſam vrbem. Vidit latrantem coniugem, captiuatas nurus & filias, populationem tantarum diuitiarum: ipſe quoque, quod vltimum reſtabat illi ſenectutis ſuæ ſolatium, Pyrrhi enſe confoſſus, & crudeliſsima morte conſumptus eſt. CHA. Quis melius me hęc nouit, qui cunctos hæc ſcapha tranſuexi? A quibus & omnem calamitatem ſuam ſeriatim perdidici. Notus eſt abunde mihi Priamus, cuius cognito acerbo caſu non potui non dolere. Notus eſt Troilus, noti Hector & Deiphobus, nota eſt cætera tot filiorum ac nepotum turba: noti innumerabiles qui illo bello perierunt Troiani pariter & Graii duces. Nota eſt infinita, quæ tunc occidit populorum manus. Nullo memini tempore longiorem interfectorum multitudinem huc deſcendiſſe, quàm illo: quo ita laſſatus fui, vt præ multitudine omnibus tranſuehendis minimè hæc cymba ſufficeret planè. Quid opus eſt tibi monitore ad aperiendas eorũ miſerias, quas tu ſubiectas oculis tuis habuiſti? Quòd ſi pro anguſtia temporis liceret (iam enim video propius nos applicare ripæ) narrarem & millia aliorum tyrannorũ, ex quibus creſceret etiam magis tibi opinio eorum calamitatis. Nam illud poſſum, quod certò ſcio, tibi verum confirmare, nullum ferè me vidiſſe vnquam tyrannorum huc deſcendentium (deſcendunt porrò omnes) qui non vel alicuius veneni infectionem, vel magnas vlcerum cicatrices, & ſanguinolentæ alicuius mortis horrida ſigna præ ſe ferret. Ita mirum eſt videre tot ac tantos necatos, confoſſos, cruentatos, trucidatos. PALIN. Quis nunc ſe tantis in malis tyrannum vnquam eſſe optabit? quis imperia aſſequi quæret, quæ iam certius certo cognoſco magis fugienda eſſe, quàm Meduſæum caput? CHA. Audiſti quibus apud ſuperos tyranni malis torquentur: ſed ſi intelligeres quæ hîc apud inferos grauiora etiam illis parantur, perhorreſceres & longè magis eorum ſortem. PALIN. Ergo & alia hîc tyrannis parantur? CHAR. Credis Palinure, ſcelera quæ patrant mortales, hîc aliquando impunita eſſe? PALIN. Hoc modò animaduertebam. CHAR. Animaduertendum eſt igitur tibi, quodcunque in vita peccatur, pari demum poſt mortem & reſpondente peccatis pœna puniri. Nam vt capias quod dico: ſi tu, Palinure, artem tuam nauiculariam viuens malè exercueris, ſi in dominum tuum mali quicquã vel cogitaueris, vel cõmiſeris, ſi inaudiens dicto ſuo extiteris: inuenies hîc tibi præparatas his quæ deliqueris, ſimiles pœnas. PAL. Nihil profectò, Charon, ſcio quod malè egerim, vel in dominũ meum peccauerim, niſi ſomnolentam illam dormitationem meam, qua negligentius certè quàm debebam, me geſsi. Nam magno in periculo nauim ſimul & dominum quem vehebat meum reliqui, niſi vigilantior ipſe & cautior melius ſibi conſuluiſſet: ſed pœnarum ſatis tum ob hoc craſſum peccatum meum

meum etiam in vita recepi. CHAR. Recipies etiam in morte. Ibis enim quũ è naui te dimisero, ad seueros iudices nostros, qui examinãt & censent delicta omnium. Ducent quoque te in examinationẽ, scrutabuntúrque crimina tua. Videor verò videre quali te iudicabunt pœnæ subiiciẽdum. PALIN. Quali? CHAR. Parem peccato tuo tibi pœnam statuent, Nam quũ somno peccaueris, æterno etiam te somno damnabunt. PALIN. Dormiam ergo in æternum? CHAR. Ita puto: nisi grauius sit aliud peccatum tibi. PALIN. Sic mites habeam iudices, vt nõ sit grauius aliud mihi. CHAR. Nullam ergo nisi somni pœnam patieris. PAL. Non hęc grauis pœna mihi videtur. CHAR. Neque asinis etiam & bobus: at magnis & excellenti aliqua virtute præditis viris grauissima existimatur. PAL. Quas verò, dic, pœnas perferent tyranni? CHAR. Audis tot clamãtes & lamentantes voces? tot horrificos planctus? tantum stridorem ferri? tot tractus catenarũ? PAL. Delectabat me adeò sermocinatio tua, vt his minimè animum intenderem. Sed quid audio tam triste atque horrendum, quod præ horrore pœnæ aures meæ sustinere non possunt? CHAR. Sunt hæc quæ audis, torméta tyrannorum. Nam quum illi in vita carcere quenquam incluserint, spoliauerint, flagellauerint, trucidauerint, in summum luctum, in summam egestatem & calamitatem deduxerint, damnati sunt etiam ab incorruptis iudicibus ad perferendas pares pœnas. Ideo teterrimis quoq; carceribus incluſi, spoliati, flagellati, rotati, cęsi membratim, ac mille atrocissimis mortibus cruentati, tantos edũt, quantos audis, gemitus, tantum luctum, tot ac tãtos reboatus, clamores atque eiulatus. PAL. Dic etiam mihi Charon, an his pœnis plectuntur qui magni atque primarii tyrannis assistunt? CHAR. Prorsus iisdem. Nam suasu & consilio eorum maximè committunt tyranni scelera sua. PALIN. An & in vita illi beati? CHAR. Non secus ac tyranni quibus assistunt: nam iisdem quoque malis subiecti sunt: eadem enim sunt in eos populorũ odia, maiora etiã inter se, eædem curæ, eadem pericula: & quod miserabilius est, deiiciuntur sæpe à tyrannis suis, & vel carcere vel morte aliquando pessima afficiuntur. PAL. Tanta est ergo, támque generalis omnium calamitas. Vllam verò prorsus esse putas hominum sortem, quę beata duci possit? CHAR. Imò beatos aliquos non nego fuisse mortales, sed perraros tamen. PALIN. Quos perraros? CHAR. Qui amore virtutis & literarum contempserunt cætera mundi bona: qui se innocuos, puros, castos, integros, incorruptos conseruantes, extulerunt animum altius ad gustandam diuinam excellentiam, humana quasi sordida & abiecta relinquentes. Nam virtus per se tam dulcis támque iucunda res est, vt incredibiles amatoribus suis afferat voluptates. Tam nobilis & præstans est eius possessio, vt summa quadam vbertate ditet possessores suos. Quam qui verè est assecutus, nihil præter literarũ studia dulce, nihil præter Dei cognitionem habet amabile. Quæ tantùm prædulcia sibi bona stabilia, perpetua, incorrupta præeligit, custodit, amplectitur, Reliqua verò mundi, supremo tandem gustu amara, infirma, momentanea, corruptibiliora fuco, mandaciora hilo, inaniora hila, ieiuniora papis volantibus, fugit, cõtemnit, abiicit, conculcat: contentúsque se ipso, ac honestissimis suauissimísque studiis suis, totum nihil mundum ducit, ruentem etiam non formidat. In his recreatur, refocillatur, lætam & iucundam agit vitam, ridet tantas hominum, támque stultas, & vltro sibi quæsitas anxietates, tot ineptias, tot cassos labores, tot ínanes curas. Nemini nocet, nemini molestus est. Laudant eum omnes, prædicãt, admirantur, beneuolentia complectuntur, fauore prosequuntur. Quàm verè hic beatus est, qui conscientiæ suæ innocentia & integritate fruitur! Quod primum est & dulcius omnibus, bonus securúsque sui, nullo timore angitur, nulla angustia torquetur, non timet largas (quibus caret, quásque nihil facit) diuitias sibi à potentioribus eripi. Non timet à quocunque se lædi, qui ne quenquam se læsisse certò intelligat. Quàm verè hic felix est, qui tot tantísque semotus curis & periculis, tãtarum vacuus perturbationum, sibi semper alíísque iucundus, lætetur semper, & omnibus quotquot sunt mundi honestis, & his etiam quæ cœlibum communes sunt, perfruatur voluptatibus: qui humanioribus sanctioribúsque deditus studiis, contemnat omnia, cõtemnénsque omnia possideat. Nam is possidere omnia videtur, non qui omnibus abundet, sed cui nihil deficiat. Porrò illi nihil deficit, qui nihil concupiscit. Concupiscens autem nihil, contemnit omnia: contemnénsque ita id assequitur quod desiderat. Desiderio verò suo frui, ea demum vera & sola beatitudo, beatorúmque omnium plenitudo est. PALIN. Hi ergo quum nihil mali egerint, pœnarum etiam nihil patiuntur. CHAR. Nihil prorsus, imò propter transactam bene vitam, meritum magnum assequuntur. PALIN. Quod? CHAR. Vel cæli fiunt incolæ, communicántque æternùm illis cælestibus bonis: vel si huc descendunt, mittuntur in Elysiũ: qui locus est quietis ac deliciarum, vbi sedes fortunæ, campi aperti, læti, omnium omnino pœnarũ expertes. PALIN. O si mihi ad mortales redire aliquando contingeret, inclamarem quàm magna possem voce, admonerem de suo quenque officio & dignitate, accusarem tantam laborum frustrationem, tantam curarum vanitatem, tot corruptas opiniones, peruersáque iudicia: sed quàm maximè increparem, qui vel magistratu quopiam magno vel imperio cæteros antecedunt: ostenderẽ tanta, quæ antea ignorabam, sed te docente nunc intelligo, mala eorum, grauissima, dictu horribilia: reuocarem omnes à vitiis, ab inferendis iniuriis, ad meliorem victum, à superflua agendarum rerum cura: incenderem desiderio virtutis: laudarem innocentiam, prædicarem frugalitatem, exhortater cunctos ad bene grauiter castigatéque viuendum, ad se cognoscendum, ad contemnendum tot caduca, & somni cuiusdam vel vmbræ magis similia mundi bona: inuitarem ad honestas artes, ad ingenuas exercitationes, ad studia literarum, ad spem ac contemplationem diuinæ bonitatis. CHAR. Et rectè sanè: sed vides nos ripam attigisse: egredere iam. PALIN. Et iam egressus sum. Ad iudices eo. Placidam opto tibi semper nauigationem. Salue ô Charon, & vale. CHAR. Et ego ad reliquas vmbras redeo. Placidos tibi semper iudices. Salue Palinure, & vale.

VIRTVS DEA.

INTERLOCVTORES,

MERCVRIVS, VIRTVS.

IRTVS Dea per epistolas orauit modò, vt ad se irem. Eo vt perconter quídnã me velit, illico ad Iouem redibo. VIR. Salue Mercuri: ago tibi gratias, quandoquidem tua in me pietas atque benignitas, efficit vt non penitus despecta ab omni cœtu Deorũ sim. MER. Expecto quid narres: tu modò perbreues narrationes facito: nam edixit vt confestim ad se redirem, Iupiter. VIR. Etiámne tecũ nobis non licebit nostras ærumnas exponere? Quos igitur habebo vltores iniuriarũ, si nõ modò apud ipsum maximũ Iouẽ, verùm & apud te, quẽ semper in fratris locũ habui, colui, obseruaui, condolẽdi facultas negatur? O me miseram, ad quos confugiam? vnde auxiliũ petam? Me quidẽ, cũ ita despiciar, malo esse truncũ aliquẽ, quàm Deã. MER. Tandẽ effare, dũ præbeo operã. VIR. Vidén quã sim nuda & fœda? Hoc ita vt sim, efficit Fortunæ Deæ impietas atq; iniuria. At erã sanè ornata apud Elysios cãpos inter veteres illos amicos, Platonem scilicet, Socratem, Demosthenẽ, Ciceronem, Archimedem, Polycratẽ, Praxitelem, & eiusmodi viros doctos, qui me, dum vitã agebãt, piissimè atq; religiosissimè coluere. Interea loci cũ iam nõ pauci salutatũ ad nos aduolassent, è vestigio Fortuna Dea insolens, audax, tumultũa, procax, maxima armatorũ turba consepta atq; stipata, properans ad nos, iactabunda, En, inquit, plebeia, tũne maioribus diis aduentãtibus nõ vltro cedis? Dolui iniuriã nobis immeritis eo pacto fieri: ac nonnihil ira concitata, inquã, Neque tu maxima Dea his verbis me plebeiam efficies, neque si maioribus cedendum est, tibi turpiter cedendũ censeo. Illa verò illico in cõuiciũ sese effert aduersum me. Prætereo hîc quas contumelias in me primùm dum hæc inter nos geruntur, effuderit: idcirco Plato philosophus cœpit contra eã nonnulla de Deorum officiis disputare: Illa excandescẽs, Apagite hinc verbosi, inquit. Non enim decet seruos Deorũ causam suscipere. Cœperat & Cicero orator plura velle suadere, at ex turba armatorũ erupit, Mercuri, Antonius prępotens, latera illa sua gladiatoria ostendens, grauissimúmq; pugnũ in os Ciceronis iniecit. hinc cęteri mei amici perculsi metu, fuga sibi properè consuluere. neq; n. Polycletus periculo, aut Phidias scalpro, aut Archimedes horoscopo, aut cęteri inermes aduersus audacissimos armatos, eósq; prædis atq; homicidiis suetos, bello ad se tuendos valebãt. Ergo me infelissimam, ab ipsis omnibus qui tum aderant, atq; hominibus desertã, pugnis ac calcibus totam cõfregere, vestes meas diripuere, in lutũ prostratã reliquere, demũ abiere ouãtes. Ego verò ita confecta, cũ primùm licuit, cõscendi huc vt Iouẽ Opt. Max, his de rebus facerẽ certiorẽ. Iam quidẽ mihi vt intromittar expectãti, mẽsis elapsus est: dúmq; idvt impetrẽ, omnes Deos exeũtes atque redeũtes precor, nouas semper aliquas excusationes audio. Aut enim Deos aiunt vacare vt in tẽpore cucurbitæ floreścant, aut curare vt papilionibus alæ perpulchrè pictę adsint. Quid? igitúrne verò aliquid semper habebũt negotii, quo nos exclusas teneãt ac floccipendant? Tum etiã & villicus suscepit curã dudũ, ne cucurbitæ siti pereãt: nos tamẽ neq; diis neq; hominibus cordi sumus. Has ob res te iterũ atq; iterũ precor obtestórque, Mercuri, qui semper apud deos ipsos interpres extitisti, vt causam hanc meã iustissimã atq; piissimam suscipias. Ad te cõfugio, te supplex oro. In te omnis mea sita est spes atque expectatio. Da quæso operã, ne dũ à vobis excludor, ipsis quoq; mortalibus sim ludibrio. Nã erit quidẽ dedecus deorũ ordini, vbi homuculi me tametsi infirmã deã floccipẽ dant. MER. Audiui: doleo: verùm pro vetere nostra amicitia vnũ admoneo, durã nimis atque difficilem causam te aduersus Fortunã suscepisse. Nã & Iupiter ipse, vt cæteros omittã Deos, cum se ob accepta beneficia nimiũ Fortunæ debere sentiat, illius vires atq; potẽtiã veretur. Ea enim ad cælũ diis ascẽsum præstitit: atq; vbi velit, valens sua armatorum manu eiiciet. Qua de re, si sapis, inter plebeios deos ignota, quoad Fortunæ odium extinctũ sit, latebis. VIR. Aeternũ latitãdũ est. Ego & nuda & despecta abeo.

LVCIANI VITA EX SVIDA.

Lucianus Samosatẽsis, cognomẽto blasphemus, siue maledicus, aut ἄθεος potius appellatus est, eò quòd in dialogis suis ridicula etiã illa esse proponit, quæ de rebus diuinis & sacris prodita sunt. Dicitur autẽ vixisse tẽporibus Traiani Cæsaris, & deinceps. Cæterùm fuit ab initio causidicus Antiochiæ, quæ in Syria est: sed cũ ea res illi nõ satis ex sentẽtia succederet, ad scribendũ sese conuertit, scripsítque adeò infinita. Obiisse autem ipsum fama est à canibus laceratũ, quoniã & cõtra veritatẽ velut rabiem exercuisset. Nam in vita Peregrini Christianismum quoque insectatur, ipsum Christũ contumeliosè incessit, scelestus ille. Quare & rabiei istius pœnas sufficientes in præsenti vita dedit, & in futurum hæres æterni ignis vnà cum Satana erit. Hæc ille. Addit autem Volaterranus, nescio quo auctore, cũ ab initio Christianus fuisset, postea eiusdẽ religionis desertorem factum esse, dictitãtem se nihil ex ea consecutum, quàm quòd nomẽ ipsius corruptũ esset, ex Lucio Lucianus factũ. Fuit autem Samosata, vt hoc quoq; addamus, vrbs non longè ab Euphrate sita, Comagenes metropolis. Plinius, & Stephanus.

FINIS.

LVGDVNI,

Excudebat Ioannes Frellonius,

M. D. XLIX.